





THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM.
VOLUMEN IX.

THESAURUS
GRÆCARUM ANTIQUITATUM,

Contextus & designatus

ab

JACOBO GRONOVIO.

VOLUMEN NONUM

Festiva, mensarum ac picturæ, temporisque & numeri ac pecuniæ diversa exsequens.

Series librorum voluminis præfationem sequitur.



I: Camerata in: P: Monaco sc.

VENETIIS,

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI.

M. DCC. XXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ
S. P. D.
JACOBUS GRONOVIUS.


UODCUNQUE illud tempus eſt, quo nomen Græcæ nationis extitiſſe primum incepit, ex ipſo humanitatis negotio quiſque adigitur ſupponere ſtatim aliquid populis illis adfuiſſe, quod dentibus confectum venaſque & ſingulas corporis partes irrigans propagaret illorum vitas; & hinc certam conſuetudinem circa cibum potumque in eis obtinuiſſe. Unde verum æquumque ad hunc ordinem fuerat, ut illud quod de hac moris publici indole collectum erudite ac diſputatum exſtat ab viris doctis, ſtatim primo Græci nominis exortui adhæſiſſet. Vivus enim ille & naturalis ipſarum rerum nexus eſt, quem digerendis his loculis notitiam Græciæ promoturis uſque ſtatuimus ſeveriſſimi exempli canonem præſcribere. Nihil eorum omnium, quæ anteceſſerunt, tanti eſt, ut anteire hanc portionem poſtulet, aut validam quandam habere ſpeciem credatur vindicandi loci prioris. Plena ſunt iſta decoris laudiſque & quietis; ſed alterum quod nunc agimus, neceſſitatis, & ſic requiſitum, ut ne dilationem quidem indulgeat. Quanto vita carior eſt ac pretioſior ſplendore ac rerum jocorumque copia, tantopere inventa ad præſidium & tutelam corporis in populo excedunt diſciplinas ad illuſtrationem gentis & ingenii commodas. Has quum antehac ſectati ſimus, & tanto opere tamque ſedulo ac diu collegerimus; neſcio an non hæc ratio noſtra in vituperium caſura ſit, tanquam vitioſus ordo rem traxerit, in quem adeo tarde admittantur ea, quorum ope ſola vita hæc eſt vitalis, quæque idcirco ſi non utique volumen primum, certe aliquod ante hoc, quod ſextum poſt triteuchum meum numeramus, flagitare jure poterant. Nemo negaverit licuiſſe ſane ad talem ſeriem formari hoc editionis conſilium. Neque tamen forte temere aut caſu accidiſſe cenſueris, quod vides: etiam ſic aliquid ſecuti ſumus.

Meminimus enim nos circa aras & ſacrificia verſatos eſſe, unde iſti prandiorum nidores plurimum circa mare Ægæum excitati quandam viciniæ familiaritatem exigere videbantur etiam in his ſolennitatum reſiduis cognoſcendis. Quod vero caput eſt; ſiquidem Græcia contenta manſiſſet eodem cibo ac potu, quo in primordiis uſa fuit, & quem primis ſuis incolis ſine fatigationis multæ circuitu offerebat, certe ratio non fuiſſet, ut de eo ſategiſſent docti homines, non magis quam de Scythico lacte ac melle & carne. Per pauciſſima equidem potuit Anacharſis victum ſuum omnem cultumque explicare. Felicitas temporum & laſcivia mutati moris per importatas ab ſeptentrione ac oriente maris terræque delicias mirum quantum valuit, ut in ſumptibus utenſilium poſteri degenerarent ab primæva ſimplicitate ac ſupra fidem deſciſcerent. Omnia quæ alicubi exſtiterunt munda ac lauta, Græciam velut cardinem habuerunt, ut illuc confluentibus iſtis copiis multiplex telluris externæ in-

genium & proprietas novos & inuſitatos per omnia ſapores infunderet. Id eſt, quod annotatu dignum cenſuerunt multi ex ſapientibus; id quod cognoſcere operæ pretium judicaverunt peregrini: idque ipſum eſt, quod in doctrinæ & Antiquitatis Græcæ reparatione partem conſtituere agnovit noſtra ætas, in qua varii hanc materiam idcirco ut nobilem laboris ſui ſpeciem occupare lætati fuerunt. Quorum judicia ſecuti quum uno faſce colligare & jungere iſtos floſculos cuperemus, vides, Lector, e fide noſtra & re publica fuiſſe, ut nunc primum eis daretur locus, quum Græcia jamdiu terra marique floruerit, & ad ſe undique arceſſere iſta voluptatis & menſarum adjumenta potuerit ad μαγειρικὴν τέχνην in primordiis ignoratam vel conſtituendam vel poliendam. In eo genere quidem plurima docemur ab Deipnoſophiſtis, quos congregavit olim Athenæus. Sed labente tempore ea varietas ad nos venit, ut plurima & ſatis ſpectata hujus ætatis ingenia judicarint ad eandem ab ſe quoque aliquid conferri poſſe. Quod quum rebus etiam adfirmarint; quidquid tanti videbatur, & in priſcorum illius regionis temporum gratiam elaboratum non nimia mole exſtabat de Conviviis, Hoſpitalitate, Strenis, Teſſeris, Prandio & Cœna, Carnium eſu, Potionibus & Eduliis, Calidæ potu, Vino, Cereviſiis, Thermis Balneiſque & Odoribus; ſed & quod illis vicinum ſupererat, Vaſcula, inque iis Colores & Sculpturas Picturaſque, ſolita tricliniorum menſarumque inſtrumenta, hiſque omnibus adeſſe ſolita inſignia, aut tum reliqui corporis, tum pedum velamenta; ea dico ſingula deſcripturum, prout quidem ad noſtras manus pervenire potuit, collatione ſatis concinna cernes huc ἐρανίζειν ita, ut bonam paginarum partem ſimul juncta impleant. Nam quum juſta ſagina ne ſic quidem corpus voluminis eſſet ſatiatum, & ſolennia omnia ſacrificiaque conſtaret habuiſſe ſuos dies horaſque, reſpicere placuit ad ea, quæ de Temporis apud Græcos vel dividendi vel deſtinandi & appellandi modo fuerunt conſcripta, ut annos, menſeſque & dies & horas vel dierum vel annorum numerando, ſolemque & lunam ſpectando, curſuſque utriuſque vel per ipſa ſpectacula notando illam gentem parem fuiſſe ſcires, etſi non eadem ſententia per tot urbes. Ad quam rem quum inprimis pertineat ratio computandi, etiam in Numeris quid muginati fuerint, non putavi abſurdum, ſi his adderetur. Quin immo quod horum ipſorum præcipuus ſit uſus in Pecuniariis negotiis, inde exiſtimavi colophonem convenientem ſic huic parti impoſitum iri. Multa in his egregia ſcituque & inveſtigatu perdigna; multa, quibus priorum voluminum quoque eruditio perfectior conſtituitur. In quibus tamen quum inſinuaverint nonnulla, quæ invitis & non attentis exciderunt auctoribus; bona venia mihi ſpero dabitur, ut attentionem tuam, Cupide Lector, aliquamdiu comiter, ac fortaſſe adjuvem, ne per fallaciam cogatur offendere.

Ita aliquid fere inhumanum eſt, quod legis columη. 36. quaſi Plinius ſcripſiſſet Licinium Lyciæ legatum ſuper platano cœnaſſe cum viginti octo convivis, quum is recto ſenſu teſtetur iſtum Licinium tradere epulatum intra eam ſe cum duodeviceſimo comite, ita egregii ſpatii lectos decem lucrifaciens. Sed neque in viri docti ſenſum ullo genere venire poteſt, ut poſſit dicere Ciceronem in verbis notiſſimis *Memini Lælium in hemicyclo* (ſed recte jam Gruterus ex MSS. edidit *hemicyclio*) *ſedentem* videri

intellexisse mensam rotundam, circa quam unam plures accumberent hemicycli forma, ut suspicionem hanc aut suppositionem nimis inconditam prodire ausam vides column. 40. etsi se postea immutet; quum illic loquatur Cicero de sessu, non accubitu; & hemicyclium apud veteres non oportere quæri in tricliniis docent tum loca ipsius Ciceronis Plutarchique ac Plinii & Sidonii diu bene collecta, tum Pythagoræ schola vel διατριβὴ, quam postea Πυθαγόρου ἡμικύκλιον καλούμενον, ἐν ᾧ νῦν Σάμιοι περὶ τῶν κοινῶν βουλεύονται, scribit Jamblichus. In quo ipso capite videbis perperam ab eo exscriptum ex Plutarcho, quasi qui dicat Cæsarem in epulo invitasse populum centum viginti millibus tricliniorum, quod immensum & incredibile, & tanto pejus, quod postea column. 92. id ipsum rursus ex Plutarcho citans dicat *in ipso epulo excepisse populum tricliniorum in summa viginti duobus millibus*; & recte, dicente Plutarcho, prout ejus illa verba rursus citantur column. 760. ab Laz. Bayfio, ἑστιάσας ἐν δισμυρίοις καὶ δισχιλίοις τρικλινίοις; sed in quo itidem loco manca est citatio, *& post edita spectacula censu acto censa capita pro trecentis millibus civium*. Ea plane nihil docet, nisi integra habeas verba Plutarchi; ἀντὶ τῶν προτέρων δυεῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα.

Quod item vides column. 92. scribi *Quem & Aul. Gellius attestatur, ignobilissimum quendam in quæstura candidatum nobilissimis anteposuisse patriciis, quoniam is in convivio vini amphoram se propinante biberet*; mirum, nisi auctor non in Aul. Gellio legerit, quem pernovimus, sed in Suetonio Tranquillo de Tiberio cap. 42. Etiam hoc ipsum exemplum animadvertes citari column. 132. sed ubi nescio unde auctor didicerit eum candidatum etiam ipsi Tiberio ignotum fuisse, quod sane ex verbis Suetonii non colligas, & vel ignobilissimos habuit Tiberius notos. Sic column. 96. dicitur *Scribit Suetonius Augustum ludis suis L. Decium equitem Rom. qui mimum suum egerat, quingentis sestertiis donasse*, quum casus ille nimium sit celebris, quam ut sic debuerit confundi, nec sub Augusto contigerit, verum sub Julio, nec tunc appelletur L. Decius, sed D. Laberius, ut exstat capite 39. Suetonii in primo Cæsare. Colum. 110. fateberis absurde & cum gravissimo errore dici *Christo scilicet tunc* XIV. *Augusti anno nascente feliciss.* quem nulla excusatio coloret, videaturque medius numerus ex unitate I. augendus in quinquagenarium L. ut quemcunq; etiam calculum secutus fuerit, auctor scripserit XLV. aut XLI. vel XLII. Column. 135. mirari oportet repetitionem citationis ex Philone, ut identidem auctor in Conviviis suo Bulengero, in Hospitiis Thomasino mirabiliter serviens ingerit, Hebræo, nulli novæ demonstrationi opportunam, ut appareat istum, qui eas paginas occupat, negligentia sane non decora usum fuisse; quod ipsum eminet quoque column. 148. per hæc verba (De Caligula Suet. *Porrexit ad salutandum sinistrum pedem auro & margaritis*) quæ nusquam in auctore isto occurrunt, perinde ut ab altero id ipsum fit colum. 243. ubi recte annotatum fuit, Dione tantum dicente τοῖς γὰρ πλείστοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. Column. 160. producitur tessera oblonga, cujus in uno latere literæ PILOMUSUS PERELI, in secundo SPECTAVIT, in tertio excisa est fuscina, in quarto ramus lauri; cujus fuscinam indicare putat editor per omnia imbecillus tanquam bellicum instrumentum, & palmam pacis symbolum, quum tamen pax & bellum vix queant pertinere ad verbum *spectavit*. Sed omnino de eadem melius

meretur Ph. Thomaſinus cap. 16. quod exſtat column. 251. hujus voluminis, dum ſtatuit ſervile nomen gladiatoris jam rude donati, verius ad ſpectaculum, quam ad pugnandum conducti eſſe inſcriptum. Singularis hæc eſt, & quum in aliis de verbo iſto non aliæ literæ exprimantur niſi duæ priores SP. in hac una totum verbum exprimitur. Proponit etiam Reineſius ex Pignorio & Urſato in Inſcriptionibus pag. 374. ſed exhibet ÆRELI, quomodo etiam pag. 372. oſtendit ſe legiſſe. Sed de hac alias.

Column. 225. videntur parum recte conſiderari vocabula ex præmiſſa inſcriptione *quod univerſi V. F. P.* tanquam ita ſignificaretur *quod univerſi Ferentini populi*. Nam non modo literæ V nulla ratio ibi habetur, ſed & frangitur ſyntaxis; quin etiam non P erat poſtrema litera exhibenda, ſed T. Sic enim habet inſcriptio poſita colum. 220. QUOD UNIVERSI V. F. T. POMPONIUM. Omnia autem clare habent, ſi ex conſuetiſſima formula explanes *Quod univerſi verba fecerunt Titum*. Unde vero potuit agens column. 260. de loco medio, quem dominus convivii occupaverit, ſcribere (Pomponius Mela notat Scythis eandem fuiſſe conſuetudinem) cujus ſcribendi nec occaſionem ullam habuit? Sane vix cuiquam opiner Suetonium recte legenti approbatum iri, quod adfirmatur column. 310. ab Domitiano Metium ſupplicio affectum, quod nomen Magonis & Annibalis indidiſſet ſervis, tanquam clariſſimorum virorum nomina contagio polluiſſet ſervili. Sic enim meruiſset Cæſar iſte qualemcunque laudem, qui illos propter virtutem tanti faceret, quanti ſuum Harmodium & Ariſtogitona Athenienſes; quum & locus ille ſic ab Suetonio ſit exhibitus, ut vitioſum illum declaret ac ſingulatim præbeat exempla animi ad ſævitiam deſciſcentis, & hinc leviſſima de cauſa primores interimentis, maxime quod anſam ſuſpicandi aliquid prave colligeret. Pariter mirari oportet, cur column. 323. maluerit ſcribere ob reſtitutam Auguſto lactuca valetudinem prudentia Muſæ medici, cui idcirco Populus Roman. ſtatuam juxta ædem Æſculapii erexerit teſte Suetonio: quum is non juxta ædem, ſed in illa juxta ipſius Æſculapii ſignum ſtatuiſſe dicat, qui etiam mos erat vetus. Neque vero fieri poteſt, ut lectorem iſta Latina non morentur, quæ legis colum. 472. *Qui Dionyſii harmonias callebant, eos tres vini cum aqua conſonantias adſpexiſſe*. In his enim præterquam quod Dionyſius velut muſicorum magiſter videtur adduci, & quidem difficilis, ut ejus harmonias non quilibet calluerit, & hinc velut jam publicus error committatur, ut Dionyſius cum Dionyſo vel Baccho miſceatur; tum egregie Plutarchus: οἱ περὶ τον Διόνυσον ἁρμονικοὶ τρεῖδον οἴνου συμφωνίας πρὸς ὕδωρ. Stupeo quidem ſane hanc abſurditatem ſic placuiſse Pigio, in Mythologia IV. anni partium, ut quum aliquoties ibi ſignari deberet Dionyſiacum, ideo etiam pro Baccho Latine dixerit Dionyſium, quod non ſolum initio opuſculi admittit column. 1189. ſed etiam 1194. ponit *Dionyſium*, & 1196. Liber Pater ſcribitur Græcis dici *Dionyſius*. Verum immenſa moleſtia eſt, quæ ſedet in loco Philonis & indignum in modum augetur ab Freinshemio column. 502. quum verba illius προσφέρειν τοῖς οἰνοχουμένοις κελεύοντες, κἂν διαμέλλωσιν ἀγανακτοῦντες, intellexit Latine poſse verti *adferre pincernis jubentes, & ſi ceſſent illi, indignantes*, quum interpres reddidiſset *ultro pincernas urgentes, indignanteſque illis ceſſantibus*, qui ſic etiam Stuckio impoſuerit. Quid illud ſit, equidem neſcio; &

Stu-

Stuckius ea verba citat lib. III. cap. 6. ubi ipse edidit prave διαμέννωσι, in nupera editione διαμένουσιν, ubi etiam νῦν vane redditur per *non*. Cæterum nemo magis sibi, quam Freinshemio imposuit ista opinio. Ubi enim legit οἰχουμένους dici pincernas? quum si participium, quod usurpatum fuit præter substantivum οἰνοχόοι, voles, semper illi dicantur οἰνοχοοῦντες, quum in οἰνοθοοῦμαι sit diversissima ratio & viris doctis notata. Itaque si interpres imposuit Stuckio, certe etiam imposuit Freinshemio adoptanti fatue illos *pincernas*. Deinde pueriliter considerant viri docti verbum προσφέρειν. Quod sane est congruum Latino *adferre*, & pincerna ac δειπνοφόρος potest dici adferre vel in triclinium vel accumbenti id quod habet temperatum, quod tamen etiam est solitum dici παρατίθεσθαι. Sed non in tali notitia consistit vis sermonis Græci. Imo προσφέρειν τοῖς οἰνοχοουμένοις dicuntur convivæ, qui os & labia componunt ad ea quæ infusa sunt haurienda, atque adeo admovere vel calici vel patinæ, ut inde gustent ac vescantur. Ita citat Freinshemius ipse in capite III. hujus scripti ex Polluce. Ὅταν Ἱπποκράτης εἴποι τὸ ψυχρὸν πολέμιον νεύροισιν, ὀστέοισιν, ὀδοῦσιν, ἐγκεφάλῳ, δῆλον ὡς οἶδε τὴν τοῦ θερμοῦ προσφορὰν τοῖς ὀδοῦσιν. Quod quam bene intellexerit vel Freinshemius vel Pollucis interpres, patet ex utriusque versione. Non aliud est, quod ex Posidonio & Athenæo citatur column. 552. Γερμανοὶ ἄριστον προσφέρονται κρέα μεληδὸν ὠπτημένα, καὶ ἐπιπίνουσι γάλα est de cibo, mensæ imponendo, sed ab convivis accipiendo & comedendo, sicut posterius de potu hauriendo. Sed id quidem tenue est præ eo, quod lugeo spectari column. 506. ubi idem Freinshemius de calida aqua admixto aromatum pretio nihildum comperisse se scribit, (nisi quod Stuckius Aristotelis locum ex Athenæo citat. *Ollis Rhodianis aquam, qua vinum miscebatur, calefieri olim fuisse solitam, injecta in ea myrrha, mastiche, croco, balsamo, amomo, cinnamomo, & aliis aromatibus, cum ebrietatis, tum Veneris coercendæ* (an *concitandæ* potius?) *gratia*. Quem ego tamen locum nec in Athenæi libris, nec in ipsius Aristotelis invenio.) Quanto satius ad famam suam fuisset horum verborum auctori vel universum hoc suppressisse scriptum, quam adeo barbare & férociter contumeliæ causa nominasse Stuckium, utique non sic temere prætexturum auctores, qui nulli forent? Quoque magis horreas, ecce & alterum non sane inelegantem ex Germania virum column. 590. sic scribentem: (Veteres ex aromatibus insuper sibi potum concinnasse, auctor est Jo. Guil. Stuckius *Antiq. Convival.* lib. III. cap. VI sententiæque probandæ sequentem adducit Aristotelis ex Athenæi lib. XI. locum: *Ollis Rhodianis aqua, qua vinum miscebatur, calefieri olim solita fuit, injecta in eam myrrha* &c. Verum hic potus huc proprie non pertinet. Et præterea recte advetit vir eruditissimus, Jo. Freinshemius Dissert. de *Calidæ potu*, locum hunc nec in Aristotele, nec Athenæo inveniri. Interim pro *coercendæ* mavult legere *concitandæ*. Nec enim aromata ista coercent, sed stimulant concitantque Venerem, quod omnes norunt) En quam facile socium se jungat iniquitati? An sic agi oportebat inter ingenuos, non modo id quod nescias, certe non acerrime inquisiveris, pro firmissimo adseverare non sine quadam arroganti injuria in eum, qui scripsit, quod sciebat, sed etiam ratiocinatione utentem premere, quod bona fide ex antiquiorum temporum notitia erat depromptum? Age, dicant & jactent isti Athenæum ab se lectum. Hinc enim libro XI. pag. 464. quum ab eo citatus fuisset Καὶ Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ περὶ μέθης.

verbaque ſubjeciſſet, addit: *Κἂν ἄλλῳ δὲ μέρει φησίν. αἱ Ῥοδιακαὶ χυτρίδες γίνονται σμύρνης, σχίνου,* (in hoc loco, ut & anteriore, ipſe in MS. legi *χοίνου*) *ἄνθους, κρόκου, βαλσάμου, ἀμώμου, κινναμώμου συνεψηθέντων, ἀφ' ὧν τι πινόμενον τῷ οἴνῳ παραχυθὲν οὕτω μέθας ἵστησιν, ὥστε καὶ τῶν Ἀφροδισίων παραλύειν, τὰ πνεύματα πέττον.* Pax ſit igitur manibus eximii noſtri Tigurini, & cautius ſcribant alii. In Strabonis locum, qui eſt lib. XV. pag. 694. quem varie tentant viri docti column. 602. & 603. & ſententia & manus ſcriptoris reditura videtur, ſi legeris: *εἴρηκε δὲ καὶ περὶ καλάμων, ὅτι ποιοῦσι μέλι μελισσῶν μὴ οὐσῶν· καὶ γὰρ δένδρον εἶναι καρποφόρον, ἐκ δὲ τοῦ καρποῦ μεθύειν.* Verba quidem de Antonio Muſa, quæ exhibentur column. 625. non ſunt Dionyſii Halicarnaſſei, ſed Dionis Caſſii Coccejani ex libro LIII. pag. 517. eadem ſcribendi levitate, qua cernes column. 944. loco Juſtini de Lyſimacho & leone præſcribi Suetonium. Potuit Gauricus caſte magis ſcribere, quam edidit column. 745. *Cornelio Pompejo, C. Cæſari, Cn. Octavio*, ſive id typographi vitio commiſſum eſt. Sicut columna 898. non ſalubriter notari cernes de Scipione Africano loqui Hirtium, quum intelligatur ſocer Pompeii. Sicut in Pighii Themide colum. 1154. prave legitur (Verum D. Lactantius Uranum Latine *Cæleſtum* interpretatur) quum reſpiciat ad caput XI. lib. 1. de falſa religione: *Jupiter in eo loco ſuſpexit in cœlum, quod nominatur* Οὐρανός. Juvenile admodum eſt, quod column. 784. ſcribitur, quaſi Bruto, qui Reges expulerat, ſtatua poſita non fuerit. Quod ſane adeo non bene convenit verbis Suetonii, ut contrarium ex eis appareat in Julio cap. 80. *Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ, Utinam viveres!* Illa admodum frigida eruditio viri doctiſſimi, quam oſtentat column. 1168. ubi ſermo de Themidos pectine peragi nequibat, niſi adderetur: (Itaque Veneri ſacer pecten eſt, quem idcirco *Cytheriacum* appellat Naſo poeta de Salmaci canens: *Sæpe Cytheriaco deducit pectine crines.*) Quum in loco illo jamdudum ediderint *Cytoriaco*, & nimis eſſet confuſum, ut quod Themidi proprium ſymbolum datum fuit, tamen diceretur Venerium. Res ſponte loquitur, & Cytorus mons raſile buxum ſuum pectinibus faciendis electum approbavit etiam per ipſos poetas. Qua admonitione ſicut gaviſurum reor fuiſſe ipſum Pighium, ſi in hanc ætatem vita ejus incidiſſet; ita viciſſim oportet ipſi gratias agere de mandata æternis chartis memoria egregiæ cælaturæ in vaſe Cajetano, quam vides column. 1150. Cui quum neſciam cur ipſi manum tot lineis expertam adhibere diſplicuerit; tum vix ſatis mirari poſſum adeo lente illam fuiſſe exceptam, ut in centum omnino annis nemo inventus fuerit, qui eam curæ haberet, donec tandem clariſſimus ille Sponius id quod poterat deſignare lineis ſuſtinuit, ac bis publicando profudit, in libro Gallico quem inſcripſit Recherches Curieuſes pag. 469. & in Miſcellaneis pag. 25. adeo ignarus mentionis hujus, ut non tantum ipſe etiam referat, in qua urbe exſtet, ſed & in quo ejus loco, & in quem uſum iſtuc dedicatio ejuſdem collata fuerit; tanquam hæc omnia exiſtimaret ab ſe primo dici. Quod tantum abeſt, ut ita habeat, ut videatur palam eſſe notiſſimum, monſtrarique peregrinantibus ſemper ſoleat; unde in ſcripto, quod ſub titulo Mercurii Italici vagatur, ſic de eo ex Cajeta notavit auctor: (Potius quam illa aurea & gemmea meretur laudari capaciſſimum vas ex integro candidiſſimo marmore elaboratum. Inſculptus affabre Bacchi ortus ſpectatur; ut ſcilicet matertera Ino rupi inſidens infantem a Mercurio oblatum accipiat ulnis & linteo tegat, & læti Satyri

Bacchæque ad tympanorum tibiarumque ſonum tripudient. Hæc appoſita verba ſculptorem indicant; ΣΑΛΠΙΟΝ &c. Conſtat Bacchicum hunc craterem Formiis fuiſſe: ſed iis Saracenorum ſcelere everſis Cajetam translatus, ſituſque in ſummo templo fuit, ut baptiſterium eſſet.) Certe igitur illic ſicut in propatulo eſt locatum, ita quoque oculis adeuntium vulgo occurrit. Imo indicio iſtius vaſis jam exornavit Neapolitana ſua Capaccius pag. 596. Itaque ut junctim coirent omnia, judicans decorum huic volumini & tibi non inutile aut injucundum fore, prout editum eſt, huc tranſtuli; etſi mallem non ectypum hoc Sponianum, ſed ipſum marmor licuiſſe in oculis habere. Quum enim nunc omnia committi oporteat fidei illius præſtantis viri, cui nihil derogo; tum nec ipſe dixerit, quid extrema fœmina adornet; de qua ſicut proinde tacet in Latinis, ita in Gallicis ſcribit: *une troiſieme qui touche un tronc d'arbre, ou plutot une groſſe ſouche de vigne, conſacrée a leur maitre Bacchus*. Itaque etiam de reliquis ſic commentatur (Adſtant Nymphæ & Satyri. Ex illis tres thyrſum dextra tenent; alter qui cymbalum pulſat, jam ſuperius exhi-



bitus eſt. Ultimus fronte crinita Faunus tibias duas inflat) Unde patet cujus manibus quatitur & pulſatur tympanum (ſic enim voluit Sponius etſi calamus aberraverit ad *cymbalum*) eum pro viro agnoſcere. Is ipſe tamen in libro Gallico, cujus modo mentio a me facta eſt, pag. 155. ſcribit, *ces deux femmes*, quarum altera eſt hæc ipſa imago; ibidemque pag. 472. *Celle qui ſuit eſt une Bacchante qui joue du tympanum ou tambour*. Quæ omnia a nobis in medio relinqui oportet, niſi quod & ipſum decuit attendere id quod ſcriberet, & in ſacris Deum Matris tympanizabat ſemivir, non in gaudiis Bacchi. Id porro exemplum Salpionis ita ſuam peritiam teſtantis conſecrantiſque ſane conſpicuum apponi debet ſimilibus titulis, quos collegit Marq. Gudius ad Phædri librum v. fab. 1. ſed ubi prave edidit in numero 11. ΑΓΑΣΑΣ, & infelicius, quum ea appellatio eſſet illi ignota, conjecit ΑΓΑΘΙΑΣ, idque in pugilis ſtatua, quum Sponius in eiſdem Miſcellaneis pag. 121. proferat ΑΓΑΣΙΑΣ, & ante utrumque ho-

rum Reinesius in Inscript. pag. 284. qui cum Sponio gladiatorem agnoscunt & apponunt quoque patriam, nescio cur ab Gudio omissam, prout consulit etiam in Apollonio Nestoris, quem ex Sponio & Reinesio scias Atheniensem fuisse: denique non illi viderunt ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΝΕΣΤΟΡΟΣ ΕΠΙΗΣΕ, sed ΕΠΟΙΕΙ, sicut in Miscellaneis eisdem pag. 124. quoque editur ΚΛΕΟΜΕΝΗΣ ΚΛΕΟΜΕΝΕΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ, nequaquam sub clypeo Augusti, sed sub statua Germanici. Tale est in eisdem Miscellaneis pag. 7. ΤΡΥΦΩΝ ΕΠΟΙΕΙ. Et pag 138. ΔΗΜΟΚΡΙΤΟΣ ΕΠΟΙΕΙ, itemque ΚΑΛΑΜΙΣ ΕΠΟΙΕΙ, ΤΕΥΣΙΑΔΗΣ ΕΠΟΙΕΙ. Cæterum ad hanc consuetudinem & Phædri allusionem cognoscendam unice facit locus Zenobii Centur. v. num. 82. ubi quum dixisset ab Phidia factam esse Rhamnunte Nemesin, cujus in manu sit ramus mali; addit Antigonum Carystium scribere aliquod πτύχι... inde pendere cum verbis: ΑΓΟΡΑΚΡΙΤΟΣ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ. Οὐ θαυμαστὸν δέ· καὶ ἄλλοι γὰρ πολλοὶ ἐπὶ τῶν οἰκείων ἔργων ἕτερον ἐπιγεγράφασιν ὄνομα. Εἰκὸς οὖν καὶ τὸν Φειδίαν τῷ Ἀγορακρίτῳ συγκεχωρηκέναι. ἦν γὰρ αὐτοῦ ἐρώμενος. Ubi addendus And. Schottus, & tum ex hoc, tum ex aliis notavit Meursius in Populis Atticis in Ῥαμνοῦς. Absurdioris etiam notæ aliquid occurrit inmixtum columna 1275. (a Romulo vero institutum anni principium Calendis Jan. bruma vigente & solstitio hiemali) quum vix credi possit illas ipsas vel notas fuisse Romulo. Non tantum vero column. 1314. describens Censorinum vir doctus aberravit in citando (*per Capitolinos agonas, quorum agonum primus a Diocletiano institutus fuit*,) quum Domitianus sibi hanc palmam vindicet, ac in ipso Censorino non aliter legatur; sed etiam columna sequente ab eodem citatur inscriptio, in qua calamus viri istius alioquin accuratissimi dedit *Statuam ære collato dedicavit*. Verum & Ingolstadii Pet. Apianus edidit DECREVIT, & Pet. Faber in Agonistico 1. 3. similiter allegat, atque etiam Onuphrius, qui insuper habet ista singularia, ut exhibeat CERTAMINE SACRO JOVIS, tum UNIVERSA MUNICIPUM HISTONIENSIUM, etsi omissa etiam ab Apiano. Cur column. 1346. Meursius, postquam ipse scripserat convivia credi obmutescere, id ipsum verbum in Pliniana citatione, tanquam & ipse ab Plinio accepisset, iterare maluerit, non bene percipio: certe in Plinio habetur *Quin & repente conticescere convivium*. Quod vero ex anterioribus tangere oblitus fui, & tamen in eis vidisti velut ex compecto credi de Ino, ad quam Mercurius detulerit hunc modo natum Bacchum, etsi ea sit communis apud fabulatores opinio; tum difficile est spondere de sententia hujus Salpionis, quem dubitare licebat, an non aliunde aliquid didicerit, quod in ista fæmina exsignare voluit, & simile illi, quod nos etiam discimus ab Scholiaste Apollonii Rhodii ad librum IV. 1138. Ἡ Ἥρα τὴν Μάκριν τῆς Εὐβοίας ἐξέβαλε, διὰ τὸ δέξασθαι παρὰ τοῦ Ἑρμοῦ τὸν Διόνυσον, καὶ θρέψαι.

Sed hoc satis est. Tu vero, Optate Lector, favente manu accipe hæc κειμήλια (?) ... ἀθήματα δαιτὸς, sane aurea multa, suoque tempore bene digna & cujusque copias ac vires proferentia, & Vale.

SE-

SERIES SCRIPTORUM

Quæ in volumine nono Thesauri Antiquitatum Græcarum inveniuntur.



JANI CORNARII,

MEDICI PHYSICI ZUICCAVIENSIS,

DE

CONVIVIIS VETERUM GRÆCORUM

LIBELLUS.

AD ORNATISSIMUM VIRUM D. OSVALDUM LASANUM ZUICCAVIENSEM CONSULEM.

JANI CORNARII,
MEDICI PHYSICI ZUICCAVIENSIS,
DE
CONVIVIIS
VETERUM GRÆCORUM
LIBELLUS.



ROXIMIS nostris stultorum feriis, Bacchanaliorum morem quendam adhuc, ornatissime Lasane, referentibus, quum absolutum in totum sub prælo haberem Hippocratem Medicum Coum, omnibus illius viri scriptis, ad nos usque extantibus, per me Latina lingua conscriptis, & ex celeberrima Germaniæ excusoria librorum officina Frobeniana jam editis; & ferme eo perduxissem quoque Galenum, præstantissimum item Medicum, & Hippocratis per omnia sectatorem ac optimum interpretem, ut paucis admodum restantibus illius libris, totum ipsius scriptorum Opus, magna ex parte a me in linguam Latinam conversum, cum aliorum ante me Interpretum translationibus a me recognitis ac emendatis, ex eadem officina invulgandum, proxime traditurus essem: visum est mihi, & pro feriarum Liberi Patris ratione, etiam ad concepta ex longo utriusque operis labore tædia discutienda, aliqua diversi generis auctorum lectione, animum refocillandum esse, quo vicissitudine aliqua jucundiorum studiorum exhilaratus, paulo post me rursus ad Spartam meam exornandam expeditius conferrem. Nec vero hoc jam primum tentabam, nullo antea a me facto similis rei experimento. Eram enim annis superioribus expertus, magnam molestiarum ex re medica haustarum allevationem, quando a libris illis optimis Galeni *de Compositione medicamentorum secundum locos*, a me conversis ac editis, & adjectis Commentariorum medicorum libris decem illustratis (quo Ope e quantumvis ab improborum quorundam cavillis exagitato, ego in tota bibliotheca mea nihil habeo, quod majorem mihi de se utilitatem in quotidiano usu exhibeat: tantum abest ut coemptionis aut lectionis ejus ullum studiosum pœnitere possit (ad veteres Græcos Theologos exspaciatus essem: ita tamen ut jucunda quadam mixtura, D. Basilii Magni Opera omnia, & Epiphanii *contra octoginta hæreses Panarium,* cum reliquis ejus scriptis, ad Latinos transcriberem, & simul Ætium medicum, ex omni parte omnibus ex æquo hominibus utilissimum, partim antea a me editum recognoscerem, partim reliquis libris additis in totum absolverem. Ex hoc igitur experimento, me etiam tunc ad jucundioris lectionis auctores transferre statuebam, non quidem Theologos illos, nisi quantum ad simplicem lectionem attinet: qua in re neque quod me juvet amplius, neque quod profuturum mihi magis sperem, quicquam habeo D. Basilii Magni elegantissimis eruditissimisque ac pientissimis scriptis: sed ad philosophos veteres, non illos etiam inter deambulandum graves & horridos, sed ad Platonem & Xenophontem, Attici leporis venustissima decora, adeo ut alter ille *divinus* dici meruerit, alter *Musa*

A *Attica*, aut etiam *Apis Attica*, ob dicendi elegantiam appellatus sit. Quum autem biduum jam mecum deliberassem, quidnam potissimum ex his legendum, & ad Latinos transscribendum assumerem, tandem nihil & tempori fallendo, & tædio discutiendo aptius fore judicavi, quam si utriusque Symposium ad nos transferrem. Invitabat ad hoc etiam id, quod Xenophontis *Symposium* Latini homines hactenus non legissent: & quod Platonis *Symposium*, licet eundem quem etiam reliqua ejus scripta Interpretem Marsilium reperisset, tamen quædam desiderarem in hujus Latina translatione, quorum desiderium etiam aliis me eximere posse
B confidebam. Quamquam, ut verum fatear, neque Græca exemplaria mendis omnino careant, sed quædam habeant penitus corrupta, quæ & Interpretem fefellerunt, & aliquot doctos hactenus latuerunt, qui ita citata qualia repererunt, in suos centones infarserunt. Sed quid vetat mendas aliquas indicasse? Legitur itaque non longe a principio, εὖ ἂν ἔχοι, εἰ τοιοῦτον εἴη ἡ σοφία, ὥστ' ἐκ πληρεστέρου εἰς τὸν κενώτερον ῥεῖν ἡμῶν, ἐὰν ἁπτώμεθα ἀλλήλων, ὥσπερ τὸ ἐν ταῖς κύλιξιν ὕδωρ τὸ διὰ τοῦ ἐρίου ῥέον ἐκ τῆς πληρεστέρας εἰς τὴν κενωτέραν. Hoc loco quomodo *per lanam*, id est, δι' ἐρίου, aqua ex ple-
C niore calice in magis vacuum fluere possit, non video. Et si de calice ex quo potes accipias, & talem quempiam, quale est ἀμφικύπελλον apud Homerum, intelligas, satis sit impurus etiam purissimæ lanæ in poculis usus. At ego non de calice ex quo bibimus accipio, sed de magnis illis puteis, in quos aqua per subterraneos cuniculos ac canales, ex fontibus quibusdam emanans defertur, & inde ubi pleni sunt & redundant, itidem per canales, in alios atque alios puteos elabitur. Horum autem puteorum magna est per omnes fere Germaniæ urbes copia, & illa elabens redundans aqua, *ein uberfal* appellatur. Nec mirum fuerit tales puteos,
D calices Platoni dici, quum Dipnosophistæ Athenæi magna pocula recte argenteos puteos appellari posse afferant. Ex illis ergo puteis, calicibus hic appellatis, aqua diffluit, ex pleniore in magis vacuum, non per lanam, sed per canalis instrumentum: hoc est, non δι' ἐρίου, quod corrupte legitur, sed δι' ὀργάνου, quod pro illo legendum esse assero, non ex alicujus exemplaris præscripto, sed ex rerum ipsarum per conjecturam expensione: quam tamen non diutius valere volo, quam donec quis meliorem lectionem ac sententiam produxerit. Adjiciamus ad hanc, etiam alteram, quæ alicujus momenti est. Nam reliquæ & non ita magnæ
E mendæ, ex ipsa nostra translatione cognosci possunt. Habentur circa medium ferme *Symposium* hæc verba: Καὶ γάρ με Γοργίου ὁ λόγος ἀνεμίμνησκε, ὥς τε ἀτεχνῶς τὸ τοῦ Ὁμήρου ἐπεπόνθειν. ἐφοβούμην γὰρ, μή μοι τελευτῶν ὁ Ἀγάθων Γοργίου κεφαλὴν δεινοῦ λέγειν ἐν τῷ λόγῳ ἐπὶ τὸν ἐμὸν λόγον πέμψας, αὐτόν με λίθον τῇ ἀφωνίᾳ ποιήσειε. Hoc loco qualisnam *Gorgiæ sermo admonuisset* Socratem, *ut Homeri-*

cum illud ipsi fere contigisset, & ut extimuerit ne Agatho Gorgiæ facundi caput e sermone suo, in illius sermonem transmittens, mutum ipsum factum, lapidem pro homine redderet? nam his verbis Marsilius Græca illa reddidit. Nulla autem hic fit Gorgiæ rhetoris & sophistæ mentio, cujus alias sæpe Plato meminit, & cujus nomine *Dialogum de Rhetorica* inscripsit, sed Gorgonis fabulæ, ex Homero ac aliis Græcis atq; Latinis poetis notioris, quam ut hic longius de ea agere sit opus. Quare & Γοργῦς ὁ λόγος, & postea ὁ Ἀγάθων Γοργῦς κεφαλὴν δεινὸς λέγειν, legendum esse censeo, ea sententia quam nos expressimus. Adjiciatur item tertius locus, qui recte quidem Græce habet, Interpres autem sententiam non est assequutus. Est autem in oratione Pausaniæ, ubi legem Atheniensium, quod honestum sit amatoribus gratificari, declarat, & inter honestos bonorum morum, & improbos corporis amatores, distinguit his verbis: Τύτυς δὴ, inquit, βύλεται ὁ ἡμέτερος νόμος εὖ καὶ καλῶς βασανίζειν, καὶ τοῖς μὲν χαρίσασθαι, τὺς δὲ διαφεύγειν. διὰ ταῦτα οὖν τοῖς μὲν διώκειν παρακελεύεται, τοῖς δὲ φεύγειν, ἀγωνοθετῶν καὶ βασανίζων ποτέρων ποτέ ἐστιν ὁ ἐρῶν, καὶ ποτέρων ὁ ἐρώμενος. Horum verborum sententiam eam esse puto, quam ego expressi. Si quis tamen Marsilium sequi volet, per me licet. Et sufficiant hæc ex multis quæ produci possent, si quis hoc peculiariter facere instituisset. Xenophontis porro *Symposium* Latinum ab alio factum nondum legi. Quare non est quod diversitatem meæ translationis cum ullo conferam. Græca tamen quædam aliter reddidi, quam in Aldina editione leguntur. Sed satis fuerit, etiam hic unum atque alterum locum adduxisse, quum de reliquis ex Græcis ad nostra Latina collatis constet. Primum ergo corrupta est lectio in his verbis. Ὅτι δὲ ἡ παῖς εἰς τὔπισθεν καλυπτομένη τροχὺς ἐμιμεῖτο, ἐκεῖνος ταῦτα εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἐπικύπτων, μιμεῖσθαι τροχὺς ἐπειρᾶτο. τέλος δ' ὅτι τὸν παῖδ' ἐπῄνουν, ὡς ἐν τῇ ὀρχήσει ἅπαν τὸ σῶμα γυμνάζοι, καὶ [illegible] ἄριθμον ἐπάγειν, &c. Loquitur de scurræ gesticulationibus, puellam ac puerum ridicule imitantis. Dixerat autem ante, quædam saltatrici puellæ trochos porrexisse: hanc autem accepisse, & simul saltasse, simulq; trochos se vertentes sursum jactasse, conjectando in quantam altitudinem eos mittere oporteret, quo in rhythmo ipsos exciperet. Hoc ipsum jam imitans scurra, non retro se inclinans, velut puella fecerat, quæ a porrigente aversa facie trochos accipiebat, atq; ita de altitudine jactandi conjectabat: sed contra in anteriorem partem se inclinans ac prospiciens, trochorum jactus ridicule imitari conabatur. Quare pro καλυπτομένη, legendum est κυπτομένη: & pro ἐμιμεῖτο, legendum ἐρριπτεῖτο: & postea pro θᾶττον ἄριθμον reponendum θάττονα ῥυθμὸν, ut sit ea sententia quam nos expressimus. Alioqui quid miri adeo fecisset puella, si obvelata se retro volvens, trochos imitata fuisset? & si scurra hoc referre volens, in anteriorem partem se inclinans, trochos se volvendo imitatus esset? Deinde non multis verbis interpositis, locus corruptus est penitus his verbis. ἐντεῦθεν εἶ παμπολλοί. Quia vero Socratis verba præcedunt, turpe esse dicentis, si non etiam simul conversantes, aliquantum vicissim prodesse, aut exhilarare conentur: videntur hic verba alicujus ad illa Socratis respondentis, sequi debere: & nisi penitus fallor, Antisthenis, qui etiam postea Calliæ verba excipit: & alioqui vox ἐντεῦθεν, ex Antisthenis voce corrupta mihi conjectanti apparet. Sic ergo legendum arbitror, καὶ ὁ Ἀντισθένης εἶεν ἔφη πάμπαν. Consimilis est etiam loci corruptio paulo superius, ubi legitur: Καὶ Ἀντισθένης εἶπεν, ἆρα ἐν καὶ τῷδε τῷ Συρακοσίῳ κράτιστον ἐπιδείξαιτι τῇ πόλει τὴν ὀρχηστρίδα εἰπεῖν· ἐὰν διδῶσιν αὐτῷ Ἀθηναῖοι χρήματα, πείσει πάντας Ἀθηναίυς τολμᾶν ὁμόσε ταῖς λόγχαις ἰέναι. Hic omnino pro voce εἰπεῖν, legendum est, καὶ ὗτος εἶπεν, ut de Syracusio accipiamus: aut fortassis rectius legendum est expresse, καὶ ὁ Συρακύσιος εἶπεν. Verum longius his immoror, qui apud te, ornatiss. Lasane, non de his levioris cujusdam, velut videri possint, operæ agere institui, sed de veterum Græcorum ac nostri temporis conviviorum, sive symposiorum aliqua similitudine ac collatione, occasione mihi maxime ex utroque symposio convertendo oblata. Equidem quum & Plato, & Xenophon, honestissimi ac jucundissimi symposii formam describere vellent, quicquid ad id maxime pertinere utrique visum fuit, hoc ambo clarissime exequuti sunt, ad Atheniensium præcipue symposiorum modum declarandum, præsertim si ad ea viri docti ac philosophi adhiberentur. Ego vero de nostrorum hominum, Germanorum inquam, conviviis quædam producam, non ex omni parte illorum symposiis respondentia, sed tamen aliquam honestæ exhilarationis speciem præ se ferentia: in quantum Barbari ab illis appellati, cum sapientissimis Græciæ hominibus comparari merentur. Quanquam revera hodie, rerum vicissitudine facta, plus eruditionis, doctrinarum, artium, disciplinarum, & veræ denique pietatis ac religionis, Græcæ insuper, atque adeo Atticæ linguæ, apud nos est, floret ac viget, quam in Græcia, quæ vere barbaris. Turcæ imperio oppressa, vix vicos ac pagos exiguos superstites adhuc habet, quos & pro Lacedæmone, optime olim instituta Rep. & pro Athenis ostendit: etiamsi in his adhuc hodie literas ac linguam Græcam doceri Franciscus Machærus Patrensis, cum socio suo Coronensi, exul hic aliquando, & a Turca suis bonis spoliatus ac fugatus, mihi declaravit: qui etiam Homerum & Aristophanem, isthic ex Professoribus se audivisse, locis quibusdam ex illis ostensis testatus est. Et tamen ne sic quidem Germanis nostris attribuere aut possum, aut volo, ut priscis illis Athenis sint conferendi: præsertim quum neque ex æque tota Germania paribus moribus ac ritibus conviviorum polleat, neque pariter ad literarum ac linguarum studia apposita sit. Cujus rei iccirco minor admiratio esse debet, quod neque hi qui optimam symposiorum formam delineare instituerunt, per omnia inter se consentiant: tantum abest ut nos, qui non fictam rerum umbram, sed rem ipsam veluti revera habet, explicare, & cum his quæ illis optima visa sunt conferre satagemus, illis per omnia respondentia producere possimus. An vero & alias fuerit æmulatio quædam inter Platonem & Xenophontem, velut a multis putatum ac traditum est, qui conjecturas inde faciunt, quod neuter alterius in scriptis suis mentionem fecerit, præterquam quod Xenophon lib. tertio *Commentar. moralium* Platonis nudum nomen producit: & quod eadem aliquot argumenta tractarint, *Socratis apologiam, moralium Commentarios*: & quod ille libros *de Rep.* hic libros *de Cyri institutione* scripsit: quicquid horum sit, de his omnibus non est hic dicendi locus. Quæ vero inter ipsos dissensio sit circa symposii optimi, velut videtur, apparatum, eam paulo diligentius expendemus.

Primum igitur omnium Plato in *Symposio* suo, tibicinam recens ingressam ejicit: Xenophon autem & tibicinam, & saltatricem, per totum Symposium exhibet, & ipsarum productorem sive magistrum, non solum colloquentem inducit, sed etiam Socrati illudentem ac convicianteim. Et his accedit scurra, mirus risum movendi artifex. Itaque aliquanto jucundius exhilarantur ridiculis gesticulationibus, & spectaculis, & tibiarum cantu, con-

vivæ apud Calliam, quam apud Agathonem, qui A hæc omnia non habet, sed graves & serias solum orationes in suo symposio audit: & mulieres etiam seorsum habet, ad quas tibicinam ablegat. At harum nullam in suo *Symposio* Xenophon facit mentionem.

Quod igitur ad Platonicum symposium attinet, non facile dixerim, an unquam usquam in simile aliquod incidere quis possit, nedum apud nostros homines, quum nullum doctius sæculum unquam fuerit, quam id quo Socrates, Plato, & Hippocrates ac Aristoteles, & fere innumeri alii doctiss. viri, philosophi ac sophistæ, poetæ & mathematici vixerunt. Itaque ut quis sex convivas adhibeat, & ipse septimum locum occupet, facile factu fuerit: sed tales, B quales fuerunt Socrates, Phædrus, Pausanias, Eryximachus, Aristophanes, Aristodemus, non ita proclive sit. Multo vero minus proclive fuerit, tali loco, tales sermones producere, quales illi viri de proposito laudandi Amoris argumento habuerunt: maxime quum post omnes omnium orationes, a singulis pro suæ professionis dignitate habitas, ita exsuperet Socrates, Diotimæ vaticinandi peritæ fœminæ narrationem exponens, ut ad quandam vitæ futuræ ac æternæ imaginationem abripiatur: ut mihi sane illa ex Sibyllarum genere quædam esse videatur, sive hæc vere ex ipsa Socrates audivit, sive Plato hæc ex fama de C illa sibi cognita, Socrati recensenti attribuit. Et ut sit convivator, & sint tales convivæ, qui ejusmodi sermones habeant; tamen non facile fuerit reperire Platonem, qui singulorum orationes pro dignitate excipiat ac describat. Quanquam in hoc argumento nobis, qui Christianos nos esse profitemur, longe amplior materia se offert, quæ de Amoris, hoc est charitatis ac dilectionis mutuæ ac fraternæ vi ac excellentia produci meretur. Est enim hic Amor nihil aliud quam, velut beatus Paulus Apostolus exponit, ut similiter affecti simus, unanimes, idem sentientes, ne quid fiat per contentionem, aut per inanem gloriam, sed per ani- D mi humilitatem, alium quisque se præstantiorem existimet. Hunc autem amorem, velut symbolum ac tesseram notoriam Christus ipse, Amor ac Sapientia Patris cælestis nobis reliquit, ac commendavit, quum jam & Deum, & sic seipsum glorificaturus esset, his verbis: *Præceptum novum*, inquit, *do vobis, ut diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis vos mutuo. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter vos mutuam*. Et ut non penitus hoc novum videretur esse præceptum, ipse jam antea suo exemplo præiverat, & Deum patrem suum cœlestem amore erga hominum genus mirifico præ- E ditum esse docuerat. *Sic enim*, inquit in *Evang.* S. Johannis c. III. *Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum: qui credit in eum, non condemnatur. Qui vero non credit, jam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigenti filii Dei*. Potest ne in mentem hominis venire major amor hoc, quem Deus erga nos homines declaravit? Potest ne major ex amore obedientia excogitari, quam ea qua filius Dei unigenitus, F ut cognosceret mundus, quod diligeret patrem, factus est obediens patri? ita ut quum esset in forma Dei, non id in rapinam positum esse arbitratus est, quod esset æqualis Deo: sed semetipsum exinanivit forma servi sumpta: & in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quid vero quod neque homini ulla salutis & vitæ æternæ aliunde spes est quam ex amore erga Deum & filium ipsius unigenitum, liberatorem nostrum Jesum Christum? Imo neque fidei nostræ, & quod in Deum credimus, ullum aliud testimonium nobis esse potest, quam mutui inter nos amoris declaratio. *Si enim nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo, filius hominis qui est in cœlo*, velut ipse apertis verbis dixit: non est quicquam quod ullum hominem in cœlum sublevare possit, præter eum qui velut serpens in deserto exaltatus, in crucem sublatus ac affixus est, quo exaltatus a terra, expansis brachiis omnes ad seipsum traheret, & *ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. At credere in Deum nemo dicere potest, nisi hoc per mutuum amorem ac charitatem erga fratrem suum declaret, & commendatam sibi a Christo notoriam tesseram producat. *Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit*, inquit beatus Apostolus Joannes, *Deum quem non vidit quomodo diligere potest? Qui vero non diligit, non novit Deum: quoniam charitas ex Deo est, & Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Atque hinc adeo continget nobis, ut per mutuam erga Deum & homines charitatem, veniat ad nos, & habitet in nobis Deus, juxta verba sua quibus promisit: *Si quis diligit me*, inquit, *sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Et non hoc solum nobis continget, sed etiam ut per amorem Deo conjuncti, ac omnes unum cum ipso facti, cum ipso in cœlum ascendamus, & cohæredes Christi efficiamur, & ubi omnes unum fuerimus, velut Deus pater & Christus ejus unum sunt, vere cognoscamus Dei erga nos amorem, & positi in conspectu gloriæ ipsius, gloriam ejus videamus, quum id palam se velle apud Patrem confessus sit, ut ubi ipse est, illic simus cum eo qui in sermonem ipsius credidimus. Hæc & alia multa ejusmodi, quibus tota Scriptura, vere sacra dicta, referta est, de veri amoris vi ac excellentia producere quis posset, si forte in ejusmodi Platonicum *Symposium* incidat: & profecto longe perfectiora, & ipsam adeo rei veritatem, ad rem præsentem afferret, præ illis quæ velut per somnium, sibi a vaticinandi perita fœmina Socrates exposita esse narrat. Et non alio jucundiore condimento instructa fuit illa ultima Christi cœna, in qua Joannes Apostolus hoc amoris nectare ebrius, in sinu Jesu acquievit: & ipse Dominus noster Christus Jesus exsuperanti quadam amoris benignitate effusa, discipulos suos, & nos quoque qui per sermonem eorum in ipsum credituri essemus, velut clare Joannis c. XVII. Patrem pro nobis rogat, corporis ac sanguinis sui, atque sic omnium beneficiorum ac meritorum passionis ac mortis suæ, participes fecit. Hæc, inquam, producere quis posset, ad præsentis de Amore argumenti explicationem. Et non, arbitror, reprehendi mereatur, quod sacra prophanis misceat, quod margaritas porcis objiciat: quando etiam Dominus Jesus de his apud Judæos verba faciens, audire cogitur, quod *Samaritanus sit*, quod *dæmonium habeat*, quod *testimonium ipsius de seipso non sit verum*: & interrogatur ubi habeat patrem suum, & interfecturum seipsum esse ab illis putatur, & multo graviora sustinet, quam ab illis Platonicis sympotis inter se mutuo reprehendentibus fiunt. Erant enim tam cæci, & cordibus obdurati Judæi, ad agnitionem veritatis, & Christi ac Dei Patris ipsius, quam cæcus in amore collaudando non fuit aut Phædrus, aut Pausanias, aut etiam ipse Agatho, magnus adeo Amoris præco & admirator. Nam Eryximachi medici oratio est aliquanto castigatior: sicut contra ridicula penitus ac fabulosa est

ea quam Aristophanes recitat, de eo quod homines secti sint in duas partes, & hodie dimidii obambulent, & quisque sui ipsius segmentum præ amore quærat. Si igitur de his apud Judæos, quos noverat servandos non esse, Dominus Jesus verba fecit cur vereatur adeo importuna quis reverentia apud gentes, & inter gentiles sermones, Christi verborum doctrinam interserere? maxime *quum in omnem terram sonus eorum exiturus esse*, prædictus sit a Prophetis.

Verum ad Platonis ac Xenophontis Symposia revertamur. Et Platonis quidem, seriis ac gravibus, velut diximus, orationibus instructum fuit: Xenophontis vero, præter reliquam levitatem, ex scurris, tibicina, saltatrice, & variis ludorum spectaculis constantem, etiam ipsos convivas nihil adeo serio tractantes habet, sed inter ea etiam quæ serio agunt ludentes ac cavillantes, quæ & ipsa non levis inter ipsos dissensio videri potest: quamquam etiam Platonis Symposium plenum sit sannis, non tamen ita petulanter insultantium. Quin & ipse Socrates tandem ad amoris mentionem faciendam apud Xenophontem progressus, paucis & levi adeo brachio rem perstringit, ut magis ad Calliam laudandum, quam ad ipsum amorem prædicandum, id fecisse videri possit. Tametsi etiam sic animæ ac morum amorem vehementer commendet ac extollat, corporis vero amatores explodat ac damnet, quum ille & inconstans sit, & cito marcescat: animorum vero amicitia, ex bonorum morum admiratione contracta, perpetuo duret, & sine hac etiam nulla vitæ consuetudo alicujus sit momenti. Profecto hoc adeo vere a Socrate dictum esse mihi videtur, ut non putem etiam ad ullas artes aut disciplinas, felicem progressum facere, & in his successum habere posse, eum qui non habet a quo ametur, & cujus favore ac commendatione foveatur, ac quasi educetur, & ex quo velut instigetur ac inflammetur, ut in honesto discendi proposito perseveret, ac strenue porro pergat.

Atque talem mihi contigisse, mox post primos puberratis annos, & sæpe mecum jucundissime recordor, & libentissime confiteor, apud te præsertim, Opt. Lasane, qui ejus rei meminisse potes: Laurentium Ursalium patriæ nostræ consulem, virum quem ego tum & maxime admirarer, & postea studiose amarem ac colerem, & ad cujus exemplum totum meorum studiorum cursum dirigerem. Nam etiamsi in Reip. administratione ille versaretur, tamen quicquid inde ocii sibi superesset, hoc totum bonorum librorum lectioni impendebat. Habebat enim instructissimam bibliothecam: & in humanioribus literis neminem id temporis apud nos eruditiorem fuisse, jam clarius intelligo, quam eo tempore quo nondum notum erat mihi ejus ingenium, quod ab omni illa externa hodiernarum scholarum pompa, & inanium titulorum ostentatione, in totum abhorrebat. Verum talem effinxerat ac remiserat illum nobis Lutetia, ex Fausti Anderlini amicitia ac consuetudine, itemque aliorum quorundam tunc bonis literis clarorum, etiamsi Liberalium Artium Magistrum quoque hinc attulisset. Sed, bone Deus! quam dissimilem his omnibus, quos ego in nostris scholis videram ac audieram, iisdem titulis se jactantes. Quid multis? plane is Silenus quidam Socraticus aut Alcibiadeus erat, ita nihil eorum præ se ferebat, quorum divite copia mens illius plena erat. Apud hunc itaque virum, domesticum liberorum illius pædagogum agens, plus bonarum literarum, & recti de bonis studiis judicii assequutus sum, mecumque ad publica literaria gymnasia, ad quæ, postquam annum plus minus in illius ædibus vixissem, me contuli, importavi, quam hodie quidam ex illis exportant, post multorum annorum moram. Ex Latinis certe poetis, & ad linguam ornandam facientibus scriptoribus pauci supererant, quos non apud illum legissem: eo etiam commonstrante, qui ex illis potissimi, & maxime mihi commodi futuri essent. Sed desino illius erga me amorem amplius persequi, ne vel patriæ hoc privatim, vel meæ uberiori cum illo conjunctioni, aliquid tribuisse videas: nam postea ille, velut nosti, etiam in generum me sibi accivit: alioqui nec eruditissimas illius epistolas proferre dubitarem, quæ & illius eruditionem, & erga me studium ac amorem clarissime testari possent.

At vero ut ille mihi contigit amator, fautorque ac commendator, ad bona studia alacrius persequenda: ita Gregorius Haloander ab incunabulis ipsis mihi æqualis, ac in studiis sodalis fuit, donec ille ad Juris, ego me ad Medicinæ studium convertissem. Hunc vero magnum jam Jurisprudentiæ lumen inferentem, trigesimus ætatis annus abripuit, dum ne redeat in Italiam, nulli eum amici retinere possumus. Eram enim tunc ego patriæ Medicus physicus, quum ille salutatis ac valere jussis cognatis ac amicis ita abiret, ut postea non sit nobis conspectus, Venetiis febre, multum timeo ne Romana, quod ajunt, illa fuerit sublatus. Habebat autem honestum sui propositi de repetenda Italia prætextum, ut indulgentes eo magis sibi amicos istic reperiret, aureis alioqui opulentæ ac honestæ uxoris compedibus alligandus, etiamsi Noriberga clarissima urbs illum non minus illibenter a se dimiserit, & honestissima conditione apud se detinere studuerit. Magnam enim conceperat ille spem de bonis Jurisconsultorum scriptis αὐτογράφοις in Italia acquirendis, hisque partim Græcis, partim Latinis, quo remp. hac parte præcipue amplius juvaret. Nam paulo ante obitum, diligentiam suam, quam in edendis *Justiniani libris* adhibuit summam, orbi declaraverat: & *Novellas Constitutiones Græcas*, & a se primum in linguam Latinam conversas invulgaverat. Invenit itaque optimus hic juvenis, qui & ingenii, & diligentiæ, judicii item ac eruditionis laudem tribuerunt: quanquam vicissim non desint veteratores quidam flagitiosissimi necromastigæ, qui improbant quod assequi ipsi non possunt, neque quid desiderent in illo satis intelligentes, neque quid maxime in illo laudem mereatur: ut qui ipsi tales sint, a quibus etiam laudari turpe censeri debeat. Cæterum ut ad hunc velut in studiis æqualem, in diversa tamen professione, semper, donec is viveret, respiciebam: ita illo fere tempore, quo illius obitus nunciabatur, cœpi etiam ipse amare, ob ingenii & industriæ cujusdam insignis excellentiam, adolescentem itidem patrium Georgium Pylandrum, nostra studia, Medica dico, vel propter me, velut videbatur, sequentem. Nam quum etiam ipse in bonis utriusque linguæ auctoribus recte versatus esset, ad Medicinam se contulit, & ejus gratia etiam Italiam ac Galliam adiit. Sed dum loto isthic, ut dicitur, gustato se avellere nequit: & modo ex Italia Galliam repetit, modo ex Galliis Italiam revisit, etiam hunc amisimus, in hunc diem ignorantes, ubinam sit interceptus. Sperabatur autem magnus Medicus nobis rediturus esse, & renascenti Medicinæ Græcæ una nobiscum dextrum auxilium laturus esse.

Atque hos quidem tres, primum mei amatorem, alterum mihi sodalem, tertium a me amatum, non propterea nominare volui, quasi non sint, aut fuerint mihi etiam alii multi amici in studiis, conterranei & externi: sed quod hi præcipui cujusdam in literis ac doctrinis nominis, multam vitæ meæ partem mihi velut amici reddiderunt jucundiorem. Alioqui etiam te, clarissime Lasane, nominare vel

in primis debebam, qui etiamsi paucis annis me superes, tamen nunquam a prima nostra a pueris mutua cognitione, desiisti studiis meis favere, de ipsis recte sentire, eaque etiam juvare ac provehere: quanquam circa rempublicam occupato tibi non vacaverit, circa literarum studia ampliorem operam impendere, a quo tempore publicam dignitatem ac denunciationem ex illis es assequutus. Sed oportet etiam Alcibiades esse qui rempublicam curent, & patriæ rerum ampliandarum studio teneantur, non solum qui dicendo, aut docendo, aut commentando philosophentur. Quare ut illorum viventium amicitia mihi jucundissima fuit, & recordantibus nobis de illis, temperata quædam affectio, ex dolore ac voluptate permixtis, in animo nostro oboritur: ita de te adhuc superstite admodum mihi placeo, ut quem amicum mihi esse scio, & fautorem ac commendatorem agnosco, vel hac maxime jam parte, quod te monente amplissimi patriæ nostræ Senatus de me ad vos revocando cogitavit, ac deliberavit. Imo ante paucos dies per publicas literas me revocavit, & ad se liberaliter invitavit: ut vel propter te solum Socratis dictum, a quo huc perductus sum, valde mihi arrideat, a quo *nullam vitæ consuetudinem alicujus momenti esse absque amicitia*, apud Xenophontem asseveravit.

Pergamus porro ad reliquas deinceps Symposiorum utriusque diversitates. Est autem & hæc una quædam, quod apud Platonem etiamsi ex consilio Eryximachi Medici primum in hoc consentiant, ut quisq; quantum velit bibat, & hoc ad voluptatem: tamen tandem magna pocula poscunt, & allato vase refrigeratorio, plures quam octo heminas capiente, Socrates ex magna illa phiala ex ordine ad dexteram bibere perseverat, reliquis etiam digressis, & Agathone saltem adhuc tragico poeta, & Aristophane comico præsentibus, & ad illucescentem usque diem compotantibus, donec etiam inviti ab illo cogerentur confiteri, quod ejusdem viri esset comœdiam ac tragœdiam facere nosse: ita ut non modo oratione, sed etiam bibendo omnium victor, die jam præsente discedat, nihil minus quam ebrius conspectus. At apud Xenophontem poculis bibunt parvis, & ut ita bibant Socrates hortatur, quo non a vino ab ebrietatem coacti, sed persuasi, ad majorem ludendi libertatem deveniant: quanquam parvi calices, si sæpe circumagantur, velut sane hic contingit, magnorum vicem facile suppleant.

Hac autem parte uterque habet suos apud Germanos nostros asseclas. Nam superior Germania, & ad Rhenum citra ultraque sita, poculis parvis in conviviis, ita ut quisque etiam suum habeat, delectatur: & satis frequenter etiam circumagitat ac evacuat, sed ut in multis civitatibus partim lege, partim consuetudine receptum sit, ut neuter alteri bibendo propinet. Ad magna vero raro deveniunt, etiamsi in mensa poni soleant unum atq; alterum, si forte quis eorum appetens fiat. At inferior, & ad septentrionem vergens, & Cimbricæ maxime Chersonesi urbes, poculis valde amplis gaudent, & ex his bibere etiam ex ordine, modo ad dexteram, modo ad sinistram solent. Verum media inter illas regio, mediocribus omnibus contenta est. At ut hæc ita a nostris fiant, non solum consuetudine quadam inducuntur, sed ipsa etiam locorum ac regionum temperie, & insuper etiam potuum diversitate. Quum enim Aquilo aerem constringat, & quicquid turbidum ac nubilosum in ipso sit, excernat ac illustret, consequens est ut etiam ex hominum corporibus humiditatem exhauriat ac reficcet. Quare nihil miri est, homines, quanto magis ad Aquilonares partes habitant, tanto plus bibere, atque sic resiccatis corporibus mederi cu-

A pere. Deinde quia vinum in his regionibus non nascitur: & licet copiose invehatur, sufficere tamen non possit, ut omnes in communi id bibant: inde adeo fit ut varia cervisiarum genera sint ipsis in usu, prout singula singulis populis commode haberi possunt. Quandoquidem vero cerevisiarum genera omnia in commune frigefaciunt, alia plus, alia minus, pro hordei, ex cujus cum aqua coctura parantur, natura: & Aquilo ad siccandi vim, frigefaciendi adjunctam habet: necesse est populos illos ex multo potu caliditatem ac humiditatem sibi quærere, quo ex multitudine potus id consequantur, B quod natura potus exhibere non potest. Atque hac de causa excogitatum est etiam ab illis, ut triticum ad hordeum addant in cerevisiis parandis, quo moderata tritici caliditas, hordei frigiditatem contemperet. Et quia in tritico aliquid lenti ac viscosi est, quod meatus obducere potest, ea herba inventa est quæ *lupulus* vulgo dicitur, & ab aliquibus *lupus salictarius* apud Plinium esse putatur. Hujus itaque flores ac capitula in cocturam adduntur, ad meatus reserandos, & vicium illud in cerevisiis emendandum. Laudatissima igitur cerevisia in illis regionibus habetur Hamburgensis, & quæ huic vicinæ sunt apparatu, colorem habentes C albidiorem: quum reliquæ cerevisiæ partim ad flavedinem, partim ad fulviorem colorem tendant. Hujus itaque usus in Symposiis multus est, & ejus natura proxime ad vinum accedit, velut etiam vulgatum proverbium testatur, quo *ipsam libenter vinum esse velle* fertur.

Et tamen non hoc solum potu convivia illorum sunt instructa, sed optimis quoque vini generibus, non modo invectis, sed arte etiam paratis & saccatis, quæ videlicet peregrinis aromatum saporibus in saccos additis, transmittuntur ac percolantur: & hæc genera *Clareti* ac *Hippocras* nominibus indigitant. Veteribus autem Latinis, itemque Græ- D cis, conditorum nomine veniebant, velut in *Commentariis nostris Medicis* ostendimus. Atque hæc omnia non solum voluptatis gratia ab illis bibuntur, sed etiam ob frigidiorem corporum, velut diximus, statum emendandum. Quare etiam id quod Socrates facit, e magna phiala ex ordine totam noctem bibendo consumens, & mane nihil minus quam ebrius conspectus discedens: hoc gentes nostræ & citra & ultra Oceanum habitantes, strenue imitantur: & ad Cimbricæ Chersonesi urbes etiam symposia mutare mos est: neque hoc adeo ad quærendum voluptatem, sed ad justam corporibus temperaturam inducendam. Itaque de cœnis ad secun- E dam vigiliam transitur ad cellas vinarias vini Rhenensis. Inde ad tertiam vigiliam digrediuntur ad apothecas cerevisiarias, Embeccensem cerevisiam habentes, ut ex hujus frigidissimo omnium potu, vini hausti calorem temperent. Quo facto, ad illucescentem usque diem, hinc ad condita illa ac vina saccata transeunt, rursus temperamentum quærentes frigiditatis ex cerevisiæ potu contractæ. Inde vero tandem ad tertiam aut quartam diei horam se ad id cœnaculi recipiunt, in quo pridie sunt cœnati. Et sicut Socrates clara luce sequentis diei, de cœna Agathonis ad Lyceum revertitur: ita illi si- F mul quotquot ad secundam vigiliam de cœna exiverant, ad relatam illam diei horam, domum revertuntur, ex ordine ac quasi pompa quadam per publicas vias incedentes: non ut Socrates Aristodemo solo comitatus, sed quisque suam ducens, ea etiam gravitate ac reverentia, ut omnes obviam in via suorum negociorum gratia venientes, de via illis decedant, bene precentur, strenuitatem honeste obitæ functionis collaudent. Neque hoc honoris a vulgo ipsis tribuitur, sed a summis Magistratibus, si forte in illos obiter incidant.

A Atque hac parte nostri etiam civiliores Platonicis illis sympotis videri debent. Illi enim mulieres non admittunt, sed intus seorsum habent. Nostri vero singuli singulas ducentes, socias in sympotiis circumducunt. Aut si in uno loco permaneant, assidentes sibi habent, aut ita ut alternatim sexus uterque ad sellas jucunda quadam variegatione collocetur. Et jam objiciant nobis Italicæ sobriæ, velut videri volunt, gentes, multi vini potum & ebrietatem, quum ipsi interim fastu & libidinibus ebriosissimi conspiciantur: & non cogitent, nostros non aliter quam Socratem apud Platonem, de conviviis vel his, vel aliis discedere, ita ut ni- B hil minus quam ebrii esse videantur. Hoc enim illud veterum Græcorum, & jam nostrorum hominum, *pergræcari* appellatum est: nimirum eorum qui vina ferre, & si ita contingat, etiam ebrietatem dissimulare possunt. Nec enim parva laus ea existimanda est, vinum multum bibere, & idem optime ferre posse. Aut enim bibere non oportebat, aut bibentem vino non gravari, sed id recte ferre. Hoc autem nomine præstantissimi multi viri, duces ac imperatores se jactarunt: neque hi Scythæ ac barbari, sed a Græcis ipsis laudati. Cyrus enim junior inter reliqua quæ Lacedæmo- C niis de se jactabat, etiam illud proponebat, quod plus vini quam frater ipsius bibere posset, & melius quam ille ferre. Alioqui si quis nec bibere, nec vinum ferre potest, huic magna apud illos licentia est, ut talia sympotia vitet. Nam sicut Pausanias in Platonis Symposio, apud multas Græciæ urbes legem latam fuisse dixit, quod honestum sit Amatoribus gratificari: & ipsius legis sententiam honestissimam, juxta Atheniensium sanctionem diligenter exponit: Ita fere pro lege, ex longi temporis præscripto, receptum est Germanis, illis maxime, compotatoribus gratificandum esse, & gratificari oportere: adeo, ut si quis hoc non faciat, neque D bonus per omnia vir habeatur. Putatur enim ille qui reliquis bibentibus, ipse solus sobrius esse studet, aliquid clandestini moliri, aut velut observator ac censor quispiam, illorum quæ inter potum admittuntur, considere. Itaque etiamsi non sit ea lex nobis expresse proposita, quæ Græcorum in Sympotiis erat, & quæ aut bibat, aut abeat, jubet, si quis in sympotas incidit: tamen magna illi abeundi venia patet, qui bibentibus gratificari recusat.

Quare quod etiam quædam ludorum genera in sympotiis apud Germanos sunt, quæ Veteribus incognita fuerunt, ea non tam lucri faciendi gratia, mihi excogitata esse videntur, ac in sympotia ad- E missa, quam ut hi qui vinum, & vinolentiam, ac potandi voluptatem ferre nequeunt, per hos ludos illa defugiant ac relinquant. Ludos autem dico, aleæ, fritilli, cuborum, & chartarum quaternis coloribus inter se distinctarum: quod ludi genus variis modis, formis, ac ludendi rationibus, & quibusdam quasi legibus peragitur: & non satis constat, an apud Veteres in usu fuerit, & quando sit inventum, velut alio loco commodiore prodemus. Et tamen hos ludos non ita probant Oceani accolæ, velut media & superior Germania eos amplectitur. Hi enim & alias, velut diximus, magna F pocula recusant, & in noctem non adeo, nedum in diem, convivia extendunt: sed fere vel ex more, vel ex lege, ante vel circa secundam vigiliam, ex sympotiis domum concedunt. Et hoc sane modo dissolutio sympotii apud Xenophontem contingit, ut etiam hac parte non solum Germani a Germanis differant, sed etiam Græci a Græcis, Athenienses ab Atheniensibus: & videatur in hoc quoque inter Platonem ac Xenophontem dissensio. At vero illi ludi, quos Xenophon in suo Symposio exhibet, qui non ab ipsis convivis, sed a ludionibus & histrionibus, miraculorum specie quadam eduntur, & qui a saltatrice ac tibicina fiunt, sunt quoque nostro sæculo frequentes, verum in Germanorum conviviis raro exhibentur.

Musica instrumenta varia, nova, & a Veteribus incognita sæpius inducuntur, & jucundissime vivæ vocis humanæ cantilenæ personant: quemadmodum etiam apud Xenophontem sympotæ ipsi canunt, ipso etiam Socrate cantilenam exorso. Verum ut ipsi convivæ canant, neque in superiore, neque in inferiore ad Oceanum Germania, adeo receptum est. His enim regionibus extrinsecus cantores introducuntur. At in media Germania, his præsertim locis, ubi metallicæ sunt fodinæ, ipsi convivæ subinde novis a se confictis melodiis hilarissime intonant, præsertim si quid novi metalli, auri maxime ac argenti, recens se in fodinis ostendit: solentque hæ melodiæ peculiari nomine *Montanæ* appellari.

Quin & in his locis coronas singulis convivis, subinde alias atque alias afferri ac imponi mos est, de variis florum pro tempore generibus, aut etiam ex chartarum fasciis pictis, aut ex equinis setis tinctis, velut olim, Plinio teste, ex ramento e cornibus tincto, concinnatas. Quomodo apud Platonem Alcibiades Agathonem in tragœdia victorem, & Socratem quoque coronat, corona quadam densa ex hedera & violis parata, ita ut fascias ipse multas quoque in capite haberet, quo de suo capite, Agathonis caput, & ex hoc postea etiam Socratis caput redimiret. At coronarum in Sympotiis præsertim usum, superior Germania, itemque inferior ac septentrionalis penitus ignorat, quum tamen media, in qua Misnenses, Boethlandi ac Thuringi censentur, ita coronis delectetur, ut coronariæ mulieres non exiguum apud illos quæstum faciant: & quibusdam festis, plus in serta & coronas ab illis impendatur, quam in aliqua reliquæ Germaniæ urbe, eadem die in vinum insumatur, servata urbis ad urbem, juxta magnitudinem, proportione.

Atque hic rursus dissensionem etiam inter Platonem & Xenophontem videre est, quum Xenophontis convivæ coronas non habeant: Platonis vero convivæ non canant, nisi peracta jam cœna: quo sane tempore apud utrumque convivæ, & libationes faciunt, & pæana canunt, & cantu Deum celebrant: pro quibus omnibus etiam Germani & ante cœnarum initium, & post cœnas, suas habent & precationes, & aliquando item cantilenas, tum benedicentes Deo, tum gratias agentes.

Porro quod ad sermones convivales attinet, Germania nostra neque graves illos ac serios Platonicos, non tamen sine sannis prolatos: neque rursus ludicros illos Xenophonticos, cavillis ac irrisionibus conditos, ita libenter admittit. Nam & sapientes sermones a Germanis ἀπροσδιόνυσοι, & a sympotiis alieni esse putantur: & lusus ac dicacitates scurriles non ferunt, & non satis tuto etiam quis proferat, nisi in eum cum quo valde magnam familiaritatem alias habeat: qui tamen etiam sic, quantumvis dissimulans, illa graviter feret: tantum abest ut ludio quispiam, aut scurra aliquis in sympotium admissus, aliquem ex convivis talibus dicteriis impetere audeat, qualibus Socrati illuditur apud Xenophontem. Sunt itaque apud nos sermones sympotiorum fere extemporales, de his rebus quæ simul ut inter ipsos præsentes fiunt, ita colloquendi occasionem præbent: nisi fortassis quis aliquid novæ ac recentis famæ afferat, de præsenti rerum statu, fortunarum mutatione facta, aut sic se habente,

te, ut mutatio aliqua futura credatur. De qua re etiam is libentiſſime ab omnibus auditur, qui & paucis, & facundo ac jucundo ſermone tranſigere poſſit. Nam quod Martialis poeta ſcripſit, *lib.* IX. *epigr.* LXXVIII.

Quod optimum ſit quæritis convivium?

Et reſpondit:

In quod choraules non venit.

Hoc apud nos in hanc fere formam mutari poteſt:

In quod philoſophus non venit.

Aut:

In quod ſapiens vir non venit.

Odioſum eſt enim inter pocula ſapientiam oſtentare conari. Et alioqui hodiernum philoſophorum genus mire eſt ſuperciliosum, & quod ut primos accubitus, ita etiam primas dicendi partes ſibi ſumit, & cedere neſcit: ut tales vel raro in ſympoſia admittantur, vel admiſſi nihil rectius præſtare poſſint, quam ut tacite ipſi philoſophentur, reliquis, quorum voces jucundius audiuntur, locum cedant, ac ipſi quoque applaudant, ſi non totum ſympoſium injucundius reddere velint.

At vero de numero convivarum apud nos nihil certi habetur. Plato ſex habet, Xenophon octo, ut una cum convivatore illic ſeptem, hic novem ſint. At nobis prout occaſio aut neceſſitas aliqua ſe offert, ita convivæ plures, aut pauciores adhibentur. Multitudo tamen fere ſemper apud nos, quantum ejus fieri poteſt, cavetur: vulgato etiam proverbio, *eam confuſionem parere*, noſtris afferentibus.

Sed nec hoc facile ferunt noſtra ſympoſia, ut velut apud Platonem, jam ad multam noctem extento convivio, alii extrinſecus ſuperveniant, & foribus apertis deprehenſis irrumpant, atque ita ad alios conſideant, & omnia tumultu repleant, ita ut etiam priores convivæ illis cedere ac diſcedere cogantur: niſi fortaſſis hi ſint in ædibus convivatores valde noti, ipſique familiares, aut ad hoc faciendum privatim invitati. Apud Xenophontem certe nihil tale proditur, ut & hic tum in primo convivarum numero, tum in ſupervenientium illorum acceſſione, inter ſe diſſideant.

Sed non in his ſolum quæ ex æmulatione quadam, Platonis Sympoſio prius edito, contraria ſcripſit, ſed etiam in his quæ velut aliunde ſumpta citat, Xenophon a Platone diſſentire deprehenditur. Quale & hoc eſt, quod Socrates apud ipſum Pauſaniæ apologiam, pro his qui in intemperantia ſimul volutantur adducens, in qua dixerit ille, quod etiam exercitus fortiſſimus eſſet, qui ex amatis & amatoribus conſtaret: & dictum hoc primum velut falſiſſimum refellit, & mox teſtimonia ab illo de Thebanis & Eleis producta rejicit. Quod autem non hanc Pauſaniæ opinionem eo loco reprobare voluerit, cujus ſcriptum etiam Athenæi ſeculo ignotum fuit, & qui etiam apud nullum alium quam Platonem, de amatoribus & amatis loquens inducitur: ſed ipſum Platonem per hoc notare inſtituerit, ex eo clarum fit, quod ea Pauſaniæ verba apud Platonem habentur, non quidem in Pauſaniæ attributa oratione, ſed in ea quam Phædro adſcripſit: ut vel ſic, ne Platonem reprehendere ab omnibus deprehenderetur, Xenophon aliquatenus caverit, (nam hoc certe neque apud Athenæum animadverſum eſt, apud quem nihil quidem horum Pauſaniam dixiſſe habetur, non tamen in Phædri oratione ea haberi indicatur) vel aliter ſcriptum Platonis Sym-

A poſium habuiſſe judicandus ſit, id quod ego cum Athenæo ſentire malim, quam hæc ex toto a Xenophonte conficta eſſe, cum eodem Athenæo aſſerere: quum in Phædri quidem oratione palam habeantur, ſed teſtimonia tamen de Thebanis ſive Bœotis, ac Eleis adducta, in ipſa Pauſaniæ oratione legantur. Quin & in hoc Platoni Xenophon adverſatur, quod Achilles Patrocli mortui, non velut amati, ſed ut amici, ultionem decentiſſimam inſtituerit. At non amatum Achillis Patroclum fuiſſe, ſed contra Achillem juvenem Patrocli ætate majoris, Phædrus apud Platonem aſſeruit, & Æſchylum falſo contrarium produxiſſe dixit. B Similis vero contrarietas & in hoc eſt, quod an una ſit Venus, aut duæ, & proinde etiam duo Amores, Xenophon ambigit. Hoc autem Pauſanias apud Platonem per longum aſſeruit, ac confirmavit.

Verum hæc, & reliqua omnia, & lecturis, & in primis tibi, ornatiſſime Laſane, judicanda permitto. Sicut etiam voluptatem, quam ex horum Sympoſiorum lectione jucundiſſimam percepi, libentiſſime tibi communico, quem etiam his meis legendis non amplius detinere ac onerare volo: ſed ubi unum adhuc produxero, tota hac moleſtia liberabo.

C Reprehenditur Plato propterea, quod ea quæ de Alcibiade in Sympoſio dixit, indigna ſint quæ in lucem efferantur. Et laudo ſane ac admiror horum qui ita cenſet ſanctimoniam ac caſtitatem. Et profecto ille Alcibiadis ſermo impudentior fere etiam me avertiſſet, ne *Sympoſium* Platonis Latine conſcriberem. Verum quum mecum expendo ſeculi ejus mores, quos etiam in ſuperioribus per omnia improbat Plato, non video cur non & ſe, & Alcibiade digna, prodidiſſe putari debeat. Primum enim & probe poto Alcibiadi eam orationem attribuit: & ipſum ſic affectum, etiam juxta proverbium, *Veritatem occultare non poſſe*, dicentem D facit. Et licet ſuam quandam impudentiam manifeſtaturus eſſet, tamen quia ſplendidum Socratis factum ſilentio involvendum non putabat, maluit ſuam aliquam ignominiam prodere, quam Socratis continentiam ac caſtimoniam tacere: fortaſſis etiam ipſe hac parte ſanctior, quam multi, *qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt*, ut poetæ non mali verbis utar: ut qui Socratis integritatem magis experiri ac tentare, quam ſuum pudorem proſtituere voluiſſe videatur. Itaque & longa ſermonis impudentioris futuri præcaſtigatione uſus, & ſuo ex philoſophia affectu per longum declarato, & E domeſticis miniſtris, aliiſque prophanis ac indoctis, & de his judicare non potentibus, ablegatis, & magnas portas auribus obdere juſſis: tandem ad illum in lucem non efferendum, velut illi ſentiunt, ſermonem progreditur, de ea re, de qua tamen ſanctus Paulus aperte loqui non dubitavit, idque non ſemel, & abſque omni προσεπιπλήξει. Sed hac parte Germanis noſtris merito gratulor, quod tale nihil apud nos auditur. Et ſi quis etiam ea de re verba faciat, non intelligitur, maxime a vulgo, quod revera rude & indoctum hic eſſe, laudem metur: quum externæ quædam gentes magnam ſanctimoniam oſtentantes, & caſtimoniæ ſuæ partici- F pationem nobis vendentes, illis deliciis tantum non in propatulo ſe oblectent.

Proinde neque veteres illos, neque ullos recentiores Platonis cenſores, mihi verendos eſſe duxi, quo minus Latinis hominibus hoc Platonis *Sympoſium* legendum exhiberem: maxime quum viderem etiam Socratem apud Xenophontem, ita Amatorem corporum aperte, ut ne dicam impudenter, declarare, ut etiam hic magnas *portas* auribus obdere oporteret: ſi tamen πύλας recte in Platone legi

tur, & non ὕλας potius, velut ſuſpicor, legendum eſt: ut non *portas*, ſed *materias* magnas auribus obdendas eſſe accipiamus. Nam aut digitos, aut lanas, aut floccos, aut alias materias auribus obdere ſolemus, velut etiam paulo ſuperius Alcibiades dixerat, per vim ſe fugere Socratem, velut a Sirenis aures obturantem, ne apud ipſum conſidens conſeneſcat. Quanto autem hæ materiæ majores ſunt, tanto magis prohibent ſonos ad aures afferri: alioqui portas non pro his per quas ingreſſus fit, accipere hic oporteret, ſed pro his quibus portæ clauduntur, & ingreſſus prohibetur. Non mutavi tamen lectionem, ſed ſuſpicionem meam A indicare, & doctis judicandam proponere, ſatis eſſe putavi. Atque hæc ſunt quæ de Conviviorum veterum Græcorum, & hoc tempore Germanorum ritibus, moribus, ac ſermonibus, itemque de Amoris præſtantia, & de Platonis ac Xenophontis diſſenſione, ad te, optime Laſane, longiore commentatione ſcribere mihi viſum eſt, quo non Epiſtolam ſolum, ſed juſtum fere Libellum, pro longi ſilentii uſura, de me haberes.

Francofordiæ in ipſis nundinis, XVIII. *die Aprilis*, *Anno Chriſti*, M. D. XLVI.

F I N I S.



ANDREÆ BACCII,

ELPIDIANI

MEDICI ATQUE PHILOSOPHI,

CIVIS ROMANI,

DE

CONVIVIIS ANTIQUORUM,

DEQUE

SOLEMNI IN EIS VINORUM USU,

ATQUE RITU COENARUM SUMPTUOSISSIMO,

LIBRI QUINQUE.

P R Æ F A T I O.



LIBI de vini natura tam generoſa, differentias, partes ac dignitates enarravimus. Operæ pretium nunc eſt, ſummum coryphæum univerſæ vinorum naturæ adjungere, ex antiquorum regum ac principum auctoritate, qui in lautis conviviis dum ſolemniter coronarent, propinarent, ac ſuperſtitioſe libarent vinum Diis ſuis, videntur vini uſum ac dignitatem ſuper omnes delicias extuliſſe. Quæ pars idcirco *de Conviviis* valde nobilis, non minores habet difficultates, quam quæ alibi in principiis naturæ, & de cultu vinorum tam vario peractæ ſunt: tum quia hi ritus antiquati ad hanc noſtri ſæculi mediocritatem, ac mutatis omnino moribus, multam pariunt apud auctores obſcuritatem. Tum etiam, quia de longiſſima rerum ac partium ſerie ad illa fauſta convivia requiſitarum, obliteratis jamdiu illis ſtudiis, vix ulla reſtat judicii conjectura. Quapropter ex peritis nonnullis hac noſtra ætate, qui ad intelligentiam auctorum, & ad multorum etiam in Scripturis Sacris locorum claritatem, ſuſceperunt tam celebres antiquos ritus e tenebris vendicare, plena quidam Commentaria de illorum conviviis edidere: compendiario autem magis ſtylo *de Tricliniis* ſcripſit venerandæ memoriæ hic in urbe Roma Petrus Ciacconius, Canonicus Toletanus, atque his Fulvius Urſinus ex Patritiis Romanis ſummæ doctrinæ, ac rerum antiquarum ſtudioſiſſimus, nobilem addidit *Appendicem*. Ego vero hanc retractans materiam, haud propterea acta agere profitebor: quinimmo de vinorum uſu (quam habemus hac in parte præcipuam rationem) Medicorum ex profeſſo tractare munus eſt: quamobrem prædicaverint ſcenici ſcriptores in proloquiis ſuis, NIHIL INDICTUM: pro ſuſcepta quidem a nobis tractandi Methodo de vinorum natura, multa videri poterunt ſi non nova, relicta tanquam exoleta, & obſcuriſſima in monumentis antiquis, quæ reſtituta videbuntur in claram lucem. Quinimmo in ipſa ſtatim voce, ac titulo *de Conviviis*, inexplicata ſublatet ambiguitas, quam & Cicero *lib.* IX. *epiſt.* XXIV. *ad Pætum* notavit; *Sapientius*, inquit, *noſtri quam Græci; illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes, aut concœnationes; nos convivia* dicimus: *quia tum maxime ſimul vivitur*. Porro ut aliqua inſtituti mei ratio his, qui hæc legerint, propoſita ſit, quid de potu calidæ decernendum? An Veteres biberent calidam, quod ipſo dicto abhorret animus; cum tamen ob claras, quæ occurrant, auctoritates, dum juniores hi noſtrates ſummo alioqui ingenio, in magnificis potiſſimum conviviis legerint calidam cum vino permiſceri ſolitam; nil mirum, non perſpecta vinorum illorum temporum natura, nec cultu recognito a noſtri temporis vinis diverſiſſimo; facile, vel hanc ambiguitatem ſicco (ut ajunt) tranſierunt pede, vel pro certo perſuaſi ſunt, & ſcripſerunt quidam, quod Veteres calidam biberent, media etiam æſtate in deliciis. Quam longe gentium erroneam opinionem plane ipſa redarguunt inſtituta, a nobis alibi pertractata; quod ob vinorum illorum naturam, magnitudinemque, & craſſitiem, quam vetuſtate ſub ſole, ſuperque fumo, & igne diu retenta acquirerent, jam videbitur fuiſſe neceſſarium, ut primum in potibus illa permiſcerent cum calida, moxque in frigida refrigerata delitioſe biberent, & in glacie, & nive. Ad quem uſum, quidnam *Thermopolium*, jamdiu e mentibus hominum & re & nomine obliteratum, & tamen maximi ad illos ſumptuoſos apparatus momenti? niſi quia id publica eſſet officina, in qua (ut Horatii in vino Chio ejus generis delicioſiſſimo uſurpem verba) quis aquam ad diſſolvendi ejus vini craſſitiem temperaret ignibus. Unde & *Thermopolare* formatum verbum apud Plautum, hoc eſt, cum calida bibere. Ad quem ſimiliter uſum, & vaſa in eo admirandi operis, Miliaria dicta antiquis Romanis, eruta videbuntur e tenebris, quibus una hora tam immenſa ſemel concaleſieret aqua, ut populares & principum præcipue menſas uberrime ſatiaret. Quæ porro eſſent in toris illis delicioſiſſimis *Anaclinteria*, quæ nos *Reclinatoria* vertimus, quid *Repoſitoria* in menſis Eſcariis, quid *Abacus* in Vinariis, & quo eſſent uſu. Et in Cœna Domini, quis concedat, ut in magno Cœnaculo accubantes Apoſtoli in lectulis delicioſe cœnarent, & non potius frugali menſa ſimpliciter aſſiderent? Remitto hinc ſuo loco enarranda Panificii cum ſuis bellariis ultra triginta genera, & eſculentorum ſine numero, eaque adeo varia. Ut in reliquarum rerum ad vitam non ſit tanta varietas, quanta penes tempora, & penes variarum nationum uſus, obſervamus in eduliis ſuo quoque guſtu parandis diverſitatem: quando in hoc omnium compendio Romanæ urbis quotidie videmus, quod Germani, Angli, Hiſpani, Galli, Poloni, Moſcovitæ ſua amant eſculenta, reliqua autem (præter vinum, in quo ſummam omnes commendant gratiam in Italicis) habent plerique ſuo guſtu exotica.

De quorum tamen omnium qualitatibus, ſicut & de vinorum differentiis, & ad uſum an ſalubria, an noxia habenda ſint: hanc præcipue partem decernere, non niſi periti Medici eſt, qui longo uſu ac peritia variarum rerum calleat, moneatque quatenus utenda, aut cavenda ſint. Quapropter ad explicandas tam longa ſerie convivii partes, ac tam lautas Antiquorum delicias, luculento (ut poterimus) aggrediemur ordine. Nam immenſam de rebus antiquatis veluti ſylvam ingreſſuri variarum auctoritatum, quibus adhibendum erit judicium noſtrum, complura nobis propoſitum eſt examinare capita, ac in quinque præcipuas diſtinguemus Partes. Primum, quæ fuerit illorum temporum conſuetudo, ac tam diverſa a noſtris vivendi ratio in prandiis ac cœnis ſuis, vel quis finis, aut intentio in conviviis tam fauſtis, & quos legimus adeo delicioſos in lectis accubitus ad menſas: quæ Tricliniorum ratio, quæ ornamenta, quæ partes, & quæ diſpoſitio lectulorum, ac menſarum. Secundo loco, in quo ſumma difficultatum ac totius ejus inſtituti conſiſtit, quis eſſet ille accumbendi modus, an jacerent, qui proprie accubitus videtur, & in communi conſenſu eſt: an etiam ſederent, nam utrumque modum legimus. Similiter an in prandiis celebrarent ſua convivia, an potius in cœnis: ſicque collocatis ad menſam convivis, quis ordo in apparatu tam lauto, & quæ menſæ eſſent tunc eſcariæ, tum vinariæ; & tertio, quæ genera eſſent illis temporibus eſculentorum, quæ non tam ad uſum vitæ, quam ad luxum & delicias, vix nominum ac generum ſervant proprietatem. In his vero miniſtrandis quæ eſſent illa miniſteria proſequemur, ipſorumque miniſtrorum ordinem, & epularum, quas inferrent tam in primas, quam in ſecundas menſas, genera, & quæ vaſa haberentur, tum ad epulas requiſita, tum ad vina miſcenda, ac propinanda. Atque quæ denique inter hæc admitterent obſequia, oblectamenta, ſpectacula, ſymphonias, cantus, ſaltationes, ſcenicos actus, modulatores, acroamatum intermedia, Apophoreta; & quæ in gratiam darent xenia, ac munera, cum remotis

mensis ac epulis coronandi ritus, propinandi, ac libandi etiam Diis celebrarent, cum summo omnium applausu, ut nullæ fere aliæ majores videantur fuisse deliciæ. Hic brevis index est communium partium convivii tractandarum, inter quas complura passim alia ad tantum ritum pertinentia venient consideranda scitu dignissima, ac explicanda auctorum loca innumera: quare primum a communi vitæ consuetudine illorum temporum, & quibus actionibus homo Romanus dispensaret diei horas, aut comederet; hinc ex eleganti carmine Martialis *lib.* IV. *epigr.* VIII. sumemus exordium.

HORARUM DISTINCTIO, ET QUIBUS ACTIONIBUS VIR ROMANUS DISPENSARET VITÆ MUNIA.

Prima salutantes atque altera continet hora:
Exercet raucos tertia causidicos:
In quintam varios exercet Roma labores:
Sexta quies laxis: septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidas octava palæstras.
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum;
Temperat ambrosias cum tua cura dapes;
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tum admitte jocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

In quo brevi elencho (mirandum lepidi poetæ ingenium, cui in minimis etiam illorum temporum servandis memoriam, obscenis aliquibus exceptis, debebit tota posteritas) horæ explicantur diei naturalis, quæ erant tam hieme, quam æstate XII. longiores æstate, breves hieme, quibus Romani in totam diem dispensarent vitæ munia. Ut a prima diei hora, scilicet duodecima artificialis horologii, salutationes adirent principum; a tertia in quartam curias frequentarent; in quintam & sextam circa res domesticas vacarent, ab octava in nonam in palæstras se exercerent, ac lavarent in Thermis; decima, quæ erat a XXI. in XXII. cœnarent, quando Architriclinus Euphemus, principi tunc soluto a magnis curis, ac hilari post cœnam ac pocula animo, versiculos illi adulantes inferret: in quibus & totum ferme comprehendit conviviorum negotium. Observandum vero inprimis in eo est, quod inter diei horas nonnisi de cœna fit mentio: cum tamen legamus de communi illorum temporum usu, Veteres & jentaculum habuisse summo mane, deinde prandium, merendam post meridiem, ultimo cœnam, & nonnullos etiam nocturnas comessationes. Ex quibus plane constat, cœnam fuisse præcipuam & communissimam omnibus, aliis vero horis vel extemporarias, vel etiam populares fuisse escas. Vitio autem datum Vitellio legimus apud Suetonium, qui epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiret, in jentaculum, & prandium, & cœnam, & comessationes. Sed melius singularum usum distinguemus.



INDEX CAPITUM.

LIBER I.

LIBER II.

ANDREÆ BACCII,
ELPIDIANI
MEDICI ATQUE PHILOSOPHI, CIVIS ROMANI,
DE
CONVIVIIS ANTIQUORUM,
DEQUE
SOLEMNI IN EIS VINORUM USU, ATQUE RITU COENARUM SUMPTUOSISSIMO,
LIBER I.

CAP. I.

De Jentaculo, Prandio & Merenda. Jentaculum quid. Prandium. Cœna vesperna. Semel an bis comedendum. Bis comedere utilius. Consuetudo non mutanda. Clementis VII. *Pontificis ob mutationem vitæ interitus: ut & Sixti* V. *Consuetudo vetus Italica ex Platone, & Xenophonte. Ciceronis consilium. Galeni victus. Merenda quid, & unde dicta. Comessatio quid, & ejus etymon.*



JENTACULUM, quod Græco Interprete super Homeri *Odyss.* XXIV. ἀκρατισμὸν videtur dictum, & jentare (ut inquit Festus & Isidorus) jejunis erat primus cibus matutinus, quam horam atque usum Martialis etiam indicat in *Apophoretis*, sive lib. XIV. epigr. ult.

Surgite jam pueri, vendit jentacula pistor,
Cristatæque sonant undique lucis aves.

Suetonii quoque testimonio, qui id etiam vitium inculcat Vitellio, ut mane singulos venientes, jam ne jentarent, sciscitaretur. Prandii vero, quod sequitur, frequentius apud auctores fit mentio, ac æquam fuisse conditionem cum cœna, hæc vespere, unde & vesperna dicta est, illud de mane, plane indicat Macrobius lib. VII. *Saturn.* cap. XVII. *Inter leges*, inquit, *de cœnis & sumptibus imperatum est, ut patentibus januis pransitaretur & cœnaretur.* Ex antiquioribus & Græcis meminit Hippocrates, & prandere solitum suo tempore, & cœnare: utili sane consilio in II. *de rat. vict.* prope fin. *Semel*, inquit, *comedere emaciat, siccat, alvum reddit duriorem: prandere vero contrarium facit*: qua sententia plane declaratur, quod semel comedere cum Antiquis, cœnare tantum vespere intelligitur: ita, ut cœna fuerit præcipua, nec unquam esset omittenda, & præterea, quod bis comedere, prandere mane, & cœnare vespere utilius sit. Ad quæstionem vero an semel, an bis sit comedendum, ratio dictat præter illas Hippocratis noxias, quod semel comedere, vel hac carere non potest noxa, quod interposito XXIV. horarum intervallo, ventre tum famelico, & exhausto, plerumque ex illa unica cœna major repletio fit, ac valde noxia, quam si bipertitis vicibus & horis suis & pranderetur, & cœnaretur; unde minus propterea venter gravaretur. Præcipue vero attendenda erit consuetudo: quæ quoniam tanquam altera natura est, observatum jugi exercitatione est a peritis Medicis, præsertim in senibus & principibus, quod sive ex consilio, sive arbitrio, seu quapiam occasione mutari illis contigerit consuetudo, ii brevi tractu temporis labi solent in deteriorem statum propriæ naturæ, etiamsi ex laboriosa vita ad laudabilem & quietam fiat mutatio. Quem lapsum recentiori comprobamus exemplo, in Clemente VII. Pontif. qui quinquagenarius, ac valido robore naturæ, mutua consuetudine ut semel tantum cœnaret, diem totam præsto esset gerendis rebus, vix tribus cum eo victu exactis annis, febre correptus incurabili interiit. Nec alia ex causa Sixtus V. Pont. qui Piceni nostri inclyta gloria, erit cunctis seculis admirandus, contra omnium bonorum spem, & in majori mole curarum, de vita sublatus est, nisi ob vivendi ritus mutationem, quam me consulente, ac familiari Medico, per decem & octo annos Cardinalis studiose servaverat, ut in minoribus ac integerrime sanus vixerit. Cæterum fuisse utramque consuetudinem communem, ut Italici ac Syracusani olim deliciosi populi in Sicilia bis comederent, Græci vero semel; plane attestatus Plato est in *Epistola ad propinquos Dionys. Quo cum*, inquit, *pervenissem, nullo modo probare potui vitam illam, quam vocarent beatam Italicarum & Syracusanarum mensarum, nempe qui bis die saturi fierent, nec soli noctu jacerent*: quam postea sententiam & Cicero attestatus est in V. *Tusculan.* illam reprehendens consuetudinem (seu potius luxuriosam vitam suo tempore) bis scilicet homines fieri saturos, *quæ incontinentia* (recte inquit) *nec animo, nec corpori, nec valetudini conferre, quinimmo maxime adversari posset.* Nihilominus perseverasse hunc communem usum, ut & piranderent, & cœnarent, multæ aliæ passim confirmant auctoritates. Antiquissima Platonis tempore ex Xenophonte ejus æmulo, in *Convivio*: *Puerum meum*, inquit, *non ausum accedere, quia impransus, & nihil portaret secum.* Et in *Oeconomico* ait, Ischomachum leviter prandere consuevisse, ut largius cœnaret. Item Plautus in *Cistellaria*, *lepide ac nitide nos ad prandium accepisti*. Similiter Plinius in *epist. ad Macrinum* lib. III. *breve* dixit *prandium*, & eodem fere sensu Horatius in I. *Serm.* Satyr. VI.

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

In quibus notabile est, quod & breve prandium dictum est, vel non avide, sed quantum inani interpellaret ventre. Idem monet Galenus VI. *de Sanit. tuenda* se interdiu cibum non sumpsisse, nisi tardius lavaret, vel panem solum, vel mulsum, aut vini modicum: & Seneca *ad Lucilium ep.* LXXXIII. *Post solem panis, & sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus*. Quam laudabilem consuetudinem in multis hodie civitatibus Italiæ servari videmus, ut interdiu negotiis dediti, modico contenti jentaculo, vel prandium omittentes, protrahant epulas ad vespertinam cœnam. Quam potissimum in urbe maximis gerendis rebus intenta Plutarchus comprobavit in *Sympos.* VIII. Veteres Romanos prandisse parce, cœnas vero large adhibitis convivantibus iniisse. Quem morem idem Xenophon in *Vita Cyri* servasse Persas meminit, damnatque aliquos, qui summo mane incipientes, vespere finirent, dum cubarent: merito apud me inter bestias connumerandos. Merenda quoque, quæ cibus est post meridiem, Nonio & Festo auctoribus, vetustæ memoriæ est: sic forsan dicta ab ipso usu, quoniam operariis communiter esset propria, uti nunc quoque est, qui a pomeridianis laboribus merendam, hoc est, aliquam mererentur refectionem: alioqui minus honestam observamus, nec usitatam civili vitæ, immo vitio datam fuisse nonnullis, qui & comessarentur. Nempe quia & comessatio minus tempestiva: nam sicut jentaculum ante prandium, & merenda ante cœnam, sic nocturna erat post cœnam comessatio. Comessatio per simplicem consonantem scribitur a Festo, quæ dicta videtur a comitate, quod post cœnam, & intempesta nocte vigilantes, vel etiam stantes, nequaquam accumbentes comessarentur, ut Livius *lib.* XL. cap. VII. Demetrius jam cœnatus, *Quin comessatum*, inquit, *ad fratrem imus?* effusissimas vero comessationes Titus ad mediam noctem cum familiaribus extendebat, ut Sueton. refert in *ejus Vita* cap. VII. Innumeræ præter has occurrunt auctoritates, quod Veteres & jentarent, & comessarentur, frequenter pranderent, frequentissime vero & supra omnem fidem sumptuosissimas celebrarent cœnas: circa quarum propterea apparatum jam omnis nostra oratio versari debet.

CAP II.

De Cœnarum ritibus, ac generibus. Eædem quot & quales. Sportula quæ. Recta. Congiarium. Capitolinæ cœnæ. Pontificiæ. Augurales. Adjicialis. Papalis. Saliares. Ancilia quæ fuerint. Cereales cœnæ; Nephalia etiam dicta. Populares. Saturnales. Triumphales. Nuptiales. Repotia nuptiarum. Natalitiæ. Ferales. Parentalia, in quibus inferias celebrabant Veteres. Solemnes cœnæ. Bacchanalia, quæ & Dionysia vinorum. Luxuriosæ. Apicianæ.

LOCUS quidem ipse tanti apparatus communiter Cœnaculum ab ipso usu dicebatur, ut postea erit describendum. Cœnarum vero penes illos ritus diversa admodum ratio habenda est: aliæ enim publicæ erant, aliæ privatæ, etiam principum. Ex publicis duæ præcipuæ, Sportula dicta, & Recta; quæ officii ac muneris gratia dabantur magistratibus obeundis, in publicisque salutationibus. Sportula quidem specimen erat pusillæ cœnæ. Recta quæ plena ac recto ordine in publica quapiam lætitia a principibus dabatur; ut Martialis ad Domitianum adulatur *lib.* VIII. *epigr.* L.

Grandia pollicitus, quanto majora dedisti?
Promissa est nobis Sportula, Recta data est.

Varias autem legimus pro arbitrio: Suetonius de Augusto in *ejus Vita* cap. LXXIV. scribit: *Convivabatur assidue, nec unquam, nisi recta*. Et in *Nerone* c. XVI. *Publicæ cœnæ ad Sportulas redactæ*. Et universo interdum populo, ut idem de C. Caligula in *ejus Vita* c. XVII. meminit, in Congiario, quod erat plenissimum epulum: *Congiarium populo bis dedit trecenos sestertios, toties abundantissimum epulum Senatui, & Equestri Ordini, etiam conjugibus, ac liberis utrorumque: posteriore epulo, forensia insuper viris, pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylii distribuit*. Quem morem carpit suo tempore Juvenalis *Satyra* I.

—— nunc Sportula primo
Limine prima sedet, turbæ rapienda togatæ.

Ex publicis cœnis multæ aliæ commemorantur: & in divino cultu Capitolinæ, de quibus Livius *lib.* V. Tribus diis sacræ, Jovi, Junoni, & Minervæ, instituto patrum inprimis celebres, quas extollit Martialis *lib.* XII. *epigr.* XLVIII.

Non Albana mihi sit comessatio tanti;
Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

Pontificiæ, de quibus Macrobius libro III. *Saturn.* cap. XIII. In cœna Pontificali duobus lectis decem Pontifices accubuerunt, in tertio tres Virgines Vestales: ubi & Metelli Pontif. cœna: quo die Lentulus Flamen Martialis inauguratus est. Augurales Cicero *ad Gallum* lib. VII. ep. XXVI. *In eas cum incidissem in cœna Augurali apud Lentulum*, &c. quæ & Adjicialis cœna dicta videtur, in qua videlicet semper aliquid veluti majori luxu adjiciebatur, Ravisius Textor: & item Dapalis, ut Festus, multis opulenta, ac magnifice dapibus instructa. Saliares cœnæ a Saliis Martis sacerdotibus institutæ, Apulejo teste *lib.* IX. *Amplæ*, inquit Festus, *ac portandis per Urbem ancilibus, armis videlicet tanquam a cœlo missis, cum tripudiis in signum lætitiæ, & qui saltu canerent*: quem ritum ceu memoria dignum recensuit Virgilius VIII. *Æneid.*

Hinc exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, & lapsa ancilia cœlo
Extollunt

Cicero *ad Atticum* lib. V. *Cum opipare Saliarem in modum epulati essemus.* Cereales cœnæ, in quibus sacrificiis nefas esset cum uxore concumbere, aut vinum in cœnis adhibere: quæ & *Nephalia* Festa videntur dicta, Suida, & Festo teste. Unde Plautus in *Aulul.* Magadorum illudit Cereri nuptias esse facturum, quod nihil vini fuisset adlatum. Populares populo datæ, ut in triumphis, in templi dedicatione, & in communi lætitia, quales & Saturnales, plebi communes, & servis, quibus solemne erat, ut nunc quoque, mactare porcum. Indicat Martialis in *Apophor.* sive lib. XIV. epigr. LXX.

Læte tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

Triumphales, Plinius *lib.* XIII. *c.* XV. *C. Cæsar Dictator triumphi sui cœna, vini Falerni amphoras centum, Chii cados centum in convivio distribuit*. Idem de Hispaniensi triumpho: *Epulo vero in tertio consulatu Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum dedit*. Nuptiales, Apulejus *l.* VI. Cœnam nuptialem exhibitam narrat, ad ea, quæ postea dicturi sumus de ordine, deque lautis & delitiosis cœnis, valde notandam, his verbis: *Accumbebat summum torum maritus, Psychen gremio suo complexus, sic & cum sua Junone Jupiter, ac deinde per ordinem toti Dei. Tunc poculum nectaris (quod vinum Deorum est) Jovi quidem suus pocillator, ille rusticus puer*

dedit, cæteris vero Liber miniſtrabat. Vulcanus cœnam coquebat. Horæ (quæ pro quatuor anni temporibus figurantur) roſis & cæteris floribus purpurabant, omnia Gratiæ ſpargebant balſama. De Nuptialibus item Horatius *lib.* II. *ſatyra* II. ubi ſolemnia nuptiarum explicat, & repotia, qua die ſponſa poſt nuptias redibat in gratiam, ac compotationes parentum, teſte Porphyrione:

Ille repotia, natales, alioſve dierum
Feſtos ablatos celebret.

Quo intelligitur, & propinquos albis indutos accubuiſſe. Natalitiæ cœnæ, & in his notantur ſolemnia gaudia, apud Plautum in *Perſa* Act.v.Sc.I.

——— *Hoc age, accumbe, hunc diem ſuavem*
Meum natalem agitemus amœnum: date aquam manibus: apponite menſam.

Cicero in II. *Anton. Hodie non deſcendit Antonius, dat natalitia in hortis.* Ferales cœnæ, quibus epulæ a Feralibus in mortuorum ſepulchra inferebantur, ac funeſta omnia, ut in *Faſtis* Ovidius lib. II. Et Juvenalis *ſat.*v.

Hanc quia juſta ferunt dixere feralia lucem,
Ponitur exigua feralis cœna patella.

Hæc & Parentalia videntur Feſta: in quibus Inferias celebrantes, funeſtis veſtibus induti, convivantes tamen albati, cœnatoriam veſtem ſumebant albam. Ut Cic *in Vatinium: Cedo, quis unquam cœnavit atratus?* Complures præterea ſolemnes leguntur certis anni temporibus, ac diebus: ut Saturnalia feſta Decembri menſe, Bacchanalia Novembri, Februa & Feralia Februario, Majoria menſe Majo, Juniorum Junio. In Bacchanalibus erant Omophagia, apud Arnobium deſcripta. In Thyis etiam Baccho ſacris, quæ nocturnis celebrarentur vinis: & item Trieterica Baccho, quaſi Triennalia; & Vinalia ſeu Dionyſia, in quibus vini pateras noctu per totam urbem ferebant: ac duplex eorum erat ſolemnitas, apud Varronem, & Plinium: altera a vinis deguſtandis IX. Kalendas Martii, cum vina pura eſſe putabantur: altera, quæ & Ruſtica dicta eſt, Feſto auctore, XII. Kalend. Septembris: Quo tempore (ni fallor) elapſi jam anni, & inſolata per totam æſtatem vina haurirent, guſtarentque quam acquiſierint qualitatem, eademque reponerent per hiemem in cellariis: quas vinorum mutationes alibi recenſuimus. De luxurioſis cœnis paſſim leguntur exempla: inter quas Lurconianæ, & Apicianæ, quas deteſtatus eſt Plinius, quaſi totius antiquitatis cenſor, *lib.*X.*cap.*XX. & XL. M. Apicii inventum, phœnicopterum linguis, fico, caricíſque ſaginatis, ac inter epulas paratis, præter alia vitia: quæ imitatus quaſi ad illius invidiam Heliogabalus, Lampridio teſte, edebat ſæpe criſtas vivis gallinaceis demptas, linguas pavonum & luſciniarum, addidit & dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, turdorum & perdicum ovis, & capitibus, &, ut nihil deeſſet inſaniæ, calcanea etiam comedit ſæpius camelorum.

CAP. III.

Leges latæ de cœnis; quæ enumerantur. Privatæ cœnæ. Pura qualis. Dubia.

Ex adverſo, pro illa adoleſcentis Reipubl. ſeveritate, latæ leges leguntur de parſimonia in epulis, tam publicis, quam privatis. Primum Fannia lex, Fannio & M. Valerio Meſſala Coſſ. deinde Licinia, poſtea Sullana, Æmilia, Orchia, Didia lex edita; de quibus ex A. Gellio accurate exſcripſit Fulv. Urſinus, antiquarum rerum obſervantiſſimus, ad quem hæc legentes, ut multa alia, delegamus. In privatis vero cœnis antiquior videtur illa lex, quam Macrobius retulit *lib.* III. *cap.* XVII. *De cœnis*, inquit, *& ſumptibus imperari cœpit, ut patentibus januis pranſitaretur & cœnaretur: ut non ſolum qui prandia cœnaſve majore ſumptu feciſſent; ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, atque interfuiſſent, eiſdem pœnis legis tenerentur.* In privatis commemoratur cœna pura, & ſimplex, abſque animalium ſanguine parata, nuda, ac frugalis menſa, ac in tenui ſupellectili. Item dubia, ut apud Horatium lib. II. *Serm.* ſatyra II.

Quæ ſimplex olim tibi ſederit; at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis:
——— *vides ut pallidus omnis*
Cœna deſurgat dubia?

Confuſam ſignificans, nec ſanam ob diverſitatem, ac vitæ noxiam. In privatis etiam & principum cœnæ: ut in publicis ludis, ac lætitia, vel natali principis, vel ad luxum, ac divitiarum oſtentationem. Ut de Aſſueri Aſſyriorum regis convivio legitur opulentiſſimo, in *Heſter*: de Alexandro Magno non minus apud Arrianum, & Q. Curtium, & de luxurioſiſſimis Cleopatræ conviviis M. Antonio Triumviro, quæ opportune magis remittimus enarranda. His plane exemplis adeo variis & conviviorum, & perſonarum, plane conſtat, quod nec loci erat eadem ratio.

CAP. IV.

Loci ratio in tricliniis. Cœnaculum varie dictum apud Priſcos. Cœnatio, Cœnatiuncula, & Diæta. Cœnæ jocoſæ ſuper platano, laqueatæ. Triclinium, & ejus genera. Triclinia pro lectis. Conclave quid Ciceroni.

Pro Triclinii tamen apparatu locus inprimis proponitur, quod Cœnaculum dicebatur, οἶκος Græcis, ut Varro in IV. *de Ling. Lat.* Sicut Penaſci dixere: addit Feſtus in ſuperiori præſertim domus parte, & hiemalibus cœnis, ſic & æſtivis ad frigus captandum, Varro. In atriis legitur, & in hortis: dicitur & cœnatio in ima domus parte, vel locis patentibus: adde & in campis. Ut in Aſſueri jam dicto convivio, quod is dedit univerſis ſui regni ductoribus, & in militari convivio Alexandri, Plutarch. Legitur & Cœnatiuncula, quæ & Diæta Græcis videtur dicta, pro anguſta cœna, ac brevi loco, quæ vox & pro quocunque receſſu loci uſurpatur, ut de Pliniano fonte Plinius in *Epiſt. Fons*, inquit, *ubi per ſaxa decurrit, Cœnatiuncula excipitur.* Adde cum luxurioſis etiam jocoſas menſas: Plinius *lib.*XII.*cap.*I. Licinium Lyciæ legatum ſuper platano cœnaſſe cum viginti octo convivis, large ipſa toros præbente fronde. Item Cajum principem in Veliterno rure, cum quindecim convivis, ac miniſterii capace triclinio ſub platano. Horatius lib. II. *Carm.* ode XI.

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere, & roſa
Potamus uncti.

Cœnationes laqueatæ, in alta ſcilicet domus parte, apud Suetonium leguntur, in domo aurea Neronis: in qua videlicet ex laquearibus altis & eburneis tabulis verſatilibus flores & unguenta pretioſa cœnanti deſuper ſpargerentur. Idem dictum eſt & Triclinium, receptis e Græcia vocibus, nempe a tribus lectis, quod primum fuit inſtitutum e tribus Gratiis, auctum poſtea pro Muſarum numero uſque ad novem, & ampliorem numerum: cui conſentit Pollucis interpretatio, quod ſicut a tribus lectis dicebatur τρικλίνιον, ita πεντακλίνιον, ἑπτακλίνιον, ἑκατονκλίνιον, quinque, ſeptem, decem, centum

lectulorum, & mensarum. Proprie vero de recti convivii ratione decernit ex Varrone A. Gellius *lib.* XIII. *cap.* II. Ut cum paucissimi convivæ sint, non pauciores intelligantur, quam tres; cum plurimi, non plures quam novem. Sed aliquando & triclinii nomine intelligebantur ipsi lectuli. Ut Plutarchus, *Cæsar*, inquit, *in epulo invitavit populum centum viginti millibus tricliniorum*. Et apud Ciceronem *in Verr.* IV. *In foro sibi triclinia straverat*. Et paulo post: *Imperavit ut in foro sibi medio lecti sternerentur*. Et Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* XI. Argentea commemorat triclinia. Et item: *Deliaco*, inquit, *aris tricliniorum prima gloria, pedibus fulcrisque*. M. Tullius præterea & conclave vocavit cœnaculum: *Conclave*, inquit, *ubi epulabatur Scopas, concidit*. Hæc de loco, ubi cœnæ parabantur, & de triclinio.

C A P. V.

De Mensarum ordine, ac distinctione. Mensa quid. Triplex significatio. Mensa Escaria; Vinaria; & Epulæ. Duplex mensa quid. Locus Mensarum.

MENSÆ porro, quæ in Triclinio parabantur, ac lectulorum simul forma, & materia pretiosæ, magnificis, ut dicemus, splendebant ornamentis. Mensa dicta, Varrone teste in VI. *de Ling. Lat.* quasi μέσα Græcis, & *media*, quod in medio trium vel plurium lectulorum pararetur. In primis vero animadvertenda Mensarum distinctio est: Mensæ nomine triplicem haberi significationem. Proprie intelligitur pro materiali mensa, & prima parte in Triclinio cum lectulis suis, quam nunc describemus: altera apparatus videtur seorsum a Triclinio, & in Penario, juxta poetæ dictum *Æneid.* I.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, &c.

In quo videlicet Penario, intus duplex erat mensarum apparatus; Mensa scilicet escaria dicta apud Varronem, cum repositoriis suis, in quibus a dispensatore imponerentur varia escarum genera, quæ ex ordine mittendæ essent, ac inferendæ ad mensas Triclinii. Et seorsum erat mensa vinaria, in qua vinorum esset apparatus, cum abacis suis, phialis, poculis, ac cyathis, a moderatore vinorum per pincernas mittendis, ut postea dicemus. Tertio mensæ quoque nomine intelligebantur ipsæ epulæ, ac disci, in quibus epulæ jam paratæ, per Dapiferos inferrentur, atque harum duplex in tota cœna erat dispensatio, ac duplex dicebatur mensa: prima epularum, carnium, piscium, ac aliorum obsoniorum; secunda vero pomorum, ac bellariorum, de quibus postea in ministeriis mensarum dicendum erit. Primum ergo de loco, ac forma, seu collocatione propria mensæ: erant quidem mensæ pro convivarum ratione in spatioso triclinio collocatæ, cum suis erga parietem lectulis stratis, ac plures eodem ordine: utrinque a spondis lecti, & mensæ in medio exæquatæ: quibus a tergo debita erant spatia, unde accumbentes ministeria reciperent, adstarentque ministri vel ad pedes, vel ad latera, & qui obsequiis adessent. An quot mensæ, tot lectuli? ex antiquioribus apud Homerum cœnis, notavit Athenæus *lib.* I. Heroas singulos singulis accubuisse mensis, ac lectulis: induxit postea luxus, ut plures personæ ex uno lecto ad unam in medio mensam accumberent, quemadmodum postea de lectulorum forma dicemus.

C A P. VI.

Mensarum formæ variæ. Monopodium. Bipes. Tripodes. Rotundæ. Earumdem materia diversa. Lignum Sittim quale. Cedrus Libani, & Atlantica. Mensæ pretio incredibili. Eædem ex marmore, & æratæ.

NUNC de forma mensarum: testatur Varro *lib.* IV. jam citato, mensas primum quadratas fieri solitum, & in castris usitatas suo tempore, postea rotundas factas, Græcorum more: σφαιροδας τραπέζας Athenæus, orbiculatas Festus, & quandoque orbes, Juvenalis *Satyra* I.

Nam de tot pulchris & latis orbibus.

Et item Martialis *lib.* II. *epigr.* XLIII.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

τράπεζαν vero, quasi τετράποδαν a quatuor pedibus, ut legitur apud Homerum lib. I. *Odyss.* positam extendunt mensam: modo τριπόδιοι legibus, quod tribus staret pedibus, & quandoque nobiliori arte μονοπόδιον uno pede. Plin. *lib.* XXXIV. *cap.* III. *Triclinia ærata, abacosque, & monopodia Gn. Manlius Asia devicta primum invexit triumpho suo*. Erat & bipes vilior: ut Mart. *lib.* XII. *epigr.* XXXII.

Ibat tripes grabatus, & bipes mensa.

Quales & in marmoribus Romæ videmus aliquas. Digniores erant Tripodes, & heroum munera, in signum, quia non facile succumberent: quales Ulyxi donasse Alcinoum regem meminit Homerus *Odyss.* VIII. ad quæ videtur Horatius allusisse munera, lib. IV. *Carmin.* ode VIII.

Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum.

Eadem & Ovidius notavit in *epist.* III. *Briseidos ad Achillem*:

Viginti fulvos operoso ex ære lebetas,
Et tripodas septem pondere & arte pares.

Quo brevi disticho notatur, ad decorem in Tricliniis mensas pares consuevisse fieri, forma, & altitudine, & materia: sicut & lectulos pares dicemus inferius. Et item ministros, ut Virgilius *Æneid.* I.

—— *totidemque pares ætate ministri.*

Et eodem cultu ornati. Rotundas vero fieri consuevisse, ait quoque Plutarchus, ut inter convivantes significaretur æqualitas. Materiam mensarum communiter ligneam legimus, & ex acere vero nobiles, Plinio teste, ligno videlicet solido, crispo, & undulato pulcherrimas. Ut de mensa acerna apud Martialem in *Apophoretis*, sive lib. XIV. epigr. XC.

Non sum crispa quidem, nec crispæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Leguntur in Scripturis Sacris ex ligno *Sittim*: quas nonnulli Interpretes cedrinas opinantur: ex ligno scilicet cedri Libani montis in Palæstina pretioso, quod per secula maneret incorruptibile: pretiosissimas vero mensas ex cedro Atlantica: quod lignum quanquam proceritate & robore cederet cedro Libani, hoc tamen in Mauritaniæ montanis nascens ad usum præcipue mensarum deliciosissimum plerique auctores describunt, Athenæus, Seneca, Lucanus, Horatius, Martialis, & Plin. *l.* XIII. *c.* XV. *Ad insaniam usque*, inquit, *expetitum, crispis & intercurrentibus ligno circulis, maculisque, ac nonnullis caudæ pavonum oculis æmulantibus: ex quo mensæ propterea incredibili pretio in illa luxuria tempo-*

rum, ut lati fundi taxatione vænirent, si quis prædia tanti mercari velit, ait Plinius: quod pretium ingens, apud Senec. *de Beneficiis* lib.VII.c.IX. *Æstimatum*, inquit, *Senatoris censu; eoque preciosius, quo lignum in plures nodos arboris infelicitas torsit*: Senatorium autem censum supputant periti quidam ex Suetonio in *Augusto*, fuisse ex nostrate nomismate ducatorum XXX. millia, quo stante, unam, quam proponit ibi Plinius, Ciceronis tabulam sestertiis quingentis, hoc est, ducatis aureis XII. millibus, & quingentis væniss: minoris precii si aurea fuisset, ut ex Martialis distico elicitur, in *Apophoretis*, sive lib.XIV. epigr. LXXXIX.

Accipe felices Atlantica munera sylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Sed quæ majora pretia in ejusmodi mensis quærimus, quam quæ de Senecæ divitiis meminit Dion Cassius, quingentas mensas habuisse in illa adhuc populi Romani frugalitate commemorat Macrobius III. *Saturn.* Metellum in pontificatu suo convivium dedisse, in quo domus supra modum ornata, triclinia lectis eburneis strata, mensas ex generoso marmore, vel ex ære, aut argento cælatas, & aureis ornamentis tripodas posuisse, alias altas sponda, alias humiles.

CAP. VII.

Lectulorum, ac mensarum apparatus, & locus. Οἶκος varie usurpatur. Triclinii communes voces. Ejusdem lecti. Oecus pro parte in domo sumitur.

HANC vero Mensarum, ac Lectulorum simul dispositionem, plane magis ex communi loco, ubi pararentur, demonstrabimus. Apud Græcos auctores οἶκος legitur, quæ proprie est *domus*: lata vero significatione intelligitur quæcunque in domo spatiosa pars, in qua, auctore Vitruvio *lib.* VI. *cap.*X. unum, vel plura sterni possent triclinia. Ita ut tam locus, quam lectus (quemadmodum ex Jul. Polluce diximus) pro sui capacitate triclinos, tetraclinos, eptaclinos, decaclinos legatur: quam interpretationem apud Guilelmum Philandrum *in Vitruvium*, distincte vero magis apud Petrum Ciaconium, & Fulvium Ursinum peritissimos scriptores explicatam habemus. Nempe quod locus, œcus, conclave, basilica, *Sala* nostris vocata, pro sui magnitudine (quanquam etiam lectos non haberet, ut ex Athenæo elicitur *lib.* II.) τρικλίνιον dici poterit, τετρακλίνιον, ἑπτακλίνιον, a tribus, quatuor, septem lectis, & a quocunque lectulorum numero, quos caperet. Et lecti ipsi pariter, qui tres personas, quatuor, septem, vel novem caperent, τρίκλινοι, τετράκλινοι, ἑπτάκλινοι, ἐννεάκλινοι dicerentur: quo sensu citatur ab Athenæo Antiphanes Comicus, qui lectum videtur τρικλίνιον dixisse, quia tres in eodem discumberent. Ex quo patet, quod triclinii nomine, non solum locus in domo, & οἶκος, sed lectus etiam discubitorius quandoque diceretur: & latius adhuc, ubicunque loci fieret apparatus, (ut multis jam exemplis declaratum est) in horto, in foro, in campis, super platano, id erat communi significatione triclinium. Auctor est Cicero *pro Muræna*, Q. Tuberonem triclinium in foro dedisse, Punicanis lectulis stratis. Varro item *lib.* III. *Locus*, ait, *erat excelsus, ubi triclinio posito cœnabatur*. Et Vitruvius *loco citato*: *Oecos quadratos in domo statuendos ampla magnitudine, uti faciliter in eis, tricliniis quatuor stratis*, (quoquoversus uno) *locus posset esse spatiosus*. Quæ interpretatio ad illum usum antiquitate obscurum, non paucas aperire potuit auctorum perplexas, ex jam dictis, ac dicendis, sententias.

CAP. VIII.

Lectulorum convivalium ratio: Eorumdem varietas, ac luxus. Tricliniares, & Cubiculares quinam. Unde sic dicti. Ipsorum forma. Scimpodium quod. Sigma Lectuli genus, ex marmore Mutinensi. Lectorum altitudo. Scamnum, & scabellum quid. Punicani lecti parvi & humiles.

RURSUS de lectis multa notatur varietas, ac major luxus. Alii Tricliniares leguntur, quibus in triclinio apposita coram mensa accumberent: alii Cubiculares, ubi dormirent, ut Lampridius scribit, Heliogabalum solido argento habuisse lectos, & Tricliniares, & Cubiculares. Et Cicero Cubiculares commemorat in II. *de Divinat.* Tricliniares autem *in Verrem* III. & Plin. *lib.* XXXVII. Gn. Pompejum in tertio triumpho, quem de Piratis, Asia, & Ponto duxit, lectos tricliniares tres ex auro transtulisse. Lecti dicebantur, ut Varro in IV. *de Ling. Lat.* interpretatus est, quod ex lectis herbis, stramentisque lecti erant, ante usum tomenti: & etiam quia Veteres Græcam vocem imitati sint, qui λέκτρον dicunt lectum. Forma ac materia varia: nam in marmoribus Urbis, & quadrati spectantur adfabre elaborati: id videtur quidem Græce συμπόδιον dictum, non a pede simplici, quod μονοπόδιον mensæ genus dictum est, sed (ut Hesychius interpretatur) σκιμπόδιον μονοκοίτιον, quod unum caperet accumbentem, a σκίμπυς voce, qui humilis & simplex lectulus, diurnæ quieti, vel convalescentibus accommodus. Ut apud Gellium *lib.* XIX. *cap.* X. Cornelium pedibus tunc graviter ægrotum offendimus cubantem in scimpodio Græciensi. Lectulorum præterea observamus non unam fuisse formam, sed alios simplices, ut singuli singulum haberent: alii pro latitudine plurium simul personarum erant capaces: quod ex illo Horatii carmine jactari solet, lib.I. *Serm.* sat.IV.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Nempe in quibus ternis quaterni accumberent, & in totum duodecim. Adhuc magis apud Macrobium *lib.*III. *c.*XIII. *In cœna Pontificia duobus lectis decem Pontifices accubuere, in tertio tres Virgines Vestales*. Alii adhuc capaciores fiebant lunata specie, quod lecti genus a figura Sigma C Græcæ litteræ, Sigma dicebatur: in quo videlicet hemicycli forma plures circa unam mensam (ut reor) rotundam accumberent. Id videtur intellexisse Cicero, *Memini*, inquit, *Lælium in hemicyclo sedentem*: ni potius hemicycli nomine publicas intellexerit exhedras in Thermis, ubi sedentem in medio, quasi in cathedra oratorem omnes circumsedentes conspicerent, ut ibi hunc locum exposuimus. Proprium vero usum expressit Martialis in *Apophor.* sive lib.XIV. epigr. LXXXVIII.

Accipe Lunata scriptum testudine Sigma,
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Et *lib.* X. *epigr.* XLVIII.
Septem Sigma capit, sex sumus, ecce Lupus.

Sordidum hunc indicat usum Cic. *in Pisonem*: *In qua servi sordidati ministrarent, etiam senes, Græci accumberent stipati, quini in lectulis, sæpe plures, ipse solus*. Respondet ad hanc Sigmatis figuram lectuli marmor, quod ex Mutinensi recensuit Guilelmus Philander in *Adnot. Vitruvii* lib.V. ubi in subsellio semicirculari, extenso ab summo ad imum lectulo (quanquam plurium esset capax) accumbit

unus in ſiniſtrum cubitum, qui poſita coram brevi tripode rotunda cœnitaret, communi quidem apparatu. Altitudo lectorum, ut in omni marmore apparet, ſupereminens erat menſis, quare aſcendendum erat per gradus: quos Varro in IV. *de Ling. Lat.* trifariam ponit varios, per ſcabellum, ſi ſimplex ſufficeret ſcanſio: ſcamnum, ſi altior lectus: per gradus autem, ubi duplicata, inquit, eſſet ſcanſio: quam altitudinem Athenæus trium facit cubitorum, *lib.* XIII. Scabellum vero ſuppoſitum pedibus meminit Homerus I. *Odyſſ.* in Minervæ convivio. Pares vero cum eſſent in eodem triclinio, altiores tamen videntur fuiſſe illuſtrium virorum. Ut in II. *Æneid.* Virgilius:

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Humiles vero lecti minus honeſti erant, ſicut etiam de menſis diximus, de quibus Iſidorus *lib.* XX. *cap.* XI. *Punicani lecti parvi, & humiles, primum a Carthagine advecti, & inde nominati.* Haud tamen dedecus videtur, in eodem triclinio pro dignitate perſonarum fuiſſe aliquanto diſpares. Ut Plautus in *Sticho* Act. III. Sc. II.

——— Summates viri,
Summi accumbunt, ego infimatis infimus.

Vel ad pedes, & parciore menſa, ut de principum liberis meminit Tacitus de Nerone, vel ad fulcra lectorum.

Cap. IX.

Lectulorum materia varia: Lignei; Eburnei; Extemporanei. Eorum fulcra. Fuerunt etiam ſine fulcris. Sponda, Pluteum, Anaclinterion, ſive Repoſitorium qui differant. Accubationes.

De materia, Seneca in *Epiſt.* Tuberonem ſcribit ligneos lectulos in publicum ſtraviſſe acere, fago, terebintho, quæ vilior erat materia: ex citro poſtea dignior, ut item de menſis dictum eſt. Ut Perſius *ſat.* I.

—— non quicquid denique lectis
Scribitur in ci reis.

Poſtea eburneis operiri cœpit ornamentis, ut refert Macrobius ex indice cœnæ Metelli Pontificis alias citato; & teſtis teſtudineis, Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* XI. *Teſtudinis putamina ſecari in laminas, lectoſque, & repoſitoria iis veſtiri Carbilius Pollio inſtituit.* Et inferius: *Lectos mulierum totos operiri argento.* Idem & aureos fecit *lib.* XXXVII. *cap.* II. Humiles lectulos, vel extemporaneos meminit Seneca de ſua humilitate, his verbis: *Culcitra in terra jacet, ego in culcitra: ex duabus penulis, altera ſtragulum, altera opertorium.* Fulcra, quibus lecti forma ſtrueretur, ſimili genere ligni aliquo fiebant ſolido, acere, buxo, terebintho, cedro: antiquiſſima (ſubdit) gloria æris Deliaci fuit, tricliniorum pedibus, fulcriſque. Et item triclinia ærata, abacoſque, & monopodia Gn. Manilium Aſia devicta primum invexiſſe triumpho ſuo. Notantur & lecti ſine fulcris, apud Varronem, humiles forſan & pauperis impenſæ. Leguntur porro in opere lectulorum hæc tria, Sponda, Pluteum, Anaclinterion, ſive reclinatorium: de quibus aliquam apud noſtros Interpretes invenio ambiguitatem, quæ mihi ex ritu ipſo ſic explicanda videtur. Erat Sponda fulcrorum lecti utrinque pars, ſeu lignea, ſeu qualis dicta eſt precioſa, & ſolida, ſuper qua accumbens niteretur cubito, & brachiis, vel nudis in ſimplici cœnaculo fulcris, vel ſtratis inſuper accubitoriis, & pulvinaribus, quæ dicemus, oſtro ornatis, ac precioſis id genus ſtragulis, ut in Dione Virgilius, lib. I. *Æneid.*

Aurea (ſe) compoſuit ſponda, mediamque locavit.

Pluteus autem non videtur fuiſſe de aliqua eſſentia lecti, nec menſarum; ſed ſignificare exterius ſpatium a lecto, ejuſque menſa ad parietem retro, & ad latera, in quo circum adſtantes, ac miniſtratores adſiſterent. Ad hoc facit plena hiſtoria Plutarchi *Sympoſ.* lib. I. q. III. de omni ordine lectorum, & convivantium: *Ubi*, inquit, *ſecunda menſa ad primam* (hoc eſt, ad proximam) *applicata, angulus flexu ſuo intercapedinem facit, quæ ſpatium accedendi, alloquendi, ac audendi præberet*, &c. Qua *plutei* voce architectonica utitur ſæpe Vitruvius, modo pro intercapedine inter ſe columnarum, modo pro ipſis intercolumniis: plane vero ad hunc ſenſum facit *l.* V. *c.* X. de ſpatiis balnearum: *Alvei*, inquit, *ſeu balnei latitudo inter parietem, & pluteum* (extremam ſcilicet oram balnei) *non minus ſit pedes ſenos.* Idque plane magis explicatur auctoritate Suetonii, de Caligulæ contemptu, in *ejus Vita* c. XXVI. Qui *quoſdam*, inquit, *ſummis honoribus functos ad eſſedum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuum millia, & cœnanti, modo ad pluteum, modo ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt.* Anaclinteria quoque pertinent quodammodo ad ſpondam, delicioſum ſcilicet lectuli ornamentum, ſonat hæc vox ἀνάκλιτος, καὶ ἀνάκλιντος *reclinatum*, quæ erat ſuperior a ſponda lecti fulcrorum pars repanda & reclinata: quales hodie videmus complures ſeniorum ſellas pulvinis ſericis munitas: in quibus poſt cibum ſedentes reclinata ad libitum cervice, diurnam captant quietem. Hanc mihi interpretationem aperuit uſus, & Spartiani auctoritas in *Ælio Commodo*, quam appellat *Accubationem*, ipſiuſque artem uſus, ac vocem reddit clariſſimam: *Lectum*, inquit, *eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat* (ante ſcilicet & retro, & utrinque ad ſpondas) *minuto reticulo undique incluſum, eumque* (ceu gratioſum capiti pulvinum) *foliis roſæ, quibus demptum eſſet album replebat, jacenſque cum concubinis, velamine de liliis facto, ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis precioſiſſimis. Jamque illa frequentantur a multis, quod & accubationes ac menſas de roſis ac liliis fecerit, & quidem purgatis.* Hæc ille: quid in illo ritu accumbendi delicioſius? Gratam ejuſmodi pauſam a cibo, leni verſiculo expreſſit Horatius lib. II. *Sermon.* ſatyr. IV.

Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.

Et quemadmodum Corn. Tacitus de Nerone, reclivem manere dixit, cum diſſimulantem ſcilicet in ipſa menſa datum Britannico venenum: *Ille* (inquit Tacitus lib. XIII. *Annal.* c. XVI.) *ut erat reclivis, & neſcio ſimilis*, (in ipſo videlicet accubitorio) imputans illum morbo comitiali eſſe obnoxium.

Cap. X.

Accubitoria, & ſtragula Lectorum. Culcitra quid. Torus unde dictus. Antiquis e ſtramentis erat, & pellibus hœdinis. Stragulum, & ſtragula veſtis. Stibadium quid. Torus pro toto lecto. Toral, & Toralia. Pictæ veſtes quæ. Tomentum Circenſe. Stragula Stramonia, & Typha quæ. Tapetia Alexandrina. Lectiſternia delicioſiſſima.

Porro jam de Accubitoriis, quæ in lectulo ſupponebantur accumbenti, plura leguntur genera, ſicut & ipſæ voces declarant, Torus, Stibadion, Stragulum, Lectiſternium, Culcitra. Sim-

A plex ac primus accubitus videtur fuiſſe in herbis, quas natura ac locus ſuggereret. Exemplo ex antiquioribus apud Xenophontem in *Cyro* l. VI. *Græci, inita pace, hoſpitaliter Paphlagones acceperunt, ac ſatis opulente ſunt convivati, lectis fronde ſtratis, ac poculis in potando corneis*: qualia ſcilicet in ea regione invenere,

—— *viridante toro conſederat herbæ.*

Virgilius *Æneid.* V. & Apulejus in X. *Pſyche in ipſo toro graminis ſuave recubans*. Poſtea e tortis herbis cœpit fieri: unde Torus videtur dictus, Varrone teſte *de Ling. Lat.* quod initio tortis fiebat herbis. B Et Plin. *lib.* VIII. *c.* LVIII. Antiquis enim torus e ſtramentis erat, deinde ex ſubſtratis pellibus ante Homeri ætatem, ut in III. *Odyſſ.* Pellibus, ex Cicerone *pro Muræna*: *Q. Tuberonem requiſitum a Q. Fabio Max. ut in epulo Africani nomine Triclinium ſterneret*, (in publicum Seneca) *Lectulos Punicanis pellibus hœdinis ſtravit: quæ res eundem prætura, quam petebat, dejecit*. Meminit Valerius Max. *lib.* IV. *c.* III. Catonum pro ſtragulo ſemper hœdinis pellibus uſum fuiſſe. Et Lampridius de Heliogabalo: *Nec cubuit in accubitis facile, niſi quæ pilum leporinum haberent*: quare C poſterius ad luxurioſa ſtragula deventum eſt. Stragulum & ſtragula veſtis Cicerone, & idem fere Græcis στιβάδιον, nam ut ſtragulum dictum eſt, Varrone teſte, quoniam herbis tortis, ſic & ſtramentis fultos lectos parari conſueverat. Στιβάδιον, ut Gaza interpres eſt, a στοίβῃ dictum herba ſurculoſa, ſicut & fœnum, & palea, & ulva ad hunc uſum recepta; ut de lecto pauperis Philemonis modulator Ovidius, lib. VIII. *Metam.*

—— *in medio* (ſcil. domunculæ) *torus eſt de mollibus ulvis.*

D Quæ & ipſa promiſcua vox eſt, de paluſtribus id genus herbis, ut Virgil. lib. II. *Æneid.*

Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulva
Delitui.

Tori vero nomine totum lecti apparatum ſignificare viſus eſt idem *ibid.*

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Quare dignis plerumque epithetis ornatur, Torus ſacer, jugalis, cultus, mollis, genialis, ut idem Virgilius lib. VI. *Æneid.*

—— *lucent genialibus altis*
Aurea fulcra toris.

E A toris Toralia dicta ſunt, quæ lectorum ſupellectilis. Et Toral, tam de vili, quam de delicioſo, ut Horatius *lib.* I. *epiſt.* V.

—— *ne turpe Toral, ne ſordida mappa*
Corruget nares.

Et lib. II. *Sermon.* ſat. IV.

Et Tyrias dare circum illota Toralia veſtes.

Ubi veſtes ponit pro omni ſupellectili. Sicut Cicero ſæpe *in Verrem* IV. *Per triennium iſti Lamia nobilis mulier plena domo telarum ſtragulam veſtem* F *confecit, nihil niſi conchylio tinctum*: quem imitatus Virgilius lib. I. *Æneid.*

Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo.

Et item:

Convenere toris juſſi diſcumbere pictis.

ubi pictis pro elaboratis. Ut idem Tullius Cicero in V. *Tuſculanarum q.* IX. *Dionyſius juſſit hominem in aureo lecto ſtrato, pulcherrime textili ſtragulo, magnificis operibus picto collocari*. Culcitram quoque in ſtraguli uſum veniſſe legimus apud Varronem eodem *lib.* IV. quod fœno, aut palea, ſive ex pluma fuerit conculcatum, & tomento, hoc eſt, tonſa lana, quo culcitræ farciuntur. Idem Cicero III. *Tuſc. Collocemus hunc in culcitra plumea, pſaltriam adducamus, cedrum incendamus, demus ſcutellam dulciculæ potionis, aliquid provideamus & cibi*. Circenſe autem tomentum, ex arundinum mappis, quo ſtragula in ludis Cicenſibus ſternerentur: quo uſu Stramonia dicta videtur exotica voce Typha Dioſc. *lib.* III. *c.* CXVI. inter ulvas naſcens; cujus pappos tomenti vice in ſtragulis plebecula recipit. Στρῶμα Græcis, & ſtragulum dicebatur, quicquid ſubſternitur: quod & περιστρῶμα, (ut Athenæus ait) voce compoſita dixere, quaſi *ſubſtratum* & *ſubſterniculum*, quæ & a Latinis recepta eſt. Græca ſunt (idem Varro inquit) Periſtromata, & Peripetaſmata, tapeti æmula, & textili opere: quæ Martialis picta, hoc eſt, elaborata acu Babylonica cognominavit, & Semiramia *lib.* VIII. *epigr.* XXVIII.

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

Et Tapetia Alexandrina acu picta & conſuta meminit Plautus in *Pſeudolo*, Act. I. Sc. II.

Ut ne periſtromata quidem æque picta ſunt
Campanica.

Quæ & lectiſternia videtur dixiſſe Livius in ſacris Capitolinis, *lib.* V. Antiquiſſimum vero in Babyloniorum luxu fuiſſe, notatur in libro *Heſter*, de ſumptuoſiſſimo Aſſueri convivio: in quo lectuli aurei atque argentei, qui ornamentis carbaſinis & hyacinthinis, purpura & byſſo ſplendidiſſimi fuiſſent, qui mos & ad Libycos tranſiit reges, ut in Didonis convivio cecinit Virgilius, in quo omnia eſſent,

—— *regali ſplendida luxu, oſtroque ſuperbo.*

CAP. XI.

De Pulvinis, & Cervicalibus. Pulvini unde dicti. Eorum uſus. Pulvinar, & Pulvinaria. Cervicalia; pro iis folles ſternebat Heliogabalus.

MONSTRANT ea marmora ſuper delicioſos ejuſmodi ſtragulis pulvinos poſitos tricliniares, Varrone in IV. *de Ling. Lat.* ornatiſſimos, quibus accumbentes cubito innixerentur, iiſque ſericis, auro, ac mira arte contextis, vel acu appictis. *Pulvini*, inquit, *dicti a plumis*: ut Martialis *lib.* III. *epigr.* LXXXII.

Effultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

Προσκεφάλαια ſub capite ponenda, hoc videtur dixiſſe Athenæus, ex Eubulo. Pulvillis modicis ac copioſis uſos fuiſſe notatur ex Apulejo *lib.* III. queis, inquit, maxillas ac cervices delicatæ mulieres ſuffulcire conſueverint. Legimus & Pulvinar, & Pulvinaria, quaſi plumarium, (ut idem Varro) quod plumis eſſet infarctum: & Ovidius *de Ponto*:

Incolumis conjunx ſua pulvinaria ſervat.

Dicebantur & Pulvinaria in ſacris Capitolinis, dum ſupplicationes pararentur, ut Liv. *lib.* V. *Curatum Lectiſternium, per triduum habitum, & pulvinaria in conſpectu fuere, primum Jovi & Junoni; alterum*

Neptuno & Minervæ; tertium Marti & Veneri. Cervicalia ponit quoque Martialis in *Apophoretis*, sive lib. XIV. epigr. CXLVI.

Tinge caput nardi folio, cervical olebit:
Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet.

Scurrile genus, ut reliqua, narrat Lampridius de Heliogabalo: *Multis vilioribus amicis folles pro accubitu sternebat, eosque reflabat, ita ut sub mensis plerumque reperirentur prandentes.* Inter innumera deliciarum exempla, non omittendum, quod Athenæus narrat *lib.* IV. Lectos quosdam permagnos tanta varietate ac impensa elaboratos ac ornatos, ut vocati quidam ex hospitibus ad cœnam cunctarentur in tam nobili supellectili accumbere, vel preciosis adeo pulvinaribus cubito inniti.

CAP. XII.

Cœnatoriæ vestes variæ. Balnearis vestis diversa a Cœnatoria. Cœnatoriæ candidæ, & lineæ: Muliebres. Pallium, Toga quid: hinc Togati, & Palliati. Lana, & Penula, quænam indumenta.

ERANT & propriæ vestes Cœnatoriæ, (δειπνητικὰ ἐνδύματα vocant Græci) quas videntur ad hunc ritum, sicut lectulos & mensas sine numero ac pares, eisdemque ornamentis paratas habuisse: Ciceronis auctoritate *in Verrem* act. IV. *Jam quæro, unde tantam Melitensem vestem habueris, unde quinquaginta tricliniorum lectos?* quare vestem legimus convivalem, & cœnatoriam, & nuptialem in *Evangel.* & hanc diversam a balneari veste. Notabile est, quod scribit Lampridius de Alexandro: *Thermis suis, & Veterum frequenter cum populo usus est, & æstate maxime; balneari veste cœnatoria indutum, ut erat, in jus venisse.* Ex quibus intelligitur ejusmodi vestes non vulgares, sed deliciosas fuisse, quibus princeps palam, & in forum orator ambularet: diversas tamen a communi vestitu indicat Martialis, qui eam circumscribit in *Apophoretis*, sive lib. XIV. epigr. CXXXV.

Nec fora sint nobis, nec sint vadimonia nota.
Hic opus est pictis (cum veste inquam cœnatoria) *accubuisse toris.*

Communiter candidæ videntur fuisse, & lineæ: quare albatos legimus ad convivium accedere solitos, quin etiam in feralibus cœnis (ut diximus supra) funestas deponebant, & albas induebant, testimonio Ciceronis *in Vatinium*: *Cedo, quis unquam cœnavit atratus? ut in epulo Q. Arrii familiaris mei cum toga pulla accumberes?* Et Horatius lib. II. *Sermonum*, sat. II.

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebrat.

Cum toga pulla, id est, fusco colore, sicut & albatam legimus togam, tunicam, creta adhibita, ut esset candidior, & ut atratam, funestam, sic penulam, & sordidatam servilem. Servi sordidati Cicero *in Pisonem*, apud Lipsium antiquarum lectionum observantissimum: calceos mulleos, cereos, albos, herbaceos. Erant & muliebres cœnatoriæ diversæ, ut apud Jureconsultum: Senatorem quemdam muliebribus cœnatoriis uti solitum. Convivali veste, Seneca, & toga picta, qualis dicta est Babylonica acu elaborata: de qua Macrobius *lib.* IV. *c.* III. *Metellum cum toga picta plerumque amictum accubare solitum.* Quarum deliciarum originem jam diximus, ex Livio *lib.* XXIX. ab exercitu Asiatico primum invectam in urbem,

A qui lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia Romam advexerint. Utebantur & pallio: Pallium dictum, & quasi palam, quod superindutum aliis vestibus intelligitur, proprie Græcorum, ut Romanorum toga, quanquam & aliqua notatur differentia. Suetonius in *Augusto*, Togas & Pallia distribuit. Legitur vero in accubitis apud Plautum, Ovidium, & Martialem. Plane vero apud Spartianum in *Hadriano*: *Ad convivium venientes Senatores stans excepit, semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa.* Hinc Togati, & Palliati: Suetonius in *Jul. Cæsare*, c. XLVIII. B *Convivabatur assidue, per provincias duobus tricliniis: uno, quo Sagati, & Palliati, altero, quo Togati cum illustrioribus provinciarum discumberent.* Læna similiter, & Penula, quædam erant superindumenta: Læna, quasi lanea, ac nobilior, describitur a Virgilio in IV. *Æneid.* de ornatu Æneæ:

—— *Tyrioque ardebat murice læna*
Demissa ex humero.

Hyacinthina Persio: pertusa Juvenali, quasi aperta manicis. Penula vilior, & villosa, scortea, id est, pellicea, ad arcendas pluvias. Martial. de Penula, in *Apophoretis*, sive lib. XIV. epigr. CXXX.

C *Ad subitas nunquam scortea desit aquas.*

Magnificavit hujus usum Caligula, qui gemmatas indueret penulas, Sueton. quarum nostro tempore communis usus est.

CAP. XIII.

De lavationibus ante mensam. Mos lavandi in balneis antiquissimus. Lotio pedum, & manuum. Post accubitum lavabant.

SUMPTA cœnatoria, an antea lavissent: ordo & modus erat, quem expressimus in Thermis, D ut ab hora octava (vigesima) in nonam exercerentur, & lavarent, ungerenturque, & accumberent ut paulo ante de Alexandro Severo meminimus, ac passim aliæ sunt auctoritates. Quem morem lavandi prius in balneo, ostendunt fuisse antiquissimum, ut Xenophon in suo *Convivio*, *exercitati, uncti, ac loti accubuimus.* Similiter Plutarchus in *Convivio septem Sapient.* *Pervenientibus*, inquit, *in cœnaculum, ibi Thales lavare recusavit, quod unctum se esse dixit, cæteri, ut quisque unctus, lotus, in conclave introducti.* Idem in *Dipnosophistis* Athenæi frequenter legitur, in E Plauto, multis locis, & apud Terentium. Cæterum, qui non fuissent in balneis, de more ante mensam lavabant manus, ut mox dicemus. Ex itinere lavabant etiam pedes; quod in Ulysse tanquam hospite expressit Homerus *Odyss.* VIII. ab Euryclia nutrice dum pedes lavaret per cicatricem recognitum, jam admodum anu. Et in *Evangelio*, *Domum tuam intravi, pedes non lavasti.* Communiter autem accumbentes lavabant manus, & ne lecti stragula inquinarent, deponebant prius soleas, vel soccos: Plautus in *Truculento* Act. II Sc. IV.

F *Jam rediit animus, deme soleas, cedo vinum.*

Et Terentius in *Heautontimor.* Act. I. Sc. I.

Accurrunt servi, soccos detrahunt,

adventum gratulantur. Plane vero hunc morem familiarem, & cœnæ ordinem expressit Martialis *lib.* III. *epigr.* L.

Deposui soleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarumque liber.
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur:
Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.

Et idem *lib.* XII. *epigr.* LXXXIV.

Dum negligentem ducit ad pedes vernam
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Post accubitum lavatur in Plauto in *Persa* Act. v. Sc. I. *Huc age, accumbe, date illi aquam manibus, apponite mensam*, id est, epulas. Ubi mensa apponitur ultimo, nec apparata exprimitur linteis, sed nuda communiter apponi solita videtur, tergenda (ut dicetur) gausape, vel spongia, appositis tamen comedenti repositoriis apparatis cum epulis, salino, & panibus: formam hanc multa ostendunt marmora, ut de repositoriis declarabitur postea. Eadem prima servitia expressit Virgilius in convivio Didonis, lib. I. *Æneid.*

Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsaque ferunt mantilia villis.

CAP. XIV.

De linteis, & utensilibus ad mensam. Mantile unde dictum; late usurpatum. Mappæ. Gutturnium. Lebetes. Post cœnam lavatio.

MANTILE dictum, & Mantelium, Varrone teste lib. IV. *de Ling. Latina*, quasi *manuterium*, quo lotæ manus tergerentur. Aureis mantilibus scribit Spartianus Gallienum Imp. sternere mensam solitum fuisse. Lata, ut videtur, significatione, sicut eo loco Virg. mantilia posuit pro linteaminibus mensarum: quare, & tonsa dixit mantilia, & sine villis, nam & mappas habebant villosas tergendis proprie sordidis manibus, & etiam mensis, vel purpureo gausape. Horat. *l.* I. *epist.* V.

—— ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares.

Erat lavandis manibus Gutturnium, vas quod guttatim funderet aquam, Festus: super lebetem amplam ac patulam pelvim, quibus & hodie utimur, argenteis, vel aureis, vel nobilibus ad hunc usum fictilibus, a Majorica, Faventinis, Urbinatibus. Mappas legimus plerumque suas quemque afferre solitum ad convivium, quemadmodum & lintea, quibus tergerent manus. Martial. *l.* XII. *epig.* XXIX.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile e mensa surripit Hermogenes.

Partem vero secum attulisse videntur ad cœnam, ex Xenophonte elicitur in *Convivio*: *Samnio se paratum esse, & instructum omnibus, quibus cœnam sibi in domo aliena compararet: puerum autem admodum premi, quod nihil afferret, & impransus esset.* Quod equidem non existimo perpetuum. Immo Heliogabalus, Lampridio teste, quot mutabat mensas, tot reponebat mantilia, & exhibuit aliquando tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, & per singula lavaret manus, quasi comedisset, & tantundem biberet. Ex quo elicitur, quod & finita cœna identidem lavarent: quem morem & Athenæus confirmat *lib.* X. Hæc nos de cœnis antiquis, & de communi mensarum ac lectulorum apparatu habuimus: nec pauca restant ad tantum munus requisita, quæ jam hic facta animi pausa in accubitu, & inter ipsa ministeria venient recensenda.

ANDREÆ BACCII, ELPIDIANI MEDICI ATQUE PHILOSOPHI, CIVIS ROMANI, DE CONVIVIIS ANTIQUORUM, DEQUE SOLEMNI IN EIS VINORUM USU, ATQUE RITU COENARUM SUMPTUOSISSIMO,

LIBER II.

CAP. I.

De accubitu Antiquorum ad mensam, & de omni cœnarum eorum ordine. In cibis & potibus duo fines. Ritus accumbendi prima memoria.

POSTQUAM Triclinium descripsimus, mensarum in eo, ac lectulorum coram mensa dispositionem, & lectisternia, cum tanta requisitarum aliarum rerum magnificentia, totque deliciis; jam, ceu collocato solemniter homine Romano cum veste cœnatoria, & suo cuique lectulo ad mensam, consequens videtur ut ad personas ipsas convertamus sermonem. Quomodo e lectulis accumberent, ordinem servarent in mensa convivandi, ac vescendi, vel potandi, quæ essent ministrantium servitia, quæ inter hæc oblectamenta caperent, sono, & cantu, & compotandi invicem, ac vina coronandi, libandique, cum exquisita superstitione. Satis ergo constare arbitror ex tot jam propositis scriptorum monumentis, quod Veteres e lectulis jacentes, ac cubito innitentes accumberent. Quo instituto, aut fine? Videntur hi quidem in cibis, aut potibus sumendis duos præcipue habuisse fines: primum naturæ ac vitæ ad sustentationem: quo nomine non est negandum, quin pro arbitrio quisque, &

& pro occasione, vel ex itinere, ac militiæ simpliciter & vel sedentes, vel etiam ambulantes, comederent, & quod humiles præsertim personæ sedibus & scamnis accumbere contenti essent. Alterum vero finem fuisse videtur pro dignitate personarum, & ad delicias, qui tunc recte putarent vitæ conservandæ consulere, si quam commodissime, & cum omni corporis atque animi jucunditate, & quiete, mensis accumberent. Quem ritum observamus, (quanquam nullum certum habuerit institutum) eo majorem accepisse firmitatem & gratiam, quod communissimum habuerit consensum, apud omnes antiquas nationes, ut quemadmodum hac nostra ætate ubique, præsertim nos Cristicolæ, & summi principes, & vitam degentes civilem opipare arbitramur ad mensam sedentes epulari; omnino illi veteres, Asiatici, Græci, & Latini hanc susceperunt communem consuetudinem, hancque putaverunt vitæ ac suarum deliciarum prærogativam, ut commodissime e lectulis, sumptuose ornatis, vel pro conditione stratis accumberent. Circa quam partem adstruendam, rursus illa duo habebimus demonstrationum genera, primum ex auctoritatibus antiquorum, alterum vero ex variorum marmorum sepulchralium, antiquorumque præsertim in urbe Roma inspectione, quæ ad illum accumbendi communem ritum, eorumdemque scriptorum fidem, non mediocrem conferre poterunt lucem.

Primæ inquam memoriæ, usque a Trojanorum temporibus Homerus, in multis conviviis, præcipuas quas proposuimus inquirendas partes, & ipsum accumbendi modum diligenter recensuit usque ad minimas notas. Post Asiaticorum vero, & Assyriorum memoriam, qui antiquiores fuerunt deliciarum cultores, & postea Græcorum, & Macedonum in illa Alexandri Magni gloria, concordes similiter habentur historiæ, quod hunc morem Romani ab his antiquioribus nationibus susceperint: qua de re licebit nobis ad hoc propositum Livii auctoritatem repetere, qui *libro* XXXIX. *cap.* VI brevi sensu originem primam, ac cæteras illas comprehendit delicias, his verbis: *Luxuriæ enim peregrina origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est, ii primum lectos æratos, vestem* (cœnatoriam) *stragula pretiosa, plagulas, & alia textilia, & quæ tunc magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt: tum Psaltriæ Sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis*. Quam ex Asia luxuriam cæteri auctores confirmant, ut succincte Plinius *libro* XXXIII. *cap.* XI. *Mensas*, inquit, *tabernis æquatas* (præ magnitudine videlicet, & copia obsoniorum) *argentea vasa etiam coquinaria, repositoria inventa ad ea conservanda, & obsonia. Lectos operiri argento, lances argenteas centum librarum, & triclinia nonnulla argentea*.

Cap. II.

An Antiqui sederent ad mensam. Romani veteres sedisse ostenditur, variorum Auctorum testimonio.

Ex quibus plane compendiarium habemus indicem tractandarum rerum, ac primum de accumbendi modo loquemur. Naturæ quidem modus videtur cunctis animantibus communis, ut dormientibus decumbant corpora, sumpturis vero cibum, ut stantes vel sedentes comedamus. Quare quod Antiqui simpliciter sederent, inter multas auctoritates, satis quidem facit Servii interpretatio super illud Virgilii VII. *Æneid.*

Perpetuis soliti patres considere mensis.

Prtpetuis, inquit Servius, *mensis*, id est, *longis*, (more hodie apud nos communi) *ad ordinem exæquatis sedentium. Majores enim nostri sedentes epulabantur*. Idem habuit *in* V. *Æneid.* Romanos in atriis sedentes edere solitos fuisse: quam honestam consuetudinem vetustior aliquanto confirmavit Macrobius *Saturnal.* lib. III. cap. VII. *Inter leges de cœnis & sumptibus imperari cœpit, ut patentibus januis pransitaretur, & cœnaretur*: in quibus videlicet minus honeste jacuissent lectis. Comprobavit hunc morem & Isidorus Hispalensis libro *Etymol.* XX. cap. I. *Cœna dicta*, inquit, *a communione vescentium: κοινὸν quippe Græcis commune dicitur: apud Veteres enim solitum erat in propatulo vesci, ne singularitas luxuriam gigneret*. Et *libro* XIV. *cap.* XI. *Sedes dictæ, quoniam apud veteres Romanos non erat usus accumbendi. Unde & considere dictum est*. Qui & Varronem adducit in *Vita populi Romani*: Viros discumbere cœpisse, mulieres sedere, quia turpis visus est mulierum accubitus. Qua quidem perseverante ex decreto patrum moderatione, adhuc hodie in aliquarum ædium reliquiis atria ac porticus videmus intercolumniis aperta, in quibus palam ac parce cœnitarent. Et quid ergo dubitandum, quod illi Veteres, ad evitandum luxum & delicias, haud lectis in propatulo accubuissent, sed simplici mensa, ac privatis (ut nos quoque utimur) sedibus, ac scamnis in frugali mensa contenti essent? In exemplis modestissimæ vitæ Augusti elicitur ex Suetonio, Cajum & Lucium ex Agrippa nepotes, cum una Augustus cœnaret, in ima parte lecti solitos fuisse accumbere, quem locum audivi judiciosos interpretari: quod sic pueri Romani prisco more sedentes ad imum lecti accumberent. Idem plane affirmat Corn. Tacitus lib. *Annalium* XIII. de Nerone; *Mos*, inquit, *habebatur principum liberos cum cæteris ejusdem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria & parciore mensa*. Ad quam moderatam priscorum vitam adsentit Valerius Maximus de institut antiquorum *libro* II, *cap.* I. Apud antiquos Rom. fœminæ cum viris concumbentibus sedentes cœnitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam in Jovis epulo tribus lectis (Livio auctore *libro* V.) *Jupiter in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur, quod genus*, subdit, *severitatis nostra ætas diligentius in Capitolio servat, quam in suis domibus*. Apud Homerum in I & III. *Odyss.* & aliis locis, Minerva & heroes sedentes ponuntur, & in vita militari notavit Athenæus *lib.* I, de Alex. Magno quadringentos duces in sellis aureis & argenteis, veste purpurea stratis sedentes excepisse. Plutarchus Scipionem Æmilianum edixisse, ut milites sui stantes incoctum obsonium pranderent, & Vellejus Paterculus, Tiberium secutus in expeditionem Germanicam, scribit *libro* II. sedentem cœnare consuevisse, ad rem gerendam scilicet properantem.

Cap. III.

Quinam apud Veteres accubitu usi sint: an is incommodus fuerit. Luxuriosæ cœnæ duo Antiquorum fines.

Nihilominus ex altera parte, de lectulis, & accubitu coram mensa, plenæ sunt historiæ, & cum pleraque præter hæc vetusta in urbe marmora non aliam contineant formam; ex communi consensu concludunt antiquitatum periti nostra ætate; quod ex communi ritu Veteres in cœnis, & in conviviis præsertim magnis, omnino accumberent, non sederent. Nempe in quibus tabulis

unus configuratur, qui suo quisque substrato lectulo recumbens, ac subjecto in pulvinari sinistro cubito, apposita coram mensa tripode orbiculata, vel monopodio eleganter elaborato, adsistentibus servulis cœnaret: quomodo situm accumbendi notavit Horatius lib. I. *Carminum* ode XXVII. persuadens amicis inter pocula sobrietatem,

Et cubito, inquit, *manere presso*.

Cubito suffixo, Apulejus, ac pulvinis subter cubitum positis, ac ad libitum mutatis: & Martialis *lib.* III. epigr. LXXXII.

Effultus ostro, sericisque pulvinis.

In altero marmore simile spectaculum: in quo præterea ad genua recumbentis, extensis sub stragula veste cruribus, assideret seminuda mulier, quæ similiter eadem tripode cibum caperet. Nec equidem aliam edixerim formam: nisi quin, ut vetustæ illæ nationes a primis sæculis deliciosissimæ, Assyrii & Græci, & antea sub regibus adeo superstitiosis Ægyptii, summam deliciarum suarum posuerunt in accubitu sumptuosissimo, omnem vero alium ritum, & sedere ad mensam, reputaverunt servilem. Hinc facile mihi videtur, ut nobiles nationes alia ex alia in hanc progressæ fuerint consuetudinem; quæ, ut usuvenit in cunctis aliis rebus ac moribus hominum, vim acquisivit legis, unde omnes cum majori dignitate & quiete animi simul & corporis accumbere susceperint, & non nisi extemporariis mensis sedentes comederent. Immo quicquid pro nostri hujus sæculi mediocritate potuisset quis objicere, non adeo illum accumbendi situm videri idoneum, nec aliqua carere potuisse incommoditate accumbenti, nec non aliorum convivantium, & ministrantium: quemadmodum ex Plutarcho etiam in III. & V. *Sympos.* aliquod arguitur incommodum, ut, distinctis sic pro convivantium numero lectulis & mensis, grata ulla intercedere potuisset communicatio sermonum, aut aliud oblectamenti genus: & nos, inquam, dimissa quacumque controversa, omnem illius antiqui ritus rationem repetimus, & in hanc præcipuam atque unicam reponimus magistram illorum temporum atque rituum consuetudinem. Vel quam majorem quærimus vim consuetudinis ad hoc propositum (quanquam erroneæ) quam barbararum gentium, ac Turcarum, quæ humi obvolutæ, ac decussatis sub nates cruribus, comedant, ac bibant obstinate aquam, & omnem aliam vivendi consuetudinem aspernentur? Quam tamen vere fatebimur vim obtinuisse legis in magnis ac sumptuosis regum conviviis, in quibus, Philone Judæo scriptore per illa tempora prudentissimo, hos duos potissimum illi veteres principes sibi constituerunt fines, summas delicias, & gloriosam suarum divitiarum ostentationem: cum potius vera æstimatione totum id negotium, inquit, aliud non sit, quam stolidus luxus hominis abutentis fortunæ beneficio.

CAP. IV.

De Cœna Domini: quæ fuerit differitur. De convivio Assueri quædam. Parasceve cœna pura.

HUJUS equidem sapientis viri sententia sum valde commotus, ut de sanctissimo in Cœna Domini convivio, quod nonnulli hodie peritiores viri ad illum ritum triclinii antiquorum referre student; vel equidem periculum judicii subire ausim aliter sentiens, vel certe aliis videbor aperire viam, qui circa hunc locum, acriori consideratione dignum, suum melius exerceant ingenium. Non A enim alio modo abstrusarum rerum inclarescunt opiniones, nisi hinc inde discutiantur, donec aliquis ad scopum collimet veritatis. Nam quod hi opinentur, invaluisse tum temporis hunc morem apud Judæos, pro assiduo cum Romanis commercio, & ad illorum propterea ritum celebratam fuisse sanctissimam cœnam, parcant illi: hæc sane apud me interpretatio, si nullum concludat absurdum, videri tamen poterit, pro Christiana pietate, aliquam requirere moderationem. Nam dum proponitur in Evangelio *Lucæ* XXII. 1. 2. 3. cœnaculum grande stratum: quid ego concedam ulli interpretanti, tres in eo, si non tredecim, fuisse lectulos, quod luxu- B riosum erat, & Assyriorum, qui exosi erant Judæis, inventum; & non potius tria longa exæquata (ut ex Servio diximus) extitisse sedilia, in quibus quaterni a tribus mensæ lateribus, & Dominus a capite solus accumberent, unde in eodem catino attingerent omnes? Vel si ejusmodi singularem accubitum præaltum Domino concesseris, ne id prærogativum ullum habet locum in Domino, qui (*Matthæi* XX.) *non ministrari venit, sed ministrare*. Et quem, dum Paschæ mysterium esset celebraturus, non alium duxisse triumphum idem testatur, nisi in humilitate & mansuetudine, ex Propheta Esaja *c.* C XXI. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis*. Multo minus consentit, quod pro recenti cum Romanis commercio illum secuti fuerint ritum, qui Romano more accubuerint, quando in hoc communis constet consensus, ab Asiaticis primum (ut de Assueri sumptuosissimo convivio legitur in *Hester* cap. I.) hunc ritum dimanasse, tuncque celebrem in Hebræorum mensis fuisse, exemplo est Herodis convivium *Lucæ* XIII. in quo tyrannus ad psaltriæ votum jussit abscindi caput Joannis Baptistæ, ac in disco adlatum in crudele convivium. Et de Epulone *Lucæ* XVI. qui sumptuose quotidie epulabatur, ac D purpura & bysso induebatur. Quandoquidem, sive antiquum id dicamus, sive recens, & a Romanis institutum, nemo tamen concesserit, Discipulorum fuisse condecens humilitati. Quod porro objiciunt: utcumque in illa ultima cœna sive accumberent, sive humiliter assiderent: at rogatus Dominus a Pharisæo, ut manducaret cum illo, *Lucæ* VII. consentaneum rationi fit, ut & dominus eodem apparatu, quo Parisæus accumberet. In quo & de cæremoniis tunc consuetis mentio fit, lavandi pedes ante mensam, osculandi, ungendi faciem: ad quam cœnam mulier, quæ erat in civitate, peccatrix accesserit, quæ stans retro secus pedes Domini, lachrymis ri- E garet pedes ejus, ac capillis tergeret: hos ajunt actus non videtur mulier potuisse exercere assidenti, nisi subter mensam reclinata abstergeret illius pedes, quod indecore fecisset, sed stans, dicit Evangelista, hoc est, recta, & secus pedes retro, ubi scilicet elatos a toro pedes potuisset tergere, & ungere. Ad has, inquam, objectiones facile respondetur, quod Evangelista tacet id, quod non factum est, torum, lautum apparatum, dapiferos, structores, pincernas, atque obsequia: quæ & Pharisæus pro humilitate Domini dicitur omisisse, sicut & in toris accubitum: tantum dicit quod factum est. Utque mulier pro reverentia retro accedens, se postea reclinasse F videtur tergendis pedibus, potius quam illis coram mensa extensis, ut illa figurat interpretatio, quod in conspectu accumbentium minus decebat, at sedenti in capite mensæ Domino, ubi locus honoratior, ac debitum secus alios accumbentes solet esse spatium, unde mulier nec post lectum retro, nec extentos foras pedes, sed lachrymans honeste rigaret pedes & abstergeret. Cæterum & quo modo in parasceve, si Dominus in alto toro extitisset, Joannes ex imo subsellio illi accubuisset in sinu, ut

est cap. XIII. Nisi quia is in sinu, hoc est, infra Dominum statim sederet, ut communis ejus locutionis interpretatio est. Et qui audito traditoris scelere, pro zelo, quo tenebatur, dilectionis, in sinum ejus cadens recumberet. Cui & apparatus ipse in communi mensa respondet, cum in media inter omnes paropside cibum capientes, indicavit Dominus qui eum traderet, *Qui intingit mecum in catino, ipse est*. Vel quæram, si Dominus accumbens jaceret, & quo modo accipiens panem ac frangens dederit Discipulis suis, & similiter calicem, nisi quia circa communem omnes assedissent mensam. Et tandem quid magis detestabile putandum Christianæ pietati, ut quemadmodum rite tanti mysterii jubemur imitari solemnia, sic in throno accumbentes sanctissimam celebraremus cœnam? Pluris ergo apud me est fragmentum mensæ Dominicæ, quadrata forma, (quod ostenditur in parasceve, hoc est, cœna pura in Laterano) quam emendicata undecunque argumenta, ut quamcumque alii habeant opinionem, (quorum tamen veneror doctrinam) hanc nostram scio magis ad pietatem Christianam consentire. Ut contemplari videar Apostolos humiliter alterum secus alterum in communi mensa, & in conspectu æque Domini consedisse omnes: non autem lectis accumberent, quod Gentibus proprium, & nimis deliciosum, non vulgari exemplo ostendit Plutarchus auctoritate Catonis: quem testatur post rem in Pharsalia infeliciter gestam, nunquam accubantem, sed sedentem sumpsisse cibum, luctus causa. Quam modestiam potius secutos esse Christiana pietate Apostolos consentaneum sit, quam Asiaticas illas delicias.

Cap. V.

Honestas mensarum nostri temporis. Earum frugalitas in Romana Curia: Apparatus, & honesta ministeria. Grata intermedia cœnarum. Card. Ascanii Columnæ mensa exemplaris. Columnensium claritas. Prælatorum, ac Principum frugalitas. Caroli V. Imper. honestas; ut & Philippi ejus filii. Honestas in Cœna Domini. Cato quandonam ad mensam sederit.

SED cur non liceat nobis hoc loco, in comparatione deliciarum in cœnis illis antiquis, honestam mensarum nostri temporis consuetudinem, si non præferre, commemorare? Transeam cum Philone, jam tum illorum temporum censore moralissimo, vanam repetere in antiquis cœnis ostentationem divitiarum, & qui ad vitæ luxum abuterentur fortunæ bonis: quin justa potius taxatione, ex prænarratis jam exemplis, ac multis aliis, quæ narranda venient, plane constat, quod illius sæculi divites ac principes quorundam præsertim Romanorum, nullum reliquerint flagitii genus, (parcat bonorum integerrima majestas) ut animo & corpore cunctis suis cupiditatibus inservire studuerint, etiam homicidiis inter mensam patrandis, & omni vulgari improbitate. Pro hac vero nostri temporis mediocritate, cum honestissimas habeamus nostrorum principum mensas, in hac præcipue Romana Curia frugales videmus, & mediocri splendore laudabiles, atque eas quidem commodissimas. Mensas, inquam, ipsas, forma quadratas, aut oblongas, tapetibus Alexandrinis ab summo usque ad imum pavimentum pulchre stratas, mantilibus apparari mundissimis Canopinis: inqua pro hac honesta sobrietate princeps persona cum mensario abaco argenteo, vel etiam figlino opere nitidissimo, cultellis, fuscilla, cochleari singillatim appositis, candidissima cœnatoria mappa superinductus accumbat pectore. A lateribus autem utrinque commensalium, octo, vel decem, vel plures, cum suis pariter mappis atque orbibus, exæquatæ per ordinem sellæ similiter suffarctæ existant: quæ fulcris ac sponda ad cubitos utrinque subjectis, si non aureis, aut argenteis, coriaceis ornamentis coronatæ, in quibus convivantes ipsi commodissime confideant communi mensæ. Relinquo ad hæc honestissimorum ministrantium servitia, simul atque vasorum repositoria ornatissima, patinas longo ordine, hydrias, lances, cyathos, crateras similiter aureos, argenteosque inauratos, vel crystallina vasa opere limpidissima: structores circum mensam, dapiferos, pincernas, adolescentes nobiles: & ubi prius illi principes coronati pampino, vel rosa, unguentisque delibuti, & acroamatis utebantur deliciosissimis, canorisque cantilenis, ac næniis; hic non omissis aliquando honestis musicorum ac tibiarum oblectamentis jucundissimas audire est ad dimidiam saltem mensam lectiones, piorum plerumque scriptorum, nonnunquam historias, vel grata poemata. Familiares vero a secunda mensa peritorum disputationes, quibus delectatum Catonem & Ciceronem legimus, quando ut cibus, inquit, corpori suavis, sic gratæ ejusmodi conlocutiones, de rebus etiam seriis citra contentionem, suavi alere solent animos dignissimarum rerum cognitione. Quemadmodum (absit a candidis animis assentatio) in hoc summo ordine Cardinalium elegantem cuique spectare licet amplissimi Cardinalis Ascanii Columnæ quotidianam mensam, satis quidem lautam, florentemque studiosis ac prælatis, frugali ejusmodi vita honestissimis, quorum inter alios nomina & hunc poterunt adornare locum: Matthæus Colles Episcopus Marsicanus, Octavius Abiosus Episcopus Pistoriensis, Leonardus Vairus Episcopus Puteolanus, Jo. Baptista Stella utriusque Signaturæ Referendarius & Canonicus Lateranensis, Fr. Augustinus Plumbinus Vicarius Heremitanorum Generalis, Fr. P. Paulus de Valle Rom. concionator ab Ara cæli percelebris, Michael Lambertus Lucensis Protonotarius Apost. Laurentius Castellanus Rom. summæ eruditionis in historiis, Michael Angelus Gidettus Lunatus Rom. Philosophus, & V.I. Doct. Paulus Tufius Patritius Neapolit. Gabriel Bambogius apud ampliss. Cardinalem Odoardum Farnesium doctrina egregius, Pompejus Ugonius facundiss. Orator, Antonius a Ribero Medicus insignis, ac Theologiæ Professor: cum multis aliis exemplaris vitæ, ac Presbyteris Hispanis nobilissimis, quorum optimus Cardinalis, more suorum majorum, complures alit, vel proprio etiam fovet stipendio, promovetque ad honestas dignitates. Verum quis litterarum cultor, & nobilium Rom. & diversarum etiam nationum non ipsam Columnæ regiam Academiam frequentet, & qui non studeat se in clientelam tanti principis asserere? Qui non modo dignissimis & naturæ & fortunæ bonis illustris, ex inclyta Columnensium sobole progenitus, quæ jam a millesimis hinc annis in Italia, & in toto ferme terrarum orbe, omni dignitate personarum & domi & militiæ est splendidissima, & M. Antonii Columnæ genitoris sui ornamento, qui post illam Romanorum principum gloriam, immortalem triumphum, ob partam de Turcis victoriam omni sæculo memorabilem, promeritus est, & Prorex Siciliæ dignissimus. Verum etiam qui a primis usque incunabulis studiosus litterarum, & quasi natus ad religionem, divino cultui super ætatem incumbens, unde a Pio V. Pont. ad Ecclesiasticos Ordines initiatus, invalescentemque adolescentia liberalibus artibus excultus, & Philosophiæ, & Scholasticæ Theologiæ Doctor in Salamantica Academia acclamatus; in hanc tandem S. R. E. summam

dignitatem Cardinalium cooptatus, præcipuam hanc pro divino munere: ac macte virtute obtinuit gratiam, ut gratus omnibus, etiam sui amplissimi Ordinis Senatui, & nemini infensus; nemo in eo invenerit, quod damnet, sed singulares potius dotes, quas imitari debeat, & admirari, acri inter alias ingenio, ac felici eorum quæ legerit, aut didicerit, memoria. Neque id hoc loco parergon, quinimmo optimum velim haberi antiquæ noblitatis exemplum, unde vera æstimatione arguendum sit, hunc ritum honestæ vitæ, ac frugalem mensarum nostri temporis apparatum, ut convivantes sedeant, non altis illis luxuriose accumbant toris, esse percommodum. Ac eo magis præferendum Antiquorum luxui, quoniam ex historiis plane constet, quod principes Romani in illa suprema Imperii fortuna per ducentos fere annos plerique violento ac turpi interitu periclitati inveniantur: & e contra posteris sæculis susceptа ab illis religione, si minus imperium in tanta mole rerum progressum habuerit; sub felici tamen Catholicæ fidei vexillo jam in omnes terræ fines Christiano nomine propagatum sit, Philippo Rege Catholico potentiss. propemodum sperandum est, ut pro religionis securitate, ac moderatione vitæ ipsorum etiam principum, juxta divini elogii verbum, jam unum ovile, & unus monarcha Christiani Imperii futurus sit. Quando præsertim non Curiales modo, ac Prælati, sed maximi quoque ipsi principes, nostro tempore splendidissimi, ac ditissimi consentiant, videanturque, relictis illorum Veterum deliciis, ad hos honestissimos mores ac mediocres mensarum apparatus laudabiliter conformari. Vidit Roma (quæ res memoratu digna) CAROLUM V. Imper. Max. Anno M. D. XXXVI. PAULO III. Pontif. Urbem non superbe intrantem, nec triumphantem, nisi fide, & Christiana majestate, non admodum laute accumbentem, sed cum brevi pallio curiali, ac sago laneo ad genu usque, tribus, aut quatuor ex his, quæ apponebantur, cibariis contentum, & stantem, non sedentem epulari, quasi indicaret princeps Max. non decere Imperatorem opipare sedentem accumbere, nec otiari, sed ad rem gerendam ceu properantem debere esse. Taceo nunc Philippi filii Regis Catholici potentissimi vitam cunctis principibus exemplarem, eamque & pro sanctissimæ religionis candore, & pro exacta tam vivendi cultu, quam cunctis aliis in rebus moderatione ac prudentia omni futuro sæculo imitandam: & quam servat sub eadem almæ Curiæ educatione Illustriss. Card. Ascanius Columna mediocritatem, & qualem dixi mensam satis quidem lautam, ac ministris ornatam ingenuis, nobilibusque obsequii causa assistentibus, dignissimisque Prælatis, ac litteratis simul viris assidentibus, quos inter, tanquam in Academico, ac Christiano Symposio, leni aliqua interposita disputatione, sæpe utilissimarum rerum, quæ ad vitam spectent, ad religionemque, vel ad bonos mores, discussio fit, interposito Cardinalis tanquam majoris arbitrarii decreto, cum laudabili eruditione. Ex quibus omnibus concludendum videtur, quod in illa sanctiss. cœna Domini, omni remota sæculari lauritia, tenui apparatu, ac frugali mensa convivati essent: exemplumque videntur dedisse nobis, ut sedere ad mensam laudabilem hunc susceperimus morem, tam convivanti principi, quam commensalibus suis valde commodum. Ut sponte jam his posteris sæculis omnes in tota fere Europa reclament, nesciamusque decussatis ita in lectulo cruribus, nec nudatis accumbere pedibus, quos vel etiam nominare ad mensam turpe est, nec impeditis presso cubito manibus velimus capere cibum. Quem non dubie modum Gentilibus fuisse proprium, & nimis luxuriosum, satis constat ex præcitato Catonis exemplo: quem testatur Plutarchus, post rem in Pharsalia infeliciter gestam, nunquam accubantem, sed sedentem sumpsisse cibum, luctus caussa.

CAP. VI.

Accumbentium ordo. Thaletis consilium. Symposiarchus quis: Strategus: Magister. Magisteria quæ. Arbiter. In sinu, & complexu recumbere quid sit, docetur. Umbra in convivio quid.

HUNC ergo, quem diximus, in sinu accumbendi, vel sedendi modum supra & infra, frequenter apud auctores legimus, nec unam invenimus significationem. Antiquum consilium refert Plutarchus in *Convivio septem Sapientum*: cum orta esset a quodam contentio de loco infimo in convivio, *Immo bene*, inquit Thales, *abs te factum est, qui rationem hujus quoque loci cohonestandi repereris: quod non locus, sed persona ipsi loco adferat claritatem, obscuritatemque*. Supponendum ergo inprimis est de recti convivii forma, præfuisse convivio principem personam, quam Plutarchus συμποσίαρχον, & item Jul. Pollux vocant, ϰ συμποσίου βασιλέα, hoc est, *Regem*, & *magistrum convivii*, *convivatorem* Horatius, & proprie Homerus δαιτυμόνα, ϰ ἑστιάμενον, *Odyss.* IV. Idem & strategus legitur, dux & princeps convivii. Plautus in *Sticho* Act. IV. Sc. V.

Strategum te hodie facio huic convivio.

Magister apud Martialem *lib.* XII. *epigr.* XLVIII.

Convivas alios cœnarum quære magister.

Quo sensu M. Tullius in *Catone*: *Magisteria illa*, inquit, *me valde delectant, & is sermo, qui more majorum adhibetur in poculo*. Comiter vero in familiaribus conviviis, sorte, & talorum jactu inter amicos creabatur convivii magister, corona interdum capiti imposita: quod lusit Horatius cum ebriis Epicureis, lib. I. *Carmin.* ode III. post mortem suadens,

Nec regna vini sortiere talis.

Et *lib.* II. *ode* VII.

—— quem Venus (in ludo talorum) *arbitrum*
Dicet bibendi?

Arbiter, cujus scilicet arbitrio locus & gradus unicuique pro dignitate assignaretur. Ordo igitur, & quædam institutio erat, ut inter convivantes primus non in capite mensæ, sed medius locus esset honoratior. Ut Virgilius de Didone, lib. I. *Æneid.*

—— aulæis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

In quam sententiam concurrit Plutarchus in I. *Convivalium Quæst.* in regiis conviviis, & item Festus de publicis Romanorum epulis, deque Pontifical. cœnis. Quem ordinem & in privatis consularium personarum cœnis servatum legimus; ut in *Epistolis* scribit Cicero *ad Pætum* lib. IX. epist. XXVI. *Accubueram*, inquit, *hora nona* (vigesima prima scilicet nostri horologii) *apud Volumnium Eutrapelum, & quidam supra me Atticus*, (ipse medius) *infra Verrius, familiares tui*..... *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit*, mulier Eutrapelo dilecta. Item Plinius Junior in *Epist.* lib. IV. epist XXII. *Cœnabat Imp. Nerva cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat*, hoc est, pectori innitens Vejenti. Proprie vero in sinu, & in complexu notatur apud Apulejum *lib.* II. *Commodum cubueram, & ecce Fatis mea soluta in sinu tuberante, ac me pressim deosculato, &*

corollis revincto & flore prospexi. Et in complexu, eodem auctore *lib.* VI. *Accumbebat summum torum maritus, Psychem gremio suo complexus*. Consentit ad eundem ordinem item Virgilius: qui collocata Regina in medio, supra, hoc est, ad ejus dexteram accumberet Æneas, quod videtur indicasse primis statim verbis in II. *Æneid*,

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto,

Hoc est, a summo & primo loco, quasi post regium locum digniore: infra vero, tertio scilicet loco, Achates esset, & consequenter Trojana Juventus. Notabile est & Horatii carmen lib. II. *Sermon.* sat. ult. ubi is ordo indicatur, & post tertium quarto deinceps loco, & sequentibus aliis accubuisse plures umbras, id est, non etiam invitatos: visus est poeta quasi in minimis exercere suam Musam, inquit:

Summus ego, & prope me Viscus Turinus, & infra,
Si memini, Varius cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Mecœnas adduxerat umbras.

Similiter *lib.* I. *epist.* V. invitans Torquatum ad cœnam, & quos eum sequerentur amici, inquit:

—— *locus est & pluribus umbris*.

Quos & veteri proverbio σκιάς, *umbras*, dictos a Græcis meminit Plutarchus in VII. *Symposiorum*, & ex eo Athenæus.

CAP. VII.

De Ministris convivalibus. Obsonator: Dispensator; Archtriclinus. Famuli Atrienses. Mediastini: Tricliniares. Linteis succincti erant, Dapiferi: Prægustatores: Structores. Vernæ cultellis & manibus facete gesticulabant: Alii flabello ventum faciebant. Servitia luxuriosa.

MINISTRANTIUM vero longus erat ordo: alii exteriores, obsonator, dispensator, pistores, lanii, coqui, farctores, piscatores, & aucupes, de quibus postea dicendum. Alii tricliniares, & atrienses, & qui in obsequiis adsisterent. Seneca *ad Lucil.* epist. XLVII. *Adjice obsonatores, quibus Dominici Palati notitia est, qui sciant cujus illum rei sapor excitet*. Dispensator proprie inter atrienses videtur, qui (ut Suetonius in *Galba*) breviarium rationum teneret. Et apud Plin. *lib.* XXXIII. *c.* XI. de Drusillano Claudii dispensatore mentio fit. Regi ac Symposiarcho subministrator erat Archtriclinus Græca voce, qui juxta cœnæ judicem præscriberet modum, quo ordine, & quæ danda essent edulia, sicut & οἰνόπτης dicetur vinorum magister, & quæ essent propinanda. Sub his ministri ac famuli atrienses, ut Cicero *in Pisonem*, alii intus, ut in convivio Virgilii dicetur,

—— *quorum cura penum struere*.

Ex his mediastini dicebantur servi, quibus viliora ministeria per atrienses & structores imperabantur: quos peritissimus Budæus meminit *lib.* V. Ulpiano auctore lib. I. *Digest.* nauticos item, caupones, stabularios, & cum his coquinarios commemorat. Hos inter digniores videntur fuisse ministri tricliniares dicti, qui convivantibus præsto essent, & (ut recte meminit Fulv. Ursinus) vel supellectilem servarent convivalem, unde & Inscriptiones leguntur antiquæ, SERVI A SUPELLECTILI. Vel linteis succincti ac nitida gausape, qui circa ipsas mensas ministrarent; quos recensuit Seneca

A epist. VIII. *ad Lucilium*. Ministrorum ornatissimorum turba linteis succincta. Et Horat. *l.* III. *sat.* VI.

—— *succinctus cursitat hospes,*
Continuatque dapes.

Nec omittenda perelegans Apuleii auctoritas in gratiam suæ Fatidis *lib.* II. *Quæ linea*, inquit, *tunica mundule amicta, & russea fasciola præ nitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula, illud cibarium vasculum rotabat in circulum*. Ex his dapiferi, qui dapes inferrent; & prægustatores, ut in *Claudio* Suetonius, qui prægustarent dapes, & item pocula, Corn. Tacitus de Nerone. Structorum vero mira ars, qui leni dexteritate obsonia, carnes, ac pisces coram ipsis mensis inciderent, patulasque jactarent lances obsoniis plenas per mensas. Cujus artis magistros fuisse Romæ in Suburæ vico meminit idem bonus Seneca, ac eorum exquisite persequitur solertiam Juvenalis *Satyra* XI,

Cæditur, & tota sonat ulmea cœna Subura.

Utque saltantes ac ludicris modis dum inciderent, cultellis ac manibus gesticularent: idem *sat.* V.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia; nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Adstabant & alii vernæ, ac ornatissimi pueri, qui flabello ventum facerent, & muscas abigerent, pulchre pavoninis pennis ornato, ut in *Apophoretis* epigr. LXVII. Martialis:

Lambere quæ turpes prohibent tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

D Vel qui ventum facerent, ut Terentius in *Eunucho*, Act. III. Sc. V.

Heus tu Dore cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito, dum lavamus.

Quorum præterea insignium ministrorum non dubia fides in marmoribus est, quæ a Fulvio Ursino perpetuis monumentis relata habentur, TRAJANI Tricliniarcho, Mamæ Structori, Tib. Augusti Prægustatori, Ad argentum potorium servo, Liviæ Augustæ ab argento potorio, Sextius a potione, & item Trajani a Laguna, Servus a Corinthiis, ab auro Escario, Augusti Ministratori, Servus Pistor, Obsonator, & Dispensator Lamprid. ne dicam nunc alia. In quos mores ac luxuriosa servitia sapienter invectus est Philo Judæus in lib. *de vita contemplat.* qua in parte visus est Luculli suo tempore repræsentare sumptuosissimum in cœnis suis apparatum, dicens: *Præsto sunt scyphi, calices, phialæ, tericlea, toreumata clarorum artificum, ministrantibus formosis mancipiis, non tam ad præsens ministerium quæsitis, quam ad exhilarandos aspectu convivarum oculos. Ex iis minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti, ac nitidi, fucatique, ac cincinnatis capillis, vel omnino intonsis, alunt enim capillitium vel a fronte præsectis in orbem crinibus, tenuissimas candidasque præcincti tunicas. Sic ornati adsunt, nunc observando quid quisque postulet. Adsunt alii adolescentes prima lanugine ad gravioris momenti ministeria: mera in omnibus ostentatio magnæ opulentiæ, ut convivæ splendore stupefacti intelligant, a quanto viro, quamque magnifico sint ad mensam adhibiti convivio; cum tamen totum hoc negotium vera æstimatione aliud non sit, quam stolidus luxus hominis abutentis fortunæ beneficio*.

CAP. VIII.

Mensarum ordo, & usus, cum suis vasis. Earum situs. Mensa Escaria, seu Cibilla. Vinaria. Penarium. Quinam hæc subministrabant.

PER hæc tam varia ministeria, ac personarum in tanta serie rerum conventu ad convivarum commoditatem, manifestum arbitror, (quod ex multis auctoritatibus jam proposuimus) in tricliniis, & circa mensas, ac lectulos interfuisse debita spatia, unde adsistentes partim ad pedes convivarum, partim ad fulcra lateraque lectorum præsto essent, opportuneque ministrarent, inferrent dapes, mutarent mensas, reponerent, propinarent. Quapropter mensarum nomine, juxta positam a nobis distinctionem, præter materialem formam, ac locum, quem habebant in tricliniis, intelligebantur quandoque epulæ, discique, qui onusti epulis inferebantur ad convivas, auctore Servio in illo Virgilii carmine I. *Æneidos:*

—— mensæque remotæ.

nempe quia epulæ, ac disci, quibus inferebantur, remotæ intelliguntur: ob quam præcipue mutationem prima & secunda mensa dicebatur; prima epularum, & communium obsoniorum, altera pomorum, dulciariorum & bellariorum. Ad hæc, mensæ quoque nomine dicebatur apparatus in Penario: Mensæ primum escariæ, in qua scilicet escæ parabantur, quæ Varrone teste in IV. *de Ling. Lat.* & *Cibilla* dicta est, a cibis, sive escis parandis, quæ ad mensam convivalem deferrentur: deinde vinariæ, vinis miscendis, ac propinandis. Penario præerat Architriclinus tam escarum, quam vinorum, etiam in Evangelio *Joan.* III. cum ministris, qui in repositoriis ac discis pararent epulas a dapiferis inferendas, vinaque pariter in abacis ac cyathis a pincernis propinanda. Subministrabant mensæ escariæ tum coquus, & culina, tum obsonator, & dispensator; vinariæ autem cella vinaria, cum moderatore vinorum & aquarum, tam calidarum dissolvendis vinis pretiosis, quam frigidarum, quibus attemperarentur vina ad delicatum potum. Ex quibus immensa adhuc series sese offert nobis ministeriorum, atque vasorum, rerumque ad tanta munia requisitarum: & quibus præsertim esculentorum generibus uterentur cum tantis deliciis, & (quæ admiramur in historiis) quæ essent illa tam exquisita in vinis propinandis obsequia. Quæ tamen omnia, ut supponendum est, tunc temporis ipso usu fuisse notissima: immo & ex arbitrio quotidie variasse, ac majori ex parte sub involucris temporum exolevisse; ita non mirum, si a nobis posteris investiganda, ac decernenda, aliquam parere inter omnes videbuntur diversitatem. Verum nos persecuti ipsa scriptorum vestigia, penes ipsas voces, ac vasorum muniumque explicationem; nitemur saltem illorum rituum adumbrare proprietatem atque usum: primum de requisitis circa mensam escariam, & deinde ad mensam vinariam.

CAP. IX.

De Vasis, eorumque usu ad mensam Escariam. Repositorium quid. Mensaria tabula. Patina. Tripatinum. Patella. Sartago. Paropsis. Catinus. Discus; Athleticus qui. Lanx. Chrysendetæ, Argendetæ lances quæ. Gabatæ. Scutella. Orbes. Quadræ. Salinum. Cochlear. Lingula, vel Ligula unde dicta. Culter, & Cultellus. Furcilla, & Fuscilla. Furca, & Fuscina.

REPOSITORIUM, quod interpretati sunt quidam fuisse instrumentum, vel abacum quendam, in quo vasa mensarum pretiosa, aurea, vel argentea, murrhina, & crystallina reponerentur: quemadmodum sunt hodie armaria, ac *credentiæ* vulgo dictæ; haud quidem id consentaneum illi usui videtur. Sed vasis potius fuisse genus ornatissimi operis in mensa escaria, hoc usu notabile, quoniam disci specie planum, & amplum, onustumque dapibus imponeretur mensæ, mox tolleretur, ac rursus (unde illi nomen repositorii) novis adlatis reponeretur, quare pluries redibant, ac plura erant ad hunc usum repositoria, sicut & patinæ, & disci, non unum. Quem morem, formam, & usum notavit Plinius, qui etiam in minutiis rerum antiquarum voluit esse curiosus, *lib.* XXXIII. *cap.* XI. *Jam vero & mensas*, inquit, (hoc est, amplas epulas) *repositoriis imponimus, & ad sustinenda obsonia intervadimus latera.* Et paulo inferius explicat materiam, & modum. Lignea, rotunda, solida, nec multo majora, quam mensas fuisse, paulo ante quadrata, & compacta, aut acere operta, aut citro cœpisse, mox additum & argentum in angulos, lineasque per commissuras. Imponi vero, & reponi, & tolli a mensis, notatur apud eundem *lib.* XVIII. *cap.* XXXV. *In cibis ac mensis vasa, quibus esculentum additur, & repositoria.* Et *lib.* XXVIII. *c.* XXII. *Bibente conviva mensam* (escas) *vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur.* Repositorii quid simile est hodie mensaria tabula in mensis præsertim ægrotantium, quadrata, vel sexangula forma, eburneis quandoque, vel argenteis angulis, quibus imponimus, vel tollimus dapes. Ex quibus patet, quod in repositoriis imponebantur vasa proprie escaria cum ferculis, quæ varia erant magnitudine, patina, patella, discus, paropsis, scutella, catinus, lances, gabatæ, quadræ, orbes. Patina, ut vox sonat, valde patens, ac multis inferendis ferculis idonea: grandes patinæ Persius, fictiles Martialis: coquendis pulmentis Plinius: qui *lib.* XXXV. *cap.* XII. inter multas immensæ magnitudinis, unam ait Æsopi Tragœdi sestertiis sexcentis vænisse: exprobravit & Vitellii paludes (suo verbo utar præ vetustate) quum ducentis sestertiis condidit patinam dedicavitque ad mensam suam, cum rem sacram, ac clypeum vocavit Minervæ, tantæ magnitudinis, (vide hominis insaniam) ut ei faciendæ fornax in campis exædificata fuerit: addidit Suetonius, innumerisque plenam paravit esculentorum generibus. Adhuc vero majoris luxus tripatinum meminit Plinius *loco cit.* quod in summa lautitia cœnarum, Fenestella auctore, tripartitum erat variis cibariis, præsertim piscium. Patella hinc erat diminutivum, jurulentis præsertim piscibus coquendis, ut Juvenalis *sat.* V.

Ponitur exigua feralis mensa patella.

Quam & fictilem indicat idem Juvenalis *sat.* VI.

Et Vaticano fragileis de monte patellas.

Sartago ἀπὸ τῆς σαρκός, a frigendis carnibus. Plinius *lib.* XVI. *cap.* XI. *Terebinthinum in sartagine refervente.* Sunt præterea in escariis paropsis Græca voce, & catinus in Evangelio. Sueton. in *Galba*, cap. XII. *Ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate & diligentia porrexisse.* Et Juvenalis *sat.* III.

—— quam multa, magnaque paropside cœnat.

Eandem & catinum legimus, pro magno escario in communi mensa. Ut item in Evangelio *Matth.* XXVI. *Qui intingit mecum manum in paropside.* Idem *Marci* XIV. *in catino.* Horatius lib. I. *Sermonum* sat. VI.

—— *inde domum me*
Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum.

Discus epularis, vasculum latum, ut Jul. Pollux, portandis in mensam esculentis. Apulejus, *Cœnarum reliquiis discus ornatur*. De disco in *Abacuch* mentio fit; & in Herodis convivio, in quo caput Joannis Baptistæ ad mensam adlatum. Disci instar lapidis gravissimi in palæstris, quo athletæ summo nixu ac jactu se exercebant. Martialis in *Apophoretis*, epigr. CLXIV.

Splendida cum volitent Spartani pondera disci.

Idem, vel adsimile, lanx, πίναξ, rotunda forma, & minus concava quam patina: quam legimus variis onustam obsoniis, leni dexteritate a structoribus ac dapiferis jactari in mensas solitam, ut apud Homerum *Odyss.* I.

Δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀείρας
Παντοίων.

Structor lances variis carnibus appositas attollens.

Virgil. II. *Georg.*
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Plane vero magis ad earum usum volantes & transcurrentes lances dixit Martialis *libro* VII. *epigr.* XLVII.

Transcurrunt gabatæ, volantque lances.
Has vobis epulas habete lauti,
Nos offendimur ambulante cœna.

Gabatæ erant minores. Lanceas chrysendetas videtur postea dixisse Martialis *libro* VI. *epigr. ult.* quasi fucatas auro, ut illudens Calpetiano, ait:

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano.

Et hinc argendetas etiam dictas quidam volunt, argento ornatas. Immensas lances, patinæ (ut videtur) forma, fieri cœpisse meminit Plinius *libro* XXXIII. *cap.* XI. *Drusillanum Claudii dispensatorem quingenariam habuisse lancem argenteam, officina prius exædificata, & comites ejus octo quinquaginta librarum: quæso*, inquit, *ut quam multi eas conservi inferrent, aut quibus cœnantibus*, &c. Gabatæ similiter, Græcis γαβάθαι, vascula concava jurulentis aptissima, ut idem Martialis *lib.* XI. *epigr.* XXXIII.

Sic implent gabatas, paropsidesque.

Eadem & scutella, a circinata scuti modo rotunditate. Cicero in III. *Tuscul. Demus huic scutellam dulciculæ potionis*. Orbes, & quadræ, breves, & patulæ, non concavæ, incidendis proprie carnibus, & propterea plerumque ligneæ, vel pretiosæ, ut quas indicat Martialis *libro* II. *epigr.* XLIII.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

Ex citri scilicet ligno in Libya, & Atlantico monte, ex quo mensas proposuimus fieri pretiosissimas, ex Plinii historia. Similiter & quadræ, a figura: unde recte Virgilius in VII. *Æneid.* ex crustula panis factas comedere coactos Æneades post naufragium ponit:

—— *patulis nec parcere quadris.*

Salinum salis vasculum, plerumque in sacris, vel mensa humili legitur. Horatius lib. II. *Carm.* ode XVI.

—— *cui paternum*
Splendet in mensa tenui salinum.

Salinum ex argento, Plin. Figulis in Esquilina religiosum habitum, Festo. Cochlear & cochleare jurulentis eduliis proprium, expressum ostenditur & in marmoribus antiquis, a cochleæ forma dictum, & usum indicat Mart. in *Apophor.* epigr. CXXI.

A *Sum cochleis habilis, sed non minus utilis ovis:*
Nunquid scis potius cur cochleare vocer?

Ligula apud eundem, quod ad eundem usum linguæ exertæ specie fit; despumandis tamen vasis propria, ut Columella *libro* IX. *cap.* XV. *Dum musteus liquor effervescat, sæpius ligula est purgandus*. Alioqui ligula a ligando videtur dicta, coriacea, vel linea, & lanea, vinciendis calceis in communi usu. Cultellus a cultro diminutivum, auctore Servio, frequentissimus in cunctis cœnis. Juvenalis *sat.* XI.

—— *quin & ipsa manubria cultellorum*
Ossea.

B Idem *sat.* V. structorem fingit saltantem, ac manibus & cum cultelli sonitu gesticulantem incidere:

Saltantem spectes, & chironomonta volanti
Cultello.

Quod munus non sine fuscilla structor exercuisse videtur; ejus tamen (quod legerim) non invenio in conviviis antiquis mentionem, nec vocem, cum proprie diminutivum a furca sit, qua & Plinius & Varro usus est, quo fœnum & stramenta
C agitantur: & hinc fuscina, bifurcatum, vel tridens Neptuni telum, Cicero I. *De Nat. Deor.* & Virgilius in *Obscœnis*:

—— *Neptuni fuscina telum.*

CAP. X.

De magnificentia in cœnis regiis, & epulandi ordine. Lex Fannia de cœnarum sumptibus. Luculli cœnæ quæ.

IN tanto igitur apparatu triclinii, lectulorum, ac mensarum, tamque longa serie ministro-
D rum, ac vasorum generibus, jam de modo epulandi, deque ordine inferendi epulas dicendum est. Quocirca vel me tacente rationem habendam esse arbitror diversarum, quas proposuimus, cœnarum, & quod pro temporum, & locorum, & personarum varietate, alia ratio esset in regiis ac publicis conviviis, alia eorundem principum in domesticis cœnis, & alia in mensis privatarum personarum, domi, militiæ, ruris, & quæ penes leges servanda esse diximus instituta cœnarum. Apud Aul. Gellium *lib.* II. *cap.* XXXIV. legimus ex antiquioribus Senatus decretum, C. Fannio & M. Valerio Messala Coss.
E in quo juberentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus jurarent, non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque æris, præter olus, & far, & vinum, neque vino alienigeno, sed patrio usuros, neque argenti in convivio plus pondo quam libras centum illaturos. Sed postea in ludis plebeiis, & Saturnalibus, singulos dies centenos æris insumi concessit. Cæterum post has leges, & alias, quas idem auctor fuse prosequitur, luxu civium, ac opulentia principum invalescente, ad immensas etiam privati elapsi sunt impensas:
F ut legibus illis senio obliteratis, plerique (subdit Gellius) in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent. Quos propterea solutos mores boni plerique illius fæculi scriptores, Seneca præsertim, Macrobius, & Philo Judæus, acerrime insectantur. *Sic fit*, inquit Philo, *ut septem, vel plures mensæ inferantur, plenæ omnium, quæ terra, mare, amnes, aerque ferunt:* selectis suavissimis carnibus terrestrium, aquaticorum, & volucrum paratura simul & conditura va-

riantibus, cocis ac cupediariis curantibus, ut non solum gustui convivantium satisfacerent, verum etiam & oculos exhilararent munditiis: quibus accessit & Plinii censura *lib.* x. *cap.* I. ut in esculentis postea dicemus. Quid hic attinet sumptuosissima regum convivia commemorare, Assueri Assyriorum potentissimi, ut in *Hester* legitur, fastuosæ Aegyptiorum reginæ Cleopatræ, Syracusanas adeo decantatas in cœnis delicias? In quibus præter amplissimos illos apparatus, hunc legimus ordinem illis fuisse præcipuum, ut omnem excederent ordinem. Vel unum nobis inter omnes satis sit exemplum, de Luculli cœnis, viri (ut Plutarchus meminit) consularis ordinis, opulentissimi, liberalissimi, ac multarum virtutum genere laudatissimi. Qui tunc Asiæ ac Ponti triumphis onustus, novo semper, inquit, divitiarum splendore pararet convivia, non modo purpureis stratis, poculis auro gemmisque elaboratis, choris, scenicisque recitationibus admiranda, sed varietate quoque ac multitudine epularum, & ingentibus abundantissimisque bellariorum apparatibus. Inter quæ illud potissimum admirabile refert: ut, ultro se invitantibus Pompejo & Cicerone ad cœnam cum Lucullo, is ex tempore jussisset familiaribus suis, IN APOLLINE parandam: quod erat unum ex ejus cœnaculis maximi apparatus, in quo consueverat cœnam precii μυριάδας πέντε nummum, hoc est, scutatorum fere quinque mill. parari admiratum subdit Pompejum stupore magno tantam rerum varietatem, & celeritatem apparatus. In qua historia id superat nostræ mentis conjecturam, quibusnam preciosis epulis aut impensis, vel quot erogata fuerint pro tribus convivis millia nummum. Unde Pompejus, tantus vir, & ejus æmulus, stupore magno fuerit admiratus. Relictis ergo exemplis aliis, ac his suppositis magnificentissimis conviviis, quorum nobis admirari potius licet magnitudinem, quam ad aliquem ordinem, aut regulam recensuisse; ad aliquem explicandum ordinem communium cœnarum, præcipua illa sectabimur capita, epularum primæ & secundæ mensæ, & in bellariis genera, & quænam essent mensarum illarum mutationes, & quot varios haberent epularum missus.

CAP. XI.

Ministeria ad mensas, ac mutationes, seu varii epularum missus. Cœna initium, ac finis, varie a variis Auctoribus traduntur. Carnibus elixis an vescebantur Veteres: Eædem quando Romanis in usu. Missus quid.

AB ovis ad mala, quod legitur cœnæ initium, id in communibus cœnis frequenter occurrit: quam sententiam brevi versiculo comprehendit Horatius lib. I. *Serm.* satyra III.

—— ab ovo
Usque ad mala citaret, Io Bacche.

Hoc est, ab initio cœnæ, usque ad secundam mensam, quando saturi litare solebant Baccho, ut Virgil. in suo convivio, lib. I. *Æneid.*

Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Quem Horatii locum paulo post interpretatus Porphyrio, *Ovum*, inquit, *hodie initium cœnæ est, cum statim a balneo offeratur*: mala autem apud Veteres in secunda mensa offerebantur, qui cœnæ finis, quam communem Romæ consuetudinem referens postea Athenæus *l.* IV. δεῖπνε φροίμιον, *cœna proœmium*, appellavit. Qui tamen ordo non legitur perpetuus: quinimmo idem Athenæus, cum & in II. ova inter cœnæ principia posuerit, postea *lib.* XIV. ova item in II. mensa ministrari tradidit: immo alio loco a lactucis ponit initium, & quod frequenter ex Martiali jactatur, ut *lib.* XIII. *epigr.* XIV.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa cœnas?

Et *lib.* III. *epigr.* L.

—— adfertur ingens
Inter lactucas oxygarumque liber.

Varro item *de Re Rust.* lib. III. *Mel ad principia convivii, & ad secundam mensam ministratur.* Et quid dubium, in privatis præsertim cœnis, quin pro arbitrio vel occasioni & tempori inserviendum fuerit, & vel a mulso, vel a melle inchoandum? Servius ex primis Virgilii Interpretibus in illo I. *Aeneidos:*

Postquam epulis exempta fames, mensæque remotæ,

ex Varrone attestatur, quod Veteres carnibus non vescebantur elixis: immo in mensis heroicis apud Homerum, neque aves, neque pisces, neque poma, sed perpetuo assa & boum terga leguntur: postea tamen eodem teste, Romanis primum in usu fuisse assa, secundo elixa, tertio jurulenta. Convivabantur vero simul, vel certe dum justa præberent convivia, & carnibus, & piscibus: hinc mutationes fiebant mensarum, & quos dicebant missus, tam in prima, quam in secunda mensa. Primum misissent assa, secundo jurulenta, tertio pisces: & in secunda mensa bellaria, poma, persica, & alios fructus: & ultimo dulciaria. Quo vocabulo missus, mutatis scilicet ferculis, plane usus est Lampridius, quanquam posterior, in *Heliogabalo*: *Habuit etiam istam consuetudinem, ut cœnas sibi exhiberet tales: Una die non nisi de phasianis tantum ederet, omnesque missus sola phasianorum carne strueret. Item alia die de pullis, alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de oleribus, alia de pomis, alia de dulciariis, alia de opere lactario.* Idem scribit Capitolinus de parsimonia Pertinacis: *Nisi quod esset missum edulium, quotquot essent amici, novem libras carnis per tres missus ponebat. Exhibuit aliquando tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, & per singula lavarent manus*: non dubie intelligendum duos & viginti dedisse missus, ac totidem, quasi novas aggressus epulas, lavaret manus.

CAP. XII.

De Obsoniis Veterum. Panificia quid. Panis unde dictus. Fermentatus infermentato præstat. Varia genera recensentur. Puls. Fritilla. Paganites. Scribilita. Sesamides. Far, & Farina. Adoreum far. Pistores quando habuerint Romani.

JAM vero de obsoniis, ac epulis, quibus Veteres uterentur, & primum de pane, ac panificii generibus; pro communi temporum ac morum varietate, vix ausim genera commemorare: quorum videlicet non modo usus a posteriorum horum temporum consuetudine diversus est, sed & nomina quoque exotica legimus, Asiatica, Græca, Barbara, quorum tamen minus abstrusa, nec adeo incongrua ad nostros usus, restituemus in aliquam lucem. Sententia est Cornel. Celsi *libro* II. *cap.* VIII. Ex frumento panificia generis valentissimi sunt. Panis, ἄρτος Græcis, a pascendo, inquit Nonius, sive a πᾶν, *omne*, quod omnibus pulmentis adhiberi possit. Cognominatum vero a Cerere inventrice, Plin. *lib.* VII. *cap.* LVI. recte Virgilius

gilius primum in mensa apponendum canit lib. I. A *Æneid.*

Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt.

Scribit Plinius *lib.* XVIII. *cap.* IX. & seq. Inter frumentacea ac legumina nihil tritico fertilius: hoc enim illi tribuit natura, quoniam & maxime alat hominem. Palam est naturam acore fermentari, ac validiora esse corpora, quæ fermentato pane aluntur, *ἀρτόπυρος ζυμίτης* Græcis, & *ἄζυμος*, sine fermento, ex quibus notabile est fermentum acore fermentari; sic & coagulum, cum acorem conceperit, id est, caloris ingeniti fomitem, quo B fervescente fermentaretur lac ad caseum. Plura ejus genera: Testaceus, qui in testa coctus, *κλιβανίτης* Græcis, furnaceus, *ἀρτοπτίκιος*, sitanius, idemque trimestris, qui e tritico fit a tertio jam mense sato, ac recte a nostris *marzolinus*, sicut & caseus tum optimi nutrimenti. Summa laus, Galeno teste I. *de alim. facult.* siliginei panis est, e siligine factus, optimo tritici genere, cana & sine aristulis spica, quod propterea *calvisia* Piceni, ubi præcipuum provenit, appellant a calva spica. Erat inter cibarios panis secundarius, & item acerosus, quasi paleis admistus, & caniceus C a canicie furfurum, & furfuraceus operariis proprius: qui & *συγκομιστός* dictus videtur, eodem Galeno teste, quasi confusaneus ex tota farina cum furfure. Nauticus panis, qui & recte *biscoctus* dicitur, durioris substantiæ. Placenta tenui ac lata forma, quo facilius coqui possit: est enim *πλάκος* crusta, unde & crustaceus, & subcinericius, & focaceus, quod sub cineribus coqui soleat. Legitur & popanum, panis genus, seu lata placenta, quam Ægyptii Osiridi Deo offerebant; de quo Juvenalis *satyra* VI.

Scilicet, & tenui popano corruptus Osiris.

Tritico Italico nullum candore comparabile & D pondere, quo maxime discernitur, Plinius *libro* XVIII. *cap.* VII. Panem ex hordei farina Antiquis usitarum vita damnavit, idem *ibidem*. Ex milio prædulcis fit, qua maxime pulte Sarmatæ utuntur, & cum equino lacte. Inter alia genera, Plin. eodem *lib.* XVIII. *cap.* XI. in obsoniis luxuriosis ostrearii panes, quasi electissimi: alii in deliciis artolagani, ex panis scilicet massula, laganæ instar explanata, ac in sartagine frixa: de qua Cicero lib. IX. *Epistol. ad Pætum: Artolagani tui valde me delectarunt*. Genus edulii delectabilis (Athen. *lib.* III.) ex modico vino, pipere, lacte, & oleo, sive adipe. E *Puls*, *πόλτος*. Pulte, non pane, longo tempore vixisse Romanos Plin. *lib.* XVIII. *cap.* VIII. manifestum est, quoniam inde & pulmentaria dicuntur. Et hodie (subdit) sacra prisca & natalium pulte fritilla conficiuntur; quod nomen & pulmenti genus (ni fallor) transivit ad nostros, quæ & paganites dicta videtur Alexandrina, a patella in qua mollis puls triticea frigeretur, ac melle conspergeretur. Et eadem scriblita Martiali *lib.* III. *epigr* XVII. quam notat adhuc calentem circumferri mensis:

Circumlata diu mensis scriblita secundis,
Urebat nimio sæva calore manu.

F Sesami culmen (Plin. *lib.* XVIII. *cap.* VII.) in ferulaceum culmen fastigiatur, granaque in vasculis continet, ut papaverum; ex sesami granis farina pultem sesamidem legimus scribilitæ adsimilem, qua cum melle simul & oleo torrefactis orbiculos formabant. Farinam (eod. *lib. cap.* IX.) a farre dictam nomine ipso apparet: quod ex omni genere frumentaceorum durius. Pop. Rom. farre tantum e frumento trecentis annis usum tradit Varrius: hinc adoreum far videntur appellasse, alias ador ab edendo dictum, vel quod in sacris adurerent, in victoriis gloriosum, quoniam eo milites victores a populo donarentur. Idem Plin. *cap.* III. Gloriam ipsam de farris honore adoream appellant. Quatuor ejus genera Columellæ *lib.* II. *cap.* VI. Clusinum, vermiculum seu rutilum, candidum, & trimestre. *Pistor*, Ἀρτοποιός ϗ Ἀρτοκόπος, Varroni Pistrix, & Pinsitor, panibus conficiendis. In quo notabile est, Romanos ab Urbe condita usque ad quingentesimum annum non habuisse pistores: (Plin. *cap.* XI.) ipsi Quirites faciebant panes, mulierumque id erat opus. Nec cocos in servitiis habebant familiares, ut paulo postea dicemus.

CAP. XIII.

Bellaria, & Tragemata quæ apud Veteres. Confectionibus, ut vocant, & Aromatibus fere caruerunt; ut & Croco. Mellita Neronis quid. Maza, & Mazapanes. Pineolatæ quænam placentulæ. Ἴτριον, & Itriolæ uvæ. Mustaceus panis qualis. Buccea, Buccella, Buccellatum. Artopyritius, Encryphius, Escharites.

CUM panificiis, quæ narrata sunt in prima mensa, conjunctam habent materiam bellaria in secunda mensa, *τραγήματα* Græcis, & melle mellita quoque dicta, & dulcia, quorum vices obtinent hodie ex sacchoro variæ confectiones, quibus Antiqui carebant, suavissimæ: ex seminibus suavium rerum parari solitæ, melopeponum, coriandri, anisorum, fructuumque, amygdalis, pineolis, pistaciis, citreorum corticibus, & cinnamomi frustulis concinnatæ, musco etiam vel ambare modice irrorato, ad suaviorem cum sapore fragrantiam. Quibus condimentis potuerunt differre a nostri seculi mediocritate Antiquorum illæ deliciæ: apud quos perraro legitur usus aromatum, nisi piperis; cinnamomum erat dumtaxat in antidotis. Nuces muscatæ erant incognitæ, vel sub voce *μυρεψική* adumbratæ, & quas *χρυσοβαλάνους* interpretati sumus a nitore aureo corticum, apud Galenum, & Asclepiadem, ad stomachi & coli vitia, VII. & VIII. *de Med. sec. loc.* non caryophylli erant, non muscus, nec ambar: nec croci in his condimentis invenio usum, quem in Italia habemus electissimum, etiam in antidotis. Superabant illi omnino effusissimis impensis, quarum admirari licet qui essent apparatus: dum legimus apud Suetonium de Nerone, qui familiaribus suis in una cœna mellita dederit quadragies sestertium censu: in altera pluris aliquanto rosaria: unde conjectura fit esculentorum fuisse multo plura. Ex bellariis præcipue, & tragematis, morem legimus fuisse antiquissimum apud Xenophontem in *Cyropedia*, quos volebant clariores videri & honoratiores, ad eos tragematum ac ferculorum de mensa propria mittebant partes; quæ honesta munificentia adhuc in Italia & Romæ servatur, inter amicos, & affines, & domesticos vernas, interdum ex mensis suis missitare munuscula. Exolevit in totum maza, quæ (ut Suidas meminit) ex farina, oleo, & aqua, & lacte conficiebatur: hancque hodie æmulantur saltem nomine suaviores *mazapanes*, ex massula inquam amygdalarum cum zuccaro compacti, ac testacea patina in furno vel æneo clibano assati; vel, ut Hermolaus Barbarus scribit ad Cardinalem Senensem, Martii panes ab auctore, ut qui Senis fiunt laudatissimi. Novæ omnino cum his placentulæ ex pistaciis & zuccaro coactæ, & ex pineolis pineolatæ. Ἴτριον Græcis his similes placentulæ, quæ erant dulciaria ex

melle ac sesamo, unde itriolas uvas alibi interpretati sumus dulcissimas passulas. Similis videtur & mustaceus panis, dulciarium ex dulci musto, farina siliginis albissima subactum, & in testaceis coctum. Mustaceum nominat Cato *de Re Rustica*, caseo commistum, aniso, adipe, & ramentis lauri, quæ erant Latinis Xenia, affinibus & amicis in celebratione nuptiarum dari solitum: de quibus Juvenalis *sat.* VI. dum monet non ducendam uxorem perversis moribus:

—— ducendi nulla videtur
Causa: nec est quare cœnam & mustacea perdas.

Qui mos & Romanis nostris remansit, ex dulci musto ac farina albissima subactum dulciarium, quod muneris vice natalitiis diebus mittunt affinibus & amicis suis, unde ludicro ea vocabulo appellant *syricciosi*. Aliud vero genus *struffoli*, quos diebus carnivoris mittunt, tenues laganas laciniatas vel pilæ instar conglobatas, ac variis modulis conformatas, pinguique sagina in sartagine frixas, mundissimo in argentea patina conspersas melle ac sacchari polline condiunt. A mustaceo nomen traxit dulciarii tertium genus *mustaceoli*, melle item, & saccharo, & aromate cum farina compactum, & assatum furno. Quibus cum *bericocoli* in Hetruscis veniunt connumerandi eadem pasta, pipere, & melle, & saccharo delicatius, latæ instar placentæ extensum, ac in furno assum, hiemalibus duntaxat festis parari solitum. Ejusmodi compactum in magni panis formam *piperatum* vocant, additis cum aromate citreorum corticibus aliquando & caricis cum nucibus. Buccella ex D. Hieronymo *in Proverb.* cap. XVII. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio* Et Augustus ad Tiberium apud Suetonium in *Aug.* cap. LXXVI. *In balneo post horam primam noctis duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem*. Buccellatum ex his in censu erat biscocti panis, quasi frustulum & jentaculum, modica forma tessellatum, & durum, nauticum, vel militare apud Spartianum: tenui vero buccella, saccharo, & dulci aromate confectum, quod *moscardinum* vocant, musci odore gratum, & puerile bellarium. Artopyritius panis, quasi sub foco, & subcineritius, qui & encryphius, a cinere legitur: quæ ut Veteres Saturnalibus festis, nos natalitiis Domini damus. Escharites dicti videntur a craticula, in qua coquerentur: quos a tenuitate, & candore, putat Textor esse nostri temporis *nebulas*, bellaria ex albissima & azyma farina, mellis vel zuccari adjecta portione, in secundis mensis pergrata. Nec omittendum, quos vulgus appellat *maccaroni*, non inveniri in Antiquis, nec nomen, nec usum: forte barbarum: immo nec Subalpini, nec Germani, cum butyro abundent, eis utuntur. Sed posteris inventum, qui pastillos vel laciniatas laganas incoquunt aqua salecondita, ac calentes ministrant, caseo, butyro, & saccharo, & nonnunquam dulci aromate conspersos, esculentum apponunt Romani etiam mensis civilibus.

CAP. XIV.

Esculentorum ex carnibus varia genera recensentur. Cupediæ, Cupedinarii, Cupedinarium. Aves Scythicæ quæ. Laridum, Sumen, olim interdicta. Sagina. Structum. Botulus. Farcimen. Faliscum. Salcicia. Pulpa, & Pulpeta.

NON mirum ergo lapsu temporum, & in tanta communium rituum ac morum varietate, permulta exolevisse esculentorum genera, ac inaudita alia invaluisse nostris mensis: dum a primis illis sæculis & panificia, & vinorum, quæ ad communem vivendi usum adeo essent necessaria, incredibilem legimus factam fuisse mutationem. Causam vero tantæ corruptelæ notavit suo tempore Satyricus in VI.

Unde hæc monstra tamen, vel quo de fonte requiris?
Prima peregrinos obscœna pecunia more
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles.

Nempe cum sublapsa paulatim illa Imperii magnitudine, quæ ad omnem luxum conciliaverat hominum studia; cum hac postea sanctissimæ religionis moderatione, omnis vitæ ratio ad mediocritatem instituta est. Erant illis pro suavi luxu esculentorum communes voces cupediæ, & cupedinarii: & quas inter vitia damnat M. Tullius in IV. *Tusc. Quæst.* liguritio, temulentia, cupedia, & quos parasitus in *Eunucho* jactat sodales suos: Adcurrunt mi læti obviam cupedinarii, lanii, coqui, cetarii, fartores, piscatores, & aucupes, hoc est, popinæ, & cultores ganearum. Publicum in urbe erat cupedinarium, in quo delicatiora vænibant esculenta, ex carnibus præsertim, avibus, ac piscibus pretiosis, apparatuque exquisito concinnata, quemadmodum proposuimus. Jam multa eorum genera in prænarratis ministeriis mensarum meminimus: & illa præcipue ex Juven. *sat.* XI.

Sumine cum magno lepus, atque aper, atque pygargus,
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Getulus oryx, &c.

Pygargum interpretamur capreolum, damæ genus, Plin. *lib.* VIII. *cap.* LIII. Per Scythicas aves non propriam reor speciem, sed potius pretiosas, quæ ex remotissimis regionibus adveherentur. Sicut & Getulus oryx, ὄρτυξ, *coturnix*, apud nos copiosa tota æstate, sed ex Getulia ac e medio Aphricæ petita pinguior. Phœnicopterus a colore pennarum puniceo, & ingens: magna scilicet avis, hodie gallus Indiæ, conjicitur, quæ nuper ex India restituta, linguamque præcipue inter epulas habebant pretiosam: de qua Martial. *lib.* XIII. *epigr.* LXXI.

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra placet: quid si garrula lingua foret?

Hanc avem, ac monstruosa alia genera, meminit Suetonius in *Vitellio* cap. XIII. ubi de patina Vitellii, quam *Minervæ clypeum*, quasi in contumeliam virtutis, voluit appellari: *In hac*, inquit, *scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, a Carpathio usque fretoque Hispanico per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit*. Aulus Gellius *lib.* VII. *cap.* XVI. adducit Varronis Satyram, & Euripidis carmina de ciborum generibus luxuriosis, quorum vix ad nostra tempora pervenerunt nomina: *Pleraque*, ait, *quæ belluones isti terra & mari conquirunt, & genera, & nomina hæc ferme sunt: Pavus a Samo, Phrygia attagena, grues Melici, hædus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia, muræna Tartesia, aselli Pessinuntii, Ostrea Tarentina, pettunculus Chius, elops Rhodius, scari Cilices, nuces Thasiæ, palma Ægyptia, glans Iberica*. Quas paratas subdit Gellius cupedias detestatione dignas, non per usum necessarium, sed pro luxu animi ad irritandam gulæ satietatem. Ex quibus incognitis attagenas celebrat Martialis *lib.* XIII. *epigr.* LXI.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gestus attagenarum.

Quas, ni fallor, ex Plinii *Historia* l. x. c. xlviii. ficedularum genus interpretor, grandiusculas, & præcipuo inter cupedias sapore: *Phœnicopteri*, inquit, *linguam præcipui saporis esse Apicius docuit, nepotum omnium altissimus gurges*. Attagen maxime Ionius celebratur, quondam existimatus inter raras aves. Ex carnium porro variis esculentis, in frequenti usu fuisse legimus lardum ex suillis carnibus, sumen, saginam, pernam, petasonem. Laridum Plautus in *Captivis* Act. iv. Sc. iii.

Quanta pestis, ait, pernis veniet! quanta labes larido!
Quanta sumini absumedo!

Sumen venter suillus cum ipsis uberibus porcæ, uno die post partum excisus, Plinius *lib.* xi. *cap.* xxxvii. de quo Martialis inter Xenia, *lib.* xiii. *epigr.* xliv.

Esse nondum putes sumen: sic ubere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Meminit & Plinius *lib.* viii. *cap.* li. Lege olim censoria multa interdicta in cœnis, abdomina, (quod idem sumen) glandia, testiculi, vulvæ, sincipitia verrina. Sagina interior videtur adeps, unde porcus, & vitulus saginatus mollior, ac extruendis condimentis utilior: quare vulgo structum a struendo dicitur. Botulus ex suilla carne infarctis intestinis, Saturnalibus olim diebus præcipuus, ut nos quoque illiusmodi utimur in totam hiemem, variis adhibitis ad suavitatem, quod & farcimen propterea dicitur, & Lucanica: de quo idem Martialis *lib. cit. epigr.* xxxv.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ.

Genus farciminis erat & Faliscum, infarcto ventre, vel intestinis, optimis carnibus concisis cum pipere & sale: ut item Martialis *lib.* iv. *epigr.* xlvi.

Et Lucanica ventre cum Falisco.

Faliscis olim celebre, nunc Bononiensium prima laus, etiam in mensis lautis, quod ab incisis ac infarctis cum sale carnibus haud perperam *salcicia* videtur dictum. His adsimile ναστός Græcis, quod est farctum, nucibus simul, melle, ac lacte infarctis; vel sola pulpa frustatim concisa, ut ex Apulejo discimus, additis aromate & sale, & quales nostrates vocant *pulpetas*.

CAP. XV.

Esculenta ex piscibus, ac pretia. Pretiosissimi pisces apud Veteres enumerantur. Ex iis fiebant edulia jurulenta. Muriæ, Salsugo, Salmuria.

Circa piscium vero delectum ac sumptum ingens luxuria. Advectis videlicet ex alto ac longinquo mari electissimis vivariis, immo lacubus idcirco exstructis immensis: atque usu, seu potius in tanto luxu, ut in contentionem usque certarent, quo majoribus & piscem unum emissent pretiis. Pretiosissimi leguntur, mullus, quæ τρίγλη Græcis, muræna, & ostrea. *Mullum piscem (inquit Seneca in epist.* xcv.*) ingentis formæ (quare autem non pondus adjicio, & aliorum gulam irrito? quatuor pondo, & ad selibram fuisse ajebant) P. Octavius quinque sestertiis emit*, quod erit scutatorum cxxv. Sed adhuc carius, Plinio teste *lib* ix. *c.* xvii. Asinius Celer e consularibus hoc pisce prodigus, Claudio principe unum mercatus est octo millibus nummum, hoc est, scutatis ducentis: quod non facile repertum sua ætate mullum, qui duas libras pondere excederet. Et Suetonius de Tiberio, Tres inquit, mullos triginta millibus nummum væniisse, graviter Tiberius conquestus est, hoc est, scutatis dccc. De murænis Plinius *lib.* ix. *cap.* lv. privatim vivarium excogitavit C. Hirtius, qui cœnis triumphalibus Cæsa-

A ris sex millia murenarum mutuo appendit; cujus villam intra xl. millibus piscinæ vænierunt. In deliciis eas commemorant Seneca, Macrobius, Horatius, Martialis; tum ob saporis gratiam, tum ob insignem vivacitatem, & mansuetudinem. Flutas vocari asserit Macrob. *lib.* iii. quod in summo fluitent, ac sole torrefactæ gaudent. In Siculo mari præfertur, Martialis in *Xeniis*, sicut ostrea in Bajano. Ostrea dicta communiter quasi testacea Græcis: qua voce & conchæ dicuntur, & murices, quæ conchylia a Cicerone *ad Pisonem* pro delicioso in mensis pisce: de ostreæ pretiis Lucilii est *Sat.* lib. xiii.

B *—— his itidem in cœnis ostrea mille*
Nummis empta.

Inter deliciosos adnumerat Martialis sacrum, gobium, lupum, auratam, accipensem, quem sturionem hodie putant. Scarus hac fama insignis est, Plinio & Oppiano testibus, quod saxa frequenter, & *solus*, inquit, *pallentes ruminet herbas*: & Horatius lib. ii. *Serm.* sat. ii.

Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.

Quæ parum cognita, nisi truttam opinemur, quam nonnulli turturem Latinis vocatam putant. Sunt tamen qui velint hunc esse accipenserem, ex *Historia* Plinii lib. ix. cap. xvii. Unus est qui contra
C aquas nando meat, nobilissimus mugil, & cephalos Græcis idem genus, qui in hoc Tyrrheni littore adhuc servant nomen & meritum. Capito etiam dicitur, quod capite potissimum prævaleat in esculentis. Mugil in Adriatico & Dalmatico vulgaris est, & suavissimus, minor tamen in his maribus, quam cephalus, observatur, sicut & mullus roscidis squamis, & multi alii pisces in Adriatico minores. Rhombus voce Græca, solea, & passer plani sunt pisces, ac parum differentes, sicut & raja, & squatina Romanis *arzilla*, item plani, ac similes. Salpa & salmo idem ponitur, eodem Pli-
D nio, in Aquitaniæ littore primæ laudis apud Grapaldum *de Part. ædium*, quem & fluviatilem ponit. Romam prægmagnus adfertur cum thunnis e littore Apulo, & sturio dictus, quem accipensem apud Martialem quidam putant *l.* xiii. *epigr.* xci.

Ad Palatinas acipensem mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Scombrus Græcis & nostris, in Bætico mari frequens, Aristoteli vi. *de Hist. animal.* cap. xvii. ex quo garum optimum fit, Athenæo. Interpres Aristophanis parvis thunnis assimilat, & pelamidibus: quos Plinius thunnos vocat anniculos, circa
E Siculum fretum. Qui & mustelam eodem *lib.* ix. *cap.* xvii. scaro proximam bonitate, quam & lacus, inquit, Brigantinus inter Alpes generat, marinis æmulam. Jovius in lib. *de Piscibus*, sicut & ante ipsum Grapaldus, lampetram vulgo dictam. Notabile est, quod in luxuriosis Veterum mensis legimus, perraras fuisse lautas cœnas, in quibus non pretiosos admitterent. De tripatino meminit Fenestella, quod tripartita scilicet esset patina, Plinio quoque teste, in qua una pars esset murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis, qui mus marinus Plinio. Ex piscibus fiebant edulia jurulenta, & quæ jusculа piscium fre-
F quenter commemorat Galenus, ægrotis etiam utilia: in jure præsertim albo, quod in iii. *de alim. facultat.* parari docet, ex aqua, & oleo, anetho, & sale. Muria, salsugo Plin. seu liquamen ex salitis piscibus scatens, præsertim ex thynnis, ut Martialis in *Xeniis* sive *lib.* xiii. *epigr.* ciii.

Antipolitani (fateor) sum filia thynni:
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Quæ apud nostrates salmuria. Garum fere idem, ex garo primum pisce fieri solitum, ejusque interaneis, qui videtur & scombrus dictus. Gari, ni fallor, species, vel æmula apud nostrates fit gelatina, esculentum ex coctis piscibus, aceto, sale, ac pipere, congelatum, cujus integros cantharos Dalmatia mittit Venetias, & in totam Adriatici maris oram. Servaturque pro scitamento in prima mensa ab autumno in totam hiemem. Eadem & ex carnibus paratur, suumque petunculis, etiam gallinaceis: cujus in Antiquis non invenio vocem, nec modum.

CAP. XVI.

Apparatus Coquinarii. Coquina, & Culina idem. Popina, & Popinones. Ganea, & Ganeones. Assa, Elixa, Jurulenta quando in usu apud Romanos. Pulmentum, & Pulpamentum. Tomacula. Minutal, seu Minutum. Artocreum quale edulium.

DE loco in coquinariis tres invenio voces, coquinam, quæ & culina, & popinam. Coquina, & coquus a coquendo, culina postea dicta est, quod ibi colerent luculentiorem ignem. Plautus in *Casina*:

Senex in culina clamat.

Unde vasa coquinaria, Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. Popina publica officina, ubi parabantur & emebantur obsonia: quare gulæ vitio plerunque notantur popinones, tabernarii, & cetarii. Sicut & ganea, & in ea ganeones, qui gulæ & scortis darent operam. In illa Veterum parsimonia non erant coqui domestici, sed a macello in servitiis conducebantur, exemplo Plauti in *Aulul.* Aucta vero in urbe luxuria (Livio *lib.* IX. de bello Macedon.) tunc primum epulæ cura & magno sumptu apparari cœperunt, in quem abusum exclamat Seneca *ad Lucilium*: Coquos & culinæ artem cum immensis pretiis crevisse, & qui subtiliter palato ac gustui domini inservirent: cui allusit & Martialis in *Apophoretis*, epigr. CCXX.

Non satis est ars sola coquo, servire palato,
Namque coquus domini debet habere gulam.

Coquos, & pistores, & atrienses ministros, ceu familiares meminit Cicero *in Pisonem*. Scribit Servius ex antiquioribus Virgilii Interpretibus I. *Æneid.* Veteres carnibus primum vescebantur elixis, sicut apud Homerum perpetuo assa leguntur, & terga boum. Varronemque adducit auctorem, Romanis primum in usu fuisse assa, secundo elixa, tertio jurulenta. Addit Philo Judæus, quasi Luculli tunc famosas referens opulentas mensas, omnium eduliorum plenas, quæ terra, mare, amnes, aerque ferunt: selectis suavissimis carnibus terrestrium, aquaticorum, ac volucrium, paratura simul ac conditura pretiosissimis. Huic accessit & Plinii censura *libro* X. *cap.* L. *Post interdictam legem C. Fannii Cos.* XI. *annis ante tertium bellum Punicum, exorta pestis est, gallinas saginare, opimasque aves suopte corpore unctas devorare, cibis lacte madidis pascentes, itaque multo gratiores efficere.* Et in tenebris, addit Columella, farina mulso conspersa uberius saginari: & Martialis in *Xeniis*, sive lib. XIII. epigr. LXII.

Pascitur & dulci facilis gallina farina;
Pascitur & tenebris: ingeniosa gula est.

Aviaria quin etiam immensa, vivariaque ingentia habebant piscium, ut dicemus. Ex propriis vero esculentis erant juscum, & jurulentum, cujus apparatum ac modum ponit Apulejus de sua con-

A cubina: *Offendo*, inquit, *Photidem meam, quæ suis dominis parabat juscum, fartim concisis pulpis, & pulpam frustatim concisam*: hanc dicerent nostrates *guazzetto*. Similiter pulmentum commune videtur omni edulio, quod posteri a ministrando singulatim *minestram* dicunt, ut Plautus,

Pulmento utor magis pinguiusculo.

Pulpamentum vero pro lautiore pulmento, ut Terentius in *Eunucho* Act. III. Sc. I.

Lepus ante es, & pulpamentum quæris.

B Tomacula etiam adsimile pulmentum, est enim τομεῖν *incidere*: ex jecore suillo minutim conciso & jam semicocto, infusis ovis, caseo, pipere, zinzibere, aniso, & pingui liquamine, omento item suillo contectum, ac lento igne excoctum: de quo notabile est, pro lauto cibo, Juvenalis documentum, *sat.* X. A Diis quid petendum?

Exta, & candiduli divina tomacula porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Quæ & servat nomen, ac novum genus, quod a pappa, hoc est, blandulo infantibus grandioribus pulmento; *pappardellæ* in coquinis vocantur,
C ex pane contrito, ovis, & caseo, cum aromate, & zuccaro, & butyro, vel pingui sagina excoctæ, calentes adhuc apponuntur. Hisce accedit & minutal, seu minutum Persio, ut idem Juvenalis *sat.* XIV.

Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri.

Sic dictum, quod variis esculentis minutatim concisis fieret, ceto marino, liquamine, oleo, vino, pomis, & coriandro: & quale juscum ex Apulejo diximus. Artocreum edulium ex carne & pane, est enim ἄρτος *panis*, & κρέας *caro*; quod populo dari solitum pro vulgari munere, elicitur ex
D Persio *satyra* VI.

—— oleum, artocreasque popello
Largior: an prohibes?

Alludit vero artocreum ad nostrate *pasticium*, quod pultis genus hodie in communi usu, ex pasta fit, seu massa tenui triticea, & carnis pulpa, perna, armo, vel ex grandi pisce, vel integra ave, fasiano, lepore, vel ingenti etiam gallo Indiæ, quem phœnicopterum in Antiquorum mensis interpretati sumus. Idque sagina impinguatum, aromate, vel etiam passis frugibus concinne immistis, convoluta circum pasta ad figuram contentæ avis, vel prægrandi cephali, ac in furno æquabili calore
E assum, pasticium fit gratiosum gustui, ac magis utile, quam assum igni, adornatque missum ad mensam, integra etiam ave, vel coronato pavonis capite, vel aurito lepore foris prominente.

Fit & minutatim contrita carne, vel jecinore, additis, præter condimenta illa aromatum ac piperis, ovis, caseo, passulis, prunis, pineolis, omphacio, ac odoris herbulis, & croco, pinguiusculumque pulmentum fit, zuccaro superinjecto, quod ad dulcorem satis est, forma pastilli rotunda, ac tenui lagana pulchre concinnata: quod temperato fumo excoctum, crustaceum fit,
F quo nihil in mensis principum delicatius, servaturque in totam septimanam, vel occasione itineris, aut militiæ portatu commodissimum, fiunt & modica forma a pistoribus paratu facilia, vel quacunque usui venit magnitudine. Cæterum, ut innumera alia leguntur usitata Antiquis pulmenta, quæ ex communi recesserunt usu, propterea (quoniam trahit sua quemque voluptas) nihil idem exacte assignari potest simile. Quare hæc, quanquam forsan prolixa, haud tamen ab re proposita, nec extrinseca videri debebunt.

Esculenta enim cum poculis quoniam viciſſim habent relationem, ut exoleta quidem illa Veterum genera, per hanc cenſuram aſſerta videbuntur in claram lucem; haud minus hæc noſtratia, in tanta viciſſitudine cunctarum rerum, hic perfunctorie recenſita, aliquam putamus apud poſteritatem (ut multa ſimilia alia legimus) habitura gratiam. Quemadmodum non pauca invexit uſus poſteris temporibus, forſan ſuaviora, nec minus lauta; (ut de paſticiis dictum eſt) quorum in cenſu unum hic ſubnectam apparatum, in obſequium meorum principum, de Oglia Poderida, quæ in Hiſpanicis cœnis & in communibus amicorum obſequiis inventa, ac lauta, hunc quoque poterit adornare locum.

Cap. XVII.

Oglia Poderida in menſis Hiſpanicis inclyta. Poderoſa quid proprie apud Hiſpanos. Splendida quædam convivia recenſentur. Luxurioſæ Antiquorum cœnæ. Requiſita ad earum apparatum; an Antiquis uſitata. Vitellii patina monſtruoſa. Ollæ apparatus & formula.

PODEROSAM proprie intelligunt nobiles Hiſpani, hoc eſt, abundantem multis ac variis eſculentis in unum coctis plenam & gratioſam dapem, carnium ſimul, avium, piſcium, olerum, cerealium ſelectis generibus. Cujus argumentum proxime accepi in ſplendido convivio, quod munificentiſſimus Cardinalis Aſcanius Columna præbuit excellentiſſimo Principi Philippo a Naſſau, Principi Arauſionenſi: qui a Philippo Rege Catholico delegatus ad ſuum Principatum capeſſendum, ac propterea ad pedes Sanctiſſ. Pontificis acceſſerit, ejuſque ſanctæ benedictioni ſe ſubjecerit, eadem die ante calendas Novembr. hujus anni M. D. XCV. ab illuſtriſſimo Cardinali convivio exceptus, ut quem in alma Curia Regis & in celeberrima Academia Alcala communium ſtudiorum ſodalem habuerit, ac Doctoratus ſui anno M. D. LXXVII. teſtem adſciverit, multæ obſervantiæ Principem. Et in majorem ejuſdem honorem (unde hæc merito velim mandare literis) adhibuit Sueſſæ quoque excellentiſſimum Ducem, D. Antonium de Cardona, nunc apud Sanctiſſ. Pontif. Philippi Regis Catholici Oratorem digniſſ. cum nonnullis aliis principibus ac prælatis digniſſ. in frequenti aula nobiliſſimorum Rom. ac Hiſpanorum, qui aut ſervitii gratia, aut in obſequium tantorum principum convenerant, ac peritis non minus (ut ejus aulæ moris eſt) adhibitis quamplurimis. In medio ipſo convivio, variis interpoſitis colloquiis, ac omiſſis gravium rerum curis, cum circa antiquorum principum ſolemnes ritus in conviviis non defuiſſent ex illis peritis viris, qui tantos illius ſæculi luxus, pro hac mediocritate menſarum noſtri temporis, damnaverint; hic allata inter alias ingenti patina aurea lectiſſimis eſculentis conferta, ac inter choraules cum tibiis ac ſonoris cymbalis ſolemniter inclytis convivis appoſita, eaque guſtata, cum communi applauſu eſſet comiter Hiſpanica inventione commendata; hic ad me perhumaniter converſus inclytus Sueſſæ Dux, & nunquid, inquit, o Bacci, in conviviis antiquis ſimilem unquam legeris nobilis eſculenti lautitiam? Cui equidem pro tempore reſpondens, ſimilia quidem multa, non talem vero exacte me obſervaſſe tot ſingularium rerum commiſtionem: veruntamen, inquam, ut variabilem quotidie videmus rerum ac morum conſuetudinem; ſic dapes ex uſu deſciviſſe multas putandum, nec ſecus alias interim introduci ad novos uſus.

A Quemadmodum hunc videmus tot commiſtarum rerum apparatum inclytis principibus, quem novum reor, & in Hiſpanicam conſuetudinem eſſe referendum. Hujus autem novitatis cauſam, vel ſi uſitatam aliquam ſimilem Antiquis adduxerim, dubium non eſt, ut cum eo tempore illi principes in oſtentationem opulentæ fortunæ effuſas cunctis in rebus admitterent delicias, ſimiliter & in apparatu menſarum dapes (ut frequenter legimus) pararent pretioſas, rerum quarumcunque (ut ſcribit Seneca) mari, ac terra, ac ſub cælo inventarum. Quinimmo ad dementiam uſque ex Suetonio adduximus, luxurioſum Caligulam interdum B convivis ſuis ex auro panes & alia obſonia præbuiſſe: & amplius ex Lampridio turpem Heliogabalum ſæpe ceream cœnationem, ſæpe ligneam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, vel etiam marmoream, vel lapideam, & reliqua obſonia, ea ſpecie videnda, qua ipſe cœnabat, exhibuiſſe. At omiſſo poſteris ſæculis in tanta luce ſanctiſſimæ religionis omni vitæ luxu; novus hic apparatus eo magis commendandus eſt, quoniam non ad illam oſtentationem fortunæ, ſed in communem convivantium gratiam, & ad commodum uſum (uti reor) militaris apparatus principum, nihil quiſ- C que bono guſtu in eo invenerit ſuperflui, nihil diminuti, ſed ſuavitatem in tanto diverſarum rerum condimento guſtaverit incomparabilem. Quod quidem conſiſtit, partim in exquiſito ipſarum rerum delectu, carnium, piſcium, olerum, cerealium, avium, pinguium, ſalitorum & aromatum; partim vero attinet ad exactam coci induſtriam: ſimulatque requirit majoris magiſtri convivii peritiam, qui præſit operi, ac loco, & tempore, ac ſervata certa rerum componentium proportione, debitaque ſingularum coctione, cuncta diſpenſare debeat, prægustetque, donec certum ex omnibus reſultet temperamentum eſculenti deli- D catiſſimi ac omni guſtui ſuaviſſimi. In antiquis ergo ſi aliquam hujus habeamus imitationem, poterit id quidem minutal, ſeu minutum æmulari, quod ex Juvenali paulo ante recenſuimus & Apulejo: ex variis rebus, piſcium, & carnium pulmentis minutatim conciſis fieri ſolitum, liquamine, hoc eſt, albo jure, vel carnium, vel piſcium, vino & oleo immiſtis, ac porri & coriandri condimentis adhibitis. Verum ſi id modici ſumptus pulmentum vel minus videatur aſſequi noſtri temporis apparatum complurium rerum; ſumptuoſiſſimum certe, nec ulli facile comparari debebit, Vitellii E Imperat. apparatum in dedicatione ſuæ patinæ pene dixerim monſtruoſæ, quam ob immenſam magnitudinem *Clypeum Minervæ*, quaſi in contemptum virtutis, dictitabat. Nempe de qua ſcriptores ſtolidi principis illudunt luxuriam; & Plinius: *In Principatu ſuo*, inquit, *Vitellius patinam decies ſeſtertium condidit*, quingentarum ſcilicet librarum pondere, quod eſt viginti quinque millium ſcutatorum pretium, fornace in campis propter ejus magnitudinem exædificata. In cujus dedicatione recenſuit Suetonius convivium dediſſe, in quo ſacrorum piſcium pretioſorum jecinora, faſianorum, ac pavonum cerebella, linguas phœnico- F pterum, murænarum lactes a Carpathio uſque mari fretoque Hiſpanico per navarchos ac triremes petitarum commiſcuit. Sed quamquam erubeſcunt hiſtoriæ tam luxurioſas in principe viro referre ganeas, non diſſimilem inſaniam meminit idem Lampridius de Heliogabalo: Aliquando ingentes dediſſe dapes extis mullorum refertas, cerebellis phœnicopterum, & perdicum ovis, & cerebris turturum, & capitibus phaſianorum, pſittacorum, & pavonum, & pro inſtabili captu mentis, habuit illam conſuetudinem, ut una die non niſi

de fasianis tantum ederet, alia de pullis, alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de oleribus, alia de dulciis, alia de opere lactario. Ne plura nunc dicam ejusmodi gulæ irritamenta, & hominis abutentis fortunæ bonis: donec pro cultu Christianæ religionis, mutatis in melius hominum moribus, inter honestas mensarum delicias, hic novus invaluit apparatus laudabilis, qui præter illorum temporum luxus superat gratia, superat & copia conmistarum rerum, atque exactissimo partium connexu & ordine. Relinquo autem ipsam conficiendi artem, atque ordinem in coquinariis explicandum, ac ex ipsarum duntaxat brevi formula, quam accepi ab Architriclino Francisco Tancredi, nobili Senensi, & a primario structore mensæ Horatio Valente, qui ambo equites dignissimi adstiterunt operi, facile quis & qualitates optimi cibarii, & honestas dijudicabit delicias. Bovillam primum admittit carnem, pondere librarum decem, ac proportione vervecinam, suminis porcinæ, quam summatam vocant, lib. tres, palumborum numero sex, coturnicum decem, tuberum terrestrium libram, turdorum numero sex, caponem gallinaceum unum, napi tres libras, fœniculi virentis germinum manipulos sex, lucanicæ duas libras, quod Antiquis boletum, concisis & infarctis cum sale & fœniculo carnibus, cicerum rubeorum libram, cæparum e Cajeta numero sex, calandarum avicularum, & pro suo tempore ficedularum, & ejus generis attagenarum, numero duodecim, & carduorum selectis germinibus, numero quatuor, brassicæ oleris ex Bononia albicantis non capitatæ, numero duas, salis & aromatum omnium, quod pro delectabili condimento satis est, & nonnunquam zuccari insperso polline pro gustabili lenocinio.

Harum omnium rerum artificiosum consertum, & quam musicalem dixerim optimæ dapis harmoniam, in gratiam meorum principum, & ad perpetuam inventionis Hispanicæ gloriam, antiquissimam invenio, ac vere gloriosam apud Plutarchum habuisse imitationem. A prima usque Græcorum aristocratia, quando redeunte Theseo post domitum Minotaurum incolumi, ex concursu populari Atheniensium ad portum cum ramis olearum (ut in communi lætitia fit) congressi, quem quisque attulerant commeatum, & legumina, & carnes, & pisces *ἐς κοινὴν χύτραν in communem*, inquit, *ollam* conjecta, invicem in obsequium servati principis epulati sunt: unde ὀσχοφόρια a ferendis ramis ludos quotannis mense Julio celebrandos instituere: atque hanc (ut reor equidem) ollam, id est, amicabilem tot cibariis congestis congratulationem, gentilicii illi Hispani imitati fuere, in sua olla tam lauta. Quam opipare idcirco a principibus meis gustatam, eamque Apophoreti vice mihi a benignissimo Duce elargitam, æquabilem meo gustu agnovi tot esculentarum simul rerum substantiam, mirificamque laudavi gratiam optimi cibarii, ac saluberrimi ad vitam. Unde in communem totius Symposii lætitiam, tamque spectabilis ollæ applausum, repetito choraulium ac tibicinarum concentu, ad imitationem regii Didonis convivii ad Æneam (quod non minus hic) hymno, qualem pedestri carmine ex ipso choro audivi, & quantum video tetrametrum principibus meis placuisse, in hunc modum cunctis in corona nobilissimæ aulæ ablanditum est.

C H O R U S

GRATIARUM CONVIVALIUM.

Tres Gratiæ munerales.

Ohe Charites applaudite,
Tres o Gratiæ munerales
Thalia, Aglais, Euphrosyne,
Vestro applaudite triclinio.

Tres personæ triclinii.

Summo Duci Suessano,
Magno Cardinali Ascanio,
Digno ab Orange Principi,
In plena aula nobilium.

Tres Gratiæ cælestes.

Sit Strategus Cardinalis,
Duxque benignus Jupiter,
Inclytus Apollo Princeps,
Stet pro Venere Philippus,
Magnæ spes Columnæ altera.

Umbræ. Bacchus.

Umbra sit, & Pincerna Bacchus,
Ego infimatis infimus,
Bonus vinitor, non potator.

Horæ quatuor anni.

Horæ mensam purpurabunt
Hyacinthinis floribus,
Gratiosis esculentis.

Cornucopia.

Plenum spargant Cornucopiæ.

Novem Musæ.

Omnes ergo cantent Musæ,
Euge Charites applaudite,
Lautum ornate convivium,
Longum concinat Calliope
Ollæ Pæan Hispanicæ.

ANDREÆ BACCII,
ELPIDIANI
MEDICI ATQUE PHILOSOPHI, CIVIS ROMANI,
DE
CONVIVIIS ANTIQUORUM,
DEQUE
SOLEMNI IN EIS VINORUM USU, ATQUE RITU COENARUM SUMPTUOSISSIMO,
LIBER III.

CAP. I.

De mensa vinaria, & vasis ad eam pertinentibus. Symposium Gr. משתה Mischthe *Hebr. & Convivium Lat. quid. Vasorum genera enumerantur. Fictilia, Cornea, Lignea, Vitrea, Crystallina, & Murrhina: Ista an Porcellana. Murrhina potio. Murrhea, & Murrhina vasa, an eadem.*



MAGNAM fuisse vinorum, ac mensæ, seu cellæ vinariæ dignitatem in conviviis, vel ipsa ratio nominis dictat, quod Græci συμπόσιον, & item Hebræi antiquiores משתה *Mischthe*, dixerunt suo idiomate, a compotatione & vino: placuit vero Latinis nostris, quemadmodum Cicero *ad Pætum* interpretatus est, ut a convictu proprie diceretur *convivium*, quia tunc simul vivitur. Majorem vero hæc pars obtinuisse videtur prærogativam in comparatione epularum: quoniam in potu tres illo sæculo celebrabant ritus nobiles, coronabant cum summo applausu vina & pocula, propinabant vicissim, & libabant cum gentilitia Diis suis superstitione, de quibus postea erit dicendum. Primum vero de vasis in mensa vinaria, & quæ ex eis essent ministeria; quem in locum habere diximus repositorium in mensa escaria, eundem obtinuit abacus in vinaria, recepta a Græcis voce ἄβαξ, ἄβακος: quare plures simul abaci parabantur, in quibus scilicet pocula ponerentur, & ejus generis potoria vasa, cyathi, calices, crateres, pateræ, canthari, phialæ; ac longa serie aliorum, quæ ad hunc usum haberentur, scyphi, pelves, trullæ, majora vasa, ut plurimum argentea, vel aurea, crystallina, & murrhina pretiosa, nonnulla vitrea, & fictilia, & toreumata torno elaborata dignissima. Formam abaci non invenio descriptam, unde & usurpatum nonnunquam ad esculenta quidam putant: ex communi tamen significatione atque usu, abaci nomine planæ erant tabulæ, aliæ calculatoriæ, aliæ scriptoriæ, aliæ coquinariæ, in quibus carnes inciderentur: & item pro communi sedili, a quo *bancum* posteris dictum putant. Abaci item seu mensæ Pythagoricæ leguntur, & abaci quadratæ columnarum, apud

A Vitruvium. Usu vero ipso arguitur, abacos patula ac plana fuisse forma, in quibus vel unum, vel plura simul inferrentur pocula ad mensam. Id plane indicant M. Tullii verba *in Verrem* actione IV. *Ille vasa omnia, ut in abacis fuerant exposita, abstulit*: ex quo & hoc notabile est, quod in eodem abaco plures simul deferrentur cyathi vino semipleni, cum triente scilicet, vel quadrante vini mensura, ut mox declarabimus: quare Juvenalis *sat.* III. abacum meminit sex cepisse pocula:

—— urceoli sex
Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra
Cantharus.

B Plinius *lib.* XXXII. *cap.* XI. scribit: *Pompejum in triumpho de Piratis, Ponto, & Asia, attulisse lectos tricliniares tres, vasa ex auro & gemmis novem abacorum*: intelligo tot vasa aurea, quibus novem abaci ornari possent. Poculum commune erat omni vasi potorio: fictile inprimis, Plinius *lib.* XXXIII. *cap* II. *Major pars hominum terrenis utitur vasis*. Et *lib.* XXXV. cap. XII. Samia laudantur & Aretina, ut Ausonius, qui & proprium abaci declarat usum *Exhort. ad modestiam*, epigr. VIII.

Fama est fictilibus cœnasse Agatoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

C Et Martialis in *Apophoretis* epigr. XCVIII. in gratiam forsan artificis nimis sibi munifici:

Aretina nimis ne spernas vasa monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Advecta ex Sagunto Hispaniæ fictilia celebrat Plinius eodem *lib.* XXXIII. *cap.* II. & Martialis in *Apoph.* epigr. CVIII.

Sume Saguntino pocula ficta luto.

Xenophon *lib.* VI. Cyrum, dum in Asia apud Paphlagones militaret, corneis usum poculis narrat. D Erant & lignea, ut cantharus naviculæ instar oblongæ figuræ, & ansatæ, quæ vascula nostris a tenendo *tazza* videntur dicta, vili etiam materia. Ut Virgilius de Sileni poculo *Ecl.* VI.

Et procul attrita pendebat cantharus ansa.

Eadem forte significatione & capidem, sive capedinem legimus, κοπίδα apud eundem Xenophontem in *Cyro*, duos cyathos Atticos capere; has inter fictiles urnulas nominat Cicero in lib. *de Part.* forsan ansatas a capiendo, *pignatta*, *o vescola*. Plinius eodem XXXIII. Neronem capidem murrhini vasis unam sestertiis CCL. parasse. Ma-

gno vero artificio elaborata leguntur toreumata, torno primum ac pretiosis emblematis exsculpta: qualia describuntur egregia a Virgilio (quanquam pastorali cantione) *Ecloga* III.

—— pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos hedera vestis pallente corymbos:
In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter?
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.

Hinc vicissim Damœtas subjungit carmina, digna quæ & lenocinium præbeant gratæ lectionis:

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho:
Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.

In potoriis vero ac nobilium frequenti usu legitur cyathus κύαθος, quod videtur a verbo χύειν deductum, quod est *fundere, propinare*, unde *ad cyathum stare*, & a potorio cognominari pincernas dicebant. Nec omittendum pro cyatho apud Græcos & certam mensuram significari, de qua in potibus propinandis dicetur. Frequenter & calix legitur, a calefaciendo, ut Varro interpres est, & κύλιξ Græcis a rotunda forma, κύκλος enim *circulus*. Calices vitreos meminit Suetonius, ex pulvere Martialis, ex luto Saguntinos & pretiosos Plinius, & auro & gemmis ornatos, *lib.* XXXIII. *cap.* I. Tuba gemmarum potamus, & smaragdis tegimus calices. Et *lib.* XXXVI. *cap.* XXVI. Neronis principatu modicos calices duos sestertiis sex millibus emptos. Culullus calicis genus e vili materia: quibus monet Horatius in *Poet.* explorari debere ceu familiari poculo vero amicos:

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero.

Crater & patera leguntur in conviviis magnificis pro regio poculo, ut apud Virgilium in convivio Reginæ I. *Æneidos*:

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Eademque vasa aurea, ac bidendo idonea, dum subdit:

—— ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

De qua & Livius *lib.* XXII. *cap.* XXXVI. *Legati a Pesto pateras aureas Romam attulere*. Phialæ item in vasis potoriis commemorantur, ex auro, Juvenal. *sat.* VII. φιάλην lego apud Xenophontem in *Conviv.* ubi senex saltando lassus, jubet puerum sibi infundere magnum poculum, his verbis: Ὁ παῖς ἐγχεάτω μοι τὴν φιάλην μεγάλην. Videntur Græci & πιάλην dixisse: & inde alterius derivata vasis vox φιαλίσκος, diminutive: quod a posteris corrupte *fiasco* deductum est: cui οἰνοφόρον communior vox alludit, quo scilicet vinum portatur, ex Apulejo *lib.* VII. Βαυκάλιον vas similiter vinarium apud Homer. & Alexand. in *Problemat.* angusti oris, Gaza interprete, quæ vox & ad popinas transivit: a βαύζω autem dictum putatur, quod est *latrare*, a sonitu interclusi humoris, dum effunditur per angustum exitum. Σκύφος item indicatur genus potorii vasis peramplum, ut Horatius in *Epod.* ode IX.

Capaciores huc affer puer scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia:
Metire nobis Cæcubum.

A Hos gemmis ornari legimus, & cælatura fieri pretiosiores, ex Macrobio *Saturn.* libro V. cap. XXII. Sicut cantharus Libero, ita scyphus Herculi tribuitur, de quo ejus sacrificium meminit Virgilius VIII. *Æneid.*

Dixerat: ——
Velavitque comas, foliisque innexa pependit,
Et sacer implevit dextram scyphus: ocius omnes, &c.

Materiam in scyphis superabat opus manupretiis, ut ex citato jam constat Macrobii dicto, scyphos cælatura fieri pretiosiores: quod in Plinio *libro* XXXIII. *cap.* XI. restituit P. Ciaconius Toletanus
B (cælatura, *manifattura* vulgo) L. Crassum duos scyphos habuisse Mentoris manu cælatos, in singulas libras argenti sex millibus sestertiis emptos. Et cap. XII. *Zopirus qui Areopagitas & judicium Orestis in duobus scyphis cælavit, sestertiis* XII. *mill. æstimatis*. Trulla, ut Varro scribit in IV. *de Ling. Lat.* vasis genus erat latum, profundumque, quod in culina erat ad infundendam aquam, & quandoque in mensam inferebatur: pretiosa admodum, & in vinariis commemoratur a Cicerone in orat. IV. *in Verr.* de mensa Antiochi regis: *Vas erat*, i quit, *vinarium ex una gemma præ-*
C *grandi, trulla excavatum, cum manubrio aureo: quam ille, & vasa omnia, ut in abacis fuerant exposita, abstulit*. Et in potoriis Horatius lib. II. *Sermon.* sat. III.

—— potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Similiter Juvenalis *sat.* III. bibacem arguit, qui in trulla perampla, vel quasi inepta ad bibendum, biberet: & Nonius, ex urceolo aquam manantem in vas trulleum, quasi in pelvim, meminit. Diversam animadvertimus significationem apud Vitruvium, qui ridiculam complanandis tectoriis trullam appellat, & *trulissare*, trulla gypsum
D complanare. Cum urceis, & trulla aquaria, nominantur hydriæ, quæ Græcis propria vox aquarii vasis est: ut in Evang. *Joan.* III. *Implete hydrias aqua, & adferte architriclino*. Figlina communiter, & ærea, vel argentea. Ut Cicero in eadem cœna Antiochi hydrias argenteas meminit, & multa mancipia pretiosa. Et alibi, *in hydriam sortem conjicere*. Ad trullam porro accedit λουτὴρ, quod vasis genus videtur, *ἀπὸ τοῦ λούειν, a lavando*, dictum: unde & λουτήριον apud Jul. Pollucem, in quo calices abluerentur: quo usu & pelvim quidam fuisse existimant, & Varro eodem *lib.* IV. pelvis a pedum lavatione, ut in Cœna Do-
E mini vertit D. Hieron. *Misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes*. Usurpatur ad res varias abluendas, ut Juvenalis in III.

—— patulas effundere pelves.

De vitreis poculis, crystallinis, & murrhinis dignæ sunt auctoritates. Plinius *libro* XXXVI. *cap.* XXVI. Vitri temperamentum, ut flexile esset Tiberio principe excogitatum, sed quod detraheret argenti & auri metallis pretia, officinas ejus abolitas. Sed denuo reperta vitri arte Neronis principatu, modicos calices duos sestertiis sex mill. vænundatos. Capitolinus scribit, Gallienum
F Imp. aspernatum vitri pocula, aureis semper bibisse: & quam vili mercede hodie exercent Judæi, vitro fracto sulphura emi solita, meminit Juvenalis *sat.* V.

Quassatum, & rupto poscentem sulphura vitro.

Et Martialis *lib.* I. *epigr.* XLII.

Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis.

In frequenti vero usu principum, ac divitum, & cum

cum majori luxu erant cryſtallina & murrhina vaſa, ut ambo celebrat Juvenalis *ſat.* VI.

Grandia ponuntur cryſtallina, maxima rurſus
Murrhina.

Et Martialis *libro* III. *epigr.* LXXXII. de pretioſiſſimo vino Opimiano;

Opimianum morionibus nectar
Chryſtallinisque murrhinisque propinat.

Capitolinus in *M. Aurelio*: *Vendidit aurea pocula, & cryſtallina, & murrhina.* Plin. *lib.* XXXVII. *c.* II. *Trullam unam cryſtallinam, a matrefamilias mercatam, nec divite H-S.* CL. M. hoc eſt, ſcutatis aureis M. DCCL. Idem *ibid.* ſubdit: *Et Neronem amiſſarum rerum nuncio accepto, duos calices cryſtallinos in ſuprema ira fregiſſe illiſos. Mirum vero ad ſimilitudinem acceſſiſſe vitrea, ut ſuum pretium auxerit, cryſtalli non diminuerit.* Et *ibidem* de natura: *Murrhina*, inquit, *& cryſtallina, ſcilicet vaſa, ex eadem terra effodimus, quæ oriens mittit, locis maxime Parthici regni, periit vero jamdiu, ut & vaſis ejus notitia. Sex pocula ex ea Pompejum in urbem tranſtuliſſe, cum abacis, & eſcariis vaſis inde expetitis*: hæc Plinius. Nec deſunt qui hoc murrhinæ genus *porcellana* poſteris dicta putent vaſcula: quorum tamen longe aliam conſtat eſſe materiam, ac murrhinam, ut idem Plinius ait, omnino cum luxu illorum temporum periiſſe, vel reperiri hodie apud Perſas credendum. Cæterum altera tollenda eſt ambiguitas, murrhinæ ſeu myrrhinæ nomine, fuiſſe delectabilem ex infuſa cum vino myrrha potionem, quam non omiſit eximius auctor, qui ſeorſum *lib.* XIV. *c.* XIII. inter vina factitia cum multæ laudis præconio ſcripſit: de qua perinde jam exoleta ac deſiderabili tres adducit Plauti auctoritates, in *Perſa*, & in *Achariſtione*:

Panem, polentam, vinum, murrhinam.

Et in *Pſeudolo* dulcem indicat:

Quid ſi opus eſt, ut dulce promat,
Indicem, ecquid habet. CHAR. rogas?
Murrhinam, paſſum, defrutum, mella.

Quam ſpeciem delicatæ potionis Martialis item commendavit in *Apophoretis.* Ad diſtinctionem ergo hanc myrrhinam vocarunt, non murrhinam: (quicquid ex Græca phraſi idem per idem) at Juriſconſultus *de Verb. ſignif.* non murrhina illa vaſa, ſed murrhæa cum cryſtallinis appellavit, ad tollendam æquivocationem. Ex quibus conſtat, quod vaſculum, de quo meam quæſivit ſententiam Vir quidam digniſſimus Cardinalis, ſibi dono datum pro murrhina, non murrhinam eſſe, quæ effoditur, nec myrrhinam ex infuſa myrrha; ſed coactum in vaſculi formam Belgivivum gummi: tam facile eſt Principi etiam imponere.

CAP. II.

Miniſteria, & Pincernæ. Moderator, Modimperator; Pocillator; Prægustator; Miniſtrator. Vaſa potoria, & menſuræ; quarum ratio aperitur. Auguſti potus. Cyathi duplex ſignificatio. Coronati Pincernæ.

PORRO quoad vini miniſteria, ac potandi modum, & quoad menſuram, tres obſervamus in exemplis rationes. Alia potuum ratio erat, & communis uſus in privatis & honeſtis cœnis; alia in regiis conviviis; & alia ratio habenda eſt de nefandis ac temulentis, qui largiſſime & pro vitio biberent. In communibus ergo potandi miniſteriis, rurſus meminiſſe oportet, poſt principem Sympoſiarcham præfuiſſe vini moderatorem, qui

A οἰνόπτης apud Pollucem legitur, Modimperator proprie videtur apud Varronem & Nonium, qui ad menſam vinum pararet attemperaretque. Cui ſubminiſtraret οἰνοχόος, apud Xenophontem, id eſt, *poculi miniſter*, Pincerna noſtris, & Pocillator: quemadmodum in antiquis obſervavimus Inſcriptionibus: SERVUS ab argento potorio, A POTIONE, & Trajani ſervus a laguna. Idem & prægustator, qui προγεύστης Athenæo vocatur, *lib.* IV. alius quidem, qui epulas prægustaret coram ipſo principe, quem tutum faceret a noxiis epulis: ut Suetonius ſcribit Claudio Cæſari venenum datum

B per prægustatorem. Alius, vel idem forte Pincerna, qui poculum vini porrigens puſillum prægustaret. Ut Cornel. Tacitus de Nerone, qui daturus in poculo venenum, veritus ne ſi daretur prægustatori miniſtro proderetur dolus, præbuit calidum innoxium, deinde illud miſcuit in frigidam, quam miniſter non prægustaret. Sicut & miniſtrator, alius in eſcaria menſa videtur, alius in vinariis, qui & Modimperator dictus eſt. Et item pincernæ, alii quidem mancipia, ac pueri ornatiſſimi, ut Philo Judæus, *de Vita contempl.* diſtinguebat: alii grandiores, qui aquam afferrent, loti, nitidi, fucatique, ac cincinnatis vel prætonſis a

C fronte capillis, ac candidiſſima præcincti tunica. Et alii prima lanugine adoleſcentes, qui gravioribus edocti miniſteriis, ad nutus ſtarent, quid quiſque poſtularet. In vaſis quidem, quæ propoſuimus, potoriis frequenter leguntur pocula: & in menſuris cyathus, calix, hemina, & heminæ partes; cyathus, qui caperet ſexunciam, vel paulo plus unciam cum dimidia, pro heminæ ſcilicet menſura unciarum undecim, & pro portione, ſicut unciæ in libra continentur duodecim, ſic duodecim cyathi erant in hemina: ex quibus & rationem habemus variarum menſurarum, quæ occurrunt in potibus: Sextans ſexta pars heminæ, ſeu cyathi

D duo, ad tres uncias: Quadrans tres in hemina cyathi: Triens quatuor: Quincunx quinque cyathi: Bes octo: Deunx una minus uncia in libra, vel cyathis undecim in hemina. Quare Auguſtus, Suetonio teſte, bibere ſolebat ſextantes ſenos, & ter biberet, juſta erat menſura, duos ſcilicet cyathos pro vice, tres uncias pondere, & in totam menſam novem in decem uncias vini. Atque hinc clare patet Martialis objectio in amicum bibacem, *lib.* XII. *epigr.* XXVII.

Poto ego ſextantes, tu potas, Cinna, deunces.

E Sextantem poto, hoc eſt, a duobus cyathis ad trientem, ſeu quartam partem libræ; tu deuncem, fere libram uno cyatho minus. Sicut & quincuncem calicem dixit idem Martialis, id eſt, quinque cyathorum menſuram. Diſtinguenda vero cyathi nomine ſignificatio eſt, pro certa menſura, ut dictum eſt, ſexuncia; & pro poculi genere, ſicut calix, & cantharus, quo nomine pincerna, qui principi miniſtrabat poculum, dicebatur *ad cyathum ſtare.* Ut apud Plautum in *Perſa*, ubi pincerna tenens in manu cyathum, minatur lenonem:

F *At tibi ego continuo cyatho* (ſcilicet poculo) *oculum excutiam tuum.*

Qui vero pincernæ communi inſerviebant convivio, plures ſimul in abaco deferebant cyathos, ſeu calices: quare abacum jam diximus, plurium ſimul, vel trium poculorum fuiſſe capacem, ut idem Plaut. *Da puer ad ſummum* (ad imum) *& poſtea circumfer, multum bibant, da uſque plenis cantharis*: id eſt, ſingulis plenum poculum. Quoties vero pincernæ inferrent pocula, coronati, & cum tibicine pariter coronato incedebant: ut in menſa eſcaria Macrobii locum citavimus *lib.* III. *c.* XVI. ex Sambo-

nici verbis ad Severum Imp. *Gratia ejus video ad epulas quasi postliminio rediisse, qui dignatione vestra intersum convivio sacro, & hunc piscem video a coronatis ministris cum tibicine inferri.* Quem morem & in aliquibus observamus marmoribus: ministros, ac pueros, alios cum poculis, alios coronas floridas cum tibicine ad convivas anteferre.

CAP. III.

Miscendi vina, & temperandi modus. Miscere quid. Quot vicibus Veteres biberent. Compotationes familiares. De vini potu.

EODEM Pincernæ munere legitur tam in Græcis μίσγειν, quam Latinis *miscere*, & infundere vinum: ut Juvenalis *sat.* VI.

—— *Nescit tot millibus emptus*
Pauperibus miscere puer.

Quæ locutio & apud Hetruscos remansit. De temperandi autem vini & aquæ ratione, ex antiquioribus varios modos Athenæus recensuit *lib.* X. Nempe quidam jubebant par pari miscendum vini & aquæ: alii tribus aquæ partibus unam vini: alii quatuor, vel etiam quinque, partibus vini duas aquæ admiscendas. Qui tamen modi, ut alibi diximus, non faciunt certam regulam ad imitationem, jam mutatis non solum moribus, & vinorum generibus, sed & omni consuetudine potuum: quippe tunc temporis insolatis diu utebantur vinis, ac vetustate crassis, ut nec potari per se possent, (dicebat Plinius) nisi pervincerentur aqua; posteris autem temporibus ad hunc usque diem tenuibus, ac pluri ex parte crudis, ac simpliciter depuratis utimur: ut Romæ Romanensibus sinceris, levibus Albanis, mediocribus adnavigatis: raro Græcum vinum aut Malvasiam usurpamus, & in tota fere Italia simpliciter in tinis repurgata vina bibimus. Cocta vero plerumque operariis relinquimus. Simili discrimine, & quot vicibus biberent, & de numero potuum in tota mensa: Athenæus eodem *lib.* X. ter, vel quater in communi usu meminit, & cum celebri tunc Græcis hoc symbolo, quem refert, Τρεῖς κρατῆρας οἶνον ἐγκεραννύω, τὸν μὲν πρῶτον ἡδονῆς, δεύτερον μέθης, τὸν δὲ τρίτον ὕβρεως, quod est, si Latinis verbis reddendum: *Ut primum poculum esset ad voluptatem, alterum ad ebrietatem, tertium ad insaniam.* Tolerabile vero magis quoad numerum ex Apulejo habetur in *Floridis*: *Quattuor convenisse pocula: primum ad sitim, alterum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam*: quo exemplo magnitudo arguitur, ac robur vinorum illis temporibus, quando bibentes quarto potu agitarentur in furorem: tanto vero magis mediocritas vinorum nostri temporis commendanda, qui innoxie honesti etiam viri potamus in tota mensa vini deuncem, prope libram, seu quartam partem baucalii, sic Græce dicti, cauponibus *folietta*. Et qui bibaciores sunt, duplum & amplius, quin etiam merum hilari fronte biberint. Amplius apud Antiquos in conviviis familiaribus, post mensam, & post festiva acroamata, repetitas legimus compotationes, ut sæpe apud Plutarchum, & Athenæum: at una contentus ero Xenophontis festivitate in suo *Symposio*, & cum notabili Socratis censura. Ubi post egregiæ saltatricis Syracusanæ gesticulationes, illam inepte imitatus Philippus jam senior, & saltando lassus, ait: *Magnum est argumentum, o viri, in eas quoque saltationes exerceri corpus, cum præsertim sitiam. Pueri infundant mihi magnum poculum,* (ubi μεγάλην φιάλην) *& nobis quoque*, inquit *Callias*, *nam & nos te ridendo sitimus.* Cui nobile acroama subdidit Socrates; *Quin*, inquit, *mihi quoque, o viri, placet,*

A *ut bibatur. Vinum enim animos rigans, tristitias & dolores, quemadmodum mandragoras, sopit, & hilaritatem, sicut oleum flammam, excitat*: plantarum quoque exemplo, quæ temperato imbre & leni aura perflatæ, recte augescunt, & florent, ad frugemq; perveniunt: quæ pars ad solemnes pertinet propinationes, postea describendas: nunc curiosam inprimis de potu Antiquorum, an calidum, an frigidum biberent, absolvemus quæstionem.

CAP. IV.

An frigidum Veteres, an calidum biberent. Aquam decoquere quis invenit. De communi usu nivis. De vinorum crassitie; Qui temperatum.
B *Oenopolia, Thermopolia. Pœna servis de aqua calida. Frigidæ usus præcipuus; ejusdem necessitas.*

DIVERSUS a prædictis temperandi modus ex auctoribus colligitur, in quo ambiguos inveni hactenus etiam peritos, an Veteres calidum, an frigidum biberent? nam utrumque usum frequenter legimus: eumque plane tradidit Plin. *lib.* XIX. *c.* IV. *Hi nivem*, inquit, *illi glaciem potant*, (*pœnasque* non puto legendum, sed restituendum *venas*) *venas montium in voluptate gulæ vertunt, coguntque ut alienis mensibus nix algeat:*
C *decoquuntque alias, quas mox & hiemant.* Et *lib.* XXXI. *c.* III. *Neronis inventum est aquam decoquere, vitroque demissam in nivem refrigerare; decoctam utiliorem, ac calefactam magis refrigerare.* Et *alio loco*: (ut posterius dicemus) *Calidum*, inquit, *bibere non est naturale*: immo sitis definitur a Philosopho, appetitus frigidi & humidi, non calidi. Quare in sententiam frigidæ, & nivis (ut deliciosæ in potibus) plenæ sunt historiæ, ac Seneca inter alios libros IV. *Natural. Quæst.* c. ult. acerrime declamat in luxuriosos suo tempore mores: *Nec nive*, inquit, *contenti sunt, sed in glacie rigorem exquirunt, ac sæpe eam repetitis aquis*
D *diluunt, ut pertinacius frigidum concipiat, ex abdito effoditur. Itaque ne unum nivis est pretium, sed habet institores aqua, & reponendæ nivis officinas, cujus colorem saporemque paleis, quibus custodiunt, inquinant.* Et subdit: *Quemadmodum illis nihil satis frigidum, sic nihil satis calidum est: sed ardentes boletos demittunt pene ferventes, quos deinde extinguant nivatis potionibus...... Itaque nix eo pervenit usu, ut aquæ locum obtineat.* Quæ hactenus compilavimus, ut sine controversia concludendum sit, quod Veteres, immo per omnem ætatem homines, frigidum potum habuerint in deliciis, ac calidæ usum admittebant, ut luxuriose
E magis nive experirentur vini potum frigidissimum. Verumtamen quoniam calidum, & frigidum potum non raro occurrit legere apud bonos auctores, Plautum, Horatium, Tacitum, Martialem, addam & Galenum, quorum sententias perperam intellectas quidam hac ætate detorquent in reprobum sensum, contenduntque quod Veteres biberent calidam ad delicias; nihilominus ex auctoritate Philos. I. *Ethic.* cap. X. *quoniam VERUM vero consonat ex omni parte, falsa autem omnia dissonant*, facile ex eisdem auctoritatibus in verum sensum restitutis, & ratione demonstrabitur, quod
F aqua calens tunc ex communi usu immista vino, quoddam erat vini præparamentum ad frigidum, & suavem potum, nequaquam calidum biberent. Nisi forsan vitio, aut medelæ causa, quæ (in his consistit fallaciæ punctus) exceptiones ad communem illorum bibendi ritum non habent locum. Quocirca tres præcipuæ ambiguitates erant accurate magis ad illorum auctorum intelligentiam animadvertendæ. Prima est circa illorum vinorum crassitiem ac vetustatem: altera, quod ob illam substantiæ crassitiem necessario vina erant per cali-

dam temperanda, ac dissolvenda ad potum: & tandem quod ad naturalem potum, in frigida vel nive refrigerari consueverint. Primum quidem ex propositis hactenus speculationibus, talem invenimus fuisse tunc temporibus vinorum crassitiem, ac vetustatem, ut sub sole diu, flammis, ac fumo in mellis consistentiam redacta (ut cum Plin. *lib.* XIV. *c.* IV. consentit tota antiquitas) *potari*, inquit, *per se non possent, nisi pervincerentur aqua, usque in amaritudinem carie indomita*. In hanc sententiam duæ, vel tres veniunt Horatii auctoritates, quæ antehac illo ritu ignorato perobscuræ, hinc fient clarissimæ: *lib.* III. ode VIII.

Hic dies, anno redeunte, festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere institutæ,
Consule Tullo.

Mirum narrat, vini amphoram per annum ante suum natalem diem Tullo Cos. quinquaginta, vel amplius annis, suberis cortice ac pice adstrictam, & super fumo tot annis repositam, unde crassum redditum vinum, in gratiam Mecœnatis tanti hospitis jusserit aperiri. Et altera *ode* XXI. ejusdem libri ubi vinum dixit vetustate languidum:

O nata mecum consule Manlio, (a suo scilicet natali anno)
Descende —
Promere languidiora vina.

Ubi languida vina, hoc est, lenta tamdiu & crassa evasisse indicat super fumo, ut vix depromi aut hauriri possent e testa. Quem usum, & alia superius *ode* XIX. declarat, in qua irridet facile Telephum amicum, qui rerum exoticarum scriberet carmina, & non potius consuleret, ut jucunde viveret in Oinopoliis:

Quo Chia pretio (quæ scilicet vetustissima, & crassissima)
Mercemur: aquam quis temperet ignibus.

In quibus verbis desultoria magis quorundam interpretatio fit, nec congrua elimatissimo Poetæ, ut ex vino Chio, quod consulit mercari, ac temperari ignibus, cum calida ad potum transeat eodem versiculo, *& quis aquam temperet ad balneas*, quam & Lambinus noviter secutus, obliquam tamen persuasus interpretationem, in fine se modeste retractavit, ac ad vinum hieme forsan tepefaciendum se retulit, quæ & Poetæ, ut patet, extorquet sensum. Cæterum fumo ac vetustate vina crassescere consuevisse, jam fuse alibi a me est demonstratum, ac præclaræ, quæ hactenus obscuræ, id confirmant sententiæ. Ut Ovidius in *Fastorum* V.

Prodit fumoso condita vina cado.
Quod clare magis Tibullus *eleg.* II. *lib.* I.
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos (scilicet potus)
Consulis, & Chio solvite cado.

Ubi non minus inepte quidam, fumosos, hoc est, valida, aut fumo contemerata vina exponunt, quemadmodum ex Galeno demonstravimus in sua Acia, fumo ac flamma diu vina maturari. Et ex Columella *lib.* I. *c.* IX. Apothecam construi debere in villa rustica, in qua vinum super fumaria maturesceret, dum non nimia sufficerentur, quo vitio damnavit Martialis Massiliæ fumaria, quæ nimio igne perassata, ac ceu toxica fierent, *lib.* X. *epigr.* XXXVI.

A *Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,*
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.

Porro ad hunc usum popularem dissolvendi vina per aquam calidam, quam partem secundo loco diximus animadvertendam; res occurrit memoratu digna: Romæ, & in magnis urbibus, quemadmodum legimus fuisse οἰνοπόλια, id est, publica vinorum emporia, advectitiorum præsertim, quæ diximus pretiosa, Chia, Thasia, Maronea: erant & θερμοπόλια, in quibus scilicet vænales aquæ calidæ pararentur, cujus formam inferius pene erutam e tenebris configurabimus. Ad quam publicam
B officinam servi, quorum hæc erat cura, ante cœnæ horam mittebantur, qui urnas aquæ calidæ, chalco seu quadrante emptas, ante ferrent ad cœnam dominis suis. Cura, inquam, data illis, ob rem adeo seriam a dominis suis (ut testes sunt Seneca *ad Lucilium*, & Ammianus Marcellinus in pedagogio) ut si servus aquam calidam tardius attulisset, trecentis affligi verberibus juberetur. Non eo quidem sensu, ut pertinaces isti in potu calido arguunt, quia siticulosus dominus inhiaret ad calidum; sed plane quia ingressurus ad cœnam vino non prius dissoluto per calidam, inepta autem ad id esset frigida, coactus esset, ob servi negli-
C gentiam, suspendere cœnam, & potum: unde merito servum plectendum jusserit. Cæterum de usu frigidæ post calidam necessario, cum frigida simpliciter inepta esset ad illum usum, quia nimium frigida non dissolveret vina tam crassa, immo supernatasset, ac auxisset illis vinis crassiciem; sic dissolutis illis per sinceram calidam, necessaria statim erat frigida. Ut scilicet superinfusa eidem calido, vel pleno ipso vase potorio misso statim in frigidam pelvim, (ut moris est) vel in nivem plenis cantharis, sicque refrigerato poculo, vinum nitore aureo splendidum, ac frigidum biberetur. In
D hanc frigidæ necessitatem complures auctoritates perperam ex adverso adductæ consentiunt: Martialis imprimis *lib.* VIII. *epigr.* LXVII. cui invitatus ad cœnam sodalis, qui inhians ad potus inclamaret calidam, calidam; illum Poeta, & quasi thermopotores istos, visus est redarguere, dum ait:

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.

Quare calidam absolute numquam nisi vitio aliquo legimus, ut frequenter frigida simpliciter occurrit, & nix. Ut idem Martialis, *lib.* XIV. *epigr.*
E CIII.

Setinos moneo multa nive solve trientes.

Et *lib.* XI.

Nec nisi post niveam Cæcuba potet aquam.

Ac plura similia. At plerumque congeminatas legimus, calidam ad præparationem, frigidam vero ad necessitatem potus, ac naturalem extinguendam sitim. Ad eundem sensum, idem Martialis in
F *Apoph.* epigr. CV.

Frigida non desit, non deerit calda petenti.

Et Juvenalis *sat.* V

Quando vocatus adest gelidæ, calidæve minister?

Quibus plane locis frigidam aut gelidam tamquam necessariam proponunt hi duo auctores: ad præparationem calida subjungitur.

CAP. V.

De calido potu auctoritates quædam adducuntur, perpenduntur. Eundem potum non tantum non fuisse communem, sed contra naturam demonstratur.

CÆTERUM quanti momenti sint adductæ ex adverso auctoritates, animadvertendum moneo, quod ubicumque calidum potum absolute legerint; in his ad proprium auctoris sensum redactis, aut vitium bibentis invenerint, & dolum, aut abusum, & manifestam noxam. Ac duæ inprimis, aut tres sunt apud Plautum auctoritates, quæ Plautinos sapiunt sales: in quibus videlicet actus comicus intendit repræsentare commune vitium, ac dolum tunc temporis servorum, quos profectos ad Thermopolium, ubi compararent aquam calidam, ac vinum pretiosum temperarent ad cœnam dominorum suorum, indicat illos suffurari consuevisse ex vasis vini pocula, ac pro ingluvie potandi, quam primum dissolutum calidum ingurgitabant, quo vitio plane arguit Græculos bibaces, ac servos in *Curculione*, Act. II. Sc. III.

Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio;
Ubi quid subripuere aperto capitulo, calidum bibunt,
Tristes ac ebrioli incedunt.

Clarius in *Milite Glor.* Act. III. Sc. II. ubi Palæstrio servus objurgans Lucrionem puerum conservulum, & alios servos, qui clam subripuerant calidum, ait:

PAL. *Procede huc, prompsisti tu illi vinum?*
LUC. *non prompsi.*
PAL. *Nec tu bibisti?* LUC. *Dii me perdant, si bibi.*
PAL. *Qui jam?* LUC. *quia enim absorbui,*
Nam mihi nimius calor comburebat gutturem,
Alii sunt ebrii.

Et item in *Trinummo*, Act. IV. Sc. III. servus seipsum arguens, qui festinans ad potum calidum & ebriosus oblitus erat annulum:

—— *satin' in Thermopolio*
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?

Ubi verbum fingit servi ebrii, balbutientis, *thermopotare*, reponendum per hanc explicationem in Dictionariis: nec ait, *thermopotasti vinum calidum*; sed quod allusit in *Milite*, *Comburebat gutturem*. Vitium quoque ac dolus notatur ex Cor. Tacito de Nerone, qui cum parasset in potu venenato interimere Britannicum, adolescentem fratrem uterinum, veritus ne per calidum potum prægustandum a ministro, proderetur dolus; (scribit Tacitus) præbuit admodum calidum, & innoxium, id est, absque veneno: quem renuenti Britannico ob calorem, ac petenti refrigerari per frigidam, tunc illi jussit immisceri frigidam veneno imbutam, nec prægustandam: qui misere bibit, & in ipsa mensa interemptus est: quas in tanto casu imaginatur Lipsius delicias, aut calidi potus argumentum, nisi delicias Nerone dignas? Quem magis admiror, ut cum in apice abstrusarum lectionum se ostentaverit ingeniosum, condonandum quidem, quod exoletam illam vinorum consuetudinem minus perspectam habere potuerit; sed quinam frivolam non perspexerit illationem, ut, quoniam Tiberium legerit cognominatum fuisse *Caldium*, ergo antiqui principes bibebant calidum: an non enervat hæc ex positio vim dicterii, & Suetonii simul detorquet sententiam? quando non corrupta phrasi verborum, plane is nobilis auctor, tribus illis nominibus, tria meminit quæ illi inferebantur convivia, quod large biberet: Biberius pro Tiberio dictus, Caldius pro Claudio, quia præ vinolentia & calidum experiri volebat, & sine frigidæ lenocinio; immo quoniam & sine aliqua intermistione calidum & merum potaret, merito Biberius Caldius Mero, pro Nerone, fuerit his magnificis titulis cognominatus: quem locum Suetonii reor inter varia reponendum. Tria alia, præter hæc, invenio loca bonorum auctorum, quæ sub easdem cadunt censuras. Martialis de myrrhato vino in *Apophoretis*, epigr. CXIII.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior fit sapor inde mero.

Nempe quoniam ob crassiciem myrrhæ sic dissolutæ, id potari non poterat nisi calidum. Pulcher item locus Apuleii est *lib.* II. qui ludibundus cum amasia, inter flores & corollas: *Arripit*, inquit, *ille poculum, ac desuper aqua calida injecta, porrigit, bibam, idque modicum*. Quibus dictis quid jam, nisi morem tunc temporis exprimat infundendi calidum? non potu, sed ad propinationem in obsequiis amicæ, unde quid modicum bibit. Galeni insuper dictum est in *Aphorif.* XXXIX. *sect.* V. quod ex potu calido, præsumpto prius pipere, excitaretur singultus: Verte argumentum, ergo bibentes communiter tunc calidum, hoc vitio tentarentur, & in ipsa mensa singultirent: immo hunc ipse fatetur sibi fuisse proprium affectum, ut ex pipere & vino singultiret III. *de loc. aff.* cap. III. & VIII. *de med. sec. loc.* & qui fastidientem queritur habuisse stomachum, II. *de loc. aff.* adde vel hoc potissimum, infirma ejus ratio redditur: quoniam ea propriis derogat præsidiis, & AEtii, & Pauli *lib.* II. *capit.* LVI. qui singultum curari docent calidis, & aromatibus, pipere, cumino, & mentha, & aqua calida sorbillata. His ergo & aliis similibus nihil obstantibus, rationem concludimus demonstrativam, potum calidum non tantum non fuisse communem, nec regularem, sed contra naturam. Auctoritate summi philosophi II. *de Anima* ex. XXVIII. SITIS, inquit, *est appetitus frigidi & humidi, siccus cibus calidi & sicci*. Quare eminenti judicio Plinius, quasi præsagiens id paradoxum calidi in quæstionem venturum, concludit *lib.* XXXVIII. *c.* IV. *NULLUM animal præter hominem calidos potus sequi*, id argumentum est potum calidum non esse naturalem: adde cum & in vegetalibus, nullæ plantæ vegetentur calidis, sed frigidis, ac imbrium gaudeant irrigatione: qui secus ergo faxint, ordinem pervertunt naturæ, ac deterius biberint quam bestiæ.

ANTONII HADRIANI

DE S. ELPIDIO J. V. D.

ELOGIUM

IN THERMOPOLIIS ANDREÆ BACCII RESTITUTIS.

QUid Lector mirare urnas, miliaria, testas,
Quid Thermopolium exundans ferventibus undis?
Quodque legas, Absit gelidæ, calidæve minister,
Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.
An Veteres calidis miscerent pocula lymphis?
Accipe judicio scriptorum elapsa priorum.
Frigida non deerat, præerat sed calda bibenti.


MVLSVM
MVRRI IVM
FRIGIDA RIVM
TEPIDA RIVM
CALIDA RIVM
CHIVM
THERMOPOLIVM
CVM MILIARIIS
VASIS
CALE FACIENDI AQVAS
AD VSVM POTVVM
CVM VINO ET FRIGIDA

Languida qua primum solventes vina calore,
Mox eadem gelida miscerent nectara mensis.
Ast vitio quosdam thermopotasse, quid obstat?
Quos ritus valuit longæva abolere vetustas,
Baccius en renovat, Veterumque arcana recludit.

Cap. VI.

Thermopolium, seu publica officina, cum miliariis vasis calidarum aquarum, ad usum communem ad potus. Miliarium, & Ahenum quid. Miliarii artificium. Thermopolii ornamenta. Aquarum electio: Calida vænalis. Cœnæ hora. Cur servi plecterentur. Calida vænalis quare interdicta.

THERMOPOLII artificium, de quo ex Plauto meminimus, cum miliariis vasis ad usum calefaciendi aquas uti potibus communem, plane declarat Græca vox, a θερμῶ, & πολὺ, a calidæ aquæ multitudine: sicut & οἰνοπόλιον, quod emporium erat, seu publica vini officina. Miliarium vero in illo vasa erant ad id munus egregii operis, hoc solum nomine admirabile, quoniam vel minimo horarum spatio, susceptam superne a fornice Thermopolii aquam per emissarium publicum, calidam tanquam a perenni fonte indeficientem dabat, ut universum simul ac semel satiaret populum Romanum. Qui ritus diminute ac perobscure ab auctoribus elicitur: supponebant enim illi rem communissimam & usu notam: cujus equidem vestigia partim ex eisdem persecutus, ac partim sensu ipso rimatus locum cum Bonaroto Trismegisto altero, dum sub Pio IV. Pontif. Thermæ Diocletianeæ reformarentur in Ecclesiam; tantum opus ipse & Antonius Alegrettus nobilis physiologus Florentinus in hanc excudimus formam, nunquam abolendam. Nomen Athenæus *lib.* III. Romanum indicat, τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ Ῥωμαίων, quod & apud Catonem, & Senecam, & Palladium legimus. Idem vero aheni nomine dixit Horatius *epist.* II. *lib.* II.

Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.

Et Vitruvius ad usum Thermarum *lib.* V. *cap.* X. ubi explicat & modum: *Ahena supra hypocaustum tria sunt componenda, ita collocanda, ut ex tepidario in calidarium, quantum calidæ exierit, influat de frigidario in tepidarium ad eundem modum.* De quibus vasis jam nulla est dubitatio. Summa vero artificii hujus est, unde eadem in tribus vasis servaretur aquarum proportio, calidæ, tepidæ, frigidæ, ut quanta jugiter ex inferioribus vasis hauriretur calida, & successive tepida, tantundem frigidæ descenderet, calefieretque, ut eodem tenore & calore nunquam deficeret. Non dubium ergo quin in calidario & tepidario aliqua descendentis aquæ intercederet mora. Hunc ergo artificii modum nos restituimus ex Senecæ *Natur. Quæst.* lib. III. c. XXIV. *ad Lucilium*, qui dum populares dolet illius sæculi luxus, mollitiem in balneis, ac lautissimos in cœnis damnat apparatus, hæc obiter interserit verba. Construi solitum in ipsis miliariis dracones, quæ erant vasa fistulata tubæ instar ære tenui, per declive miliario circumdatos, ut aqua, dum ad os draconis conglomerati sæpe eundem ignem ambiret, per tantum flueret spatii, quantum acquirendo calori satis esset. Qua nimirum tuba declaratur, quod aqua ab emissario superiori non recta præcipitaret in miliaria, sed longis gyris fistulatæ tubæ circa intimum ventrem vasis, tantum interponeret moram, quo ad calefacta per os draconis foras prominens, uno tenore calida semper efflueret: artificium no-

A bile, & quod facile foret e mentibus hominum abolendum: nisi obiter a sapientissimo viro esset literarum monumentis reservatum. Suppleat vero hic conjectura judicium, ut, cum hoc munus esset ad usum innumerabilis populi, & ad lautas cœnas Principum, omnes superaret operum delicias: electione aquarum salubrium ac mundissimarum, quales erant ex aquæductu aquæ Martiæ electissimæ. Tibulli testimonio *lib.* II. *eleg.* I.

Temperat annosum Martia lympha merum.

Annosum dicens, quod evaserit per multam ætatem B crassissimum. Vel aquæ Virginis, & si qua alia esset nobilior: & quæ in Thermopolium exciperent mundissimum, vasis pro loci amplitudine, magnis, affabre ex ære fabrefactis, &, ut reor, intus stanno illitis, quod, Plinio teste, æris virus abolet, vel fusoria arte fornicatis, fulcris super hypocaustum firmissimis ab imo ad summum sustentatis: & non minus, ut aqua per servos hydriis, urnisque, vel argenteis, vel item stannatis, diligenter ex calidarii fistulis excepta, ad ministros triclinii, ac cellæ vinariæ, temperandis de more vinis pretiosis deferretur. Vænalis autem hæc erat a præ- C fectis Thermopolii, chalco, (ut Jul. Pollux est testis) hoc est, minimo quadrantis pretio, urna, vel urceum, certam mensarum non ponit: quemadmodum & in balneis quadrantem solvebant balneatorii, ut in lib. *de Thermis* declaravimus. Apparatus autem ejusmodi calidarum opportune fieret, antecederetque cœnæ horam, quæ erat ab octava diei hora ad nonam, XX. scil. & XXI. nostri horologii. Atque hinc certum habent sensum abstrusæ hactenus illæ auctoritates, quod servi, qui minus in tempore hæc obirent servitia, punirentur: qua de re Dion in *Claudio*, & Ammianus Marcellinus in pædagogio, vindices nimium arguunt heros suo D tempore in servos suos, qui, non adlata statis horis calida, trecentis verberibus plecterentur: non eo quidem sensu, quod siticulosus dominus inhiaret ad calidum, sed quia id esset indicium, quod vel suffurati essent vini calidi pocula, unde segnes & ebriosi nimiam debiti servitii interposuissent moram. Vel quia sic coacti essent convivantes ex illorum negligentia suspendere cœnam & potum, unde merito erant plectendi. Et non minus erronea fit quorundam interpretatio in eodem Dione, quod Claudius Cæsar interdixerit cauponis, ne vænalem haberent aquam calidam: arguunt ergo hinc, quod communiter biberent calidum. Nam vera æstima- E tione, & qui sumptus, vel cujus momenti potuit esse illud quadrantis pretium in opulentissimo populo, quando plebejus quisque dedecus sibi putasset, qui non centesimis nummis cœnaret, ut ex tot auctoritatibus jam citatis est demonstratum? Verum altiorem hinc elice edicti Cæsarei causam, quia remoto lenocinio aquæ calidæ, sumptus simul tollerentur populi inæstimabiles comparandis vinis peregrinis ac pretiosis ex Asia & Græcia, Chia, Maronea, Lesbia, totque aliis vetustissima & crassissima, quæ quoniam potari per se non poterant, nisi per aquam calidam dissolverentur, sublata a- F quæ calidæ venditione, necessario & tanta popularis luxuria in vinis exoticis tolleretur. Similis frivola adductio ex eodem Dione fit, quod Caligula cauponem interimi fecerit, qui contra edictum intra dies funeris Drusillæ vendidisset calidam, quasi ad delicias. Quin immo, ut ex Suetonio de ritibus illis Romanis adduximus in *Thermis*, mortua Drusilla exivit a Caligula edictum, in quo pro communi luctu neminem lusisse, lavisse, risisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge, aut filiis, capitale fuit: ex quo patet, quod non ob vænalem calidam

illum interimi jusserit, sed ob transgressum commune edictum.

C A P. VII.

Thermopolii, & Oenopolii usus apud Veteres. Illud ad duos usus præcipuos constitutum. Istius apparatus.

THERMOPOLIUM ergo in urbe Roma ad duos præcipuos constitutum erat usus: primum in thermis, quo aquas diximus parari solitum calidas, tepidas, ac frigidas, tanta copia, ut tanquam a perenni fonte in omnes balneas transcurrerent, universoque simul populo lavando sufficerent:& in hoc omnis cessat quæstio. Alterum ejusdem artificii genus, seorsum a thermis, locus erat, quem diximus, deliciosus, & publica officina: non una, (ut verisimile sit) in populosa admodum urbe, sed plures, & ad usum proprie calefaciendi aquas, quibus vina miscerent ac temperarent in cœnis. Oenopolium porro diversum ab his, ac similiter plura, publicæ erant apothecæ, in quibus proprie generosa vina exposita essent vænalia, ex ultramarinis præsertim quæsita, vetustissimaque, ac propterea multi pretii: quapropter in his non pauca, nec brevi continerentur vasa, sed numeroso apparatu amphoræ essent præmagnæ, ac testæ variæ capacitatis, quæ diversa continerent vinorum pretiosorum genera, ac deliciosarum simul potionum vasa, mulsi, murrhini, defruti, ac dulciaria, quæ essent variis ac deliciosis modis parata ex melle, & quales hodie paramus super omnes delicias illorum temporum, confectiones ex saccharo delicatissimas, quo illas solo caruisse lenocinio ad omnem luxum, magnus fuit defectus. Quo usu quidem vinorum participant quoque Thermopolia, præsertim urbana, auctoritate jam ex Plauto adducta, quod servi subripientes in Thermopolio vinum, bibissent calidum. Et alio loco, bibentem indicans similiter calidum in Thermopolio, *thermopotasti*, inquit, *gutturem*. Ex quibus consentaneum fit illi ritui tam celebri, quod in his Thermopoliis aliqua essent ejusmodi vasa vinorum, quæ assuescerent illo assiduo loci calore attenuari. Et quæ in corona Thermopolii exposita, quemadmodum appinximus, gratiosum præberent spectaculum, ac præsto magis essent petenti, nec ex Oenopolio comparanda. Vel etiam verisimile sit, quod servi, ut celerius parassent calida vinum, jussi essent illuc testas vino plenas deferre, ubi dum temperarent, operto (ut habet Plautus) ibi capitulo vasis, furtim biberent calidum.

C A P. VIII.

De magnificentia in Regalibus conviviis, & in potibus. De Vinolentis censura. Assueri convivium: ut & Alexandri M. Cæsaris, Luculli. Nestor, Cato, &c. vinolenti. Ritus ungendi caput antiquissimus.

AD illos cœnarum ritus, ac laudabiles, quos proposuimus, officinæ vinariæ & Thermopolii apparatus; jam licebit arguere, ut in mensis honestis mediocris vini usus facit ad robur corporis, & ad omnem animi moderationem; sic in cœnis regiis summam dignitatem habuisse vina concludemus, & in vinolentis summam potentiam. Ex antiquis historiis quæ major potuit esse magnificentia, quam quæ in *Hester* legimus de Assueri regis amplissimo convivio, quod cunctis dedit principibus suis Persarum ac Medorum inclytis, centum & octoginta diebus? In quo, præter alias delicias, aureis biberent poculis, ac vinum ut magnificentia regia dignum abundans ac præcipuum ponebatur: nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, proponens singulis mensis, ut sumeret unusquisque quid vellet. Maximum quoque fuit militare Alexandri Magni convivium, quod refert Arrianus dedisse, composita inter Persas ac Macedones seditione. In quo primo loco essent Macedones, secundo Persæ, postea alii populi, numero (ut fama erat) novem millium virorum, illosque omnes eodem cratere libasse. Dignum quoque memoria, quod recensuit Plinius *lib.* XIV. *c.* XV. *Cæsar dictator triumphi sui cœna vini Falerni amphoras centum, Chii cados centum in convivia distribuit. Idem in Hispaniensi triumpho Chium & Falernum dedit: Epulo vero, in tertio consulatu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum*. Addit Plutarchus in ipso epulo excepisse populum, tricliniorum in summa viginti duobus millibus: & post edita spectacula censu acto, censa capita pro trecentis millibus civium. Relinquo Luculli opulentissimas cœnas eodem auctore, ac liberalitatem in bonos præsertim ac studiosos incomparabilem. Et de Cleopatræ reginæ fastuosissimis conviviis, de quibus jam plenæ sunt historiæ, & summorum quorundam aliorum supremæ fortunæ principum immensis sumptis, quo propterea esse poterunt omni sæculo commendandi & admirandi. Quemadmodum nec ullo vini vitio damnandos censeo nonnullos in historiis celebres sapientissimos viros, ut Homerus de Nestore, quem describit bibacem, & in conviviis optimi consilii senem: sicut & de Socrate mentio fit in *Symposiis* Platonis, & Xenophontis, qui amicabiles amaret compotationes, ac sæpe festivis interesset conviviis. Et de Catone tam spectatæ sapientiæ sene, quem Plutarchus attestatur, ut in frequenti Senatu aliquando a Cæsare ejus æmulo imputatus esset vinolentiæ: cum tamen non ultra metam sobrietatis, sed, ut Horatius exemplo ejus adulatur amicis suis, qui assuescerent graviores animi ex vino tollere curas ode XXI. lib. III. *Carm.*

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero incaluisse virtus.

Nec minus sapientes quosdam in *Deipnosophistis* lib.x. apud Athenæum legimus, temulentiæ notæ fuisse tentatos: atque hinc laudabilem invaluisse morem, præsertim apud Græcos, ut in mediis conviviis Xenia præberentur unguentorum pretiosorum, quibus frontem & tempora epulantes leniter inungerent, ad arcendam ebrietatem: quem ritum ungendi caput & in *Evangelio* legimus, ac suo loco postea de propinationibus ostendemus. Quos tamen omnes excusabiles hoc nomine fuisse reor, qui pro naturali tunc generosorum vinorum impetu, vel modico unciarum potu animum senserint exhilarescere, haudquaquam proprio vitio temulentos fuisse imputandum.

C A P. IX.

Luxus in vinis, & de vinolentis exempla. Maximini Imp. ingluvies: ut & Philippi Mac. ac Alexandri M. Congius qualis mensura. Tiberius, Biberius, Claudius, Caldius, ac Nero, Mero, cur cognominati. Filii Ciceronis temulentia. Caligulæ prodigiosæ cœnæ.

HANC animadvertenda proposui, ut, quoniam contrariis juxta se positis solent magis elucescere demonstrationes, penes aliqua, quæ nunc percurremus, temulentiæ exempla, nesciam rite conjectari, an major fuerit illorum vinorum potentia, vel immensos potius illorum corporum metiri gur-

gites, etiam Principum quorundam; ut de Maximino meminit Capitolinus, qui sæpe in die vini amphoram biberet, & amplius comedisse carnis quadraginta libras, & mirum tamen, quod non crepuit medius. Ex antiquioribus autem non omittendam censeo Athenæi historiam de temulentis lib. x. *Deipnosoph.* quos inter commemorat Philippi Macedonis prudentissimi alioqui regis temulentiam: qui in publico auditorio ebrius interdum jus daret, & de Alexandri filii majestate non erubescit asserere, qui alias inter epulas & pocula in furorem percitus non abstinuerit in familiares suos manus injicere, & amicum interimere; alias adhuc gravius, cum ludibundus invitasset Proteam quendam bibendi certamine inclytum, bibissetque Alexander bicongium: (erat autem congius Romanis lib. decem pondo; χοῦς Græcis, & hic *ποτήριον δίχουν*, *bicongium* cum Budæo vertimus) cumque Proteas, rege multum laudato, & ipse quoque ea fide ac integritate bibisset, moxque eum eodem poculo provocasset, Alexander generose conatus eundem calicem ducere, cum partem jam traxisset, resupinata in lecti pulvinar cervice, poculum e manibus emisit; ex quo postea certamine in malam valetudinem incidit, donec interiit. Quo exemplo videtur in helluones invectus Persius *Satyra* III.

Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus.

Adhuc vero magis increvisse hæc bibendi luxuria visa est in Romanos, etiam principes, inclinatis jam Reipubl. rebus, quos propterea nefandis probris historiæ persequuntur. Ut ex Suetonio censuimus Tiberium, quem hoc præcipue temulentiæ vitio insignem, pro Tiberio, Claudio, Nerone, Biberium, Caldium, Meronem cognominatum meminit, hac videlicet ratione, quod bibax biberet calidum pro ingluvie, ac merum, ne per frigidam vini elanguesceret robur. Quem & Aul. Gellius attestatur, ignobilissimum quendam in quæstura candidatum nobilissimis antepostuisse patritiis, quoniam is in convivio vini amphoram se propinante biberet, (vix credibile) quæ cadi Romani æquabat mensuram, octoginta circiter librarum, & Ciceronem M. filium (ut raro videmus ingenuas parentum virtutes in filios prorogari, Homeri quoque testimonio, & non potius in turpe aliquod vitium degenerare) testis est Plinius *lib.* XIV. duos similiter congios uno haustu ebibisse, nempe sextarios duodecim, aut ferme viginti librarum pondo, ut dictum est. Infamissimum horum in censu Caligulam, (indignum Caii nomine) quem mihi videtur, scribit Seneca in lib. *de Consolat.* natura edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertium cœnavit una die, vix tamen invenit, quod diu cogitavit, quomodo provinciarum tributum una cœna fieret. Supputat autem Budæus centies sestertium, ducentis quinquaginta millibus ducatis æstimari. Subscribit adhuc Suetonius, hunc omnium prodigorum ingenia superasse, ut calidis frigidisque unguentis lavaret, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, convivis ex auro panes & obsonia apponeret, aut frugi hominem oportere esse dictitans, aut Cæsarem. Et item, illud præcipue studebat efficere, quod ab aliis fieri non posse negaretur.

Cap. X.

De luxu ac deliciis in secunda mensa. Cleopatræ epulum ex margaritis. Clodii luxus; ut & Apicii.

Luxus insignes hinc succincte persequar inæstimabiles, in bellariis, pomis, odoramentis, unguentis, floribus: addam & oblectamenta, symphonias, scenicos actus, ac varia ludionum spectacula. Jamdiu quidem de lautissimæ reginæ Cleopatræ conviviis ad Triumvirum Antonium plenæ sunt historiæ, Plutarchi, Macrobii, Plinii, Athenæi. Cui inter alias, tantam in cœnis magnificentiam admiranti, cum subridens regina dixisset, se donare illi omnia, nec ad satiandam suam ingluviem, scribit Macrobius, sufficere videtur quidquid mari & terra gigneretur in cœnis apposuisse, sponsione facta cum Antonio, se in unam cœnam centies sestertium posse insumere: demptam in secunda mensa unam ex duabus margaritis, quas gerebat ex aure, eamque mature aceto dissolutam absorbuisse, facturamque idem ex altera, nisi Minutius Plancius ejus sponsionis judex severissimus victum Antonium pronunciarit, prohibueritque. Fuisse autem pretiosissimum unionem tantæ magnitudinis ac pretii, inde colligi poterit auctoritate Plinii *lib.* IX. *cap.* XXXV. quod qui superfuit, victa regina & capta, ab Augusto Ægypto Romam delatus, dissectusque, ac factæ ex una margarita duæ, impositæque simulachro Veneris, ut monstruosæ magnitudinis, in templo, quod Pantheon dicitur. Summam vero centies sestertium ære nostro jam censuimus, fuisse ducentis quinquaginta millibus ducat. Sed quid miramur fastuosissimam reginam? quando idem Plinius subdit: Prior id Romæ fecerat Clodius Æsopi Tragœdi filius, qui, *ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ, singulos uniones convivis absorbendos dedit.* Cæterum quem ipse absorbuit, decies sestertium æstimatum, hoc est, viginti quinque scutatorum millibus; quam luxuriam visus est Horatius explicare *sat.* III. *lib.* II.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ
Scilicet, ut decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam.

Luxum vero, & causam tam effusæ impensæ a privatæ fortunæ homine, singulari exemplo explicuit Seneca in lib. *de Consolat. ad Helviam*: *Apicius nostra memoria vixit ..... Cum sestertium millies in culina absumpsisset, cum tot congiaria principum & ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, dum superfuturum sibi sestertium centies computavit,* (quod diximus ducenta quinquaginta millia ducat.) *veluti in summa fame victurus, veneno vitam finivit.* Quanta luxuria erat (admiratur Seneca) cui centies sestertium egestas fuit. Hanc historiam Martialis imitatus, recte tantum helluonem, & ipsum sæculum subsannavit, *lib.* III. *epigr.* XXII.

Dederas, Apici, bis trecenties ventri:
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ne famem & sitim ferres,
Summa venenum potione duxisti.

Cap. XI.

Bellaria, & poma in secundis mensis. Veteres non delectati fructibus. Melopepones Latinis postremæ notitiæ. Poma auri pretio: Persica carissima.

Inter bellaria, quæ secundis mensis apponebantur, erant varia τραγήματα ex melle, *dulcia*

Latinis, & *mellita*, quæ in efcariis diximus, & A item electiffima poma, perfica, & alii fructus. Cæterum, Veteres, ut frequenter *carnivoros* diximus, & ἰχθυοφάγυς *pifcium edaces*, non ita fructibus videntur oblectati, ut ex Philone quoque conculcatis verbis elicitur, *de Vita Contempl.* ubi præter electiffimarum epularum apparatus terreftrium, aquaticorum, & volucrum, tandem inquit, ne quid prætermitteretur naturæ munerum, poma apponuntur, nucefque δαψιλῶς, id eft, *copiofe*, quafi minoris cupedinis, vel primævis illis hominibus, quos vixiffe ferunt glandibus, relinquenda; quemadmodum & Horatius videtur ea ceu menfæ vilis efcas meminiffe, *lib.* II. *fat.* II.

B

—— tum penfilis uva fecundas
Et nux ornabat menfas cum duplice ficu.

Hinc (ut reor) rara fructuum quorumcunque occurrit mentio, nifi apud agricolas. Immo melopeponas pofteris, ac noftratibus adeo gratos, poftremæ notitiæ indicat fuiffe Latinis Plinius *lib.* XIX. *c.* V. *Ecce tibi*, inquit, *forte unum inventum in Campania, mali cotonei fimilitudine, & ex illo genus factum*. Diofcorides *lib.* II. *cap.* LXXXV. fub nomine περὶ σικύε cucumeris tres confundit fpecies, ob obfcuram tunc omnium notitiam, cucumerem, citrullum, & fativum cucumerem, gratum ftomacho (voluit dicere guftui) & urinas movens, ipfum fcilicet peponem, fic dictum Græcis, quoniam non nifi maturus comeditur. Hinc etiam fit, quod fructus aliqui carius venderentur, quia raræ eorum effent culturæ. Poma Varronis ætate, in Via facra (ob eorum penuriam) auro contra vænibant. Et Plinius *lib.* XV. *cap.* XII. de perficis: *Pretium jam fingulis* (ex Perfia fcilicet adductis) *triceni nummi fuere, nullius majore: quod miremur, quia nihil aliud fugacius: e longinquis enim decerpto bidui mora eft, cogitque fe venundari.*

C

D

CAP. XII.

Odoramenta, flores, & unguenta deliciofa in fecundis menfis. Suffimenta itidem adhibita. Unguentorum pretioforum enumeratio. Luxuriofæ ex floribus accubationes Heliogabali.

ODORAMENTA comparata erant in conviviis, tum rofis, aliifque id genus pro tempore odoratis floribus, quibus menfas & totum ornabant convivium; tum balfami fuper flores irroratis guttulis, aut fuccenfis opportune fuavibus fuffimentis. E Ut ex Plauto notatur in *Menæchmis*:

Sternite lectos, incendite odores.

Ex generibus vero naturalibus odorum, cum apud Veteres non adeo effent cognita, mofchus, neque ambar, neque zibettum, erant quidem fuccus Cyrenaicus, lafer odoratum poftea dictum, quæ & gutta legitur in Scripturis facris. Supplebant tamen abunde quæ arte parabantur pretiofiffima, ex nardo Syrio, Malabatri folio, ex quo & foliatum unguentum, Megalium quafi regale dictum Affyriis, Mendefium, ftacte myrrhæ, imperiale apud F Latinos, aliaque hujufmodi in deliciis, quibus & balnea fternerent, & theatra. Apud Homerum tamen, & apud Virgilium, qui eum imitatur in fuis conviviis, nec florum, nec odorum ullam comperimus mentionem: frequenter vero poft Homerum & flores, & odores, & unguenta legimus. Florum, & odorum, vel unico contextu, & modum, in communi lætitia meminit Horatius lib. I. *Carm.* ode XXXVI.

Nec defint epulis rofæ,
Nec vivax apium, nec breve lilium.

Quod lilium convallium Diofcor. odore & albicante flofculo. Plura fub compendio Martialis comprehendit *lib.* II. *epigr.* LIX.

Frange toros, pete vina, rofas cape, tingere nardo.

fcilicet unguento; theatra vero & fcenas croco confperfas, ac variis floribus, cecinit Propertius *lib.* III.

Pulpita folemnes non oluere crocos.

Scribit Spartianus, Hadrianum in honorem Trajani balfama & crocum per theatri gradus effluere juffiffe. Ufum deliciofum fluxiffe ad vitium declarat ejufdem Spartiani *Hiftoria* jam citata in anaclinteriis lectis, in quibus Ælius Commodus *foliis rofæ repletis, quibus demptum effet album*, (quia id inodorum) *jacens cum concubinis, velamine de liliis facto fe tegebat, unctus odoribus Perficis pretiofiffimis: qui mos*, inquit, *in frequentem venit ufum, ut accubationes, ac menfæ de rofis ac liliis fierent*. Violas vero ac flores in maximum traxit vitium flagitiofus Heliogabalus, (ut paulo ante ex Lampridio diximus) qui in lacunaribus tricliniis confperfis ex aperto lacunari violis, ac florum cumulis in fubjectas menfas, oblectatus dum videret patinas, & epulas cumulari floribus, ex ingenti diluvio paffus eft aliquos ex vilioribus amicis inter flores fubmergi, donec oppreffi, qui eripi ad fummum non poterant, efflaverint animam: dignus propterea & mihi vifus, qui inter præclara tot principum exempla, cum gravi jurgio Aufonii Galli de cenfu Impp. hinc fit explodendus:

Tune etiam Auguftæ fedis penetralia fœdas?
Antoninorum nomina falfa gerens.

CAP. XIII.

Oblectamenta, ac Spectacula varia in fecundis menfis. Luxus peregrina origo. Quinam falt averint in conviviis. Donaria ingentia. Spectaculum beftiale: Crudele apud Livium. Herodis, ac Vitellii Imper. fævitia.

EORUM, quæ ad cœnas & convivia apparantur, (dicebat Plutarchus lib. II. *Sympofior.* quæft. I.) quædam neceffarium habebant ordinem, ut vinum, epulæ, obfonia, ftragulæ veftes, & menfæ: alia erant voluptatis gratia introducta, ufu nullo quoad cœnam, ut acroamata, in cœnis præfertim Sapientum, de quibus poftea dicemus. Admittebant in cœnis, ac ludis etiam privatis, fpectacula varia, & Mimos, & Pantomimos, fcurras fcilicet, qui variis gefticulationibus ac verbis dicta ac facta hominum licenter æmularentur. Scribit Suetonius Auguftum ludis fuis, L. Decimum equitem Rom. qui Mimum fuum egerat, quingentis fefterrtiis donaffe, & annulo aureo. In monumentis antiquis a prima ufque hominum memoria legimus cantus, & fonitus, pfaltrias, tibicines, fymphonias, & omnia genera muficorum, præfertim apud Afiaticos, primarum deliciarum inventores; ut in *Daniele* XII. legitur, & in *Pfalmis*. Genera tamen comperimus varia, gentilitia apud diverfas nationes, & quæ in continuo fluxu, fuæ erant apud quamque nationem confuetudinis. Poftea & apud Græcos leguntur, ut in Homeri paffim conviviis, *Odyff.* I. & apud Platonem, & Xenophontem in *Sympofiis*, & apud pofteriores ejus generis, Plutarchum, & Athenæum. Quos & Latini Principes imi-

imitati sunt: in quo præclaram repetimus T. Livii auctoritatem *lib. xxxix. cap. vi. Luxuriæ peregrina origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas & alia textilia, monopodia, & abacos Romam advexerunt: tum psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis*. Similes tamen delicias admisisse primum Latinos, præsertim in ludis Scenicis apud Plautum pluribus locis habemus, ut in *Sticho*, Act. II. Sc. II.

Lectos eburatos, auratos, Babylonia peristromata, Consutaque tapetia, tibicinas, fidicinas, sambucinas.

Desidero ab antiquariis, ac nostris variarum rerum peritis, quid sambucinas intelligant, quid symphonias, & quid in cymbalis bene sonantibus psalterium, organum, citharam, & similia alia; quare in marmoribus Romæ, & fidicinas, & aulœdos, qui ad tibias canerent, sculptos videmus. Nec psaltrias modo moris erat canere, sed & convivas ipsos, (testis est Cicero I. & IV. *Tuscul. IX.*) qui ad tibias de clarorum virorum virtutibus canerent: quin etiam & saltarent, ut ex Xenophontis *Convivio* paulo ante meminimus, de Philippo sene, qui saltatricem Syracusanam imitatus coram Socrate & aliis convivis, ad citharam saltaret. Macrobius *Saturnal.* libro IV. delectatum meminit Augustum inter cœnam pueris symphoniacis, quos frumento donaverat, cum in alia acroamata liberalis fuisset nummis. Magnum vero donarium postea narrat Suetonius, Caligulam agitatori Eutycho in comessatione quadam in Apophoretis vicies sestertium contulisse; quod esset ære nostro viginti mill. ducat. & in Vespasiano, Apollinari tragœdo quadringenta, Tarpejo Diodoroque citharœdis ducenta, nonnullis centena, quibus minimum quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Transeo jucunda spectacula, & quas in conviviis agitabant comœdias, aut tragœdias, ac mimorum gesticulationes: bestiale vero, ut in

A cæteris aliis, spectaculi genus, post multas ganeas & scurriles cœnas, subdit & Lampridius de Heliogabalo: Qui, remota prima mensa, *habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per mansuetarios, subito ad secundam & tertiam mensam jubebat accumbere.* Unum non relinquam crudele spectaculum, quod T. Livius non sine commiseratione ac justa excandescentia commemorat, *lib.* XXXIX. *cap.* XLIII. de L. Quintio Flaminio Cos. quem scribit, Placentiæ in petulantis scorti gratiam, cujus amore deperiret, unum ex miseris, quos haberet in vinculis, attrahi jussum securi in ipso convivio percussisse: *Facinus sævum* (inquit bonus T. Livius) *& atrox: inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene*
B *precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis, in sinu Consulis recubantis, mactatam humanam victimam esse, ac ejus cruore mensam respersam.* Quid mirum igitur, quod & perfidus Herodes, dum in mensam ebrius eructaret crapulam, in obsequium similiter concubinæ Herodiadis, quod ejus filia egregie saltasset ad cymbalum, jusserit Joannis Baptistæ caput abscindi, quem illius odio tenebat in carcere? Nec subticendum relatum a Plinio *l.* XXXV. *cap.* XII. atrocissimum Vitellii flagitium, memoria non ulla fœdiore, cujus patinæ prodigiosæ veneno ducentos triginta convivas in-
C teremisset. Sed quid nos in has turbas, aut furias tantorum scelerum transgressi sumus, unde concludenda tragœdia sit? & quod minus decet, in subjecto tam lauto conviviorum, in quibus videntur antiqui Heroes omnes posuisse delicias, & communem exercuisse lætitiam? Quinimmo jam hinc videtur me revocari a Virgilii manibus in regio Didonis convivio lib. I. *Æneid.*

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

D Quare relictis his flagitiosis in æternum Dei judicium, ad concludendos illos ritus, in quibus Veteres convivantes communia habebant obsequia; hinc blandioribus exemplis descendemus.



ANDREÆ BACCI, *ELPIDIANI*

MEDICI ATQUE PHILOSOPHI, CIVIS ROMANI,

DE

CONVIVIIS ANTIQUORUM,

DEQUE

SOLEMNI IN EIS VINORUM USU, ATQUE RITU COENARUM SUMPTUOSISSIMO,

LIBER IV.

CAP. I.

Quid coronare vina in antiquis conviviis. Didonis convivium. Coronandi usus omni mensæ communis: Modus qualis. Cur Veteres coronarent capita herbis ac floribus variis. Coronæ argenteæ: Eæ in brachiis, & collo. Germanorum crateres pretiosi. Unguentorum usus.



HACTENUS quidem in his, quæ recensuimus de tam magno apparatu ac inæstimabili sumptu cœnarum, videmur quasi præcipuos scenicos actus illorum rituum repræsentasse. Unde jam in tanta mole ac varietate requisitarum rerum, pene a communi usu ac notitia exoletarum, explicatis majoribus difficultatibus, conciliatisque circa illos ritus non paucis ad hanc posteritatem controversiis, in accubitu, in escariis, in vinariis, ac ministeriis tam epularum, quam potuum, jam ad concludendum communem in conviviis applausum, summam de vini usu dignissimo adjiciemus coronidem. Quis ritus in lautis illis conviviis extiterit coronandi vina, quid propinandi, & quid libandi in tanta illius sæculi superstitione. Quocirca supposito hactenus communi potandi modo, & ut suo quisque arbitrio in cœnis familiaribus etiam Principum, miscere, aut merum bibere, aut temperare vinum & calida & frigida ad mensam consueverit: hunc quidem ritum seorsum a communi potandi usu, ac præcipuum in ordinatis ac magnis conviviis extitisse putandum, sicque vicissim convivantes sibi grata præstitisse obsequia. Nam quanquam hæ duæ partes coronare & propinare eundem videantur habuisse sensum, ut idem quandoque intelligatur coronare, & circumferre convivantibus vinum, & propinare, & cum his libare, certum tamen ordinem ex lautissimo Reginæ Didonis convivio apud Maronem intelligere licebit in I. *Æneidos*: ubi remotis mensis primum coronarent vinum, deinde propinarent, & ultimo loco libarent Diis, quod ferme nobis commune erit thema totius hujus Partis; quæ sic statim proponitur:

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Ex quo Poetæ exordio plane intelligitur, quod jam peracta cœna, mensisque, hoc est, ipsis epulis remotis, crateras statuerent coronandis vinis, ubi communia habet Servius, sed exactam tanti ritus non attingit rationem: *Aut quia*, inquit, *Veteres vina, hoc est, ipsa pocula coronarent, aut quia craterem usque ad summam coronam implerent*: quod sequens indicat carmen:

—— magnumque cratera corona
Induit, implevitque mero.

Verum tamen peritissimo viro non erat hic locus ad rei tam seriæ interpretationem: in qua, qui recte consideret altissimum optimi Vatis sensum, miro artificio in tanto lautissimæ cœnæ apparatu, visus est magnificas illas suo tempore mensas æmulari in cœnis Romanorum Principum, ac majestatem præsertim in Augusti Cæs. cœnis servari solitam repræsentare, in cœnis præsertim rectis, quibus Augustum præcipue delectari solitum, scribit Suetonius in *ejus Vita* cap. LXXIV. *Convivabatur*, inquit, *assidue nec unquam nisi recta*, hoc est, splendide, & in qua exquisitissimo apparatu, ac delectu tam rerum, quam personarum, quem ipse describit, recta, longo scilicet ordine, ut magnifica cuncta essent. Videntur autem hi ritus haud solemnes fuisse, neque certi instituti in omni cœna, aut convivio, quemadmodum certis anni temporibus popularia quædam celebrabant festa, ut diximus, Saturnalia, Bacchanalia, Parentalia, & Cerealia; in quibus nefas erat propinare vinum. Legimus tamen & in his publicis gaudiis aliquando hos ritus fuisse servatos, vel etiam cum Principes ac Reges muneris vice, vel in ostentationem suæ gloriæ magnifice agitarent convivia, ut in multis hactenus exemplis ostendimus. Frequenter vero cum inter familiares ineundæ, vel initæ amicitiæ gratia, munificentiam exercerent, seque invicem hilari convivio exciperent, interpositisque spectaculis, psaltriis, aut scenicis ludis, coronabant & vina, ac mutuo se invitantes propinabant. Quemadmodum & inter sapientes multa inita ejusmodi convivia legimus, ut apud Plutarchum, & Athenæum: in quibus qui convocati erant inter dapes, vel remotis mensis, grata animi causa exercebant acroamata, familiaresque disputationes, capitaque similiter virentibus floribus atque foliis coronabant, ac suavibus unguentis liniebant. Morem ac modum recensuit Va-

lerius Max. *lib.* II. de unguentis, coronisque in convivio dandis, secundis mensis, fuisse antiquissimum, ac ex Asiaticis deliciis emanasse ad Spartanos & Macedones, postremo ad Romanos, ut vocati dum cœnaturi essent, coronatis capitibus accederent, floribus ac virentibus herbis: quemadmodum ex multis præcitatis locis ostendimus. Ex quibus plane constat, quod non modo convivantes solemniter capita & personas ornabant, & coronabant vina, & vasa ipsa, & pocula; sed & ministri, & dapiferi præsertim, & pincernæ similiter coronati, cum inferenda essent pocula, vel mutandæ novis dapibus mensæ, cum tibicine similiter coronato, & cantu procedebant. Quæ spectacula & in variis marmoribus conspicere licet, in quibus, accumbentibus opipare convivis, pueri, aut puellæ apparent, aliæ saltatrices, aliæ cum citharis & tibicine, & qui vel pocula inferrent, vel sublatis in modum lætitiæ manibus florida afferrent serta convivantibus.

Ad hæc cum varios Plutarchus recenseat in convivis coronandis mores, hunc multis locis obiter tangit: ut quot admissi essent, ac digni putarentur illo convivio, suas quisque paratas acciperent coronas in capite, quibus videlicet in communi epulo liceret accumbere, & conloqui in corona convivii, & qui in symbolum consentientis, vel dissentientis sententiæ, modo coronas e capite deponerent, modo reponerent. Nobilem quoque modum meminit idem Plutarchus in VII. *Sympos.* in fine mensæ: *Sublatis*, inquit, *mensis, ac distributis a Melissa per singulas convivantes sertis, admissi in medium tibicines, qui varias intermiscerent melodias*. Ex quibus finis colligitur, cur sic coronarent capita, & pocula, & mensas, & item cur inungerent: nempe ad hilaritatem & decorem convivii, & in communem gratiam conciliandam ex floribus, herbis, atque odoribus. Addit Varro, & Plutarchus, quia coronæ erant recti convivii & sobrietatis symbolum ipsis convivantibus. Tum ex selectis herbis confertæ, quæ refrigerarent, reprimerent que a cerebro vinolentiam: tum etiam ex speciosis odoratis floribus, qui (ut in III. *Sympos.* legitur) suo leni calore aperirent cerebri meatus, unde vini exhalaret vapor, ac cerebri functiones inclarescerent. Ad quem proprie usum speciales commemorantur flores, ac herbæ *coronariæ* cognominatæ, Plinio *lib.* XXI. *cap.* IV. rosarum, violarum, croci, baccharis, luteolis floribus, ligustri, ac phyllitæ albicantibus, atque etiam hederæ. Unde Bacchum sic pampinis coronatum spectamus in simulachris antiquis, ac bacchantes fœminas hedera, quæ frigida (addit Plutarchus lib. I. *Sympos.* quæst. I.) qualitate restinguit ebrietatem. Bacchare autem, quæ folio aspero, verbasco similis Dioscoridi, si minus odore aut flore jucunda visitur, radicibus tamen elleboro æmulis nardi spirat odorem, unde Baccho forsan dicata, a quo & nomen: & rosa, quæ odore suo ac rubore (inquit idem Plutarchus) caloris indicat vestigium ad superficiem effusi, quare & rosis & myrto prisci Romani, ut meminit Varro, in coronis utebantur. Rosarum vero prima laus apud Poetas habetur, ut apud Horatium lib. III. *Carm.* ode XIV.

I, pete unguentum puer, & coronas.

Et item *ode* XXXVI. *lib.* I.

Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

Quod diximus ex Dioscor. lilium convallium. Violis & liliis in lectulis accubitoriis instructa deliciosa anaclinteria exemplo patet de Caligula & Helio-

A gabalo, qui multitudine florum ac rosarum ex versatili triclinio suffocari parasitos suos passus est. Nec dubito quin & coronæ floridæ aliquando fingerentur argento, flosculis etiam inauratis ad majorem luxum, præsertim hieme, cum non essent rosæ, neque alii flores, quod mihi confirmat illud simulacrum, quod Fulvius Ursinus liberali animo propagandi dignarum rerum notitias mihi ostendit. In quo tres fœminæ, una secus aliam accumbentes in eodem lectulo ad eandem mensam, ac regina in capite cum corona (ut specimen ostendit) argentea. Addit & Plinius brachia nonnunquam & collum coronare solitos, ut ex Hora- B tio diximus, & item Tibullus *lib.* I. *eleg.* VII.

Illius e nitido stillent unguenta capillo,
Et capite & collo mollia serta gerat.

Similia hodie vasa florida pretiosa, vel prægmagnos vario artificio crateras ex auro in usu esse audio apud Germanos Principes, quos gemmis adornant variis coloribus in æmulationem florum, rosarum, liliorum, & virentium citreorum: vel *smalto*, quod hodie vocant, eadem gemmarum loco appingunt, visu jucundissima: quibus coronatis calathis aureis, gloriantur se Antiquorum æmulari propinationes. Ad eundem porro usum adhibe- C bant fronti ac temporibus odoratissima unguenta, sed majore cum luxu quam floribus, eadem Valerii auctoritate, *lib.* II. Ut perungerent tempora spicatis ac aliis unguentis pretiosis, unde convivantes pro illa communi suavitate majorem inter se conciliarent gratiam, ac epularum arcerent nidores: quo in genere multa censentur a nobis in libro *de Thermis* ad usum balnearum, ut apud Reges Parthos primum comparari solita, megallium, & susinum a regali aula, spicatum, quod & nardinum, amaracinum, & baccharinum, Athenæo *lib.* II. ex baccharis forsan radicibus paratum. Adhuc vero majoris erant dignitatis (ut ex D eodem Athenæo elicitur) quod in Apophoretis & munificentiæ gratia apponebantur cuique convivanti illinendis fronte, & capillis, & in guttis alabastri, quod unguentis pretiosis, Plinio teste, servandis incorrupti primæ esset laudis. Unde & in *Evangelio* legitur, *alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi*, quo & tota domus impleta est odore. Sic coronatis convivis, levique unguenti stilla in fronte delibutis, coronatis similiter ministris, & coronatis vinis, & mensis, procedebat convivium ad propinationem.

CAP. II.

E *De propinandi ritu in conviviis Antiquorum. Princeps propinandi.* In poculo & vino consulere *quid*. *Proverbium*, In vino veritas, *unde ortum*. Rationem facere *apud Gallos quid*. *Propinationes variæ. Sapientum convivia sobria.*

RITUS quidem in his conviviis propinandi solemnis erat & gratus: non quidem ad explendam sitim, jam in fine mensæ; sed in communem lætitiam & gratiam inter se conciliandam, ut eodem cratere omnes propinarent, ac libarent pocula: F προπίνειν apud Suidam *præbibere*, &, ut explicat Athenæus *lib.* XIV. ut princeps convivii persona primum calicem a pocillatore sumeret, ac parum ex eo præbiberet, mox infra se aliis, & alii aliis propinarent: qui symbolum haberet initi invicem fœderis, & amicitiæ. Unde apud Demosthenem notatur, φιλοτήσιον προπίνειν, quasi *amicabile poculum præbibere*, καὶ ἐν κύκλῳ πίνειν, *in orbem bibere*, & *circumferre*. Huic præcipue muneri formam diximus a Symposiarcho præberi, quem συμποσίου βασιλέα apud Plu-

tarchum & Jul. Pollucem legimus. Regem, dominum, ac magistrum potandi *Modimperatorem* appellat Varro, *Dictatorem* Plautus in *Persa*, *Strategum* in *Sticho*, & *Parochum*. Hinc magisteria in poculo ludibundus commendavit Cicero in *Catone Maj.* In quibus scilicet sub magistro convivii delectabiles inirent disputationes. Ubi notanda dictio, *In poculo*, quam apud Græcos frequenter usurpatam legimus, & apud Plutarchum in *Sympos.* ἐν οἴνῳ, κατὰ οἶνον, *in vino, per vinum*, & *inter vinum* consulere, atque hinc ortum proverbium, quod alias ex Athenæo adduximus *lib.* III. Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια, *In vino veritas*, Καὶ οἶνος ἀλήθεια. Rationem aliquam ejus dicti reddidit Plutarchus, quia vinum bibentes reddit hilares, excludens metum & omnem illiberalitatem, veritatis est fœcundissimum, quare Antiquissimi (idem *Sympos.* VII. quæst. IX.) Bacchum εὔβουλον, hoc est, *bonum consultorem*, & ejus gratia noctem (quæ suavem conciliaret somnum) εὐφρόνην, quasi *prudentiæ altricem*, appellaverunt. Homeri quoque testimonio, qui *Iliad.* IX. Nestorem adducit prudentem senem suasisse Agamemnoni, ut præstantissimos Græcorum ad convivium invitaret, qui Trojano bello consulerent. Formam vero propinandi exponit idem Athenæus *lib.* IV. in Carani Macedonis cœna. Cum potum Caranus incepisset, jussit pueros propinationem parvis poculis in orbem circumferre: in quibus & invitare se invicem consuevissent. Quem morem servasse & antiquos Germanos in conviviis meminit Corn. Tacitus *Annal. lib.* qui in parandis bellis, in nuptiis, amicisque conciliandis convivari consuevissent, quem tamen morem postea converterunt in vitium: qui dum conantur bonam frontem, nec parvis contenti poculis in majorem sibi ducunt gloriam, etiam nobiles, quo capaciora uno haustu exhauriant pocula, tantumdemque cogunt exantlare sodales, donec eructent inter ipsos convivantes, vel edormiscant crapulam. Nec minus interdum Galli hanc usurpant licentiam, qui dum crebras exercent compotationes, *rationem facere* dictitant sodalibus, cum omni potius se exuant ratione, ac debacchantes subvertant etiam mensas. Nominabant & amicorum nomina, etiam absentium, in quorum gratiam biberent, ut plerique attestantur. Tibullus *lib.* II. *eleg.* I.

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Id primum in honorem Augusti dictum Cio Cassius commemorat, quod visus est arguere D. Ambrosius, *de Heliæ Jejunio* c. VII. *Quid obtestationes potantium loquar? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione.* Pulchram adhuc formulam propinandi ac bibendi in obsequiis amicorum exprimit Plautus in *Persa*:

Pægnium (puer pincerna) *tarde cyathos mihi das, cedo sane:*
Bene mihi, bene vobis, & bene amicæ meæ (sic bibens.)

Luxuriosas vero magis propinationes indicat Martialis, ut tot cyathos biberent, quot essent nomine amicarum litteræ, lepido *epigramm.* LXXII. *l.* I.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Graves subnotat Ausonius Gallus quorundam sui temporis popinas, qui sub prætextu trium Gratiarum & novem Musarum multiplicarent compotationes, unde ter tria propinarent pocula, sicque novies biberent, eo disticho:

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti.

Imitatus, ut videtur, Horatium, *lib.* III. *ode* XIX. ubi alludens tribus Gratiis, & novem Musis, eandem hortatur amicum potuum multiplicationem;

—— tribus, aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus potet
Vates, &c.

Præclara hanc partem concludemus auctoritate Plutarchi in *Convivio septem Sapientum*: *Bonorum, inquit, virorum & sapientum convivia non augent impensas, sed minuunt potius, dum supervacanei obsoniorum apparatus omittuntur, & unguenta peregrina, & bellaria, vinorumque pretiosorum diffusiones.* Immo erant qui auctoritate Platonis, ut tibicinas admittendas damnarent, quando sine his haud minus putarent perfectum convivium.

CAP. III.

De Acroamatis, & oblectamentis. Cœnare solus, proverb. Saltationes, Tragœdia, Comœdia, Amatoria, Mimi, & varia instrumenta musica, in conviviis olim adhibita. Acroamata ex gratis colloquiis.

SCITE quidem Plutarchus in præfatione VII. *Sympos.* frequens fuisse meminit dictum in ore Romanorum, *Non cœnare eum, qui solus cœnaret.* Suavissimum autem cœnæ ac mensæ esse condimentum, *Bonum*, inquit, *& amicum, qui præsens sit, vel familiaris quispiam notus homo, non quod una edat, & bibat, sed propter communicationem colloquii, quod ultro citroque comiter conferatur.* Et in VIII. *Qui acroamata e conviviis, hoc est, auscultatorias tollunt disputationes, pejus agunt, quam qui lumen inde tollunt.* Propriam vero ad id quæstionem proponit idem Plutarchus q. VIII. *Quænam potissimum acroamata inter convivas sint adhibenda.* Responsumque est Platonis auctoritate, multa ex eorum generibus esse rejicienda, quæ præsertim graves animo ingerunt affectiones. Ut saltationes, quæ multas requirunt personas, unde fastidium inducitur, vel jocosæ tantum, ac pedestres admittendæ, veluti quæ Pana, aut Satyrum cum Amore saltantem imitentur. Nec tragicos actus, quæ acerbitatem ac commiserationem excitare solent. Nec comœdiam, quæ ob libertatem dicendi seria inter convivas usurpat, nimisque intemperans est, vel indecoris verbis repleta. Potius Menandri quædam, aut similes admittendæ, quæ lenibus jocis contemperatæ, & animos relaxent, simul & oblectent, & juvent. Amatoria quædam in epithalamiis concedenda, non procaces meretrices, neque adolescentum amores, nec vitia virginum. Mimis & mimorum ludicra in conviviis conveniunt, qui scilicet dictis, aut factis, & sine verecundia turpes hominum mores effingunt, simiorumque imitantur gesticulationes; ut Ovidius *de Tristibus*;

Scribere si fas est imitantes turpia mimos.

Potissimum vero dum scurrilia agunt, quæ & mulierum honestatem contaminant, & impuberem verecundiam. Enimvero (subdit Plutarchus) cithara antiquitus, usque ab Homeri temporibus, cum

ſocia convivii æſtimata ſit, ejus non convenit divellere ſodalitium: quo loco citharæ nomine videntur omnia Muſicæ inſtrumenta intellexiſſe, lyram, & tibiam, cantum, & reliqua organa. Mundus enim (in lib. *de Muſica*) & reliqua omnia a Deo conſtituta ſunt in quadam harmonia, ac admirabili partium concentu: quare Muſicæ pariter harmonia introducta videtur in cœnas, ut ſummo ſui ordine, ac concinnitate ab omni labe vini ex citet animos, ac vini contemperet calorem, quod Homerus eleganter docuit *Odyſſ.* I.

Cantuſque, & choreæ, quæ ſunt anathemata cœnæ. (interpretor grata donaria)

Tibiam vero, ne ſi velimus quidem, a menſa arcere licet, nam libationes, quæ ad divinum cultum celebrantur, eam exigunt una cum corona. Verum nunquam videtur tibiæ, vel lyræ cantus abſque ſermone, & ode delectare poſſe, quando conjuncta cum delectabili carmine nos invitat, & delectat: quæ hanc tamen habeant venuſtatem, & tempera tam harmoniam, dum tibiis his, & pſalteriis extrinſecus,non deturbetur propria in ſeſe oblectandi ratio, ac delectatio, quæ in conviviis ex litterato colloquio haberi ſolet. Hæc hactenus ex Plutarchi fontibus haurire licuit. Cui non poſtponenda optimi judicii Ciceronis in *Catone Maj.* auctoritas: *Me vero & magiſteria*, inquit, *valde delectant a majoribus inſtituta,& is ſermo, qui more majorum a ſummo magiſtro adhibetur in poculo*: quippe, qui ut cibus corporis (in *Tuſcul.* IX.) ſuaviſſimus ſolet eſſe animorum paſtus, cuncta fere Antiquorum convivia, Platonis, Xenophontis, & poſtea Plutarchi, & Athenæi, delectabili hoc ſtylo conſcripta ſunt, quæ præter ſuaviſſima ſenſibus illa acroamata, tibiarum, lyræ, citharæ, ſambuciſtriæ, pſaltriæ, jaculatorum, gratiſſima præcipue conferrent animis oblectamenta, illuſtrarentque mentem dignarum in quaque diſciplina rerum notitia.

CAP. IV.

De libandi more in conviviis: Ejus inſtituta. Libare an a Libero Patre. Vera originatio aperitur.

CONJUNCTA hæc in conviviis jam conſtare arbitror fuiſſe munia, coronare vina, propinationes circumferre, acroamata præbere & libare diis: ultimo loco venient Apophoreta diſceſſuris e convivio convivis. Hujus vero ritus, qui erat præcipuus libationum, plenæ ſunt ſimiliter hiſtoriæ, ac poemata Antiquorum,& imprimis Homeri multis locis, vel in conſiliis, ac initio parandi belli, vel in votis, in gratiamque initæ, vel ineundæ amicitiæ. Quod jam inde a ſuperſtitioſo Ægyptiorum ſæculo inſtitutum, Aſſyrii, Græci, & ultimo Romani imitati ſunt: dum jactarent Bacchum univerſo terrarum orbe peragrato (ut ex Herodoto,ac Beroſo elicitur) victor ex Scythis atque Indis primitias Jovi magno contuliſſe, ac primum libaſſe, ac ejus nomine a Libero Patre libare dictum putant, & libamen, ſeu libamentum ipſum libandi munus, apud Ciceronem, & Virgil. atteſtante Ovidio in *Faſtis* II.

Nomine ab Auctoris ducunt libamina nomen.

Vel potius deductum eſt a verbo Græco λείβω, quod & Latinis *libo* eſt leviter tangere, ore tenus deguſtare. Unde Vigil. lib. III. *Æneid.*

Oſcula libavit natæ.

Quo ſenſu libare pervetuſto more in ſacris votis, paſſim apud ejus ſæculi auctores legitur. Ut apud eundem Virgilium: Regina Dido, quæ primum libaverit Jovi hoſpitali, invocanſque patria numina ſupplicat:

Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Imitatur Homerum, qui in VII. *Odyſſ.* & Mercurio celebrat libamen. T. Livius *lib.* XXXIX. *c.* XLIII. quaſi moris ſua ætate frequentiſſimi, ait: *Ubi inter pocula, atque epulas libare diis dapes, ac bene precari mos eſt.* Atque hic libationis antiquæ eſt verus ſenſus.

CAP. V.

De Apophoretis: Ea unde dicta. Xenia quid, & unde. Saturnalibus ſolemne munus Apophoreta: De iis Martialis liber. Apophoretorum genera.

MUNIFICENTIA, ac ſummum convivii ornamentum, erat in Apophoretis; donariis videlicet, quæ princeps convivator, peracto convivio, ut majorem ſibi a convivantibus iniret gratiam, unicuique donaſſet. Deducta vero *Apophoreti* dictio eſt a verbo Græco ἀποφέρω *aufero, tollo*, quoniam quiſque oblatum ſibi munus tollebat, auferebatque ſecum. Quo ſenſu, & ξένια leguntur, munuſcula ſcilicet hoſpitibus dari ſolita, unde ξένιος Ζεὺς, *Juppiter hoſpitalis*, καὶ ξένη τράπεζα apud Homerum, *hoſpitalis menſa*, & ξενιωθείς *muneratus* Xenophonti, καὶ ξενίζειν *hoſpitio ſuſcipere.* Pro innumerabili vero apud Græcos copia, ac varia derivatione vocum, ſpecialem magis unaquæque videtur habere in donariis ſignificationem: ut ξένια dicantur gratuita,& communi uſui conſtituta dona, quemadmodum ξενοδόχειον dicitur pro communi hoſpitio, & Thermæ olim erant in urbe Roma Xeniæ nuncupatæ, gratis ſcilicet ac publice conſtitutæ. Apophoreton autem proprie intelligitur certum munus, quod poſt convivium a convivantibus ſecum deferretur, auctoritate quoque D. Ambroſii *ad Virgines*: *Quemadmodum*, inquit, *invitati ad magnum convivium Apophoreta ſecum referre conſueverunt.* Id vero munus ſolemne legitur legibus Saturnalibus feſtis, quum Decembri menſe, quinque diebus nobiles Romani depoſita civili toga, ac ſyntheſi brevi veſte induti, ſervisque diſcumbentibus inſerviebant, ac pro communi lætitia munera ultro citroque mitti ac remitti conſueverant: ut Varro eſt teſtis, *lib.* IV. Iſidorus, & ab Ovidio tangitur in *Faſtis.* Et de Auguſto Sueton. in *ejus Vita* c. LXXV. *Saturnalibus, & ſi quando alias libuiſſet, modo munera dividebat, modo nummos omnis notæ.* Et item in *Veſpaſiano* c. XIX. *Dabat ſicut Saturnalibus, viris Apophoreta, ita & per Candelas Martias fœminis.* Martialis ad hunc ritum, duos integros epigrammatum edidit *lib.* XIII. *de Xeniis*, & XIV. proprie *de Apophoretis*, hoc eſt, de variis rebus dono dari ſolitis: quarum vel etiam voces erant pluri ex parte interituræ. In cujus *lib.* XIV. fronte proœmii loco hoc elegans proponit epigramma, quod omnem indicat illum ritum, nec videtur omittendum:

Syntheſibus dum gaudet eques, dominuſque Senatus;
Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Jovem.
Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo,
Cum videat gelidos jam prope verna lacus.
Divitis alternas, & pauperis accipe ſortes:
Præmia convivæ det ſua quiſque ſuo.
Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.
Quis neſcit? vel quis tam manifeſta negat?
Sed quid agam potius madidis Saturne diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipſe dedit? &c

Quo loco haud interpretem profitebimur, ſed ejus ritus compilabimus elenchum: hunc popularem fuiſſe ritum, ac Senatorium etiam munus, qui no-

ctes illas ducerent in lætis conviviis, apophoreta donarent, libertatem servis, quibus vel forte, vel aleis, vel talis colludere liceret: poeta ergo concludit ipse donare apophoretum, sua scilicet disticha. Ejus vero ritus apud nos, dum Natalitia hoc mense celebramus Sanctissimi Salvatoris nostri, apophoreta quidem remanserunt, ac munera majorum dari solita minoribus, & servis: reliqua vero, quæ saperent superstitionem invisam bonis, & lusus, & comessationes, recte sunt obliterata in totum. In censu vero tunc temporis apophoretum, ut ex ipsis lemmatis apud eundem poetam colligere licet, erant domestica utensilia, vestes, vasa, carta, loculi, tessera, dentiscalpia, acus, pectines, follis, pila, harpastum, alteres, strigiles, fistula, muscarium, canoræ cum suis caveis aviculæ, calices, vasa figulina, crystallina, myrrhina, & hujusmodi alia munera, etiam ludicra, ac puerilia. Cæterum neque hæc pars extrema convivii carere debuit luxu Principum ad summam magnificentiam, quorum multas recensuimus luxuriosissimas prodigalitates, ac ex duobus, vel tribus exemplis disce omnes. Relinquo Cleopatræ incomparabilem magnificentiam in cœnis Antonio datis, & ejus ordinum ductoribus, quibus donaverit omnem triclinii apparatum, argenteas sellas, & aurea vasa, ut in mensa fuerant apposita, & mancipia quæ unicuique servirent, & equos, & lecticas digressuris, & pueros, qui facibus prælucerent, repræsentavisse. Multi Principes Romanorum hanc æmulati sunt imitationem. Scribit Suetonius de Caligula in quadam comessatione agitatori cuidam vices sestertium in Apophoretis contulisse, quod jam diximus pretium quinquaginta mill. ducat. Et Capitolinus de L. Vero: Post cœnam convivis suis donasse pueros decoros, qui ministrarent singulis, structores, & lances, & calices singulis per singulas potiones, murrhinos, crystallinos, Alexandrinos, ac quoties bibitum est, data etiam aurea, & argentea pocula, & gemmata vasa, & aurea etiam cum unguentis ad speciem alabastrorum, data & vehicula cum mulabus, & mulionibus, argento phaleratis, ut ita de convivio redirent. Lampridius scribit Heliogabalum donasse argentum omne, quod habuit in convivio & omnem apparatum poculorum, atque id sæpius fecisse; & item alias, pro Apophoretis etiam eunuchos. Ex quibus paucis exemplis colligere licet, innumera alia fuisse in illis sumptuosis conviviis munera, etiam privatarum personarum immensa, quæ nec scriptura capit, nec quis conjectura, nisi cum magno stupore illius luxuriosi sæculi, concipere potest.

CAP. VI.

Finis vitæ Gentilium. Vana superstitio Deorum. Veterum prodigalitas. Histrionum opulentia. Caligulæ Imp. prodigalitas. Roma quando aurea. ejusdem privata opera, & immensæ divitiæ. Pantheum a quo exstructum. Virgilii vaticinium an de Christo intelligendum.

SUMMUM ergo ex his præmissis hoc concludemus argumentum, quod quantum pertinet ad vitæ cultum, illi conviviorum ritus apud Veteres, omnes superarent illorum temporum delicias. Cujus superbiæ non vulgares extitisse videntur causæ: quoniam illæ primævæ gentes, Ægyptii primum & Assyrii, deinde Græci & Romani, omnem vitæ felicitatem tribuerant fortunæ, & suorum deorum superstitioni: persuasique sunt ad illorum imitationem, ut non alium sibi præscriberent vitæ finem, nec aliam agnoscerent felicitatem, nisi jucunde vivere & eorundem voluptatibus indulgere. Quorum videlicet numinum jam popularis invaserat, A ac diu promulgata fuit a poetis, opinio, quod in summa felicitate divum immortalium accumberent mensis, (ut passim Homerus modulatus est) ubi nectare & ambrosia convivari, & ex raptu fabuloso adolescentis Ganymedis, coram Jove pincernis ejusmodi ministrari, vel ipsos interdum deos fingentes adstitere, Minervam Dictatricem, Apollinem cum cithara, Vulcanum coquum agere, Cupidinem pincernam apud Apulejum. Hanc vanam illi Veteres superstitionem amplexi, dum voluptatibus indulgerent, nullum reliquisse videntur luxum, nec ullum deliciarum genus in suis conviviis: quinimmo unus ex alio, ad juncta ad concupiscentiam B potestate in summa opulentia rerum, non aliam majorem putaverunt gloriam, quam in ostentationem divitiarum, & fortunæ sumptuosissime convivari; cogitarentque (ut tot jam historiis est demonstratum) non modo quorum famam accepissent in immensis cœnarum sumptibus imitari, verum etiam contenderent omnem eorundem superare prodigalitatem. At potius mirabimur privatarum etiam personarum, & histrionum, & Apicii prodigiosas in una cœna impensas: nempe quoniam hi evaserant opulentissimi, tum ex annua mercede, quam meruerant ludis, ac comessationibus Palatinis, Megalensibus, Compitalitiis, & Secularibus, C quæ sumptu publico fiebant: tum ex privatis quoque cœnis ac ludis, quibus interessent, aut novis magistratibus, aut funebribus, unde ingenti persæpe thesauro onusti domum redierint. In hoc judicium venisse quoque Budæum lego *lib.* II. qui ex Athenæi relatis computat Æsopum Tragœdum Romæ, annua mercede, non minus sex & triginta millibus aureorum meruisse. Quid ergo miremur inæstimabiles sumptus ipsorum Principum, & ne tot repetam alios, inexplebilem Caligulæ satietatem, & prodigalitatem, qui (ut Suetonius scribit) & panes ex auro interdum, & alias mangonizatas D auro epulas apponeret, & qui veluti in contemptum fortunæ, vel nudus se volutaret in acervis auri, vel nudatis pedibus calcaret perambulans? Vel quid dixerim in argumentis opulentiæ cum eodem Suetonio, Romam sub Augusto inventam lateritiam, ab eodem relictam marmoream, & adhuc amplificatam sua tempestate ædificandi superbiam in immensum; & non potius dixerit, quod subactis eo tempore tribus Imperiis evaserit aurea? Nam sublata tunc funditus Carthagine cum Imperio Africæ, & devicto paulo postea Mithridate cum Ponto, & Asia, & debellata sub eodem Augusto Cleopatra, & Ægypti regno, tot triumphis barbararum gen- E tium (ut testati sumus ex Luculli verbis) tunc onusta urbe Roma, & Italia, ferme totam æstimare licet fuisse auream. Quid miremur rursus Regum insaniam? *Bis* (inquit Plinius *lib* XXXVI. *c.* XV.) *suo tempore Romam visam duabus domibus cinctam, Caii & Neronis, & hujus, ne quid deesset,* (inauditæ scil. superbiæ ad insaniam) *auream.* Testimonio sunt privata opera, quarum incredibilem magnitudinem vel ipsæ admirantur historiæ: cum P. Clodius, quem Milo occidit, sestertiis centum quadraginta septem millibus domo empta habitaverit, & cum Milonem amplius sestertia septingenta millia æris alieni debuisset, inter prodigia F humani animi reputatur: computet alia ex his, qui volet, immensa divitiarum impendia. In quibus quidem non fortunam, sed divinam potius contemplemur dispositionem: ut cum Romana potentia in sublimi illa imperii majestate, vim quasi sub tanta mole pateretur; mirari subit quod divinis quoque judiciis prænunciatum fuerit, ut honestiorem vitæ & imperii formam, divina tunc illucescente gratia, esset habitura. Quam novi sæculi formam illustres auctores sunt contem-

plati, Lactantius Firmianus in *Divinis Inſtit.* Iſidorus *Etymologiis ſacris*, & D. Auguſtinus de *Civit. Dei*, hoc nobili inter alia judicio: ut, cum Romana gentilitas a Numa uſque & religionis cultum quendam amaverit, & juſtitiæ aliarumque virtutum modum ſervaverit, temporali ſaltem illa exaltatione ad tantam Imperii gloriam compenſaretur. Cui præclaræ multæ illius divinæ diſpenſationis ac novi luminis conſenſerunt gratiæ. Tunc Sibyllini libri aperti: tunc, oracula cur defecerint, ingenioſa diſſertatione diſputavit Plutarchus, qui ſcripſit & de ſuperſtitione. Tunc M. Tullius Cicero, *de Nat. Deorum*, ceu meras fabulas recantavit, *de Divinatione*, & *de Fato*, inſomnia, auguria, præſtigia, aruſpices, omnem vanam divinationem e bonis mentibus diſſuaſit. Tunc extructum ab Agrippa maximum Pantheon DEO IGNOTO, quaſi Pauli Apoſtoli verbo, & Domino dominantium tunc nato, Cæſar Auguſtus ſe Dominum in publico Senatu appellari vetuit, ac pacato ſub eo mirifice univerſo terrarum orbe, Janique ac belli portis clauſis, ac diruta poſtea cum ſua ſuperſtitione Hieruſalem a Veſpaſiano, ac templo Pacis ab eodem extructo ſuper cætera illius ſæculi templa ſumpuoſiſſimo; non vulgaria hæc portantur argumenta in illo Imperii culmine, & novæ redemptionis humani generis. De quo myſterio ſuper omnes Virgilius Maro ex Sibyllinis libris admirandum (ſic Deo diſponente) cecinit vaticinium, tunc novum inſtare ſæculum, novum imperii ordinem, novum monarcham (dictu mirum!) quaſi ex Virgine naſciturum, quanquam balbutientibus verbis, altiſſimis tamen encomiis celebravit. Quamobrem jam quintam partem meæ Comœdiæ (liceat mihi volenti & hoc uti ſolœciſmo) cum applauſu in regio Didonis convivio apud eundem Maronem concluſurus; in venerationem tanti vaticinii, hic illa prima aurea ac plena admirationis carmina, quæ ad citharam aliquando in Dei gloriam canere conſuevi, libet concinere:

Sicelides Muſæ, paulo majora canamus.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto,
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.

Chriſto ſcilicet tunc XIV. Auguſti anno naſcente feliciſſ.

ANDREÆ BACCII, *ELPIDIANI*
MEDICI ATQUE PHILOSOPHI, CIVIS ROMANI,
DE
CONVIVIIS ANTIQUORUM,
DEQUE
SOLEMNI IN EIS VINORUM USU, ATQUE RITU COENARUM SUMPTUOSISSIMO,
LIBER V.

CAP. I.

Virgilii carmen de regio Didonis Convivio in 1. Æneidos; *ex cujus paraphraſi forma convivii, ac omnis convivandi ritus concluditur. Ordo ac partes illius convivii. Magnificentia domus. Triclinium & menſa. Veſtes convivales. Vaſa aurea, & argentea. Miniſtrorum ordo. Didonis adventus, & ornatus. Supellectilia. Lectuli ſponda quæ. Locus Didonis & Æneæ in convivio, ac cæterorum accumbentium. Stragula ex oſtro. Cœnæ totius ordo: Ejus initium. Vaſa menſæ quænam. Servitia famularum. Dapum diſpenſatio. Supplicationes, & vota Diis peracta. Miniſtri varii recenſentur: ut & Veſtes variæ. Menſa pro epulis. Cætera in boc Convivio Didonis recenſentur.*

CONVIVALIUM rituum formam, ut ex prædictis brevi elencho concludamus, luculentam paraphraſim ex elegantiſſimo Virgilii carmine 1. *Æneidos*, de Reginæ Didonis convivio ad Æneam, ſubnectemus. In quo plane, & pro dignitate perſonarum, & pro apparatu regio, ac longa ſerie cunctarum rerum, ſummam tantorum rituum magnificentiam, & cum ſummo optimi Vatis judicio licebit contemplari. Ordo inprimis recti convivii ſupponitur, ut certus conſtitutus ſit locus, ac convivii auctor princeps perſona, cujus cæteri convivæ modum atque regimen ſequantur, *δαιτυμὼν convivans*, καὶ ἑστιαμένος, *major domus*, ſeu *dominus* apud Homerum, & συμποσίαρχος apud Pollucem, συμποσίου βασιλεὺς apud Plutarchum, hoc eſt, *Rex*, & *magiſter convivii*, qui & *convivator* Latinis. Requiritur, Aul. Gellio teſte, & apparatus non neglectus, in quo & delectus perſonarum habeatur ad convivium. Jam ergo locum & tempus propoſuerat optimus Vates, principem vero Reginam Didonem, quæ introducit Æneam, ac ſimul cœtum, hoc eſt, Æneadas juſſos regiis ſuccedere tectis. In ipſo vero ingreſſu regiam domum magnificis deſcribit modis, in qua videtur Auguſti aulam repræſentaſſe: hincque apparatum & ordinem convivii circumſcribit, ſplendida ornamenta, inſtructas laute menſas, ac toros, argentea ponit & aurea vaſa convivalia, nobiles perſonas miniſteriis addictas, oblectamenta, obſequia,

ac requisita alia longa serie percurrit, cunctaque cum dignitate adornat, coronandi tamen vina, propinandi, ac libandi solemnes ritus, communemque concludit applausum usque ad minimas notas, hinc facto initio:

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur ——

Ubi *luxus* notatus pro magnificentia regia, & cum omni sumptuoso apparatu, pompa, & splendore tam supellectilis, quam personarum: ergo ait:

Instruitur, mediisque parant convivia tectis.

Mediis, in medio triclinii, in quo distinctæ singulis erant mensæ, & tricliniares tori, æquo inter se spatio, unde ministeria convivantes reciperent, modo ex lateribus, modo a pedibus: sicut & in *lib.* III. ait:

Aulai in medio libabant pocula Baccho.

Ad pedes ministeria indicat Sueton. in *Galba*, & pueros, ministros ipsos, ac pincernas retro a latere scilicet, & post mensam:

Arte laboratæ vestes, ostroque superbo.

Vestes indicat convivales Seneca, seu cœnatorias, quas communiter candidas intrantes ad convivium induebant. Vel arte laboratæ, ostroque superbo, patrio scilicet Didonis ornamento, ut in *lib.* IV. idem Poeta:

—— *Tyrioque pendebat murice læna.*

Quin & acu pictas dixit Martialis *lib.* VIII. *epigr.* XXVIII.

—— *Babylonica picta superbe*
Texta, ——
Ingens argentum mensis, cælataque in duro
(scilicet vasa.)

Ubi per *argentum* ipsa intelligit vasa argentea: sicut & *auri* nomine Jurisconsultus intelligit vasa aurea. Eaque

Fortia facta patrum. (hæreditaria scil. ac suæ regiæ nobilitatis insignia)
—— *series longissima rerum.*

Copiam indicans vasorum, ac varia supellectilia:

Per tot ducta viros, antiquæ ab origine gentis.

Ministeria ostendens, ac obsequia regiæ familiæ, in honorem Æneæ, ac tantorum hospitum: inprimis vero spectabilem proponit dignissimæ Reginæ adventum:

Cum venit, aulæis jam se Regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Cum venit, in magnificum scilicet triclinium, in frequentique convivarum cœtu dignissime excepta. *Jam*, hoc est, post aliquod illi obsequium. *Superbis aulæis*, quibus proprie apparantur aulæ & parietes, pannis ac tapetis intextis ornatissimis: vel etiam pro supellectile ac ornatu regii tori, ac reliquorum lectulorum. *Aurea*, Reginæ indumenta, auro, purpura, & bysso Tyrio redimita, & quæ dixit Plinius paludamenta matronarum: *Vidimus Agrippinam indutam paludamento, aureo textili*: aliisque id genus ornamentis, sericis & carbasinis ex lini tenuissimi genere: quo maxime (ut scribit Nonius) fœminæ nobiles opulentiæ ostentandæ gratia amiciebantur, unde forsan *amicia* posteris dicta pro *camicia*. *Sponda*, & ipsa aurea, (nisi vitium cadat in syllaba) hoc est, in accubitorio se Regina composuit lectulo, ut quam commodissime coram mensa accumberet, super parte videlicet illa lectuli lignea, quam cedrinam, & eburneam, hic inauratam spondam legimus. *Mediam* se locavit, non in sponda, nec in capite mensarum, sed in medio, qui, Plutarcho teste, honoratior esset locus inter convivales, ut æque Regina in conspectu aliorum convivantium accumberet. Postea delectum notat personarum, & quibus datum cum Ænea ad regium accumbere convivium:

Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.

In quibus & convivarum, & dignitatis in accubitu servat ordinem: nam collocata Regina in medio, supponitur a dextris Æneam sedisse, infra vero Tyriorum quempiam primarium, vel forsan Achatem, & postea Trojanos alios digniores discumbentes, quo ordine visus est Poeta numerum modulari discumbentium, quem discimus ex Plutarcho trinum pro tribus Gratiis, ut primus locus fuerit Didoni, secundus Æneæ, tertius Tyriorum primario, vel Achati datus, & subinde aliis Trojanorum. *Stratoque super discumbitur ostro*, id est, suis quilibet lectulis, stragulisque ornatis: quemadmodum enim *accumbere* de uno proprie dicitur, *discumbere* de pluribus est, & *recumbere* quasi jacere, ut in Tityro:

—— *recubans sub tegmine fagi.*

Et in *Evangelio*, de quinque millium hominum miraculo, *jussit eos in fœno discumbere*. Strato super ostro, quod ὄςρεον & Græcis dicitur, tinctura scilicet purpuræ, quæ ex ostreæ, hoc est, purpuræ ostreaceæ, sanguine olim parabatur, quæ *murex* item Virgilio, & *buccina* a figura vocatur. Usurpatur vero pro ipso vellere, & stratis lectuli purpura tinctis. Distinguit tamen Nonius, ut color is a murice sit purpuræ violaceæ, ostrinus subrubeus, quæ tamen distinctio (ut nos in libro *de purpura* demonstravimus) non ubique servatur. Hinc ordo cœnæ ponitur:

Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.

Initium solemne cœnæ erat, sicut & nostro tempore, a lotione manuum; de quo ritu jam superius variam observavimus consuetudinem. Alii, qui exercitati, loti, & uncti essent in balneis (ut ex Xenophonte discimus) recusabant lavare manus: alii, qui non fuissent in balneis, lavabant. At exquisitus ordo describitur ab Homero IV. *Odyss* in convivio Menelai Telemacho & sociis suis dato, equos ex itinere lassos ac sudantes commendat stabulario, iisque ligatis in præsepi avenas præberi & hordeum, curru seorsum reclinato: introductos in regiam domum auro & aulæis splendidissimam, in balneum ducit, per ancillas lavat, ac unctos induit mollibus tunicis, ac exceptis ad lautam mensam, per alias famulas, pulchro ac aureo gutturnio super argenteo lebete lavant manus, apponunt mensam, & panem, variis obsoniis plenam: cum ministris circumdapiferis, & structoribus, qui lances disponerent, in eisque carnes inciderent, ac alii vina aureis poculis infunderent. Ad Homeri ergo imitationem (ut hunc locum interpretatus Donatus) sumpto per famulos gutturnio aquæ, ac lebete supposito pretiosis vasis, aquas dabant: alii mantilia ferebant tergendis manibus. Varro *mantelium* vocat, quasi *manuterium*, ex Pauti dictis: quod lata hic a Poeta significatione sumitur, tum pro amplissimis linteaminibus mensarum, *tonsis*, inquit, *villis*; tum pro mappis brevibus, quas habebat quisque villosas ad tergendas inter cœnam manus. *Cereremque canistris expediunt*, id est, panes distribuunt apparatis mensis:

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere Penates.

Apparatum plane regium describens, & deliciosum cultum ordine longo famularum: quibus scilicet essent varia ministeria distributa. *Intus*, id est, seorsum a triclinio. *Cura penum struere*: quia partim in penariis dispensarent dapes, partim vero ut puellæ, ac matronæ, quæ inter epulandum circa penetrales aras in mediis ædibus sacra facerent. Supplicationes ponit Homerus libare Diis, & bene precari Titus Livius, quem & Ovidius morem celebrat in *Fastis* lib. V.

Mos erat & mensæ credere adesse deos.

Et Athenæus lib. II. *Deipnosoph.* Veteres in deorum gratiam consuevisse agitare convivia: ut sic potarent liberalius, seseque invitantes amicitias inter se componerent sacras. *Cura penum struere*, non puellis solum data, sed & qui intus servi coquinarii δαιτροί, seu τραπεζοκόμοι, Plutarch. in *Sympos.* qui pararent dapes, & hos ordine, ut proposuit, longo, videlicet,

Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.

Quibus verbis & communia explicat servitia, duo præcipua, altera dapum, altera poculorum: quare seorsum a triclinio duæ commemorantur mensæ a Varrone, mensa escaria, & mensa vinaria: quibus proprii addicti erant ministri. Escariæ erant dapiferi, qui dapes inferrent, structores carnium, qui inciderent pulmenta carnium, & item piscium, quorum in Suburra meminit Juvenalis in II. *satira* extitisse proprios doctores, qui leni artificio tum inciderent, tum in medias mensas carnium onustas jactarent lances. Erant & prægustatores, ut apud Suetonium in *Claudio*, qui appositas coram principe dapes prægustarent; commemorantur & divisores epularum. Vinariæ autem mensæ præfuerat primum vini moderator, οἰνόπτης apud Pollucem, & Varronem. Deinde pincernæ varii: singularis, qui principi adstaret, qui ad cyathum stare proprie dicebatur, vel a vase potorio, ut in multis legitur marmoribus: alii plures simul in abaco vinaria inferebant cyathos, sextantes, vel trientes duarum circiter vel trium unciarum vini: hos & *cyathizare* lusit Plautus, & *miscere* item Græcis *μισγεῖν*, qui & pro arbitrio convivæ attemperatum aqua vinum vel nive propinabant. Ad quæ munia, tam epularum, quam poculorum, singularis fiebat delectus, præsertim pincernarum: quod innuit Poeta:

—— *totidemque pares ætate ministri,*

qui ætate, vestitu, & omni cultu splendidi, ac succincti levibus tæniis ad genua, capillis cincinnati, vel calamistrati, (ut verbo utar M. Tullii) vel intonsi, præfectis tantum a fronte capillis, sic ornati (inquit Philo) adstabant observando ad nutum, quod quisque vellet. Porro quæ essent dapum, aut vinorum genera, scite a Poeta non exprimitur, quasi supponens in splendido apparatu singula extitisse optima, & ea sumptuosa, sed pro honestissimæ Reginæ moribus, non luxuriosa. Sicut & quæ instrumenta essent mensalia, vel ipso usu patet, & cultellos extitisse incidendis panibus & eduliis, & gladios majores ad usum structorum, fuscillas pro pulmentis, & cochlearia pro jurulentis, argentea, aurea, vel ornatu eburnea, crateras, & pateras inferius explicabit aureas: & salinum in media mensa frequenter Auctores commemorant. Hinc & obsequia exprimit:

Nec non & Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, & toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum.

Omnia figurantur a Poeta plena lætitiæ & majestatis: splendidæ Reginæ in summo solio gloria, benignitas animi, frequens nobilium Tyriorum conventus: qui & ipsi jussi favore regio discumbere toris, *pictis* cognominat, hoc est, magnifico ac textili opere, & sine acu elaboratis, Cicero: & qui grata vicissim in Æneadas præstarent obsequia; honesta insuper admiratione novitatis, & tantorum hospitum, commendationeque regalium Æneæ munerum:

Mirantur dona Æneæ, (quæ ferre jusserat) *Iliacis erepta ruinis*,
—— *pallam signis auroque rigentem*,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ: colloque monile,
Et sceptrum, &c.

Pallam, honestæ mulieris indumentum, latum, ac ad talum usque demissum; palla dictum, sicut & pallium virile, quod palam forinsecus reliquas contegeret vestes: eoque non simplex, sed *circumtextum croceo velamen acantho*, aureo scilicet croci fulgore, & foliis acanthi modo circumtextum signis, *colloque monile*, aureum, vel margaritis ornatum;

—— *mirantur Iulum*,
Flagrantesque Dei vultus, simulataque verba.

jam dictum est, consilio & arte Veneris,

—— *ut faciem mutatus, & ora Cupido*

pro Ascanio ad Didonem iret: quare nunc mirantur Tyrii credentes Julum, flagrantemque Dei vultum, simulataque, sub forma Ascanii, verba. Mirantes vero eximiam pueri gratiam atque indolem ponit ingeniosus Poeta, quasi præsagiens in eo Julii Cæsaris ac ventura nepotum imperia. de quo ex decreto Jovis jam prædixerat:

Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar
Julius, a magno deductum nomen Iulo.

Verum, qui primus videtur fuisse in hoc poemate scopus; nullis melius episodiis, aut notis potuisset Poeta surgentis jam Carthaginis potentiam inaugurari, & quæ in æmulationem postremis annis cum Æneadum urbe ventura, foret Roma iis armis debellanda; nisi insitum jam animo Didonis conditricis, furentemque instinctu Cupidinis in eam amorem exprimeret, dum subjungit:

Præcipue infelix, pesti devota (hoc est, destinata) *futuræ*,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa, & puero pariter donisque movetur.

Formæ ac pulchritudinis mirabilem vim esse, nobilit declaravit exemplo Xenophon in suo *Convivio*, ubi sub Socratis persona inquit: *Quemadmodum lux aliqua, si noctu effulserit, in omnium oculos incurrit, sic venustæ personæ aspectus*: ut Ascanii hoc loco indicat Poeta pulcherrimam formam, ac pene cœlestem gratiam, cunctorum Tyriorum oculos in se convertisse, ac totum præcipue Reginæ animum sibi comparasse, mentemque in Trojanos benignam: quapropter inexplebilem in eam impressam cordi exprimit amoris Cupidinei vim:

Ille, (scilicet Julus) *ubi complexu Æneæ, colloque pependit*,

patris, in quem reciprocam in Reginæ amorem infundit cupidinem, subdit:

Et magnum falsi implevit genitoris amorem:
Reginam petit: (Cupido scilicet Julum fingens) *hæc oculis, hæc pectore toto*
Hæret, & interdum gremio fovet, inscia Dido
Insideat quantus miseræ Deus: at memor ille,&c.

Adhuc fortius in eam imprimit Æneæ amorem, quod memor ille, hoc est, consiliis percitus matris Acidaliæ, id est, Veneris, sic dictæ ab Acidalio fonte in Bœotia:

—— *paulatim abolere Sichæum*
Incipit, & vivo (scilicet Æneæ) *tentat prævertere amore*
Jam pridem resides animos, desuetaque corda.

Hoc est, jam incipit desuetos utriusque a pristino amore animos prævertere in novam amicitiam. Reginæ quidem vix residem in Sichæum abolet amorem: Æneam vero jam septem annis errantem, ac oblitum Creusæ uxoris memoriam, facile fuisse persuadet Poeta, instinctu dei mutuam inter ipsos conciliare benevolentiam. Quam idcirco confirmat ritu convivali coronandi ac libandi vina, qui (ut antea diximus) in nuptiis celebrandis, ac amicitiis conciliandis, erat Antiquis mos præcipuus, ut his plane carminibus declaratur:

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ

Intelligendum hic non proprie mensas fuisse remotas: nam paulo post sic habet:

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.

Remanserant ergo mensæ; sed mensas remotas intelligas dapes, & in quibus dapes apponebantur, discos, abacos, repositoria, qui communis est loquendi modus, apponere, & removere mensas, pro ipsis dapibus remotis, atque hinc ejus ritus initium fit:

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Mos erat in magnis conviviis, ex Homero, & apud Plutarchum, convivantes certo aliquo celebrare encomio, vel etiam aliquo munere gratificari, quemadmodum apud Martialem multa in *Xeniis*, & in *Apophoretis* commemorantur: quo nomine munificentissima Regina Dido, pro symbolo initæ cum Ænea amicitiæ, primum coronare vina instituit, mox in orbem convivis propinare, ac libare diis suis. Qui ritus, ut erat Antiquis communissimus, ac posteris sæculis religione introducta, ob luxum, qui remanserat, exolevit; non modicam simul reliquit ambiguitatem de modo, & tempore, & loco coronandi, & quæ essent coronæ, & quid demum libare; quam aliqua ex parte declaravimus. Nunc ex Poetæ dictis notatur, post remotas a mensa epulas, id munus coronandi institutum, juxta ordinem a Plutarcho explicatum in *Symposio septem Sapientum*. Statuunt ergo crateras in media corona convivarum, nec capita quidem Poeta meminit coronasse, nec floridis coronis, sicut erat mos Antiquorum; sed ut honestissimam decebat matronam, circa mensas & convivas pocula ac vina propinanda, eaque de more libanda exhibuisse, ut dicetur:

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria.

Strepitum fieri repræsentat, non modo ob multam frequentiam ministrorum & convivarum, verum etiam ob conventum popularem quasi in communi lætitia, & ob majora in principem Reginam obse-

A quia, ex quorum vario vocum concentu alta conclavia resonarent: nec sine strepitu, mutandis videlicet mensis, vel removendis epulis, ac statuendis demum ad tantum munus obeundum crateris. In quibus obsequiis, producta usque ad noctem cœna, nocturnos concernit motus, ac splendida luminaria, dum ait:

—— *dependent lychni laquearibus altis*
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

B Candelabra repræsentantur, quæ in solemni cœna tenebras superarent nocturnas, quibus præcipue in regiis cœnis ad noctem usque utebantur, incensis lychnis, dimyxis, (ut Græci vocant) trimyxis, polymyxis, duorum, trium, & multorum luminum, quæ ab altis laquearibus ædium in amplo triclinio meridianam discumbentibus redderent claritatem. Septem luminibus candelabrum in communi usu fuisse legimus, & in Scriptura sacra pro septem luminum cælestium numero. *Eunalia*, intelligit cereas candelas, cereos quoque dictos, & faculas, funalia a funibus, seu lychnis bombicinis, quibus conficiuntur, ac clarissimam reddunt lucem. Ipsum
C vero coronandi munus inducit Poeta ad majorem rei dignitatem, sicut & libandi, pro quodam initæ amicitiæ vinculo, ut ipsa manu regia haberet exordium. Ut ex Athenæo & Suida dictum est:

Hic Regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram.

Quam scilicet coram omnibus, vel in mensa reponi jussit: nam utrumque modum legimus, & a pincerna propinari pocula, ut Plautus, *Da puer ad summum*, & apponi in mensa calices. Pateram dictam,
D quod patula sit, eamque manibus Reginæ dignam, auro & gemmis ornatam posuit, quod genus ornamenti mensæ regiæ commemoravit primum Cicero *in Verrem* act. IV. qui invitatus ab Antiocho Syriæ rege ad cœnam, vasa inter alia multa aurea, quæ, ut mos erat regius in Syria, gemmis erant distincta clarissimis, abstulerit: quarum deliciarum & in Phœnicia usum fuisse verisimile sit, quæ Syriæ finitima, ac ejusmodi non dubie pretiosa vasa ex Augusti tunc mensa æmulatus videtur Virgilius: *gravem* vero dixit *gemmis*, quales etiam hodie videmus calices & pateras in sacris ex auro & gemmis graves, quo sint usui firmiores. *Implevitque mero*, puro &
E optimo vino, quod ἄκρατον vocat Homerus in convivio II. *Iliados*, unde & meracæ dictæ sunt propinationes. Et mulsum promere ex musto & melle mistum, ex Plin. & Plauto, quod initio cœnæ apponere solitum:

Implevitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo geniti.

Vas significans gentile suum, quod hisce munificentiæ ritibus a Belo patre ac majoribus fuerit servatum, quo & nunc Æneam honoraret: quare ad hos fastus ac pompas addit & solemnes cerimonias,
F tumque nutu regio, quasi captans attentionem, arcana nimirum dictura, figuratur a Poeta in summo obsequio silentium:

—— *tunc facta silentia tectis.*

Inclytæ supplicationis ante libamen exordium, in qua addit, & vota diis, primum Jovi hospitali in favorem hospitum, deinde patriis numinibus, Junoni tutelari, & Baccho convivali; captat & applausum a cunctis convivantibus:

Jupiter (*hospitibus nam te dare jura loquuntur*)
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno:
Et vos o cœnam Tyrii celebrate frequentes.

Quo voto in augurium speratarum cum Ænea nuptiarum, & futuræ (ni fata obstiterint) felicitatis, nihil potuit implorare dignius, nec in majorem Æneadum favorem. Hinc ritum perficit, & propinando libandi addit modum:

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.

Ut in ipsa scilicet mensa vinum, quasi sacrum libamen, summo tenus ore attingeret, quod est proprie libare, tum aliis similiter libandum propinaret;

Tum Bitiæ dedit increpitans.

Secundo loco cur non dederit Æneæ, ut ordo erat convivii, ac recta ratio sacri libaminis, id altius hæret in mente Vatis posterius considerandum, sed Bitiæ dedit, familiari scilicet (ut conjicere licet) institori. *Dedit increpitans*, hoc scilicet gestu libando compressis labiis increpitans, delectabile indicans libamen, quod post alii proceres libarent, & in cumulum gaudii:

—— *ille* (scilicet Bitias) *impiger hausit*
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

Nunc quam craterem dixit, pateram vocat pro amplitudine, & quia late pateret, ut Varro inquit: *spumantem* vero, id est, generoso vino plenam ad summum coronæ, quod videtur Servius coronare interpretatus:

Post alii proceres: cithara crinitus Iopas.

Post libamen inter omnes, transit ad ultimam convivii partem, & oblectamenta communia: quæ erat, (ut Plutarchus meminit in *Convivio septem Sapient.*) ut pro communi lætitia in media convivii corona symphonias audirent, musicæ ac psaltriæ cantus, & tibicines, qui interdum ad lyram & citharam magnorum heroum cantantes intermiscerent gesta, teste quoque M. Tullio *Tuscul. Quæst.* lib. IV. In originibus solitos fuisse canere convivas ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus: qui mos ceu communiter laudabilis, & in sacris Scripturis de filii prodigi convivio legitur, ubi de symphonia & choro mentio fit. Homeri quoque auctoritate scribit Plutarchus, qui in II. *Iliados* facit Achillem, dum renueret ad Trojanum bellum accedere, inventum cithara sonantem, & canentem heroica facta majorum. Quam dignitatem & in regali convivio Didonis servatam ipsa indicat altæ cantionis materia, in qua summus Poeta, in emulationem (uti reor) regiæ majestatis Augusti Cæsaris, qui (ut Suetonius testatur) digna acroamata ac ludicras modulationes in gratiam convivarum adhibebat, Jopam introduxit Poetam Tyrium: qui crinitus, ac florida Apollinis juventa, summo cultu, ac omni decore ornatus, (ut Reginæ præsentiam decebat) alto exorsus carmine, de primordiis caneret mundi ac naturæ, de hominum animantiumque origine, lationes percurrens orbium, ac planetarum, Solis, ac Lunæ cursum, cæterarumque stellarum cum cœlo harmoniam configurans; & cum his temporum assignans mutationes, reliquorumque supercælestium luminum vires, ac theorias, effectionesque repetens in gratiam Reginæ, quas Phœnicius Atlas docuerit:

—— *cithara crinitus Iopas*
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

A Quem in adulationem, inquam, nominat Reginæ, in Mauritania Africæ parte altissima oriundum, unde his stellarum atque orbium motus observans, primus antiquis Astrologiæ doctrinæ auctor habitus est, quam mira perstringit brevitate, & in communi applausu concludit convivium:

Hic canit errantem Lunam, Solisque labores;
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber, ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones.

B Hyades stellæ appellantur, inquit Gell. *lib.* XIII. *c.* III. Græcis ὕειν *pluere* est: quæ & Pleiades nostris dicuntur, ac pluviosæ in fine Veris oriuntur;

Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrii, Troesque sequuntur.

Cap. II.

Virgilii cum Homero comparatio de hoc Convivio. In ejus descriptione illum superasse hunc ostenditur.

C In hoc ergo inclyti convivii poemate, cum visus sit Virgilius Homerum in variis, quos is refert in *Iliade* & in *Odyssea*, ejusmodi ritibus imitari; ausim tamen dicere hunc eximium Poetam, & altitudine carminum, & exquisito judicio ipsum etiam superasse Homerum. Habet enim ille non dubie jus quodammodo acquisitum perennis laudis, præsertim a Græcis, & qui hisce applaudunt Latinis nostris: ac in eo admiramur omnes cum Plutarcho innatam pangendis carminibus facilitatem, ut ex luto, minimis quibuscumque rebus, ac quisquiliis, canora statim visus sit pomere poemata. Quemadmodum innumera hoc argumento idem Plutarchus

D adducit Homeri loca, in quibus non modo res magnas dignissimis amplificavit dilemmatis: ubi videlicet de Diis, & de Heroicis consiliis, ac gestis, & ubi naturæ aliqua occurrunt arcana referri; sed rerum, inquam, minimarum momenta quæque propriis circumscribit verbis, ac exprimit notis. Vel plane ejus ingenii vim conjicere licet in rebus jam enarratis convivalibus, quarum phrasim Virgilius æmulatus est. Cum in I. *Odysseæ* libro, exceptam describens convivio Minervam, triclinium proponit splendidum, ac varia ornatum supellectile, se-

E dentem facit in toro, extensum subter tapetem, pulchrum appingit & varium scabellum, θρόνον suppositum pedibus, juxta extensam politam mensam, τράπεζαν, panes, promam, ταμίην apponere, & varia edulia: tum *structores* adesse δαιτρὸς, qui carnes ad mensam inciderent varias, & qui πίνακας, *lances*, ac scyphos per mensas attollerent, ac aureis appositis poculis vinum pueros pincernas propinare. Hinc ingressos facit ex ordine procos consedisse, qui manus similiter lavant, infusa per gutturnium προχόον aureum, & lebete subter argenteo su-

F scepta aqua, & pueros, qui crateras coronarent potu. Hinc solemnes addit cantus, saltatorumque spectacula, ludicra ἀναθήματα oblectamenta, & citharœdum Phæmium, qui sumpta in manibus cithara caneret. Eadem in III. *Odyss.* in convivio Nestoris: ubi addit, & vota, & supplicationes, & libamina: item in IV. in filiæ Menelai nuptiis, in quo θεῖος ἀοιδὸς φορμίζων, *divinus cantor citharizans*, & duo saltatores inter ipsos, qui ad modulamen citharæ saltantes, sese in gyrum verterent, & in medio triclinii (ne locum desideres) nullas hujusmodi omittit minutias. Quos, inquam, ritus imitatus Virgilius in nobili Reginæ Didonis convivio, tri-

bus potissimum prærogativis videtur commendandus: Primum, quia præclaram habuit laudatissimi Poetæ imitationem, scientiis præsertim a posteris & Virgilii sæculo undecunque excultis: Deinde, quia & is ex natura eximiam nactus est ingenii felicitatem: Et præter hæc, quia exactissimam cum his adhibuit artem. Adde, & sub amplissima illo sæculo Romana majestate, tunc Augusto præsertim imperante, in cujus splendore cum in urbem universi terrarum orbis fuerit conventus, omni ex parte decebat summum Poetam, & urbis, & sæculi servare decorem, ut cuncta in elimatissimo poemate illam referrent majestatem. Quod plenissime ab eo factum esse, relinquo candorem verborum, luculentum historiæ ordinem, ornatissimam dicendi phrasim: ut in *Bucolicis* humilem stylum servaverit, sed non neglectum, & plurimarum rerum eruditione refertum: in *Georgicis* elaboratissimis, quod summam terrarum, cœli, & syderum, & ventorum, & fluminum naturam mirifice dimensus sit, eximiisque interim judiciis susceptam de re agraria ornaverit materiam: & super his, quoniam altitudinem heroicam ad summam gloriam evexerit in libris *Æneidos*. In quo miror equidem Plutarchum, tantæ peritiæ virum, multarumque rerum commentariis ac historiis illustrem, & qui jam homo Romanus a Trajano summis honoribus ornatus, ac consulari potestate in Illyrium missus, Suida teste, Thessalica tamen fide, nec sine invidentiæ nota ingrati animi, cum minimas usque nænias Homeri admiratus sit; transeo quod maledictis tam acriter in Herodotum invectus esset; ne uno quidem verbo dignatus sit commemorare Virgilium, quem nempe agnovisset elimatissimo super omnes poemate, gravitate Romana, ac Romanorum gesta miro compendio amplexum, merito cunctis Poetis ab omni ævo fuisse præferendum. Relinquo innumera passim judicia, unde post emendicata tot Homeri encomia hic inclytus Vates non fuisset a Plutarcho posthabendus. Nam in hanc sententiam, qui præferant Virgilium Homero, gravissimos invenio ac

A summa eloquentia præditos nostra ætate scriptores, Marcum Antonium Sabellicum, Jacobum Sadoletum, Hadrianum Bembum Cardinalem, Andream Navagerium. *Major ille ingenio*, inquit Sabellicus, *hic diligentia: ille copia, hic venustate: plus ille carnis habet, hic nervorum.* Succenturiatur illi Antimachi gravitas, Hesiodi copia, Theocriti proprietas, Apollonii diligentia, Pisandri fertilia; huic nostro Macri elegantia, Silii majestas, Papinii robur, Lucani vigor, Flacci indoles, Ovidii copia & urbanitas. Equidem vero hoc uno tantum loco sublime Virgilii judicium ausim conferre, vel etiam præferre cæteris Græcorum ingeniis; quippe arcanum quendam sensum in calce tam lauti convivii eum
B comprehendisse putandum est. Cur hic Poeta vini libamen a Regina Didone celebratum non similiter post Reginam Æneam posuerit libasse? quæ erat ritus illius institutio, ut, quemadmodum Regina id dederit symbolum initæ cum Ænea amicitiæ, mutuam & ipse redderet gratiam, reciprocumque eodem libamine significaret amorem. Hac ergo in parte magnum videtur ingeniosissimus Poeta subticuisse arcanum: nempe quoniam id libamen pro illorum temporum superstitione, quoddam veluti sacramentum erat habitum; nefas idcirco Poeta existimasset, & Æneam similiter libasse; qui sic adstrictus sacro libamine, deorum, & præstitæ fidei incurrisset odium: stantibus præsertim illorum fatis, ut ventura nepotum arma surgenti jam tum Car-
C thagini illatura essent excidium. Quapropter Poeta in gratiam potius & applausum Augusti Cæsaris æmulatus videtur in Didone miserabilem Reginæ Cleopatræ fortunam, quæ cum M. Antonio simul Augusti armis fuerit tunc infeliciter debellata. Ne id ergo in probrum venisset Æneæ, non modo dissimulavit in ejus persona libamen celebrare, sed quasi in contemptum finxit dedisse Bitiæ (ut videtur) vernæ bibulo, qui loco libaminis exantlavit totum, in augurium fortasse, quod Romani similiter Carthaginis imperium tunc temporis exantlaverint totum.

F I N I S.



BAPTISTÆ CASALII,

ROMANI,

DE

CONVIVIIS,

HOSPITALITATE,

ET TESSERIS

VETERUM

EXERCITATIO.

LECTORI S.

HAbes en, benigne Lector, doctiſs. Baptiſtæ Caſalii Exercitationem DE CONVIVIIS ET TRICLINIIS, DE HOSPITALITATE ET TESSERIS: de qua verbo monendus es, Addenda (quæ in priori Editione ad calcem libri) nos ſuis locis inſeruiſse, ac etiam ob utilitatem Summaria Capitum appoſuiſse. Vale.

INDEX CAPITUM.

BAPTISTÆ CASALII, *ROMANI*, DE CONVIVIIS, HOSPITALITATE, ET TESSERIS VETERUM *EXERCITATIO.*

CAP. I.

Triclinium quid? Lecti Principum altiores. Convivæ loti cœnatum veniebant, ac vestem mutabant. Soleas deponebant. Unguenta & coronæ dabantur. Numerus convivarum quis? Ordo discumbentium. Mulieres an, & quomodo discumberent? Mensa quid? Ministri conviviorum quales? Pocillatorum officium. Carptores, Diribitores, Prægustatores quinam? Invitati ad bibendum. Philotesia qualis potus? Numerum & mensuram potus in convivio quis præscribebat? Græcorum mos in conviviis. Quoties in mensa bibebant Veteres? An in conviviis colloquium, aut silentium sit magis accommodatum? Prius Auctori probatur. Mortis colloquium. Magister potandi. Frigidum an calidum potum biberint Prisci, disceptatur. Ordo dapium. Cœnæ Romanorum quam lautæ fuerint, ostenditur. Fercula coronata quando? Mensa sine salino profana habebatur apud Antiquos. Statua Dei tutelaris in mensa collocabatur. Acroamata, Symphoniæ, Spectacula, & similia inter cœnandum adhibita. Elephantes etiam inducti. Gladiatores exhibiti. Flabellum itidem usurpatum. Ministri ad pedes stabant. Abeuntibus convivis quid datum? Convivia Christianorum qualia? Christus quomodo inierit convivia? Consideratio.



RICLINIUM, Conclave, Cœnaculum, erat locus, in quo discumbebant & cœnabant, a tribus lectis, quos in eo sternebant, nomen habens. Hinc Horat *lib.* I. *sat.* IV.

Sepe tribus lectis videas cœnare quaternos.

In iis cœnaculis Romani veteres sedentes cœnare soliti erant. Virgil. VII. *Æneid.*

Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Ubi Servius: *Mensis*, id est, *longis*, *ad ordinem exæquatis sedentium; majores enim nostri sedentes epulabantur*. Et apud Græcos teste Homero in *Odyss.* Ovid. lib. V. *Fast.*

—— hieme

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat.

Postquam autem, ut inquit Varro lib. *de Vita Po-*
A *puli Romani*, non jam sedentes, sed accubantes omnes cœnabant, (imitantes in hoc forsan Persas, qui jam ante consueverant accumbere in cœna, & legitur in libro *Estheris* c. I. de convivio Assueri, & in lib. *Tobiæ* c. II. & VII.) lectos non dissimiles illis, quibus dormiebant, facere cœperunt; quos Triclinares appellabant. Cicero orat. IV. *in Verrem*: *Jam non quæro, unde tantam Melitensem vestem habueris, unde quinquaginta Tricliniorum lectos?* Et hæc Triclinia pretiosa erant. Plin. *lib.* XVI. *cap.* XLIII. *Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci jubent, sic cedrum pretiosius fieri, sic acer decipi: modo luxuria vero fuerat contenta ligno, jam*
B *lignum etiam e testudine facit*. Ut late Petrus Ciacconius *de Triclinio*, fol. mihi 2. & Fulvius Ursinus in ejusdem *Appendic.* fol. 123. & seq. & Bulengerus *de Conviviis* lib. I. cap. XXX. & XXXI. Lecti autem magnorum Virorum, illustriorumque personarum altiores erant. Virgil. II. *Æneid.*

Inde toro Pater Æneas sic orsus ab alto.

Itaque ad eos gradibus ascendebant, Ciacconius ubi supra, fol. mihi 8.

Stragulis injiciebantur pulvini Triclinares; & in marmoribus antiquis videmus accumbentes pulvinis cubito innixos. Martial. *lib.* III. *epigr.* LXXXII.

C *Cubitis trudit hinc, & inde convivas,*
Effultus ostro, sericisque pulvinis.

Jam strato Triclinio convivæ loti cœnatum veniebant, aut apud ipsum convivii dominum lavabant. Plautus in *Sticho*: *Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum*. Ep. *Abi intro ad me, & lava*. Et apud eundem Plautum in *Persa* convivæ advenienti quidam ait: *Locus hic tuus est, hic accumbe, ferte aquam pedibus: præbe tu puer.*

Vestem deinde mutabant cœnatoriam, sive convivalem, sumebant etiam ii, qui luctus causa atrati erant. Petronius Arbiter: *Cœnatorias repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua*
D *tres lecti erant, soleas demebant, cum accumbere vellent*. Cicero *in Vatinium*: *Atque illud etiam ex te scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arrii familiaris mei cum toga pulla accumberes?* Et inferius: *Cedo quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulæ quidem ipsæ dignitatis.*

Mos ille vetus fuit Romæ, ut domi haberent vestes ad cœnam, & si foris cœnarent, acciperent ab amicis, aut ipsi adferrent. Capitolin. in *Vita Maximini*: *Cum ad cœnam ab Alexandro esset vocatus, in patris honorem, quod ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit*. Pallium ad ejus-

dem vestis formam Martialis sic appellat, ubi de se cum uxore accumbente *lib.* XI. *epigr.* XXIV.

Ad mensam venies, sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Et Petronius de Trimalcione cœnante: *Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam.* Et quod pretiosior ea vestis, & e purpura sæpe, coccinave lautiorum hominum, idem Petronius: *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donaverat cliens quidam, Tyria, sine dubio, sed jam semel lota.*

Sumpta cœnatoria jam discumbitur, & ne pretiosam vestem stragulam lutulentis aut sordidis calceis inquinarent, soleas deponebant. Plautus in *Truculento:*

Jam rediit animus, deme soleas, cedo vinum.

Postquam se in lectis ordine collocaverant, manus lavabant, Virg. *Æneid.*

Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant manibus famuli lymphas.

Et Paulus in *Persa:*

Date aquam manibus, apponite mensam.

Et Romani aliquando post singulos missus lavarunt. Lampridius in *Heliogabalo*: *Exhibuit aliquando tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, & per singula manus, quasi jam comedissent, lavarunt.* Et idem in eodem Principe: *Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe ligneam, sæpe eburneam exhibuit: cum tantum biberent per singula fercula, & manus quasi comedissent lavarunt.* Nec surgebant convivæ e lecto propter hanc lotionem, sed avertebant a mensa, Sidonius *lib.* I. cum ad Cæsarem epularetur: *Retrorsusque conversus, tamquam manibus aquam postularem, tantumque remoratus quantum stibadii circulum celerantia ministeria percurrunt, cubitum toro reddidi.* Refert etiam Lipsius in *Saturnal.* lib. II.

Unguenda deinde dabantur, quibus caput & barbam ungerent. Martialis. *lib.* III. *epigr.* XII.

Unguentum fateor, bonum dedisti
Convivis here; sed nihil scidisti.

Coronæ etiam dabantur ex iis floribus, quos anni tempus subministrabat: sed maxime rosa aliisque, quæ ebrietatem prohiberent, & caput non gravarent: has quidem capiti, nonnulli collo, alii brachiis aptabant, ut in antiquis marmoribus videmus. Cicero *Verrina* V. *Ipse autem coronam habebat, unam in capite, alteram in collo.* Coronabant autem pocula, non seipsos, nisi in privata cœna essent, quia ebriorum fuit seipsos coronare. Plautus in *Amphitr.*

Capiam coronam mihi in caput, assimilabo me esse ebrium.

Propertius:

Cum tua propendent dimissæ in pocula sertæ.

Virgilius:

Et vina coronant,
Pateramque corona induit.

Theocritus: *Cinge poculum purpureo ovis flore:* Festus, antiquissimum genus fuit coronarum lanearum, & de iis vide Bulengerum *de Conviviis* lib. III. cap. XXIV.

De numero convivarum a Varrone apud A. Gellium *lib.* XIII. *cap.* XI. ita definitur: *Ut non pauciores sint, quam tres, nec plures, quam novem: ut numerum Gratiarum æquent, aut Musarum.* Atque ideo in pleno convivio plerumque terni in lectis, nonnunquam & quaterni accumbentes. Horatius *lib.* I. *sat.* IV

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Et aliquando etiam quini, ut apud Ciacconium *dicto tractatu* fol. mihi 28. Quamvis apud Suetonium in *Augusto* cœna fuit, in qua duodecim convivæ, duodecim Deorum nomine & specie. Et apud Macrobium in Pontificiæ cœnæ descriptione in duobus tricliniis decem convivæ nominantur.

Pro cujusque autem dignitatis fastigio discumbebant in lectis ordine servato, ut ex Plutarcho *de Convivalibus Quæst.* lib. I. quæst. III. Verum enim vero quod ipse ait, medii lecti ultimum locum digniorem fuisse apud Romanos, idque cum Consul convivio intererat, fortasse perpetuum fuit: cum vero Pontificales cœnæ dabantur, aut ipsi Pontifices adhibebantur conviviis, medii lecti primus locus præcipuus erat; ut apud Græcos liquet solitum fuisse, ex A. Gellio, de Pontificalibus libris, ibi: *Super hominem Dialem in conviviis nisi Rex sacrificulus haud quisquam alius accumbit.* Et late Ciacconius fol. mihi 23. & seq. & Bulengerus *lib.* I. *c.* XXXIV.

Quamvis soliti fuissent viri discumbere; mulieres tamen ut plurimum sedebant, quia turpis visus est in muliere accubitus, Valer. Maximus *lib.* II. *c.* I. Bulengerus *lib.* II. *cap.* XXXII. Nihilominus etiam mulieres fuisse aliquando solitas infra eos, hoc est, in sinu eorum, accumbere, qui eas amarent, sive sociam ducerent. Juvenalis *sat.* II.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna; sed in gremio jacuit nova nupta mariti

Ex Cicerone, Suetonio, & Livio citatis a dicto Ciacconio fol. mihi 23. Atque auctore Plutarcho is locus uxoris, aut filiorum, aut alioquin carorum hominum inter honestas personas fuit. Plin. Junior *lib.* IV. *epist.* XXII. *Cœnabat Imperator Nerva cum paucis Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat.* Sicuti etiam amicos in sinu amantis accubuisse apud A. Gellium *lib.* VII. *cap.* XII.

Proni cœnæ initio in ventrem decumbebant pulvinis pectoribus appositis, quo utraque manus ad vescendum esset liberior; procedente autem tempore in cubitum se reponebant, aut si loqui nollent, supini jacebant. Hinc Plutarchus lib. V. *Symposiacon* qu. VI. quærit, cur cœnæ initio anguste & postmodum laxius discumberent? eamque rationem reddit, quod scilicet principio in ventrem, postmodum vero laxius discumberent, quia supini. Hinc Horat. *lib.* II. *sat.* IV.

Languidus in cubitum jam se conviva reponet.

Et hæc omnia in marmoribus expressa videmus.

Mensa dicebatur, in qua ponebantur vasa tum escaria, tum vinaria. Martial. *lib.* IV. *epigr.* LXXVIII.

Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit,
Ornatus dives, parvula cœna fuit;
Auro non dapibus ornatur mensa, ministri
Apponunt oculis plurima, parva gulæ;
Tunc ego, non oculos, sed ventrem pascere veni:
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

Et Ovidius:

Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo.

Hinc apparet pocula apponi solita in mensa, non autem a ministris porrigi, Ciaccon. *dicto tractatu* fol. mihi 38. Quamvis pueri scituli, & puellæ conviviis ministrarent. Horat. *sat.* VIII. *lib.* II.

——— *ut omnes*
Præcincti pueri recte comptique ministrent.

Ho-

A Homer. IV. *Odyss.* ait: *Proma conda modesta cibum appofuit, varia fercula ferens sciffor, appofuit lances carnium variarum,* &c. *Appofuit illis varia pocula; ancilla autem manibus lavandis fudit aquam ex infundibulo, feu gutto aureo fuppelvi argentea.* Seneca *ep.* XCVI. *Aderit miniftrorum turba linteis fuccincta, per quos figno dato ad inferendam cœnam, baud obftrepenter difcurritur.* Ammianus *lib.* XXVI. *Tunica auro diftincta, ut Regius minifter.* Qui autem parum fcite miniftrabant, aquam bibere cogebantur. Lucianus in *Sacerdote*, & *Crono*: *Miniftrorum alios in aquam incidere; bæc enim mulcta mali minifterii.*

B Non defuere præterea in Conviviis Pocillatores, feu Pincernæ, qui vinum mifcebant; talis apud Superos dicitur Ganymedes, quem ab aquila raptum Jovi pocula miniftrare fabulantur, & apud Homerum in *Odiff.* filius Menelai vina porrigebat: ingenui enim & nobiles adolefcentes in Græcia fic miniftrabant in Conviviis, ut apud Juven. *fat.* IX.

—— puchrum te,
Et pulcrum, & dignum cyatbo.

C Ac refert Bulengerus *de Conviviis* lib. IV. cap. VI. Eidemque puero Pincernæ in fine menfæ reliquias vini dare, religio erat. Athenæus *lib.* extremo: *Mos erat, ut cum furgerent a menfa, cumque libaffent, vini reliquum puero illi darent, qui bibere miniftraffet.* De quo ritu refert etiam Lipfius in fine *Saturnalium*: cujufmodi pueri Pincernæ feu Pocillatoris difpofitio demonftratur ex ænea veteri Pocillatoris Imaguncula, quam inter cætera mea Cimelia retineo, eamque hic delineari curavi; & habet is Pocillator Pateram dextera, & Phialam finiftra manu, quæ inftar cornu eft effigiata: fiquidem de hujufmodi poculorum forma præter Icones hic effigiatas ex Mufæo Illuftriffimi & Erudítiffimi D. Caffiani a Puteo, ac etiam ex meo, refert Athenæus *lib.* XI. pag. mihi 476. *Prifcos fama eft at-*



que primos bomines boum cornibus olim bibiffe. Xenophon l. VII. *Expedit. Mutuo fe primo quidem falutarunt, deinde, ut Tbracibus mos eft, vini cornua protenderunt.* Et fimile etiam refert Plutarchus *de Ira*.

Cælabantur etiam apud Prifcos aurea & argentea pocula, & alia vafa, ut apud Statium lib. I. *Tbebaid.* & refert Bulengerus *de Conviviis* lib. IV. cap. XIV. Etenim veteres Romani potius ingenio, quam confilio varias utenfilibus etiam induxerunt figuras, ut neque in lautitiis ad feftivitatem ab obfcœnis temperatum fuerit; inde Juvenalis *fatyr. Vitreo bibit ille Priapo.* Quam fœdiffimam confuetudinem egregie taxavit Plinius in *Procemio* lib. XXXIII. *Hift. Nat. In poculis libidines cælare juvit, ac per obfcœnitatem bibere.*



D Erant apud Romanos in conviviis *Carptores*, qui cibum fcindentes, carpentefque præminiftrarent, Italice dicti *Trincianti.* Apud Petronium, Trimalcio quafi per delitias imperat, *Carpe*: & explicat Interpres veteranus: *Vides illum, qui obfonium carpit? Carpus vocatur; itaque quotiefcunque dici, Carpe, eodem verbo & vocat & imperat.* Sciffores iidem dicti. Petronius: *Proceffit ftatim fciffor, & adfymphoniam ita gefticulatus laceravit obfonium, ut putares Darium bydraule cantante pugnare.* Hinc Juvenalis *fat.* V. dixit eofdem Cheironomontas:

—— & Cheironomonta volanti
Cultello. ——

Seneca *de Vita Beata* cap. XVII. ait: *Et eft aliquis fcindendi obfonii magifter.*

Fuerunt quoque *Diribitores*: de quibus Apulejus *l.* XI. *Diribiores plufculi fplendide amicti, fercula copiofa fcitule fubminiftrata.* Utpote qui fercula puerorum manibus allata commode difponerent &

collocarent, Italice *Scalchi* nuncupati: quos etiam *Structores* nuncupabant. Juvenalis *sat. cit.*

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectat.

Petronius: *Proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum*. Athenæus *lib.* IV. quem Romani structorem, mensæ curatorem dicit.

Fuere quoque apud Priscos in Conviviis Prægustatores, qui Regios cibos & potus prægustarent, ex Q. Curtio *lib.* X. *Philippus & Cottas potum Regis prægustare soliti*. Tacitus XII. *Annal. Inferre epulas & explorare solitus*. Et *lib.* XIII. *Pocillatores Regum, postquam dederint phialam Principi, haurientes cyatho, ex eo in manum dexteram effusa sorbent*. Jam enim inde ab antiquis primisque fæculis mos obtinuit, ut vina Regibus propinanda prægustarentur, quod multis allatis exemplis fuse probat Athenæus *lib.* IV. Sueton. in *Claudio*: quem morem respexisse videtur Juvenalis *sat.* VI.

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit, illa
Qua peperit, timidus prægustet pocula Poppas.

Discumbentes se inter Convivas invitabant ad bibendum. Ovidius lib. III. *Fastorum*:

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibilla suos.

Ita & similiter in iis vovebant Diis, Plinius *lib.* IV. *cap.* XIII. *L. Papyrius imperator adversus Samnites dimicaturus votum fecit, si vicisset, Jovi pocillum vini*. Livius *lib.* X. *Voverat Jovi Victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet*.

Quoniam jam antea aliqua diximus de prisco usu provocandi ad potum (vulgo *Brindesi* dictum) etiam apud Romanos commune aliqua addemus, de quo in sacro Textu fit mentio, ut in l. *Esther.* c. I. vers. 8. dum sumptuosum Assueri convivium describitur, sic loquitur de vino: *Vinum quoque ut magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur, nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum*. Ubi abusus innuitur, qui etiam hodie in plurimis Europæ partibus prævalet; ut provocatus quispiam ad bibendum, invitus quoque respondere cogatur. Et in c. ult. prophetiæ *Abacuc* vers. 15. legimus; *Væ, qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus*. Quæ verba de eo intelliguntur, qui amicum ad ebrietatem inducit; ut illum quasi alterum Noe in ludibrium habeant & derisum. Etiam apud Homerum de eodem usu sæpius fit mentio, ut l. IV. *Iliados*:

Dii autem apud Jovem sedentes consultabant
Aureo in pavimento, aderat autem ipsis Hebe veneranda,
Quæ nectar infundebat, ipsi autem aureis poculis
Propinabant invicem, Trojanorum urbem aspicientes.

Sic Ulysses in *Odyss.* porrigit pateram Aretæ ad potum:

Aretæ autem in manibus posuit poculum utrinque ansatum.

Et de hoc more apud Romanos Juvenalis *sat.* V.

——— quando propinat
Virro tibi, sumitque suis contacta labellis
Pocula; quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat Regi, bibe? plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.

Inquit, *contacta labellis*; quoniam qui ad potum invitabat, modicum vini ex patera lambebat, & inde illam ad invitatum porrigebat. Martialis *l.* II. *epigr.* XV.

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humane facis, Herme, non superbe.

Et Apulejus *l.* X. *Heus puer, lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulso contempera, & offer parasito meo, simul quod ei præbiberim commoneto.* Ita etiam Dido cum parum bibisset:

Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

Potus iste prægustatus a porrigente, *Philotesia* dicitur a Græcis; hoc est, quippiam ad conciliandam amicitiam. Refert Pindari Commentator: ut porrigens pateram ad potum, consuesceret eandem invitato donare, & una cum potione poculum elargiretur. Quinimo Tiberius cuidam sibi ignoto officium Quæstoris contulit a nobilioribus ambitum; & id solum, *Ob epotam in convivio propinante se vini amphoram*. Consuetum quoque fuit, ut Architriclinus, seu symposiarcha, seu modimperator præscriberet numerum & mensuram potus in convivio. In aliquibus septentrionalibus regionibus mos est, grande vinarium vas in convivio afferri, e quo omnes bibunt, quod a priscis Græcis *Crater Boni Dei*, seu *Boni Genii* nuncupabatur. Abusus certe grandis, valetudini damnosus, cui calix divinæ indignationis, de quo in sacris Paginis, respondere debebit. De prædicto Cratere Boni Dei refert Athenæus *lib.* XI. *cap.* XI. Metaniptron poculum est, quod jam cœnatis, postquam manus laverint, præbetur. Antiphanes in *Lampade* inquit: *Post bellaria Boni Genii poculum, quod libandum & plaudendum esse monet*. Diphilus in *Sappho*:

Archiloche mihi hanc ostende metaniptridem
Plenam, qua Jovi Servatori libemus atque Bono Genio.

Callias in *Cyclopibus*: *Accipe hanc metaniptrida Bonæ Valetudinis*. Philætetus in *Æsculapio*: *Magnam aponiptrida incussit, plenam vino par pari mixto, & deinde statim Sanitatis nomen est effatus*. Græci in conviviis, primum Deos salutantes, & paululum e cyatho effundentes, libabant: deinde amicos suos nominatim appellabant, quoties Deos, aut sibi charos homines vocarent, merum bibentes: id quod, ut censet Pædianus, vulgo dicebatur, *Græco more bibere*.

Quoties & qualiter consuevissent Veteres bibere in mensa, refert Athenæus *lib.* II. *cap.* II. ubi Eubulus Bacchum fingit hæc loquentem:

Tria ego pocula tantum misceo
Illis qui sapiunt: unum bonæ valetudinis,
Quod omnium primum bibunt: deinde alterum
Amoris & voluptatis: saporis tertium:
Hoc epoto, ii, quos sapientes dicimus,
Sese domum recipiunt: post si quartum additur,
Non est id amplius nostrum, sed proterviæ:
Quintum clamoris alte vociferantibus:
Sextum petulantis commessationis: septimum
Macularum ac sugillationum in oculis:
Apparitoris octavus: nonus iracundiæ:
Decimus furoris, quo prosternuntur qui bibunt.
Nam in exiguum vas multum si vinum funditur
Appotos supplantat facillime.

Quoniam in Conviviis magis decet mutua nos consuetudine nostram in amicos beneficentiam declarare, quam ferculorum multitudine, & epularum, quæ plurimæ sint, invectarum copia: incidit modo satis opportuna quæstio: *An conviviis colloquium, aut silentium sit magis accommodatum?* Et quantumvis pro silentio aliqui litem solvant. Primo ex convivantium dissolutione, ut ex ultima Orat. *in Verrem* Ciceronis, ibi: *Erant convivia in illo silentio Prætorum & Imperatorum, neque eo*

pudore, qui in Magiſtratuum conviviis verſari ſolet, ſed cum maximo clamore & convicio. Nonnunquam etiam res ad manus atque ad pugnam veniebat. Itaque erat exitus hujuſmodi, ut alius inter manus e convivio tanquam e prælio auferretur, alius tanquam occiſus relinqueretur: plerique ſine mente & ſine ullo ſenſu jacerent, ut quiſquis cum aſpexiſſet, non ſe Prætoris convivium, ſed ut Cannenſem pugnam nequitiæ videre arbitraretur. Secundo hoc idem probatur ex conſuetudine Perſarum, Medorum, & Chaldæorum, qui non colloquiis, ſed nutibus ſolum ſenſus ſuos præcipue inſervientibus in conviviis indicabant, ut teſtatur Origenes adductus a Pineda *in cap.* III. *Job.* in ea verba, *Poſthæc aperuit Job os ſuum.* Tertio Gregorius Magnus loguens de Conviviis filiorum Job, inquit: *Pene ſemper epulas loquacitas ſequitur; cumque venter reficitur, lingua defrænatur.* Quarto idem D. Gregor. in eodem loco inquit: *Unde Dives epulatus prius quotidie dicitur ſplendide, & poſt aquam petere in lingua memoratur, quia inter epulas valde defluere loquacitas ſolet.* Quinto Zeno philoſophus a quibuſdam Principum Oratoribus interrogatus, qui eo convenerant in convivio: Quid referemus nos de tui præſentia ad Principem reverſi? *Nil aliud*, reſpondit Zeno, *quam Athenis eſſe ſenem, qui tacere ſciat inter pocula.* Significans quanta valeat ex hoc in philoſophum laus reſultare.

Quamquam hæc adducta pro ſilentio videantur urgere, colloquium tamen inter civiles perſonas magis accommodatum cenſeo; ut inter exquiſita fercula addatur etiam gratia & ſuavitas colloquii modeſti: præcipit Eccleſiaſtes *cap.* XXXII. verſ. 4. (ſuppoſito colloquio in convivio) *Loquere major natu, decet enim te primum verbum*, ut cæteri ex hoc inſtruantur. Mutum namque convivium Pythagoricæ ſcholæ eſſet imago: inquit enim Cicero lib. *de Senectute: Ego propter ſermonis delectationem tempeſtivis conviviis delector.* Et idem in epiſt. *ad Pætum* inquit: *Nec id ad voluptatem refero, ſed ad communitatem vitæ atque victus, remiſſionemque animorum, quæ maxime ſermone efficitur familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus.* Homerus IV. *Odyſſ.* fingit, quod Helena in vinum convivii pharmacum miſerit ad abſtergendum mœrorem, in *quem locum* Euſtathius commentator inquit: *Si Homeri latentem prudentiam ſcruteris altius, dicit Macrobius* lib. VII. c. I. *delinimentum illud, quod Helena vino miſcuit, non herba fuit, non ex India ſuccus, ſed narrandi opportunitas, quæ hoſpitem mœroris oblitum flexit ad gaudium.* Sic quoque cibus & vinum præcipue lætificat cor hominis; ſi deponatur morum auſteritas.

In hoc tamen ut in cæteris ab extremis recedendum, nec nimium ſit colloquium, nec tota taciturnitas inter placidos convivas; ut inde A. Gellius *l.* XIII. *c.* XI. dixerit: *Nec loquaces convivas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro & apud ſubſellia; ſilentium vero non in convivio, ſed in cubiculo eſſe debet.* Ex quibus quæ pro altera parte adducebantur, diluuntur.

Dum etiam cum lætitia ſe ad bibendum invitabant, intermiſcebant etiam mortis reminiſcentiam, ut apud Vibium Gallum in *Controverſia* Sen. VII. l. IX. his verbis: *Convivæ certe tui dicunt, Bibamus moriendum eſt.* Quem ritum etiam ſervatum cum pueri miniſtri lumina menſæ inferrent ſoliti ſimilia dicere apud Ammianum *l.* XVI. his verbis: *Malignitate ſimili quidam Agens in rebus, ad cœnam itidem invitatus, cum inferentes veſpertina pueros exclamaſſe audiſſet ex uſu, vivamus pereundum eſt,* &c. Quod epiphonema etiam in veteri ſepulcrali Inſcriptione legitur: *Amici dum vivimus, vivamus.* Nec diſſimile illud quod cranium mortui inferrent in men-

A ſam, ut in Trimalcionis convivio apud Petronium, ibi: *Potantibus & accuratiſſimas lautitias nobis mirantibus, larvam argenteam attulit nobis ſervus, ſic aptam, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cum ſupra menſam ſemel iterumque abjeciſſet, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:*

Heu, heu nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet eſſe bene.

Quod ab Ægyptio quidem ritu videtur, qui ipſam perſonam mortui inferre convivio ſoliti cum mo-
B nitione, ita brevi omnes futuros; auctor Plutarchus in *Convivio*: morem aſperum non longe a Scythis, quibus etiam potus in cranio mortuorum; tamen invitatio illa in ſpecie barbara; re optima: ac ſi dicet, Ite mortales & magnis cogitationibus animum implete, cras morituri. Ac etiam de prædicto more ab Ægyptiis profecto Herodotus *l.* II. in Conviviis inquit: *Unus aliquis inter epulas circumfert cadaver ligneum in arca, pictura & arte graphice expreſſum, cubiti magnitudine, dicitque; Bibe & oblectare, ubi enim mortuus fueris, ejuſmodi eris.*

Conſtituebant etiam Magiſtrum potandi. Varro
C lib. XX. *Rerum human. In conviviis, qui ſint inſtituti potandi modi Moderatores.* Cicero in *Catone*: *Me vero magiſteria delectant, & is ordo, qui more majorum a ſummo adhibetur in poculis.*

Uſus frigidi potus quamquam apud plurimos priſcorum Romanorum in delitiis fuiſſet. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* CXVII.

Non potare nivem, ſed aquam potare rigentem
De nive commenta eſt ingenioſa ſitis.

Quod etiam erudite probavit Franciſcus Scachius *de Salubri Potu* cap. II. & III. Fuerunt tamen & alii multi, qui calida potione ita ſibi complacuerunt, Julius Pollux *lib.* IX. ut ad indignationem
D provocarentur etiam, quando non fuiſſet a pocillatore ſatis calida facta miniſtratio potus. Seneca *de Ira* l. I. cap. XII. *Iraſcuntur boni viri pro ſuorum injuriis: ſed idem faciunt, ſi calida non bene præbeatur, ſi vitrum fractum, ſi calceus luto ſparſus eſt.* Et idem lib. II. cap. XXV. *Parum agilis eſt puer, aut tepidior aquæ potui erogata, aut turbatus thorus, aut menſa negligentia poſita, ad iſta concitari inſania eſt.* Quibus auctoritatibus quantæ curæ eſſet calidus potus dignoſcitur. Præterea idem vas, quo bibitur, a Latinis *Calix* nominatur ab aqua calida; ut inde Varro *lib.* IV. inquiat: *Calix a caldo, quod in eo calida puls apponebatur, & calidam eo bibant.*
E Quinimo calidus potus adeo communis & univerſalis Romæ devenit, ut eſſent ibi tabernæ, quibus aqua calida ad potum venderetur: unde Claudius Imp. tanquam Cenſor hoc idem ſevere prohibuit, ut refert Dio; & de Ampelio Urbis Præfecto Amianus *lib.* XXVIII. hoc idem prohibuiſſe teſtatur: *Ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve aquam vulgariam calefaceret quiſquam.* Et Cajus Caligula tabernarium occidi præcepit, qui in diebus exequiarum Druſillæ calidam vendiderat; quaſi ut actus impietatis eſſet in publico luctu deliciis inhærere: & Tiberius Claudius Nero Imp. potus intemperantiæ deditus populari luſu fuit nun-
F cupatus *Biberius Caldius Mero*, ut interpretatur Lipſius, a potus caliditate. Apud Tacitum quoque mentio fit de calido potu lib. XIII. *Annal.* his verbis: *Illic epulante Britannico, quia cibos potuſque ejus delectus ex miniſtris guſtu plorabat; ne omitteretur inſtitutum, aut morte utriuſque proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxia adhuc, & prӕcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico; dein poſtquam fervore aſpernabatur, frigida in aqua effunditur venenum.* Addimus etiam

Philonem Hebræum l. *de Vita Theoretica*; vitam temperatam de coævis suis describens, voluit quod male se habentibus calida præberetur potio, his verbis: *Vinum per eos dies non præbetur, sed aqua limpidissima; cæteris frigida, calida vero his, qui inter seniores tractantur delicatius.*

Nec apud Romanos solum fuit calidæ aquæ usus, verum & Græci quoque consuevisse, maxime dum malæ essent valetudinis, seu ætate longævi, ut apud Athenæum *lib.* III. *cap.* XXXIV. ex Alexidis *Pythagorizusa*:

Aquæ decoctæ cyathum, quam si bibisses
Crudam, gravis fuit, & laboriosa futura.

Et ex Eupolide in *Populis*:

Abenum calfacere nobis aliquem, & aquam
Jube decoquere, visceribus ut auxiliemur.

Ex Antiphane in *Omphale*:

Aquam in olla mihi qui coquat neminem aspicere
sisti nebo.
Non enim bene valeo, & Dii faxint ne valeam: verum
Si tormina mihi ventrem & umbilicum cruciarent,
Adest a Phertato mihi drachma emptus annulus

Ideoque apud Athenæum *loco citato* præcipitur, ut in hieme & tempore veris sit calidus potus; in æstate vero frigidus. Philo Hebræus lib. *de Vita Theoretica*, vitam temperatam suorum coævorum describens, refert ut communiter aquam frigidam biberent bene valentes, qui vero propter senectutem & ægritudinem male essent dispositi calidam sumerent aquam, ut in his verbis inquit: *Vinum per eos dies non præbetur, sed aqua limpidissima; cæteris frigida, calida vero his, qui inter seniores tractantur delicatius.* Hæc tetigisse sufficiat, ut ostendatur etiam apud Veteres in deliciis fuisse calidum potum: & quamvis hodie in Europa communiter sit contrarius usus frigidæ potionis ex nive in fervore æstatis dispositæ: usus tamen calidi potus in præsenti apud Japonas videtur restrictus; de quibus ut scribit Maffæus lib. XII. *Indiarum Historiæ: Aquam nos gelidam, illi calefactam æstate pariter & hieme potant.* Et paulo superius: *Usum vitis ignorant, oryza exprimunt vinum, sed ipsi quoque ante omnia delectantur haustibus aquæ pene ferventis: insperso quem supra diximus pulvere Chia. Circa eam potionem diligentissimi sunt, ac principes interdum viri suis manibus eidem temperandæ ac miscendæ amicorum honoris causa dant operam, certasque habent ædium partes huic ministerio dicatas; in his foculus assidue stat, cortina e ferro liquato superimposita; inde venientibus & abeuntibus amicis pocula porrigunt.*

Cœnæ initio ova apponebantur. Cicero *Epist. Famil. Integram famem ad ovum affero.* Et Horatius *lib.* I. *satyra* III.

—— si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret, Io Bacche.

Id est, ab initio cœnæ usque ad mensam secundam, quæ pomis seu malis constabat.

Quam lautæ fuerint apud priscos Romanos cœnæ, ostendunt nobis leges illæ sumptuariæ ab antiquo latæ sub bellum Punicum secundum; morbos in ea parte fuisse, cum ad publica hæc remedia recurrendum: apud Macrobium fit mentio Pontificiæ illius cœnæ, ubi incognita & quærenda ciborum genera: cœnaculi apparatum, cœnantis habitum, aut honores, cœnæ ipsius exotica fercula, refert Sallustius de Metello Proconsule in Hispania his verbis: *Cœnæ ultra Romanorum ac mortalium etiam morem curabantur, exornatis ædibus per aulæa & insignia, cœnisque ad ostentationem histrionum fabricatis: simul croco sparsa humus, & alia in modum celeberrimi templi. Præterea sedenti in transenna demissum Victoria simulacrum, cum machinato strepitu tonitruum, coronam ei imponebat: tum venienti thure quasi Deo supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti: epulæ vero exquisitissimæ; neque per omnem modo provinciam, sed trans maria, ex Mauritania volucrum, & ferarum, incognita antea, plura genera.* Prodigiosum luxum omnia fastidientem, nisi remota & sumptuosa! hinc Pacatus in *Panegyrico ad Theodosium* quod nihil tunc opus esset, inquit: *Ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem: nam delicati illi ac fluentes, & quales sæpe tulit Respublica, parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat orbis noster: namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent.* Ut propterea his commotus Cato Censorius publice questus: *Non posse salvam esse Urbem, in qua piscis pluris, quam bos, veniret.* Alios addamus, qui in exemplar transferunt perditæ gulæ; de Clodio Æsopo histrione refert Plinius: *Maxime insignis est in hac memoria Clodii Æsopi tragici histrionis patina, sexcentis HS. taxata, in qua posuit aves cantu aliquo, aut sermone humano vocales, millibus sex singulas coemptas, nulla alia inductus voluptate, nisi ut in his imitationem hominis manderet.* De Cleopatra lubet referre, quæ centies HS. una cœna diceret se absumpturam, cum illi fidem non præstaret M. Antonius: sequenti die illa cœnam apparans, inquit, unum ferculum rem confecerit; & simul ex composito illata phiala acris aceti plena, unionem, quem aure dextra gestabat, singulare naturæ opus, detractum in phialam demisit, eumque, ut natura est, statim liquefactum absorbuit: parata & in alterum, quem sinistra gerebat, manum injicere, ni provide & propere Munatius victum Antonium clare pronunciasset: via strata & nota per vestigia Cleopatræ. De Caligula scribit Sueton. *Commentus est portentosissima genera ciborum, unguentis calidis frigidisque lavabatur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorbebat, convivis ex auro panes & obsonia apponebat.* Vitellius helluonum omnium maximus apud eundem Sueton. alios etiam impellens: *Indicebat eadem die jentacula, prandia, cœnas, commessationes, ipse omnibus sufficiens, vomitandi consuetudine: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum constiterunt.* Et de eodem Vitellio addit: *In hac scarorum jocinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, a Carpathio usque fretoque Hispaniæ per navarchos & triremes petitarum, eum commiscuisse.* De Heliogabalo refert Lampridius, *nunquam minus centum HS. cœnasse, hoc est, argenti lib.* XXX. *aliquando autem tribus millibus HS. cœnasse omnibus supputatis quæ impendit.*

In solemnioribus autem conviviis fercula coronata fuisse constat ex Athenæo *lib.* V. in iis ludis, quos apud Daphnen Antiochus edidit; fuerunt convivia, in quibus exhibiti sunt vivi anseres, lepores, damæ cum aureis coronis. Qui ferculorum luxus quandoquidem dispositus fuit per nomina cælestium signorum: quippe singulis impositus fuit cibus unicuique convenientissimus. Petronii locus est: *Repositorium rotundum duodecim habebat signa in orbem disposita; super quæ proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum: superque Arietem, cicer arietinum; superque Taurum, bubale frustum; super Geminos, testiculos ac renes;*

super Cancrum, coronam; super Leonem, ficum Africanam, &c.

Sed quidquid sit de aliquibus Romanis Principibus, seu etiam inferioris ordinis hominibus, gulæ & abdomini deditis: nec inde Rom. universis hoc fraudi aut culpæ erit peccasse aliquos. Præterea maxime animadversione dignum est;non in re peccatum sæpe esse, sed in causa & fine: tu epulum sumptuosum das, sed gulæ, aut vanitatis causa: alius dat, sed legis & moris causa: ille peccat, hic minime, quia non cupidini, sed consuetudini est obsecutus; sicuti in Adjicialibus, seu Aditialibus epulis (utpote quæ in aditu honoris & auspiciis quasi primis maxime sacerdotibus, pontificibus, &c. dari solebant) viri etiam frugales tunc multum impenderunt, sed quia debebant: hinc Seneca contra luxuriam *epist.* xcv. sic scribit: *Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. Quid est cœna sumptuosa flagitiosius, & equestrem censum con sumente? Quid tam dignum censoria nota, si quis, ut isti ganeones loquuntur, sibi hæc & genio suo præstet? & tricies tamen HS. adjiciales cœnæ frugalissimis viris constiterunt. Eadem res si gulæ datur, turpis est; honori, reprehensionem effugit.* Quæ Senecæ verba sic intelligenda, ne a solemnibus sacrisque epulis ad communem sæculi luxum inferatur.

Et de varietate dapium & qualitate vini in Conviviis Romanorum, vide quæ late scripsit Bulengerus lib. II. & III. *de Conviviis*.

Salinum, quod sacram faciebat mensam, potissimum apponebatur in ea, sine quo profanam fuisse mensam Veterum fuit opinio. Arnob. *Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum*. Quin & salinum inter vasa sacra vetus Interpres ad illud Horatii,

Splendet in mensa tenui salinum.

Salinum proprie est patella, in qua Diis primitiæ cum sale offerebatur. Et Statius ad hanc mentem:

Et exiguo placuerunt farra salino.

Itaque Livius *lib.* XXVI. *Ferre non possum, ut salinum patellamque Deorum causa habeant*. Et Plinius inquit: *Fabritius bellicosos Imperatores plusquam pateram & salinum ex argento habere vetabat*.

Præterea ex eodem Arnobio collocasse Romanos in mensa statuam Dei cujuspiam velut tutelam geniumque mensæ: & præter superius adductum Salustium de cœna Metelli in Hispania proconsulis, ita in *Sylvis* Statii legimus de Hercule Vindice:

Castæ genius tutelaque mensæ.

Quod numen etiam habuisse Pellæi Tyranni mensam refert Martialis *lib.* IV. *epigr.* XLIV.

——— Pellæus habebat
Regnator, lætis numen venerabile mensis.

Quin etiam Deos ipsos initio mensæ invocabant. Quintilian. *declamat.* CCCI. *Habuisti honorem, & illud humile limen intrasti, & adisti mensam, ad quam cum venire cœpimus, Deos invocamus.*

Apud majores singulis convivis suæ certæ partes tribuebantur, postea in commune vesci, civilius visum, ex Plut. lib. II. *Symposiacon* quæst. X.

Inter cœnandum acroamata omnis generis adhibebantur; nam aut symphonia personabat Triclinium, aut instrumenta, aut organa varia concinebant; Tragœdiæ, Comœdiæ, mimique agebantur; & odores naribus gratissimi. Seneca *de Vita beata, cap.* XI. *Vides hos eosdem e suis lectis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes, mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur corpus, & ne nares interim cessent, odoribus variis inficit locus ipse, in quo luxuriæ parentur.* Sic Plautus in *Me-*

A *næch. Sternite lectos, incendite odores*. Et de Neronis cœnationibus mira & ingeniosa luxuria hæc effert Sueton. in *Nerone* cap. XXX. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur*. Ac etiam de lacunaribus versatilibus, quæ alia atque alia subinde facie convivas delectarent. Seneca *epist.* XCI. *Versatilia cœnationum laquearia ita coagmentant, ut subinde alia atque alia facies succedat, & toties tecta, quoties fercula, mutentur*.

Elephantes etiam inductos refert Plinius *l.* VIII.
B *cap.* XI. *Plenis hominum Tricliniis accubitu elephantes iere per lectos, ita libratis vestigiis, ne quis potantium attingeretur*.

Quod horrendum in lætiori convivio, & solemne fuit, paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam. Silius lib. XI. *Belli Punici*:

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde.
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira,
Certatum ferro sæpe, & super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Lampridius de Antonino: *Gladiatores ante convi-*
C *vium pugnantes sibi frequenter exhibuit*. Et de iis vide late Lipsii *Saturnalia* de Gladiatoribus lib. I. cap. VI.

Sed horridum hoc etiam barbaris convivali tempore, convivali præcepto ab epulis proferre edictum ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitii circumferre obsequium. Quid crudelitati cum delitiis? quid cum funeribus epulæ? quam ut crudelitati ferculum deberetur, quo insatiata epulis feritas vesceretur: & quoniam non exsaturari epulis fames, non restingui poculis poterat apud illos inauditæ sævitiæ sitis, bibebant sanguinem scaturientibus adhuc venis profluentem.

D Pueri quoque pavonino flabello muscas abigebant. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* LXVII.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Vel ventum faciunt, ex Propertio:

Et mihi pavonis cauda flabella superbi.

Inter lectos & Triclinii parietes relinquebatur tantum spatii, quantum satis esset servientibus ad ministrandum, qui dicebantur ad pedes stare. Martialis *in Zoilum*, *lib.* III. *epigr.* LXXXII.

E *At ipse retro flexus ad pedum turbam.*

Et *in Santram*, *lib.* VII. *epigr.* XIX.

Nec esculenta sufficit gulæ præda,
Misto lagenam replet ad pedes vino.

Quod autem ad pedes starent ministri Triclinares, Seneca lib. III. *de Benef. Servus qui cœnanti ad pedes steterat*. Ut ex *Appendice* Fulvii Ursini *ad Ciacconium* fol. mihi 112.

Ad pedes autem Domini discumbentis stetisse Mulierem peccatricem ministrantem, apparet ex *Lucæ* cap. VII. *Mulier quæ erat in civitate pecca-*
F *trix, ut cognovit, quod Jesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*. Veteres non solum caput & pedes unguento ungebant; verum unicuique corporis parti idonea unguenta assignabant. Ut in *dicta Appendice* F. Ursini fol. mihi 132.

Abeuntibus convivis a Convivii domino dabantur Apophoreta. Sueton. in *Caligula*: *Agitatori Cythico commessatione quadam in Apophoretis vicies*

HS. contulit. D. Ambrof. in *exhort. ad Virgines*: *Qui ad convivium magnum invitantur, Apophoreta secum referre consueverunt*. Sic etiam Martialis: A

Præmia convivæ det sua quisque suo.

Ac etiam Lampridius in *Vita Heliogabali*: *Eunuchos pro Apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas, & rhedas.*

Illud non omiserim, ambivisse quosdam magno conatu, & ingenti nonnunquam pretio redemisse a Vocatoribus, ut convivio Principis adhiberentur. Sueton. in *Caligula*: *Compererat Provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur: nec tulerat moleste tam magno æstimari honorem cœnæ suæ.* Porro ducenta sestertia quinque millia scutatorum sunt. B

Demum pro Coronide adducam Tertullianum in *Apologet.* de Conviviis Christianorum: *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, & lumina; ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere; hinc probatur, quomodo biberis, æque oratio convivium dirimit, inde disceditur.* C

In iis autem Conviviis, quæ Dominus & Redemptor noster, dum inter homines versaretur, inisse memoratur, omnia more Romano administrata fuisse inferius reperiemus: quoniam Hebræi jam inde a Pompejo in ditionem potestatemque Romanorum redacti, ad victoris dominantisque Populi instituta se victusque sui rationem accommodaverant.

Romani tribus lectis in Cœnaculo stratis apparabant convivia; & Christi Discipuli cœnam illam apparaturi, quæ fuit extrema ante Passionem: *Invenerunt cœnaculum grande stratum, & ibi paraverunt*, *Lucas* cap. XXII.

Tribus autem lectis eos cœnasse illud indicio est; quod cum tredecim essent, in eandem omnes patinam porrigebant manus: quod si mensæ perpetuæ fuissent, fieri haudquaquam posset: *Qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet*, *Matth.* cap. XXVI. neminem ex illis hac voce designans, cum omnes id ex æquo facerent.

Romani toti, uncti convivia inibant, & Christi Discipuli loti accubuerunt, quia cum Petrus primo negaret, ut sibi Christus pedes ablueret, & postea idem caput & manus abluendas offerret, audit a Domino: *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet, & est mundus totus*, *Joan.* cap. XIII. quo significatur illos lotos discubuisse, nec debuisse abluere, nisi si quid sordidum pedes inter veniendum forte contraxerant: & alioquin Judæi omnes ex *Marco* cap. II. nisi lavissent manus, non manducabant, & a foro, nisi baptizarentur, cibum non sumebant.

Unctos vero fuisse persuadere videtur; cum Christus objecerit Simoni, quod ab eo invitatus ad cœnam id officii non exhibuisset, *Luc.* cap. VII. *Veni in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, oleo caput meum non unxisti.* Et a tali unctione Dominus non abhorruit inter divina præcepta *Matt.* VI. *Tu autem* (ait) *cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.*

Romani accubituri vestem mutabant, & Christi Discipulos vestem mutasse apparet, quod adolescens (quem Joannem fuisse Ambrosius testatur) a cœna in hortum cum Christo secedens, *Amictus sindone super nudo*, ostendit, ex *Marc.* XIV. quasi



LUCAS *Cap.* VII.

ET ECCE MULIER UT COGNOVIT QUOD JESUS ACCUBUIT IN DOMO PHARISAEI, STANS RETRO SECUS PEDES EJUS, LACRYMIS COEPIT RIGARE PEDES EJUS, ET CAPILLIS CAPITIS SUI TERGEBAT, ET OSCULABATUR, ET UNGUENTO UNGEBAT.

veste cœnatoria adhuc indutus, quod si solitum illi & quotidianum fuisset, non utique ab Evangelista memoria traderetur: & in marmoribus antiquis videmus accumbentes una tantum veste super nudo: pariter & ille, qui non indutus veste nuptiali in Convivium irrepsit, in tenebras exteriores projici jubetur, *Matth.* XII. & hanc eandem cœnatoriam vestem habuisse Christum in ultima Cœna, tradit Baronius in *Ann.* XXXIV. ubi Spond. num. 12.

Manus lavabant illi ante cœnam: & hos etiam abluisse credendum est, postquam eis a Pharisæis vitio datum est, quod illotis manibus cibum sumerent, *Matth.* VII. Nam hujusmodi scandala vitare nitebantur: *Ne scandalizemus eos,* (dicit Dominus Petro) *vade, da illis pro me & te, Matt.* XVII.

Accumbentes, non sedentes, cœnabant Romani: & hos similiter accubuisse, cum Evangelistæ utantur semper verbo accumbere, & recumbere.

Tricliniares lectos, in quibus Christus cœnabat, altiores fuisse patet, quod *Mulier illa stans retro secus pedes ejus, Luc.* VII. Stans, inquam, non procidens, non genu nixa, eos lacrymis rigat, & capillis tergit; quo lectorum altitudo ostenditur.

Soleas illi deponebant accubituri, nudisque pedibus cœnabant: & Christus nudos Discipulorum pedes abluit; & Maria ipsius Domini nudos pedes lacrymis rigat; cum calceatum incessisse Christum innuat Joannes Baptista, *Matt.* III. & apud *Marc.* VI. legatur misisse Christum Discipulos, ut Evangelium prædicarent, non habentes æs in zonis, sed tantum calceatos sandaliis.

Romani liberos & charos suos habebant in Conviviis infra se, hoc est, in sinu suo collocabant: & Joannes Christo maxime charus in ejus sinu recubuit, *Joan.* XIII.

Regem sacrorum apud Romanos summum locum medii lecti in Pontificalibus cœnis occupare solitum, neminemque supra eum accubuisse: & in iis Pontificalibus cœnis Christus vere Rex & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech eundem locum occupat, nec quisquam super eum accumbit; aliquin non potuisset Maria alabastrum unguenti effundere super caput recumbentis, si in medio lecto accubuisset, aut ipsum Joannem in sinu habere, si in imo.

Romani aliquando quini etiam in lectis discumbebant, ut diximus: & Christi Discipulos, verisimile est, quinos duobus in lectis discubuisse, in reliquo tres tantum, nempe ipsum Dominum, & Joannem, & fortasse Petrum; qui proximus Joanni innuit, ut ex Dom. auctorem tanti facinoris quæreret, *Joan.* XV.

In commune illi vescebantur: & isti in commune vescuntur, in eandem patinam manus porrigunt omnes, *Matth.* XXVI.

Magna fuit copia ministrantium in Conviviis Romanorum: quod etiam servatum in Conviviis, ubi Christus intervenit, ut in Nuptiis Canæ Galilææ, *Joan.* II. *Dixit mater ministris*. Et infra: *Dicit eis Jesus, implete hydrias aqua; & impleverunt*, &c. Et inferius: *Ministri autem sciebant, qui hauserant aquam*. Quos ministros etiam inservisse in ultima Christi Cœna, est opinio Expositorum: & Metaphrastes in *Oratione de Vita Deiparæ*: voluit præter Apostolos discumbentes, etiam Discipulos ibidem inservisse.

Sed quod omnem excederet fidem, nisi ille, qui mentiri non potest, hoc diceret, ipsemet Christus ad hominis invitati cœnam ministrat, referente *Luca* cap. XII. *Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*. Discumbit homo, & quidem indutus veste nuptiali, præcinctus Deus ministrat homini; ut fortiter noster fastus conculcetur a præcincto & ministrante Deo; & post hæc pudere merito nos arrogantiæ nostræ nonne debebit?

Prici discumbentes se invitabant inter convivas ad bibendum: & Christus Dominus in sua ultima Cœna similiter fecit erga suos Discipulos, ut apud *Matth.* cap. XXVI. *Et accipiens calicem dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes*. Et apud *Marcum* cap. XIV. *Et biberunt ex illo omnes*. Et si Romani inter bibendum eorum prætensis Diis vovebant: sic Christus in eadem Cœna apud *Luc.* cap. XXII. inquit: *Hoc facite in meam commemorationem*.

Quatenus autem iidem Prisci discumbentes proponebant mortis memoriam inter bibendum lætantes: etiam Christus in ultima Cœna præbuit lætitiam & dilectionem erga Discipulos, dicens apud *Luc.* XXII. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*. Et in eadem Cœna dixit de Christo *Joan.* cap. XIII. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Sed non propterea destitit Christus a memoria propriæ passionis & mortis in eadem Cœna; ut in dictis verbis: *Antequam patiar*. Et apud *Matth.* dicto cap. XXVI. *Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur*. Et infra: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*.

Profusissima & lautissima fuerunt Romanorum Convivia cibis & potibus, quando cœnarunt: sed nullum uspiam lautius & profusius fuit Convivium, quam ubi Christus propriam carnem & sanguinem tradidit in cibum & potum, ut apud *Joan.* cap. VI. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Et infra: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &c. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*.

Magistrum potandi, seu vini, illi constituebant: & in nuptiis Canæ Galilææ, in quibus Christus interfuit, fuisse Architriclinum apparet, *Joan.* II.

Spectacula fecisse Romanos in Conviviis: & quale spectaculum, cum Cœli & Mundi Dominus, positis vestibus, linteo præcinctus, pedes Discipulorum lavit & linteo tersit? *Joan.* XIII.

Comœdiæ apud Romanos inter epulas agebantur: & quæ similis Catastrophe? Quod mulier illa in civitate peccatrix lacrymis lavit pedes Christi, & capillis tersit, *Luc.* VII. & hoc non sine insigni corollario, cum Dominus ad hanc mulierem conversus dixit: *Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te salvam fecit, vade in pace*.

Quis symphoniæ cantus cum divino illo Hymno similis? *Matth.* XXVI. *Et Hymno dicto exierunt in montem Oliveti*. Paulus Brugensis scribit Judæos loco gratiarum actionis post cœnam solitos recitare septem Psalmos, id est, a Psalmo centesimo duodecimo incipien. *Laudate pueri Dominum*, usque ad Psalmum centesimum decimum octavum: Judæos enim aliqua certaque gratiarum actione uti solitos, non solum Interpretes dicunt, verum in *Deut.* habetur cap. VIII. ibi: *Cum comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*. Et hoc etiam refert Maldonatus *in Matth.* XXVI. n. 30.

Quamvis Baron. in annum XXXIV. ubi Spondan. num. 19. velit ex Rituali Hebræorum moris fuisse apud illos in singulorum solemnium dierum cœnis recitare Psalm. ad mysterium ejus diei accommodatos: in Paschali vero consuevisse dici Psalm. CXIII. incip. *In exitu Israel de Ægypto*: & breves alios.

Nec defuerunt odores illi Convivio *Joan.* XII. *Effuso enim alabastro unguenti nardi pistici pretiosi, impleta est domus ex odore unguenti.*

Consueverunt Romani uti flabello in Conviviis ad amovendas muscas e mensa & alia immunda: at vero Apostolus tanquam Christi minister præcipit I. *Corint.* c. XI. ut accedentes ad mensam sacramentalem proprias experiantur conscientias ab omni immunditia sub pœna propriæ damnationis, his verbis: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ut ne quid immundum tangat augustissimam illam mensam.

Non defuit in epulis sua crudelitas apud Romanos, dum Gladiatores inter se occidendi interim exhiberentur. Sic etiam proditor Judas in postrema Christi Cœna præ cæteris Apostolis accumbens Magistri sui cædem meditatur, quam inde in horto cum militibus & cohortibus exequitur. Ut etiam Herodes in cœna natalis sui attulit in disco caput Joannis puellæ saltanti, & illa dedit matri suæ.

Abeuntibus Romanis e Convivio dabantur illis a domino pretiosa Apophoreta. At liberalissimus & sui nimium profusus Christus Dominus ex hoc mundo ipse discedens, *Matth.* XXVI. pretiosissimum corpus suum & sanguinem in Apophoreta convivis dedit, ut sibi haberent, & secum domum deducerent.

Demum quoniam Romani ambibant, & magno pretio redimebant, ut inter amicos Principis ejus epulis interessent: ambiamus & nos quoque, qui sectatores Christi sumus, ut peccatorum sordibus ablutos, bonorum unguento nitidos, nuptiali stola innocentiæ indutos, suis epulis Princeps noster adhibeat, ut edentes & bibentes super mensam ejus, illis gaudiis lætemur, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

Cœnam quamvis tenacem & sordidam respuendam etiam Veteres judicaverint: mediocris eadem tamen plurimis grata semper fuit; quod ex Alexi in *Amante fœmina* refert Athenæus *lib.* X.

Verum ego quandoquidem adsunt quæ oportet,
Odi supervacua. In iis enim quæ modum excedunt
Sumptus quidem est, nulla delectatio.

Idem in *Mendaci*:

Odiosa mihi supervacua sunt: in iis quæ præter modum
Fiunt, impensa est, voluptas ne ulla quidem.

Idem in *Syntrophis*:

O quam jucundum quidquid mediocre est, nec plus justo plenum.
Abeo nunc, minime vacuus: sed ut mihi videor lætus.

Frænis enim regenda concupiscentia: & ventrem domare suum qui non sufficit, malum necesse est semper accumulet malo, inquit Cæres ex Stobæo *titulo* XVII.

Inde ex Athenæo Ariston Philosophus hortatur ad cœnam ituros, ut curarent compotationem, quæ esset non tantum in præsens jucunda, sed in crastinum etiam, simplici quidem apparatu, sed musica concinnitate eleganti. Magis enim decet mutua nos consuetudine nostram in amicos benevolentiam declarare, quam ferculorum multitudine & epularum, quæ plurimæ sint, invectarum copia. Habemus enim in *Proverb.* XVI. *Melius est vocari ad olera cum gaudio, quam ad vitulum saginatum cum odio.* Et D. Chrysost. *hom.* XVI. *in Decollat. Joan. Bapt.* Convivium honestate honoretur: absit ebrietas, luxus absistat, fugetur effusio, saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis cum Herodiadis convivio abscindantur, ut gaudium præsens vestrum ad lætitiam perveniat sempiternam: siquidem ut refert D. Thom. *super Joan.* VII. *lect.* I. in fin. *Festa mundanorum sunt in epulis & deliciis corporum, sed festa spiritualium sunt in delectatione spiritus.*

CAP. II.

Hospitalitatis origo. Quare instituta? Quam pretiosa fuerit apud Veteres? Dii hospitales. Hospitii religio quanta? Hospites cur venerandi? Idem adorati, & quomodo? Hospitum symbola. Hospitia publica. Hospitalitatis officia varia. Usus osculandi hospites frequens apud Antiquos. Hospitalitas Romanorum erga Legatos. Priscorum & hodiernorum Christianorum hospitalitas. Hospitum discedentium ritus. Renunciatio seu violatio hospitii. Consideratio. De hospitalitate a Confratribus Sanctissimæ Trinitatis.

DIXIMUS jam de Conviviis, quæ maxime hospitibus præparantur: propterea de Hospitalitate videbimus, quæ nullo sane loco magis culta olim quam Romæ; nec hodie usquam frequentius advenæ benigniusve excipiuntur, non in Dynastarum & Purpuratorum palatia solum, verum & in xenodochia & publicas & omnibus patentes ædes: imo exteri in civium numerum passim adscripti, communi cæli benignitate non raro honoris apicem in hac eadem nostra urbe attingunt.

Hujus namque hospitalitatis exordium processit; ut homines, qui alias terras, aliorum hominum genus, alia loca tenere exoptabant, patriæque pertæsi hinc vagari aliunde cupiditate discendi & diversa videndi, alibi diversari tentarunt; hinc ad longinqua loca proficiscentes, ubi exteri & peregrini primum hospitio, tum affinitate indigenis se jungentes, hospites esse cœperunt; & inde ex hujusmodi commercio exortæ sodalitas, amicitia, hospitalitas, & similia: unde hospitium est consuetudo, qua alios in nostram domum accipimus; de cujus necessitudine Budæus: *Hospitium est familiaris quædam amicitia, vel mihi hospitandi apud illum, vel illi apud me.*

Ut peregrinantes & advenæ susciperentur, heroicum arbitrabantur Romani, quin etiam ad urbis commendationem atque ornamentum exteros hoc liberalitatis genere non egere. Ita Tullius III. *Offic. Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas: est enim valde decorum, patere domos hominum illustrium hospitibus; idque etiam est Reipublicæ ornamento, homines exteros hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere.* Cujus simile est illud Pontani: *Est autem privatorum civium, verum etiam urbium ipsarum summa laus, privatas domos patere peregre venientibus.* Quo nullum mortalibus factum dignius: omnes quippe in hoc mundo peregrinamur, juxta Apostolum cap. III. *ad Hebræos*: *Nec enim habemus hic manentem civitatem; sed futuram inquirimus.* Unde D. Bernard. *ferm. de sancto Benedicto* inquit: *Peregrinus ad patriam suspirat, ad patriam tendit; vestitum & victum habens non vult aliis onerari. Beatus plane, qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domino: quoniam advena ego sum apud te & peregrinus sicut omnes patres mei.*

Publica namque species humanitatis, ut hospitio peregrinus non egeat, cujus in Sacris Litteris atque prophanis exempla passim obvia: nec sine spe præmii. D. Ambrosi. l. II. *Offic.* cap. XXI. *Tanta namque est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ a præmiis remunerationis im-*

immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit. Vides quia Loth Angelos suscepit? Unde scis an tu, cum hospitem suscipias, suscipias Christum? licet in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait. In carcere eram, & venisti ad me, nudus eram, & operuisti me. Hinc regius character existimata est Hospitalitas gemmis omnibus præferenda. S. Chrysost. *Homil de Eleemos. & Hospit. Hospitalitatem exerce, continenter orationi incumbe; videbis hæc fore auratis vestibus potiora, gemmisq; pretiosis & monilibus longo intervallo præstare.* Et idem Tom. VI. *Orat. in Divum Petrum & Eliam*: *Hospitalitatis semen vidua sparsit, & statim florentem atque copiosam Hospitalitatis messem colligit.*

Atque adeo ut hospitii necessitudini Jovem inter alios superstitiose præfecerit Antiquitas; Jovem Hospitalem eum appellans quasi hospitii præsidem ac vindicem, Plaut. in *Pœnulo* Act. V. Sc. I.

Deum Hospitalem ac Tesseram mecum fero.

Ita Romani Jovem *Xenium*, id est, *Hospitalem* appellabant. Hinc fides Jovis Hospitalis. Cicero *ad Q. Fratrem*: *Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis Hospitalis.* Apulejus *l.* III. *Sed proh Juppiter Hospitalis, & fidei secreta numina!* Eadem mente Virgil. *Æneid.* lib. I.

Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur, &c. Ideoque ab Ovidio Juppiter Hospes appellatus, ejusque ara venerationi fuit:

Ante fores horum stabat Jovis Hospitis ara.

Templa etiam Jovi Hospitali dicata insinuat historia *Machab.* l. II. c. VI. *Antiochus in Hierosolymis templum Jovi Olympio dedicavit, & in Garizim, prout erant ii, qui locum inhabitabant, Jovis Hospitalis.*

Venus præterea veluti Amoris Mater Hospitali titulo honestatur. Cicero *pro Cœlio*: *Huic facinori tanto tua mens liberalis conscia, tua domus popularis ministra, tua denique Hospitalis illa Venus adjutrix esse non debuit.*

Minerva quoque Hospitalis dicta. Pausanias l. III. *Quo in loco Parcæ sunt, ibidem est Hospitalis Juppiter, & Hospitalis Minerva.* Ut quoque idem de Apolline, Castore, Polluce, cum cæteris.

Quanta esset vis hospitii, quanta religio apud Romanos. Cic. *in Verrem* hospitii violatorem invehitur: *Pater aderat Dexio Tindaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus: cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaveras, eum cum illa auctoritate & miseria videres præditum, num te ejus lacrymæ, num senectus, num hospitii jus, atq; nomen a scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit? Sed quid ego hospitii jura in hac immani bellua commemoro: qui Stenium absentem hospitem suum in reos retulerit?* Cæsar de Hæduis: *Quibus prædiis, calamitatibusque fractos, qui & sua virtute, & Pop. Rom. hospitio atq; amicitia plurimum ante in Gallia potuissent; coactos esse Sequanos obsides dare.* Et de Germanis *l.* VI. *Hospites violare fas non putant: qui qua de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctosque habent; iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Imo sacrosanctum hospitium, ejusque violati nefas indicat lib. *de bello Hispanico* A. Hirtius Pansa: *Eodem tempore transfuga nunciavit ex oppido, Junium, qui in cuniculo fuisset, jugulatione oppidanorum facta, clamasse facinus se nefandum & scelus fecisse; nam eos nihil meruisse, quare tali pœna afficerentur, qui eos ad aras & focos suos recepissent, eosque hospitium scelere contaminasse.* Quam sacrum & inviolabile voluerit hospitii jus, indicavit Aurelius Imp. in *epist. militari ad Vicarium suum*, ubi leges militum decernit: *In hospitiis caste se agant.* Ideoque violatum hospitii jus punivit severissime, ut notat Vopiscus: *Solus omnium militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, & ad pedes militis*

A *deligaret, eademque subito dimitteret, ut scissus ille utrinque penderet.* Philippus etiam Rex Macedonum improbissimo militi, ingratissimo hospiti stigmata inscribi jussit ingratum hospitem testantia, quemadmodum prolixe narrat Seneca *de Benef.* lib. IV. cap. XXXVII.

Et paulatim crevit hospitum veneratio, ut illos venerandos Veteres putaverint, tum ne inhumani viderentur, tum quia si Dii aliquando sub peregrinorum habitu ad mortales accederent, tectis ne prohiberentur. Magna itaque religione hospites adventantes recipiebantur. Sic Jovem Lycaon Ovidius introduxit:

B *Et Deus humana lustres sub imagine terras.*

Et lib. VIII. *Metamorph.* de Jove & Mercurio:

Juppiter huc specie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades, positis caducifer alis
Mille domos adiere, locum requiemque petentes
Mille domos clausere seræ.

Homerus pariter sæpius Deos aberrantes finxit. Quod quidem convenit cum illo D. Pauli a sancto Chrysostomo in *serm. de Lazaro* receptum: *Sectamini hospitalitatem; per hanc enim quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos.*

Ingressos igitur hospites adorabant supplices excipientes. C Idque manu fiebat ad os illata; qualiter apud Juvenalem; *A facie jactare manus.* Sic Minutius Felix in *Octavio*: *Cœlilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labris impressit.* Hinc labratum osculum: sic Imperatores suos adorabant, & Imperatorum imagines haud minus quam Deorum simulacra: aliquando etiam manu ad os relata solebant sacram Principis purpuram contingere capite demisso. Adorationis etiam mos erat, adorantes primum manum porrigere, deinde statim ad os referre; quandoque primum manus osculati, deinde illas protendebant. Tacit. lib. I. *Hist.* *Nec deerat* D *Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione.* Ita etiam manu venerari; ut de Nerone Tacitus: *Postea genuflexus & cœtum illum manu veneratus est.* Quemadmodum etiam genua tangebant; ut Eruditissimus Præsul Thomasinus *de Votis & Donariis* c. V. uberrime dixit.

Hospitis amici, ut reciperentur, habebant Tesseras & Symbola, illaque præbebant; dicebanturque Tesseræ Hospitalitatis & Amicitiæ, de quibus dicimus infra in *cap.* III. Qui autem erant incogniti, & fortuna seu casu aliquo advenientes, ramos seu vittas habebant. Homerus lib. I. *Iliad.*

E *Stemmata habens manibus Phœbi vibrantis ab alto.*

Sic Æneas lib. VIII. *Æneid.*

Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

Non solum privatæ domus apud Romanos erant in hospitum usum, verum & publicæ ædes (hospitalia nuncupatæ) iisdem patebant, ut ex Vitruvio *lib.* VI. Hinc hospitale cubiculum apud Livium *lib.* I. *Exceptus benigne ab ignaris consilii, cum post cœnam in hospitale cubiculum deductus esset.* Et Symmachus *lib.* III. *epist.* XIV. *Deos enim facio testes, has domus, quarum alteram postulatis, jamdudum a me hospitibus esse decretas.* Ad Justiniani ætatem F celebre fuit Hospitale Sancti Samsonis ab eodem Imperatore instauratum postquam ab incendio exustum fuit; ut refert Procop. *ad Ædificia Justin. Imp.* lib. I. ut etiam Baron. ad ann. DXXX. ibi: *Justinianus hospitalia duo ædificavit, unum pro hospitibus peregrinis, alterum ut in eo requiescerent & refocillarentur pauperes & ægroti; & hæc in via, qua ad templum itur Hierosolymis.* Cui nihil cedit nostrum hic in Urbe Xenodochium sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis, de quo infra dicemus.

Inter officia Hospitalitatis primum erat salutatio

seu invitatio peregrinorum blanda & humana his verbis: *Salve Hospes*. Lavabantur pedes, ut pulvis in via contractus excuteretur; ita Ulyssi apud Homerum; & quidem Priscos hospitibus præbuisse aquam calidam ad abluendum corpus ac pedes, gelidam manibus, indicat Martialis:

Calda gelidaque minister.

Horat. *Serm.* lib. II. sat. II.

—— nec sic ut simplex Nævius unctam
Convivis præbebit aquam.

Ubi præbere aquam est convivio excipere. Convivator enim ad hoc balneum calefaciebat. Quod Lyricus *Carm.* lib. III. ode XIX. dixit: *Aquam temperare ignibus*. Hoc idem servatum a primis Anachoretis, qui hospites non solum excipiebant, adorabant, sed & pedes lavare consueverant. Ut in *Vitis Patrum* l. XI. *Cum aliquem sibi adesse senserunt servi Dei, continuo procurrunt obviam, & velut Angelum Dei excipientes adorant, pedes lavant, ad orationem invitant, mensam ponunt, atq; omnia secundum divinum mandatum complent charitatis officia*. Quod idem legitur in *Vita S. Apollonii*.

Homeri tempore puellas & mulieres honestas hospitum pedes lavare solitas observavit Athenæus lib. I. *Deipnosoph. Introduxit Homerus puellas & mulieres, quæ lavant hospites, quasi neque inflammationem neque intemperantiam patiantur, qua bene vixerunt: antiqua autem hæc est consuetudo*. Meminit hujus moris Homer. *Odyss.* III.

Interea Telemachum lavit pulchra Polycaste.

Item *lib.* VII. de ancillis Menelai. Addo virgines non solum lavisse, sed ablutos unxisse pretiosis unguentis. Idem *Odyss.* III. *Porro postquam lavit & unxit pingui oleo*. Ut etiam Regum filiabus honestum fuerit hospites in balneis lavare. Petrus Nannius *Miscell.* lib. IV. cap. V. inquit: *Certe olim insigne fuisse apud Gentiles pietatem in hospitibus excipiendis, vel inde patet, quod honestum sit habitum, si filiæ Regum hospites in balneis lavarent, ut non uno loco apud Homerum invenimus*.

Hunc morem abluendi apud Hebræos viguisse, ut virgines & puellæ servorum pedes lavarent & tergerent, patet I. *Reg.* c. XXV. ubi vocata est casta Abigail a servis David: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei*. Ubi vid. Abulensis *quæst.* XV.

In primitiva etiam Ecclesia mulieres nobiles hospitibus manibus suis pedes abluerunt: unde Paulus I. *ad Timotheum* V. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens; si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit*. In quem locum Theophyl. Chrysost. *serm.* XIV.

Christus hospitio a Pharisæo receptus conqueritur *Luc.* VII. *Aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos.* Quasi eum argueret hospitalitatis veterem legem non observasse.

Satis frequens fuit apud Veteres usus osculandi hospites accedentes & abeuntes. Ita in Sacris Litteris Moyses socero suo obviam progressus seque incurvans, eum osculatus est, *Exod.* XVIII. Esau fratrem suum Jacobum redeuntem ex Mesopotamia osculo excepit, *Genes.* XXXIII. Jacob suos ex Josepho nepotes, quos illi adduxerat, osculatus & amplexatus fuit, *Genes.* XLIX. Pater filio prodigo redeunti osculum præbuit, *Luc.* XV. & Paulus *ad Rom.* c. XVI. *Salutate invicem in osculo sancto.* Ita abeunte Paulo *Act.* XX. *Procumbentes super collum Pauli osculabantur eum*. Ita Principes Romani peregre profecturi, & mox urbem repetentes, Senatores osculo erant soliti accipere: ut in *Nerone* Suetonius: *Neque adveniens, neq; proficiscens quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem*. Sic apud Veteres primum manus, modo genua, modo vestes, aliquando magnorum virorum pectora & capita honoris &

A obsequii gratia osculabantur. Plutarch. in *Vita Bruti*: *Assidentem C. Cæsarem cinxerunt officii studio, omnes una orantes, manusque ejus tangentes; qui pectus & caput osculabantur.* Ammian. Marcel. *lib.* XXVIII. memorat: *Ex Senatoribus quosdam salutari pectoribus oppositis cœpisse, & osculanda capita in modum taurorum minantium obliquantes obtulisse*. Sed crescente adhuc adulatione tandem ad pedes devenere oscula. De Caligula Suet. *Porrexit ad osculandum sinistrum pedem auro & margaritis*.

Quinimo adveniente seu abeunte Imperatore mos aliquando fuit prosternere vestimenta in via, qua erat ille processurus, ut in *Vita minoris Catonis* refert Plutarch. *Finito tempore provincia abeuntem non votis sed lachrymis & insatiabili amplexu milites prosequebantur, sternentes vestes per ea loca, quibus ipse pedibus iturus erat; quod genus honoris non nisi Imperatoribus, idq; perpaucis, eo tempore tribuebatur*. Et in Christi triumpho dicit Evangelista: *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via*.

Non parcior apud Romanos hospitalitatis cultus fuit, quam Græcor. & cæterarum gentium, quarum cum Imperio non modo artes & disciplinas in urbem, sed etiam mores & consuetudines invexerunt: adeo peregrinis & advenis undiq; confluentibus antiqui hospitii juramerito præ cæteris observaverunt; inde Roma omnium patria dicta est: inde exteræ gentes & transalpinæ nationes inter Senatores in Urbe admittebantur; ut in oratione Claudii inquit Tacit. *l.* XI. *Hædui primi Senatorum in Urbe jus adepti sunt. Datum id fœderi antiquo; & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum pop. Romano usurpant*: inde exteras quaslibet nationes bello victas, post victoriam civium numero Romani adscivere, in tutelam accepere, cognationeque & hospitio junxere; ut teste Cicerone, Varrone, & Festo hostem appellarint ab hostiendo, hoc est, æquando; propterea quod inter cives & peregrinos debeat esse æqualitas: ut ex Plutarcho in *Vita C. Gracchi*, quod Cornelia mater ejus; *Ob hospitalitatem patebat mensa ejus*.

Romanorum erga Legatos hospitalitas profecto insignis fuit, tantaque liberalitate in excipiendis, ut per Urbanum Quæstorem publicum hospitium & munera, quæ *Lautia* dicebantur, etiam commeatus large & hospitaliter, & vestimenta publico nomine præstarent; ut pluribus omissis comprobatur ex Valer. M. *lib.* V. *cap.* I. *Ante omnia humanissima & clementissima Senatus acta referam. Qui cum Carthaginensium Legati ad captivos redimendos in Urbem venissent, protinus illis, nulla pecunia accepta, reddidit juvenes numerum duum millium & septingentorum quadraginta trium explentes*.

Deligebantur in Legatorum gratiam a Senatu viri celebriores, in publico nomine illos honorifice salutant, omnia illis humanitatis atque hospitalitatis officia deferunt ac pollicentur, in Urbem introducunt, in ædes splendidas conducunt, illos honestis humanisque colloquiis exhilarare student: sic etiam Senatus cum ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ regem, Perse defuncto, venire audiisset, obviam illi Pub. Corn. Scipionem Quæstorem Capuam misit; censuitque ei domus Romæ quamoptima conduceretur, & copiæ non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice præberentur: præterea cum sociorum Legati undique Romam confluerent, decretum quod Regum, Municipiorum, & Coloniarum ad ædem Saturni diverterent, ibique apud Præfectos ærarii nomina darent, & literis adscribi deberent; & cum commodum foret noscendis singulorum postulatis Senatus daretur, & post mandata singuli ad suas provincias mitterentur. Cur vero ad Saturni templum? Aliqui factum putant, quia Saturnus, cum esset peregrinus, hospitibus gauderet. Alii, ut eorum nomina in publicas tabulas referrentur: erat namque apud ædem Saturni ærarium publicum.

Legatis vero externorum principum, antequam admitterentur, exploratores seu aliquis ex minoribus magistratibus obviam mittebatur, qui & quæ peterent inquireret; postea in æde Apollinis extra Urbem, aliquando in æde Bellonæ Senatu habito eorum postulata admittebantur. Bellonæ enim templum ideo extra Urbem, quia quos Deos vi sua Veteres obesse putabant, in Urbem diutius non admisere; sic ædes Vulcani & Martis: sic Veneris Erycinæ extra Collinam magna mole extructæ fuerunt; ne libido invalesceret. Vitruvius *lib.* I. *cap.* VII. *Extra Urbem Veneris Fanum ideo collocatum, uti non insuescat in Urbe adolescentibus, seu matribus familiarum Venerea libido.*

Refert Livius *l.* XXX. *c.* XVII. de Legatis Massinissæ: Prætor *in singulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millibus æris, & vestimenta bina Legatis, singula comitibus.* Ex Flavio Vopisco Imperator Severus Legatis septuagenos vicenos aureos dedit, facta potestate si qui vellent remanere, ac secum Romam redire. Legatos etiam largioribus poculis invitare solebant Bonosus ex Flavio Vopisco: *Nam Legati Barbarorum undecunque gentium venissent, ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret.*

Essent plura referenda de Conviviis, quibus hospites excipiebantur; quæ quoniam abunde in præcedenti Capitulo sunt jam dicta, ne repetantur, ideo missa facimus.

Christiani primævi sæculi a Servatore nostro edocti, adeo ad hospitalitatem propensi erant, ut peregrinos ad hospitium cogerent & pene traherent, veluti de Discipulis euntibus Emaus Sacra testatur Historia: nec non celebres hospitalitatis sectatrices Martha & Magdalena, quæ sæpius Christum hospitem habuere; cæterique Christiani viri ac fœminæ primi sæculi, qui invicem summa charitate hospitabantur. Meminit hujus moris D. Augustinus *in Psalm.* LXXV. *Alii vovent domum suam esse hospitalem omnibus Sanctis advenientibus, magnum votum vovent.* Erant etiam Evangelizantium præcepta, ut D. Ambros. l. VI. *in c.* VI. *Lucæ* docet: *Ut pacem ferant, constantiam servent, hospitalis necessitudinis jura custodiant: alienum a prædicatione regni cælestis asserant cursitare per domos, & inviolabilis hospitii jura mutare. Sed ut hospitii gratia deferenda censetur: ita, etiamsi non recipiantur, excutiendum pulverem, & egrediendum de civitate mandatur. Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hospitii, ut non solum pacem tribuamus hospitibus; verum etiamsi qua eos terrenæ obumbrant delicta levitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigiis auferantur.* Hinc præceptum Clericis, ut sint hospitales. Hieronymus scribens Damaso Papæ: *Quidquid habent Clerici pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes; & quod ipsi Clerici susceptioni peregrinorum & hospitum invigilare & studere debent.* Essent in hoc plura addenda exempla in Vitis Patrum, & Ecclesiast. Annal. quæ, ne prolixior sim, omitto.

Sed ne prisca tantum miremur: nostris quoque temporibus apud fideles Christi cultores omnia antiquæ hospitalitatis jura servari ac vigere nemo negaverit. Roma urbs, veræ virtutis domicilium, & communis patria, evidentiora priscæ hospitalitatis vestigia censenda est reliquisse; ut clara eorum recentiora monumenta ad satietatem in oculos veniunt. Nec solum penes singularum nationum universitates propriæ gentis advenæ humanissime excipiuntur; ut etiam a remotis partibus Præsules seu aliæ venerandæ personæ Romam advenientes in Palatio Congregationis Fidei propagandæ hospitantur; nec non singuli Sacerdotes & Clerici in altero Palatio Congregationis Pauperum Clericorum peregrinorum morantur: sed nusquam majori studio exercetur hospitalitas, quam Romæ in celebri Sanctissimæ Trinitatis Xenodochio in omnes cujusque sexus & conditionis peregrinos Religionis voto Romam accedentes; cum omni anni tempore, tum præcipue splendidiori apparatu imminentibus sacrosanctæ Resurrectionis Dominicæ feriis. Ut quoque singulis diebus totius anni Jubilei, (sicut in præsenti anno MDCL.) cujus veneratione frequentiores ex universo Orbe affluunt ad Urbem advenæ: ubi non solum inter Confratres hujus Archiconfraternitatis SS. Trinitatis mediocris conditionis homines; verum & Principes Ecclesiastici, Prælati, & Eminentiss. Cardinales peregrinorum commodis invigilant, ac mensæ ministerio inserviunt; etiam sese ad pedum lotionem demittentes; præeunte nonnumquam in hoc summo Pontifice, ut ego oculatus testis an. MDC. Jubilei memor sum pluries ad idem ministerium lotionis fel. record. Clement. VIII. paterna charitate inservisse, & singulari liberalitate sustentasse; ac etiam sequenti Jubilei an. MDCXXV. eidem ministerio inservisse fel. record. Urbanum VIII. Nec inferiore charitate id præstant in eodem loco matronæ natalibus clarissimæ recipiendo cujuscunque sortis fœminas, quibus summa pietate & insigni cultus apparatu ampla destinata sunt hospitia.

Diximus supra in hoc Capitulo consuevisse priscos Romanos & Christianos jam tum hospites invitare, eosque in privatis & publicis hospitiis excipere, osculo salutare, pedum lotioni ministrare, mensæ & aliis necessariis inservire. Romæ autem hisce temporibus nostris in excipiendis hospitibus cum Priscorum magnificentia certat pietas, imo magno Christianæ charitatis impulsu hæc Sanctiss. Trinitatis Archiconfraternitas in hujusmodi exercitia sese diffudit per universum orbem; ut communi sententia veterum Græcorum, Romanorum, aliarumque nationum exempla longe excedat.

Lubet hic obiter indicasse, quod præcedentibus annis ad illum Jubilei MDL. S. Philippus Nerius tunc vivens, respiciens ipse cum aliis sexdecim piis personis advenientes Romam pauperes peregrinos ad invisenda sacra loca, ut plurimum illos in viis publicis tunc somnum capere, non invenientes ubi requiescerent: debile tunc illi dedere principium ad fundationem nostræ hujus Archiconfraternitatis Sanctiss. Trinitatis in peregrinorum ministerium, quam sequentibus annis piorum eleemosynis auctam, modo magnificentia per totum orbem splendentem videmus: dum cujusque sexus & conditionis peregrini ibidem per quatuor saltem & ulteriores dies recipiantur, traditis eorum singulis hospitalitatis tesseris, ut in hospitium ingredientes possint dignosci, & ne confusio sequatur: adeo ut in anno Jubilei aliquando uno die decem & duodecim peregrinorum millia omni humanitatis officio ibidem permaneant: ex quibus Confraternitates aggregatæ ac etiam aliæ insigniores personæ particulari secessu splendidis conviviis excipiantur.

Sed ut nos ad institutum thema revertamur. Commune erat apud cultiores gentes, ut discedentibus hospitibus in viam cibi darentur. Ita dimittitur a Nestore lib. III. *Odyss.* Telemachus:

Conda dedit mulier panem, Bacchique liquorem,
Atque cibos, comedunt Reges quos rite beati.

Dabantur etiam munera nobiliora. Menelaus crateram argenteam discedenti Telemacho hisce verbis obtulit:

Ecce tibi cratera dabo, est argenteus ille
Totus, & aurato suffusus labra metallo,
Vulcani labor, atque dedit quam maximus Heros
Sidonius mihi Rex.

Aureum cantharum Deorum Mater sorori suæ Deæ Syriæ hospitale munus obtulit, Apulejo teste *Metam.* lib. IX. Nero Claudius Tiridati Armeniæ Regi abeunti contulit sestertium millies; nimirum quinquagies centena millia carolinorum ex supputatione Adriani Junii. Item cum dimittebantur hospites ipsis Xenia tradebantur, quæ proprie Apophoreta. Sic Martialis *lib.* XIII. *Xenia* inscribit, quæ non solum hospitibus, sed etiam amicis dabantur. Martialis igitur, quia res mittendæ deerant, Disticha conscripsit, quæ loco Xeniorum & suis ipse amicis mitteret:

Hospitibus pro munere disticha mittas.

Erant etiam quædam præcepta, quæ discedentibus dabantur sive ad utilitatem sive ad honorem conferentia, puta ut discedenti amico caveret sibi ab aliquo vitio. Nec inusitatum fuisse scriptoribus Lectori suo memoriam insinuare; ita namque in clausula *Alexipharmacorum* Nicander: *Nicandri Poetæ memor sis; sic fiet, ut hospitalis Jovis legi non renitare.*

Hodie frequens & communis usus est discedentibus viris clarissimis, vel Legatis, ac Oratoribus Principes munera dare: idem liberalitatis honor primum apud summum Pontificem adolevit, dum sacras Reliquias Sanctorum, Numismata aurea & argentea plurimis ex præfatis Romam accedentibus pretiosa munera donat.

Si quem autem contracti hospitii pœnituisset, renunciare hospitium solebat, ne hospitii jus violaret. Sic *in Verrem* or. IV. *Itaque vehementer iste Stenio infensus, hospitium ei renunciat.* Si quis autem jus hospitii violabat, tesseram hospitalem confregisse dicebatur. Plaut. in *Cistell.* Act. II. Sc. I.

Abi quærere, ubi tuo jurejurando satis sit subsidii;
Hic apud nos jam, Alcesimarche, confregisti tesseram.

Denique ut aliquid nobis proficuum attendentes hoc Capitulum obsignemus, recogitemus quomodo, Hebræis e Populo jam electo reprobatis, voluerit Deus pretium sanguinis Christi in nos fideles jam ex Gentilitate conferre, quamvis exteros & peregrinos: quod nobis indicatur ex ipso Judæorum concilio; dum illi ex triginta argenteis, quos reddidit Judas Iscariotes, emerint agrum figuli in sepulturam peregrinorum: quia cum essent pretium sanguinis, eos in Corbona vel Gazophylacio inter dona Dei recondi nefas esse censuerunt principes & sacerdotes: inito propterea consilio statuerunt, ut emeretur illis ager figuli, quo peregrini, qui in urbe e vita discedebant sepulchroque carebant, in illo sepelirentur. Sub velo nempe typi significatur, precium sanguinis Christi non Judæis indigenis, sed peregrinis, id est, Gentibus in eum credituris, profuturum esse.

Optime Novarinus *in Matth. c.* XXVII. *Fraudulenter principes sacerdotum cogitaverant & decretaverant illius pecuniæ summam in vilissimæ & abjectissimæ rei usum expendere, in sepulturam scilicet militum aliorumque pauperum, & ignobilium Gentilium; ut hac ratione Christi memoriam ad necem empti, & suam ipsorum impietatem emptione sepulturæ sepelirent. Sed aliter Dei providentia factum: Ager quippe ille emptus æternum monumentum factus est sceleris ipsorum: si in Corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset; nunc vero prædio empto ad posteros rem universam, vel aliud cogitantes, transmiserunt, ut hinc cogitaremus ægre celari sacerdotum & principum consilia posse.*

Mirum est quod de hoc agro scribunt Broccard. Niceph. Saligniacus; & ex his Andricomus in *Descriptione Hierusalem* n. 216. pag. 173. hisce verbis: *Cum jussu Imperatricis Helenæ de hoc agro, quantum terræ ducentum & septuaginta, ut ajunt, naves capere poterant, Romam advectum, ac juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolæ Campum Sanctum vocitant, licet cælum mutarit, eamdem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hic omnem carnis substantiam inter 24. horas prorsus consumit, ossibus tantum residuis.*

Diximus hæc de Hospitalitate, ex quibus plura desumpsi ab eruditissimo & elaborato opere jam in lucem edito *De Hospitalitate* per Reverendiss. D. Jacobum Philippum Thomasinum Episcopum Æmoniensem, cui ego egregiis ejus dotibus intima adstrictus amicitia plurimum me debere fateor.

Sed præter ea, quæ de Hospitalitate jam diximus, addimus etiam urbem Romam ab exordio sui Imperii fuisse semper comunem virorum patriam; vel ex eo habemus, quod nulli quantumvis barbaro (si exuta barbarie frugalitatem cæterasque morales virtutes apprehendisset) viam ad quoscunque magistratus, imo ad ipsum Imperium nunquam fuisse præclusam: &, si recte calculum ponamus, inveniemus longe plures tunc advenas imperasse quam Romanos. Eadem & nunc hanc terrarum Dominam ducit Fortuna; ut quisquam non falso dixerit,

Hospitibus mater, natis urbs Roma noverca:
Plena dat externis ubera, sicca suis.

Hic omnium nationum ad hanc urbem concursus, quæ propterea hospitia introduxere etiam nationalia; scil. Teutonum, Francorum, Iberorum, & similium: cum inter mortales nil magis societatem humanitatemque magis conciliet, ac jus hospitalitatis, non civili, sed naturæ, sive gentium primæva lege hoc jus introductum: & sane una hospitalitate nil apud homines sanctius, nihil Deo acceptius, sacra Christianorum Religio eam non consilio suadet, sed præcepto imperat: *Frange esurienti panem tuum, egenos vagosque induc in domum tuam.* Et in extremo judicio dicet Christus apud *Matth.* cap. XXV. his, qui a dexteris erunt: *Possidete paratum vobis regnum. Hospes eram, & collegistis me.* Ut quoque maledictionem pronunciabit in eos, qui recusassent hospitium. Cumque sit etiam non modo privatorum civium, verum etiam ipsarum urbium summa laus, privatas & publicas domos patere peregre venientibus: nobis in præsenti omisso privati hospitii sermone, de publico tantum, ut quam longe in eo urbs Roma cæteras orbis civitates (ut communem omnium parentem decet) excellat, demonstrabimus.

Primum omnium hospitiorum, quo peregrini & advenæ quicunq; & quocunq; tempore benigne & humanissime excipiuntur, est Xenodochium seu Hospitium Santiss. Trinitatis in urbe prope pontem, qui dicitur Xisti, a Xisto IV. Pont. Max. structum. Habuit Hospitium hoc initium sub Paulo III. a Crescentio Silva Senensi Presbytero satis tenue. Hic pius sacerdos, cum multos videret peregrinos per urbem vagantes, auxilio quorundam amicorum, quibus consilium suum communicaverat, (inter quos præcipuus fuit etiam S. Philippus Nerius) conduxit domum, eamque coemptis lectulis implevit, ac peregrinos quoscunque pro ædium capacitate lectulorumque numero hospitio suscepit: invenit etiam pium institutum fautores, ut brevi construxerit templum pluribus coemptis ædibus circumjacentibus pauperum hospitio, templo sacerdotibus cultui divino addictis.

Hospitium administratur a Sodalitate Laicorum; ex quibus ego minimus præsenti hoc sancti Jubilei an. MDCL. Camerarii munere fungor; quæ Sodalitas omnium necessariorum curam gerit: licet quocunque tempore hospitalitas summa humanitate

exerceatur; an.tamen Jubilei, ut in præsenti reperimur, ob ingentem peregrinorum multitudinem pium institutum magis elucescit: quia quandoque una nocte enumerantur quindecies mille hospites: & si rationes totius anni quis subducat, inveniet hospito exceptos fuisse præterito Jubilei anno MDCXXV. quingenties mille. Ingens hominum multitudo in ædibus Hospitii propriis licet amplissimis non continetur: unde aliæ circumvicinæ pro anno Jubilei conducuntur: & cum ob id ipsum, tum propter reliquos sumptus multum æris alieni contrahatur, illud in sequentibus annis, quibus sumptus non excedunt, solitum est exsolvi.

Ordo qui exercetur charitatis, admirabilis est; ut illico ac hospites peregre adveniunt prima nocte eis pedes lavantur, foventur, & quatenus opus sit, medicamenta præbentur: seorsim a mulieribus viri; mulieres quidem obsequium recipiunt a præcipuis & nobilissimis matronis, quæ vicarias præbent operas earum etiam, quæ stipendio conducuntur: viri a principibus viris, Prælatis, ac ipsis Eminentissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a lavatione ducuntur ad mensam, ubi eosdem lavatores mira humanitate & humilitate habent epularum administros: imo anno MDC. Jubilei ipse Clemens VIII. Pont. Max. sex vicibus nostrum Hospitium invisit, & alba succinctus sindone pedes peregrinorum sanctis manibus lavit, eorumque mensæ astitit: nimium nobilis structor, seu pincerna! (ut ego tunc juvenis recordor jam vidisse) supremum in supremo Principe Christianæ humilitatis exemplum, grata Sodalitas æterna memoria æreoque simulacro donatum voluit.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.
QVOD XENODOCHIVM
PATERNA CHARITATE INVISERIT,
SINGVLARI LIBERALITATE
SVSTENTAVERIT,
SODALITAS OPPORTVNA EIVS OPE
CONSERVATA, POSVIT MDXCVII.

Quoniam Urbanus VIII. Pont. Max. anno Jubilei MDCXXV. non dissimili liberalitate cum eidem Hospitio eleemosynas ministraverit, & ipse quoque ibidem inservierit, eadem Sodalitas hoc alterum monumentum erexit:

VRBANO VIII. PONT. MAX.
CAELESTIS HVMANAEQVE REI DISTRIBVTORI.
QVOD ANNO IVBILEI MDCXXV.
APERTIS VTRIVSQVE MVNIFICENTIAE
VALVIS
XENODOCHIVM HOC AERE PLVRIMO IVVIT.
NOVA SVPELLECTILI AVXIT.
PRAESENTIA SAEPIVS
ILLVSTRAVIT.
SODALITAS GRATI ANIMI MONVMENTVM
POSVIT.

Sicuti ex priscis Annalibus nostræ Archiconfraternitatis, jam tum ab anno quoque Jubilei MDL. hanc hospitalitatem fere incœptam, ac magis sub altero Jubilei anno MDLXXV. Summum Pontificem Gregorium XIII. una cum Eminentissimis Cardinalibus & Principibus eandem hospitalitatem constat præstitisse.

Ut autem ad nostrum institutum thema revertamur. Sublatis mensis, peregrini omnes preces canentes, & absque alio strepitu ducuntur cubitum: ut certe mirandum, quomodo tot diversarum nationum hominum millia adeo concorditer in unum valeant convenire. Hospitii tempus triduum est, iis vero qui longinque veniunt, diutius protrahitur: at quoniam pio operi proprius census in eo Jubilei anno est longe impar, conferuntur tunc multæ & magnæ a principibus & probis viris eleemosynæ; ut aliquando quidam integros sumptus, seu partem illorum in singulos dies suppleant; sed ut plurimum mos est singulis hebdomadibus quispiam mensæ Curator, seu ut vulgo nuncupatur *Scalco*, constituatur: iste namque ea sibi tota hebdomada assignata partem carnium, bellariorum, seu aliorum alimentorum in usum omnium eorum peregrinorum de proprio apponit: quod ad summam pecuniarum non modicam ascendit pro qualitate temporum & numero peregrinorum: & hoc potissimum dum exteræ Confraternitates processionaliter ex diversis Italiæ civitatibus adveniunt, quæ lautissime convivantur, iisque nobile & sumptuosum præstatur servitium.

Hoc certum & grande miraculum evidenti Numinis providentia: nunquam honestis epulis defuisse quicquam; adeo ut sæpissime cum nocturno tempore satis ingens peregrinorum numerus advenisset post consumpta omnia ad victum illius diei præparata, factum est improviso, ut ab ignotis comestibilia fuerint apportata superabundantia in usum opportunum prædictorum peregrinorum, qui de novo advenerant.

Sed quoniam miracula in nostro Xenodochio sine intermissione continuata contingunt; ideoque propterea quia quotidiana vilescunt; non prætermittam referre anno MDXCIX. præcedenti ad illud Jubilei MDC. cum etiam Ecclesiæ nostræ argentea vasa & aliæ ibidem necessariæ supellectiles oppignoratæ jam essent ad usum hospitalitatis in sequenti anno; nihilominus elapso illo Jubilei anno non solum tunc omnes Confratres nostri maximo sumptu & urbis splendore ad sanctissimam Lauretanam domum pro gratiarum actione completæ jam hospitalitatis, & ipsi quoque peregrinarunt; verum & sequentibus mensibus ex eleemosynis, quæ superfuerunt ex tanta peregrinorum exceptione, Custodes & Confratres tunc temporis templum nostrum construi fecerunt amplum & magnificum in honorem Sanctissimæ Trinitatis.

Nec dissimile contigit in principio alterius sancti Jubilei anno MDCXXV. cum eadem penuria maxime perseverasset a primordio usque ad finem illius anni; sed quoniam tunc obiit D. Franciscus Contarellus, qui quamvis vivens nunquam ex nostris Confratribus, sicut nec unquam solitus nostrum Xenodochium invisere; tamen Div. Numine subito impellente iste ditissimus tunc moriens, nostram Archiconfraternitatem & Xenodochium supra quinquagies millium scutatorum absque ullo onere scripsit hæredem. Unde Confratres æternæ memoriæ monumentum tale erexerunt:

FRANCISCO CONTARELLO NOBILI GALLO, CIVI ROMANO.
MATTHAEI CARD. CONTARELLI NEPOTI
SODALITAS SANCTISSIMAE TRINITATIS
EX ASSE ABSQVE VLLO ONERE HAERES.
IN OCVLIS CONFLVENTIVM AD VRBEM VNDIQVE POPVLORVM,
HOMINI OB BENEFICENTIAE AMPLITVDINEM
DE VNIVERSIS NATIONIBVS OPTIME MERITO.
GRATI ANIMI MOMVMENTVM POSVIT
ANNO IVBILEI MDCXXV.

Unde ex his, quæ superabundarunt in duobus præcedentibus Jubilei annis, post tam immensos sumptus in peregrinorum exceptione, vere potuerit Dei providentia Confratribus nostris præcipere, *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant*: sicut & illi boni dispensatores & distributores in eorum hospitio & aliis piis operibus semper perseverarunt.

Maxima est quoque pecuniarum penuria, in qua hodie nostra Archiconfraternitas versatur, præparatis jam victualibus & dispositis domibus cum lectulis necessariis ad hoc præsens hospitium in hoc

bilei anno. Summam Dei providentiam tredimus non defuturam; ejusdemque Christi in terris Vicarium Sanctissimum Dominum nostrum Innocentium X. suppleturum confidimus; sicut & jam opulentam eleemosynam subministravit: unde jam nostra Archiconfraternitas grati animi memor & illi quoque Monumentum cum Elogio erigendum destinavit.

CAP. III.

Tesserarum plura genera in usu apud Priscos fuerunt. Frumentaria quæ. Numariæ, Convivales, Lusoriæ quales? Comitiales quando & a quibus adhibitæ? Hospitalis dimidiata hospitibus dari solita. Theatrales, Militares quæ? Mutuæ quot fuerint? Consideratio.

APUD priscos Romanos plura Tesserarum genera in usu fuisse legimus: ex quibus præcipua fuere, Tessera Frumentaria, Numaria, Convivalis, Lusoria, Comitialis, Hospitalis, Theatralis, Militaris, de quibus Reverendiss. Thomasinus Æmoniensis Præsul in suo *de Tesseris Hospitalitatis* libello cap. XVI. eruditissime, unde ego plura in præsenti argumento desumpsi, sicut & alia plurima ab ipsius ore eruditissimo sæpius apprehendi.

Frumentaria igitur Tessera erat signum, quo exhibito unusquisque frumentum pro portione accipiebat a Principe; de quo Juvenalis *l* III. *sat*. VII.

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti.

Et Persius *satyra* V.

—— *scabiosum tesserula far*
Possidet.

Mos fuit apud Romanos menstruum distribui frumentum in pauperes in cujusque mensis initio, sive Nonis, ut Suidæ visum, unde idem & annonas derivat: hæc autem distributio quoniam per Tesseras fiebat; quique eas habebat, ad Curatores frumenti dividendi ibat, munus ab Augusto institutum: quatuor enim viri erant, iique ex honestioribus, & qui ante quinquennium Prætura functi essent, quod Dio notavit *lib*. LIV. Et si Præfectus etiam annonæ proprius, qui de advehendo & adservando in horreis satageret, non proprie de distribuendo frumento. Frumentatio igitur vetus Romæ & ab ipso etiam Senatu, qui arcta annona quasi benignus Pater Plebis misertus, frumentum aliquando divisit modico ære: accesserunt Tribuni, ex quibus Clodius *Annonariam legem tulit, ut frumentum, quod antea Populo semisse æris ac trientibus in singulos modios dabatur, GRATIS daretur*, ita Asconius. Crevisse autem sub Impp. largiter hanc distributionem, cum plures adscripti, & classes etiam institutæ ad transvehendum frumentum. Fuit autem numerus accipientium aliquando ad trecenta viginti millia, sed Julius Cæsar minuit, de quo Sueton. *Ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum retraxit*. Sed Augustus deinde ad ducenta millia auxit. Tiberius etsi minime popularis, recenset tamen in Senatu apud Tacitum: *Quibus e provinciis, & quanto majorem, quam Augustus rei frumentariæ copiam advectaret*. Ergo & in plures, ni fallor, distribuendam. De hac vero frumenti divisione & tesseris Suet. in *Aug*. cap. XL. *At ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit*, &c. *Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ipse levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesserasque numarias duplicavit*. Hinc Isidorus: *Tesseræ sunt quibus frumenti numerus designabatur*. Quod quidem sæpe Impp. honoris causa facere solitos, ex Numismate Nervæ, in cujus adversa parte est modium mensura frumenti, in quo ejusdem spicæ hoc titulo: *PLEBI URBANÆ FRUMENTO CONSTITO S. C.* Cum similibus aliorum Impp.

Tesseræ Numariæ, quibus summa præscripta numerum repræsentari solet. Dio: Domitianus *ad sustentandam civium vitam decies & quinquagies centena millium erogavit, & quosdam Senatorii ordinis delegit, qui agros emerent, eosque egenis dividerent*. Commune fere Imperatoribus Tesseras Frumentarias & Numarias populo dare.

Convivales fuisse Tesseras constat ex Lampridio de Antonino Heliogabalo in hæc verba: *Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem struthiones, alius decem ova pullina, ut vere sortes essent & fata tentarentur, quod quidem & ludis suis exhibuit, cum & ursos decem, & decem glires, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit: primusque hunc morem sortis instituit, quem nunc videmus*. Et infra: *Quæ Populus tam libenter accepit, ut eum postea imperare gratularetur*.

De Lusoria Tessera meminit Ovid. lib. *de Arte*:

Seu ludet, numerosque manu iactabit eburnos;
Tu male jactato, tu bene jacta dato.

Et Martialis *lib*. XIV. *epigr*. XVII.

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Et in hanc sententiam Julii Capitolini verba in *Ælio Vero*: *Post convivium lusum est tesseris usque ad lucem*. Jaciebant porro hosce talos in fritillum, id est, turricellam, vel pyxidem corneam: quale ex ære extat hic Romæ in Museo Equitis Francisci Gualdi Ariminensis.

Tesseras insuper Comitiis adhibitas a suffragatoribus, dum honores distribuerentur. Varro *de Re Rustica* l. III. c. V. inquit: *Cum hæc loqueremur, clamor fit in campo: nos athletæ comitiorum una cum id fieri miraremur propter studia suffragatorum, & tamen scire vellemus, quid esset, venit ad nos Pantulejus Parra: narrat ad tabulam, cum diriberent, quemdam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum, eum ad Consulem tractum a fautoribus competitorum*.

Fuit antiqui moris Tesseram Hospitalem dare hospitibus dimidiatam, in qua communi consensu symbolum quoddam insculpebant, quæ quidem testimonium erat contractæ amicitiæ; & hanc quicunque attulisset ad hospitem, continuo agnosci posset & hospitio accipi tanquam amicus & vetus hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posteros transibat, quasi jure quodam hæreditario, ut significavit Homerus l. VI *Iliad*. loquens de Diomede & Glauco; propterea Tesseram Hospitalem diligenter asservabant. Plautus in *Pœnulo* Act. V. Scen. II.

Ego sum ipsus, quem tu quæris. HA. *Hem! quid ego audio?*
AG. *Antidamæ gnatum me esse*. HA. *Si ita est, Tesseram*
Confer si vis hospitalem. AG. *Eccam attuli*.
HA. *O mi hospes, salve multum: nam mihi tuus pater,*
Pater tuus ergo hospes Antidamas fuit:
Hæc mihi hospitalis Tessera cum illo fuit.
AG. *Ergo hic apud me hospitium tibi præbebitur*.

Tessera Hospitalis sive Hospitii fuit, quam hospites eorumque liberi secum ferebant, ut facilius a veteribus & paternis hospitibus agnosci posset. Luctatius Gram. *ad* l. VII. *Thebaid. Statii* inquit: *Veteres quoniam non poterant omnes hospites suos no-*

scere, Tesseram illi dabant, quam illi ad hospitia reversi ostendebant proprio hospiti; unde intelligebantur hospites.

Hujus formam Euripidis Scholiastes *in Medeam* optime describit: Qui hospiter invicem fieri volebant, talum quemdam discindebant in duas partes æquas, unam ii, qui hospitium præbebant, sibi retinentes; alteram dantes ei, qui hospes fieri solebat: & si contigisset de cætero, uti alter alterius hospitium subiret, producentes dimidium tali renovabant jura hospitalia.

Tale in meo Musæo binæ asservantur, ex ligno annorum diuturnitate velut petrefacto, quod est pruneum silvestre sublutei coloris; ac illæ junctæ forma rotunda, & parte interiore hospitum nominibus inscriptæ: quas hic delineandas curavi.

POLYNICES· ASCANIDI·F
CLAPHYR ANDRAEMI·F
DEMETRIVS FA DE MI
DK IVII LLENTIMMESCOS

Ipsius vero hospitii symbolum sive tesseram apud Lingones fuisse dexteram narrat Tacitus *l.* XVII. his verbis: *Miserat civitas Lingonum vetere instituto dona legionibus, dextras hospitii insigne.* Hujusmodi tesseram hospitalem dexteræ manus symbolo lubens quoque ego asservo in meo Museo, cujus typum in eruditorum gratiam hic exposui; ex pruno sylvestri pariter fabrefacta.



Tessera hospitalis accurate descripta reperitur in *Monumentis Danicis* l. XXVII. Olai Vormi, Virgulæ eroticæ titulo his verbis: *Bacillus est quadratus trium pollicum longitudine, latitudine tertia parte pollicis, latera quatuor characteribus insignita habens ex pruno sylvestri, ut videtur fabrefactus.*

Tesseram hospitalem confregisse dicebant, qui jus hospitii violarat: hoc est, ut ait Erasmus, qui sibi reditum in domum aliquam præcluserat. Plaut. in *Cistellar.*

Hinc apud nos, Alcesimarche, confregisti tesseram.

Infames vero habebantur, teste Tullio orat. *in Verrem*, qui hujusmodi amicitiam violabant, nisi prius illi renunciassent, ut inquit T. Livius *l.* v. Belli Punici secundi: *Badium civem Campaniæ renunciasse hujusmodi amicitiæ contractæ cum Q. Crispino Romano, prius quam pugnaret contra eum.* Hæc autem fuit consuetudo Græcorum & Romanorum; de qua Græci & Latini scriptores meminerunt.

Joannes Alba Cartusianus in suis Selectis sacræ Scripturæ *Centuria* LXXIII. inquit: Hanc hospitalium tesserarum consuetudinem respexisse videtur Christus Redemptor noster (& forsan ea a Romanis ad Judæos transierat) præcipiens Discipulis apud *Lucam* IX. & *Matth.* x. Ne in prædicatione Evangelii deferant virgam sive tesseram hujusmodi: ac si dicat: Non ob amicitiam jure humano contractam volo vos percipere victui necessaria; nolo ut exigatis hospitium, vel victum propter tesseram, cui hæc ex consuetudine & jure quodam debentur: non ergo feratis virgam sive tesseram in via prædicationis, sed hospitium & victus dentur vobis propter Me & Evangelium, propter laborem & operam: *dignus est enim operarius mercede sua;* si enim seminetis hominibus spiritualia, quid mirum, si eorum carnalia, id est, temporalia, metatis? Nec repugnat quod Salvator noster Christus apud *Marcum* c. VI. præcipiat Discipulis, ne quid tollant in via nisi virgam, non peram, non panem, & cætera: quoniam in hoc loco pro virga non tessera, sed baculus intelligitur, quo pedites niti solent, ut ex prædicto Alba *loc. cit.*

Theatralem tesseram non inconcinne dictam censeo, mentio cujus frequens in ludis & theatris: sic *de Ludis Stellæ* Martial. *l.* VIII. *epigr.* LXXVIII.

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera larga feras.


Nimirum ludos tam celebres fieri jussit in gratiam Principis Stellæ, ut tesseræ ligneæ (ex pruno sylvestri forsan ut dixi) mitterentur & spargerentur in populum e loco superiore in theatrum & propalam, quibus signa inscripta erant ferarum & aliarum rerum, quas editor cupiebat populo largiri ad illum alliciendum, quæ magno certamine legitime in omnibus ludis diripiebantur: quorum pretia ex Sueton. in *Nerone* referuntur his verbis: *Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia avium, cujusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ; novissime naves, insulæ, agri.* Nota insulas, nempe urbanas & habitabiles domos: & Dio Cassius de eodem Nerone similia asserit: *Omnia delicatissima, quæ homines comedunt, omnia pretiosissima, equos, mancipia, esseda, aurum, argentum, variam vestem, hæc dabat per symbola quædam, & tesseras: globulos etiam parvos inscriptos, ut quæque eorum erant, hos jaciebat in populos, & re ipsa mox dabatur, quod quisque eorum in tessera haberet.* Hæc de more fiebant, sed alius alio largius, parciusque pro opibus præbebat: sane Titus Vespasiani filius profusissime in ludis, quos per centum dies in dedicatione Amphitheatri sui fecit. Dio Cassius de eo: *Dedit & quædam utilitatem, non solum voluptatem, spectantibus præbentia: nam globulos ligneos quosdam de loco superiore in theatrum jaciebat, qui symbolum haberent, hic alicujus esculenti, ille vestis, alius argentei vasis, alius aurei, equorum, jumentorum, mancipiorum, quæ oportebat eos, qui rapuissent, ferre ad Curatores ludorum, & ab iis accipere quamque rem inscriptam.* Et hæc per illos centenos dies magna impensa facta; ut nec profecto mirum, cum Adrianus Imp. in adoptione Ceconii Commodi multa in populum profudisset

per similes ludos, & in militem; atque Ceconius A cum ægro corpore vitalis non videretur, sæpe Adrianum dixisse: *Perdidimus quater millia H-S. quod populo & militibus dedimus*. Qui sunt ipsi nostri decem milliones

In spargendis missilibus verbera frequentia, & cædes erant; ideoque prudentissimus quisque, ait Seneca, cum induci videt munera, fugit a Theatro, & scit magno parva constare: nemo enim fugit exeuntem. Novella Justiniani CV. *In sparsionibus istis plebeii factiosi*.

Tessera Militaris erat, qua exercitus ex ducis præcepto, vel ad aliquod opus, vel ad bellum movebatur: unde Tesserarii, Vegetio auctore, erant, qui Tesseras per contubernia militum nunciabant; ita Servius *ad* VII. *Æneid. It bello tessera signum*. B Symbolum bellicum, quod ad pugnas exeuntibus datur confusionis evitandæ causa: camque Vegetius duplicem facit, Vocalem, & Mutam. Vocalis ea est, quam hodie circitores flagitant, vulgo *Il nome*, nempe symbolum bellicum, quo socii milites ab hostibus dignoscebantur: Cyri Majoris Tessera fuit ex Xenophonte *lib.* III. *Jupiter belli socius & dux*: Minoris, *Jupiter servator, & Victoria*: eam fuisse in castris Cæsaris narrat Appianus *lib.* II. *Venerem Genitricem*; aliquando *Felicitatem & Victoriam* auctor est Hircius: apud Neronem, *Optimam Matrem*, auctor est Suet. in *ejus Vita* cap. IX. *Primo Imperii die signum excubanti Tribuno dedit Optimam Matrem*. Pompe- C jus Magnus elegit signum, *Herculem invictum*, & alter juvenis *Pietatem*: in Antonii & Marii exercitu *Lar Deus* signum fuit, Servio teste *ad* VII. *Æneid.* In exercitu Syllæ *Apollo*: quod idem elegit Brutus in Philippis, ut ex Plutarcho in *ejus Vita*: Cajus Caligula Cassio tanquam molli signum dedit *Priapum, & Venerem*, ex Suet. *cap.* LVI. Severo Septimio placuit *Laboremus*, & Pertinaci *Militemus*: Aurelianus, ut refert F. Vopiscus signum exercitui apposuit, *Manum ad ferrum*. Antiochus cognomento *Soter* adversus Galatas exercitum ducens signum dedit, *Bene valete*, ut refert Cedrenus: Scribit Vegetius *lib.* III. *cap.* V. nonnullis fuisse Tesseram, *Deus nobiscum*.

Mutæ apud Turnebum *Adversarior.* lib. XXX. c. XXXV. duæ memorantur Tesseræ, Belli, & Pacis, scilicet lignea frusta, vel tabellæ ligneæ, quibus nomen Pacis & Belli inscriptum erat; sic Pomponius *de Origine Juris* l. II. *Q. Fabius ad Carthaginenses missus Legatus, cum essent duæ Tesseræ positæ, una Pacis, altera Belli, arbitrio sibi dato utram vellet Romam referre, utramque sustulit, & ait: Carthaginenses petere debere, utram vellent accipere*. In hunc fere modum A. Gellius *lib.* X. *cap.* XXVII. *Q. Fabius Imp. Rom. dedit ad Carthaginenses epistolam, ubi scriptum fuit, Populum Romanum misisse ad eos hastam, & caduceum, signa duo belli & pacis*. Et paulo post: *Marcus autem Varro non hastam ipsam neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas; in quarum altera caduceum, in altera hastæ simulacra fuerunt incisa*. Ad hoc argumentum Pacis & Belli facit Tessera Militaris, quæ indicat forsan fuscina tamquam bellicum instrumentum, ac etiam palma pacis symbolum; quam hic una cum aliis similibus fabrefactis sive ex osse, sive ex ligno pruni sylvestris, ut dixi; Militares, Hospitales, Theatrales, vel ad alium usum illæ essent, ne a cupido Lectore desiderentur, hic delineatas proponimus.



Cæterum quoniam Tesseræ non solum solitæ erant dari militibus, ut amici ab inimicis dignoscerentur; & hæc symbola nominabantur; cum armorum habitus, & sonus vocis, idem mos unus sit: sed ut belli ne subreptio fieret; propterea symbola discreta unusquisque dux suis militibus tradere erat solitus; ut, si forte quis occurreret, de quo dubitaretur, interrogatus symbolum proderet, si sit hostis an socius?

Ita quoque nascentis Ecclesiæ temporibus quoniam multi Pseudoprophetæ & falsi Apostoli insurgebant falsam doctrinam prædicantes, ad hoc institutum fuit *Credo*, quod Symbolum nominatur, ut illi agnoscerentur an veri vel falsi essent. Ita Ruffinus Aquileiensis ex *Commentario in Symbolum*: propterea veteres Patres hoc non scribi membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset neminem hoc ex lectione, quæ pervenire interdum etiam ad Infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse: discessuri ergo ad prædicandum Apostoli istud unanimitatis & fidei D suæ indicium composuerunt. Isidorus *de Ecclesiast. Offic.* lib. II. cap. XXII. Rabanus Maurus *de Instit. Cleric.* lib. II. cap. LVI.

Ad hoc igitur, ut ex hoc Capitulo aliquid nos profecisse sentiamus, Virtutis tesseram in sensibus nostris sic feramus, ut docet sanctus Isidorus Pelusiota, & causam adjicit *lib.* IV. *epist.* CLXXXVII. *Quemadmodum mulier pudica castitatis notas in facie gestans, eorum, qui impudicos in eam oculos conjiciunt, expectationes reprimit, eodem modo pudica anima VIRTUTIS TESSERAS in sensibus ferens, eorum, qui ipsius pulchritudinem corrumpere cupiunt, spes exscindit*.

F I N I S.

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

CONVIVIIS,

HOSPITALITATE,

TESSERIS, ET STRENIS,

OPUSCULA.

AD TEGRIMUM TEGRIMIUM a CUBICULO D. N.

INDEX CAPITUM.

JOSEPHI LAURENTII, *LUCENSIS,* DE CONVIVIIS HOSPITALITATE, TESSERIS, ET STRENIS, *OPUSCULA.*

CAP. I.

Quoties in die ederent Prisci? Refectio quadruplex. Jentaculum quid, & quorum? Ejusdem cibus qualis? Silatum quid, & unde dictum? Prandii & merendæ tempus. Cœna unde dicta? Cœnæ variæ recensentur. Privatæ vel puræ quæ? Comessatio quæ, & quorum? Loti & uncti ante cœnam Veteres. Lectisterniator quis, & ejus officium. Triclinium unde dictum? Ejusdem nomina varia pro numero convivarum. In Apolline *cœnare quid? Humi Veteres comedebant. Pelles & stragula in lectis. Eorundem materia. Tororum gradus. Anaclinteria quid? Modus discumbendi Antiquorum. Variæ res convivis datæ. Accumbentium habitus. Quomodo cœnarent Veteres? Macedonum ritus accumbendi. Sessio luctus tempore. Prandium statarium quale? Jentaculum ambulatorium quod? Convivium Græcorum triplex. Sortitio ante convivia. Litteræ convivales. Portiones unicuique divisæ. Persarum mos ante cœnam. Ordo convivantium. Locus honoratior convivii. Voces convivantium. Mensa cur nunquam vacua relicta? Libri juxta cœnacula. Unguentorum usus in mensis. Eorundem inventores. Eadem propria cuique membro. Coronæ convivales quæ? Corona ebriorum insigne. Mensæ variæ enumerantur. Fercula & missus quot? Sternutamentum in convivio mali ominis. Cœnæ tempus. Panis, & vina qualia in conviviis adhibita? Scolia convivalia quæ? Eorumdem argumenta, & inventor. Orthion quid? Veteres quibus de causis publice cœnabant? Locus cœnæ. Cœnaculum quid, & ubi? Frugalitas Antiquorum. Vinum quando mensis adhibitum? Convivis extra triclinium silentium indictum. Post convivium quid peractum.*



QUATER in die Priscos esitasse, non singulos tamen, lego: cui rei prævortor, ne culpam præstare cogar, Dione in *Vitellio* præcurrente his verbis: *Epulas trifariam semper & quadrifariam dispertiebat, jentacula, prandia, cœnas, comessationes.* Athenæus *lib.* I. ex auctoritate Philemonis refert, Veteres usos esse jentaculo, prandio, merenda, cœna. Articulatim, anatomice rem disseco.

Jentaculum est cibi degustatio matutina: puerilis hæc refectio, fateor. Martialis *lib.* XIV. ult. *epigr.*

Surgite jam pueri; vendit jentacula pistor,
Cristatæque sonant undique lucis aves.

Describitur ab Apulejo lib. I. *Metam. En, inquam,*

A *paratum tibi adest jentaculum, & cum dicto, manticam meam humero exuo, caseum cum pane propere ei porrigo.* En cibus consuetus vulgaris jentaculi. Festus ait, jentaculum idem fuisse cum prandio. Silatum alibi appellat, eo quod tunc jejuni vinum sili herba conditum absumebant, cum jentare sit jejunium solvere: prandium præcedebat, & hoc moderatum etiam: (ut alibi fusius a me) nam Cicero v. *Tuscul.* negat, sibi placere bis in die saturum fieri.

Prandii tempus meridies. Suet. in *Claudio* cap. XXXIV. *Meridie dimisso ad prandium populo.* Merenda post prandium sumpta, id est, post meridiem: hac merenda, credo, Priscos usos pro prandio, ut nomen innuit.

B Cœna dicta κοινὸν, id est, *commune*, cibus erat vespertinus, hinc dicta vesperna, vel quia publice peragebatur, vel quia communiter omnibus usui: jentaculum enim, & merenda puerorum, valdeque laborantium; prandium infirmorum, ad publica negotia strenue peragenda. Hora cœnæ æstate 9. hyeme 10. quæ indicabatur tintinnabulo.

Cœnæ olim variæ pro temporis varietate; nam aliæ Pontificiæ, aliæ Augurales, sive Adjiciales, Dapsiles, sive Dapales, Saliares, Cereales, Capitolinæ, Populares, Triumphales, Natalitiæ, Ferales, hæ publicæ. Privatæ, vel puræ, id est, sine

C sanguine. Apulejus: *Hoc optantes convertimus nos ad puram, & sine animalibus cœnam,* quæ dictæ Cereris cœnæ. Vel cœnæ privatæ erant ebriæ, seu opiparæ, illis adversæ, de quibus leges multæ latæ ad luxum cohibendum.

Cœnam sequebatur comessatio, quæ utpote intempestiva, & post cœnam, semper intemperantium. Livius *lib.* IX. *Temulento agmine comessabundus incessit:* uti & jentaculum, cum merenda puerorum; prandium levius, & secretum; cœna largior, in propatulo, cum amicis. Cœnæ tantum lecti apparati & strati. De lotione facta in balneis ante cœnam a me alibi.

D Postquam ergo loti in balneis, vel toti, vel pedibus tantum, calceis ac togis exuti, soleis & cœnatoria veste induti, in lectis ordine se se disponebant, inde manus lavabant, corollas & unguenta sumebant. De lectis ac tricliniis prius pauca delibo.

Lectisterniatorem, cujus est lectos sternere, eum voco, qui per mediastinum curabat, ut scopis triclinium, priusquam sterneretur, purgaretur. Idem lectisterniator aulæa seu vela sternebat super triclinium, ne pulvere dapes conspurcarentur, dicta hæc triclinaria, ille Architriclinus. Triclinium di-

E ctum conclave, seu cœnaculum, a tribus lectis, quos in eo sternebant, positos circa mensam.

In privatis conviviis tres lecti, septem convivæ; in publicis ad singula triclinia quatuor vel quinque lecti. In singulis lectis quatuor aut quinque convi-

væ, aut etiam plures. Horatius *lib.* I. *ſatyr.* IV.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Inter lectos relinquebatur aliquid ſpatii miniſtris qui dicebantur ad pedes. Mart. *lib.* III. *epigr.* LXXXII.

At ipſe retro flexus ad pedum turbam.

Triclinia pro numero convivarum varia: plerumque tamen tribus lectis ſtrata. His tricliniis a dynaſtis nomina Deorum impoſita. Hinc illud Lucullianum, *In Apolline cœnare, in Hermæo, Mammea,* &c. Lecti vel cubiculares, vel triclinares, de his alibi. Miſſo cubiculo in triclinium me confero.

Priſco ævo in ipſa terra fuſos diſcubuiſſe lego. Virgilius I. *Æn.*

Tum victu revocant vires, fuſique per herbam.

Tibullus *lib.* II. *el.* V.

At ſibi quiſque dapes, & feſtas extruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum.

Apud Homerum Heroas ſuper virgulta lego comediſſe pellibus ſtrata. Deinde lecti herbis ſuffulti loco tomenti, & dicti tori. Virgilius II. *Æn.*

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Superadditæ poſtea, luxus gratia, culcitræ molliſſimæ cum ſtragulis. Lecti adfabre facti e ligno precioſiſſimo, cedrino, & hujuſmodi, auro argentoque ornati; & facti aliquando ex argento & auro ſolido, ut habemus ex Macrobio, Plinio, & aliis: ad quos gradibus aſcendebatur; humiles enim lecti vulgares & minus honeſti. Unde Æneas conſtitutus in alto toro. Lecti triclinares ex uno tantum latere menſæ ſtrati longitudine pedum IV. latitudine III. Menſarum longitudo par lectis, altitudine trium cubitorum. Lecti paulo eminentiores menſis. In lectis erant anaclinteria, ſive accubita, in quibus reclinati convivæ diſcumbebant, dicti pulvini. Modum priſcum diſcumbendi uſitatum Græcis, Judæis, & Romanis levi penicillo delineo.

Loti igitur milites cœnaturi cingula & balthea deponebant; reliqui calceos & veſtes, cœnatoria induti, tum in lectos aſcendebant, culcitris & ſtragulis ornatos, pro cujuſque gradu altiores. Spartanos lego in robore diſcubuiſſe, id eſt, in nudo ligno. Tum aqua manibus lavandis miniſtrata, unguenta, & coronæ diſpertitæ, ſeu faſciæ, quibus frontem vincirent, ad ebrietatem cohibendam, ut ex marmoribus & nummis licet conjectare: hoc modo corpore diſpoſiti diſcumbebant; ſuperiore corporis parte modice inflexa, initio cœnæ, capite leviter erecto, ſuppoſitis pulvinis ventri & pectori, quo utraque manu liberius uterentur, vel aliquantulum capite tergoque erecto, reliqua parte corporis in lectos reclinata & jacente in cubito altero nitebantur; atque utramque manum quidem ad epularum & poculorum uſum adhibebant, ſed maxime dexteram.

Eruditiſſimus Lipſius lib. III. *Antiq. Lect.* ita diſſerit: *Accumbebant, reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infera in longum porrecta & jacente: leviter capite erecto, dorſo a pulvillis modice ſuffulto, adeo ut ejus, qui ſummus accumberet, pedes pone ſecundum porrigerentur, & ſecundi pone tertium, & ita deinceps. Rurſus ejus, qui ſecundus accumberet, occiput ad umbilicum aut pectus primi obverſum eſſet, & ſic deinceps cæteri accumbebant, in menſa potiſſimum rotunda, aut ſemicirculari. Ubi vero cibum ſumpſerant, dorſi ſpinam ſupini reponebant, & caput in cervical reclina-*

A *bant, nonnunquam etiam ſedentium inſtar ſe ſe erigebant. Inter lectos & triclinii parietem tantum ſpatii relictum, quantum ſatis erat miniſtrantibus ad pedes; hinc miniſtri dicti a pedibus.*

Hic e re natum griphum in tempore propoſitum diſſolvo: An Priſci ſedentes an jacentes comederent, cœnarentve; cum utriuſque paſſim ritus exempla quamplurima extent. Stantes etiam aliquando comediſſe lego. Audi obſecro. Athenæus *lib.* I. Heroas ſediſſe teſtatur, ut a me alibi indicatum. Hegeſander apud eumdem ait, neque in Macedonia moris fuiſſe quemquam in convivio diſcumbere, niſi extra retia aprum interemiſſet. Itaque Caſſan-
B der cum 35. vitæ ſuæ annum attigiſſet, tunc etiam comedebat ſedens apud patrem, cum certamen illud non potuiſſet perficere. Quin etiam apud Romanos, uti virilis toga inſigne erat virorum, ſic apud Græcos in publicis conviviis accubitus. Catullus quoque Deos ſedentes facit in *Carmine Pelei & Thetidis*:

Qui poſtquam niveis flexerunt ſedibus artus.

Quare apud Homerum mentio crebra in conviviis de ſubſellio, ſella, throno, ſcamno, ſcabello, &
C hemicyclo. Ovidius lib. IV. *Faſt.*

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.

Iſidorus refert ex Varrone; apud Priſcos non fuiſſe uſum diſcumbendi: at novo invento viros diſcubuiſſe, mulieres aſſediſſe; quod turpe viſum, mulierem cum viro publice accumbere. Hunc morem alibi innuo cum Valerio Maximo *lib.* II. *cap.* IV. Virgilio, & aliis. In luctu etiam ſediſſe viros comedentes, refert Plutarchus in *Catone*; qui a pugna Pharſalica, infeliciter a Pompejanis depugnata, ſedens
D accumbere voluit luctus gratia. Ita legimus de Annibale. Nec ſolum in diverſo triclinio diſcumbebant viri, & ſedebant mulieres, verum etiam in eodem, ut aperte Apulejus innuit *lib.* I. dicens: *Intuli me, eumque accubantem exiguo admodum grabatulo, & commodum cœnari incipientem invenio; aſſidebat penes uxor, & menſa vacua poſita.* Seſſio vilis habita, ſervilis, & Cynica. Plautus: *Uno potius in ſubſellio accipiemur, quam in lectis.* Stantes nonnunquam epulatos, ſed prandentes tantum, lego, & hoc dictum prandium Statarium, ex Terentio Varrone. Ambulantes negotioſi nonnunquam comedebant, ita Maſſiniſſa in meridie ante taberna-
E culum. Sic Apulejus jentaculum Ambulatorium vocat, quod ſenſim ambulando equus carpebat in prato. De aliis ad primam & ſecundam menſam ritibus, cibis, potionibus, & ad epulas ſpectantibus, a me alibi, longiore ſubſellio, & ab aliis eruditius & longe melius. Leviter & per tranſennam triclinium inſpexi.

De potu refrigerato nivibus, vel aere nocturno ego alibi. Athenæus *lib.* III. *c.* XXI. pluribus ex Calliſtrato *Commiſtorum* l. VII. Euſtathius in *primum Odyſſeæ* tres conviviorum ſpecies apud Græcos facit, εἰλαπίνη, quod ad ſplendorem & magnificentiam
F ſit apparatum; γάμον, quod ſumptuoſius eſt; ἔρανον, ad quod plurimi conveniunt, ſed ſuo quiſque cibo ſumptuque. Apud Lacedæmonios etiam triplex genus: κόπις, quod certis ciborum generibus inſtruebatur: ἄϊκλον, aliquanto ſplendidius; frugaliſſimum omnium φειδίτια. Ante convivia ſortes convivales ita Ariſtophanes deſcribit: *Sortitiones quo confers? In foro deponam, ſortitrice juxta Harmodium conſtituta. Sortes omnium jaciam; donec is, cui ſors obvenerit, lætus abeat, ſciens, in qua littera ſit cœnandum. Proclamabit præco: Qui-*

bus B. venerit, sequantur, in porticu regia cœnaturi. Quibus O, in ea quæ est illi proxima capite censorum. Quibus K, in porticu farinaria, ut se inflectant: imo erravi, ut ibi cœnent. Quorum vero littera prolata non fuerit, in qua cœnent, hos cæteri expellant omnes. Sed apud nos non ita fit. Omnibus enim abunde omnia suppeditabimus, unusquisque ebrius, cum ipsa corona, face accepta, abeat. Suidas in voce κληποτησια asserit antiquitus e cibis suam cuique portionem distributam. Athenæus *lib.* VIII. ait, cœnam e sportula fuisse, cum quis sibi parasset cœnam, eamque in sportula compositam detulisset apud amicum cœnaturus. Laudatissimum morem refero Persarum ex Alex. ab Alex. qui ante cibum de modestia disputabant, ut, ante sacrificium de justitia, ante bellum de fortitudine. De convivarum numero a me alibi, qui semper diversus, ut a diversis memoriæ proditum.

Ordo convivarum hic fuit. Super Flaminem Dialem in convivio nullus nisi Rex Sacrificulus accumbit; qui auctoritate deinde, prudentia, ætate præibat, honoratiorem locum sortiebatur. Locus honoratior ex Alex. ab Alex. *lib.* v. *c.* III. summus fuit. Alii medium dicunt. Apud Græcos non solum locus nobilior nobiliori dabatur, sed etiam pocula majora, & caro opimior. Vestis erat cœnatoria, de qua alibi, candida, non pulla. Illatio ferculorum olim in canistris, unde proverb. *Una cum canistro*. Partiti etiam cibi ex æquo singulis; hinc Veterum convivia dicta δαῖται, a divisione, & proverb. *μερὶς ὰ πνὶξ*, id est, *sortitio*, *non præfocatio*, quæ accidebat, cum in commune comederent ex eadem patina. Manus lotas per singula fercula a me alibi indicatum. Themata, Acroamata, adhibita inter convivandum neminem latet.

In Græcorum symposiis, talis sortiebantur arbitrum bibendi, quem dicebant Symposiarcham, Modimperatorem, Architriclinum. Inter potandum hæ voces usurpatæ, *Bibe ter, aut quinquies, non quater, Par pari refer*, id est, æqualibus cyathis, ἴσον ἴσῳ, *æquale æquali*, videndus de his Adagiographus. Philotesius crater ad amicitiam ferruminandam, item boni Dæmonis. Apomagdalia adhibita, id est, molles panes ad abstergendos digitos, qui dati canibus, ut a me alibi indicatum. Item mensa nunquam vacua relicta, in eaque semper aliquid servatum, vel ut innuerent temperantiam, vel ut servis consulerent, aut quia mensa res sacra, quam vacuam relinquere nefas.

Griphi demum, seu ænigmata proposita, animi gratia solvenda. Quoties in die sumerent cibum, & Athenienses in epulo publico Syssitia, Spartanos Phiditia celebrasse, Cretenses Andria, satis superque alibi a me explicatum. Festus refert, Dagnades aves fuisse, quas Ægyptii coronis inter potandum devinciebant, quæ vellicando & canturiendo non patiebantur dormire potantes, δαχνάδες Hesychio. Verum quia in conviviis aliquid semper legere, aut recitare clientes, famulique consueverant, hinc libri multi adeo superfluo apparatu in tricliniis erant, ut bibliothecæ potius, quam cœnacula viderentur. Seneca *de Tranquil.* c. IX. *Sicut plerisque ignaris etiam servilium litterarum libri, non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt.*

Odorari sagacius odoramenta discupio: darem unguenta, ni mea Hecales cœna, sed qui fundam (ex Horatiano præscripto) capacibus unguenta de conchis? non enim mihi longa supellex: neque omnes possunt olere unguenta exotica, aut opobalsama; vernacula dabo ex meis trapetibus expressa.

Unguenti & odorum usus plurimus in mensis Antiquorum, luxus & salutis gratia: hinc dicti Antiqui φιλόμυροι, *amatores unguentorum*. Jones

A unguentorum & coronarum inventores fuisse, ac mensarum secundarum, Valerius Max. *lib.* II. testatur. Vinctum potissimum caput lego, & coronatum ad vini vapores coercendos: pedes etiam potissimum apud Hebræos, ut legimus in Evangelio de D. Magdalena, caput & pedes Salvatoris nostri perungente, quod sibi proprium & debitum Christus reposcere visus, cum a Pharisæo mulier objurgaretur. Nec solum has partes proprio unguine delibutas legimus, sed & alias.

Ideo unguenta pedibus & cruribus Ægyptia: maxillis & uberibus Phœnicina: brachiis Sysimbrina: superciliis & comis Amaracina: cervici

B & genibus Serpullina: Nardina proprie capiti & pedibus fuere destinata.

Coronæ quoque usurpatæ unguento madidæ: roseæ, si vere; si hyeme, ex ramentis & bracteis auri & argenti.

Coronatum non tantum caput, sed & pectus, pocula, mensæ; hæ & floribus sparsæ, croco, balsamo, & cæteris odoramentis. Sparsi & epulantes floribus per pueros, qui & uncti & coronati ministrabant. Athenæus *lib.* XV. ab hoc ritu dissentire mihi visus, dicens, unguenta, & coronas adhibitas in secunda mensa, ita apud Roma-

C nos & Græcos erat insigne ebriorum, corona. Plautus *Amphitr. Capiam coronam mihi in caput, assimilabo me esse ebrium*. De coronis vide Paschalium. Sed quia saltem & mensam præterire nefas: hanc repeto, sed ἐν παρέργῳ.

Mensæ vel monopodiæ, in quibus esculenta & poculenta inferebantur. Mensa, poculorum dicta, Abacus, Delphica; Urnaria, ubi pocula aquæ: hæc in culina plerumque. Mensæ non opertæ linteis apud Græcos, sed post cœnam spongiis tersæ per tres servos. Hinc nomen servi, apud Comicos, Peniculus. Apud Romanos interdum opertæ mappis, sive mantilibus, quæ aliquando data a

D convivatoribus convivis, aliquando de suo convivæ afferebant, quæ mutari solita in singulis missibus. In quibus missæ partes absentibus invitatis, dictæ μερίδες, item ministris. Mensæ plerumque dictæ illæ, quibus servi vasa escaria & pocula in mensam deferebant.

Cœnabant, ut plurimum, ferculis, sive missibus ternis. Servius ait, *Binas totidemque mensas denuo inferebant, quot missus*. In suis mensis enim hi portati. Nobiliores convivæ lautioribus epulis excepti, capacioribus poculis, altioribus lectis, stragulis preciosioribus decorati.

E A triclinio, bono omine, recedere cuperem; nam prisca religione observatum, dum fercula removebantur, si quis forte sternuisset, inter dira habitum: atque ad exitium, quod portenderetur, avertendum, mensam iterum afferri jubebant, atque epularum aliquid regustabant, ne convivium tam diro omine desitum videretur. Socrati aliquid acturo, si sternutamentum obvenisset, se in proposito obfirmabat; si agenti, desistebat; si meditanti aliquid dextrorsum quispiam sternuisset, lætabatur Socrates; si sinistrorsum, tristabatur, tanquam omine tristi. At quia mihi Amores jam sternutaverunt, amice enim ego auditus, ne videar tantum

F amicus mensæ, mensam desero. Eruditissimus Strada de sternutamento optime prolusit, ut de reliquis.

Cœnæ tempus Athenis, ubi jam vesperaverat, ex Gellio *lib.* XVII. *c.* VIII. Romæ vero, antequam advesperasceret, non æstate tantum, sed etiam hyeme, ut colligitur clare ex Vitruvio, *lib.* VI. *c.* VII. jubente hyberna triclinia recedentem solem spectare debere. Quinam vero cibi maxime Romanis in precio, clare Plin. *lib.* VI. Clemens Alexandrinus II. *Pædag.* Gellius, Macrobius, ex Martiale, Horatio, & aliis innuunt, majoremque curam ma-

jorum fuisse in piscibus, tum avibus, quam in quadrupedibus. Lege Marsilii Cognati varias observ. *lib.* I. *cap.* XVIII. Panis apud Græcos primum fuit maxa ex hordeo, non panes: deinde panis ex tritico, postremo ex hordeo. A Latinis vero ex farre primum pultem, deinde panem ex farre, tum reliqua frumenti genera invecta lego. Idem *lib.* I. *cap.* XXVIII.

Vina ab Antiquis fuisse condita, ut diutius servarentur, & sanitatis gratia, pice, resina, & hujusmodi, ut habet Plinius, Columella, & alii. Fumo demum inveterari solita in utribus, aut vasis, & percolari, docent iidem ex eodem Marsilio *lib.* II. *cap.* I.

De unguentis vero adhibitis in conviviis, vide eundem pluribus differentem *lib.* I. *cap.* VIII.

De vini mixtione a me alibi: ab eod. *lib.* III. *c.* XIII.

In conviviis post cœnam lyra circumferri solita, ad quam fidibus canebatur. Lyra illa obliquo & sinuoso circuitu in mensa ambulans pectinatim quodammodo & non seriatim, & per ordinem accubitus convivis tradita, atque inde carmina illa, quæ ad lyram canebantur, Scoliorum appellationem meruere. Qui canebant, myrtum vel laurum manu tenebant, ut docet Plutarch. lib. I. *Sympos.* Aristophanis Interpres, Dicæarchus lib. *de Musicis certaminibus*. Qua in re illud servatum discrimen lego, ut qui versus Æschyli caneret, myrteum ramulum manu teneret; qui vero Homericos, laureum termitem. His Scoliis carminibus aut illustrium virorum & fortium laudes canebantur, aut præclaras sententias continebant, aut mixtim utrumque. Scolii inventionem Plut. lib. *de Musica* Terpandro attribuit. Quod Scolium erat carmen obliquum, postea transiit in ænigma. Orthion erat oppositum, rectum scilicet, concitatius, & sonora voce prolatum. Plin. *lib.* II. *c.* VII.

Tribus de causis Antiquos vesci publice solitos refert Marcellus Donatus. Prima fuit, cum epulum dabatur, seu potius visceratio, in funere alicujus Principis, aut viri insignis. Altera, cum publice sacrificabant. Tertia, cum ob publicam lætitiam dabatur epulum populo.

Appendicem annecto de loco ubi cœnabant, quem dixere Diætam, Zetam, Græce, id est, a conviviis peragendis, vel alacrius convivendo. Latini dixere Cœnaculum, Cœnationem. Terentius Varro *de Lingua Latina*: *Ubi cubabant, cubiculum, ubi cœnabant, cœnaculum vocitabant*. Et paulo infra: *Posteaquam superiori parte cœnitare cœperunt, superioris domus pars universa cœnacula dicta*. Festus subdit: *Cœnacula dicuntur, ad quæ scalis ascenditur*. Apulejus: *Meque per scalas complicitis pedibus in superius cœnaculum attracto*. Quare, ut illud ascendendi incommodum evitaretur, in atriis & inferiore parte ædium cœnare instituerunt, relictis superioribus inquilinis & pauperibus. Juvenalis, *Rarus venit in cœnacula miles*, raro, inquit, jugulatores mitti ad jugulandos pauperes, habitantes in cœnaculis. Hæc cœnaculus inde dicta triclinia, a tribus lectis in atriis, quæ spoliis hostium exornata, stemmatibus, & libris. Petron. *Et quod præcipue miratus sum, in postibus triclinii faces erant cum securibus fixi*, &c.

Locus ergo, Cœnatio seu Cœnaculum dictus, Imperatorum erat, laqueatis tabulis versatilibus eburneus, ut flores fistulatim, & unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur, ut colligitur ex Suet. in *Nerone*, & Seneca *epist.* XCI. Buleng.

Antiquum morem de vino, & aliis deliciis, tanquam laciniam Capiti huic subnecto, quæ non nisi Deorum causa adhibita. Hinc θοῖνα apud Athe-
A næum Seleucus ait dicta, quod fas esset, διὰ τοὺς θεοὺς οἰνοῦσθαι, *ob deorum sacra vino indulgere*. Homerus μέθας vocat convivia, quod μετὰ τὸ θύειν αὐτῷ χρῆσθαι, *peractis sacris vino indulgerent*. Demum vinum potatum etiam in privatis mensis, ad ebrietatem usque; & deliciæ a deorum mensis ad hominum diverterunt. Hinc natæ cœnæ Pontificum, Augurales, Saliares, quæ excandefaciebant annonam macelli: Adjiciales, quod novi aliquid cibi semper adjiceretur, quæ tricies frugalissimis viris constiterunt. Sed nunquid hæ epulæ tantum prisci ævi? profusissimas nostras quis non admiretur? Plautinum illud exclamo: *Quod quidem vitæ meæ*
B *statuerat, mihi dividiæ & senio est*: talia agitari convivia contra sumptuarias leges, & Censorias notas ex Apicii præscripto. Sed dicis causa, hæc mea haud cœna, neque ad exta quemquam adduco, ne cœnare videar in Idolio, id est, cum profanis. Saltem mihi fas subnectere, quæ habet Plutarchus in *Lycurgo*; Lacedæmoniis hunc fuisse morem asseverans, ut si quem amicum, aut hospitem in domum reciperent, ostensis foribus, dicerent, ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος, id est, *hac non egreditur sermo*. Refert idem *ibidem* veteri instituto, qui natu maximus erat, staba ad ostium, & ad convi-
C vium ingredientibus dicebat, ostensis foribus, διὰ τούτων ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται, *per hasce nullus sermo egreditur foras*. Horatius hunc morem in *Epist.* innuit *ad Torquatum*, lib. I. ep. V.

——— ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet.

Quas ergo convivalis hæc pagina refert ineptias, ne quis, obsecro, ad profanos effutiat, dicta tantum his putet, qui non asymboli cœnant amicissimi. Pium institutum coronidem imponit huic dissertationi, ex Atticis bellariis decerptam. Veteres peractis sacris convivatos, seque invitatos alacrius,
D ut & μεθύειν factum putat Aristoteles, quod μετὰ τὸ θύειν, hoc est, *postquam sacrificassent*, se hilaritati convivali tradidisse. O pium institutum! Et quia in fine conviviorum se mutuo salutabant, illo verbo, ζήσειας, prosit: ex Dione in *Commodo*, ita ego tibi salutem apprecor propitiam.

CAP. II.

In conviviis priscis non solum caput, sed pectus coronatum & unctum, & cur? Hypothymiades coronæ quæ, & unde sic dictæ? Pœna ebriorum in conviviis. Iidem coronati. Tumultuaria corona quænam? In propinationibus cantiunculæ. Ζήσειας quænam formula, & de quibus usurpata? Griphi & quæstiones in conviviis. Griphum solventis præmium & pœna. Præmium sobriorum & vigilantium in conviviis. Corona non solventium griphum Deo dicata. Coronati plurimi recensentur. In Bacchi festo corona cui data? Coronæ convivales quibus dicatæ? Comus quinam Deus? Crepalocomus quid? Postes amantium coronati. Viri illustres defuncti coronis donati. Tumuli & sepulcra coronata. Flores sepulcrales qui? Iidem sati juxta sepulcra, ut & arbo-
F *res. Apio coronata sepulcra.* Apio egere *proverbium unde natum?*

CORONAM dictam a Græcis non modo στέφανον comperio, sed & κορώνην, ex eo scilicet, quod histriones & *saltatores* χορευταὶ dicti iis redimiti saltarent, & pro ea adipiscenda laborarent, Apion Gramm.

Caput in conviviis priscis coronatum & unctum ad ebrietatem arcendam, & cerebrum recreandum passim legimus; sed pectus raro legi: in Athenæo

lib. xv. his verbis; *Coronis etiam pectus ornari, unguentisque oblini cœptum, quia sit in eo cor situm. Coronas, quibus cervicem coronabant,* ὑποθυμιάδας *appellarunt, ita & eas, quibus cor.* Alcæo,

Cervici hypothymiadas quisquam apponet.
Anacreonte,
Hypothymiadas circa pectus statuerunt.

Hujus coronæ meminit Archilochus, Plutarchus quoque in *Symposiacis* lib. III. qu. I. Sic dictæ hæ coronæ, quod odoris halitum ac tanquam suffitum ex inferiori parte afflarent. Refert tamen Athenæus *eodem libro*, paulo infra, a Lesbiis hypothymiadas vocari myrti ramum, cui violas & flores circumplicant. Archestratus apud Athen. *lib.* VIII. ait, Acipenserem cum tibiis & coronis ad cœnas circumlatum a coronatis pueris.

Apud Cicer. *de Fato*, ut refert Macrob. lib. III. *Sat.* cap. XVI. acipenser paucorum hominum perfacete dicitur, ad cujus dapes multi convivæ non sunt adhibendi, quasi acipenser multis communicari nolit: cum enim Scipioni acipenser donatus fuisset, atque multos ad cœnam esset invitaturus, Pontius in aurem dixit, *Scipio, vide quid agas; acipenser iste paucorum hominum est.*

At qua pœna mulctati, qui ebrii fierent in symposio? idem Athenæus *libro eodem*, his verbis: *Quorum vero nihil respondet tot verbis provocatus, exigi convivio illum jubet tumultuaria corona* τῇ χυδαίᾳ *cinctum, cujus sic meminit comicus Aristophanes:*

Harum coronarum, quas χύδην *confuse texuerunt.*

Hinc tumultuariam coronam dictam eam puto, quæ nullo habito florum discrimine, sine delectu, & temere nexa. Coronatos autem fuisse ebrios Plutarchus in *Pyrrho* docet: *Unus Meton nomine, probus vir, illucente die, quo sanciendum decretum erat, cum pop. consedisset, sumit ebriorum more coronam marcidam, & tibicina præeunte, ludibundus est concionem ingressus*, &c. De ebriis coronatis lege Clem. Alex. lib. II. *Pædag.* cap. II.

In propinationibus cantiunculæ usitatæ, & salutationes. Verum ex Suida acclamatum, ζήσειας, id est, *vivas*.

Dione teste, Commodus Imperator in theatro feras conficiens, pulcherrimæ fœminæ manu vini poculum cum accepisset, biberetque, pop. cum Senatu acclamavit ζήσειας, *bene*, aut, *diu vivas*. Hoc potissimum dictum de iis qui ἀμυστὶ id est, uno haustu multum ebiberant sine respiratione, quod proprie Threiciorum; μύστειν enim est *sugere*, seu *pitissare, sorbillare*. Horat. lib. I. *Carm.* ode XXXVI.

Bassum Threicia vincat amystide.
& quia,
Fœcundi calices quem non fecere disertum?

recreato corpore cibis potationibusque, animus quoque convivalibus quæstionibus recreandus, de quibus Plut. Hæ dicebantur griphi, quæstiones pocillatoriæ, jocosæ, argutæ, non scrupulosæ, & difficiles, ænigmata dicta symposiaca, quæ qui dissolvebat, præmii loco accipiebat (ex Athenæo) carnis portionem; contra vero, qui id non poterat, potionem salsam uno haustu sine respiratione bibere, ἀμυστίζειν cogebatur, ex Antiphanis poetæ testimonio apud Athenæum. Aliam pœnam non solventis affert, ut biberent phialam κεκερασμένην, id est, *mistam*, teste Clearcho. Exempla griphorum habemus in sacris & profanis litteris: symbola potissimum Pythagorica & problemata varia griphorum materiam præbent.

Quod si quis sic pergræcando in auroram usque vigilasset, nec somno correptus perdurasset, placenta larga donabatur; quod certaminis loco positum refert Aristophanes in *Equit.* Præmium item griphum solventis coronam fuisse e lauro plexam: in Aulo Gell. *lib.* XVIII. *cap.* II. habeo: *Tum qui & cœnulam ordine suo curabat, præmium solvendæ quæstionis ponebat, librum veteris scriptoris, vel Græcum, vel Latinum, & coronam e lauro plexam; totidemque res quærebat, quot homines isthic eramus, cumque eas omnes exposuerat, rem locumque dicendi sors dabat: quæstione igitur soluta, corona & præmio donabatur: non soluta autem trasmittebatur ad eum, qui sortito successerat, idque in orbem vice pari servabatur; si nemo dissolvebat quæstionis ejus nodum, præmium ipsum, & corona Deo, cujus id festum erat, dicabatur*, &c.

Tertullianus ait, nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem, aut palmitem non alicui capiti invenias consecratum. Item a sæculo coronantur, & lupanaria, & latrinæ, & pistrina, & carcer, & ludis, & ipsa amphitheatra, & ipsa spoliaria, in *Apolog.* Item supplices coronatos apud Antiquos. Apollinem proinde interfecto Delphico dracone lauream induisse. Appianus in *Libycis* in obsidione Byrsæ, capta Carthagine a Scipione, quosdam Carthaginenses floreis coronis (ut in sacris Æsculapii fieri consuevit) caput redimitos supplices venisse. Idem in Hispania quosdam coronatos, & supplicum habitu ad Lucullum accessisse ait.

Lares in nuptiis coronati: Plaut. in *Aulularia*.
Mortuos coronatos, vide in *Opusculis*.

Coronam in certaminibus adepto eadem mortuo adhibebatur.

In annuis votorum nuncupationibus coronatos fuisse auctor Tertull.

Magistratus & publicos ordines in causis publicis coronatos sedisse notat Dur. Casel. *lib.* I. c. XIV.

In Bacchi festo corona plus bibenti data, Ælianus lib. II. *de Var. Hist. In Bacchi etiam festo præmium ordinatum est ei, qui plus bibisset, aurea corona*; quod perpetuum non fuisse notat Plutarchus in *Præceptis*: *Ipsi*, inquit, *Libero Patri frequenter Nephalia (festum quod citra vinum celebrabatur) facinus, assuescentes merum non semper quærere.*

Nephalia apud Græcos sacrificia fuere ex Polluce sine vino celebrata: hujusmodi sacra apud Athenienses Mnemosyne, Auroræ, Soli, Lunæ, Veneri Uraniæ, & Nymphis celebrata: in hoc sacrificio non vinum, sed aquam mulsam libabant. Pausan. tamen ait, Eleos thure cum tritico melle subacto additis oleæ ramis aras suffire solitos, & uti vino; solis autem Nymphis, Cereri, & Proserpinæ vinum minime libare consuevisse, neque ad aram omnium Deorum.

Coronas vero convivales Diis dicatas refert idem Athen. *lib.* x. *Xenocratem discedentem e convivio, coronam ibi acceptam Diis consecrasse*: quod confirmat Justinus *lib* XVIII. his verbis. *Missi a Senatu in Ægyptum legati cum ingentia sibi a Ptolemæo Rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis, aureæ coronæ missæ sunt, quas honoris causa illi receptas, postera die statuis Regis apposuerunt.* Quare non tantum Diis, sed & Regibus has consecratas fuisse colligo.

Coronati Veteres supplicabant & orabant. Tertullianus *de mil. corona*: *Erant supplices coronati apud Veteres.*

Superpondium addo; comessantium, nocturnarumque saltationum Comum fuisse præsidem; in cujus militia authorabantur juvenes, qui coronati

noctu cum facibus musicisque instrumentis ad amicorum fores saltandi canendique gratia concurrebant, procaciterque lasciviebant, ut fores nonnunquam effringerent; unde verbum comessari, κωμάζειν, & Crepalocomus vinolentorum dicitur hymnus.

A coronis convivalibus ad amatorias, & funestas sermonem converto. Coronatos fuisse postes amantum docet Tibullus *eleg.* II.

Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum posti florida serta darem.

Ovidius *de Remedio*:

Et tegat ornatas multa corona fores.

Coronis donabant defunctos viros illustres. Auctor est Æmilius Probus in *Pelopida*: *Quo facto omnes Thessaliæ civitates interfectum Pelopidam coronis aureis & statuis æneis, liberosque ejus multo agro donaverunt.* Tumulis etiam coronas dabant. Plutarchus in *M. Antonio*: *His editis lamentis postquam coronas & oscula tumulo tulit, præcepit sibi parari balneum: Ilota accubuit, & splendide est epulata*, &c. Loquitur de Cleopatræ morte. Idem Plutarchus in *Demetrio*: *At enim habuit & funus Demetrii tragicam theatralemque speciem: nam filius ejus Antigonus, ubi reliquias patris cognovit afferri, totam classem solvit, eisque apud insulas occurrit obviam: ut eas accepit, imposuit urnam, quæ ex solido auro erat, in navem Prætoriam. Civitates, ad quas appulerant, hinc coronas ingesserunt urnæ, hinc viros cultu lugubri miserunt ad exequias decorandas & prosequendas. Decurrente Corinthum classe urna ex puppi conspicua visa regali purpura & diademate exornata, quam circumstitit in armis juvenum statio*, &c. Paulo post: *Honoribus & coronis funeri Corinthi delatis, deportavit reliquias Demetriadem urbem, illi cognominem ex parvis ad Iolon oppidulis frequentatam.* Vide totum locum, ubi etiam refert assedisse funeri tibicines, carminaque cecinisse, &c. Coronata etiam sepulcra. Ovidius III. *de Tristibus* eleg. III.

Tu tamen extincto feralia munera semper,
Exque tuis lacrymis, humida serta dato.

Clemens Alex. *Pæd.* II. c. VIII. coronam socordiæ & ignaviæ signum vocat, propterea mortuos, & statuas coronari, Jac. Dur. *lib.* I. *cap.* XIX.

Hæ coronæ texebantur e floribus diutius durantibus, qui plerumque sati juxta tumulum, confirmat id Persius *Sat.* I.

Nunc non e tumulo, fortunataque favilla
Nascentur violæ?

Plinius *lib.* XXXI. *c.* XI. *Duo genera hujus; unum, cui flos hyacinthi est; alterum candidius, quod fere nascitur in tumulis, quoniam fortius.* Serebantur etiam arbores perpetuo virentes, id est, buxi, cupressi, lauri, ut perpetuo crescentes monumentum opacarent. Apio etiam coronata fuisse sepulcra Plutarch. innuit in *Timoleonte* his verbis: *Cum collem superaret, unde inimicorum castra videri possent, mulis apium ferentibus obviavit, quod infaustum milites augurium putavere, quoniam apii coronas sepulcris imponere usurpatum esse.* Unde hoc proverbium natum *Apio agere*, qui periculose ægrotaret. Nam olim monumenta defunctorum apio coronata Plutarch. ait in *Sympos.* & qui periculose ægrotant apio opus esse. Idem proverbii meminit & causam addit in *Vita Timoleontis* supra; subest autem adagio jocus alludens ad coronas victorum quæ ex apio fiebant, præsertim in Ludis Isthmicis.

Vide Paschalium *de Coronis*, item Jac. Duran. *Variarum* lib. I. c. XIX. Plinium *lib.* XXI. *cap.* V.

A

CAP. III.

Gynæconomus quis, & quod ejus officium? Convivarum numerus varius apud varios. Præcepta invitandi ad convivia. Vocatores qui? Scindere penulam, & lacinia tenere, *quid? Pœna convivæ non venientis tempore. Coqui apud quos nomen suum professi? Iidem a quo mulctati? Eorumdem dignitas apud Græcos. Nulli ex iis servi. Quanti fiebant apud Romanos? Ex macello vocati. Eorum furtum qua pœna mulctatum? Præconum officium, ut & minoris Pontificis. Menses quomodo olim ordinati? Novilunium qui deprehensum? Cynocephali ob quid nutriti in templis? Convivia & sacra in noviluniis peracta.* B *Fœnus quando datum & exactum? Lunæ sacrificium. Sus cur ei immolata? Silentium varie indictum.* Sub rosa dicta & facta *quale proverbium?* Præconis hasta insectari *quid? Præconum varia officia. Iidem a quibus electi, & qua veste olim usi?*

Ut olim a servis in negotiis expediundis usurpatum, a me quoque: *Si quid me vis, impera, & factum puta.*

Gynæconomus, Græce γυναικονόμος, mulierum dicitur institutor, earum curam habens, matronarum etiam decentiæ arbiter, & muliebris ornatus. C De quo ita Postell. *Gynæconomi ita vocabantur, qui de matronarum primo, postea de omnium mulierum ornatu statuebant, ne ulla illarum quicquam indignum ferret, utque singulæ pro ratione census & facultatum induerentur, indicta mulcta eis, quæ secus fecissent.* Præter hoc officium, reperio etiam in Athenæi *lib.* VI. aliud: *Gynæconomis autem vocatos recensentibus, eumque facessere jubentibus, quia præter legem & statutum triginta convivarum numerum, alios secutus, se ingessisset; rursum, inquit, numerate; sed exorsi a me.* Hujus legis meminit Plut. *Symp.* IV. q. III. nec tamen n. XXX. præscribit, D sic *Legumlatores, qui omni conatu luxum impugnarent maxime numerum definiere eorum, qui ad nuptias vocarentur.* Et *lib.* VIII. *q.* VI. idem confirmat plane. Jabensibus lege lata indictum erat, (ut videre est ex Heraclidis *Politiis*) ne in conviviis celebrandis plures vocarent, quam decem viros, & totidem mulieres; neque nuptiarum celebritatem ultra biduum producerent. Plato quoque in V. *de Legibus* ab hoc non dissensit. Ipse enim edixit, ne plures, quam quinque amici, totidem amicæ ex parte patris vocentur; ex cognatis, ex propinquis totidem. Ejus hæc verba: *Quod autem ad nuptiale convivium attinet, non plures, quam quinque amici,* E *totidemque amicæ ex parte patris vocentur; ex cognatis & peregrinis totidem. Impensæ ex facultatum modulo & ratione fiant: ditissimus minam impendito: alius dimidiam minam, & sic deinceps*, &c. Harmosyni apud Lacedæm. præerant mulieribus ut honestius incederent.

Gynæconomorum igitur officium etiam erat, præter curam muliebris ornatus convivas numerare. Confirmat idem Athenæus ex Timocle & Menandro: & ne numerus convivarum trigesimum excederet; quod quam sit verum, aliis judicandum relinquo. Convivarum itaque numerus (ut habet F Marcus Varro, & a me alibi dictum) incipere debebat a Gratiarum numero, & progredi ad Musarum, id est, ut paucissimi sint tres, plurimi novem. Pausanias refert, nunquam plures tribus discubuisse simul. Lege Fannia extra domum non plures tribus, in foro non plures quinque licebat convivio excipere. Hinc triclinia dicta a tribus lectis, in quibus singuli accumbebant. Septenarium numerum alii probabant ex dicto illo, *Septem convivium, novem convicium.* Ad Homerum II. *Iliados* denarius numerus refertur, nec plures decem accubuisse

se

se refert Eustathius. Apud Julium Capitolinum duodenarius numerus refertur in conviviis Veri Imperatoris. Apud Suetonium item Augusti, in quo duodecim convivæ Deorum Dearumque habitu accubuerunt. Xenophon octo convivas vult esse cum nono convivatore. Hi numerum potius respiciebant, eumque religiosa quadam curiositate sectabantur; cum convivarum numerus non ad vivum resecandus, sed pro loco & tempore instituendus. Incommoda multitudinis convivarum referuntur a Plutarcho *Sympos.* lib. v. revocante omnia ad mediocritatem: & sub hæc duo præcepta subnectente. Primum, ut sæpius paucos invitemus, alterum, ut ipsius convivii causam genusque spectemus.

Numerus invitatorum, postquam convenerant, recensebatur a Gynæconomis ex Athenæo *lib.* vi. Qui invitabant, *Vocatores* dicebantur. Martialis *lib.* vii. *epigr.* lxxxv.

Jam dices mihi, vapulet vocator.

Qui serio & ex animo invitabant, dicebantur, *Scindere penulam*, quasi vi, manu injecta in penulam; & hoc erat vehementer rogare; contra vero leniter & remisse aliquem invitare, dicebatur ille, qui *lacinia tenebat*, non penulam scindebat.

In Valerio Maximo reperio modum invitandi, præter consuetum *lib.* xi. *cap.* iii. sic dicente: *Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo, Coss. invitari ad cœnam, deinde rogare, ut venire supersedeant, ne quis illo die, quo ille triumphaverit, majoris in eodem convivio sit imperii.* Idque fortasse ideo factum, ut post epulum, honoris ergo, a Pop. Romano deduci posset; qui honos præsentibus Consulibus non poterat (ex Pop. Romani moribus ac institutis) Imperatoribus tribui.

Sed si conviva ad horam constitutam non adesset, pœnæ loco, non nisi circuito triclinio admittebatur, & tunc epulari jussus discumbebat, ut refert Alexander ab Alex. *lib* v. *cap.* xxii.

Ad Gynæconomos revertor, quorum curæ numerus convivarum in nuptiis, & apud eosdem suum nomen coqui profiteri tenebantur, ut plerique autumant. Ex Solonis instituto (ut notat Plutarchus in *ejus Vita*) *mulctabantur a Gyneconomis parentantes bove, quive amplius tres vestes cum mortuo condebant, tanquam effœminati & molles.* Legatur ibidem, ubi ritus multi pulcherrimi. Apud Græcos coqui summo in pretio fuere ex Athenæi *lib.* xiv. & coquos antiquos dicit, τῆς θυτικῆς, hoc est, *artis sacrificandi*, fuisse peritos, nuptiis atque sacrificiis præfuisse, & Atticos præcones, coquorum, victimasque cædentium ordinem locumque obtinuisse; Alexim quoque Poetam in quodam suo opere significare, artem coquinariam institutum esse vitæ liberis hominibus conveniens. Cadmum Dionysii avum coquum fuisse testatur: neminem quoque veterum poetarum, excepto solo Posidippo, in antiquis Comœdiis μάγειρον, id est, *coquum servum*, introduxisse: unde constat non servile, sed liberale & ingenuum hoc genus vitæ illis fuisse: & *lib.* ix. coquorum πολυμάθειαν simul & ἀλαζόνειαν multis testimoniis comprobat. Hæc apud Græculos cupediarios. Apud Romanos ex Plinio *lib.* xviii. *cap.* xi. coqui non habebantur in servitiis, eosque ex macello conducebant. Plautus in *Aulul. Postquam obsonavit herus, conduxit coquos.* Post Asiaticam victoriam, crescente luxu, vilissimum mancipium coquus æstimatus. Lege Plinium *lib.* ix. *cap.* xvii. Horum mores describit Plautus in *Pseudolo* pluribus. Soliti enim stare, aut sedere in foro expectantes, donec conducerentur. Hi vocati a Plauto *rapaces*, &c. Furtum horum pœna putei plectebatur, ut a me alibi dictum, unde Strobilus servus de fure coquo: *Comprehendite, vincite, verberate, in puteum condite.* Puteus erat locus subterraneus sine aqua, barathrum dictum. Talis fuit puteus Josephi innocentis, in quo a fratribus conditus.

De Præconum officio alibi a me dictum, nunc ex Athenæi *lib.* xi. hæc addo. Præ cæteris eorum officiis hoc recensetur, ut novilunium, seu Lunæ σύνοδον indicarent; an quia tunc mensium initium cum Luna renovabant? Judæis hoc in usu, ut docet eruditus Sigonius, & alii. Verba hæc Athenæi ipsissima: *Stratonicus, cum Abderæ se contulisset ad stabulum, illic ludorum spectaculum, cives singulos peculiarem sibi præconem habere contuitus, qui eorum jussu cum adhibuisset novilunium, id est, primum diem mensium ipsorum annunciaret.* Priscis temporibus, antequam Fasti a Cn. Flavio scriba, invitis Patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia demandabatur, ut novæ Lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nunciaret; atque tum sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, kalata, id est, vocata in Capitolium plebe, dies Nonarum & Iduum indicebat; & primus dies, quo calabatur populus, dicebantur Kalendæ.

Menses ad Lunæ cursum olim ordinatos lego in Dionysio *lib.* x. *Anno sequenti decem viri accepta Consulari potestate; menses autem pro cursu lunari tunc observabant, & plenilunium in ipsas Idus incidebat*, &c. Quare menses dicti a Luna: μήνη enim Luna dicitur, unde menses μῆνες, quod videlicet ad cursum Lunæ menses agerent. Hebræi quoque a Luna vocarunt. Et Luna quinta, id est, die mensis quinto, intelligitur. Eustathius *in Hom.* mensem bovem vocatum tradit a Lunæ cornibus, mensis vero principium μόσχον, id est, *vitulum*, vocat. Ideo lunaris mensis erit a novilunio in novilunium, a Kalend. ad Kalend. diebus undeviginti circiter, & dimidiato. Postea tamen ad cursum Solis, ex Juliani anni correctione, exacti sunt. Luna, seu Kal. precibus & sacris Dii placati. Horatius lib. iii. *Carm.* ode viii.

Martiis cœlebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,
Docte sermonis utriusque linguæ?
Voveram dulceis epulas, & album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.

Quomodo autem Lunæ coitum observarent & deprehenderent, refert Rhodiginus *lib.* xxxv. Cynocephalos in templo innutritos. Nam Lunæ conjunctione observatum, Cynocephalum nec videre, nec vesci, sed præ tristitia in terram abscondi, velut Lunæ ingemiscentem raptum, quo argumento in templis Cynocephalos innutritos, ut inde novilunium agnoscerent. Plutarchus in *Æmilio* refert Lunæ sacrificatum ita: *Ut primum renitescere Lunam conspexit, immolavit ei* xi. *juvencas: luce prima cum sacrificaret Herculi hostiis* xx. *non litavit*, &c.

Numa Pompilius ad Lunæ cursum ex Græcorum instituto annum instituit, & menses, cum intercalatione, ut cum anno solari conveniret, annus enim lunaris constat cccliv. diebus, solaris vero ccclxv. diebus integris.

In Noviluniis, seu Kalendis, dictis *Neomeniis*, certa convivia, seu sacra fiebant, ut habemus in Horatio lib. iii. *Carm.* ode xix.

Da Lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ.

Item *lib.* iii. *ode* xxiii.

Cælo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna. ——

Apud Athenienses in noviluniis servi vendebantur, bellique duces creabantur, teste Suida, erantque dies illi honorati. Ex Aristophanis testimonio, ultimo mensis die, qui non fœnus aut debitum persolvebant, ceu ὑπερήμεροι in jus vocabantur; & apud Romanos moris erat Kal. pecuniam dare fœnori, & exigere, unde dictæ Kalendæ tristes ab Horatio. Aliquando in Idus usque exactio differebatur a fœneratoribus. Horatius *Epodon* ode II.

Omnem relegit Idibus pecuniam.

De sacrificio Lunæ hæc Herodotus *lib.* II. *Aliis Diis immolare sues, jus Ægyptiis non est, præterquam Lunæ tantum, & Libero; nisi per tempus plenilunii, quo sues immolant, ac suilla carne vescuntur: ideoque aliis diebus festis sues reformidant, cum in isto mactent, cujus rei ab Ægyptiis ratio redditur: sed eandem intellectam mihi magis decorum est non referre. Sacrificium autem Lunæ de suibus hunc in modum fit. Immolata sue, extremam ejus caudam, & lienem, & omenta simul componunt, & adipe, qui circa alvum pecudis existit, ea operiunt, ac deinde igni admovent: reliqua carne plenilunii die vescuntur, quo die sacra faciunt: alio die non amplius gustant. Qui sunt ex his inopes, propter tenuitatem facultatum, assimilatos quosdam sues coquunt, quos immolent. Baccho quoque in ejus festo,* &c

Ritibus præterea sacrorum (ut parergon annectam, quia amica silentia Lunæ, Diana enim silentium regit, ut dicitur) olim receptum, ut, cum sacra facerent, abstinerent ab omnibus malis verbis. Propterea qui aderant, monebantur præconis voce εὐφημεῖν, id est, *favere linguis*, & *verbis parcere male ominatis*. Id vero maxime desiderabatur, cum Diis vota fiebant. Hinc joci Stratonici apud eundem Athenæum *eodem libro* de tibicine indocto & malo, cujus sonus perinde malus, atque mala verba. Sic ille: *In sacrificio tibias inflaturo quodam tibicine, bona ominari me oportet, (inquit Stratonicus) libemus jam, & Deos precemur.* Quare ex Dione in *Adriano* (ut alibi a me notatum) præco manus elatione omnibus silentium indicebat: *Non modo non concessit, sed etiam jussit imperari illud Domitiani, Silete, quod verbum tamen non est a præcone dictum; nam is, cum manum porrexisset, essetque ob eam causam silentium consecutum, ut est consuetudo, vox enim præconis audiri solet magno silentio; hoc vero, inquit, Princeps vult.*

Silentium præterea est augurale vocabulum, ut colligit Turneb. *Adversf.* lib. v. cap. XIX. & Cic. II. *de Divin. Peritum autem esse necesse est eum, qui silentium, quid sit, intelligit*: nam vitium iis, quæ auspicata sunt & augurata, opponitur; vitio creati sunt magistratus, qui creati sunt contra auspicia. Silentium sane apud Ethnicos divinum quippiam est visum. Philostratus lib. I. *Apollonii*, cap. I. *Silentium*, inquit, *pro re divina a Pythagoricis discipulis colebatur*. Hinc & Dii quidam apud illos silentii cultores præsidesque. Deæ Angeronæ simulacrum obligato obsignatoque ore erat. Harpocrates digitum ori impositum tenet, in taciturnitatis & silentii argumentum, ut tacite nobis innueretur, divinitatem quampiam præ se ferre linguæ coercitionem. Cum ad bellum pergerent, sua secum numina Gentiles ducebant, & præcipue silentii, hinc vetus illud dictum; *Ter maximum in bello numen silentium est*, Novar. *Sched.* lib. x. c. x. Ab Angerona & ab Harpocrate silentium quisque discat, cum Plutarch. *de Garrulitate* concludat: *Loquendi magistros habemus homines, tacendi vero Deos*. Rosam silentii symbolum fuisse notat Novar. *Sched.* Hinc apud aliquos in cœnaculis rosa super mensas affigitur. Hinc carmen:

Et rosa flos Veneris, cujus quo facta licerent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amicis
Conviva ut sub ea dicta cavenda sciat.

Inde natum proverbium apud Germanos, *Sub rosa dicta & facta*, id est, sub silentio condita, quæ dicuntur, aut fiunt.

Alium ritum Lucianus in *Vitarum auctione* mihi suppeditat a præcone observatum, qui auctionem auspicans, ita proclamabat: *Quod felix faustumque sit, rem distrahimus emptori*. Cum vero emptor recipiebat, dicebat: *Age; quod felix faustumque sit, recipe*. Hinc illud dictum, *Præconis hasta insectari*, quod nihil aliud est, quam curare, ut bonorum sub hasta venditio fiat.

Præconum usum varium colligo ex Rosino *lib.* VII. *cap.* XLIX. paucis complectente rem totam. In auctionibus, ut ad hastam starent, & precia oblata nunciarent. In concionibus, ut audientiam facerent. In comitiis magistratuum, ut tribus ad suffragia ineunda citarent, & eos, qui renunciati erant, renunciarent. In legibus ferendis, ut, subjiciente scriba, leges populo recitarent. In judiciis & quæstionibus, ut judices reos, & accusatores, & testes citarent. Liberos autem fuisse præcones, exemplo sit Sext. ille Nævius, de quo Cicero. Hi a Consulibus & Civibus Romanis eligebantur, eorumque multæ erant decuriæ.

Discoloria veste usos olim, qui publica auctoritate quippiam facerent, more nostro, testimonio sint Imperatoriæ constitutiones in *Codice Theodosiano*, sub titulo, *de habitu quo intra urbem uti oportet*, & Petronii *Satyricon*: *Neque longe a præcone Ascyltos stabat amictus discoloria veste, atque in lance indicium & fidem præferebat*. Et hodie quoque in usu aulicorum & ministrorum publicorum tunicæ, penulæque multitiæ, & polymitæ versicoloriis liciis textæ, Alexandrinorum inventum.

CAP. IV.

Epulum quid, & unde dictum? Ferculum quid? Convivia publica & privata. Ea varia fuere apud Græcos, quæ afferuntur. Convivia cuique Sodalitati & Collegio fuere. Convivia sacra quæ? Sacrificia eucharistica quot? Mel & fermentum ab omnibus sacris exclusa. Agapæ quales epulæ? Feriæ unde dictæ? Judæorum & Ethnicorum mos de reliquiis sacris. Primitiæ Diis dicatæ. Festa plurima Ethnicorum adducuntur. Hecates cœna quæ? Solis mensa quale epulum? Epulæ Diis tantum appositæ. Lectisternia quænam convivia?

EPULUM ab opulentia dictum, sive ab edendo, quasi Edipulum, sunt cibi ministerio hominum in nostrum usum comparati.

Proprie vero significat solemniores cibos, & convivium in propatulo civibus exhibitum; sive in dedicatione templi, sive in triumpho, sive in funere, sive ludorum causa. Epulum quoque dictum, ferculum mensæ illatum singulis in æquas partes dividendum. Apud Antiquos epulæ erant sacrificiorum appendices.

De Conviviis a me alibi: nunc quæ passim a

me lecta in racematione tibi libo dicoque, ex alienis vineis in usum nostrum digesta.

A

Conviviorum alia Publica, quæ ab universo populo sive civitate fierent, sive illa sacra, sive prophana; tum symbolis collatis, tum ex ærario publico; unius, pluriumve liberalitate.

Privata alia, quæ inter paucos amicos, familiares propinquos, *Philetica* appellata: Charistia, inter cognatos & amicos.

Publica, & quotidiana dicta *Syssitia*, a Legislatoribus instituta, quo facilius omnes in officio, frugalitate & amore continerentur. Hæc Italica fuerunt.

B

Andria vero Cretensium, a Minoe instituta: *Phiditia* Lacedæmoniorum, quasi philitia, ad amicitiam comparandam & conservandam, a Lycurgo.

Copis, cœna constans maza, pane, carne, olere crudo, jure, ficubus siccis, bellariis, atque lupino.

In Copibus capræ mactabantur, & carnes distributæ cum physicillo, pane confecto ex oleo & melle: erat & *Æclon*, de quo alibi.

Prytanensia convivia erant Atheniensium; quorum alia politica, alia sacra.

C

Politica fuerunt quotidianæ Prytanensium Senatorum, necnon aliorum quorundam, epulæ in Prytaneo.

Duplex fuit Atheniensium Senatus, unus Areopagiticus, sine certo numero Senatorum, perpetuus; alter Prytanensis L. virorum.

Prytanenses vero Senatores, penes quos summa Reip. & judiciorum erat summa potestas, singulis diebus in Prytaneo convivabantur.

Syssitia erant Atheniensium sacra, ut erant Phratrica, id est, Curialia, & Orgeonica. Syssitiis Græcorum Collegia Romanorum respondebant, seu Sodalitia aut Sodalitates, quæ vel politicæ, vel sacræ. Politicæ erant, opificum; sacræ, Sacerdotum.

D

Hæc omnia Collegia, seu Sodalitates, sive sacræ, sive prophanæ, sua habuerunt sympofia & convivia, tum solemnia, tum quotidiana. Curiæ autem Romæ, Romuli instituto, sua habuere sacra & convivia. Collegia autem religiosa ea fuere, quæ instituta religionis ergo; cujusmodi fuerunt Sacerdotum atque Augurum: nec Diis tantum gentium, sed & singulis Imperatoribus: quæ omnia sua habuere convivia publica, cujus primus auctor, sed artificum, Numa Rex.

E

Convivia sacra sunt illa, quæ vel in veri & unius Dei, vel etiam falsorum & alienorum Deorum honorem, diebus festis, & in locis sacris, celebrantur. In veri Dei honorem fuerunt Veteris Testamenti convivia anniversalia; ut, Agni Paschalis, Pentecostes, Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, Encæniorum, seu Dedicationis templi; Noemeniæ, seu Novilunia & Calendæ mensium.

Apud Græcos singulis mensibus certa quædam sacrificia atque convivia fieri solita, *Epimenia* dicta, quæ Calendis, aut Idibus renovanda.

F

Apud Athenienses Calendis Deos precibus & sacris colebant, thura simulacris imponebant, servi vendebantur, belli duces creabantur: erantque dies illi honorati.

Apud Romanos Calendis pecuniam locabant. Epulæ tamen apud hos omnes fiebant, & Nundinariæ Nonis.

Sacrificia Veteris Testamenti nil aliud fuerunt, quam epulæ quædam sacræ Deo, & hominibus communes, ad mutuam Dei hominumque societatem signandam. Hæc fuere duplicia; *Ilastica*, seu propitiatoria, & *Eucharistica*, seu pro Gratiarum actione.

Iliastica, seu propitiatoria, pro peccatis expiandis. Hæc quoque duplicia; alia pro peccatis hominum privatorum; alia Sacerdotis, vel populi universi.

Quæ pro peccatis privatorum fiebant, in iis totum quod offerebatur, cedebat in usum Sacerdotum; quod in atrio ipso die sacrificii edebant; præter adipem, qui coram Domino incendebatur; & sanguinem, qui circa altare fundebatur.

Sacrificium vero pro universo populo, seu pro peccato Sacerdotis, totum igne consumebatur, dicebaturque *Holocaustum*; quod respondet sacrificio Rom. dicto Propterviæ, & Græcorum Teletæ.

Eucharistica sacrificia pro Gratiarum actione tria erant. 1. E frugibus dictum *Cibarium*, quod non eodem modo parabatur. Offerebatur enim far tostum in spicis, aut farina sive simila munda, nondum cocta; aut certe paratus ex farina panis, qui vel coquebatur in furno, aut cacabo, vel frixorio. His accedebat sal, oleum, & thus. Mel & fermentum ab omnibus sacrificiis exclusum. In epulo tamen Eucharistico admittebatur panis fermentatus ad esum. In omnibus cibariis oblationibus ponebatur thus, præterquam in sacrificio pro peccato, & zelotypiæ. Cibariis sacrificiis annumerant Libamina, in quibus vinum Deo fundebatur: item Primitiarum, Primogenitorum, & Decimarum.

2. Sacrificium *Pacis* sive *Pacificum*, quo gratitudo propter accepta beneficia declarabatur; quod fiebat cæsis bobus, vel masculis, vel fœminis, sine discrimine; vel ovibus, vel agnis, vel capris.

3. Sacrificium *Confessionis*, quod fiebat pecudum mactatione, & oblatione libamentorum. In his gratulatoriis seu pacificis sacrificiis, illorum pars una, renes nimirum, & reticulum hepatis agnæ, item cauda & omnis adeps, coram Deo comburebatur. Pars altera, nimirum pectusculum, armus dexter, maxillæ, Sacerdoti cedebat. Reliqua ad offerentem redibant, & mox illo ipso die debebant comedi: & quia ille solus non poterat omnia comesse, cum suis amicis & vicinis id peragebat.

Convivia sacrificalia duplicia erant; alia, quæ fiebant a solis Sacerdotibus; alia, quæ a populo sive offerentibus.

Inter omnia alia convivia in Veteri Testamento principem locum obtinet *Epulum Paschale*. At in Novo Testamento sacrosanctum Eucharisticum Sacramentum. Quemadmodum in Veteri Testamento plerisque sacrificiis adjuncta fuerunt convivia læta, ut dictum est; ita Christiani Ecclesiæ primitivæ cum cœna Dominica convivia conjunxere, *Agapæ* dicta, id est, Charitates; quia erant symbola & tesseræ charitatis, ad quæ ditiores conferebant panem, vinum, pecunias; cum pauperibus discumbentes, & absentibus portionem mittentes. Hæ Agapæ ex collectis mutuis Christianorum agitabantur: quæ, quia in luxum luxuriamque degenerarunt, de medio sublatæ fuerunt. In hoc similes Phiditiis Lacedæmoniorum, quæ & ipsa ex mutuis collectis promiscue inter summæ & infimæ sortis homines agitari consuevere.

Ethnici cacozelia laborantes perversa, sacrificia & epulas instituerunt, & ludos in honorem suorum Deorum. Et quemadmodum Judæi ex præscripto Legis Divinæ certos quosdam dies consecrarunt, sic Ethnici quosdam dies *Ferias* dictos a feriendis victimis; vel a ferendis epulis, quia in iis epulæ fiebant, ex pecudum fructuumque proventibus. Ut Judæi, post peractum in altari sacrificium, de partibus sive reliquiis sacrificii, instruere mensas atque solemnes epulas consueverunt; sic Ethnici ex reliquis hostiæ partibus cœnam ap-

parabant, quibus, quisacris interfuissent, vesci li- A
cebat. Addiderunt autem ludos, qui Judæis ex Divina Lege interdicti.

Judæi in ipso templo reliquias omnes absumebant, nonnunquam comburere cogebantur: Ethnici vero domum redeuntes particulam domesticis afferebant, & sæpe in macellis vendebantur reliquiæ, quas Christianis vetitum comedere. Judæis nefas fuit, nondum re divina peracta, cibis vesci: Ethnici quoque id usurparunt, unde intemperantes dicti, qui, re non peracta, sacra devorabant, ut est in proverbiis.

Primitiæ omnes prius Diis consecratæ, quam B
gustarentur. Item quædam sacrificia & epulæ factæ cum amicis & cognatis, aliis exclusis. In templis simul sacrificabant & epulabantur. Utrique populi hilaritatem atque lætitiam modestam absque ebrietate in sacris conviviis adhibebant. At sacrificia & epulæ in luxum abierunt: ex epulo enim potatio; ex potatione comus; ex como ludus; ex ludo rixæ, ebrietates, & hujusmodi scelera promanarunt.

Verum enimvero hæc sacra & epulæ factæ diebus statis & festis. Apud Christi fideles dies festi dicati Deo Divisque cæteris, omnem excludunt epularem lætitiam, admittentes Communionem C
Eucharisticam sacrosanctam. Aliter vero Ethnici.

Ethnici festos dies celebriores habuerunt in honorem Bacchi, Cereris, Veneris, atque Saturni, &c.

1. In Bacchi honorem Græci sacros ludos & symposia varia instituere: *Orgia*, *Dionysia*, *Lenæa*, *Omophagia*, id est, crudivora; *Thœnia*, id est, vinalia; *Trieterica*, id est, triennalia; *Nyctelia*, id est, nocturna. Ab Atheniensibus vero præcipue,

Anthesteria, dicta Dionysia, similia Saturnali- D
bus apud Latinos; cum servi excipiebantur conviviis a dominis. Horum partes erant *Pithœgia*, *Choe*, *Chytri*.

Pithœgia, festum Bacchi, in quo dolia relinebant, & amicis potum præbebant: antiquitus enim de vino, antequam gustarent, libabant, & vota faciebant ut sibi usus ejus foret salutaris. Pithœgiis respondent apud Romanos Vinalia, apud nos Martinalia.

Choes sacrum institutum a Themistocle in honorem Bacchi, a mensura seu vase dictum, Dionysius Choopotes dictus. In his conviviis invitati secum ferebant cibos coctos, placentas, cistam, E
poculum Choa dictum: qui vero invitabant, apponebant coronas, unguenta, bellaria, lectos, mensas, pulvinaria, stragulas vestes; his accedebant meretriculæ, saltatrices publicæ.

Chytri, ab olla dictum festum solemne apud Athenienses; in quo omne seminum genus in olla coquere solebant Dionysio & Mercurio operantes.

Nec ex coctis quicquam gustabant, sed Dionysio & Mercurio Chthoniis offerebant pro mortuis. His adde *Protrygia*, Dionysio; & Neptuno, *Phagesia*, in quibus se cibo potuque ingurgitabant: *Lagenophoria* Alexandrinorum, secum domum F
lagenam ferentium, ex qua biberent.

In Bacchi quoque honorem Romani instituere Bacchanalia, *Liberalia* dicta, quia Bacchus dictus Liber.

Liberalia celebrata Romæ XVI. Kal. April. cum Annæ Perennæ sacrum quoque fiebat. Hæc peragebant per agros sub dio, vel tentoriis, cum largioribus poculis, libis mellitis, cantiunculis, atque choreis impudicis. *Bacchanalia* ex Gyraldo singulis mensibus agitata; ex aliis, aut Martio, aut Vindemiis, inter initia Septembris; aliquando alio tempore. Vide Livium *Dec.* IV. *lib.* IX. & D. Augustinum.

2. Cererem quoque frumenti inventricem, ut Bacchum vini, luxuriosis epulis Ethnici coluere. Illius sacra dicta *Thesmophoria*, Demetria; Cerealia Latinis. Tunc Romani genio indulgebant, opipare epulantes, hinc Cœnæ Cereales apud Plautum, opiparæ, & multis ferculis refertæ; dictæ Eleusinia sacra, pervigilium Cereris, *Pannychismus*.

3. Veneris sacra Aphrodisia, Apaturia dicta, quæ celebrabantur Athenis quatuor continuis diebus; quibus publice privatimque Athenienses sacrificabant & epulabantur luxuriose. Hujus ritus meminit L. Gyraldus *synt.* XIII. & alii fusius.

4. *Saturnalia*, sive *Cronia* epulis lautissimis celebrata, olim uno tantum die apud Ædem Saturni XIV. Kal. Jan. convivio opiparo; sed postea in triduum propagata, & quinque, & septem dies. Hoc festum Scenopegiis respondet Hebræorum, quæ peracta messe ac vindemiis, reconditis frugibus & fructibus mense septimo celebrabantur, quo tempore tam servis, quam liberis sub tentoriis feriari epularique summa cum lætitia permissum. Romanis mense Decembri hæ epulæ & festi dies celebrati. In hoc festo, servos suos conviviis liberalibus excipiebant, ipsique muneribus servilibus fungentes; servis impune quicquid liberet, loqui licebat. Tale festum fuere Nonæ Caprotinæ, in quo ancillæ Romæ splendide vestitæ urbem circumibant, pugnam conferentes: tandem epulabantur considentes sub ramis ficulneis.

Servi in Saturnalibus pileos gestabant, signum libertatis. Bellum hoc tempore sumere nefas, & pœnas sumere. Munera etiam amici familiaresque inter se missitabant; cœnæ, epulationes agitabantur. Munera illa dicta *Xenia*, *Apophoreta*, & *Sigillaria*. Item, Cerei, Strenæ. Servi præterea hoc tempore induebant vestitus dominorum, & contra domini servorum, dictos *Syntheses*, id est, vestes breves, & negotiis aptas, depositis togis. Romani mutuati sunt hos dies ab Atheniensibus; Athenienses a Cretensibus, apud quos Hermæa dicebantur, in quibus etiam domini servis ministrabant accumbentibus; simile huic *Sacea* apud Babylonios; *Peloria* apud Thessalos. Vide Dempsterum, Rhodiginum, & alios.

5. *Hilaria*, Matris Deum feriæ, principio veris celebrata, maxima populi lætitia, & pompa nobilissima, quovis e populo insignia cujusvis dignitatis mentiente atque simulante. Hæc privata erant & publica, ut refert Dionysius: cum Rex aliquis publice proclamatus, publica Hilaria subditis exhibebat, & his quidem diebus neque lugeri neque lugere licebat; sed spectacula & sacrificia quotidie perficiebantur publice, judicia cessabant, ludos spectabant, conviviis continuis dies peragentes.

6. *Terminalia* festa, in honorem Termini Dei, a Numa instituta, cui sacra faciebant, non hostias cædendo, (quod nefas sit cruentari hos lapides) sed liba Cerealia, frugumque offerentes primitias. Vide Plutarch. *Probl.* & Ovidii *Fastos*, mensis Febr. annum tunc terminantes:

Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab Antiquis, tu quoq; nomen habes, &c.
Convivunt celebrantque dapes vicinia supplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.

7. *Floralia* festa & ludi in honorem Floræ IV. Kal. Maii, ex oraculis Sibyllinis, ut omnia bene deflorescerent. Hæc celebrata cum maxima lascivia, & jocis obscœnis, conviviis luxuriosis, coronis, saltationibus, cultu versicolore, cum luminibus per urbem mulieribus impudicis discurrentibus.

8. *Chariſtia* feſta erant Romanorum, cum convivium ſolenne agitabant cognati & affines duntaxat inter ſe, cæteris excluſis; ut, ſi qua inter neceſſarios querela orta eſſet, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.

9. *Monophagia* feſta Æginenſium, quorum cum multi in bellum Trojanum profecti eſſent, & pauci inde, diverſis de cauſis, rediiſſent, clam quiſque ſuos domi comiter excipiens, ipſimet conviviis miniſtrabant, nec alienum quemquam admittebant. Hoc igitur imitantes Neptuno rem divinam facere ſolebant, & thyaſos exercebant XVI. dies, ſilentio inter ſe convivia agitantes, ſolemne feſtum dirimebant: ex eo μονοφάγοι appellati, id eſt, ſolitarie veſcentes, more diverſo a Romanis, qui una cum amicis palam diſcumbebant: horum præſes Thyſiarches.

10, *Theſea* ſacra feſta in honorem Theſei, in quibus dabatur pop. congiarium, & convivia lautiſſima.

11. *Panathenæa* feſta, in quibus ſingulæ Athenarum coloniæ bovem mittebant Athenas: unde omnes, propter carnium magnam copiam, ſupra modum ſe cibis ingurgitabant. Hæc feſta ſingulis quinque annis celebrata, & *Magna ſacra* dicta, in honorem Athenarum & Minervæ; ab Erichthonio prius, deinde a Theſeo inſtituta.

12. *Hecates cœna*; ſub novilunium divites mittebant cœnam atque edulia veſperi pauperibus qui ex ſacrificiis vivunt. De hac vide Adagiographum, & alios.

Demum erant aliæ epulæ; videlicet *Solis menſa*, apud Æthiopas, patrum dictum, in ſuburbanis omnium quadrupedum aſſa carne refertum, quam per noctem ſinguli civium magiſtratus apponere ſolebant; ad quam, ubi illuxerat, cuilibet epulatum accedere licebat.

Primitiæ olim Mercurio in viis appoſitæ, quibus viatores veſcebantur; unde *Hermejum* lucrum præter expectationem.

Encænia epulæ & dies feſti agitati in templi dedicatione.

Fiebant etiam epulæ aliæ in *Natalitiis*, *Puerperiis*, *Amphidromiis*, *Luſtrico die*, *Apolactiſmo*, *Cureoti*, *Curoſyne*, & aliis diebus ſolemnibus apud Græcos: de quibus ſingulis alibi a me, & a multis fuſius & enucleatius.

Hæ omnes epulæ in ſacrificiis, ſeu potius poſt illa fiebant, diebus præſertim feſtis, quarum omnes, qui ſacris interfuerant, erant participes. At aliæ fuere epulæ, ipſis Diis, id eſt, illorum ſimulacris, appoſitæ, quas nonniſi ſacerdotibus deguſtare conceſſum fuit. Hujuſmodi fuere epulæ Belo & Draconi a Babyloniis appoſitæ, quas noctu ſacerdotes devorabant.

Hecates quoque cœna, & multorum opinione, Apotropæis, id eſt, Averruncis Diis, & Apollini & Herculi apponi ſolita, in qua apponentes nil deguſtabant, fumi duntaxat & tumultus participes. Item *Jovis epulum* in publicis ludis celebratum, potiſſimum Natalitiis, & Circenſibus quotannis, Idibus Nov. ob Jovis ceu Deorum principis excellentiam, propriam appellationem ſortiebatur, cum reliqua convivia in cæterorum Deorum ædibus habita *Lectiſternia* dicerentur: quæ erant convivia ex victimis & immolatis in templis Deorum, a ſtratis lectis, in quibus ordine diſcumbebatur. Hæc tribus Diis ſtrata (ut a me ſuperius dictum) Jovi, cujus ſimulacrum in lecto recubabat; Junoni & Minervæ, quarum effigies in ſellis diſcumbebant. Deinde in multam noctem appoſitis epulis Epulones introducebantur, qui cibos ſacratos comedebant. Hæc Lectiſternia *Pulvinaria* appellata Deorum. Lectiſternia igitur & ſupplicationes ad templa & pulvinaria Deorum facta; vel ob lætitiam, vel ad avertendam Deorum iram; quæ non ſine publicis privatiſque epulis peragebantur. De quibus videndus L. Gyraldus, Roſinus, & alii.

CAP. V.

Prandium an Antiquis in uſu? Quale illud & quotuplex, & quibus cibis conſtaret? Caricæ auſpicium prandiorum. Quoties in die Priſci comederint? Prandii etymon. Illud an Homeri tempore? Prandium adventorium quale? Strenæ ex quibus conſtabant? Veteres quo die artes auſpicabantur? Auſpicari quid?

LOCUS eſt Senecæ mihi præ cæteris notatus *epiſtola* LXXXVII. *De prandio nihil detrahi poteſt, paratum fuit non magis hora; nuſquam ſine caricis, nuſquam ſine pugillaribus. Illæ, ſi panem habeo, pro pulmentario ſunt; ſi non, pro pane quotidie mihi annum novum faciunt, quem ego fauſtum & felicem reddo bonis cogitationibus & animi magni magnitudine*: & quæ ſequuntur. Hic licet Philoſophum in ſcriptis & verbis ageret, ut multi opinabantur, in victu tamen & cultu alium ſemper præ ſe tulit. Tot milliones congeſti, tot ſuperba ædificia id aperte teſtantur. Quare hoc loco vulgarem prandii cibum & uſitatum potius colligo, caricaſque auſpicium fuiſſe novi anni, nuſquam vero Senecam accubuiſſe ſine pugillaribus, quia ſtudioſiſſimum ac Philoſophiæ amantiſſimum ſe in ſcriptis plane oſtendit.

Quidam ſolem lucere ſubdubitare ſunt viſi, cum Priſcorum prandium in controverſiam verterint, quos trifariam & quadrifariam in die eſitaſſe legimus; in jentaculo, in prandio, in cœna, in comeſſatione: quamvis homines liberaliter educati ad ſummum bis in die cibum ſumpſerint, in cœna, & prandio. Hoc *guſtum* dixere, & puerorum potius, æſtate, tenuiſſimum, & eorum, qui multum laborant. Quare prandium rarum, idque parcum, & plerumque (ut notat Seneca) panis cum caricis paſſis & palmulis. Hinc prandium Græcis dictum ἄειςον, veluti ῥᾷςον, id eſt, *ex obviis, nec anxie comparatis*. Plinius Cæcilius ita ſcriptum reliquit: *Poſt cibum ſæpe, quem interdiu levem & facilem more Veterum ſumebat. Prandium* Trebellius Pollio in *Vita Salonini* ait *dictum, quod ad bellum milites paret*. Cato lib. v. *Orig.* exercitum ſuum pranſum paratum cohortim eduxit foras, atque inſtruxit. Unde prov. *Pranſus paratus*, non diſplicet. Cerdæ eruditiſſimo dictum prandium quaſi τὸ πρὶν πονεῖν, *antequam laborarent*, quaſi poſt quod ſit laborandum. Dictum etiam prandium, quod levia tantum quædam & paratu facilia apponerentur. Hinc Celſus *l.* VII. *Si prandet aliquis, utilius eſt exiguum aliquod, & ipſum ficcum ſine carne, ſine potione ſumere*. Et *l.* IV. *Famem facilius fert adoleſcens, quam puer, & uno cibo, quam prandio quoque aſſuetus*. Et *lib.* XI. *Æſtate vero, & potione & cibo ſæpius eget; ideo prandere quoque commodum*. Perſius *ſat.* III.

Hoc eſt, quod palles: cur quis non prandeat.

Ex quibus colligo rarius hyeme, ſæpius æſtate prandium ob diei longitudinem, ſitimque ſedandam majores ſumpſiſſe. Sed quia doctiſſimus Plut. l. VIII. *Sympoſ.* quæſt. VI. hanc rem diſertiſſime tractat, ejus verba hic referre non pigebit: *Hi docent illos, cum & laboribus dediti, & temperantes eſſent, mane panem ediſſe mero intinctum, aliud nihil. Itaque hoc fuit dictum acratiſma, cum acraton ſit merum, hoc eſt, a meracius potandi conſuetudine dictum vult, quo-*

niam panis bucellam mero tingerent. Quod hodie Venetiis a plerisque negociolis observatum, qui in meridie vino Cretico pane intinctum, offam, seu placentam comedunt, ut sic famem solentur, dum negotiis operam navant. Seneca *epist.* LXXXIII. *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium, post quod non sint manus lavandæ*. En prandii parsimonia. Sed non solum parsimoniam ex prandii etymo deprehendo, verum etiam pietatem; namque prandium Græce ἄριστον dictum, a nomine Græco ἀρα, quod *preces* significat, perinde ac si, non nisi Deos precati Veteres ad prandium accederent. Vitellius, ut refert Trebellius, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, & prandia, & cœnas, comessationesque, facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.

Quoties cibum in die sumerent Homeri tempore, Athenæus *lib.* v. disputat his verbis: *Major pars doctorum tres τροφὰς attribuebant Heroibus, ἄριστον sub auroram, δεῖπνον circa meridiem, δόρπον sub vesperam. Alii duas tantum; Philemo vero quater illos comedisse, ἀκράτισμα, ἄριστον, ἑσπέρισμα, δεῖπνον*. Quid vero Athenæus sentiat? Bis, nisi me fallit. Consule. Plutarchus in supra *citato loco* ostendit, ἄριστον esse idem cum *acratismate*, ita dictum, quasi optimum, & matutinis horis, vel Homeri tempore, usurpatum. Legatur ipse, aliique de hoc fusius disputantes.

Erat & prandium adventorium, uti & cœna, quod peregre advenientibus præbebatur. Plautus *Amph.* Act. II. Sc. II.

> *Quia domi daturus nemo est prandium advenientibus.*

De convivio adventorio meminit etiam Plutarch. *Symp.* IX. quæst. VII. Cum quo connecto obiter, quæ idem habet in *Quæst. Rom.* de adventoria salutatione, quam sibi mariti peregre, aut rure domum redeuntes arrogabant; hi enim redeuntes præmittebant nuncium, se uxoribus adesse significantes, ut veluti exoptantibus & expectantibus lætum nuncium indicarent. *An potius*, inquit ille, *de illis audire ipsi cupiunt, salvasne & cupientes domi inveniant? An pluribus curis domesticis mulieres negotiisque, cum absunt viri, sunt districtæ, pluresque rixas & motus adversus domesticos habent? Quo igitur, his discussis, pacate virum & hilariter excipiant, hæc datur significatio*.

Altera pars loci Senecæ, primo loco positi, de caricis meminit, quæ & pro pane, & pro pulmentario, & pro auspicio novi anni a Seneca parantur in prandio. Ubi obiter noto cum aliis veterem morem sibi invicem mittendi boni ominis causa munera, videlicet caricas, & mella, (ut dulces dies anni a dulcibus rebus auspicarentur) & stipem, hoc est, nummum signatum, quæ omnia simul *strenas* dixere. Strenarum usus ab ortu pene urbis Martiæ adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni novi auspices primus accepit. Strenuæ a strenuitate dictæ, vel quasi sine threno, luctu, ait Non. De strenis Metellus vetus poeta:

> *Strenæ præterea nitent*
> *Plures aureolæ munere regio,*
> *Jani principis auspicio datæ*
> *Fausto temporis omine,*
> *Ut ferret ducibus strenua strenuis*
> *Annus gesta recentior*, &c.

Ita Ovidius *Fastorum* lib. I. de Kal. Jan.

> *Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,*
> *Et data sub niveo condita mella cado?*
> *Omen, ait, causa est: ut res sapor ille sequatur,*
> *Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.*
> *Dulcia cur dentur video: stipis adjice causam,*
> *Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.*
> *Risit, & , o quam te fallunt tua sæcula! dixit,*
> *Qui stipe mel sumpta dulcius esse putas.*
> *Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,*
> *Cujus non animo dulcia lucra forent.*

Ille locus Senecæ, & Ovidii, tanquam æditũus, me manu ducit ad nova Sacra indaganda; nempe morem antiquum Kal. Januariis artes auspicandi. Seneca epist. LXXXIII. his verbis: *Qui, quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virgine desilire*. Ovidius etiam in *Fastis* lib. I.

> *Quisque suas artes ob idem delibat agendo,*
> *Nec plusquam solitum testificatur opus.*

Ratio hujus.

> *Totus ab auspicio ne foret annus iners.*

Auspicari vero, ut notat Martinus de Roa *Sing.* lib. III. non tantum erat inire, sed aliquid ex munere delibare, & leves aliquas & tralaticias causas (dicis causa) propositas audire. Hinc merces ambitiosæ ad januas tunc positæ præ foribus. Solebant enim Veteres primo die, quo honorem inibant, munus Magistratus sui auspicari, aliquidque in speciem agere. Tacit. *Cæterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum diebus Præfectum urbis Drusum auspicandi gratia Tribunal ingressum adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium*. Sic auspicabantur artes suas anni initio: hinc nostræ orationes auspicales in principio lectionis publicæ. His adde, solitos Kal. Jan. splendida convivia & choreas celebrare per urbem cum cantu, Magistratus munera inire, manumissiones facere, faustas invicem precationes impertiri: omnia enim principiis inesse solent.

CAP. VI.

Mensa res sacra. Antiqui quoties in die ederent? Horæ quomodo olim notatæ? Convivia trifariam distributa. Cibum sumendi tempora. Balnea cœnæ præibant. Mulieres an in conviviis admissæ? Servi iis exclusi. Non invitati variis nominibus insigniti apud Veteres. Parasiti qui?

CONVENIMUS nuperis literis, ut essemus de symbolis. Dati annuli. Promissi reus uterque. Phiditia hodie peraguntur: cœna paranda non doliaris, sed familiaris. E tuo refertissimo penore scitamenta lautitiæ depromendæ. Alii Saliares & Adjiciales dapes: ego ne asymbolus in Apolline cœnem, Promocondi, aut ad pedes servi vices subibo, de alieno dolio Falerna deprompturus, de aliena quadra fercula appositurus. Tu modiperator, & symposiarcha leges præscribe convivales, ego de hora ex umbra, & quoties comedendum ex prisco more disseram. Sed sobrietas parcitasque potus & cibi æque laudi, atque sermonis in triclinio. Mensa enim res sacra, Deorum conciliabulum, cui Deos accumbere Prisci credebant. Quare epulæ sacrificiorum erant appendices. Et quid aliud sacrificia, quam sacræ epulæ? Monophagia semper Antiquis probro data, quia misanthropica, Cyclopica, Timonia. Est, qui solus; cœnat, qui cum alio edit; hinc dicta cœna, quia communis. Visceratio sine socio, ex Seneca, leonis & lupi est ingurgitatio. Convictus tamen facilis, & sine arte mensa, dictæ cœnæ Deorum, qui non tantum nectare & ambrosia vescebantur, sed etiam vilibus & paratu facilibus cibis. Ita Romulus in cœ-

lo rapis dictus vesci, ut vivens cum Romanis. Hæc cœna Saturnia sæculi aurei, luxus exotici nescia. Cœnas Adipales, Adjiciales, Pollucibiles, Rectas, Dubias ganeonibus permittamus, qui Rhetris Lycurgi, legibus sumptuariis Romanorum coercendi. An vero Antiqui tantum cœnarent, an sæpius in die esitarent, a multis multa: a me pauca *cap. præcedenti*. Hic tamen archymagirus, quod alii coxere, hic recoquam, aliterque condiam, ut palato tuo delicatissimo abblandiar.

Persæ, si credimus Xenophonti lib. VIII. *Cyropædiæ*, ex Cyri legibus semel in die cibum capiebant, quo diem integrum haberent ad munerum functiones, quod *μονοσιτεῖν* dixere. At *μονοφαγεῖν* apud Athenæum dicebatur, qui seorsim prandebat. Ita Romani soli prandebant, cum amicis cœnabant, ideo cœna dicta *ἀπὸ τῆς κοινωνίας*, ex Rhod. *lib.* XIV. *cap.* LVII. Hinc error illorum, qui putarunt Veteres tantum cœnasse sine prandio; quod ut fictum, ita temere dictum. Ad hæc, si apud Judæos ii dicebantur jejunare, qui vesperi duntaxat comedebant, erat proculdubio & prandium, quo abstinebant, ut jejunium persolverent. Præterea Tobiæ filius dicitur prandium reliquisse, ut jejunium persolveret. Esseni philosophantium gens Judæorum, ut perhibet Josephus lib. II. *Antiquitat.* prandebant circa meridiem, aut paulo ante, vesperi vero cœnabant. Græcos vero Romanosque sæpius esitasse in die argumento sint vocabula more recepta, ut dicemus.

Græci Trojani belli temporibus quater in die cibos cepisse refert Stuckius in *Convivalibus*. Primo, diluculo *ἀκράτισμα* dictum, quod non dilutum, sed potarent merum; *νήστισμα*, quod jejuno ventre sumeretur.

Secundo, *Ἄριστον*, prandium. Tertio, *ἑσπέρισμα*, cujus hora erat cum jam noctesceret, antequam contenebrasset. Quarto, *δόρπος*, seu *δεῖπνον*, cœna vulgo. Alii aliter.

Lambinus *ad Horatium* ait ter Græcos in die cibum sumpsisse, matutinum *ἄριστον*, *δεῖπνον* prandium, *δορπον* cœna.

Romanos quoque sæpius esitasse in die argumento sint vocabula more recepta, *Jentaculum*, *Prandium*, *Merenda*, *Cœna*, *Comessatio*; etsi jentaculum & merenda puerorum, comessatio incontinentium erat, adeo ut prandium & cœna usu communiter fuerit receptum. Jentaculi hora tertia, prandii circa sextam, nona aut decima cœnæ, cum umbra erat decempedalis. Horas enim diei Veteres lineis notabant, ideo qui vocabant ad cœnam, designabant ad quam umbram solarii vellent convivas adesse. Prandium erat tenue admodum, panis siccus cum caricis sine ullo apparatu, ideo hujus rara mentio apud scriptores, & sine balneis, ut fiebat in cœna. At cœnæ multus apparatus præibat, exercitationes, balnea, ideo occupatis in publicis negotiis tantum ocii non erat, ut bis laute viverent, quod erat delicatorum luxuique inservientium: intererant enim tres, aut quatuor tantum horæ ab hora sexta ad nonam, aut decimam usque. Horas quomodo distinguerent Romani, Martialis *lib.* IV. *epigramm.* VIII. innuit:

Prima salutantes, &c.

Cœnas quia producebant in noctem, ideo lucernis usi, de quibus a me alibi.

Quare convivia trifariam tributa, *Matutina*, *Meridiana*, & *Vespertina*. Matutina a vino mero dicta acratismata, nempe bucellæ seu offulæ mero intinctæ mane. Ariston Antiquis pro jentaculo, a Recentioribus pro prandio usurpatum, ita dictum, quod sit facile paratu, vel quia non habet horam

A definitam, etsi ordinaria sit tertia. Dianestismus, cibus a jejunis sumptus antequam opus aggrederentur.

Meridiana, quæ circa meridiem sumi solita, *δεῖπνον*: Dipnon enim prandium dictum post quod est laborandum. Homero est matutinum, & meridianum epulum. Generatim tamen sumitur pro quolibet epulo. Antiquitus sumebatur pro jentaculo & epulo meridiano, posterioribus temporibus pro cœna. Apud Latinos cibus meridianus appellatus Cœna, & Merenda. Cœna, inquit Festus, idem est quod prandium, Anticœna, seu Antecœnium Lipsio. *Merenda* pro prandio dicta, quia meridie B sumebatur. Merenda postea dicta cibus post meridiem, sive vesperi.

Prandium, cibus circa meridiem sumptus, ab edendo dictum, quasi peredium, vel quod ad bellum milites paret, vel dictum quasi perendium, quod nil fere tunc coctum ederent, sed ex perendiis epulis: vel quia iterum ad opus sunt parati prandentes.

Epulæ pomeridianæ inter prandium & cœnam tribus horis, post prandium erant Merenda & Antecœnium.

Vespertina convivia erant epulæ sub noctem su- C prema tempestate, id est, diei novissimo tempore post solis occasum. Dicitur *δεῖπνον*; cœna, *δόρπον*; aliis dicta *Hesperisma*, Vesperina, vel quia in noctem cœna producebatur, vel quia noctu inchoaretur, hyemis præcipue tempore. Convivia vero nocturna dicta *κῶμος*, *ἐπιδόρπισμα*, *Epidorpnis*. *Comus*, seu Comessatio convivium nocturnum lascivum, immoderatum discurrentium per urbem coronatorum cum facibus, musicisque instrumentis ad amicarum fores, saltandi, cantandi, impetendique fores gratia, ut eas confringerent. Dictus Comus a *κῶμα*, id est, somnus profundus quia eum producit Comus; quicquid enim D in cœtu aliquo proterve geritur, sive sit compotatio, sive amatoria lascivia, Comus nuncupatur; hinc Comessatores comum exercentes.

Balnea & exercitationes cœnam præcedebant ab honesta causa derivata: illa olim flumina. Lacedæmonii Eurota, sed prius in pulvere atque sole exercitati, lavabantur, & Romani in Tiberi, juxta campum Martium, ubi palæstræ locus. Verum lotiones ab usu ad luxum conversæ: balnea conquisita, non ut sani & mundi tantum, sed ut luxuriosius & avidius ederent biberentque. Unctio quoque frequens tum ante tum post lavationem. Sed de lotione, de Balneis ab eruditissimo Mercuriali; E de cœnis a me alibi, & a Rosino, aliisque permultis; inprimis a Ciacconio.

Sed desinente cœna suavis est placentula, Pindaro teste. Hora jam cœnæ indicta:

Tu quotus esse velis rescribe:
Locus est & pluribus umbris:
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Septem convivium; novem convicium. Invitandi, qui natura, moribus, amicitiaque nobis conjuncti. Mulieres apud Græcos non accumbebant in convi- F vio virorum. Apud Romanos vero admittebantur mulieres, sed sedentes, non discumbentes, innuptæ vero excludebantur. Servi apud Romanos non admissi, nisi manumissi, ita ut mensæ communicatio manumissionis esset signum. Mos tamen fuit cum apud Græcos, tum apud Romanos, ut in Saturnalibus servi, exæquato cum dominis jure, convivarentur, ut domini servis ministrarent. Eundem morem Cretenses in Mercurialibus, & apud Trœzenios mense Geræstione, apud Babylonios in festo Saceani, apud Thessalos in Peloriis, ut ni-

mirum servi non modo cum dominis in convivio accumberent, sed domini illis ministrarent. Coi, quando Junoni sacrificabant, servos ad sacrificium non admittebant. Contra Spartani Hyacinthiorum die tertio, quo omnis generis spectacula atque convivia fiebant, cives omnes sibi notos familiares atque proprios servos ad sacrificia epulasque invitabant. Nam alias apud Romanos, uti apud Græcos, servis ad sacrificium non patebat aditus.

Pueri apud Romanos ad fulcra lectorum sedentes cibum capiebant. Mos erat, ex Tacito, ut principum liberi cum cæteris ejusdem ætatis nobilibus sedentes vescerentur in aspectu propinquorum, propria atque puriore mensa. Apud Arcades liberi cum patribus suis nudis lapidibus insidentes convivabantur. Quare pueri potius stant ministrantes, quam discumbentes.

Invitati & vocati a Gynæconomis & nomenclatore. Non invitati dicti umbræ, apocleti, muscis comparati, cœnipetæ, parasiti, gnathones.

Parasitorum nomen olim honestum & sacrum; prisci enim Græci eum ita vocabant, cui sacrarum epularum cura eligendarum demandata, cujusmodi apud Romanos Collegium epulonum. Deinde hoc nomen fuit ignominiosum. Hi dicti colaces, autolecythi, plagipatidæ, scurræ, sycophantæ, agyrtæ, hujusmodi nominibus designati, quos missos faciamus, & ad corvos amandemus.

Apocleti tamen, & umbræ, etsi non vocati a nomenclatore, at a convivatore lecti eum ad cœnam sequebantur; alii vero male audiebant, quia a neutro vocati accedebant. In crastinum convivii apparatum differo.

CAP. VII.

Super terram non est navigandum, *quale symbolum? Symbolum & symbola quid differant? Stipulari quid, & unde dictum? Eranarches quis? Asymboli quinam? Sportula quid? Ejusdem pretium, & quibus data? Erogatio & frumentatio quid? Frumentarii quales? Panis gradilis unde ita dictus? Canon quid, & quotuplex?*

CLEMENS Alexandrinus morum doctrinæque præstantia præfulgens *Strom.* v. hæc habet: *Rursus; Super terram non esse navigandum, Pythagoræ est symbolum, significat autem vectigalia & similes conductiones, quæ sunt turbulentæ & instabiles, esse recusandas.* Hæc ille. Ex quibus hoc mysticum eruo. Super terram non navigandum, nullibi a me lectum, neque cum aliis adlectum. Juxta terram (non supra terram) navigationem jucundissimam, & ambulationem juxta mare, Prisci dixere. Super terram igitur navigant publicani & vectigalium redemptores; per mare, per terras discurrendo, avaritiæ œstro perciti. Ideo merito in sacra Historia Evangelica publicani meretricibus & Pharisæis comparati, quorum salutem omnino desperatam noster Servator deplorabat.

Alterum est, *Recta linea ducendu*, id est, mentis & consilii ductu utendum: non enim scopum attingit, nisi qui recta linea collineat, neque a recto tramite deviat, de quo Athen. *lib.* x.

Verum, quia in Pythagoræ symbolis versamur, in quo symbolum & symbola discrepent, decidendum. Quæ nomina promiscue confundunt quædam Abderiticæ mentes. Magnum tamen discrimen inter utrumque reperio.

Symbola enim, Græce συμβολὴ, est collatio Eranistæ ad convivium, quod dicebatur ἔρανος, *eranus*: quisque enim, quod ad manum erat, confe-

A rebat in convivium, & fiebat in commune collecta, precio, aut pecunia, aut portione ciborum in commune conjecta, ut inde convivium pararetur. Partes ipsas, quæ conferebantur, symbolas vocabant. Terentius in *Eunucho* Act. III. Sc. IV.

Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piræo
In hunc diem, ut de symbolis essemus, Chæream ei rei
Præfecimus: dati anuli, locus, tempus constitutum est.

Et in *Andria* Act. I. Sc. I.

Symbolam dedit (non *symbolum*) *& cœnavit.*

B Quare non est confundendum symbolum & symbola, ut enim genere, ita notione discrepant. *Symbola* enim est collatio convivæ ad convivium in commune collecta. *Symbolum* vocatur anulus, vel quidvis aliud, arrhæ loco solitum dari ei sodalium, cujus erat cœnam parare. De hoc anuli usu loquitur Plinius *lib.* XXXII. *Celebratior anuli usus cum fœnore cœpisse debet: argumento est consuetudo vulgi ad sponsiones etiamnum anulo exiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior.* Quin & tesseræ illæ, quarum in contractibus usus, loco præsentis pecuniæ, σύμβολα dicebantur. De his symbolis scribit Isid. *lib.* v. *cap.* XXIV.

C Veteres quando aliquid sibi promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes, sponsiones suas agnoscebant, quæ similis tesseræ hospitalitatis, de hac a me al'bi. Stipulari solemni verborum formula, est aliquid promittere. Stipulatio est quasi promissio, vel sponsio: ita dicta a stipula, ex Isid. *loco cit.* Scipio Gentilis putat a rusticis natum verbum, qui segetum manipulos stipulis in modum nodi contritos astringere solent. Potius velim stipula porrecta, tanquam signo ad pollicendum adducere, quam stipulam accipere, erat argumentum asserentis. Nam stipulor non est pro-

D prie promitto, ut Isidorus & Papias exponunt, sed est verbum interrogandi, & ad promittendum inducendi. Alii vero deducunt a stipe, seu numo, quo aliquem nobis obligamus. Alii melius a stipulo: stipulum enim apud Veteres firmum appellabatur, forte a stipite. Stipes enim est fustis terræ defixus, ut auctor est Festus, quo boves & cætera animalia alligarentur & retinerentur certo loco, ne satis & arbusculis nocerent, qua similitudine fortassis stipulatio dicta: unde versus:

Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

Jam satis superque Grammaticum egi; stipulas ab aliis derelictas legi. Stipulati sumus. Symbolas

E contulimus, symbolicis accumbamus conviviis, de quibus pluribus & erudite Stuckius, a cujus spinis rosas legi multas.

Symbolicæ igitur, ut dictum, erant portiones, sive pecuniariæ, sive penuariæ, quas pro sua quisque parte conferebat in cœnam communem: Collectæ dictæ, etiam Collationes, Commensalia, & Symposiumena. Cœnarum ergo aliæ fuerant convivatoris sumptu apparatæ. Aliæ, in quas suam quisque partem conferebat, quæ dictæ *Erani*. Sic dictum Apostolorum *Symbolum*: nam quemadmodum ad cœnas olim singuli convivæ certas quasdam portio-

F nes, vel pecuniæ, vel penu conferre solebant, sic ad hoc Symbolum, quasi ad spirituale fidei epulum, singuli Apostoli suas veluti symbolas contulerunt: vel metaphora ducta a symbolis, seu tesseris militaribus, quibus Christiani ab Ethnicis veluti tesseris distinguuntur, quæ veluti syngraphæ essent. Nec aliud vox *Missa, æ*, vel *Missa, orum*, signat, quam missio, seu res missæ, aut oblationes, quas in cœtum quisque offerebat. Eranarches dictus qui symbolis colligendis præerat. Epulæ autem, quæ solius convivatoris sumptibus constabant, Ilapinæ, & Con-

vivæ

vivæ vocati, dicti Asymboli, Allotriophagi, Parasiti, hinc probro ducebant aliena vivere quadra, dicti ab Horatio *Umbræ*, in *Epistolis*, lib. I. epist. v.

—— locus est & pluribus umbris,

Idcirco unusquisque suum cibum & potum in symposia libenter afferebat, hujusmodi infamiæ diluendæ gratia.

Ab his symbolis conferendis jentacula, comessationes a posterioribus nuncupatæ *Collationes*. Hinc *asymbolus* dictus, qui sine collatione ad cœnam accedit.

Aliquando tamen invitati, non ad cœnam, sed a cœna domum aliquid referebant.

Hæc *Sportula*, seu *Sportella* dicta, quæ non solum significat receptaculum numorum, sed etiam cibum, qui vel publice, vel privatim erogabatur, vel pecunia, quæ cibariorum loco quandoque dari solet. Interdum obsonia cœnarum ferebantur in sportulis, cum apud aliquem ibatur cœnatum. Centum quadrantes, ut colligitur ex Martiali & aliis, erat sportula numorum.

Sportulæ plerumque vel cœnæ rectæ datæ a patronis clientibus, & salutatoribus matutinum portantibus Ave in vestibulo ædium.

Erogationes, sive alimentariæ, sive pecuniariæ apud Romanos erant, tum publicæ, tum privatæ. Publicæ fiebant ex publico ærario, idque vel in pace, vel in bello, *Frumentationes* dictæ. Frumentatio erat in plebem gratuita annona, per Ædiles ad plebem conciliandam, & per Præfectos annonæ. Distribuebatur autem frumentum tesseris frumentariis, seu symbolis e ligno, vel plumbo, quibus acceptis, iis ire licebat ad horrea publica petitum frumentum. Frumento si non opus, tesseras vendebant. Tempus distribuendi tesseras erat principium cujusque mensis, aliquando Nonæ. Mensura tritici ad minimum erat sex modiorum, seu Attici medimni.

Frumentarii erant præpositi horreis militum in Provincialibus, civium in horreis Urbis. Frumentarii etiam dicti qui ultro citroque discurrebant per Provincias, per domos ad frumentum inquirendum, & præstinandum.

Pro frumento datus civibus *panis gradilis*, ita dictus, quod daretur in gradibus ad hanc divisionem erectis. Numerus vero frumenti in qualibet urbe distribuendi definitus Canon dicebatur, etsi Canon Græce regula dicitur, & omnis Ecclesiastica sanctio. Attamen in Constitutionibus Imperatoriis anniversariam pensitationem, functionem, collationem significat, quæ a Provincialibus quotannis populo gratis ac sine ullo pretio præstabatur. Pædianus tributorum genera tria facit, canonem, ut in portoriis & vectigalibus; oblationem, ut in vini distractione; indictionem, quæ vulgo dicitur *talea*, Latine Collatio, Collecta.

Erogationes privatæ a civibus locupletioribus ex privatis bonis in pauperes fiebant. Hujusmodi fuerunt Romanorum sportulæ, de quibus supra, quæ etiam in nuptiali festivitate dari consueverunt, tales sunt nostræ largitiones eleemosynariæ in pauperes; *Collectæ* dictæ in primitiva Ecclesia, unde *Collectarius* dictus, qui stipem illam colligebat.

CAP. VIII.

Xenia qualia munera? Mos Græcorum in excipiendis hospitibus. Hospitalitas apud omnes gentes commendata. Hospitalitatis varia officia. Hospites dimittendi ratio. Proxeni, Parœci quinam? Romanorum hospitalitas. Ratio hospitalitatis. Munera hospitum varia. Tesserarum materia & forma. Earumdem genera quatuor. Advenæ quinam dicti? Fœdera qui inita apud varias gentes? Sal in sacris quale symbolum?

ARDUUM licet molestumque vetustis novitatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem dare, attamen solidum aurum, antiquatum, æruginosum, terrulentum, fæce obductum, caryoticis vilium Kalendarium strenis pretiosius habetur; quia non sine proventu eruditionis & gloriæ collocatur opera in multiplici disciplinarum complexione. Quod fit eruendo veteres fodinas, colligendo rudera antiquitatis passim dispersa, nec sine quæstu fœneramur in his labores operamque nostram, ut e tenebris eruditiones in hanc lucem educantur, vel eductas cœlo liberiori universis dilargiamur. Tamdiu est, cum tesseram hospitalitatis mutuam integram servamus. En meam, cum Deo hospitali, tibi fero de hospitii jure fœderumque dissertaturus. Si quid de hoc fusius aves, habes a me cap. sequenti, ubi *De Tesseris*, & a Budæo, Casaubono, Scaligero, & aliis.

Xenia, munera dicebantur quæ hospitibus dari solita, ut vox innuit: item Legatis exterarum gentium, quæ a Romanis *Lautia* dicebantur; namque ut refert Vitr. *lib.* VI. Græci cum essent lautiores, & opulentiores a fortuna, hospitibus advenientibus instruebant triclinia & cubicula, & cum penu cellas: primoque die ad cœnam invitabant, postero mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquasque res agrestes. Ideo pictores ea, quæ mittebantur hospitibus, picturis imitantes Xenia appellaverunt. Erant quoque hospitia privata apud Antiquos, quæ magna erat necessitudo, & pro ea sæpe usurpata. Fuit autem antiqui moris tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicumque attulisset ad hospitem, continuo agnosci posset, & hospitio accipi, tanquam amicus & vetus hospes. Quod jus necessitudinis ad posteros manabat, ideoque tesseram diligentissime servabant. Jovem hospitum vindicem implorabant, quem dicebant *Xenium*; *Philion* amici; sodales *Hetærion*; gentiles & cognati *Homognion*; qui ejusdem Phratriæ *Phratrion*; fœdere conjuncti *Enorcion*, quasi jurisjurandi vindicem. Hospitium publicum dicebatur *Proxenium*.

Hospitalitas maxime commendata apud universas nationes, tum Latinas, tum Græcas, tum barbaras. Hebræi duo ciborum genera apponebant hospitibus, hœdos, & placentas, seu panes azymos & mazam, quam dicunt fuisse polentam hordeaceam: vide antiquam frugalitatem! Græci Ethnicorum hospitalissimi. Xeni dicti hospites; unde *Xenia*, munera hospitum: *Xenodochium*, locus hospitibus datus. Hospitalitatis officia varia.

Primum aspasma, seu salutatio atque exceptio; sive invitatio peregrini blanda, tum gestibus amicissimis.

2. Dextram apprehendebant hospitis perbenigne.

3. Hospites oneribus, quæ gestabant, liberabant, eorumque equos curabant.

4. Hospites domum introducebantur, ac via defessi molliter collocabantur.

5. Hospites ad focum statuebantur, lavabantur, ungebantur. Demum perliberaliter tractabantur.

Quæ omnia Telemachus, Minervam excipiens apud Homerum, peregit in *Odyssea*. Postremo, cibo potuque largo excipiebantur.

A

Post cœnam interrogabantur, cujus rei gratia venissent, aut quanam re indigerent, & in lectis molliter stratis collocabantur.

Dimittendi autem hospites ratio consistebat, tum in verbis blandis & epularum apparatu, tum in munerum quorumdam largitione, denique in eorum deductione & comitatu.

Proxeni ii dicti, qui publice in oppidis hospitio excipiebant, Senatores, Legatos, Magistratus peregrinos.

B

Parochi peregrinis, iis præsertim qui publice mittebantur, ligna, salem, & similia publice mittebant, *Copiarii* etiam dicti, qui omnia necessaria hospitibus suppeditabant. Hospitii autem jus, salis & mensæ consortio contrahi solitum: Sal enim hospitibus ante alia omnia appositum; quippe hospitalitatis semper fuit symbolum, & amicitiæ.

Romani hospitalitatem maxime religiose colebant; apud quos non modo hospitii necessitudo inter privatos, sed etiam inter populos contrahebatur. Quæ jura nefas erat violare; hinc Jupiter Xenius, seu hospitalis dictus. Et domus eæ fuere perpetuo sceleftæ, neque amplius habitari poterant, in quibus hospitium fuerat violatum: namque hospitalitatis jus prius erat jure sanguinis.

C

Domus quædam publicæ peregrinis apud Græcos destinatæ erant, & hospitibus recipiendis, dicta *Xenodochia*; a Phrygibus, *Andrones*; a Cretensibus, *Cœmeteria*; a Romanis, *Hospitalia*.

Hospitii quærendi & contrahendi hæc ratio. Cum quis peregre proficiscebatur, e servis aliquot præmittebat ad eam urbem, ubi diversurus erat, qui inquireret, an domini hospes amicusve paternus esset. Si nullus erat, quærebat diversorium. Si nullum diversorium, Magistratum adeuntes, hospitalitatem postulabant; deinde dabantur tesseræ hospitalitatis.

D

Munera hospitibus mittenda apud Romanos dicta *Xenia*, *Apophoreta*, *Xeniola*; etsi apophoreta dicta quoque munera, quæ convivis apponebantur secum exportanda post convivium domum. *Lautia* vero, ut dictum, data Legatis peregrinis per Quæstores. Quibus etiam aliquando commeatus large, & vestimenta publico nomine præstabantur, præter publicum hospitium satis magnificum, ex dignitate Pop. Rom. & Legatorum.

Tesseræ fiebant e ligno longiusculo, & utrimque complanato. Qui hospites excipiebantur tesseram incidentes, dimidiam ejus partem relinquebant iis, a quibus erant excepti; ut, si opus esset, vel ipsos, vel ipsorum posteros eodem rursus uti hospitio, dimidiata illa prolata tessera, hospitii jus renovaretur.

E

Tesserarum quatuor genera apud Latinos: *Frumentaria*, qua exhibita quisque frumentum pro portione accipiebat a principe: *Numaria*, qua numos: *Militaris*, qua usi milites, unde Tesserarii, qui tesseras per contubernia militum nuntiabant: *Hospitalis*, qua usi hospites. Qui jus hospitii violabant tesseram hospitalem confregisse dicebantur, & renunciare hospitium.

F

Qui jure hospitii non fruebantur, dicti *advenæ*, excipiebantur caupona, taberna, stabulo, diversorio, pandochio, vel in agro, vel in urbibus; commodi aut lucri gratia pro mercede.

Hebræi suos discessuros cum gaudio, canticis, tympanis, & citharis deducere solebant una cum conviviis. Romani vero sacrificiis, cœnis atque etiam votis peregrinos comitabantur. Dicta hæc sacrificia *Propter viam*; a Græcis dicta *Diabateria*, propter transitum alicujus loci difficilem. Hinc vota suscepta pro principibus in expeditionem euntibus, ut sospites incolumesque reverterentur. Convivia etiam facta dicta *Hypodectica*, viatica, & adventoria, *Agapæ* Christianis dictæ.

Non tantum hospitia, sed & *fœdera* quoque contractusque initi, & confirmati sacris ceremoniis, libaminibus, victimis, & symposiis. Hebræi in fœderibus pangendis victimas epulasque adhibebant. Græci similiter victimis atque epulis fœdera contrahebant, hoc pacto: Sacrificium parabatur; 1. quidem pilos ex immolandorum agnorum capitibus abscindebant, illosque distribuebant per præcones seu ministros publicos, inter fœderandos; ut hoc pacto viderentur utrique sacrificio copulari. Symbolum autem hoc erat; omnia mala conversum iri in capita eorum, qui fœdus violassent, cum imprecatione, qua Deos ceu testes & custodes fœderis omnium nomine invocabant, ut fœderis violatores ulciscerentur. Deinde sequebatur agnorum jugulatio, libatio & precatio. Libationes in fœderibus semper factæ mero, ad significandam mentis sinceritatem, & mutuarum dextrarum apprehensione, cum execrationibus, Homero teste. Græci ex Xenophonte cum Cyro fœdus percusserunt, capro, tauro, lupo, ariete super scuto mactatis, in quorum sanguine Græci enses, Barbari hastas tinxerunt, jurejurando interposito, neutram partem alteram prodituram, firmamque belli societatem futuram. Alii quoque populi lanceis aliisque instrumentis bellicis fœdera facere soliti.

Romani mactatione porcæ fœdera panciebant, quæ dicta a feriendo, vel fœde cædendo porcam, quæ immolabatur, lege hunc morem apud Livium *Dec.* 1. *lib.* 1.

A principio in fœderibus pactisque pro verbena myrto utebantur. Fœdera semper ante meridiem, quæ postquam inita cum externis & ultimis nationibus, Romani in templo Capitolini Jovis, columnæ, aut æneis tabulis insculpta, ut perpetua monumenta extarent, in fastos & annales referebant. Lapide fœdus & jusjurandum fieri solitum cum illa precatione: *Si recte & sine dolo malo fœdus atque jusjurandum facio, Dii mihi cuncta fœlicia præstent; si aliter, aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis in propriis legibus, Laribus, templis, sepulcris, solus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidit*: nec locutus plura lapidem manibus dejicit.

Molossi fœdera inituri bovem in multa minuta frusta dissecabant.

Scythæ læsi, si forte ulciscendi facultas non suppetebat, immolato bove, carnes minutim sectas coquebant, læsus in tergore humi strato sedebat, manibus in tergum reductis, id quod maximum apud illos supplicandi genus.

Persæ inter vinum & epulas frequenti convivio uxoribus, & liberis cæterisque quos caros habebant adhibitis, inter sacra mensæ, veluti inter hospitales Deos fœdera, amicitiamque contrahebant.

Nasamones, Thraces, Ægyptii, porrecto vini poculo, seu boum cornu, ac de manu alterius sumpto, & sibi invicem propinato, fœdus pacemque componere solebant.

Indi aquæ potu amicitiam contrahebant.

Medi & Indi feriendo brachia, qua humeris connectuntur, ac mutuum sanguinem delingendo fœdera sanciverunt.

Carmani in epulis percussa faciei vena profluentem cruorem vino miscebant, sibi invicem propinantes. Armenii, Iberi manuum pollicibus conjurantium invicem connexis atque arctissimo nodo perstrictis, levique ictu collecto sanguine

ex puncto, ac deinde gustato, fidem confirmabant: neque vero sanguinem solum bibendo, verum etiam vestibus, armis, atque corporibus aspergendo, fœdera feriebant.

Panis & sal fuerunt duo maxime insignia fœderis & amicitiæ symbola, quorum usu & esu fœdera & amicitiæ contractæ. Unde panes Propositionis symbolum fœderis inter Deum & homines, unde Pythagoræ symbolum, *Panem ne frangito*.

Sal, in sacris & profanis Literis, mutuæ pacis amorisque symbolum: hinc sal in omnibus sacrificiis: unde sal fœderis Dei dictus, & omnis victima sale conspersa, & nulla sacra sine salsa mola, id est, farre tosto sale asperso, quo molito hostia aspergebatur. Quid dicemus de sale etiam in victu humano? Mensa salis appositione sacra, ejus effusio mali ominis, unde Prov. *Salem & caseum edere*. Pythagoræ symbolum, *Salem apponito*. Sed de sale a me pluribus alibi, uti & de tesseris cap. proxime sequenti.

CAP. IX.

Tesserarum primus inventor quis? Earumdem dignitas. Ipsis templum dicatum. Cydonis hospitalitas. Lautia qualia munera? Hospitii contrahendi & tesseræ hospitalitatis faciendæ modus. Tesseræ diversæ afferuntur. Tesserarii quinam dicti? Tesseræ quando militibus datæ? Tessera ludus in quo differat a talo? Scytale Lacedæm. quid? Sortitiones quæ, & cui dicatæ? Sortiendi modi XII. *enumerantur. Dea sortiendi quæ? Calculi judiciarii quales? Judicum calculi quot? Cadiscus quid?*

TESSERA semper symbolum pacis bellique. Symbolum pacis inter hospites, inter pauperes, & divites. Tesserarum primus inventor ex Polydoro Palamedes habetur. Hæ in tanto pretio habitæ, ut templum illis fuerit dicatum, referente Pausania in *Corinth.* Amicitias immortales esse oportet, ideo ambrosia alendas allocutionum, si prope; si procul, nectare litterario; ne verum illud esse censeatur: *Non sunt amici, amici qui degunt procul*; hinc datæ tesseræ conservandis amicis & comparandis, *Ne cuivis dextram temere injicias*, *Ne nulli sis amicus*. Unde prima & potissima tessera hospitalitatis, ad hospites sibi conciliandos, in philotesio cratere, ut amoris philtro: hospitalitatis enim jus semper sacrosanctum omnibus gentibus: & Jupiter Xenius dici voluit, hospitum vindex. Hanc ξενίαν, dextræ apprehensione, primo contrahebant. Cic. *pro Deiotaro*: *Per dextram te istam oro, quam Regi Deiotaro hospes hospiti dedisti*. Huic injectioni dextræ addebant Χαῖρε, *Salve*, quod inde usurpatum in prima epistolarum fronte. Cydonis Corinthii hospitalitas maxime celebris locum dedit proverbio, *Semper aliquis in domo Cydonis*. Hoc primum hospitalitatis præludium. Manu, injecta dextera, domum ducti: inde loti uncti lauto oparoque convivio excipiebantur, dicto hospitali, & adventorio. Conciliabantur hospites Xeniis, seu Proxeniis: hæc quasi levis armaturæ prima velitatio. Apulejus: *Commodum meridie accesserat, & mittit mihi Xeniola, porcum opimum, & quinque gallinulas, & vini cadum jam ætate pretiosi*. Parœciorum, seu Xenoparochorum id munus. *παρὰ τοῦ τοῖς ξένοις τὰ ἐπιτήδεια παρέχειν, quod hospitibus necessaria suppeditarent*. Hi Legatis Romam missis, cæterisque alicujus dignitatis hospitibus salem lignaque præbebant; unde & nomen accepere; primum enim hospitalitatis symbolum sal cum mensa appositum.

A Munera vero tradita, dicta Lautia, per Quæstores Legatis exterarum gentium. Livius *lib.* VIII. belli Punici: *Locus inde, lautiaque Legatis præberi jussa*.

Locus de publico apparatus, dictum Xenodochium, quod Hierosolymis primum extructum ab Hyrcano & Hegesippo. Hæc ferme jura hospitalitatis publicæ.

In Italia, & provinciis, cæterisque nationibus externis, cives Romani necessitudinem hospitii contrahere cum aliquo peregrino solebant, aut privatim, quæ ἰδιοξενία dicta; aut publice, quæ dicta προξενία.

B Hospitalitatis symbolæ contrahendæ hic modus habebatur, nisi me authorum loca fallunt. Cum quis peregre proficiscebatur, e servis aliquot ad eam urbem præmittebat, ubi erat diversaturus, inquirentes, an domini hospites essent paterni, seu aviti; si nulli, publicum diversorium inquirebant; si hoc nullum, magistratum adibant, hospitalitatem postulantes; si excipiebantur, jus hospitii contrahebant, Xenia accipiebant, Apophoreta remittebant, cum legati, vel Dynastæ excipiebantur. Cum vero vulgariter amicitiæ jus inibatur, hospitio mutuo sese recipientibus, per C tesseram peragebatur. De quo more sic scribit Euripidis Scholiastes in *Hippolyto*. Qui hospitio excipiebantur, tesseram incidentes, mediam ejus partem relinquebant iis, a quibus erant excepti, ut, si opus esset, vel ipsos, vel ipsorum posteros, & amicos, eodem rursus uti hospitio, dimidiata illa prolata tessera, hospitii jus, atque necessitudo renovaretur: nam, quemadmodum apud Græcos mutua quædam munera ultro citroque data & accepta hospitalis fœderis, cum paterni & aviti, tum recens contracti erant notæ atque pignora, uti ex illo Diomedis & Glauci exemplo satis apparet: ita quoque Romani tesseram solebant dare hoD spitibus dimidiatam, quam quicunque tulisset ad hominem, continuo agnosci posset, & hospitio accipi, tanquam amicus, & vetus hospes. Tesseræ fiebant ex ligno longiusculo, & utrimque exæquato & complanato. Plautus in *Pœn.* Act. V. Sc. II.

Ego sum ipsus, quem tu quæris,
Jam tesseram confer, si vis, hospitalem.

Et quia hospites in tutela Jovis, ideo religiosissime E hanc tesseram conservabant in Jovis Hospitalis cultum & symbolum. Idem *ibidem* Act. V. Sc. I.

Deum hospitalem ac tesseram mecum fero.

Quod si in contrahenda amicitia tesseræ datæ, & in dirimenda tesseræ renuntiatæ, & plerumque fractæ, cum videlicet hospitii jus violabatur, & renunciabatur amicitia: quod scelus nulla expiandum victima putabatur: si potissimum inimicitiæ indicebantur, vel litterarum testimonio, quod erat testari inimicitias.

Has tesseras imitatæ sunt tesseræ collybisticæ, F quas vulgus *litteras cambii* vocat, eum in usum excogitatæ, ut pecuniæ argentariis traditæ, vel in locis remotissimis, citra ullum vecturæ periculum, recipi possint. Plautus aliud tesseræ genus innuere mihi videtur, quam nos *Taleam* vocamus, seu vulgo Tesseram, dicens, *Suam uterque tesseram habet*; *ratio constat*: in hac tessera numeri incidebantur rerum contrahendarum.

Tesseræ item erant frumentariæ, quibus exhibitis, frumentum pro portione accipiebatur a Præfecto annonæ, sicut ex more nostro usitatum videmus; nam tesseris exhibitis, jam ante receptis si-

gillatim certa menſura farinæ, panis, vinique datur. Suetonius in *Auguſto*: *Ac ne plebs frumentationum cauſa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternorum menſium teſſeras dare deſtinavit*. Juvenalis *ſat.* VII.

Summula ne pateat, qua vilis teſſera venit
Frumenti.

Belli tempore, cum de totius Imperii ſumma agitur, maximus teſſerarum uſus. Teſſera igitur non ſolum communis inter milites, verum etiam belli paciſque ſymbola fuit. Pomponius: *Quintus Mucius ad Carthaginenſes legatus, cum eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli, arbitrio ſibi dato utram vellet deferre, utramque ſuſtulit, & ait; Carthaginenſes petere debere utram vellent.* Teſſera militaris proprie ex Polybio erat tabella, quam ab Imperatore acceptam Tribuni militum ad Centuriones perferebant; Centuriones autem ad Decuriones; & ii denuo ad unumquemque ſuæ decuriæ militem, a quibus rurſus, anteaquam adveſperaſceret, ad Imperatorem redibat, de qua Virg. VII. *Æneid.*

—— it bello teſſera ſignum.

Unde teſſerarii dicti, qui teſſeras ferebant, vel nunciabant per contubernia militum. Sed nunquid alia teſſera in militia? Opinor. Teſſera enim ſignum; & ſignum duplex, mutum, & vocale; ita de teſſera.

Muta teſſera dabatur in tabella, unde nomen teſſeræ manavit; nam teſsera taleola eſt quadrata, ut dictum; hæc muta, facta ſub Imperatoribus vocalis; muta erat tantum lignum cum voce aliqua boni ominis, verbi gratia, *Servator*, *Jupiter*, *Imperator*, *Victor*, & hujuſmodi. Hæ voces demum omiſsæ in teſsera, & datæ tantum ore tenus, ut etiam hodie obſervatur; quæ dicta etiam teſsera vocalis. Hæc data militibus, cum in acie eſsent diſtincta ordinibus, ac prope jam in conflictu, cum hoſtis proximus, vel cum hoſtis inſidiæ timerentur. Teſsera plerumque uſurpata pro militaribus mandatis. Livius *lib.* XXVIII. *Scipio teſſeram veſperi per caſtra dedit, ut ante lucem viri equique curati & pranſi eſſent, armatus eques frænatos teneret equos.*

Hæc vocata teſsera expeditionalis ad iter, & quo copiæ eſsent dirigendæ; de qua teſsera intelligendus ille locus Virgilianus VII. *Æneid.*

—— it bello teſſera ſignum.

Ut notat eruditiſſimus Cerda, a quo hanc facem ego mutuatus, uti, & alibi, alias.

Teſsera præterea erat ſignum aliquod externum, quo ſe milites adornabant, ut ab hoſtibus dignoſcerentur, hæc dicta, *livrea*, *o contraſegno*. Ita apud Herodotum *lib.* VIII. *Tellias Phocenſis gypſo ſuos notavit milites, ne in conflictu trucidarentur inter cæteros internecioni deſtinatos.*

Teſsera aliquando uſurpata pro talis, quibus ludimus: differt autem teſsera a talo; quod teſsera ſit figura omni ex parte quadrata, conſtans ſex lateribus æqualibus, talus autem tantum quatuor, ad ſimilitudinem eorum oſſiculorum, quæ in articulis animalium biſulcorum pedum reperiuntur, unde talaris veſtis, ad talos uſque demiſsa. De talis & teſseris vide Hadrianum Junium *Animadverſ.* lib. II. cap. IV.

Ab his teſseris non multum aberat (inde abeo) Scytale illa tam celebris Lacedæmoniis. Hæc, referente Gellio *lib.* XVII. *cap.* IX. ita deſcribitur: Scytale erat genus ſecretioris epiſtolæ noſtris Principibus paſſim uſurpatum, quo ad res magis arcanas Lacedæmonii utebantur; unde & Scytale Laconica dicta. Id autem erat hujuſmodi. Imperatori ad bellum proficiſcenti Lacedæmonii ſurculum dabant teretem, alterumque omnino ſimilem penes ſe retinebant, lorumque minutim conciſum ad Imperatorem mittebant, qui, loro illo per ſurculum ſuum circumplicato, litteriſque coeuntibus, commode, quod ſcriptum erat, perlegebat. Lege Gellium, Rhodiginum, Nicolaum Loenſem, *lib.* IV. *cap.* XIV. & alios.

Cæſaris ritum ſcribendi occulte Dion *lib.* XL. ita deſcribit: *Conſueverat Cæſar, ſi quid ſecreti per litteras ſignificaret, quartum ſemper elementum in ſcribendo pro eo, quod ſcribi debebat, ſumere, ne obvia litterarum lectio cuivis eſſet.* Idem *lib.* XXI. *Cæſar Auguſt. cum aliquid arcani ſcriberet, proxime ſequentem ſemper litteram pro ea, quæ exarari debebat, ponebat.*

Teſſeris fiebant ſortitiones; omnis ſortitio Mercurio fuit dicata, cui ſuum Ερμαιον ſeu *Hermæum* donabant: ſecundum Suidam, oleæ folium in urnam conjiciebant, primumque educebant, in honorem hujus Dei. In ligno ſortem ſuam teſseramve incidebant.

Sortiendi rationem prælibo ex Hadriano Junio *Animadverſ.* lib. II. cap. V. I. Primum igitur omnium in eo ſtatu Reipubl. qui penes populum eſt, δημοκρατίαν nominant, magiſtratus ſorte eligebantur. II. Deinde judices conſcribi principio de curia ſenatoria. III. Deinceps ſortito in urnam mitti, ut e pluribus neceſsarius confici poſset, conſueviſse, auctor eſt Pædianus, ita ut primo delecti mox ſortirentur. Servius *in* VI. *Æneid.* negat cauſas auditas, niſi per ſortem ordinatas. IV. Inſuper ducendis legatis urna & ſors poſita, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret, ex Ciceronis *Epiſt. Famil.* V. Brabeutæ ſorte ducebant eos, qui curriculo certamina obituri erant, ex Tacito. VI. Luctaturi quoque in Circo ſortiebantur, & ſorte ducta manus conferebant, unde binæ litteræ pares eductæ pares athletas committebant. VII. Apud Homerum Heroes obſignatis ſignaculo cujuſque ſortibus, & in galeam demiſſis, ſortiuntur, quis cum Hectore ſit congreſsurus. VIII. Apud eundem in III. ſortiuntur remos. Miles quoque ſortito excubabat. IX. Alexand. ab Alexandro notat Syracuſanis in uſu fuiſse, ut per litterarum elementa ſorte legerent, qui in concione ſententiam ſuam exponeret. X. Tacitus lib. XIII. *Ann.* refert, Præfectos, penes quos publicarum tabularum cura, ſorte duci ſolere e Prætorum numero. XI. Ariſtophanes refert, Ægyptios ſortito partitos, quos quiſque agros coleret.

Sortitio in conviviis, in Sympoſiarcha eligendo, notiſſima eſt, qui convivales leges præfigeret. Tenira erat Dea ſortiendi a tenendo dicta. Sortes capitales in foliis ſcriptas alibi doceo, teſtulis vero in oſtraciſmo, quæ ſi ſex millium numerum explebant, reus vertere ſolum cogebatur, tanquam Reipub. gravis, & nimia virtute odioſus.

Calculi judiciarii erant conchulæ marinæ, ex Polluce *lib.* VIII. Poſtea fabricatæ fuerunt æreæ ad illarum formulam, ex Ariſtophanis Interprete.

Judicum calculi duo, ut ex Ulpiani *Annotat. in Demoſt.* conſtat; quidam pertuſi, perforative, & nigri, qui condemnabant; qui abſolvebant, albi & integri. Cadiſcus erat ſitella, in quam conjiciebantur ſortes, ſeu calculi. Hæc duplex, prior mortis, poſterior miſericordiæ nuncupata, ex Ariſtoph. Scholiaſte in *Veſpis*. Vide Junium *lib.* III. *cap.* V.

Cap. X.

Pecuniæ in populum sparsæ quando? Quousque mos ille perduravit? Congiarium quando datum? Ejusdem origo. Donativum & strena qui discrepent? Hujus initium. Ἐπινομὶς qualis strena? Decermen quid? Ὑγίεια quale libum? Precationes convivales ac hymni plurimi.

Servus ille nequam, qui domini rationes perturbat, aut non paria in tempore facit, cum potest, qui non est solvendo excusatur. Ego jam diu expunctus, & ære dirutus, quia res meæ ad medium Janum fractæ. Ideo si tibi de meo non solvo, excusatione sum dignus. De alieno tamen meam fidem exsolvam bona fide mutuato, ne tibi nequissimus, aut iniquissimus videar, de eruditionibus eruendis ex probatis scriptoribus. Apud quos solemne fuisse comperio, ut qui ad dignitatem aliquam eveherentur in lætitiæ signum pecuniam spargerent in populum; qui mos ad nostra usque tempora devolutus haud insolevit, quod in urbe congiarium, in castris donativum, ni fallor, dicebatur. Et potissimum in Consulatu, qui mos ad M rianum usque perduravit. Audi Marcellinum in *Chronico* dicentem: *Marcianus Augustus suis statuit decretis, ut qui Consules fieri cupiebant, nihil æris in populum spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandum urbis aquæductum impenderent.*

Congiarium itaque in principum & majorum magistratuum inauguratione datum. Suetonius de Augusto: *Congiarium frequenter dedit diversa ferme summa.* Hujus congiarii originem Liv. *lib.* v. *dec.* III. innuit: *Largitio hæc fuit congii olei in vicos singulos dati.* Unde etymon congiarii: & *lib.* VII. *dec.* IV. *In hunc maxime*, (de M. Acilio Glabrione loquitur) *quod multa congiaria habuerat, hic nempe pecuniam erogaverat.* Donativum ergo militibus in castris dilargitum, non erat stipendium debitum, sed ex liberalitate promanans, vel ob victoriam, vel adoptionem in familiam Cæsarum. Hanc distinctionem probant ex Capitolini verbis: *Congiarium*, inquit, *populo dedit, militibus donativum.* Ex Marcellino vero elicio, taxatam pecuniæ summam congiarii in Consulatu ineundo, quam hactenus ex Antiquariis exsculpere non potui, quia ea fortasse variata pro varietate temporum, & liberalitate donantium.

Strena non valde absimilis donativo; de qua etsi a me alibi, hic tamen insuper addo quæ in Athenæi *lib.* III. lego. Ab Ulpiano strena vocata ἐπινομὶς, id est, non quæcunque strena, sed ea quæ Imperatori de more non dabatur anni novi initio. Hæc sane elegantissime dicta ἐπινομὶς, quippe data ultra legitimum canonem & onera necessaria, quod pulchre illa voce exprimitur Græca. Strenæ nomen & morem Athenæus ab antiqua traditione ductum esse veterum Romanorum asserit, Symmacho subscribente *lib.* x. Ab exortu pene Urbis Martiæ strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni novi auspices primus accepit. Nomen indicio est, viris strenuis hæc convenire ob virtutem, atque ideo vobis, D. D. Imperatores, hujusmodi insigne deberi, quorum divinus animus magis testimonium vigilantiæ, quam omen expectat. Strenis datis muneris salutisque nomine, corollarium addo. Mantissa esto ex alieno penu, ut Hygieiæ faciamus subinde: de qua etsi a me alibi, hæc insuper addo mihi occurrentia de consuetudine Veterum non illaudabili & nobis commendata, ut qui Deorum templa adirent, domum inde aliquid

A referrent, Bonæ Scevæ gratia, nempe, vel libi frustulum, vel unguenti aliquid, vel denique frondem virentem, conducere illud, quicquid esset, opinantes, quod e loco sacro abstulissent; & hic publicus fuit error populorum Græciæ, qui in hisce religiosi nimis. Propterea frustulo illi *Decermini* nomen indiderunt, ὑγίεια, *sanitas*.

De hac Hygieia Athenæus *lib.* III. *cap.* XXIX. *Sanitas appellant Maza, quæ in sacrificiis datur, ut degustetur.* Liberum tamen erat, libum istud, vel ibi statim absumere, vel diutius apud se servare religionis gratia. Etiam in sacris Populi Romani *sanitas* aliquando dabatur præmii loco. Is ritus
B non longe diversus a nostris sacris, e templis enim domum, vel ramos benedictos arborum, aut paniculos, & hujusmodi, deferimus, quæ jure dicenda Decermina, ad morbos, tempestates, aut cacodæmonas averruncandos. Quæ omnia sibi mutuo bene precantes ominabantur fausta: & primo in Conviviis mos vetus, referente Athenæo *lib.* IV. *c.* XIII. acclamandi Εὐ δειπνήσειας, *Prosit cœna*, nos quoque precamur *Prosit*, quod estur, aut bibitur. Formula hæc non absimilis illi εὐφημία, convivalis Græcis & Latinis usurpata, & hæc ζήσειας, cujus meminit Dio in *Commodo*. Demum
C bene precandi vox illa communis, Ἀγαθῇ Τύχῃ, *Bene vertat*, nos, *Felix*, *faustum*, *fortunatumque fiet*.

Rhapsodi, id est, carminum recitatores & interpretes, præfabantur, *Adsint Dii beati*.

Citharœdi, *Dexter Apollo adsit*. Testamentum conditurі, *Hoc bene sit*.

Romani dicturi in concione, Ut *felix*, *faustum sit Reip.* quod sint dicturi. Manutius in Adagio, *Adsint Dii beati*.

Bene precantes hymnos canebant, qui continent laudes Deorum, de quibus hæc ex Græco gazophylacio refertissimo excerpta.

D *Alalage*, *Alalagmus*, hymnus victorialis, & clamor lætus militaris. *Alala*.

Aliolothios, cantus servorum molentium.

Apeuctici, hymni malum deprecantes.

Euctici, quibus aliquid boni precamur.

Apopemptici, hymni Dei cujusquam peregrinationem continentes.

Assamenta, hymni, quæ separatim in aliquem Deorum canuntur, in quibus gesta & virtutes ejus Dei celebrantur. *Averruncale*, nocentium seu lævorum numinum.

Calatorium, carmen auxiliarium & faventium Deorum, Scaliger.

E *Castorium*, melos Laconicum, quo ii usi in præliis, ut fortiter pugnarent, & occumberent.

Catacboreusis, cantus, quo in Pythiis ludis repræsentabatur Apollo ovans.

Catapleon, modulationis genus, ad quam saltabant arma concutientes.

Celeusma, cantilena nautarum.

Damomata, carmina publice cantari solita.

Dorion, cantilena ad virtutem excitans.

Dithyrambus, hymnus in honorem Bacchi.

Epicedium, carmen funebre nondum sepulto cadavere.

Epithalamium, Gamelion, carmen nuptiale.

F *Epilenium*, cantio, quæ canebatur inter premendas uvas Libero.

Epinicium, carmen victoriale, post victoriam cantatum.

Epodium, Ephymnion, quod hymno seu odæ accinitur.

Erotici, amatorii hymni Veneri cantati.

Hialemos, carmen Apollini cantatum.

Hypingi, hymni Dianæ cantati: Juli, Cereri. Upingi.

A *Hypœpus*, carmen Dianæ, *Lityerſis* Rheæ, *Dithyrambus* Bacchi.

Hymni, laudes Deorum concinentes, natales eorum & geſta continentes.

Hyporchemata, catilenæ cum ſaltu.

Jalemus, carmen lugubre, threni, threnodiæ.

Imadus, carmen ſæculare.

Imæum, carmen, quod concinebant aquarum hauſtores.

Indigitamenta, carmina, in quibus Deorum cognomina varia.

Ithymbi, carmina & ſaltationes ridiculæ in honorem Liberi Patris.

Ithyphallicum, carmen obſcœnum in honorem Bacchi.

B *Juli*, ſive *Uli*, cantilenæ in honorem Cereris, ſive lanas tractantium, Rh.

Linus, cantilena paſtorum.

Maiuma, cantio puerorum & puellarum menſis Maii.

Pæan, hymnus in honorem Apollinis pro peſte ſedanda. *Epilœmia*, jam ea ſedata.

Phallicum, carmen extemporaneum in honorem Bacchi.

Propempticum, carmen pro itinere incolumi alicujus.

Proſeucha, precatio ad Deum.

Proſodia, cantilena interdiu cantata.

Protelii, euchæ, orationes & preces factæ ante ſacroſanctum convivium, aut aliam rem ſacram ad quam accingimur. Sponſi quoque & ſponſæ ita ſe puros reddebant.

Scolia, carmina convivalia, non a quovis, ſed a doctis cantata.

Staſimon, cantus chori ſtantis.

Teletæ, continent invocationes Deorum, quibus utebantur in myſteriis, Scaliger.

Teneblon, cantilena, quæ in laudem victoris decantatur, Heſychius.

F I N I S.



JACOBI SPONII

MED. DOCT. COLLEGIO MEDICORUM LUGDUNENSIUM AGGREGATI,

DE

ORIGINE STRENARUM

DISSERTATIO EPISTOLICA, HISTORICO-MORALIS.

JACOBI SPONII
MED. DOCT. COLLEGIO MEDICORUM LUGDUNENSIUM AGGREGATI,
DE
ORIGINE STRENARUM
DISSERTATIO EPISTOLICA, HISTORICO-MORALIS.
AD CLARISSIMUM VIRUM
STOFFEL, CONSILIARIUM SERENISS. PRINCIPIS FREDERICI AUGUSTI DUCIS WIRTEMBERGICI, EJUSDEMQUE MEDICUM ORDINARIUM.



A ODIE celebratur his in regionibus magis, quam in ulla alia, Strenarum feſtivitas; gratum ergo tibi ſit me ex iis aliquid ad te mittere, ut tibi teſtatum faciam quanti te tuaſque virtutes æſtimem, aut ut ingenue dicam quod ſentio, iſta Diſſertatiuncula, quam tibi inſcribo, eſt mihi potius pro excuſatione, quod nullas quas tibi offeram ſtrenas habeam, quia hanc conſuetudinem ut ſuperſtitioſam exiſtimo, & ſi tibi oſtendere vellem in quanta æſtimatione apud me es, ſive B teſtando tibi mea obſequia & officia, ſive aliquo grandi munere te afficiendo, aliud tempus quam iſtud potius eligerem, ne in culpam, quam in aliis reprehendo, incidam. Non dubito, Vir celeberrime, quin plurimi hunc morem indifferentem habeant, ſed illis reponere mihi quoque licebit, non paucos ritus apud nos inſtitutos eſſe, quos tanquam adiaphoros intuemur, & qui tamen in ſua origine a ſuperſtitione ac errore revera prodierunt: teſtimonio ſit illa apud nos conſuetudo optandi ſternutantibus, *ut Deus illos ſervet iiſque adſit*, quæ inde derivata eſt, quod veteres Ethnici putaverint ſternutamentum eſſe morbum quemdam, aut ſaltem C ſignum non ſatis firmæ valetudinis, & ob id ſoliti erant dicere, quando aliquem ſternutantem audiebant, *Jupiter te ſervet*, ut videre eſt apud Xenophontem lib. III. *de Expeditione Cyri.* Imo quidam alii adeo ſtulti erant, ut crederent ſternutamentum eſſe aliquid divinum, quodque dignum eſſet ut a nobis coleretur, & genua ſubmittebant, quotieſcumque aliquem ſternutantem audiebant. Interim etſi nunc perſuaſiſſimi ſimus nihil hac in re ſupernaturale ineſſe, & indicium potius ſanitatis quam morbi eſſe, nihilo ſecius illorum morem conſuetum amplexi ſumus, eorumdem ſententia repudiata: & D hoc quidem obtinet per totam Europam, Anglia excepta, quæ, cum haud diu imperio Romanorum ſubjecta fuerit, ipſorum etiam erroribus non infecta fuit, ſicut Galli, qui intra decem annos a Julio Cæſare edomiti fuerunt, & qui Chriſtiani facti arbitrati ſunt ſe eſſe ſatis immunes ab eorum ſuperſtitione, ſubrogando veri Dei nomen illi Jovis fictitii.

Idem dicendum, Vir illuſtriſſime, de noſtro ritu Kalendis Januariis uſurpari ſolito. Nobis invicem felicem annum optamus, mutua vota pro incolumitate ac ſanitate facimus, & munera in ſignum amicitiæ itidem miſſitamus, nullo alio fundamento nixi quam ſuperſtitione, cui adverſari non audemus, & quæ tam arcte animos noſtros occupavit, ut illam pro Tyranno habeamus, cui imperium detrectare periculoſum foret, ipſique tributum annuum denegare, quod turpiter conceſſimus per aſſenſus ſæpius repetitos, eoſque obſoletos. Sed ſi attendere velimus quomodo ille mos apud nos irrepſerit, reperiemus fere æque vetuſtum ac Roma ipſa, eamque ſuperſtitionem non minus antiquam religione illarum regionum, rudem prius a Romulo inductam, a Numa ſtabilitam, & ſancitam armis victricibus illius Reipublicæ, quæ progreſſu temporis longe eam protulit in toto ſuo Imperio æque amplo ac ipſe orbis terrarum; & apud ipſos moris erat, quamprimum aliquam regionem in poteſtatem ſuam redegerant, linguam ac religionem ſuam in eam introducere. Symmachus Auctor antiquus ex Hiſtoria Romana hunc morem nos primus docuit, dicens uſum Strenarum inductum fuiſſe ſub rege Tatio Sabino in regni ſocietatem a Romulo adſcito, qui in fauſtum omen novi anni verbenam ex luco Streniæ Deæ primus petiit: ſive putarent aliquid divini ineſſe verbenæ, quemadmodum apud nos Druidæ, qui viſcum quercus adeo venerabantur, ut falce aurea illud Kalendis decerperent: aut potius ex nomine iſtius Deæ Streniæ, in cujus nemore ſacro verbenam carpebant, alluderent ad vocem *Strenuus*, qui fortem ac generoſum ſignificat: imo vocabulum *Strena*, quo munus denotatur, aliquando apud Veteres *Strenua* ſcriptum invenimus: ad ſignandum, ut addit idem Auctor, illud donum hominibus fortitudine ac virtute præditis proprie deſtinari, & *illis*, quorum mens omnino divina plura ex vigilantia quam ex inſtinctu cujuſdam felicis augurii pollicebatur.

Poſtea munuſcula ex ficubus, palmulis, & melle mitti cœptum eſt, quaſi per illa precarentur amicis, ut omnia per reliquum annum fauſte proſpereque evenirent.

Dein Romani, derelictis priſcis ac ſimplicibus inſtitutis, eorumque Diis ligneis in aureos & argenteos commutatis, in muneribus diſtribuendis ſplendidiores eſſe cœperunt, eademque plurium generum ac præſtantiora ſibi invicem hac die miſſitare,

tare,

tare, præcipue vero nummos signatos & numismata argentea, judicantes se prioribus temporibus admodum rudes fuisse, quod mel argento dulcius crediderint; prout Ovidius lib. 1. *Fastorum* lepide introducit Janum sic loquentem:

Dulcia cur dentur video: stipis adjice caussam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.
Risit, & , O quam te fallunt tua sæcula, dixit,
Qui stipe mel sumpta dulcius esse putas.
Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi,
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet,
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis;
Dum populus pauper, dum Roma nova fuit.

Post munera data, sibi invicem precabantur omnia fausta & prospera in reliquum annum, sibique mutuum amorem testabantur. Quemadmodum autem æquam potestatem in Religione ac in Republica sibi vendicabant, leges ad eamdem Religionem pertinentes statim condiderunt: hancque festivitatem in diem festum mutarunt, & consecrarunt potissimum Deo Jano, quem bifrontem repræsentabant, ab anteriore scilicet parte & a posteriore, quasi respiceret annum superiorem & insequentem. In hoc die sacrificia ei fiebant, populusque ad montem Tarpejum, ubi quamdam aram habebat ille Deus, frequens ititabant, vestibus novis omnes induti: hinc morem affectatum sumendi nova vestimenta Kalendis non esse recenter inductum observare possumus.

Nihilominus, quamvis esset festum, & quidem solemne, quippe etiam Junoni dicatum, cujus sub tutela omnes Kalendæ erant, & quod etiam hoc die dedicatio templorum Jovis & Æsculapii, quæ in insula Tiberina erant, celebraretur; his omnibus, inquam, rationibus neglectis, plebs non erat otiosa, sed econtra unusquisque in arte sua opus aliquod facere incipiebat, ne per residuum anni inertes essent: quod etiam apud nos permansit, cum multi sint qui hoc die maturius surgant, quo in reliquum anni diligentiores evadant: nulla autem vis præcipua in istis omnibus ceremoniis observandis videtur esse.

Tandem Strenarum usus paulatim sub Imperatoribus adeo invaluit, ut populus universus ad Imperatorem accederent faustum annum precaturi, ac singuli pro viribus munera argentea ei adferebant: tanquam indicium honoris & venerationis, quam summatibus deferebant, rati; cum in præsenti consuetudo inversa sit, potiusque summi infimis, parentes liberis, & heri famulis strenas largiantur.

Augustus easdem tam multas accipiebat, ut simulacra aurea argenteaque ex iis emere ac dedicare solitus esset; adeo generosus, ut subditorum suorum munuscula in suos privatos usus transferre nollet.

Tiberius ejus successor, ipsoque tristior, quique frequentes hominum congressus fugiebat, de industria Kalendis se subtrahebat a turba, ad incommoda salutationum populi vitanda, qui frequens accurrisset, optaturus ei faustum prosperumque annum, nec probabat Augustum accepisse dona, quia hoc molestum erat, & sumptus erant faciendi ad gratum animum aliis muneribus populo ostendendum. Imo vero his ceremoniis per sex aut septem primos anni dies ita detinebantur, ut ille Imperator edictum conscribere coactus fuerit, quo strenæ Kalendis elapsis vetabantur.

Caligula, qui proxime post Tiberium Imperio potitus est, & in quo avaritia æque ac alia vitia conspicua erant, decreto sancito populo declaravit se accepturum Kalendis Januariis strenas ab ipsius antecessore rejectas; & ob hanc causam per totum diem in regiæ suæ atrio permansit, ubi omnem pecuniam cæteraque munera a frequenti populo ipsi oblata plena manu recipiebat.

Claudius, qui post hunc Imperium tenuit, rescidit quod sancire in animo habuerat, & legem tulit, ne sibi offerrentur strenæ, sicut factum sub Augusto & Caligula.

Ab illo tempore populus hunc morem adhuc retinuit, ut Herodianus annotat, regnante Commodo, & Trebellius Pollio meminit quoque in *Vita Claudii Gothici*, qui etiam ad dignitatem Imperatoriam pervenit.

Super hac re inquirere possemus, cur Kalendis potius quam aliis diebus munera sibi invicem largiri votaque mutua facere consueverant; & hoc est quod Ovidius Janum rogat, quem sic graviter respondentem inducit lib. 1. *Fastorum*:

Omnia principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures,
Et primum visam consulit augur avem.

Et quidem Romani aliquid divini principiis inesse putabant. Caput censebatur aliquid divinum, quia, ut ita dicam, quasi corporis initium est. Auguriis, sacrificiis, ac votis publicis bella apparabant; ac Kalendæ singulæ Junoni consecrabantur, & tanquam dies festus celebrabantur. Ratio autem, cur hoc die Jano sacra facerent eumque placarent, est, quod, cum Deorum janitor esset, hoc pacto facilem aditum ad alios sibi fore in reliquum annum confiderent, si in anni principio Janum amicum sibi conciliarent; cum autem anni initio præesset, sperabant benevolentiam ipsius Dei erga seipsos suosque amicos acquisituros esse, si in suas partes traherent. Farina & vinum ei offerebantur; quod proculdubio occasionem præbuit multis genio indulgendi ac comessandi per hunc diem.

Cum igitur hoc unico argumento & quidem futili ac parum firmo mos, qui apud nos viget, nixus sit, nulla bona firmaque ratione uti possemus ad retinendam superstitionem Gentilium, cujus aliquod fundamentum & auctoritatem in Sacra Scriptura vel sanctorum Patrum libris invenire non valemus. Ex omnibus Epistolis, quas Apostoli ad Ecclesias suas miserunt, aliquam anno ineunte conscriptam fuisse valde verisimile sit, tamen hujuscemodi votorum vestigia nullibi apparent, siquidem Ethnicorum superstitiones evertere potius quam pravis exemplis firmare in animo habebant. Minimos ac levissimos Judæorum superstitiosos ritus damnabant, potiori ratione Gentilium; ipsisque nihil antiquius fuit quam nobis persuadere, quidquid fit sine fide, peccatum esse; & propter id ipsum non video quomodo istum morem, nullius prorsus utilitatis, nulloque alio fundamento quam Paganica superstitione superstructum, eximere possimus. Si verborum inutilium rationem Deo reddituri sumus, nonne timendum, ut omnia, quæ hoc die dicimus & agimus officiose, tanquam vana desidiæque effectus nobis imputentur.

Forsitan mihi dices, quamvis hæc omnia apud Gentiles usu recepta fuerint, non fiebant tamen Religione suadente: sed certissimum est eosdem nulla alia ratione impulsos hoc agere; initiis aliquid divini inesse putabant, illa peragebant ut Deum Janum colerent, omnia fausta ac prospera sibi invicem precabantur, rati Deos exauditures ipsorum vota, quia anno ineunte preces ad eum fundebant, munera largiebantur boni ominis causa, tandemque omnia in affectus pios, quos illius diei, quam prætexunt, sanctitas suggerebat, desinebant: teste

Festo, auctore antiquo & Gentilium religionem profitente, ac dicente li.x. *Strena est munusculum, quod in die sacro datur felicis ominis causa.*

Fateor quidem hæc a nobis non religionis ergo, sed officiosæ humanitatis testandæ gratia tantum peragi: attamen extra culpam non sumus, cumque iste ritus a superstitione originem ducat, non possumus quin usum improbemus, & si meliora edocti quam veteres Christiani, qui hujusmodi ritum usurparunt, nonne etiam moribus melioribus ac modestioribus deberemus esse? Satisne præsidii auctoritatisque ad quamdam consuetudinem servandam nobis est, propterea quod majores nostri eam receperunt? Nonne potius inquirere tenemur, an ipsi jus haberent agendi ea, in quibus maxime vellent nos eorum exempla sequi? Primitivæ Ecclesiæ Christiani adeo religiosi erant, ut prius mortem obiissent, quam micam thuris in ignem injicerent, aut coronam lauream gestarent, eo quod Idololatræ talia facerent. Immane quantum illis remissiores sumus!

Quam pessime salutationes ac studia sollicita hoc die consumimus? Quid tunc temporis initium sumit? num tempestates? nullo modo; hyems enim tantum pergit. Fiuntne conversiones ac commutationes in cœlo, aere, aut terra? Cælum eodem plane modo circumvolvitur, sol itidem eumdem cursum conficit, omniaque pergunt sicut antea. Ægyptii annum effingebant ad modum serpentis caudam sibi mordentis, ut ita denotarent annum nihil aliud esse quam temporis orbem euntem ac redeuntem.

An, quia Astrologi, nequidem inter se convenientes, hoc die annum renovarunt modumque tempora numerandi immutarunt, verendum ut voluntas animusque amicorum nostrorum mutetur? nihil novi tunc temporis in eorum cordibus accidit, ut nec in operibus naturæ; eorum vero, qui minime propensi aut malevoli in nos sunt, voluntatem ac studium immutare non valet annus vertens, nobisque denuo conciliare illorum amorem; etsi verborum officiosorum immoderatione videantur in nos benevolentiam non simulatam demonstrare velle: sed quam fallacia sunt illa amoris signa! quandoquidem erga omnes idem fit, eademque singulis hac die dicimus, si non iisdem verbis, saltem sensu eodem. Munuscula non ingrata ac dulcia sunt, quæ Ethnici missitare consueverant, ex ficubus & melle, quæque ingrata & amara fiunt in stomachis infirmis, faciliusque corrumpuntur quam alii cibi valde crassi & graves. Tam frequenter in ore versantur ac frustra proferuntur voces *benevolentiæ*, *servi*, *officii*, *venerationis*, ac *observantiæ*, ut, si affectum quemdam vehementissimum exprimere vellemus, alia verba huic rei necessaria reperire nequiremus.

Tandem si amicitiæ fovendæ causa necessum judicemus alii alios identidem invisere, eamdemque amicitiam mutuo testandi occasionem, quando se dederit, non prætermittere, nonne sunt plurima alia tempora ac loca opportuna nos ipsos invisendi? sponsaliorum dies, partus, morbi ac mors familiarium, reditus ex itinere, migrationes, innumeræque aliæ occasiones, quas aperimus, plus satis nobis sunt, ut etiam singulis annis redeuntibus ad nostram benevolentiam denuo significandam curiosius exquirere debeamus. Agendi ratio in officiis nimia nos abripit, eique magis quam vero solidoque bono studemus; nec dubito quin valde difficile, imo fere impossibile sit, nos ab illa consuetudine abstrahere: & ad istam abrogandam edicto Magistratuum opus esset, quemadmodum Ti-A berius Imperator hujusmodi componere coactus fuit ad pravum usum circa illam consuetudinem admissum emendandum. Incolæ veteres insulæ Cretæ, quando volebant alicui male precari, optabant ei, ut Dii vitioso cuidam mori illum implicarent, agnoscentes quam difficile sit ab isto se liberare: & Platoni objurganti puerum quemdam nucibus ludentem, Reprehendis me in parva re, ait puer ille: Consuetudo, respondit Plato, non parva res est. Et quidem Philosophi asserunt consuetudinem quasi alteram naturam effici, & ut canit Horatius *lib. 1. epigr. x.*

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Imo non facile factu est quod ait Comicus quidam:

Assuescimus ne? desuescamus.

B Quid de me dicetur, regeret aliquis, si cognatos meos hujusmodi humanitate non comprehendam, cum his me simultates gerere aut illos despicere credent. Modum agendi ab aliis diversum affectare nolo, & omnino faciendum est ut cæteri. Agite igitur quidquid voluerit, actionum vestrarum æstimatorem ac judicem esse non contendo: solummodo vellem, si eas carpere jus mihi esset, ut non efficeremus officia ejusmodi prorsus necessaria, nec anxie consectaremur agendi rationem vulgi, quæ ut plurimum nullum aliud jus habet, quam quod afferunt, nempe hoc factum fuisse post hominum memoriam, ac consuetudinem ipsis præsidium esse.

C Cum autem persuasum habeam utile quandoque esse ex turba se expedire, ne obruamur, existimavi meam mentem super hanc materiam aperire optimo jure posse, quandoquidem sententiam mutare nemo cogatur, nisi veritas eum convincat, vel etiam incommoda, quæ ex mutuis, seu potius vanis, salutationibus accipit, non inducant ipsum ad illas improbandas. Satis est ostendisse omnia hujusmodi officia, quæ pro more tantum adhibentur, non magnam utilitatem afferre societati hominum civili, ut & superstitionem qua nituntur, æque ac Strenæ; & vox sola superstitionis a tali ritu nos abducere debet, cum honestum & æquum sit funditus illum tollere ac penitus delere. D Cæsar non solum, ut ejus uxor non foret impura ac impudica, sed etiam ut nulla suspicio tanti criminis in ea esset, volebat: eodem modo (si sacra profanis componere licet) Ecclesia Sponsa Jesu Christi non tantum anniti debet, ut hujusmodi vitio non contaminetur, imo, ne tenuissima hujus suspicio injiciatur, caveat.

Hæc sunt, Vir præclarissime, quæ pro otio & ob incommodam valetudinem ad te scribenda habui. Doctoris Parisiensis, qui superioribus annis conscripsit Tractatum de Ethnicitate festi, *Rex bibit*, aut *Regum fabæ*, institutum in hoc argumento consequutus sum; nescio quomodo rem aggrediatur, cum nondum copia mihi data fuerit hunc librum videre; sed mihi satis est in his omni-E bus, quæ in medium adduxi, tuum judicium subire; cumque noverim te in Historia & Antiquitate perspicacissimum, gloriabor semper cogitata tua meis normam fore; & significaturum non solum in hac occasione, sed in cæteris omnibus, quæ dabuntur, me cum summa reverentia

Vir illustrissime,

Tuum servum humillimum atque obsequentissimum.

Lugduni, Kalendis
Januariis MDCLXXIV.

F I N I S.

JAC. PHILIPPI TOMASINI

DE

TESSERIS HOSPITALITATIS

LIBER SINGULARIS,

IN QUO JUS HOSPITII UNIVERSUM, APUD VETERES POTISSIMUM, EXPENDITUR.

ACCEDUNT QUÆDAM EX ANT. AUGVSTINO ET JOH. CHIFLETIO AD MAJOREM ILLUSTRATIONEM HINC INDE INSERTA.

INNOCENTIO
DECIMO
SUMMO PONTIFICI.

BEATISSIME PATER.



QUOD laudatæ memoriæ URBANO OCTAVO Summo Pontifice ad superos translato mortalibus orbi Christiano tranquillitatem anhelantibus ratum fuerit commune votum, supremi Numinis providentia tuo in primis debetur genio, qui par tanto molimini Ecclesiæ moderator, rerumque divinarum ac humanarum arbiter emines. Ea namque pietate, prudentia, & moderatione animi jura gentium tueris, ut securis inter se commerciis hospitalitatem prisca nihilo inferiorem exerceant. Armorum nempe fortuna Roma orbis domina urbiumque regina barbaris olim metuenda, nunc togæ gloria quosvis non solum ad religionis cultum, sed ad contemplanda primæ majestatis veterisque disciplinæ vestigia invitat. Utramque loquuntur æra, testantur saxa longis ad nos sæculis transmissa: quæ a tua clementia sibi paternitatem sperant. Sed potissimum quæ liberalis a gravioribus curis diverticuli Te benignissime annuente explicandis hisce monumentis ingenii mei tenuitati argumenta selegi, summæ autoritatis tuæ sibi tutelam pollicentur. Quam DEUS Opt. Max. humani generis saluti diuturnam præstet, intimis precibus exoro. Æmoniæ Kal. Junii MDCXLVII.

Humillimus CHRISTI Servus
Tuæque SANCTITATI
Deditissimus

Jac. Philippus Episcopus
Æmoniæ.

LECTORI BENEVOLO S.

T*Am tua privatim interest, nosse quid emas, quam mea & publice omnium sciri quid vendam. Quare ut omnibus ex æquo satisfiat, sic habeto. Tomasinum* de Tesseris hospitalitatis *vides. Hunc authorem ea assiduitate & cura prosecuti sumus, ut pagina nulla compareat, quæ medicam manum ter quaterve experta non sit. Ac lacunas quidem numero plures, & momenti gravioris, adhibita diligenti codicum collatione, qua fieri fide debuit, explevimus; restitutis quæ vel perperam allegata, vel contra authoris mentem omissa turpiter erant. Quin illa etiam ipsa, quæ Tomasinus subjicienda operi censuerat, ut uno tibi eodemque filo labor & lectio curreret, suis singula locis subjecimus; adjectis superpondii loco ex Ant. Augustini operibus gladiatorum, aliisque tesseris, exhibitaque panis gradilis vel congiarii artificiosa descriptione. Ac ne quid esset, quod tua studia moraretur, ipsam etiam ex Chifletio contractæ hospitalitatis indicem tesseram apponere visum est.*

PRO IMPRESSIONE.

ERUDITISSIMUM hoc opus *De Tesseris Hospitalitatis*, elaboratum ab Illustrissimo Jacobo Tomasino, meritissimo Æmoniensi Episcopo, summa cum animi voluptate perlegi: nec quicquam in eo reperi, quod ipsum a publica luce possit arcere; quin vero dignum censeo, quod in cujusvis animo atque oculis hospitetur.

Ego Joannes Cottunius in Gymnasio Patavino
Primarius Philosophiæ Interpres.

NOS F. Julius Missinus Urbevetanus Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium, Artium & Sacræ Theologiæ Doctor in Civitatibus, & Diœcesibus Aquilejæ & Concordiæ Inquisitor Generalis a Sancta Sede Apostolica contra Hæreticam pravitatem specialiter delegatus, libenter annuimus ut typis demandetur Liber inscriptus *De Tesseris Hospitalitatis*, ab Illustrissimo & Reverendissimo D. Jacobo Tomasino Æmoniensi Episcopo elaboratus, cum nihil in eo repertum sit vel contra Fidem, vel contra bonos mores. In quorum fidem, &c.

Datum in Civitate Utinensi apud Ædes Sanctissimæ Inquisitionis, infra septa Monasterii S. Francisci interioris, hac die XVII. Septembris MDCXLVII.

Ita est F. Julius Missinus Inquisitor, qui supra manu propria.

[*Piero Sagredo Procurator, Reformator.*
[*Zuanne Grimani Cavalier, Reformator.*
[*Bertucci Valier Cavalier, Reformator.*

Alvise Querini Secretario

INDEX
CAPITUM.

SYLLABUS

INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM,

E QUIBUS NONDUM VULGATÆ ASTERISCO SIGNANTUR.

JAC. PHILIPPI TOMASINI DE TESSERIS HOSPITALITATIS

LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

OPERIS OCCASIO.



PUBLICATO *de Tabellis Votivis* libro, quem Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino, Magni Patrui URBANI VIII. Nepoti nuncupaveram, nihil æque in votis erat, quam ut urbem Romam, Literatorum Emporium, perlustrarem, ac Eminentissimo Principi me coram dicarem, aliosque patronos & amicos, diu literarum commercio notos, conspicerem. Annus supra millesimum sexcentesimum trigesimus octavus vertebatur, cum desideriis nostris fortuna amplissime responderet. Romam enim Societatis meæ nomine ablegatus, cum summam ibidem hospitalitatem, tum Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini, tum amicorum experirer, serio mecum cogitare cœpi, hanc urbem veræ virtutis domicilium & communem patriam, nec ullo Priscos loco evidentiora suæ majestatis vestigia reliquisse: quæ licet ruderibus non raro occultata, clara tamen sæpius eorum monumenta ad satietatem ferme in oculos veniunt. Inter hæc antiquissima in ædibus *Gothofredorum* Tabella ænea, eruditis non indigna, cujus gratia hic labor præcipue mihi susceptus liberalis hospitii monumentum erit. Nullo sane loco magis culta olim Hospitalitas quam Romæ; nec hodie usquam frequentiores advenæ benignius excipiuntur, in Dynastarum palatia admittuntur, religiosæ profectionis majorem unquam fructum aut jucunditatem percipiunt: imo exteri, in civium numerum adscripti, communi cæli benignitate summum non raro honoris apicem attingunt.

CAP. II.

Tabulæ quædam Hospitales e Veterum monumentis depromptæ.

ROMAE in cœnaculo Nobilis Viri Francisci Gothofredi Romani Tabella ænea, unum pedem alta, & uncias VI. lata ped. I. & unc II. cum dimidia, literis majusculis eleganter incisis adhuc integra conspicitur; quam diligenter delineatam transmisit mihi nobilissimus & egregius omnis hospitalitatis cultor Joannes Baptista Casalius:

A L. ARRVNTIO. STELLA COS
L. IVLIO. MARINO
XIIII. K. NOV
M. ACILIVS. PLACIDVS. L. PETRONIVS FRONTO. IIII. VIR. I. D. S. C. FERENTINI. IN. CVRIA. AEDIS. MERCVRI SCRIBVNDO ADFVERVNT. Q. SEGIARNVS. MAECIANVS. T. MVNNIVS. NOMANLINVS
QVOD. VNIVERSI. V. F. T. POMPONIVM. BASSVM
CLARISSIMVM. VIRVM. DEMANDATAM. SIBI. CVRAM. AB. INDVLGENTISSIMO. IMP. CAESARE. NERVA. TRAIANO. AVGVSTO. GERMANICO. QVA AETERNITATI. ITALIAE. SVAE. PROSPEXIT. SECVNDVM. LIBERALITATEM. EIVS. ITA. ORDINARE. VT. OMNIS. AETAS. CVRAE. EIVS. MERITO GRATIAS. AGERE. DEBEAT. FVTVRVMQVE. VT. TANTAE. VIRTVTIS VIR. AVXILIO. SIT. FVTVRVS. MVNICIPIO. NOSTRO. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.
PLACERE. CONSCRIPTIS. LEGATOS. EX HOC. ORDINE. MITTI. AD. T. POMPONIVM. BASSVM. CLARISSIMVM. VIRVM. QVI. AB. EO. IMPETRENT. IN CLIENTELAM. AMPLISSIMAE. DOMVS SVAE. MVNICIPIVM. NOSTRVM. RECIPERE. DIGNETVR. PATRONVMQVE SE. COOPTARI. TABVLA. HOSPITALI INCISA. HOC. DECRETO. IN DOMO SVA. POSITA. PERMITTAT. CENSVERE
EGERVNT. LEGATI
A. CAECILIVS. A. F. QVIRINALIS.
ET QVIRINALIS. F.

Tabulam hanc Gruterus Fulvii Ursini fuisse memorat, cui in extremo adjecta sunt:

AD. AVGVST AD. AVGVST
TEM. C. P TEM. C. P.

L. Pignorius etiam in suo *Antenore* narrat, apud Fulvium Ursinum olim Romæ visam Hospitalitatis Tabulam æneam, in ædibus T. Pomponii Bassi, in testimonium desideratæ a municipio apud ipsum clientelæ.

Ursino etiam alteram adscribit Gruterus e veteri marmore, sed mutilam, quam ex ingenio sum conatus restituere:

MUTILA

Tabella Hospitalitatis ex Grutero CLXXII. 7.

....PVBLICAE. EX. B. B. IN. HON.......
....NIFICENTIAQ. INSTEI. T. F. PVP......
....IB. PL. PR. COS. LEG. CONSVLARIS. PROV.....
....IS. EIVS. AC. FRATRIS. FILIQ. ET. VXOR.....
....VM. TABVLIS. HOSPITALIBVS. TRANSFERRI
....ANTE. CVRIAM. VEL. IN. PORTIBVS. FOR
....CAVERAT. SCHOLAM. HANC. DICAVIT

Instei, Sic Tabula in monte Cœlio inventa,

RESTITUTA,

TABVLAE. PVBLICAE. EX. B. B. IN. HONORIS
BENEFICENTIAEQ. INSTEI. T. F. PVP
LIB. PL. PR. COS. LEG. CONSVLARIS. PROVINCIAE
PATRIS. EIVS. AC. FRATRIS. FILIQ. ET. VXORIS
OMNIVM. TABVLIS. HOSPITALIBVS. TRANSFERRI
HVC. ANTE. CVRIAM. VEL. IN. PORTICIBVS. FOR
TVNAE. CAVERAT. SCHOLAM. HANC. DICAVIT

Hic accedunt Brixiæ apud Hieronymum Barganum Tabellæ quatuor æneæ, ut refert in monumentis Brixiensibus Clarissimus Vir Octavius Rubeus, inventæ in vico S. Zenonis, quæ plurimum ad rem nostram faciunt: in quibus etiam non pauca de Vulcano ejusque symbolis, admodum erudite, pro uberiore hujus argumenti explicatione, ab ipso proferuntur,

M. CRASSO FRVGI L. CALPVRNIO
COSS.
PISON. IIIII
III. NON. FEBR.

CIVITAS THEMETRA EX AFRICA HOSPI
TIVM FECIT CVM C. SILIO. C. F. FAB.
AVIOLA IIIIIM. LIBEROS POSTEROSQVE
EIVS SIBI LIBERIS POSTERISQVE SVIS
PATRONVM COOPTAVERVNT
C. SILIVS. C. F. FAB. AVIOLA CIVITATEM
THEMETRENSEM LIBEROS POSTEROSQ.
EORVM SIBI LIBERIS POSTERISQVE
SVIS IN FIDEM CLIENTELAMQVE
SVAM RECEPIT.

EGERVNT
BANNO HIMILIS F. SVFFES
AZDRVBAL BAISILLEGIS F. LEG.
IDDIBAL BOHARIS F.

A

M. CRASSO FRVGI
L. PISONE. COSS.

SENATVS POPVLVSQVE TIMILIGENSIS
HOSPITIVM FECERVNT CVM C. SILIO
C. F. FAB. AVIOLA PRAEF. FABR
EVMQVE LIBEROS POSTEROSQVE
EORVM SIBI LIBERIS POSTERISQVE
B SVIS PATRONVM COOPTAVERVNT
C. SILIVS AVIOLA PRAEF. FAB
THIMILIGENSES VNIVERSOS SIBI
LIBERIS POSTERISQVE SVIS SVORVM
QVE IN FIDEM CLIENTELAMQVE
SVAM SVORVMQVE RECEPIT
EGERVNT LEGATI
AZDRVBAL SVFFES ANNOBALIS F.
AGDIBIL. BONCARIH
IDDIBALIS F. RISVIL
IIIIIIINNO AZDRVBALIS F. XVCELAAZO
IIIIIIIIIIIIIIII AMILCARIS F. AGDIBIL.
BALITONIS F. SIRNI

C

L. SILLANO. FLAMINI
MARTIALI
C. VELLEO TVTORE COSS.

SENATVS POPVLVSQVE SIAGITANVS
HOSPITIVM FECERVNT CVM C. SILIO
C. F. AVIOLA TRIB. MIL. LEG. III. AVG.
PRAEFECTO FABR. EVMQVE
D POSTEROSQVE EIVS SIBI
POSTERISQVE SVIS PATRONVM
COOPTAVERVNT
C. SILIVS. C. F. FAB. AVIOLA
EOS POSTEROSQVE EORVM
IN FIDEM CLIENTELAMQVE SVAM
RECEPIT.
AGENTE CELERE IMILCHONIS
GVILISAE F. SVFFETE.

L. SILLANO FLAM. MART.
E
C. VELLEO TVTORE COSS.
PRID. NON. DECEMB.

CIVITAS APISA MAIVS HOSPITIVM
FECIT CVM C. SILIO C. F. FAB.
AVIOLA TRIB. MILIT. LEG. III.
AVG. PRAEFEC. FABR. EVM
LIBEROSQVE POSTEROSQVE
EIVS SIBI LIBERIS POSTERISQVE
SVIS PATRONVM COOPTAVERVNT
C. SILIVS. C. F. FAB. AVIOLA TRIB.
F MILIT. LEG. III. AVG. PRAEF. FABR.
APISAM MAIVS LIBEROS POSTEROSQ.
EORVM SIBI LIBERIS POSTERISQVE
SVIS IN FIDEM CLIENTELAM
RECEPIT.
EGERVNT
HASDRVBAL IVMMO IADERIVMMI
HASDRVBAL HANNONIS
BANNOGABALI
CHINISDO SVFFES IIIIIIII
SAEPO CHANAEBO
LEGATI.

Ex postremis hisce duabus Tabellis constat Africæ populum Legatos misisse Brixiam, ut fœdus iniret cum civibus Brixiensibus Fabrorum præfectis. Estque prima Themetræ in hanc sententiam. Consulibus Romanis Marco Crasso Fruge & L. Calpurnio Pisone die III. Februarii, Themetra Africæ Urbs, & C. Silius Aviola Fabii filius de tribu Fabia, Fabrorum præfectus, simul fœdus & amicitiam mutuam ac fidem perpetuam iniere inter se, eorum filios ac posteros adinvicem in clientelam se recipientes. Id agente Asdrubale filio Baisillegis & Iddibale F. Boharis Oratoribus prædictæ Urbis, in qua erat Suffes Bannus Himilis F. id est, Consul, seu Præses.

C A P. III.

Tabellæ Gothofredorum expositio.

Uberioris considerationis erit altera, quam Romæ spectavimus. In qua primum se offert L. Arruntius Stella Consul, cum L. Julio Marino. Civis ille Patavinus fuit, & Vates, cujus ingenii monumenta periere. Prætor primum, deinde Duumvir, postea a Nerone, ut Cornelius Tacitus *lib.* XIII. affirmat, Ludis insignibus, qui maxima pompa fiebant, ex nobilibus præfectus. Inter dignitates munus illud censebatur. Sic enim *lib.* IX. idem: *Sulpicius Rufus Ludi procurator.* In prisco etiam Lapide Tibure:

CVRAT. MVNERIS. PVBLICI
GLADIATORI

Et apud Suetonium in *Caligula*, cap. XXVII. *curator munerum ac venationum.* Consulatum Stellæ, qui non in Domitiani, ut perperam aliquis, sed in Trajani imperium ex hac Tabella incidit, Martialis innuit *lib.* XII. *epigr.* III. librum suum alloquens:

Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis, io, Romam nunc peregrine liber.

Postea addit:

Vel, si malueris, prima gradiere Suburra:
Atria sunt illic Consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hyanteæ Stella sititor aquæ.

Cui Consulatum supra voverat, & Apollini juvencum auratis cornibus, si Imperatori id suaderet, *lib.* IX. *epigr.* XLIII.

Bis senos cito te rogante fasces
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.

Stellæ vestitum splendidum describit *lib.* V. *epigr.* XI.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.

Recte *meus.* Fuit enim illi amicissimus. Patavio etiam oriundum significat *lib.* I. *epigr.* LXI. ubi Aponum Patavini agri vicum non minoris esse existimationis, ob natales T. Livii, Stellæ, & Flacci, quam Virgilii Mantuam, Tibulli Veronam, ostendit:

Verona docti syllabas amat Vatis,
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.

Nec est, quod Tabulam hanc suspectæ veritatis quisquam opinetur, quoniam apud Panvinium, Sigonium, Gruterum, Goltzium, aliosque Romanorum Fastorum Scriptores L. Arruntius Stella cum L. Julio Marino nunquam inter Consules enumeretur. Solebat enim Populus Romanus anni principio Consules nominare, donec hunc ordinem Julius Cæsar primus turbasset. Hique Ordinarii dicebantur. Qui vero iis procedente anno variis de causis subrogabantur, extraordinarii, sive Suffecti appellabantur. Idem fortassis Arruntio contigit, quem sub XIV. Cal. Novembris in hac Tabula Consulem videmus. Fuit etiam in alia Tabella Fulvii Ursini;

SVB. L. ARRVNTIO. STELLA
NAVIS. HARENARIA. QVAE
SERVIT. IN. AEMILIANIS
REDEMPTORE
L. MARCO. FELICE

Sed plura de hoc viro in *Athenis nostris Patavinis*, ubi pleniorem eorum censum instituemus, qui literis inclaruere.

Annos vero per Consules enumeratos, uti sat notos, non est quod heic memorem. Unus pro multis testis mihi Lucanus *Pharsal.* lib. IV.

—— non erigit agros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.

Hoc est, vetustatis supra memoriam vinum, quemadmodum notavit Theodorus Pulmannus *ad Poetæ indicem.* Nos porro quæ minus obvia breviter exponemus:

M. ACILIVS. PLACIDVS. L. PETRONIVS FRONTO IIII. VIR I. D. S. C. id est, *Juri dicundo sacri consilii* FERENTIN. Ferentinorum, qui Tusciæ oppidum habitabant.

Est & Inscriptio apud Vulsinios in Grutero *pag.* CCCLXXXV. I.

L. CANNVLEIVS
IN. ITALIA. VOLSINIENSIVM
PATRIAE. SVAE
ITEM. FERENT. ET. TIBVRTIVM
ITEM. COLONI. ITALICENSIS. &c.

In Curia ædis Mercurii. Mercurius quippe negotiis, tractatibus & contractibus præerat. Veteri monumento in hanc rem nihil manifestius:

MERCVRIO. NEGOCIATORI
SACRVM
NVMISIVS. ALBINVS
EX. VOTO

Mercurius a mercibus dictus, Festo auctore, quem negociorum omnium Deum existimarunt.

Nec insolens Curiæ mentio in conficiendis contractibus. Ita enim Inscriptio Neapoli in ædibus Hadriani Gulielmi:

C. DOMITIO. DEXTRO. II. L. VALERIO
MESSALA. THRASIA. PRISCO. COS
VI. IDVS. IANVAR
IN. CVRIA. BASILICAE. AVG. ANNIAN
SCRIBVNDO. ADFVERVNT
A. AQVILIVS. &c.

Item in Tabella ænea apud Anton. Augustinum Archiepiscopum Tarraconensem:

C. VETTIO. &c.
IN. CVRIA. AVG. &c.
HONOREM. SIBI. A. NOBIS. OBLATVM
LIBENTI. ET. PRONO. ANIMO
SVSCIPERE
ET. SINGVLOS. VNIVERSOSQ. NOS
REMQ. PVBLICAM. NOSTRAM
IN. CLIENTELAM
DOMVS. SVAE. SVSCIPERE
DIGNETVR

Scri-

Scribendo adfuerunt, ut testes, qui in omni publico & privato contractu intererant.

Quod universi. V. F. P. id est, Universi Ferentini populi.

Pomponium Bassum. Præcipuus hic Nervæ Trajani Imperatoris domesticus, cui potissimum Italiæ res demandatæ fuerant, ejusque auctoritas spectatur a titulo *Clarissimi* Viri. Quem Viris Consularibus olim Romæ peculiarem, suis magnatibus per immensam annorum seriem Serenissima Respublica Veneta summo splendore integrum vindicavit.

Ab indulgentissimo Imperatore. Hoc in primis titulo Principes populi auram videntur captasse, nominisque famam sectati. Sic enim Nerva in edicto ad Plinium *lib.* x. *epist.* LXVI. *Necessarium pariter credidi ac lætum, obviam dubitantibus indulgentiam meam mittere*. Neque ab eo degenerem se præbuit nepos, qui hoc monumentum meruit;

IMP. CAE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. III. COS. III
IMP. II. PP
RHODANICI
INDVLGENTISSIMO. PRINCIPI


Hanc laudis partem retulerunt & Imperatores posteri:


MAXIMO. PRINCIPI
INDVLGENTISSIMO
DOMINO. VALENTI. TRI
VMPHATORI. SEMPER. AVG

Municipio nostro. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Hoc est: *Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt*. Ita in multis Tabellis hac verborum forma utebantur contrahentes.

Municipiorum autem genera fuere duo. Aliis enim civitas Romana cum suffragio, aliis sine suffragio communicata erat; sic & Coloniarum. Agellius *lib.* XVI. *c.* XIII. ait: *Municipes esse cives Romanos ex municipiis, legibus suis & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes*.

In clientelam amplissimæ domus suæ. Hinc palam fit non solum hospitalitatis jus exercuisse, qui advenas & peregrinos excipiebant, sed in primis qui populos in clientelam suam & mutuam confœderationem recipiebant. Quod recte ad municipia integra sese extendebat; quorum confœderatio ad memoriam diuturniorem & sociorum splendorem tabellis æneis inscribebatur. Quam consuetudinem antiquissimam indicat Hebræorum cum Romanis fœdus, ejusmodi tabellis inscriptum *Machabæorum* lib. I. cap. VIII. *Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, & miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis*. Ejus generis Romæ in monte Cœlio sub ruderibus ædis S. Erasmi anno M.D.LXI. tres erutæ tabellæ, quas mihi visum est oculis subjicere:


VALERIO P ROCVLO V. C.
POPVLONI
PRAESIDI. PROVINCIAE. VAL. BYZAC
DD. NN. CRISPO. ET. CONSTANTINO. IVNIORE
NOBILISSIMIS. CAESS. COSS. IIII. KAL. SEP
MVNICIPES. MVNICIPI. T. AELI. HADRIANI. AVG. CIVI
LITANI. Q. ARADIVM. RVFINVM. VALERIVM. PRO
CVLVM
C. V. LIBEROS. POSTEROSQVE. EIVS. SIBI. LIBERIS. POSTE
RISQVE. SVIS. PATRONOS. COOPTAVERVNT. TESSE
RAM
QVE. HOSPITALEM. CVM. EO. FECERVNT.
Q. ARADIVS. RVFINVS. VALERIVS. PROCVLVS. LIBERI
POSTERIQ. EIVS. MVNICIPES. MVNICIPI. T. AELI. HA
DRIANI. AVG. CIVILITANI. LIBEROS POSTEROSQVE
EORVM. IN. FIDEM. CLIENTELAMQ. SVAM. RECEPE
RVNT
IN. QVAM. REM. GRATVITAM. LEGATIONEM
SVSCEPERVNT. INSTEIVS. RENATVS. ET. APOLLONIVS
GALLENTIVS. DVOVIRI. T. ÆLIVS. NIGOCINVS. ET.
ÆLIVS
FAVSTINVS. ÆDILES. L. AELIVS. OPTATIANVS. CAM
MARIA
NVS. FLAVIVS. SECVNDINDS. DOMITIVS. OPTATIANVS.
AEMILIVS. NENIGONIVS. AEMILIVS. T. TRACIVS STA
TILIVS. SECVNDIANVS. EX. P.P. ET. VNIVERSVS. ORDO


FELICITER
DD. NN. CRISPO. ET. CONSTAN
TINO. NOBB. CAESS. IT. COSS
X. KAL. MAI
QVOD. Q. ARADIVM. VAL. PROCVLVM
V.C. PRAESIDEM. PROV. VAL. BYSAC
FAVSTIANENSES. PATRONVM COOP
TARENT. CVM. LIBERIS. POSTERISQVE
EIVS. SIBI. LIBERIS. POSTERISQVE
SVIS. TESSERAM. HOSPITALEM
CVM. EO. FECERVNT. VTI. SE. IN. FIDEM
ATQVE. CLIENTELAM. VEL. SVAM
VEL. POSTERORVM. SVORVM
RECIPERET. ATQVE. ITA. IN. HAC
RE. SPLENDIDISSIMVS. ORDO
EIVS. CIVITATIS. FAVSTI
ANENSIS. LEGATIONEM. PRO
SECVTVS. EST

Hæc Tabella ænea est apud Achiliem Maffeum, lata uncias XII. alta vero XXI. ita ut tympanum septem, reliquum vero quatuordecim digitorum spatium occupet.

Altera apud eundem in ænea
Tabula :

DD. NN. CRISPO. ET. CONSTANTINO.
NOBILL. CAESS. IT. COSS
V. IDVS. APRIL
DECVRIONES. ET. COLONI. COLONIAE. ALLIAE. AV
GVSTAE. MERCVRIALIS. THAENIT. CVM QVIN
TO. ARADIO. VALERIO. PROCVLO. V. C. PRAESIDI
PROVINC. VAL. BYZAC. HOSPITIVM. CLIENTE
LAMQVE. FECISSENT. ET. SIBI. LIBERISQVE. SVIS
POSTERISQVE. EORVM. COOPTASSENT. QVINTVS
ARADIVS. VAL. PROCVLVS. V. C. PRAES. PROVIN. VAL
BYZAC. A. DECVRIONIBVS. ET. COLONIS COL. AELIAE
AVG. MERC. THAENIT. HOSPITIO. CLIENTELAQVE
SVSCEPISSET. LIBERISQVE. SVIS. POSTERIS
QVE. EORVM. IN. QVAM. REM. LEGATOS. IRE
DIXERVNT. VNIVERSOS. ORDINIS. VIROS
CENSENTIBVS. CVNCTIS. AGENTIBVS
CVRIAM. Q. VALERIO. MARVLIO. ET. C. HOR
TENSIO. CONCILIO. DVOVIRIS

Tabula hoſpitali inciſa hoc decreto. Hypallage, pro decreto hoc tabulæ hoſpitali inciſo.

Sed & hoſpitium facere Priſcis erat pactum inire de certis negotiis, veluti optime oſtendunt tabellæ Brixienſes. Locus autem, in quo hoſpites negociabantur, *ξενικὸν* appellabatur, Suida teſte. Id etiam de privatis hominibus inſinuat Symmachus *lib.* IX. *epiſt.* CXVIII. *Hoſpitem tuum Fauſtinum Senatus ampliſſimus in ſocietatem recepit, tanta apud nos teſtimonii tui antiquitas eſt, ut differri quæ velis, inſtar injuriæ ſit*. Et luculentius Cicero *in Verrem* Act. ult. de Senatu Syracuſano: *Decernunt ſtatim ut fratri meo hoſpitium publice fieret, quod is eandem voluntatem erga Syracuſanos habuiſſet, quam ego ſemper habuiſſem. Id non modo tum ſcripſerunt, verum etiam in ære inciſum nobis tradiderunt*.

Recte qui conventibus ejuſmodi intererant, *Egerunt*: unde in tabella prima Brixienſi *Agente*. Actio namque contractum ſignificat. *Egerunt autem Legati*. Sic etiam Brixienſis.

CAP. IV.

Hoſpitalitatis origo, nominiſque ratio, ubi, quid Hoſpitium, & Hoſpes, explicatur.

VIX homines ex rudi illa vita veluti e ſomno experrecti, cælum ſtellaſque aſpiciunt, quin alias terras etiam, aliorum hominum genus, alia loca tenere putent, quorum mores vitamque inveſtigare exoptant, patriæque pertæſi hinc vagari, atque cupiditate diſcendi & diverſa videndi, alibi diverſari tentant. Hinc ſpontaneo exilio ad longinqua loca proficiſcuntur, ubi exteri & peregrini primum hoſpitio, tum affinitate indigenis ſe jungentes, invicem clientelam ſe poſcentes, hoſpites eſſe incipiunt. Cumque naturæ & rationis ductu homo ſit animal ſociabile, ſocietas hinc, ſodalitas, contubernium, amicitia, fœdus, hoſpitalitas ex hujuſmodi commercio exortæ. De hoſpitalitate in præſens ſermo noſter erit. Hæc enim amicitia quædam hoſpitio contracta, vel liberalitas & quædam animi propenſio in hoſpitibus recipiendis. Ita Cic. *Officior.* II. *Recte etiam a Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas, eſt enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus; idque etiam Reipublicæ eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere*.

Igitur qui a patrio cælo errant, hoſpitio indigent, vel diverſorio. Unde hoſpitium eſt conſuetudo, qua alios in noſtram domum accipimus. De cujus neceſſitudine Budæus: *Hoſpitium eſt familiaris quædam amicitia, vel mihi hoſpitandi apud illum, vel illi apud me*.

Si vero locus indicatur, hoſpitium domus eſt, quæ gratis liberaliterque venienti hoſpiti patet. Cicero *Famil.* IX. *Hoc idcirco noſſe te volui, ut ſcires, hoſpitium tibi ubi parares*. Et *ad Atticum* II. *Te in Arpinati videbimus, & hoſpitio agreſti accipiemus*.

Hinc illæ locutionum formulæ: *Hoſpitium cum aliquo facere, hoſpitio conjungi: hoſpitium eſſe alicui cum aliquo*. Cicero *Famil.* XIII. *Avitum mihi hoſpitium cum Liſone, Liſonis filio*. Ibidem: *Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt: familiaritas tanta cum Siculo noſtro*. Idem *pro Domo ſua*: *Quo cum mihi amicitiam Reſpublica conciliavit, hoſpitium voluntas utriuſque conjunxit*. Horatium etiam *Serm.* lib. I. ſatyra V. *Excipere hoſpitio*.

Hoſpitii ſignificationi etiam hoſpitis convenit. Hoſpes porro ampliori ſignificatu etiam alienum notat apud Apoſtolum *ad Eph.* c. II. v. 19. Quemadmodum peregrinum apud Perſium *ſat.* II. & Terentium in *Andria* Act. IV. Sc. VI. *Nunc me hoſpitem lites ſequi, quam hic mihi ſit facile atque utile, aliorum exempla commonent*. Et Cic. *Acad.* I. *Nam nos in noſtra urbe peregrinantes, erranteſque tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt; ut poſſemus aliquando, qui & ubi eſſemus, agnoſcere*. Idem Cicero *ad Att. Eſt enim aliquid advenientem non eſſe peregrinum atque hoſpitem*.

At hoſpes proprie dicitur, qui vel alterum hoſpitio excipit, vel ipſe excipitur. Priorem modum indicat Cic. *pro Dejotaro*: *Quamobrem hoc nos primum metu C. Cæſar, per fidem & conſtantiam, & clementiam tuam libera; ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur: per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti*. Alterum *ad Familiares* lib. IX. *Non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci*.

Sed & hoſpita genere fœminino profertur, ut *hoſpita mulier*; quod etiam ad inanimata tranſiit: unde *hoſpita æquora* Virgilio, item *flumina* & *inhoſpita tecta* apud Ovidium.

Ab hoſpite præterea *hoſpitalis* & *hoſpitalitas*, Græcis *ξενία*, derivatur. Eſtque hoſpitalis, liberalis, & facilis ad recipiendum hoſpites hoſpitio. Itemque ad hoſpitium pertinens. Qua ratione tam in perſona, quam extra perſonam eſt. Oſtendemus infra etiam Jovem hoſpitalem appellari, ut qui hoſpitii præſes ſit. Cic. *Verr.* Act. I. *Homo, qui ſemper hoſpitaliſſimus amiciſſimuſque noſtrorum hominum exiſtimatus eſſet, noluit videri ipſum illum Rubrium invitus in domum ſuam recepiſſe*. Idem in *Offic.* II. *Theophraſtus quidem ſcribit, Cimonem Athenis etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalem fuiſſe*. Et T. Livius *lib.* I. *Exceptus benigne ab ignaris conſilii, cum poſt cœnam in hoſpitale cubiculum deductus eſſet*, &c.

Ejuſdemque originis HOSPITALIA, ædes publicæ egenis excipiendis, *hoſpitia* non inepte poſſunt appellari; quæ vulgo *hoſpitalia*, Græcis *xenodochia* dicuntur. De diverſorio tamen intellexit Vitruvius *lib.* VI. *c.* X. *Præterea dextra ac ſiniſtra domunculæ conſtituuntur, habentes proprias januas, triclinia, & cubicula commoda, ut hoſpites advenientes non in periſtylia, ſed in ea hoſpitalia excipiantur*. Qua ratione Suidas: *Xenodochium publicus locus hoſpitibus recipiendis deſtinatus*.

Quæ vero viatoribus peregrinisque mercede patent, *cauponæ* ac *diverſoria* vocantur. De quibus nos inferius. A

Cap. V.

Hoſpitalitatis uſus & finis præcipuus, humanæ vitæ conſervatio.

Hospitalitas neceſſaria eſt, quandoquidem homo homine eget in hac vita, & hoſpitalitas eſt ea liberalitas, qua quis peregrinos & extraneos ſolet hoſpitio recipere. Quid vero optabilius amicis ſe mutuo colentibus, & quid ſplendidius ac ſuavius, quam extraneos intra ſuas ædes ad communem menſam trahere? Hinc regius character exiſtimata eſt humanitas & hoſpitalitas gemmiſque pretioſis præferenda. S. Chryſoſt. Homil. *de Eleem. & Hoſp. Hoſpitalitatem exerce, continenter orationi incumbe, videbis hæc fore auratis veſtibus potiora, gemmiſque pretioſis & monilibus longo intervallo præſtare.* Meſſis hæc copioſa eidem Tom. VI. Orat. *in D. Petrum & Eliam*: *Hoſpitalitatis ſemen vidua ſparſit, & ſtatim florentem atque copioſam hoſpitalitatis meſſem collegit.* Itaque ſumptus in hoſpitem jure laudatus a Plauto: B

In mala uxore ſi quid ſu nas, ſumptus eſt:
In bono hoſpite atque amico quæſtus eſt quod ſumitur. C

Plato etiam lib. *de Legum Latione* I. hoſpitii neceſſitudinem eſſe neceſſariam ſignificat hiſce verbis: *Fortaſſis etiam omnibus pueris, poſtquam ſibi jus cum civitate aliqua hoſpitii neceſſitudinem eſſe audierint, hoc modo benevolentia quædam a teneris ſtatim animum ſubit, ut qui hoſpitii jus jactant, veluti alteram patriam illam, poſt ſuam civitatem habent.*

Hoſpitalitatis porro uſus & neceſſitudo non ſolum inter præſentes, ſed ad poſteros etiam, veluti hereditarium quoddam bonum tranſit; quænam illius vel contrahendi, vel etiam renovandi & inſtaurandi ratio fuerit, Homerus docet ſub Diomedis atque Glauci perſona, qui in ipſo prælio paternam hoſpitii neceſſitudinem renovarunt. Nam Diomedes cum interrogaſſet Glaucum, quonam eſſet oriundus, & Glaucus expoſuiſſet, ſtatim paternum illum eſſe hoſpitem affirmavit: D

Certe mihi hoſpes paternus es antiquus:
Oeneus enim olim nobilis eximium Bellerophontem
Hoſpitatus eſt in aula, viginti dies detinens.
Hi vero etiam ſibi mutuo dabant xenia pulchra; E
Oeneus quidem baltheum dedit phœniceo colore lucidum,
Bellerophontes autem aureum poculum utrinque cavum,
Et illud ego reliqui proficiſcens, in ædibus meis.

Poſtea antiquam hoſpitii neceſſitudinem inter ſe pacti ſunt. Pergit enim Vates:

Manuſque mutuas apprehenderunt, fidemque dederunt
Et acceperunt.

In optime Virgilius *Æneid.* XI. expreſſit:

Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hoſpitio dextras. F

Inde ſymbolum hoſpitalitatis dextra fuit, veluti ſuo loco monuimus.

Hoſpitii vero uſus & neceſſitudo antiqui inſtituti erat, non modo inter privatos, ſed etiam inter populos: neque id quidem modo, ſed etiam inter ſingulos, privatoſque homines & civitates, quæ ſancte religioſeque eam coluere.

Sic Populum Romanum cum aliis vel populis, vel regibus, vel etiam privatis hominibus Senatuſconſulto ſcimus hoſpitium contraxiſſe. Quo alludens Virgilius *Æneid.* VII.

Ipſe modo Æneas (noſtri ſi tanta cupido eſt,
Si jungi hoſpitio properat, ſociuſque vocari)
Adveniat.

Propterea hoſpitium perſæpe pro amicitia uſurpatur, & apud Hyginum *in hoſpitium venire* inviolabilem fere ſignificat amicitiam, quandoquidem hoſpitii jus ſanctum erat. Ejus autem amicitiæ erat pignuſque teſſera, de qua ſuo loco plenius. Etiam *in hoſpitium & honorem recipere* idem ſignificat.

Plato denique ſapientiſſimus ſummum hoſpitalitatis finem, ad quem omnia referenda, ipſum Deum ſtatuit; & in lib. V. *de Legibus*, cum ipſis peregrinis ſanctiſſimum nobis pactum commerciumque intercedere. Omnia namque vel ipſorum peregrinorum, vel civium peccata atque delicta adverſus peregrinos commiſſa, in ipſum potiſſimum Deum ceu ultorem ac vindicem redundant. Nam peregrinus, ſociis atque cognatis deſtitutus, hominum pariter atque Deorum miſericordia magis videtur dignus.

Cap. VI.

Dii hoſpitales enumerantur.

Arctum itaque fuit olim hoſpitii vinculum, atque adeo etiam Divini Numinis reverentia ſanctum, ut hoſpitii diſceptationi Jovem inter alios ſuperſtitioſe religioſa primarium præficeret Antiquitas, Jovem hoſpitalem eum appellans & invocans, quaſi hoſpitii præſidem & vindicem, cujus in tutela hoſpites eſſe credebantur. Plautus in *Pœnulo* Act. V. Sc. I.

Deum hoſpitalem ac teſſeram mecum fero.

Ita Romani Jovem *Xenium*, id eſt, hoſpitalem, appellabant. Idque ſine dubio Græcorum auctoritate. Ait enim Homerus *Odyſſ.* ξ.

—— πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοι.
—— *ab enim Jove ſunt omnes*
Hoſpites.

Hinc fides Jovis hoſpitalis. Cic. ad *Q. Frat. Non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis hoſpitalis.* Et pro *Dejotaro*: *Si te palam interemiſſet, Jovis quidem illius hoſpitalis numen non unquam celare potuiſſet.* Apulejus *lib.* III. *Sed proh Jupiter hoſpitalis & fidei ſecreta numina.* Eadem mente Virgilius *Æneid.* I.

Jupiter (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriiſque diem, Trojaque profectis
Eſſe velis, noſtroſque hujus meminiſſe minores.

Ita Jupiter ultor & vindex ſupplicum atque hoſpitum apud Plutarch. in *Amatorio*. Jovis autem hoſpitalis fœdus tangit Apulejus *Metam.* lib. VII. de equis verba faciens: *Nec hoſpitalis Jovis ſervato fœdere, rivalem ſummo furentes perſequuntur odio.* Huc pertinet Lycaonis fabula, qui cum hoſpitio ſuſceptos hoſpites necaret, a ſuſcepto Jove, poſtquam ei epulas humanas appoſuiſſet, verſus in Lupum, exemplo ſuo oſtendit hoſpitii jura non eſſe violanda. Ideoque Jupiter ab Ovidio hoſpes appellatur, ejuſque ara venerationi fuit:

Ante fores horum ſtabat Jovis hoſpitis ara.

Homerus certe variis in locis Jovem tutorem hoſpitum deprædicat. *Odyſſ.* ξ.

Et tu senex multa passus, postquam te ad me duxit fortuna
Ne mihi mendaciis gratificare, neque mulceas.
Non enim ob id ego te honorabo, neque diligam,
Sed Jovem hospitalem veritus, teque ipsum miseratus.

Et in IX. *Odyss.*

Jupiter autem ultor est supplicumque hospitumque
Hospitalis, qui hospitibus simul verecundis opitulatur.

Idem in *Odyssea* ξ.

Jupiter tibi det hospes & immortales Dii alii
Quodcumque maxime vis, quoniam me benignus hospitatus es.

Et alibi:

Hospes, non mihi fas est, neque, si vilior te veniat,
Hospitem contemnere, ab enim Jove sunt omnes
Hospitesque pauperesque: munus autem exiguumque charumque.

Templa etiam Jovi hospitali dicata insinuat Historia *Machabæorum* lib. II. cap. VI. *Antiochus in Hierosolymis templum Jovi Olympio dedicavit, & in Garizim, prout erant ii, qui locum inhabitabant Jovis hospitalis*: adeo miseros Hebræos tyrannis premebat!

A Jove etiam *fulmina hospitalia* exorta prodit Barnabas Brissonius lib. I. *de Formulis* p. 127. ubi varia enumerat fulminum genera. Quænam fuerint, explicat Seneca lib. II. *Natural. Quæst. Hospitalia fulmina, quæ sacrificiis ad nos Jovem arcessunt, & (ut verbo eorum molliori utar) invitant.*

Venus præterea, veluti amoris mater, hospitali titulo honestatur. Cicero *pro Cœlio*: *Huic facinori tanto tua mens liberalis, conscia, tua domus popularis, ministra, tua denique hospitalis illa Venus adjutrix esse non debuit.*

Minerva quoque hospitalis dicta, auctore Pausania *lib.* III. *Quo in loco Parcæ sunt, ibidem est hospitalis Jupiter, & hospitalis Minerva.*

Castori & Polluci pariter hymnus dicebatur ξενισμός, quod hospitales essent, & placida numina, ut Scholiastes Pindari docet in *Olympiis*.

Hinc *Theoxenia* festum erat, ut Pindari Scholiastes tradit, in quo multi hospites confluebant, & hilariter excipiebantur ode III. *Olymp.* Alii dictum hoc festum volunt, quod Herculi, Castori, Polluci, & hospitalibus Diis fuerit sacrum, ut refert *ibidem* Interpres, quia cum essent tutelares Dei ludorum præfecti ab Hercule, videbantur excipere hospites advenientes ad ludos.

Lares item. His accedunt Dii Viales, qui præsunt viis, *quos invocare solent qui peregre proficiscuntur, & ad viam se accingunt, quos in libro *de Donariis* attigimus.

Apollo quoque Theoxenius, id est, hospitalis Deus, a Pellenensibus vocatus cultusque fuit, apud quos ejus Dei templum, ad quod certamen Theoxenia nomine celebratum fuit; ubi victoriæ ejus præmium fuit argentum, teste Pausania, sive, ut Pindari Interpretes volunt, chlæna vestis.

CAP. VII.

Hospitalitatis religio.

QUANTA esset vis hospitii, quanta religio & necessitudo apud Romanos, indicat nobis T. Livius noster *lib.* V. ab urbe condita *cap.* XXVIII. de Timasitheo Liparensi loquens, qui Legatos Romanos hospitio exceptos, ac Delphos usque deductos, retro in Urbem sospites reduxerat; *Hospitium* (inquit) *cum eo Senatusconsulto factum est, donaque publice data.* Et *lib.* XXXVII. *c.* LIV.

A de bello Syriaco princeps legationis expositis initiis amicitiæ cum populo Romano, meritisque Rhodiorum: *Nihil*, inquit, *nobis tota nostra actione, Patres Conscripti, neque difficilius, neque molestius est, quam quod cum Eumene nobis disceptatio est, cum quo uno maxime regum, & privatim singulis, & quod magis nos movet, publicum civitati nostræ hospitium est.* Ultima *in Verrem* sic eloquentiæ Parens invehitur, tanquam hospitii violatorem: *Pater aderat Dexio Tindaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus: cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaras: eum cum illa auctoritate & mi-*
B *seria videres præditum, num te ejus lacrymæ, num senectus, num hospitii jus, atque nomen a scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit? Sed quid ego hospitii jura in hac tam immani bellua commemoro: qui Sthenium Termitanum, absentem hospitem suum, cujus domum per hospitium exhausit & exinanivit, absentem in reos retulerit, causa indicta, capite damnarit: ab eo nunc hospitiorum jura atque officia quæramus?* Cæsar de Hæduis *lib.* I. *Quibus præliis calamitatibusque fractos, qui & sua virtute, & Populi Romani hospitio, atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos civi-*
C *tatis.* Et de Germanis *lib.* VI. *Hospites violare fas non putant: qui quaque de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctosque habent; iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Immo sacrosanctum hospitium fuisse, ejusque violati nefas, indicat lib. *de bello Hispanico* A. Hirtius Pansa; *Eodemque tempore transfuga nunciavit ex oppido, Junium, qui in cuniculo fuisset, jugulatione oppidanorum facta, clamasse, facinus se nefandum & scelus fecisse, nam eos nihil meruisse, quare tali pœna afficerentur, qui eos ad aras & focos suos recepissent, eosque hospitium scelere contaminasse.*

D

CAP. VIII.

Hospites adorandi ritus unde fluxerit.

IMMO ea paulatim crevit hospitum veneratio, ut apud Scythas, alioquin barbaros, pro Diis haberentur. Lucian. in *Toxari*, sive *de Amicitia* refert, Toxarim Scytham hominem Mnesippo Atheniensi, exprobranti sibi, quod Pyladem & Orestem peregrinos atque etiam hospites pro Diis colerent, respondisse: *Quod hospites erant, non Scythæ, id vero nihil obstat, quo minus boni viri judicentur.*

E Hospites autem esse venerandos merito putabant Veteres, tum ne inhumani viderentur, tum quia si Dii aliquando sub peregrinorum habitu ad mortales accederent, tectis ne prohiberentur. Magna itaque religione hospites adventantes recipiebantur. Sic Jovem apud Lycaona Ovid. introducit:

Et Deus humana lustres sub imagine terras.

Et VIII. *Metam.* de Jove & Mercurio:

Juppiter huc, specie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades, positis caducifer alis.
Mille domos adiere, locum requiemque petentes;
Mille domos clausere seræ.

F Homerus pariter sæpius Deos oberrantes finxit. Quod quidem convenit cum illo D. Pauli a S. Chrysost. in sermone *de Lazaro* receptum: *Sectamini hospitalitatem; per hanc enim quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos.* Ingressi igitur hospites excipientes supplices adorabant. In manu fiebat ad os illata; qualiter apud Juv. *a facie jactare manus.* Sic Minuc. Felix in *Octavio*: *Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis impressit.* Nam

is erat adorationis ritus apud Veteres. Apulejus in *Apologia*: *Nefas habet adorandi gratia manum labris admovere*; hinc labratum osculum, & labrata oscula. Sic numina sua, sic Imperatores suos adorabant, & Imperatorum imagines haud minus quam Deorum simulacra. Aliquando etiam manu ad os relata solebant sacram Principis purpuram contingere, capite demisso. Adorationis etiam mos erat, adorantes primum manum porrigere, deinde statim ad os referre; quanquam & primum alii contra faciebant, & manum osculari, deinde eam versus illum, quem adorabant, protendere consueverant; unde *oscula jacere*, & *basia jactare*. Cornelius Tac. lib. I. *Hist*. cap. XXXVI. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione*. Ita etiam *manu venerari*, & *manu salutare*, ut de Nerone Tacitus: *Postea genuflexus & cœtum illum manu veneratus est*. Sic aurigæ flagello populum venerabantur, cum flagellum ipsum osculabantur. Sic amici tangunt dextram, Virgil. *lib.* VIII.

Compellare virum, & dextræ conjungere dextram.

Ubi videndus est Servius: dextræ enim conjunctio amoris & hospitii signum, & propterea hospitibus dextra porrigebatur. Cic. *pro Dejotaro*: *Per dexteram te istam oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti*. Virgil. XI.

Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras.

Quod factum fortassis, vel quia dextra validior est sinistra, vel quia supplicantes & miseros, quibus favemus, dextera erigere solemus. Semper enim dexteram porrigere est auxilium præstare. Dextera etiam Antiqui se mutuo venerabantur: per dexteram jurabant, tanquam fidei & virtutis auxilium; & alicui dexteram injicere est in familiaritatem admittere.

Nec solum hospites adorabant, sed excipientes quoque, ut mos est Anachoretarum, iis pedes lavare consuerunt. Ita in *Vitis Patrum* lib. II. *Cum aliquem sibi adesse senserunt servi Dei, continuo procurrunt obviam, & velut Angelum Dei excipientes adorant, pedes lavant, ad orationem invitant, mensam ponunt, atque omnia secundum divinum mandatum complent charitatis officia.*

Inter alia B. Apollonii documenta de hospitalitatis studio hoc erat: ut adventantes fratres *quasi Dominum suscipiamus advenientem*. Addit enim: *hospes fui, & suscepistis me*. Sic enim Abraham suscepit eos, qui homines quidem videbantur, Dominus in eis intelligebatur.

Immo hospites adorat Apollonius, osculo excipit, eorumque pedes lavat, velut in *ejus Vita* memoratur: *Ubi autem appropinquare jam cœpimus, audita voce psalmi, etiam ipse Sanctus Apollonius procedit in occursum. Et ut vidit nos, statim prior adoravit usque ad terram, & surgens osculo nos suscepit. Ubi autem ingressi sumus Monasterium, oratione prius (ut moris est) data, pedes nostros propriis manibus lavit, & cætera quæ ad requiem corporis pertinent adimplevit. Hæc autem facere ei moris erat omnibus adventantibus*. Adorando genua tangebant, quia genua misericordiæ dedicata erant, ut ait Plinius: unde vota ad genua Deorum ponebantur, ac signabant, quemadmodum *de Veterum Votis ac Donariis* cap. V. uberrime disseruimus.

CAP. IX.

Hospitalitas a quibus & in quos potissimum exercebatur.

HOSPITALITAS, nectar ac pabulum humanæ conditionis, & Clarissimorum Virorum delicium, pleno jure ab omnibus & in omnes exercenda. Hi vero hospites, aut erant domestici, aut incogniti. Qui domestici, erant amici externi, in quos Martialis allusit *lib.* III. *epigr.* IV.

Unus erit (mihi crede) satis, cui non eris hospes.

Hi vero magnis honoribus excipiebantur. Nam ut eorum erat fortuna & nobilitas, armis, fistulis, buccinis, atque tympanis, procul admodum ab urbe, partim peditatu, partim equis, & curribus honorifice iis obviam ibant incolæ, eos expectantes in amplissimo loco, ubi summa comitate & verbis eos salutare, & in urbem ea pompa introducere, eosque ad proprios lares, congregatis amicis, deducere consueverunt. Cui officio, si Legati erant, seligebantur etiam a Senatu viri graviores, qui iis omnia hospitalitatis officia prolixe deferrent, conviviisque magnificis ac muneribus exciperent.

Amici præterea hospites habebant tesseras hospitales vel symbola.

Sin autem hospites erant incogniti & peregrini, horum quatuor erant genera. Primum nempe peregrinorum, puta mercatorum & negociatorum, qui lucri gratia undique convolant, nihil maris pericula vel asperas vias timentes. Alterum eorum, qui orbis delicias ut lustrent, vel discendi causa, longe a patria & parentibus veluti exules spontanei regiones diversas peragrant, ut sunt hodie Germani, Galli, Flandri ac Belgæ, qui propter virtutes sponte exulant. Vel qui sacrorum causa, & ad ludorum spectacula publica convolant. Tertium eorum, qui publice a populo, vel a Principe missi, legationis causa aliunde accedunt. Quartum eorum, qui fortuna aut casu aliquo adveniunt. Hi maxime hospitio sunt excipiendi, atque humaniter tractandi. Qui enim ejecti a fortuna, domestici casus nempe tesseras, supplices vittas & ramos habebant. Inde Homerus lib. I. *Iliad.*

Stemmata habens manibus Phœbi vibrantis ab alto.

Sic Æneas lib. VIII. *Æneid.*

Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

Prætendere autem ramum, quod faciebant hospites peregrini, est apud Græcos προτείνειν ςέφανον: nam coronam sive ramum prætendentes tangebant genua. Petron. Arb. *Infelicissimus puer tangebat genua cum fletu, petebatque suppliciter*. Solebant enim Veteres, cum supplicabant, præ manibus coronam habere, sive lauri, sive olivæ. Hospites vero supplices sedebant ἐν ἐσχάρᾳ, hoc est, *in foco*, ante cineres, ut videre est apud Homerum, ubi Ulysses ante cineres in foco sedet, quod non placet tandem Minoi socio Heroi Echeneo:

Ἀλκίνο', ἐ μὲν τοι τόδε κάλλιον, ἐδὲ ἔοικε,
Ξεῖνον μὲν χαμαὶ ἧσθαι ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίησι
Alcinoe, non sane tibi hoc honestum, neque convenit
Hospitem quidem humi sedere ad focum in cineribus.

Scripserat enim Homerus supra:

Ὣς εἰπὼν, κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίησι
Πὰρ πυρί.
Sic fatus resedit ad focum in cineribus
Juxta ignem.

Atque hinc etiam dicta ἐσχάρα ab ἀρᾶν, hoc est, *a precibus*. Ibi enim preces ejecti hospitesque, sive miseri fundebant, ad misericordiam commovendam, unde *aram tenere*, *se ara tueri* apud Latinos, & Juvenalis *sat.* x.

Et ruit ante aram summi Jovis, ut vitulus bos.

Loquitur vero Poeta de Priamo, qui ad aram Jovis a Neoptolemo est obtruncatus. Qui vero sic ante focos in cineribus sedebant supplices, (hospites ignoti videlicet & ejecti, quibus loqui vetitum observat Apollonii Rhodii Scholiastes *lib.* IV.) si postea cognoscebantur, adlevabantur & in sella sedebant. Hom. lib. VII. *Odyss.*

Manu prebensum Ulyssem, prudentem vario consilio,
Levavit a foco, & in sedem locavit splendidam,
Filio cedere jusso virili Laodamante
Qui ei proximus sedebat, maxime vero ipsum amabat.

Ad hæc solemnitatem ludorum innuit Dionysius Halicarnasseus in excipiendis hospitibus per dies festos *lib.* VII.

Hospitum beneficentia patriæ desiderio præponitur, Halic. *l.* V. *Etrusci a Cumanis cæsi, atque in agros Romanos profugientes, cum in Urbem plaustris comportati omnibus humanitatis officiis foverentur, abjecto patriæ desiderio apud benefactores remanent. His Senatus locum in Urbe ad ædificandum dedit, vallem inter Palatinum & Capitolinum colles, quatuor ferme stadiis protensam; qui usque ad nostram ætatem vicus Tuscus Romana lingua vocatur.*

CAP. X.

Jus Hospitalitatis.

HOSPITALITATIS apud Veteres jus eo in pretio fuit, ut sanguinis id nexui præferrent. Hoc autem sale & mensa contrahi solitum. Mutuis quoque muneribus inter se homines copulabantur, vel coram, vel per internuncios. Hinc Virgilius lib. IX. *Æneid.*

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, Tyburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cum jungeret absens
Cædicus.

Cædicus nempe Remulo, cum absens eum sibi hospitio vellet jungere, misit phaleras & cingula bullis aureis, hoc est, clavis, insignita. Et hoc quidem jus velut hereditarium a parentibus ad posteros traducebatur, cujus vel contrahendi, vel renovandi & instaurandi quænam ratio fuerit, apud Græcos Homerus docet, sub Diomedis & Glauci persona, quos in ipso prælio paternam hospitii necessitudinem renovasse antea monuimus.

Sic hi media in acie a mutuo conflictu sibi temperant. Teucer vero Trojanus, licet cum Priamo esset sanguine junctus, non dubitavit cum Trojanis pugnare, seque popularium sanguine coinquinare. Cætera hospitalitatis jura Homerus sub fabularum involucris descripsit. Quam sacrum ac inviolabile voluerit hospitii jus indicavit Aurelius Imperator in *Epistola* militari ad Vicarium suum, ubi leges militum decernit: *In hospitiis caste se agant.* Ideoque violatum hospitii jus punivit severissime, ut notat Vopiscus: *Solus omnium militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret & ad pedes militis deligaret, eademque subito dimitteret, ut scissus ille utrinque penderet.* Philippus etiam Rex Macedonum, improbissimo militi, ingratissimo hospiti, stigmata inscribi jussit, ingratum hospitem testantia, quemadmodum prolixe narrat Seneca *de Beneficiis* lib. IV. cap. XXXVII.

Juris autem hospitalis caput erat hospites ab aliena vi atque injuria defendere, præeuntibus etiam animantibus iis, quibus vis nulla rationis. Nimirum homines hospitalia servare jura ex avibus cognoscunt: quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum. Nec quidquam in libris veteris novique Fœderis magis inculcatur piis animis, quam jus hospitii. Atque in primis gentium Doctor I. *ad Timotheum* III. hospitales jubet esse Episcopos, quorum est Christi exemplo anniti, ut non solum verbo, sed exemplo aliis præluceant. Quod ejus officium luculentius exaggerat Barbosa *de Officio & Potestate Episcopi*, Patre prima, T. II. Concl. IX.

Immo Servatorem Christum extremi Judicii sententiam iis benignam pronunciaturum memorant Sacræ Litteræ, qui hospitalitatis munus in egenos exercuere.

CAP. XI.

Hospitia quamobrem primitus instituta.

UT peregrinantes & advenæ susciperentur, splendidum ac heroicum arbitrabantur, patere domos hospitibus; quin etiam ad urbium commendationem atque ornamentum pertinere, exteros hoc liberalitatis genere, ut ait Cicero *de Officiis* lib. II. in urbe nostra non egere. Cui simile est illud Pontani: *Est autem non modo privatorum civium, verum etiam urbium ipsarum summa laus, privatas domos patere peregre venientibus.* Est enim species publicæ humanitatis, ut hospitio peregrinus non egeat. Cujus in Sacris Litteris atque prophanis exempla passim obvia. Nec sine spe præmii: *Tanta namque*, eleganter inquit S. Ambrosius *Officior.* lib. II. cap. XXI. *est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ a præmiis remunerationis immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit? Vides quia Loth Angelos suscepit? Quid scis, an & tu cum suscipis hospitem, suscipias Christum? cum in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: In carcere eram, & venistis ad me, nudus eram, & operuistis me.*

Gillas Agrigentinus, omnium qui unquam fuere liberalissimus, spectacula edendo, epulas apparando, annonam in caritate rerum subministrando, virgines dotando, domum suam adeo liberalitatis officinæ & hospitalitati dicaverat, ut quingentos equites Gelenses, vi tempestatis in prædia sua compulsos, propria impensa aluerit.

Nec hospitia publica solum hospitibus & peregrinis recipiendis erecta, sed plerumque ad exercenda maxime circa advenas & egenos pietatis opera; ne dicam ad urbium splendorem sublevando nempe cives, qui aliter exteros recepturi essent, ubi loca mercenaria desunt. Optimo proinde consilio ea non raro ædificata Principum beneficentia, ad sui nominis perennitatem, & pietatis studio, quo nec Turcarum Imperatores destituti. Immo sæpius in conscientiæ sublevationem, dum, præter Principes, cives quoque opulentiores, hæredibus orbati, extremo vitæ articulo facultates suas hospitali extruendo legant. Quo nullum mortalibus factum dignius: omnes quippe in hoc Mundo peregrinamur. *Nec enim*, juxta Apostolum *ad Hebræos* c. XIII. *habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Unde D. Bernardus in *Sermone de S. Bened. Abbate*: *Peregrinus ad patriam suspirat,*

ad patriam tendit, vestitum & victum habens, non vult aliis onerari. Beatus plane, qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domino: Quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.

Hæc autem locorum privilegia & immunitates Episcoporum est strenue tueri, mandato sacrorum Canonum. Nec ejusmodi loca tantum advenis & peregrinis Christiana pietate fuerunt extructa, sed Ordines præterea militares, Hospitaliariorum nomine, ad ejusmodi locorum tutelam instituti. Plures insuper Religiosorum Societates, advenis ac peregrinis suscipiendis occupatæ, plurimis in locis hodie supersunt.

CAP. XII.

Hospitia Antiquorum, quæ publica, vel privata, declarantur.

EX honestissima & humanæ vitæ consona hospitum receptione derivatum est loci nomen, in quo recipiebantur, *hospitalis* & *hospitale*, quod est hospitis, sive quod ad hospitem pertinet. Hinc apud Græcos certæ quædam erant ædes peregrinis hospitibus recipiendis destinatæ, de quibus Plato in libro *de Legibus* etiam præcipit, quæ ab illis *ξενοδοχεῖα, ξενῶνες, καταγωγαὶ, καταγώγια, καταλύματα.*

Tales quoque Romani domus habuerunt, in peregrinorum usum extructas, quas hospitalia vocarunt. Vitruvius supra a nobis advocatus *lib.* VI. *cap.* X.

Hinc hospitale cubiculum apud Livium *lib.* I. *Exceptus benigne ab ignaris consilii, quum post cœnam in hospitale cubiculum deductus esset.* Et *lib.* II. *Alii profecti domos, nuntii hospitalium beneficiorum, multos Romæ hospitium, urbisque charitas tenuit.* Symmachus *lib.* III. *epist.* XIV. *Deos enim facio testes, has domus, quarum alteram postulasti, jamdudum a me hospitibus esse decretas.*

Cretenses etiam, ut testis est Athenæus *lib.* IV. *cap.* IX. passim per totam suam Insulam binas habuerunt semper in illis Syssitiis extructas domos, unam quam *ἀνδρεῖον* appellaverunt, alteram *κοιμητήριον*, in qua hospites diversari atque dormire solebant. Ad Constantini ætatem celebre fuit hospitale S. Samsonis, ab eodem Imperatore instauratum, postquam ab incendio exustum fuit, ut Procopius *de Ædificiis Justiniani* Imperatoris lib. I. *Erat hospitale, in quod recipiebantur languidi & infirmi, superioribus annis a religioso quodam viro, cui Samson nomen erat, extructum: restabant quædam vestigia, neque gregariis militibus satis commoda; cætera perierant, una cum templo exusta & collapsa. Instauravit illud nobile hospitale Justinianus, structuræ splendore magnificentius, & mansionum multitudine multo amplius.* De hoc incomparabilis Baronius, in *Notis ad Romanum Martyrologium Die* XXVII. *Junii*. Hoc autem fuisse primarium, sub quo alia constituta essent, quæ in eadem *Novella* leguntur LIX. cap. III. Porro hujus hospitalis Presbyter fuit Mennas, qui tunc temporis erat Episcopus Constantinopolitanus. Baronius etiam *ad Annum* DXXX. *Justinianus hospitia duo ædificavit, unum pro hospitibus peregrinis, alterum ut in eo requiescerent & refocillarentur pauperes & ægroti, & hæc in via, qua ad Templum itur Hierosolymis.* Cui nihil cedit quod ponit Jo. Leo Africanus *lib.* III. pag. 113. in descriptione civitatis Fessæ: *In hoc oppido ducenta fere hospitia, atque inter hæc maxima, quæ in eminentiori urbis parte summo Templi sunt viciniora. Horum quodlibet triplicem habet contignationem: cubicula autem centum & viginti, aut etiam plura. Est & cuique suus fons cum secessu, & aquæductus elegantissimus, qui sordes omnes efferunt. Neque unquam majora ædificia me vidisse memini.* Simile quid innuit Lucianus *de Syria Dea*: *In sacra civitate (sacrorum causa peregrinantem) publicus hospes excipit. Certi enim uniuscujusque civitatis hospites ibi sunt, & quod ex patria cujusque venit, id denuo apud se recipit.*

In Regno Chinarum hospitia disposita per vias, quæ singula exercitum quotidie possunt excipere, narrat Marcus Polus *lib.* II. *cap.* XX. quod adducit Majolus in *Colloquio* XXIII. Cujus generis in Oriente multa, ubi homines & jumenta simul in eodem stabulo accipiuntur. Quod etiam sæpe ex colloquiis Illustrissimi Equitis Simonis Contareni, D. Marci Procuratoris, accepi, qui bis ad Othomanicum Imperatorem Oratoris munere functus erat pro Serenissima Republica Veneta. Quod non minus ad Imperatorum gloriam pertinet, quam ad peregrinorum commodum, etiamsi cultu minori extructa sint.

Qualia in Westphalia etiam observans Lipsius, ubi jumenta & homines simul hospitantur, istum gentis morem solenni *Epistola* salse vellicavit: cui Domannus J. C. magnæ auctoritatis diserte admodum respondit. Nec aliter in Saxonia inferiori passim in pagis advenæ excipiuntur.

Verum ad privatos etiam hæc consuetudo transiit. Immo apud Reges & Principes partes palatii præstantiores hospitibus adsignantur, quæ Etrusco idiomate *Foresterie* vocantur. Quam comitatem imitati fuerunt alii, suis in ædibus, maximeque viri passim religiosi, qui in unoquoque cœnobio cubicula hospitibus splendidiori supellectili destinarunt. Ea quoque extraneorum Virorum Clarissimorum imaginibus exornata tradit Pausanias *lib.* VI. qui ait: *Hospitii gratia Suphidii, Lampi, & Aristarchi effigies dedicarunt.*

Immo in quibusdam etiam transeuntium hospitum memoriæ exsculptæ leguntur. Sic in ædibus Comitum S. Bonifacii, Patavii Vir splendidissimus Co. Hercules, quum tres Cardinales hospitio excepisset, pari fortuna ad summum Ecclesiæ fastigium evectos, in majori triclinio iis monumentum decreverat, quod fati injuria intervertit. In superliminari Palatii familiæ Contarenæ ad Brentam, qua Patavio Venetias itur, superest hodie tabella aurata hoc Elogio:

HENRICVS VALESIVS REX
CVM E POLONIAE REGNO QVOD EIVS
SVMMAE VIRTVTI MERITO FVERAT
DELATVM IN GALLIAM
CAROLO FRATRE IX REGE
VITA FVNCTO
AD PATRIVM ET AVITVM IRET
HAC ITER FACIENS
VLTRO AD HAS AEDES DIVERTIT
TOTA FERE ITALIA COMITANTE.
ANNO SALVTIS M. D. LXXIIII.
VI. CAL. SEXTIL.
TANTAE HVMANITATIS MEMOR
FEDERICVS CONTARENVS D. M. PROC.
FVNDI DOMINVS M. P.

Nec factum destituitur vetustatis exemplo. Nam & in Tusculano Brixiensi hoc extat monumentum:

D. M
IMP. CAESAR. PRO. SALVTE
DIVAE. CORNELIAE
VIVENTE. M. TVLLIO
ET. L. CRASSO. ET. PETRONIO
SCEVOLA....VIR
HOSPES. ERAT. CAESAR
CORNELIAE. Q. PATER

CAP. XIII.

De prima Hospitum exceptione.

INTER officia hospitalitatis primum erat ἀσπασμός, hoc est, *salutatio*, atque exceptio, sive invitatio peregrinorum blanda & humana, partim verbis, partim gestibus quibusdam constans: ut interiores animi affectus demonstrarentur, nec asserrent peregrinum procul a foribus esse; sed ei obviam irent, & exciperent advenientem hac formula, *Salve hospes*. Deinde apprehensa dextera in domum ducebatur: onera, si quæ gestabat, ei mox levabantur. Jumentis pariter prospectum fuit. Prima potissimum cura fuit, hospites de via plerumque fessos molliter collocare: atque in Orientalibus regionibus, sicut ex Sacris Literis monui, hospites lavare & ungere. Quod hodieque apud Turcas fieri, auctor mihi eruditissimus Joannes Weslingius, celebris Anatomicus Patavii, diu in Ægypto moratus. Lavabantur autem pedes, ut pulvis in via contractus detergeretur. Ita Ulyssi apud Homerum. Et quidem Priscos hospitibus præbuisse aquam calidam, ad abluendum corpus ac pedes, gelidam manibus, indicat illud Martialis,

—— *calidæ gelidæque minister*.

Et Horatius *Serm.* lib. I. sat. IV.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos;
E quibus unus avet, quavis aspergere cunctos,
Præter eum, qui præbet aquam.

Item *Serm.* lib. II. sat. II.

—— *nec sic, ut simplex Nævius, unctam*
Convivis præbebit aquam.

Ubi præbere aquam est convivio excipere. Convivator enim ad hoc balneum calefaciebat. Quod Lyricus *Carm.* l. III. ode XIX. dixit *Aquam temperare ignibus*. Et qui domi non habebat balnea, conducebat hospitem ad balnea iisdem magnificentia publice parata. Sic legimus Romæ L. Octavium lavationem gratuitam hospitibus & adventoribus instituisse:

L. OCTAVIO. L. F. CAM
RVFO. TRIB. MIL. LEG. IIII
SCYTHICAE. PRAEF. FABR
BIS. DVOMVIRO. QVINQ. EX
S. C. ET. D. D. AVGVRI. EX. D. D
CREATO
QVI. LAVATIONEM. GRATVITAM
MVNICIPIBVS. INCOLIS
HOSPITIBVS. ET. ADVENTORIBVS &c.

Sed elegantius ex Lapide apud Zagarollum:

C. AVRVNCEIVS......
COTTA
COLONIS. INCOLIS. HOSPIT.....
ADVENTORIBVS. SERVISQ.....
EORVM
LAVATIONEM. EX. SVA. PECVNIA
GRATVITAM. IN. PERPETVOM
DEDIT

Parabantur etiam vestes aliquando, si iis indigerent, deinde epulæ, ut refocillarentur; inter quas moris erat, illos blandis verbis ad cibum & potum capiendum adhortari. In mensa vero sal & vinum primas tenebant. Salis enim consortio res contrahi solitæ. Hinc Æschines in *oratione de perperam obita legatione* civitatis salem publicamque mensam ait se plurimi facere. Sed enim ante cibos apponebatur, veluti amicitiæ symbolum, ut testis est Eustathius *in Iliad.* & Cælius Rhodiginus *Antiq. Lect.* lib. XII. cap. I. Sic apud Germanos acceptus a propinante cyathus adimit omne jus agendi injuria. Quod autem sal hospitale agnoverit divinum Eustathius, apparet ex supplicationibus, in quibus quædam scribit ex sale composita. Post cœnam, vel prandium sine tædio rogabantur, cujus rei causa venirent, aut quanam re indigerent. Ita Dido Æneam excepit apud Virgilium lib. I. *Æneid.*

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ venisset filius armis;
Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles:
Immo age, & a prima dic hospes origine nobis.

CAP. XIV.

Hospitum, ac Legatorum peregre venientium, itemque exulum tractatio.

AD majorem urbanitatem erga hospites solebant Veteres dare sublimiora domus loca. Didymus *ad Homeri Odyss.* id factum notat hospitibus, ut melius exciperentur ac quiescerent.

Alii habebant cubicula hospitibus dicata. Et qui hospites exspectabat, amicos & agnatos invitabat ad eos honorandos. Ædes suas pretiosa supellectili ornabat, vasisque argenteis & imaginibus, ut omnia fulgerent. De tergenda domo in adventu hospitis Juvenalis:

Verre pavimentum, nitidas ostende columnas.

Hæc omnia infra, ubi de moribus Græcorum & Romanorum. Excipiebantur etiam ruri, sed non invitis agri dominis. Quem morem fuisse Veteribus ostendit Columella *Rei Rusticæ* lib. XII. cap. III. ubi meminit eorum, quibus ad hospitum adventum utitur. Id tamen villico non fuisse usque liberum sine domini licentia, constat ex eodem *lib.* XI. *cap.* I. *Hospitem nisi ex amicitia domini quam rarissime recipiat.* Monitum salutare, ad rei familiaris incrementum. Hospites igitur non excluserunt Prisci, sed parasitos: In quam rem Cato *de Re Rust.* cap. V. de villico: *Parasitum ne quem habeat.* Libertum sane advenientes hospitio excepisse, refert Merula apud Varronem *lib.* III. *cap.* II. *Scriba librarius libertus ejus, qui apparuit Varroni, & me absente patrono hospitio excipiebat.* Hospitabantur in hortis, & in eos invitabantur. Quod Seneca lepide signi-

significat in *epistola* XXI. *Hospes hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est, paratus erit istius domicilii custos, hospitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque large ministrabit.*

A

Hospitalitatem etiam suam in hortis sic memorat Martialis *lib.* IV. *epigr.* LXIV.

Hoc rus, seu potius domus vocanda est,
Commendat dominus; tuam putabis;
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate
Credas Alcinoi pios Penates
Aut facti modo divitis Nolorchi.

B

Alcinoi pietatem, qua Ulyssem hospitem excepit, multis deprædicat Homerus *Odyss.* ζ. Herculem vero a Molorcho hospite exceptum Tibullus monumentis reliquit.

Inter peregrinantes autem præcipui sunt Legati, aliique illustrioris fortunæ, dignitatis, & auctoritatis viri, tum Politici, tum Ecclesiastici, quibus merito inter alios omnis generis honores sunt deferendi. Viris autem illustribus undique occurrunt vel clientes, vel amici, vel ipsi oppidorum domini, hodieque urbes ipsæ splendidæ ac profusæ iis tractandis: Legatis cum primis festive, & majori civium comitatu, quibus in lætitiæ significationem obviam itur, eoque magis, quo fuerint Legati Principum amicorum. In eorum gratiam deliguntur a Senatu viri nonnulli celebriores, & illi potissimum, qui cum advenis illis vel moribus, vel vitæ genere atque professione sunt quodammodo conjuncti; adsunt etiam Consules & Præsides. Hi publico nomine illos honorifice salutant, omnia illis humanitatis atque hospitalitatis officia deferunt ac pollicentur. In urbem introductos in ædes splendidas conducunt, ubi una cum illis epulantur, illosque honestis humanisque colloquiis exhilarare student. Quod si forsitan apud aliquem civem divertunt, illuc munera publica mittunt, inter quæ vinum honorarium. Eundem morem apud Romanos fuisse, Isidorus indicat: *Honorarium vinum, quod Regibus & potentibus honoris gratia offertur.* Hinc publico convivio excipiuntur, & si diutius morantur, ludi quoque & choreæ illustrium matronarum, ac omnis generis spectacula in illorum gratiam eduntur. Per urbem, ædificia, aliaque visu digna, spectatum magno comitatu deducuntur. Coronabantur etiam prisco more capita Legatorum verbenis. Nimirum talis Legatio inter ipsos hostes erat veluti quædam pacis sequestra. Quamquam & Legatos olea velatos, sicut & pacem petentes legimus. Virgilius VII. *Æneid.*

C

D

E

Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Neque enim Legati statim negotia tractabant, sed per aliquot dies antea munuscula dividebant, accipiebantque: ut fecit Jason in patriam reversus. Nam teste Pindaro per quinque dies versatur circa negotia, tandem die sexta consanguineos de re, ob quam venerat, admonet. Sic etiam Bellerophon apud Homerum a tempore, quo exceptus erat, post aliquot dies literas tradit Regi Solymorum. Apud eundem pariter Glaucus & Diomedes colloquuntur; quod a viris doctis non est observatum, suntque alia hujus rei exempla apud Homerum.

F

Romanorum erga Legatos Hospitalitas profecto insignis fuit, tantaque liberalitas in excipiendis, ut per urbanum Quæstorem publicum hospitium & munera, quæ Lautia dicebantur, sæpe etiam commeatus large & hospitaliter, & vestimenta publico nomine præstarent. Quod pluribus comprobare possumus, & præsertim ex Valerio Maximo *lib.* V. *cap.* I. *Ante omnia humanissima & clementissima Senatus acta referam. Qui cum Carthaginensium Legati ad captivos redimendos in Urbem venissent, protinus his nulla pecunia accepta, reddidit juvenes, numerum duum millium & septingentorum quadraginta trium explentes.*

Sic etiam Senatus, cum ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ Regem, Perseo defuncto, venire audiisset, obviam illi Publium Cornelium Scipionem Quæstorem Capuam misit: censuitque ei domus Romæ quam optime conducerentur, & copiæ non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice præberentur.

Refert Livius *lib.* XXX *cap.* XVII. de Legatis Masinissæ: *Legatis in singulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millibus æris, & vestimenta bina Legatis, singula comitibus data.*

Severus Imperator, ut constat ex Flavio Vopisco, Legatis septuagenos vicenos aureos dedit, eosdem præmisit, facta potestate, si qui vellent remanere, ac secum Romam redire.

Quæ munera Legatis & hospitibus illustribus missa Xenia & Apophoreta vocabantur, etiamsi aliis placeat Legatis Lautia: Xenia quæ a privato privatis hospitibus & amicis offeruntur vocari. Hinc Martialis *lib.* XIII. Xenia nuncupat carmina amicis loco Xeniorum missa:

Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas.

Reges Persarum e Legatis unicuique talentum Babylonicum argenti dabant: *Talenta vero fuisse duas phialas argenteas; item armillas & acinacem & torquem: hæc autem universa mille Daricis æstimata, & præterea stolam Medicam, quam Doryphoricam appellant.* Auctor est Ælianus lib. I. cap. XXII. *Variæ Historiæ.*


Legatos etiam largioribus poculis invitare solebat Bonosus ex Flavio Vopisco: *Nam si quando Legati Barbarorum, undecunque gentium venissent, ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret.* Unde merito Aurelianus Imperator de eo dixit, *Non ut vivat natus est, sed ut bibat.*

Nec Italis Principibus quidquam Legatis splendide excipiendis deest. Neque enim discedunt ab iis, nisi honoribus & donariis onusti.

Turcarum quoque Imperator excipiendis Oratoribus Serenissimæ Reipublicæ Venetæ & aliorum Principum insigni magnificentia utitur, dum illis preciosas auro pictas vestes tribuit, quibus ornati comparent, quandoquidem nemo nisi Regis munere ornatus admittitur.

Extorres quidem rerum consiliique inopes sub tectum recipere, non minimum humanitatis officium censetur: interdum tamen id periculi plenum, si gravissimis Principum comminationibus vetitum. Saturnum errantem atque inopem Janus excepit. Cujus rei argumenta sunt nummi vete-

A res, in quibus est cum duplici fronte Janus, & in altera parte navis, Lactantius auctor *de falsa relig.* lib. I. cap. XIII.



In *Æthopoia* Theodori Cynopolitæ, cujus notitiam Latinamque consuetudinem eximio Viro Leoni Allatio grata debet posteritas, ad Demosthenem verba sunt Æschinis; *Quid mihi hospitia exhibes, qui rerum domesticarum hospitem reddidisti?* Extorris quippe fuerat ille. Proinde se rerum domesticarum peregrinum ait, fortique animo illudit
D ejus operam, quem sibi adversum fuerat expertus, tanti mali causam.

Quinimmo non solum hospites, verum & hostes non temnenda comitate acceptos auctor Cornelius Tacitus *Annal.* XIV. cap. XXIV. *Nec multo post Legati Tigranocerta missi, patere mœnia afferunt, intentos popularis ad jussa; simul hospitale donum, coronam auream tradebant.*

Sed crescente Imperio Romano, cum undique sociorum Legati ab exteris Romam confluerent, sublato immoderato sumptu in iis excipiendis, decretum est, quod Legati Regum, Municipiorum & Coloniarum ad ædem Saturni diverterent, ibi-
E que apud Præfectos ærarii nomina darent & literis adscribi deberent, & quum commodum foret noscendis singulorum postulatis Senatus daretur, & post exposita mandata singuli ad suas Provincias mitterentur. Cur vero ad Saturni templum? Aliqui factum putant, quia Saturnus, cum esset peregrinus, hospitibus gauderet. Alii, ut eorum nomina in publicas tabulas referrentur. Apud ædem Saturni erat ærarium publicum.

Legati vero externorum Principum, seu alterius gentis, antequam admitterentur, exploratores, seu aliquis ex minoribus Magistratibus obviam mittebatur, qui & quæ peterent inquireret;
F postea in æde Apollinis extra Urbem, aliquando in æde Bellonæ Senatu habito, eorum postulata noscebantur, quos, si videbatur, admittebant.

Bellonæ enim templum ideo extra Urbem constructum erat, quia quos Deos vi sua Veteres obesse putabant, in Urbem diutius non admisere. Sic ædes Vulcani & Martis: sic Veneris Erycinæ extra Collinam magna mole extructæ fuerunt, ne libido invalesceret. Vitruvius *lib.* I *cap.* VII. *Extra murum Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, uti non insuescat in Urbe adolescentibus, seu matribus familiarum Venerea libido.*

CAP. XV.

De Omine in Hospitum adventu.

ITA religiose Prisci hospitalitatem coluere, ut etiam bona auspicia malis depellendis ex adventu hospitum arriperent. Cujusmodi ad quartanam profligandam apud Plinium Valerianum, vel quod verisimilius, posterioris ævi compilatorem empiricum, variæ superstitionis heic ple-
B num, *lib.* III. *cap.* VI. legitur: *Panem & salem in linteo de Lyco liget, & circa arborem licio alliget, & juret per panem & salem: crastino mihi hospites venturi sunt, suscipite illos. Hoc ter dicat.* Quem locum hactenus corruptum sic restituit Joannes Rhodius: *Panem & salem in linteo licio deliget*, &c. Panem & salem mensis sacrum fuisse constat ex Plinio, qui *lib.* XXXI. *cap.* VII. ait, *Veteres salem cum pane & caseo esitasse.*

Istius autem religionis adhuc vestigium est apud Germanos, qui jurant per salem & panem. Nec prætereundum quod Maximus Planudes in *Vita*
C *Æsopi* narrat, ob hospitalitatem linguam ipsi solutam.

CAP. XVI.

Apparatus Hospitalitatis circa Viatores; ubi de Tesseris, & Symbolo.

UNIUSCUJUSQUE fortunæ ac conditioni respondebat apparatus in excipiendis hospitibus. Omnia vero humanitatis plena sumptibus honorificis fiebant. Hospitii majestatem præ cæteris insigniter augebant preciosa ædium supellex, virorum clarissimorum comitatus, & munera accedentibus oblata. Quæ omnia breviter tangit Vitruvius *lib.* VI. *cap.* X. ubi de Xeniis: *Nam cum fuerunt Græci delicatiores, & ab fortuna opulentiores, hospitibus advenientibus instruebant triclinia, cubicula, cum penu cellas. Primoque die ad cœnam invitabant, postremo mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquasque res agrestes. Ideo pictores ea, quæ mittebantur hospitibus, picturis imitantes, Xenia appellaverunt.* Ceterum mos erat tesseram dare hospitibus semel receptis dimidiatam, quam quicumque attulisset ad hospitem, continue agnoscebatur, hospitio receptus, tanquam amicus & vetus hospes. Quod jus necessitudinis, quoniam ad posteros transibat, tesseram hospitalem diligenter observabant. Plautus in *Pœnulo*, Act. V. Sc. II.

Ego sum ipsus, quem tu quæris.
POE. *Hem quid ego audio?*
AG. *Antidamæ gnatum me esse.*
POE. *Si ita est, tesseram*
Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.
AG. *Agedum huc ostende, est par probe, nam habeo domi.*
POE. *O mi hospes, salve multum, nam mihi tuus pater,*
Pater tuus ergo hospes Antidamas fuit,
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.
AG. *Ergo hic apud me hospitium tibi præbebitur.*

Tabulas vero hospitales, tesseræ divisæ loco, etiam geminas fuisse fabrefactas, aperte monstrant in ædibus Farnesianis, quæ servantur Græci idiomatis æneæ. Quas Benedictus Hegius apud Georgium Gualterum in *Siciliæ Monumentis* sic Latine reddidit:

SVB SACERDOTE
NYMPHODORO PHILONIS F.
CVM SENATVS ADESSET
PRAESIDE TRIBV
HYLLEORVM PRAETORE
DIOCLE DIOCLIS F.
SCRIBA HADRANIONE ALEXANDRI F.
DECRETVM DIE BIMESTRIS CARNEI EXEVNTIS
OMNINO DE PVBLICO HOSPITIO
DEMETRIO DIODORI F. SYRACVSANO
PLACVIT POPVLO SENATVIQVE
POSTQVAM NVNCIAVERE LEGATI
ROMAM PROFECTI
PASION PASIONIS F. COTETIS N.
ET THEODORVS THEODORI F. XENIAE N.
DEMETRIVM DIODORI F. SYRACVSANVM
MVLTO AC MAGNO EMOLVMENTO FVISSE
NOSTRO POPVLO
ET MAGNORVM COMMODORVM AVCTOREM
ACRAGANTINIS VERO CVM PATRIVM EST
ET ACCEPTVM A MAIORIBVS BONIS VIRIS
ET DEFENSORIBVS NOSTRI POPVLI
DIGNOS HABERE HONORES
QVOD FELIX FAVSTVMQVE AC SALVTARE
POPVLO AGRAGANTINORVM
DECERNI PVBLICVM HOSPITEM ET AMICVM
DEMETRIVM DIODORI F. SYRACVSANVM
VT CVNCTIS CLARVM SIT POPVLVM ACRAGAN-
TINVM
SCIRE GRATIAS REFERENDI DIGNAS
BENEFACERE STVDENTIBVS
HOC AVTEM DECRETVM IN TABVLAS
AENEAS DVAS INCISVM
VNVM SVSPENDERA IN HOC BVLEVTERIVM
AT ALIVD DARE
DEMETRIO DIODORI F. SYRACVSANO
MONVMENTVM
ERGA POPVLVM BENEVOLENTIAE
QVAESTORES SVMPTVS QVI PRAESCRIPTI
ET QVICVNQVE TANDEM NECESSE SVNT
ET SVMPTVS FACERE
INQVE RATIONES REFERRE
EIVS SENTENTIA
IN CONCILIO OMNES

Altera de publico hoſpitio,& benevolentia Diodoti F. Syracuſano, & Nepotibus ſuis:

SVB SACERDOTE
ICETA ICETAE F.
ARCHONTIBVS DEEREO ET COTETAE
PLACVIT SENATVI
ET POPVLO MELITAEORVM
QVONIAM DEMETRIVS DIODOTI F. SYRA-
CVSIVS
SEMPER BENEVOLVS EXTITIT
ET PVBLICIS NOSTRIS NEGOTIIS
ET SINGVLIS CIVIBVS
AVTHOR BONI
SAEPENVMERO FVERIT
BONAE FORTVNAE CENSERI
DEMETRIVM DIODOTI F. SYRACVSANVM
HOSPITEM ESSE
ET BENEFICVM
POPVLI MELITAEORVM
ET NEPOTES EIVS
VIRTVTIS EIVS ET BENEVOLENTIAE
QVAM CONTINVO
EXHIBET IN NOSTRVM POPVLVM
HAEC VERO PVBLICA HOSPITALITAS IN-
SCRIBATVR
AENEIS TABVLIS DVABVS
ET VNA DETVR
DEMETRIO DIODOTI F.
SYRACVSANO

A Teſſera porro, quam nos Itali *Taglia* vocamus, κάλαμος dicitur a Græcis, & καλάμη, quæ *palea* proprie. *Ad ξ. Odyſſ.* Didymus: Ἐστι δὲ καλάμη ἡ ὑποστάθμη τοῦ ὑπολειπομένου σίτου. *Eſt autem calame, quod reſiduum frumenti remanet:* unde *romper la paglia* dicunt pueri apud Italos, quod eſt amicitiam ſcindere.

Erant enim teſſeræ fruſtilla lignea, auctore Turnebo *Adverſ.* lib. XXIX. cap. XXVI. certa inſignita & notata forma, quæ dabantur iis, quibus facultas petendi erat frumentum publice: & a verbo Græco τέσσαρα dictum putatur.

B Teſſera quoque lignum erat complanatum, in quo numeri deſcribebantur: quod & *Talus* dicitur, unde teſſeræ pro Talis ſæpius uſurpatæ, qui teſſeræ Luſoriæ vocabantur.

Apud Veteres teſſerarum novem reperiuntur genera. Teſſera nempe *Frumentaria, Nummaria, Militaris, Hoſpitalis, Comitialis, Theatralis, Convivalis, Luſoria, & Negotiaria.* Frumentaria, ut nuper monui, eſt ſignum, quo exhibito unuſquiſque frumentum pro portione accipiebat a Principe. De qua Juvenalis *ſat.* VII.

Summula ne pereat, qua vilis teſſera venit
Frumenti.

C Et Perſius *ſat.* V.

—— ſcabroſum teſſerula far
Poſſidet.

De diviſione frumenti & teſſeris Suetonius in *Aug.* cap. XL. *Ac ne plebs frumentationum cauſa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum, quaternum menſium teſſeras dare deſtinavit.* Et cap. ſeq. *Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ipſe leviſſimo, interdum nullo pretio, viritim admenſus eſt, teſſeraſque nummarias duplicavit.* Gratis enim ex Clodii rogatione frumentum populo dividebatur. Hinc D Iſidorus: *Teſſeræ ſunt, quibus frumenti numerus deſignabatur.* Quod quidem ſæpe Imperatores honoris cauſa facere ſolitos ex numiſmate Nervæ* patet, in cujus adverſa parte eſt modium, menſura frumenti, in quo ſpicæ frumenti hoc titulo:

PLEBEI. VRBANAE. FRVMENTO
CONSTITVTO. S. C.

Et Maximini aliud, in quo Imperator ſpectatur cum Teſſera, & hac inſcriptione:

LIBERALITAS. AVG. S. C.

Panis gradilis † & civicus olim diſtributus pari-
E ter per teſſeras in Foro de gradibus, quibus Valenti-

* De hoc Nervæ numiſmate ita differit Ant. Auguſtinus *Antiqu. Rom.* dial. II. *Obſervatum eſt*, inquit, *rarius tritici ſpicas in his nummis ſpectari, quin illis adſit papaver, ideo forſitan quod qui hoc veſcitur abſque cura & mentis inquietudine ſomnum capere poſſit. Niſi velimus ideo papaver in nummis exprimi, quod denotet Cererem Deam, quæ raptam a Plutone Proſerpinam filiam dum quærit, ſomno oppreſſa quievit.*


† Modum diſtributionis panis gradilis ſeu congiarii repræſentat præſens hoc Nervæ numiſma, cujus dilucidationem ex Antonio Auguſtino mutuati ſumus. *Sunt*, inquit, *& numiſmata ubi tabulatum altius, quo gradibus aſcenditur; cui inſidet Imperator monetam largiens, vel teſſeram, quod ſignum veluti reciprocum erat, quantum cuique largiendum, quaſi ſce-*
F *dula ſubſcripta atque obſignata, qua Quæſtor inſpecta ſingulis tantum numeraret. Adſtat Imperatori vir dextra quadratam tabellam manubrio tenens, in qua utrimque puncta; conjicere licet in his tabellis notari punctis aliiſve notis, quantum æris, vini, aut frumenti ſingulis diſtributum. In angulo tabulati ſpectare licet hominem aliam quadratam tabellam tenentem, alteri perſimilem, quam in* Liberalitatis *nummis videri diximus, quæ buccinæ fortaſſe inſtar populum, ut Imperatoris munificum donum acciperet, advocabat.* Hactenus Antonius Auguſtinus *Antiq. Roman.* dial. II. a quo diſſentit Cl. Oudanus *Antiq. Rom.* dial. V. qui per tabulas ſupra dictas *non teſſeras, ſed ipſam menſuram, quæ frumentum admetiebatur,* denotari autumat.



nianus & Valens Imperatores infigi juſſere titulum æneum, qui panis modum & nomen percipientis continebat, ut videre eſt in Theodoſii *Codice l.* xv. *de annonis Civicis*.

L. xv. *de annonis Civicis*, ſimiliter vinum & oleum de publico accipiebatur. Quam conſuetudinem ab Heraclio Imperatore ſublatam erudite monuit Claudius Salmaſius in *Notis ad Flav. Vopiſcum*. Memoria dignum, quod Balduinus de Conſtantini Imperatoris legibus refert Leonis Imperatoris dictum, qui Eulogio Philoſopho, quum teſſeram frumentariam dari juſſiſſet, & quidam murmurarent eam militibus dandam eſſe, exclamavit: *Utinam is ſit aliquando temporum meorum ſtatus, ut militum quoque ſtipendia in literarum magiſtros transferre poſſem*.

Hujus procul dubio cenſus eſt calculus ex gypſo, ſua magnitudine a me cum aliis delineatus, in *Pinacotheca* Joannis Rhodii, utrinque ANTONINI AVG.



titulo ſpectabilis, quam ab athleticis non multum abeſſe indicavit L. Pignorius, nondum tamen explicuit.

A Hujus autem Teſſeræ, quæ, non tam dignitatum titulis, quam ſingulorum meritis data, erat civica, in hæredes emolumenta jure ſanguinis transferre licuit, vel extraneis vendere, veluti Jacobus Gutherius oſtendit *de Offic. Domus Aug.* lib. II. c. XI. De qua Paulus Juriſconſultus civis noſter *L. Titia Sejo*.88. *D. de Leg.*2. *Titia Sejo Teſſeram frumentariam comparari voluit*. Id eſt, annonam civilem. Nec aliter intelligendus eſt Lipſius *Elect.* I. cap. VIII. quando affirmat Teſſeras Frumentarias olim venditas.

Teſſeræ Nummariæ, qua ſumma nummorum præſcripta repræſentari ſolet, cauſam Dion indi-
B cat: *Permultos Domitianus, dum imperaret, bonis atque fortunis injuſte ſpoliaverat, quibus per vim ablata reſtitui dumtaxat ea voluit, quæ in aula reperta fuiſſent. Ad ſuſtentandam civium vitam decies & quinquagies centena milia nummum erogavit, & quoſdam Senatorii ordinis delegit, qui agros emerent, eoſque egenis dividerent*. Commune fere Imperatoribus Teſſeras Frumentarias & Nummarias populo dare.

Hunc morem ſecuti noſtri cives Patavini ſunt, dum publice pauperibus ad charitatis ſubſidia, in executionem piorum legatorum, ad feſtum Sanctiſſimi Natalis, & Paſchatos, nummi ærei circu-
C lares, ſuis ſignata notis, vulgo *Bolle*, diſtribuuntur: quos quicunque diſpenſatoribus adfert, modo panem, modo farinam, modo vinum, modo denarios accipit.

Teſſera Militaris, quæ aliquando pro ſigno dabatur euntibus ad bellum. Virgilius l. VII. *Æneid.*

—— *it bello teſſera ſignum*.

Et Livius *lib.*VII. *Ceteris omnibus dari teſſeram juſſit*. Hinc Luctatius Gram. *ad lib.* VII. *Thebaidos Statii*, *teſſeram bellorum ſignum ut hoſpitalem teſſeram*
D *diximus*. Polybius πλατεῖον appellat, quod taleola eſſet, vel tabella lata inſcripta: ſed & ξυλήφιον ab eodem vocari videtur. Itaque ut ut mutata forma & interpolata multis fortaſſe modis, nomen retinebat. Sed ea voce tandem figura ſenum laterum cenſeri cœpit, quæ teſte Macrobio in *Somn. Scip.* lib. II. cap. II. Græco nomine cubus dicitur. Quin & teſſeras, quas ſpargebant Imperatores, ſphæria, id eſt, globulos, vel pilulas Dion in *Nerone* & *Tito* appellat.

Itaque Teſſera Militaris, qua in alveolo ludi conſuevit, Iſidoro teſte, quadra ex omnibus partibus,
E Græce κύβος, præceptum notat ducis, quo exercitus vel ad aliquod opus, vel ad bellum movebatur. Unde Teſſerarii, Vegetio auctore, erant, qui Teſſeras per contubernia militum nunciabant. Ita Servius *ad* VII. *Æneid. it bello teſſera ſignum*, ſymbolum bellicum, quod ad pugnas exeuntibus datur, confuſionis evitandæ cauſa. Eamque Vegetius duplicem facit, Vocalem & Mutam. Vocalis ea eſt, quam hodie circitores flagitant, vulgo *l Nome*. Teſſeram nempe diſciplina militaris poſtulabat, ſymbolum bellicum & ſignum Tribuno datum ab Imperatore, quo ſocii milites dignoſcebantur ab hoſtibus. Cyri Majoris teſſera fuit, Xenophonte *lib.* III. auctore, *Juppiter belli ſocius &*
F *dux*; Minoris, *Juppiter Servator & Victoria*. Eam fuiſſe in caſtris D. Cæſaris narrat Appianus *lib.* II. *Venerem genitricem*. Aliquando *Felicitatem*, auctor eſt Hirtius, *& Victoriam*. Apud Neronem *Optimam matrem* refert Suetonius in *ejus Vita* cap. IX. *Primo Imperii die ſignum excubanti Tribuno dedit Optimam matrem*. Pompejus Magnus elegit ſignum *Herculem invictum*; & alter juvenis *Pietatem*. In Antonii & Marii exercitu *Lar Deus* ſignum fuit, Servio teſte *ad* VII. *Æneid.* In exercitu Syllæ *A-*

pollo: quod idem sibi elegit Brutus in Philippis, ut ex Plutarcho in *ejus Vita* patet. C. Caligula Cassio tanquam molli signum dedit *Priapum & Venerem*, ex Suetonio *cap.* LVI. Severo Septimio placuit, *Laboremus*, & Pertinaci, *Militemus*. Aurelianus, ut refert Flavius Vopiscus, signum exercitui apposuit, *Manum ad ferrum*. Antiochus, cognomento Soter, adversus Galatas exercitum ducens, signum dedit, *Bene valete*. Refert Cedrenus: *Quinto anno seditio facta est, cui a tessera nomen est Nica, id est, vince*. Vegetius *lib.* III. *cap.* v. scribit, nonnullis fuisse tesseram, DEUS NOBISCUM. Quam nostro quoque sæculo postremis Germaniæ bellis integro exercitui a Ducibus & Regibus commendatam novimus.

Mutæ apud Turnebum *Adversarior.* lib. XXX. c. XXXV. duæ memorantur tesseræ belli & pacis: scilicet lignea frusta, vel tabellæ ligneæ, quibus nomen pacis & belli inscriptum erat. Sic Pomponius *de Origine Jur.* lib. II. *Q. Fabius ad Carthaginenses missus Legatus, cum essent duæ tesseræ positæ, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, utram vellet Romam referre, utramque sustulit, & ait: Carthaginenses petere debere utram vellent accipere.* In hunc fere modum Gellius *lib.* X. *c.* XXVII. *Q. Fabius Imperator Romanus dedit ad Carthaginenses epistolam, ubi scriptum fuit, Populum Romanum misisse ad eos hastam & caduceum, signa duo belli aut pacis.* Et paulo post: *Marcus autem Varro non hastam ipsam, neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas: in quarum altera caduceum, in altera hastæ simulacra fuerunt incisa*. Indis vero anchora erat pro caduceo, ex Philostrato in *Vita Apollonii* lib. III. cap. III.

Tessera itidem hospitalis, sive hospitii fuit, quam hospites, eorumque liberi secum ferebant, ut facilius a veteribus & paternis hospitibus agnosci possent. Quæ præsentis potissimum est instituti. Luctatius *loco* pridem *memorato*: *Veteres, quoniam non poterant omnes hospites suos noscere, tesseram illis dabant, quam illi ad hospitia reversi ostendebant proprio hospiti. Unde intelligebantur hospites*.

Hujus formam Euripidis Scholiastes in *Medea* optime describit. Qui hospites invicem fieri volebant, ἀστράγαλον, hoc est, *talum* quendam discindebant in duas partes æquas; unam ii, qui hospitium præbebant, sibi retinentes; alteram dantes ei, qui hospes fieri solebat: & si contigisset de cætero, uti alter alterius hospitium subiret, producentes dimidium tali renovabant jura hospitalia.

Tales sunt binæ ex osse, annorum situ veluti petrefactæ, sublutei coloris, junctæ, forma rounda, & parte interiore hospitum nominibus inscriptæ, in museo amicissimi nostri Joannis Baptistæ Casalii, nobilis Romani; cui plurimum debemus, & obsequium perenne de insigni humanitate, qua nos ille prosequutus est, cum Urbani VIII. Summi Pontificis beneficentia Episcopatu Æmoniæ ornaremur.

POLYNICES
ASCANIO. F.

CLAPHYR
ANDRAE. M. I. F.

POLYNICES
ASCANIO · F ·

CLAPHYR
ANDRAE · M · I · F ·

A Ipsius vero hospitii symbolum, sive tesseram apud Lingones fuisse dexteram narrat Cornelius Tacitus *lib.* XVII.

Tesseræ Hospitali non immerito accensebitur, quam domestica plerunque suppeditavit necessitudo, Amatoria, in *Monumentis Danicis* lib. XXVII. a Clarissimo Viro D. Olao Wormio virgulæ eroticæ titulo accurate descripta: *Bacillus*, inquit, *est quadratus* * *trium pollicum longitudine, latitudine tertia parte pollicis, latera quatuor characteribus insignita habens, ex pruno sylvestri, ut videtur, fabrefactus*. Literas arbitratur esse amatorias, ita scriptas, ut amantium nomina peculiaribus intricata

B notis non omnibus sint obvia. Eas peculiari tabella delineatas ita legit ille:

Bynaffa vuet kieresta mina aff
Thenkestol inde Landum.

Latine sonant:

Nomen meum novit amicissima mea
Ex amoris hac tessera Landum.

Tesserulas insuper Comitiis adhibitas a suffragatoribus, dum honores distribuerentur, Varro testis *de Re Rustica* lib. III. cap. V. *Cum hæc loqueremur,*

C *clamor fit in campo. Nos athletæ comitiorum una, cum id fieri non miraremur, propter studia suffragatorum, & tamen scire vellemus quid esset, venit ad nos Pantulejus Parra. Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum, eum ad Consulem tractum a fautoribus competitorum.*

Sortitionis hanc fuisse speciem non obscurum est ex eodem *lib. cap.* XVII. *Latis tabulis sortitio fit Tribuum, ac cœpti sunt a præcone renunciari quem quæque Tribus fecerint Ædilem.*

Theatralem non inconcinne dictam censeo tesseram munus, cujus frequens in ludis mentio. Sic

D *de Ludis Stellæ* Martialis *lib.* VIII. *epigr.* LXXVII.

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera larga feras.

Nimirum ludos tam celebres fieri jussit in gratiam Principis Stella, ut tesseræ ligneæ, aut sphærulæ e loco superiore in theatrum & propalam spargerentur, quibus signa inscripta erant ferarum, vel aliarum rerum, quas editor cupiebat populo largiri. Tesseras autem, seu globulos populus rapiebat, cum jactarentur, & quod quisque in tessera signum habebat, illud accipiebat ab Imperatore:

E ut si tesseræ esset inscriptus cervus, equus, domus; domum, equum, cervum a Cæsare, vel munerario accipiebat, ut auctor est Dion *lib.* XLIX. & LIX. Tesseras ejusmodi globosas eruditissimus Joannes Galvanus JC. & Professor publicus Patavinus aliquando vidit.

Huc faciunt tesseræ spectaculis destinatæ, cujusmodi elegantissimam vidimus ex osse tesseram apud Joannem Rhodium, quam ad ludum gladiatorium excogitatam significat fuscina cum palma, cui servile nomen gladiatoris jam rude donati, verius ad spectaculum, quam ad pugnandum conducti esse inscriptum loquitur res ipsa


F PILOMVSVS. PERELI.

Adversa parte:

SPECTAVIT.

Binas hujus generis tesseras mihi communicavit humanissimus & nobilissimus Vir Cassianus a Puteo Eques, quarum utraque spectatorum nomina tempusque ludi refert, altera vero etiam Consulis titulo insignita.

* Hanc tesseram habes pag. seq.



MANLIVS
MARTIALIS
SP. K. IAN
T. CATIO. P. CAELER.


FAVSTVS
ANTONI
SP. K. APR
M. LEP. L. ARR. COS




Hujus etiam generis erudito Antonii Augustini *de Nummis* opere * Dialogo II. delineantur.

Quæ autem viri est in augendis literis ornandisque amicis voluntas eximia, libro jam typis descripto, hujus ordinis vitream fulvi coloris addidit aliam, qua spectaculi fortassis argumentum literis tam Romanis exhibetur, quam Græcis; nimirum FERVS SCYTHA, sive Thrax: ad eorum sine dubio temporum rationem, quibus variis gentibus urbs florentissima patebat. Hoc enim videtur indicare ΑΡΓΑC CΕΙΔΩ: quod charactere Romano rudior artifex ARTAS, Γ & T similitudine decep-

* *Tesseras has in editione Antuerpiensi frustra quæsiveris, quales autem illas in editione Italica quæ Romæ anno* M. DC. K. *prodiit invenimus, tales tibi hic eas damus. Harum quæ medium obtinet locum sic legitur a Fulvio Ursino*: Philodamus Dosseni ante diem decimum Kalenda. Novembris spectatus M. Terentio, C.Cassio. *ex quibus reliquas duas facile est intelligere: nimirum id sibi volunt, hunc talem gladiatorem tali die & Consule ultimum su spectaculum dedisse*, & rude donatum *esse. Erat autem* rudis *tessera quædam eburnea, cui nomen gladiatoris ætat emeriti inscribebatur, quam qui accipiebat, is ab omni pugnandi necessitate eximebatur.*




ptus, minus recte expressit. Nec alia ratione HERCVLES FVRENS. HERCVLES OETAEVS. TROAS, Senecæ aliorumque Comicorum Inscriptiones plurimæ, vel nostri seculi consuetudine oculis rem totam chartis passim affixis subjiciunt. Verum de hoc eruditiores amplius cogitent, nobis id conjecisse satis est. Mihi sane non displicet interim doctissimi Viri Lucæ Holstenii sententia, tesseram hanc Syrorum aliorumque Orientalium fuisse populorum, qui Romæ cladestina sacra peragebant.



Ejusdem ordinis aliam apud Franciscum Angelonum Virum Clarissimum, & antiquitatis optimum æstimatorem, ex ebore quadrilateram, Romæ in ejus nobilissimo museo, conspicere licuit, in qua SP. vetustate detritum.

DEMETRIVS
FADENI
D. LENT. M. MES. COS.
.... K IVN



Convivales etiam fuiſſe teſſeras liquido conſtat ex Ælio Lampridio, cujus hæc ſunt de Antonino Heliogabalo: *Sortes ſane convivales ſcriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos, alius decem muſcas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem ſtruthiones, alius decem plumbi, alius decem ſtruthiones, alius decem ova pullina, ut veræ ſortes eſſent & fata tentarentur: quod quidem & ludis ſuis exhibuit, quum & urſos decem, & decem glires, & decem lactucas, & decem auri libras in ſorte habuit. Primuſque hunc morem ſortis inſtituit quem nunc videmus. Sed vere ad ſortem ſcenicos vocavit, quum & canes mortuos, & libram bubulæ carnis haberet in ſorte; & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris, & alia talia, quæ populus tam libenter accepit, ut eum poſtea imperare gratularetur.*

Teſſeram tandem Luſoriam, cujus antea memini, a talis nihil diverſam oſtendit Martinus Delrius *Com. Herc. Fur.* De his Ovid. lib. II. *artis amat.*

Seu ludet, numeroſque manu jactabit eburnos;
Tu male jactato, tu bene jacta dato.

Et Martialis *lib.* XIV. *epig.* XVII.

Hic mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto;
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Jaciebant porro hoſce talos in fritillum, id eſt, firmum pyrgum, turriculam, orcam, vel pyxidem corneam. Qualem vidi in muſeo Equitis Franciſci Gualdi Romæ ex ære. In hunc ſenſum D. Auguſtinus *de Civitate Dei*, introducens æditum ludentem teſſeris pro ſe & Hercule, ita ut una vice pro ſe luderet, & alia pro Hercule; & ſi Hercules lucraretur, promittebat de pecuniis ſuis copioſam parare cœnam Herculi, & illi nobile ſcortum adducere. Si vero ipſe lucraretur, vincens Herculem, de expenſis templi ipſi cœnam & ſcortum deberet. Plana in hanc ſententiam Julii Capitolini verba in *Ælio Vero*: *Poſt convivium luſum eſt teſſeris uſque ad lucem.*

Sed & contractibus peculiares Mercatorum teſſeræ erant. Quem modum nunc Menſarii obſervant, qui vulgo *Banchieri*, ut poſſint, teſſeris oſtenſis, mercaturam in alienis regionibus exercere. Huc facit Julius Pollux *Onomaſtici* lib. IX. cap. VI. Rodolpho Gualthero interprete: *Symbolum tenue quoddam numiſma, ſemiſecta ſcilicet nummi pars, parvi admodum precii; quo vendens & emtor comprehenduntur & confirmantur.* Pollucem notat quidem Iſaacus Caſaubonus, quod ſymbolum non ſit certæ pecuniæ nomen, ſed annulus, aut quidvis aliud arrhæ loco. At vero Pollux non ait pecuniæ nomen, verum ſymboli loco nummum fuiſſe diviſum. Annulus autem teſſeræ convivali magis accedit, quoties ea communi ſumptu paratur; veluti ex Terentio notum eſt: quod etiam in Athenæo *lib.* III. *cap.* XXXI. animadvertit Caſaubonus ipſe.

Teſſeræ autem in contractibus uſus loco pecuniæ etiam Symbolum dicebatur. Quod inter Juriſconſultos ita definit Conſtantinus Harmenopulus lib. I. *Promtuarii Juris Civilis*, titulo octavo: *Symbolum eſt commentarium, ſeu deſcriptio conventorum & contractuum, ſive pactorum, inter ſe mutuo contrahentium & convenientium.* Miſtione enim voluntatum perſonarumque conveniunt & contrahuntur Symbolæ; & hæc conventio, ſeu pactum vocatur: quidque de ea re ſit ſcriptum nominatur Symbolum. Symbola itaque jure dicta ſunt pacta inter diverſos populos, quibus totum jus commercii inter ipſos continebatur. Cjuſmodi ſunt explicatæ *Operis* initio Tabulæ.

Symbolum apud varios Authores etiam pro eo ſumitur, quod loco pecuniæ tradebatur, nec enim

A ea ſemper parata exhibebatur. *Veteres etiam*, ut ait Iſidorus, *quando aliquid ſibi promittebant, ſtipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes ſuas ſponſiones agnoſcebant.* Unde ſæpius idem quod Teſſera.

Symboli autem diverſi ſunt modi. Plautus imaginem ceræ impreſſam, & in ſimilem uſum relictam ſymbolum intelligit: idque genere maſculino. Sic enim ille in *Pſeudolo*, Act. I. Scena I.

Ea cauſa miles hic reliquit ſymbolum
Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem,
Ut qui huc afferret ejus ſimilem ſymbolum,
B *Cum eo ſimul me mitteret.*

Idem in *Bacchidibus*, Act. II. Scena III.

Eo præſente homini extemplo oſtendit ſymbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret filio.

Alii Symbolum dicunt, ubi ſuam quiſque eſcam ad commune convivium, aut particulam, aut æs confert. Qua ſimilitudine quidam *Symbolum Apoſtolorum* dictum arbitrantur, quod quilibet eorum ſuum fidei articulum, ut vocant, contulerit, veluti hodie amici, dum aliquid confertur, Symbolo petuntur. Quod ad locupletiorem hujus vocabuli intelligentiam addo, non ut iſtorum opinioni ſubſcribe- C re videar. Nec aliter intelligendum Terentii illud ex *Eunucho*, Act. III. Sc. IV.

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræo
In hunc diem, ut de ſymbolis eſſemus.

Symbola enim teſſerulæ ſunt, quæ quiſque Sympoſiarchæ dabat, quo tanquam ſigillo & pignore fidem ſuam obſtringebat, ad condictam cœnam die horaque certis venturus, & onus impenſarum laturus. Hinc Plautus in *Sticho*, Act. III. Sc. I.

—— eo condixi, in ſymbolam
D *Ad cœnam.*

Et poſtea ſuo more ludens, facit ſervum dicentem amicam ſuam ſymbolam pro ſe daturam:

Eadem (inquit) *ſymbolam dabit.*

Dabantur & ſymbola hoſpitibus. Euripides in *Medea*:

Hoſpitibus mittere ſymbola, ut tibi benefaciant.

Nimirum xenia & munuſcula hoſpitibus dari ſolebant. Ita Jaſon Medeam rogat, ut de theſauris ea ſumat, quibus conciliet ſibi amicos, cui uſui non raro conferebat annulus. Unde pro ſymbolo etiam veteres Grammatici exponunt. Amicos autem pe- E regre abeuntibus imaginem ſuam donaſſe indicat Seneca *Epiſtola* XL. quam ſine dubio circumferebant in annulo. Quod de Boccacio & Petrarcha olim in literas retulimus. Scribonius Largus *Compoſ.* CLXXII. refert ſe pro magno munere ab hoſpite ſuo Zopyro, Gordienſe Medico, hydrophobiæ remedium accepiſſe. At ſimilitudine Symbola quoque dicuntur ſigna occultarum & ſacrarum rerum. Quo ſignificatu Dionyſius Areopagita: *Dicimus autem quid aliorum ſymbolorum ſanct primi patres*, &c.

Symbolum item augurium, ſignum, ſeu vaticinium ſignificat genere maſculino.

F Teſſeris hiſce merito accenſetur Paganica, cujus nulla in hunc diem fuiſſet notitia, niſi eam priſcæ eruditionis condus Lucas Holſtenius, D. Petri Canonicus, pro ſingulari humanitate ſua, quum operæ extremam addidiſſem manum, nuper e monumento, quod Fulginii eſt apud amicum, Roma ſubmiſiſſet. Tabula vero eſt ænea, tres uncias alta, quinque ferme lata: cui ſuperſtat feminæ vultus. Quam hoc loco integram eo libentius exhibeo, ut antiquitatum cultores perſpiciant, quam religioſe teſſeræ fuerint inſtitutæ.

TESSERAM. PAGANICAM
L. VERATIVS. FELICISSI
MVS. PATRONVS. PAGANI
S. PAGI. TOLENTINES
HOSTIAS. LVSTR. ET. TESS
ER. AER. EX. VOTO. L. DD.
V. ID. MAS. FELICIT.

Libertum vero fuisse L. Veratium suspicari licet ex alio monumento, quod Romæ vidit Smetius L. VERATI FELICIS memoria conspicuum: qui forsan cum Tolentino municipio commercium fuit, quod hostiis ac voto Tesseræ adhibitis ad majorem fidem stabilivit.

CAP. XVII.

Hospitalitatis securitas & immunitas.

NEC solum Hospites humaniter excipiendi & tractandi, verum etiam aliorum vi atque contumeliis acriter sunt defendendi: quod ipsum quoque Homerus docet. Sic Telemachus, cum Minervam hospitio excepisset, separatim illi epulas instruxit, ut ne quid illi a procis molestiæ exhiberetur. Quam de Ulysse patre suo sibi ignoto idem solicitus fuerit, ne conviciis impeteretur a procis, facile indicat, dum illum jubet apud Eumæum pastorem commorari.

Sic Troja capta Antenori & Æneæ a Græcis libera in aliis terris hospitii commoditas permittitur, Livius mihi testis: *Iam primum omnium satis constat, Troja capta in cæteros sævitum esse Trojanos; duobus Ænea Antenoreque & vetusti jure hospitii, & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.*

De Germanis Cæsar *Com.* lib. VI. *Hospites violare fas non putant; qui quaque de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctosque habent: iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Ista igitur priscis Germanis cæterisque Celtis, unde religio, nisi ex eodem fonte, ex quo Lothus hauserat; satius esse filias virgines improborum illusionibus atque injuriis objicere, quam peregrinos hospites. Unde etiam non modo Celtis, sed & aliis gentibus hospitum corpora fuere sacra. Hospitii jus minime violandum suo docuit exemplo Lycaon, qui cum hospitio susceptos advenas necasset, susceptoque Jovi epulas humanas apposuisset, in lupum mutatus fuit.

CAP. XVIII.

De conviviis quibus hospites excepti: ubi de tricliniis, de mensa, & sella hospitali; item de coronis.

CUM Hospites jam ablutis pedibus mensæ admovebantur, ipsis aqua abluendis quoque manibus affundebatur, sed frigida. Calida enim pedibus, frigida manibus dabatur. Unde cum Hercules apud Oeneum cœnaret, & Eunomus puer illi manibus aquam calidam infudisset, quæ pedibus infundi debuerat, præpostero officio iratus, sive ludibundus Hercules talitro, complicato in ictum digito, eum interfecit; quod Scholiastes in *Trachiniis* Sophoclis recitat. Cæterum in lectis collocati manus lavabant. Hinc in marmoribus accumbentibus præsto sunt servi cum malluvio & aqua. Deinde unguenta barbæ dabantur & capiti.

Parabantur autem Triclinia vel e simplici ligno, vel pretioso, aut testudinum sectis laminis, ebore, argento, atque auro ornata. Lecti appositi summa pompa, supra quos interdum unus ex hospitibus vel duo cubabant. Mensæ itidem, eodem splendore fabrefactæ, rotundæ vel quadratæ erant, supra quos mantilia injiciebant. Dabaturque eis vestis cœnatoria, sive convivalis. Quomodo in marmoribus Romanis qui in lectis accumbunt, aut seminudi, aut unica tantum veste tecti videntur. De hac procul dubio Horatius *Sermon.* lib. II. satyr. VI.



—— purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem.

Ne igitur pretiosam vestem, stragulum lutulentis aut sordidis calceis inquinarent, soleas deponebant. Item calceos soccosque, ex *Most* Plauti Sc. II. Act. I. In marmoribus Romanis convivis accumbere parantibus a servis soleæ demuntur. Hospites in medii lecti ultimum locum, tanquam in digniorem, collocabant. Tunc ministri tricliniares obsonia ferebant, ut ex figura seq. apparet.

Ministrabant autem pueri & * puellæ, nunc a lateribus, nunc a pedibus; nam triclinia in medio cœnationum sternebantur. Erat hic Structor, qui obsonia scindebat, erant Eleatri, Pincernæ, aliaque ad ornatum convivii.

In solennibus autem conviviis fercula coronata fuisse constat Athenæo auctore *lib.* V. in iis ludis quos apud Daphnen Antiochus edidit; fuerunt convivia, in quibus exhibiti sunt vivi anseres, lepores, damæ cum aureis coronis. Qui ferculorum luxus, quandoquidem dispositus fuit per nomina

* De pueris & puellis ministrantibus præter marmor, quod tibi pag. seq. damus, insignis locus apud Virgil. *Æneid.* I.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere Penateis.
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.

Seneca lib. I. *de Tranquillitate Vitæ*, c. I. *Præstringit animum apparatus alicujus pædagogii diligentius, quam intra larem vestita & auro culta mancipia, & agmen servorum nitentium.* Sueton. in *Tiberio*, c. XLII. *Sexto*, inquit, *Claudio libidinoso ac prodigo seni cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine mutaret, aut demeret, utque nullis puellis ministrantibus cœnaretur.*

cœ-



cœlestium signorum. Quippe singulis impositus fuit cibus unicuique convenientissimus. Petronii locus est: *Repositorium rotundum duodecim habe-* A *bat signa in orbem disposita; superque proprium convenientemque materiæ Structor imposuerat cibum; superque Arietem, cicer arietinum; super*



Taurum, bubale frustum; super Geminos, testiculos ac renes; super Cancrum, coronam; super Leonem, ficum Africanam, &c. B

Accedebant ad convivii apparatum coronæ,*quæ

* Ita est, genio indulgentes Romani, in signum lætitiæ coronas capiti aptabant: sed si Athenæo aliisque fides, nonnulli easdem collo, alii brachiis aptabant, ut interceptis vaporibus ebrietati modum statuerent. Arffimat id ex antiquo marmore Lipsius, cujus hic adjectum exemplar est.

A ex rosis vel floribus contextæ, caput hospitum exornabant, in gaudii & lætitiæ signum. Quæ postea coronæ convivales factæ sunt aureæ & gemmatæ, talesque pro dignitate discumbentibus, & cuique pro meritis & fortuna datæ, videlicet, minores aut majores, leviores aut ponderosiores. Quod sane discrimen probe intellexit Piso superbus, vix Tiberio cedens, nedum Germanico. *Ejus enim audita est vox in convivio* (inquit Tacitus lib. II. cap. LVII. *Annal.*) *cum apud Regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæsari & Agrippinæ, leves sibi & cæteris offerrentur, principis Romani, non Parthi Regis filio eas epulas dari, ab-* B *jecitque simul coronam, & multa in luxum addidit.* Luxus coronarum notatus in convivio Ptolomæi Philadelphi, ex Athenæo *lib.* v. Nam quæ alibi vix ad unicum coronæ contextum potuissent, ibi ingenti copia congesta sunt in eas coronas, quæ singulis convivis datæ. Ipsarum quoque coronarum tanta copia, ut humi sparsæ præbuerint speciem prati gemmantis.

Indorum, qui apud Regem epularentur, mos fuit, ut essent coronati: sic Apollonius ab Rege hospite suo *εἰς τὸ συσσίτιον* ad locum convivii, ut solent Indi, deductus fuit. Nec tantum hospitibus præsentibus tales coronæ in conviviis dari solitæ, C sed si quando magnus hospes tectis excipi non poterat, ei nihilominus mittebantur; ac tunc censebantur inter HOSPITALIA DONA *οἷα φίλοι ξείνοισι διδοῦσι*, *qualia amici hospitibus dant*.

Certe tanto luxu necti cœperunt hæ coronæ, ut tandem factæ sint dona Regum. Hujus generis fuerunt illæ, quas Persæ miserunt ad Agesilaum. De hoc genere forte fuit circulus ille, sive torques aureus circa collum, quem Rex Ægypti Josepho dedit, præter regium annulum & sacram vestem.

Ex iis coronis sibi quisque ab hospite donatam aut capiti aut cervici imponebat. Neque enim, inquit Plutarchus, *Symposiacon* II. convivis distri- D bui debent, sed æquum est hanc sibi unumquemque sumere, quæ sibi sit complacitura. Interdum hæ pectori applicabantur, quæ est sedes cordis. Ovidius:

Ecce nurum Regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.

Hæ coronæ cumulabantur unguentis: id est, aut ipsum hospitum caput conspergebatur & humescebat unguento, aut ipsæ coronæ, aut caput tantum, non item coronæ. Sidonius Appollinaris:

E *Et madescentes nardo capillos*
Circumfusa florum serta siccarent.

Sic Horatius lætatur se huic voluptati indulsisse cum Pompejo Varo lib. II. *Carm.* od. VII.

Pompei meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitenteis
Malobatbro Syrio capillos.

Accessit Abydenorum mos, ex quo proverbium, F Βϐυδηνὸν ἐπιφόρημα. Hi nempe cum quempiam hospitem convivio excipiunt, post unguentum & coronas circumferunt infantes ad osculandum. Observavit quoque Plinius *lib.* XIII. *cap.* III. non solum caput, sed etiam pedes quandoque fuisse unguentis illitos: *Vidimus etiam vestigia pedum tingi: quod M. Othonem monstrasse Neroni principi ferebant. Quæso ut qualiter sentiretur, juvaretque ab ea parte corporis?*

Cæterum hæc jucunditas & lætitia ad hospites exhilarandos cumulabatur hilaritate cantuum. Hinc camœna qualibet agresti convivales illas qualescumque delitias diutius extendebant. Quippe Propertius *lib.* IV. *eleg.* VI.

Ingenium potis irritat Musa poetis.

Et Horatius *lib.* II. *epist.* II.

—— pueri patresque severi
Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.

Unde Socrates apud Platonem describens epulas, quæ celebrantur in urbibus: *Convivia agitabunt ipsi & ipsorum liberi? Vino indulgentes, coronati, & in Deorum honorem hymnos canentes, & alii cum aliis suaviter conversantes?* Hunc tantum prisci Græci *σκολιὸν* vocabant, nempe propter obliquum circuitum & positum lectorum, de quo legendus est Clemens Alexandrinus *Pædog.* lib. II. cap. IV. Ex quo more apud Græcos natum proverbium, *Canere ad myrtum.*

Introducebantur etiam Psalmodi & Tibicines. Item cantibus inserebantur fabulæ simplices & convivales: etiam laudes hospitum canebantur, vel præclarissimorum virorum.

Sic etiam hospitibus festa & ludos proponebant. Homerus hoc observat in Ulysse & Alcinoo in *Od.*

CAP. XIX.

De loco hospitum in mensa.


POLITIORUM ingeniorum curiositate dignum, quo loco prisci hospites cœnantes collocarent. Gelllius *l.* I. *c.* XIII. id egregie insinuat, ubi officiorum gradus & ordines: *Conveniebat autem facile, constabatque ex moribus populi Romani, primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque nostræ creditos. Secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dediderunt. Tunc in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos affinesque.* Massurius autem Sabinus in l. *Juris civilis* III. apud Gellium, antiquiorem locum hospiti tribuit, quam clienti: *In officiis apud majores ita observatum est, primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum agnato, postea affini.* Heraclides in *Politiis*, Cretensium hospitalitatem commendans alium ordinem describit. Eorum quæ in conviviis apponebantur partem peregrinis & hospitibus primam dedisse, post hospites principi quatuor portiones præbuisse, unam quam etiam reliquis, alteram principalem, tertiam familiæ, quartam utensilium.

Lecti autem sternebantur in Tricliniis varia forma, sed plurimum quadrati, paulo longiores statura hominis; ita lati, ut quatuor, aut quinque in eis commode cubare possent. Quamvis autem forma varia essent, in eodem tamen triclinio pares erant omnes. Medii autem lecti ultimus locus apud Romanos dignior fuit, quem medium locum, ut præcipuum, dominus covivii occupabat. Sic Virgilius de Didone *Æneid.* I.

—— aulæis jam se Regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Pomponius Mela notat Scythis eandem fuisse consuetudinem.

Quem Romanorum modum servasse verisimile est Christum Servatorem nostrum, non minus ac reliquos ejus gentis ritus, cui tunc parebant Syria & Palæstina. Unde concinne pictores ipsum in medio triclinii extrema inter Apostolos cœna locant.



Cap. XX.

De cultu mulierum in hospites.

Homeri tempore puellas & mulieres hospitum pedes lavare solitas, observavit Athenæus lib. I. cap. VIII. *Dipnosoph. Introduxit Homerus puellas & mulieres, quæ lavant hospites, quasi neque inflammationem, neque intemperantiam patiantur, quia bene vixerunt. Antiqua autem hæc est consuetudo.* Moris hujus mentio apud Homerum *Odyss.* III.

Interea Telemachum lavit pulchra Polycarte.

Item *lib.* VII. de ancillis Menelai. Addo virgines non solum lavisse, sed ablutos unxisse pretiosis unguentis. Idem *Odyss.* III. *Porro postquam lavit, & unxit pingui oleo.* Petrus Nannius *Miscellan.* lib. IV. cap. II. tam religiosos olim Gentiles in excipiendis hospitibus indicat, ut etiam Regum filiabus honestum fuerit hospites in balneis lavare. *Certe olim insignem fuisse apud Gentiles pietatem in hospitibus excipiendis, vel inde patet, quod honestum sit habitum, si filiæ Regum hospites in balneis lavarent, ut non uno loco apud Homerum invenimus.* C Justinus *lib.* VII. *Pignus esse & fœdus hospitii* indicat *apud Persas, si filii & uxores in convivium hospitibus adhiberentur.* Et Marcus Polus scribit, in Provincia Chamus; mulieres cum hospitibus cubare, quod id gratissimum conjuges Diis existiment. Et in Halicarnasseo legimus, Babyloniis esse legem omnibus modis execrandam. Nempe omnibus mulieribus indigenis commune, semel in vita ad Veneris Templum desidentibus, cum externis viris consuetudinem habere. Cæterum cum pleræque sint divitiis tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis subvectæ, pro Templo consistunt, relicta interim a tergo magna fa-

A mulitii turba. Porro cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum injecerit, & cum eadem a Fano seorsum abducta consuetudinem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: *Tanti ego tibi Deam Militam imploro.* Neque mulieri etiam permittitur aliquem repudiare, sed quicunque is est, qui pecuniam objecerit primum, hunc illa sequitur, citra delectum. Postremo ubi jam congressa fuerit cum externo mulier, dein expiata domum revertitur.

Hunce morem abluendi apud Hebræos viguisse, B ut virgines & puellæ servorum pedes lavarent & tergerent, patet I. *Regum* cap. XXV. vers. 14. ubi vocata casta Abigail a servis David: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.* Ad quem locum pulchre Abulensis Qu. XV.

In primitiva etiam Ecclesia mulieres nobiles hospitibus suis manibus pedes abluerunt. Unde Paulus in I. *ad Timotheum* cap. V. vers. 9. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit.* In quem locum, præter Theophylactum, Joan. Chrysostomus *Serm.* XIV. eleganter differit.

Christus itaque hospitio a Pharisæo receptus jure conqueritur *Luc.* VII. *Aquas pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos,* quasi eum argueret hospitalitatis veterem legem non observasse. Ubi Dionysius Carthusianus merito videndus. Abluit igitur Christi pedes Magdalena, & unxit eos unguento.

CAP. XXI.

Osculum Hospitibus accedentibus & abeuntibus datum.

APUD Antiquos frequens osculandi usus fuit, qui pro veneratione & obsequio habebatur, immo fidei, observantiæ, amoris & amicitiæ symbolum erat. Idque sæpius in Sacris Litteris tam veteris quam novi Testamenti manifestum. Ita Moyses socero suo obviam progressus, seque incurvans, eum osculatus est, *Exod.* XVIII. Esau fratrem suum Jacobum redeuntem ex Mesopotamia osculo excepit. *Gen.* XXXIII. Jacob salutat Rachelem osculo, *Gen.* XXIX. Raguel Tobiam, *Tob.* VII. Jacob Patriarcha suos ex Josepho nepotes, quos illi adduxerat, osculatus & amplexatus fuit, *Gen.* XLVIII. Pater filio prodigo redeunti osculum præbuit, *Luc.* XV. Sic autem prisci Christiani osculo frequenter utebantur, pignore fraterni amoris & benevolentiæ in Christo. Hinc D. Paulus *ad Romanos* cap. XVI. *Salutate invicem in osculo sancto*. Imitatus S. Paulum Ignatius *epist.* VII. quæ est *ad Tarsenses*, inquit: *Salutate invicem osculo sancto*. Ita abeuntem Paulum *Act.* XX. *procumbentes super collum Pauli osculabantur eum*. Sic Abbates & Religiosorum Rectores, cum discedebant ab his, quibuscum erat summa necessitudo, suis invicem pectoribus exosculatis multis cum lacrymis divellebantur. Ita Eunapius Sardianus in *Vita Proæresii*, omnes ad ejus pectus lambendum, ut fieri solebat imaginibus, accessisse, aut ad pedes & manus corruisse, narrat. Et apud Nicephorum *lib.* V. *cap.* III. Leonides pater Origenis sæpe pectus pueri nudatum cum veneratione osculabatur. Patrium morem fuisse Persis, eos osculari, quos honoribus prosequi vellent, inferiores vero salutando potentiorum genua tangebant, Herodotus *lib.* I. Cognatos autem, ubi diutius abfuissent, aut longius essent profecturi, se invicem osculari frequens usus erat. Ita Cyrus discessurus dicitur *cognatos per osculum oris ab se dimisisse*, lege Persarum, auctore Xenophonte lib. I. *Pædiæ*. Sic etiam pro more osculatus est Cyaxarem, cum ad se venisset.

Ita Principes Romani peregre profecturi, & mox Urbem repetentes, more diu recepto, Senatores osculo soliti fuerunt accipere, ac proinde in *Nerone* notavit Suetonius Tranquillus: *Neque adveniens, nec proficiscens, quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem*.

Sic apud Veteres primum manus, modo genua, modo vestes, aliquando magnorum virorum pectora & capita honoris & obsequii gratia osculabantur. Plutarchus in *Vita M. Bruti*: *Assidentem C. Cæsarem cinxerunt officii specie, omnes una orantes, manusque ejus tangentes, pectus & caput deosculabantur.* Ammianus Marcellinus *l.* XXVIII. memorat, *ex Senatoribus quosdam salutari pectoribus oppositis cœpisse, & osculanda capita in modum taurorum minantium obliquantes obtulisse*.

Osculabantur autem frontem Veteres, tanquam Genio sacram, quod majestati affinius est, ut blandimentis genas suaviari.

Ne vero nimia familiaritate vilesceret illud humanitatis studium, ut refert Suetonius, Tiberius Cæsar quotidiana oscula prohibuit edicto.

Sed crescente adulatione, ad manus & vestes, ad genua, & tandem ad pedes devenere oscula. De C. Caligula Suetonius *: *Porrexit ad osculandum sinistrum pedem auro & margaritis insignem*.

* Frustra hæc quæsiveris in Suetonio.

A Porro cum apud Persas adorandi mos esset suos Reges, itemque apud Medos & Indos, ut Herodotus, Plutarchus in *Alcibiade*, & Valerius Max. *lib.* VII. *cap.* III. testatum reliquerunt, tandem quoque adorari expetivere Imperatores, ut de Caligula Suetonius *cap.* XXII. & Dion in *ejusdem Vita*. Et de Diocletiano Pomponius, & Eutropius *de Gestis Romanorum*, qui post triumphum de Persis actum adorari voluit, pedesque sibi osculari, auro & argento calceamenta exornans.

Quid vero mores Ethnicorum referam? Fuit initio veteris Ecclesiæ frequens etiam consuetudo osculandi, quam admirabantur Gentiles ipsi. B Tertullianum *de Oratione* cap. XIV. audiamus, qui docet Christianos peractis precibus solitos invicem accipere osculum, quod vocat signaculum orationis: *Alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes jam audeant de sua pace fratri transfigere?* Hinc forsan in nostris Ecclesiis remansit singularis formula ad osculum sacræ imagini imprimendum, PAX TECUM.

C In Belgio, Flandria, Anglia, Gallia, non tantum amicos, sed & hospites advenientes & discedentes osculantur mulierculæ, & puellæ etiam, & hi vicissim illas. Cujus consuetudinis nescii, si officium illud neglexerint, agrestes parumque culti existimantur.

Viget etiam Venetiis hic frequens osculandi mos inter Patricios, dum ad Comitia accedunt, & dum ab iis discedunt, mutui amoris ac pacis symbolo. Addo, quod osculum non nisi ejusdem conditionis hominibus conveniat, ut in hac sapientissima Republica etiam hoc sit veluti æqualitatis argumentum.

D

CAP. XXII.

De cultu veterum Judæorum in Hospites: ubi de insigni Abrahæ hospitalitate differitur.

UT a Sacris Litteris exordium ducamus, vera hospitalitatis jura, ac illustrium virorum exempla, qui peregrinos & advenas, & inter hoc sæpe Angelos invitarunt, in medium adferamus, Quis vero ignorat, ex iis Abrahamum hospitalitate cunctos superasse, immo veram hospitii normam nobis & omnibus splendide demon- E strasse? Nullus enim tam benigne, tam prompte advenas & hospites ad suas domus traxit, quam Patriarcha Abraham, unde proverbium ortum, *Abrahæ tabernaculum figere*, pro eo qui hospitium summa humanitate parat. Hujusmodi Patriarchæ in hospites studium & ardor non aliter quam venatoris in exquirendis hospitibus depingitur a S. Chrysostomo, homil. XLI. *in Genesin*: *Tantopere curabat Abraham hospitalitatem, ut nollet horum venationem cuique committere*. Et S. Ambrosius lib. II. *Offic.* cap. XXI. *Abrahæ laudi est datum, qui ante januam speculabatur, ne forte præteriret* F *peregrinus aliquis, & diligenter prætendebat excubias, ut occurreret, ut præveniret, ut rogaret, ne transiret hospes*. Nimirum precibus tenebat hospites prætereuntes, compellabat ad mensam, ipse vero mensæ ministrabat. Quod sic explicat S. Petrus Damianus *sermone* CXXI. *Quare homines Abraham hospitando, Angelos recepit & Deum*. In quam sententiam S. Ambrosius l. II. *Offic.* c XX. *Tanta autem est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ a præmiis remunerationis immunis sit. Vides quia Abraham Deum*

recepit hospitio, dum hospites quærit? Vides quia A *Loth Angelos suscepit. Quid scis an & tu cum suscipis hospitem, suscipias Christum? cum in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait, in carcerem eram, & venistis ad me, nudus eram, & operuistis me.* Quodnam enim hospitalitatis majus præmium? Mensæ ministrat tanquam servus Abraham, & vires ab hospitalitatis gaudio hauriebat. Verba namque sunt D. Chrysostomi hom. XLI. *in Genesin: Mihi videtur præ gaudio alacritateque multa imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse.* Nec tantum necessariis recreabat hospites Abraham, sed etiam delitiis. Nam *Gen.* cap. XXI. vers. XXXIII. B *plantavit nemus in Bersabea.* Ad quæ verba Abulensis: *Locus ille erat sine arboribus, ideo Abraham, qui delectabatur in suscipiendis hospitibus, plantavit arbores, de quarum fructibus recrearentur viatores, & earum usu delectarentur.* Hospites item non corporeo cibo tantum fovebat Abraham, sed etiam cibo spirituali, *Gen.* XXI. XXXIII. ubi Abulensis: *Ibi hospites ad laudandum Deum & gratias reddendas ei pro beneficiis invitabat.*

In *Bereschith Rabba* Rabbinus cap. LI. affirmavit, Abrahami domum quatuor ostia habuisse, juxta quatuor mundi cardines, ut ex omnibus orbis C partibus hospites exciperet, quibus discedentibus, non sibi, sed Deo gratias agerent, imperabat.

Abraham suo etiam exemplo studuit filios suos in hospitalitatis operibus exercere. *Genes.* XVIII. *Tulit inde vitulum.* Nec aliunde hospitalitatem Loth didicit. Quantum vero profuerit Loth Abrahami in exercenda hospitalitate æmulum fuisse, explicat S. Paulinus epist. *ad Alethium*, & S. Ambrosius lib. II. *Officiorum* cap. XXI. Immo & Petrus Chrysologus *Serm.* XLII. dum ait: *Gehennalem ignem evadit hospitalitatis sectator, & urbem in refugium accepit Loth, qui domum hospitibus exhibuit.*

Gedeonis hospitalitas extollitur, qui Angelo, D quem prius invitarat, quique procul dubio hominis speciem referebat, sacrificium, hoc est, magnificum convivium adornasse scribitur. Nam & hœdum caprarum coctum, & ex modio farinæ panes azymos confecit.

Hospitalitatis officia in adversis solicitus repetit Job. *cap.* XXXI. *vers.* 32. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Origenes *in eundem: Talis fuit B. Job, apud quem hospes nunquam foris mansit, cujus janua omni advenienti patuit, quem invalidi nunquam prætermiserunt, de iis quæ opus habuerunt: qui non dimisit pauperem exire de* E *domo sua vacuum, ad cujus tonsuram ovium pauperum scapulæ calefactæ sunt.*

Sed, quod majus est, Petri Damiani sententia, per hospitalitatem Abdias Prophetiæ gratiam consecutus est III. Reg. XVIII.

Tobias insignis hospitalarius celebratur, quippe *qui in tertio anno* (ait Scriptura) *proselytis & advenis ministraret omnem decimationem*; & Angelo hospiti tertiam partem suarum rerum offerret. *Proselytis*, hoc est, qui ad Judaismum convertebantur, & *advenis*, id est, peregrinis, decimas debitas administrabat. Tres autem erant decimæ, F quas solvere jubebantur Judæi. Prima Levitis & Sacerdotibus, *Num.* XVIII. Secunda in epulum sacrum conferebatur, cujus tum Levitæ, tum egentes participes fiebant. Tertia, quæ solo tertio quolibet anno solvebatur peregrinis, pupillis, & viduis.

Salomon, tanquam sapientissimus Rex, mira magnificentia & sumptuoso apparatu peregrinis & adventantibus splendidas epulas apparari voluit, & ipsorum equis, camelis, atque jumentis pabulum atque paleam subministrabat, idque non in uno loco, sed ubicumque opus erat.

Inter mulieres hospitalitatem sectantes Rebecca enumeratur, vidua Sareptana, & Sunamitis matrona, aliæque in Sacris Literis commemoratæ.

Atque ut tandem Hebræorum hospitalitatem brevi epilogo complectar; adeo hi a Patribus antiquæ legis in hospitalitatis cultum mirum in modum fuerunt edocti, ut etiamsi post horrendum urbis Jerusalem ac Templi excidium è patria sua extorres & per totum orbem dispersi, per aliquot sæcula vagam miseramque vitam persequuntur, mutuam inter se hospitalitatem adeo exercent, ut in hodiernam diem raro Judæum mendicantem videas.

CAP. XXIII.

Hospitalitatis ratio, variis nationibus peculiaris, iisque cultioribus Græcis & Romanis.

SICUTI Græci potissimum omnium fere liberalium artium atque virtutum moralium inventores & sectatores prædicantur ac habentur, ita ab iisdem veluti cultioribus omnia hospitalitatis officia profecta credimus. Quod nobis quidem insinuant, non solum varia & multiplicia nomina, adhuc apud nos usitata, quæ ad hospitalitatis munera pertinent, sed plurima ejusdem gentis præcepta & exempla, quæ variis in Auctoribus sparsim leguntur. Unus inter omnes heic palmam tulit Homerus, qui omnia justa legitimaque hospitalitatis officia egregie nobis expressit. *Odysseæ* quidem lib. I. Telemachi erga Minervam hospitalitatem describit; lib. III. Nestoris & ejus filiorum humanitatem in hospites celebrat; lib. IV. de Menelai hospitalitate in Telemachum & Pisistratum agit; lib. V. docet quomodo Calypso cum Ulyssem naufragum, tum Mercurium a Diis ad se missum hospitio exceperit. Nec minorem in *Iliade* similium nobis exemplorum copiam suppeditat: immo nobis omnia officia ostendit. Erat apud Græcos munus publicum hospites & peregrinos excipiendi. Et ii, quorum munus erat, peregrinis, præsertim Legatis, ligna & salem & similia præbere, *Parochi* vocabantur. Ideo Ministris Ecclesiarum recte hoc nomen convenit, quia ipsi hominibus, qui hospites & peregrini sunt in hoc mundo, mensam verbi Dei apponunt, & Sacramentum Eucharistiæ administrant.

Inter Græcos autem hospitalitatis cultores præsertim enumerantur Cretenses, de quibus supra diximus. In quorum domo convivali binæ stratæ erant mensæ ξενικαὶ, id est, *hospitales*, dictæ, propterea quod hospites, qui aderant, iis primo assidebant. Ita hospitem ὁμοτραπέζοντα, hoc est, *ejusdem mensæ communione conjunctum*, appellat. Post has mensæ erant repositæ; erant & sedilia hospitalia, & mensa tertia, quæ a dextra ingredientibus occurrebat, quam Jovis hospitalis mensam & hospitalem vocabant. Quin etiam Heraclides eam Cretensium erga hospites humanitatem fuisse affirmat, ut ad Magistratus quoque gerendos illos sæpius vocarint. Simili consuetudine nostri cives Patavini, cum olim penes ipsos omne jus esset, advenam summæ rerum præfecerunt quovis anno, qui in eos jus vitæ & necis haberet, & ab auctoritate hujusmodi Magistratum *Potestatem* appellarunt.

Megarenses & Corinthii de hospitalitate celebrabantur; immo memoriæ proditum est, illos, cum de imperio certaretur, captivos in bello velut hospites invicem humaniter tractasse, illosque sine pretio dimissos *Dorixenos* appellasse. Illis in cultu

Jovis ξένιος. Quare etiam milites cum hostibus extra aciem familiaria jura servabant.

Celebris est Lacedæmoniorum liberalitas in hospites. Unde Cratinus apud Athenæum cœnæ, *Copis* dictæ, mentionem faciens, inquit:

Vere ut ferunt, quivis potest ibi advena
Convivium lautum, bonamque hinc Copidem
Qui accesserit, sumpsisse, &c.

Item in *Æolo*, quæ & ipsa fuit convivii Spartani species, Athenæus *lib.* IV. non incolis solum atque civibus, sed omnibus peregrinis hospitibus ad illam aditum patuisse. Neapoli inter Græcæ Reipublicæ Magistratus præbendis hospitiis fuisse Xenoparchos memorat Julius Cæsar Capacius, *Historiæ Neapolitanæ* lib. I. cap. VIII. Mitto cætera Græcanicæ hospitalitatis exempla, quorum ingens passim farrago. Melitenses barbari in mari Adriatico naufragos summa humanitate excipiunt, inter quos D. Paulus fuit, quem, accenso igne, refocillarant. Item Phasiani populi naufragium passis viaticum præbent, & rursus abnavigantibus tres minas dant, Heraclides in *Polit.* Et Xenophonte auctore lib. III. & V. *de Cyri expeditione* Armenius Cyro ejusque exercitui xenia misit, & Trapezuntii Græcos hospitio acceperunt dono hospitibus datis bubus, farina, vino. Sinopenses quoque Milesiorum coloni iisdem farinæ medimnos ter mille, vini amphoras MD. & Heraclienses farinæ medimnum MMM. vini amphora MM. boves XX. oves C. xeniorum loco miserunt.

Nec parcior apud Romanos hospitalitatis cultus, quam Græcorum, & cæterarum gentium; quarum cum imperio non modo artes & disciplinas in urbem, sed una mores & consuetudines invexerunt: immo ipsi ex peregrinis & advenis undique confluentibus in unum coaluerunt, adeo antiqui hospitii jura merito præ cæteris observarunt. Inde Roma *omnium patria* dicta est, teste Athenæo *lib.* I. *cap.* II. Nam primo ut apud Græcos, ita apud Romanos erant publica & privata hospitia, ut hospitii necessitudo non modo inter privatos, sed inter populos & Senatum contraheretur. Immo Romæ externis & peregrinis Magistràtus dabatur Regius, Consularis & Prætorius, ut Numæ & Tarquinii temporibus: Consules multi externis sub Imperatoribus, ut de L. Arruntio Stella Patavino supra disseruimus, aliisque peregrinis & advenis viris. Itemque postquam Imperium Romanum creverat, Prætores duo creabantur, unus qui civibus, alter qui peregrinis jus diceret. Unde ille *Urbanus*, hic *Peregrinus* vocatus. Quod factum fuit Anno conditæ Urbis DXII. De Prætore Peregrino Inscriptio est vetustate mutila ad vicum Kornesd. Ulpiæ proximum, juxta sacellum:

C. CVRT...............
OLLIVS. TROGVS........
IARVM CVRANDARVM..
QVAESTORI VRBANO...
INTER. TRIBVNICIOS. ADIV. DAD....
PRAETORI. PEREGRINO. IIIIII. VIRO...

Et de eo, qui inter peregrinos & cives jus diceret, extant prolixissimæ Tabellæ in magno Gruteri *de Inscriptionibus* Opere, quas brevitatis studio hic omisi.

Ad hæc exteræ gentes & Transalpinæ nationes Senatorum jura in Urbe habuere, & inter Senatores admittebantur. Primi Hædui fuerunt ex Corn. Tacito *lib.* XI. in oratione Claudii Cæsaris: *Primi*, inquit, *Hædui Senatorum in Urbe jus adepti sunt. Datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.* Immo miro liberalitatis exemplo Tusculanos, Æquos, Volscos, Hernicos, bello victos, post victoriam civium numero Romani adscivere in tutelam, & veluti patroni, clientes in fidem accepere, cognationeque & hospitio junxere. Deinde temporibus latius hoc jus propagatum, ut in jus Latii & fraternitatis Romanorum ex Hispania, & ex toto orbe terrarum Viros claros adjunxerint. Sic Claudius Cæsar omnes Græcos, Gallos, Hispanos, Britannos, Sauromatas civitate donavit, & togatos videre statuit. Quinetiam non modo in jura Civium, sed in Imperium sæpe externos Romani adsciverunt. Primus enim Trajanus externus, deinceps alii ad Imperium promoti fuerunt.

Quanta porro erga advenas quovis Romanorum fuerit humanitas, inde quoque intelligitur, quod peregrinum antiquitus, teste Cicerone, Varrone, atque Festo, *hostem* appellarint, ab *hostiendo*, ut nonnulli volunt, hoc est, *æquando*, propterea quod inter cives & peregrinos debeat esse æqualitas: ut sileam quæ de Legatis memoravi, quæque de hospitii contrahendi ratione Zanchus in *Com. Sallustii*, quum singula heic persequi arduum & immensum foret. Unum tantum addam ex Plutarcho in *Vita C. Gracchi*, quod Cornelia ejus mater fuit, διὰ φιλοξενίαν ἀτράπεζος, quod Xylander reddidit, *ob hospitalitatem patebat mensa ejus*.

CAP. XXIV.

De reliquarum gentium, & præsertim Germanorum & Gallorum, hospitalitate.

ALII quoque populi in hospitalitis cultu nihil Græcis ac Romanis concessere. Calabri olim profusi adeo fuerunt hospitalitatis cultores, animum in hospites uberrimis declarantes donis, ut in proverbium abierint *Calabri hospitis dona*. Sic Horatius festive *Epistolarum* lib. I. epist. VII. ad Mecœnatem:

Non, quo more pyris vesci Calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.
Jam satis est. At tu quantum vis tolle benigne.
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinques.

Irridet Poeta rusticam hospitalitatem, sed laude dignam. Leucanorum * etiam celebratur hospitalitas ab Æliano lib. IV. *Variæ Historiæ* cap. I.

Galli Diodoro teste tanta humanitate fuerunt præditi, ut advenas statim domi suæ ad epulas vocarent. Quin Celtiberos, Galliæ incolas, fama est æmulatione quadam invicem pro hospitum honore certasse.

Nec Gallis Germanos impares ostendit Diodorus *lib.* V. *Quod ad mores erga maleficos & hostes sunt crudeles, erga hospites vero mites atque humani. Peregrinis enim omnibus hospitium ultro offerunt, hospitalitatisque inter se officiis certant. Quos peregrini comitantur, eos laudant & Diis caros arbitrantur.* Idem Autor de Gallis & Germanis: *Ad convivia peregrinos quoque invitant, cœnaque finita tum demum qui sint, quidque petitum venerint, sciscitantur.* Cornelius Tacitus *de moribus Germanorum; Convictibus & hospitiis non alia gens effusius indulget. Quecunque mortalium*

* Leucanorum lex de hospitalitate ita se habebat: *Si sub occasum solis venerit peregrinus, volueritque sub tectum alicujus deverte, & is hominem non susceperit, mulctetur, & pœnas luat inhospitalitatis.*

arcere tecto, nefas habetur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hospes fuerat, (id est, qui exceperat) *monstrator hospitii & comes, proximam domum non invitati adeunt: nec interest; pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid popposceris, concedere moris, & poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus; sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis,* &c. Dum vero dicit Tacitus hospitia apud Germanos notis ignotis fuisse communia, summus eorum amor in peregrinos ostenditur, juxta piam S. Augustini sententiam: *Disce Christiane sine discrimine exhibere hospitalitatem, ne forte cui tu domum clauseris, cui humanitatem negaveris, ipse sit Christus.*

Thules insulæ, quæ nunc est Islandia, incolæ, advenas supra fidem humaniter excipiunt, quamvis omnia ibi horrida & inculta. Sufficit eam gentis esse charitatem, ut apud eos hospitii jus tam advenis quam indigenis commune videatur. Idem reperitur Norvegiæ cultus, præterquam locis maritimis, quæ cum peregrinis moribus paulatim aviditas infecit.

Islandos etiam cum exteris commercium & negociatio paulatim a prima barbarie ac simplicitate revocavit. Neque enim nostris temporibus adeo sunt ridiculi, quam octoginta abhinc annis, cum Dithmarus Blefkenius in ista regione viveret. Sic enim ille in *Descriptione Islandiæ: Advenientes in portum, filias nubiles secum habent; hæ, postquam a nostris exploraverint, an domi uxores habeant, si non habent, pro pane aut biscocto, aliave levissima re noctem promittunt. Interdum parentes mensem unum, aut quam diu manserint, concedunt filias, vel gratis. Ex eo concubitu si facta fuerit gravida, parentes majori quam antea filiam complectuntur amore, natamque prolem annos aliquot educant, donec aut pater revertatur, aut futuro genero in dotem addunt cum filia, qui minime, quod e Germano sanguine natum est, contemnit. Si quæ virgo cum viro Germano habuerit consuetudinem, in honore apud illos est, propterea-que a multis petitur procis.*

Helvetiorum hospitalitatem extollit Jo. Magnus lib. XXIII. *rerum Gothicarum*; & præsertim adhuc perdurat Tigurinorum, quæ est patria Gulielmi Stuchkii, qui humanitatem in hospites descripsit libro peculiari *de Conviviis Antiquorum*.

Quæ vero humanitas Belgarum aliarumque gentium, quas Alpes ab Italia separarunt, hodierna die spectamus in juvenibus virisque ad Gymnasium Patavinum confluentibus. Qui omnes suavissimis placidisque moribus ornati, singularia beneficia erga hospites recipiendos exercent. Advenas enim juvant, si egeni; si opulentiores, iis obsequium præstant conviviis ac muneribus. Abeuntes, variis encomiis, non invitis Musis, amicos hospites prosequuntur: interdum & isti, modo carmen, ut nuper politissimus noster Gabriel Naudæus, modo libellum integrum memoriæ causa reponunt. Hoc, ne tot præclara nomina cum pagella ævi nostri cursu interirent, coronidis loco subdere libuit.

Gabrielis Naudæi ex Italia discedentis ΑΠΟΒΑΤΗΡΙΟΝ ad amicos.

O Mihi dilectæ cur vitam ducere Romæ,
Cur Latio sedem ponere fata negant?
Quid juvat aerias toties volitasse per Alpeis,
Quid quater insanis vela dedisse Notis;
Innumeris quos fama viris ad sidera tollit
Inclyta, si posthac incola rarus ero?
Hospitium, Galeote, *tuum,* Paganine, *tuumque,*
Atque tuum, Doni, *linquere si propero.*
Holstenioque *brevem si cogor ferre salutem,*
Et pauca Allatio *dicere verba meo.*
Si vestros Gaddi, Nardi, Tomasine, Cotuni,
Transeo festino quadrupedante lares.
Si tua Balde *sagax complecti, vel tua* Servi,
Pectora non possum candidiora nive.
Si nequeo Argolium, Berigardum, Taureliumque,
Bendandum, *&* Ponam *stringere pro merito:*
Vix quoque facundi dextram si tangere Scioppi,
Vixque Palatini Gasparis *ora datur.*
Si te grande meis, Cassi, *decus addite factis,*
Sed fugiens, vel te culte Querenge *peto.*
Si neque mansurus, Nici, Novarine, Casali,
Cognita tot doctis limina vestra premo.
Denique si Rhodium, Veslingum, *teque* Licete,
Ferrariumque *mihi, vix licet aspicere.*
Sed mea cum vigilent quærendis otia libris,
Queis nova Juliadæ *Bibliotheca nitet.*
Hæc ego cum vestris capiam solatia, magni
Phœbigenæ, absenti quæ dare Musa solet,
Et fruar ingenii pulcro molimine, quando
Aspectu vestro non licet usque frui.

Cap. XXV.

Hospitalitatis ritus barbaris gentibus, Scythis nempe, Turcis, Indis, aliisque familiaris.

Nulla tam barbara gens, quin hospites agnoscat. Turcæ ipsi, Bartholomæo Georgevitio teste, habent xenodochia *Imareth* appellata, Regum testamentis condita, ubi datur cibus pauperibus atque peregrinis. Sunt qui dant oryzam, *Pirincts Tsorba* dictam, cum carnibus; alibi *Boglidas as*, quod fit ex tritico pro opsonio: additur panis satis magnus: potus, quem præbent, est aqua. Cæterum pernoctandi ibi, aut dormiendi locus nulli conceditur, sed habent alium locum pernoctandi publicum *Char natsanne*, ubi gratis recipiuntur hospitio: non habent tamen lectos, sed in fœno vel stramine sub tecto dormiunt.

Gothi & Suedi advenas non solum benigne admittunt, sed cuncta ad liberalem convictum necessaria gratis subministrant: lis etiam inter populares oritur aliquando in peregrinis recipiendis. Summæ laudis est, qui plures advenas liberali hospitio exceperit, quemadmodum ille publico odio dignus, qui cibum potumque negaverit peregrino. Sic fere Joannes Magnus *lib.* IV. *cap.* II. narrat Carolum Gothorum & Suecorum Regem decrevisse, ut Gothi inter se & in advenas hospitalitatem observarent, & summo dedecori esset ei, quicumque viatorem tecto arceret, quod si quis facere tentasset, & idoneis testibus ter negare hospitium convictus fuisset, immisso igne ædes suas comburi jussit, ut domibus propriis juste privaretur, qui eorum usum aliis inhumaniter denegasset.

Wandali in suscipiendis hospitibus alacres fuere, hospitium ultro offerentes: *Quicquid ex agricultura, piscationibus, aut venatione conquirebant, totum in largitatis opus conferebant,* eo fortiorem quemque, quo profusiorem, jactantes, ut autor Crantzius lib. IV. *Wandal.* capit. XXIII. Wandalorum legibus erat sancitum, quod noctu furatus fueris, crastino die hospitibus dispartics. Si quis peregrinum hospitio expulisse deprehensus esset, ejus domum & facultates vel diripere, vel incendio licebat consumere. Memora-

A bile est, quod narrat Olaus Magnus lib. XVIII. *Hist. Sept.* In omnibus partibus Septentrionalibus insignis est in hospites humanitas, & omnia sua in eos copiose diffundunt, existimantes illum diem infeliciter periisse, quo non contingat peregrinis hominibus beneficium aliquod exhibuisse. Extant in hisce regionibus loca multa publica pro egenis hospitibus excipiendis, quibus locis Principes, vel supremus Magistratus variam mulctam applicat, utpote de rebus ad conscientiam pertinentibus. Item pecunias pro dispensationibus & mulcta illorum, qui aliquam personam Ecclesiasticam temerarie offenderint.

B Guagninus, in *Descriptione Moscoviæ*, perhibet, eam fuisse in hospites benevolentiam, ut in Russiæ partibus populi mercatores ad se ex variis regionibus quæstus gratia venientes libenter excipiant, quos in tuguriolis suis cum uxoribus relinquunt: ipsi vero interim venatum abeunt. Reversi, si uxores hospitum concubitu consuetudineque lætiores hilarioresque invenerint, munere aliquo hospitem donat; sin minus, turpiter convitiis lacessitum expellunt. Hic tamen mos hodie desiit.

Cui non dissimile quidquam de habitantibus Provinciam Chamul, Marco Polo teste oculato *lib.* I. *cap.* XXXVII. narratur. Uxores & puellas ad C hospitum concubitum relinquunt, idque honori & gratiæ adscribunt, immo Diis gratum facere, ut advenæ talibus recreentur.

Inde *Thee* potu hospites venientes & abeuntes excipiunt, ut Turcæ *Cava*, Jacobus Bontius apud Indos nuper Medicus *de conservanda valetudine* cap. VI. autor est.

Apud Tednæstanos Africæ nullum in oppido diversorium pro hospitibus. Si quis illuc appulerit, ad notum aliquem se conferat necesse est, quem si non invenerit, nobiles inter se sortiuntur, quisnam ignotum hunc mercatorem hospitio excipiat.

D Sic Tegesdelti, oppidi Africæ, incolæ custodibus portarum mandant, simul ac peregrinus quispiam appulerit, inquirant ab eo, habeatne aliquem in civitate amicum: quod si habere se neget, ab iis ad hospitium deducitur. Testis est Cœl Augustinus Curio, in *Marochensis Regni Descriptione*.

CAP. XXVI.

De hospitalitate Christianorum primævi sæculi.

E CHRISTIANI primævi sæculi, a Servatore nostro edocti, adeo ad hospitalitatem propensi erant, ut non solum peregrinos ad hospitium cogerent, & pene traherent, veluti de Discipulis euntibus Emaus sacra testatur Historia, sed etiam domos suas in hospitium advenientibus peregrinis dicarent. Meminit hujus moris B. Augustinus *in Psalm.* LXXV. *Alii vovent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus; magnum votum vovent.* Cellulas proinde hospitales habebant. S. Paulinus epist. X. *ad Severum: Tugurium vero nostrum, quod a terra suspensum cœnaculo una porticu cellulis hospitalibus interposita longius tenditur, quasi dilatatum gratia Domini.* F Erant enim evangelizantium præcepta, ut D. Ambrosius lib. VI. *in cap.* IX. *Lucæ* docet: *Quibus primo omnium datur pacis atque constantiæ generale mandatum, ut pacem ferant, constantiam servent, hospitalis necessitudinis jura custodiant: alienum a prædicatione regni cælestis asserant, cursitare per domos, & inviolabilis hospitii jura mutare. Sed ut hospitii gratia deferenda censetur: ita etiam, si non recipiantur, excutiendum pulverem, & egrediendum de civitate mandatur. Quo mandato non medioeris boni remuneratio docetur hospitii, ut non solum pacem tribuamus hospitibus, verum etiam si qua eos terrenæ obumbrant delicta levitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigiis auferantur.*

Quinetiam a calumniatoribus fidei Christianæ comprobatur antiqua Christianorum hospitalitas, ex Joannis Gabrielis Bisciolæ *Epitome Baroniana* ad Annum LXXV. *Impostor quidam & nequam, ficte Christianus, ne egeret, atque adeo abundaret ex beneficentia Christianorum, describitur a Luciano per hæc tempora peregrinatus, sub nomine peregrini: ex quo colligitur effusa largitas Christianorum, & effusissimum studium hospitalitatis.*

Immo plures ex liberali Chistianorum profusione in peregrinos & advenas, Paganismum abnegantes, Christi cingulo honestantur. Baronius *ad Annum* CCCXVI. *Hic unus mihi inter plurimos occurrit Magnus Pachomius, adhuc Gentilis, hoc anno, militiæ in exercitu Licinii adscriptus, qui cum esset annorum viginti, ob summam humanitatem ab una Thebarum civitate Christiana, hospitibus exhibita etiam Gentilibus* (quæ Oxyrinchus putatur) *excitatus in amorem Christianæ religionis, eam se amplexurum professus est.* Hic Pachomius hospitale construxit in portu Romano.

Et ex Baronio Tomo V. *ad Annum* CCCC. *Accepimus, quod Fabiola prima Romæ infirmorum hospitale erexerit, in quo ægrotantes de plateis, ac corrupta languoribus atque inedia miserorum membra fovet*, ut S. Hieronymus tradit *epist.* XXX. cui etiam *epist.* II. T. I. inter corporis virtutes enumerantur, peregrinorum susceptio, & defensio pauperum.

Jotichius primus hospitalarius celebratur a Clarissimo Jurisconsulto Lapo de Castelliono, in Tractatu *de Hospitalitate*, Tom. III.

Celebres hospitalitatis sectatores Martha & Maria Magdalena, quæ sæpius Christum hospitem habuere. Aliæque sacræ mulieres, B. Virginis sociæ. Cultores S. Apostoli, & Discipuli Domini, cæterique Christiani primi ævi, qui invicem summa charitate hospitabantur. Non enim veteres Christi fideles fuerunt soliti mendicare.

Constantinus tandem, Imperator Magnus, postquam Christo nomen dedisset, omnia pietatis munera magnifice exercuit. Templa plurima mira majestate & pretiosis donariis onusta extruxit: hospitales domus pro recipiendis peregrinis ædificavit. Et in Concilio Romano, quod ipso præsente cum Helena matre Silvester Summus Pontifex habuit, sancitum est, ut redditus Ecclesiæ in quatuor partes dividerentur: quarum una cederet Pontifici; altera Presbyteris, Diaconis, & Clero; tertia Templorum & Ecclesiarum reparationi; quarta pauperibus, infirmis, & peregrinis. Hinc præceptum Clericis, ut sint hospitales; Hieronymus Papæ Damaso scribit: *Quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes, & quod ipsi Clerici susceptioni peregrinorum & hospitum invigilare & studere debent.*

Et quid quæso effecit summus ille Imperator, dum Urbis Romanæ majestatem Byzantium transtulit, illam Summo Pontifici cedens, nisi quod viro hospiti & fere extraneo, ad apicem Ecclesiæ divinitus evecto, Imperium pro liberali hospitio magnifice concesserit? Munificentiam Principis in extruendis xenodochiis celebrant Orientalis Imperii Historiæ. Eandemque viam instituisse Pulcheriam Theodosii sororem, Placillam Theodosii uxorem abunde testatur *Historiæ compendio* Georgius Cedrenus, scriptor suarum rerum satis diligens. In immensum cresceret opus, si omnia xenodochia, aliaque pietatis opera, peregrinorum commodis a Principibus extructa, enumerarentur.

Liber

Libet hic e multis hospitalitatis exemplis pauca e *Sanctorum Patrum Vitis* in unum conferre. De Monachis in Nitria commorantibus Ruffinus Aquilejensis Presbyter: *Ubi peregrinos fratres advenire senserunt, continuo velut examen apum, singuli quique ex suis cellulis proruunt, atque obviam nobis læto cursu & festina alacritate contendunt, portantes secum quamplurimi ipsorum urceos aquæ & panes, secundum quod Propheta corripiens quosdam dicit: Quia non existis filiis Israel obviam cum pane & aqua. Tunc deinde susceptos nos adducunt ad Ecclesiam, lavant pedes, & singuli quique linteis, quibus utebantur, abstergunt.*

De Abrahamo Theodoretus Cyri Episcopus narrat: *Advenientibus hospitibus erat & totus paratus, egregius autem & selectus panis eis offerebatur, & vinum odoriferum, pisce sque, & olera, & quæcumque sunt eis conjuncta. Quin etiam ipse quoque meridie assidebat convivantibus, eorum quæ apponebantur partes unicuique offerens: & dans unicuique calices, & jubens bibere, & eum qui erat ejusdem secum nominis imitans Patriarcham, inquam, qui ministrabat quidem hospitibus, sed non simul convivabatur.*

Sulpitius & Cassianus narrant de Monacho in Syria, qui ante constitutam horam peregrinos se reficere coegit: Percontantibus illis, cur ante consuetam refectionis horam prandere eos cogeret, respondisse: *Jejunium, Fratres, semper est mecum, vos autem continuo dimissurus mecum jugiter tenere non potero.* Item alterum Monachum, qui nusquam solus escam sumere solitus erat, referunt. Celebratur pariter Theodori Patriarchæ Hierosolymitani in hospitem benignitas a Joanne Moscho.

Primum nempe vitæ Monasticæ præceptum erat obedientia Prælato, peregrino hospitalitas exhibenda: immo hospitalitas erat ipsa charitatis regula. Frater quidam venit ad solitarium, (ex Græco incerto Interprete Pelagio) & cum egrederetur ab eo dixit: *Ignosce mihi, Abbas, quia impedivi regulam tuam. Ille respondit & dixit ei, mea regula est, ut recipiam te in hospitalitate, & cum pace dimittam.* Immo Anachoretæ in eremis degentes advenientem exceperunt sine jejunii obligatione: *Venerunt aliquando duo fratres ad quemdam senem: consuetudo autem erat seni, non manducare quotidie. Qui cum vidisset fratres, gaudens suscepit eos, & dixit, jejunium suam mercedem habet.*

Sic Moises Abbas, quum in ipsa hebdomada ante Paschatis ferias accederent fratres quidam ex Ægypto, paravit eis modicum pulmentum, & cum vidissent vicini fumum, dixerunt Clericis Ecclesiæ, *Ecce Moises solvit mandatum, & coxit apud se pulmentum.* Mitto innumera hujus vescendi exempla de sanctissimis illis Anachoretis. Sed memoria dignum pro coronide sit id, quod Ruffinus de hospitalitate Oxyrinchæ civitatis in Thebaide narrat: *Ipsi quoque Magistratus & principales civitatis, & reliqui cives studiose per singulas portas statuunt, qui observent, ut sicubi apparuerit peregrinus, aut pauper, certatim ad eum, qui præoccupaverit, adductus, quæ sunt necessaria consequatur.*

CAP. XXVII.

Posterioris ævi apud quasdam nationes hospitalitas recensetur.

SED ne prisca tantum miremur, nostris quoque temporibus nemo negaverit, apud fideles Christi cultores, atque in primis Ecclesiasticos Primates, cæterosque Principes omnia antiquæ hospitalitatis jura servari ac vigere. Nec dictu facile, num majori usquam studio exerceatur, quam Romæ in peregrinos, Religionis voto accedentes, cum omni anni tempore, tum præcipue imminentibus Sacrosanctæ Resurrectionis Domini Christi feriis, quarum veneratione frequentiores affluunt ab Urbem advenæ. Ære publico variis in locis ii excipiuntur, ad ædem nempe S. Joannis Lateranensis, ac Divi Spiritus; sed majori nunquam & splendidiori apparatu, quam in celebri S. Trinitatis Xenodochio: ubi e Religiosis primi, Summoque Pontifici sanguine juncti, peregrinorum commodis quocumque ministerio strenue invigilant, etiam sese ad pedum lotionem demittentes, præeunte nonnunquam Summo Pontifice. Horum exemplo Principes pari studio omnia pietatis officia in hospites exercent. Nec inferiore charitate id præstant matronæ, natalibus clarissimæ, recipiendo cujuscumque sortis feminas, quibus summa pietate & insigni cultus apparatu ampla destinata sunt hospitia. Ecclesiæ insuper omnes Nationales Germanorum, Gallorum, Hispanorum, & aliorum, suos cives excipiunt, & per aliquot dies alunt. Adeo Romæ in excipiendis hospitibus cum magnificentia certat pietas: immo magna Christianæ Religionis ratio in ejusmodi exercitia sese jam diffudit per universam Italiam, Principumque ingenio ac magnificentia eo crevit, ut communi sententia veterum, ac Romanorum, aliarumque nationum exempla excedat. Quippe occurrunt passim per Italiæ oras xenodochia in viis, in oppidis, in urbibus, publicis impensis, & privatim piorum hominum testamento extructa, & facultatibus aucta, maximeque superioribus sæculis. Ut de aliis sileam; Patavii xenodochia olim quadraginta quinque summa religione aperta legimus, vero conditoris sui Antenoris exemplo, quem hospitalitatis eximiæ cultorem accepimus. Adeo Patavini hospites amplecti consueverunt, ut Caroli V. Imperatoris tempore Bononiæ in museo Achillini aureis literis scriptum videret Ludovicus Pasinus, Medicus clarissimus. PADVA LÆTA, GENTE REPLETA. VERVM PADVA ALIOS NVTRIT, SVOS DEVORAT. Quod commune aliis urbibus Provinciæ, in quibus adhuc remanet nescio quid Gothicum, vel Longobardicum, nec raro civibus exteri præferuntur. Vicentini tamen palmam ferunt præ cæteris, qui suorum non immemores, omni laudabili hospitalitate florent. Illuc enim accedentes summa comitate quoscumque literatos, aut virtute aliqua viros celebres excipiunt & apud se retinent, eisque symbola certatim mittunt. Insignis etiam hospitalitas viget in Histria, cui desunt cauponæ. De qua nos fusius in *Historia ejus Provinciæ*.

Mitto Italos Principes opes suas in hospitibus recipiendis profundere. Quo splendore in primis Serenissima Venetorum Respublica facile primas tenet, dum a suis majoribus edocta sic omnia hospitalitatis jura præstat, ut in his tuendis servandisque non minima Patrum cura versetur, ne quid pompæ aut majestati desit, in edendis spectaculis, largitionibus, muneribusque amplissimis, quibus Magnatum animi conciliantur, Regumque & Principum favor stabilitur, si quando Principes advenæ excipiendi: sed in hac urbe in primis conspicua est singularis omnium in pauperes pietas & munificentia. Senatores nempe primi ordinis xenodochiis præsunt, ea vigilantia, ut urbs Veneta vere peregrinorum hospitium, egentium receptaculum, & communis omnium adventantium patria perhibeatur.

Longum nimis foret quosvis civitatum mores omnes recensere. Unam tamen non prætermittam, pulcherrimam quippe omnique laude dignam, Cesenæ urbis in recipiendis hospitibus consuetudi-

nem. Cum enim olim publicorum diverſoriorum nullus pene heic eſſet uſus, ſinguli illius civitatis patres, quamprimum hoſpitem conſpexiſſent, in domum ſuam excepere, tanta hoſpitalitatis contentione, ut ſæpe res a rixis ad conflictum veniret. Decretum itaque, quomodo hoſpites exciperentur. Erecta enim fuit in foro columna, in cujus ambitu fixi erant tot annuli ferrei, notis diſtincti, quot eſſent nobiles familiæ, cautumque fuit tollendæ controverſiæ cauſa, ut ad cujus annulum alligaſſet hoſpes equum in ejus domum diverteret: Hollandarius auctor in *Prodromo nobilitatis*. In quam rem plura Cl. Vir Fortunius Licetus, in Patavino Gymnaſio primarius Medicinæ Theoricæ Profeſſor, Libro *de Annulis*.

Viri eruditi Angelici Aproſii indicio, amœna eſt, dignaque poſterorum memoria, Illuſtriſſimæ Spinularum familiæ originatio, Epiſcopi Auguſtini Juſtiniani *Annalium Genuenſium* lib.II. ubi narrat anno MCII. Guidum, filium Belli, Vicecomitis, primum Spinulæ cognomen fuiſſe nactum, cum hoſpitibus frequentioribus liberaliter exceptis varii generis vina promi juberet. *Spina* enim Italis dolii ſiphunculus eſt, & *ſpinolare* Liguribus eſt vinum e doliis haurire. Hac igitur antiquis gentilitiis inſignibus, nempe teſſerulis XXVIII. albis & rubris ſimul junctis inſtrumentum illud inſigni hoſpitalitatis exemplo acceſſit. Quem majorum morem ſecuti ejuſdem clariſſimæ familiæ poſteri.

CAP. XXVIII.

Hoſpitum diſcedentium ritus.

COMMUNE erat apud cultiores gentes, læto animo hoſpites excipere, & ægre dimittere. Sed & diſcedentibus hoſpitibus in viam cibi dabantur. Ita dimittitur a Neſtore lib. III. *Odyſſ.* Telemachus. Vertit hoc amiciſſimus noſter Joannes Argolus:

Conda dedit mulier panem Bacchique liquorem,
Atque cibos, comedunt Reges quos rite beati.

Dulciaria præterea dabantur, præcipue pueris, quibus ipſi demulcentur. Homerus: Ἐγὼ δ' ἐπιμείλια δώσω πολλὰ μάλα. *Dulciaria ego quidem multa dabo*. De qua re Scholiaſtes Apollonii Rhodii *lib.* III. ſic πέλανοι, πέμματα, *bellaria mattyæ*; unde mazapanis *marſapane*, cupediæ unde *cupeta* dulciarium, quo Natalis Domini diebus veſcimur, buccellatus panis, *buccellai*, ξηρὸς ἄρτος a Græcis dictus. Hinc Scholiaſtes *ad* I. *Eclogam Theocriti*, & Didymus *ad* B. *Odyſſ.* ibique Euſtathius, de more veſcendi Veterum eleganter, quamvis ad cibos militares ſive Lacedæmoniorum ea prolata ſint, neq; ad omnium Veterum & Romanorum uſum omnino trahenda patet explicatione ἀκρατισμῶ apud Scholiaſtem Theocriti. Dabantur etiam alia munera nobiliora. Menelaus crateram argenteam diſcedenti Telemacho hiſce verbis obtulit:

Ecce tibi cratera dabo, eſt argenteus ille.
Totus & aurato ſuffuſus labra metallo,
Vulcani labor, atque dedit quem maximus Heros
Sidonius mihi Rex.

Sic etiam Helena illi munus ſuum ita Latine tradit:

Sic ea dicebat, manibus peplumque tenebat:
Hoc tibi, chare puer, dona dabo pignus amoris
Fidæ Helenæ, quem nupta ſibi, cum venerit hora
Ipſa feret quondam, interea ſepone parentis
In thalamo, felixque mihi tua tecta reviſe,
Inque lares lætos patriamque revertere terram.

Aureum cantharum Deum Mater ſorori ſuæ Deæ Syriæ hoſpitale munus obtulit, Apulejo teſte *Metam.* lib. IX.

Nero Claudius Tiridati Armeniæ Regi abeunti contulit ſeſtertium millies; nimirum quinquagies centena millia Carolinorum, ex ſupputatione Adriani Junii.

Item cum dimittebantur hoſpites, ipſis ξένια tradebantur, quæ proprie apophoreta Martiali, quod retro ferrentur, nempe domum. Xenia enim communia diſcumbentibus in hoſpitio. Sic Martialis *lib.* XIII. XENIA inſcribit, quæ non ſolum hoſpitibus, ſed etiam amicis dabantur, qui ſæpe conjunguntur. Ita Cicero *pro S. Roſcio Amerino: Fama & vita innocentis ab hoſpitibus amiciſque paternis defenditur.* Martialis igitur, quia res mittendæ deerant, diſticha conſcripſit, quæ loco xeniorum & ſuis ipſe amicis mitteret, & ipſis mittenda ſuaderet, *lib.* XIII. *epigr.* III.

— hoſpitibus pro munere diſticha mittas.

Erant etiam quædam præcepta, quæ diſcedentibus dabantur, ſive ad utilitatem, ſive ad honoris ſpeciem conferentia, *xenia* Græcis dicta. Puta cum diſcedenti amico, ut ſibi caveret a vitio aliquo, injungeretur: & prudentiores ſaltem dicebant: TU MEMOR ESTO MEI. Exempla habes *de veris narrationibus* apud Lucianum, ſub ipſi a Minoe tria præcepta obſervanda memoriæ mandantur. Exemplum habes in *Medea* Euripidis apud ipſius Scholiaſtem, ubi diſcedentem Jaſonem Medea, ſicut Neopron adnotat, ξενικῶς ſalutaribus minis admonet. Nec inuſitatum fuiſſe videtur Scriptoribus Lectori ſui memoriam inſinuare. Ita namque in clauſula *Alexipharmacorum* Nicander Interpretis Latinis verbis: *Nicandri Poetæ memor ſis: ſic fiet, ut Hoſpitalis Jovis legi non renitare.* Nec alia de cauſa inventi a Germanis, qui virtuti literiſque operantes peregrinantur, libelli, in quibus magnorum virorum ſymbola ac veluti amicitiæ teſſeras reportant.

Diſcedentibus etiam tabellam hoſpitalitatis dabant, quam ſi alteram in ingreſſu oſtenderant, iis pariter novam in veteris amicitiæ renovationem conferebant. Locus eſt præclarus in *Medea* Euripidis citatus a Scholiaſte.

Hodie frequens & communis uſus eſt diſcedentibus Viris claris, vel Legatis, ac Oratoribus, Principes munera dare. Idem liberalitatis honor primum apud Summum Pontificem adolevit, qui non ſolum cuilibet Prælato ſacras reliquias Sanctorum ac numiſmata aurea & argentea, ſed Oratoribus & Principibus, ac Illuſtriſſimis mulieribus Romanis accedentibus, pretioſa munera donat.

Nec minus privati viri diſcedentibus amicis xenia tribuunt; item annulos & ſuas imagines donant, viaticumque pro itinere porrigunt.

Si quem vero contracti hoſpitii pœnituiſſet, renunciare hoſpitium ſolebat, ne hoſpitii jus violaret. Sic Cicero *in Verrem* Act.IV. *Itaque vehementer iſte Sthenio infenſus, hoſpitium ei renunciat.*

Si quis autem jus hoſpitii violabat, teſſeram hoſpitalem confregiſſe dicebatur. Plautus in *Ciſtell.* Act. II. Sc. I.

Abi, quærere ubi jurijurando tuo ſatis ſit ſubſidii:
Hic apud nos jam, Alceſimarche, confregiſti teſſeram.

Reſtabat alia hoſpitum diſcedentium teſſera, cujus notitiam ex ſuppeditante Gregorio Turonenſe Chifletius in *Anaſtaſi Childerici Regis*, &

nos supplendis, quæ hic desiderabantur, ex Chifletio exhibemus.

In abacis, inquit, *Antiquariorum frequens est mediæ magnitudinis nummus ex ære flavo vel nigro, qui exhibet Augusti Cæsaris & M. Agrippæ aversa mutuo capita: in postica autem parte crocodilum, animal Nilo familiare, palmæ arbori alligatum. Signavit illum* COLONIA *Galliæ Narbonensis* NEMAUSUS *utriusque Principis honori, post Ægyptum captam. Nummorum ejusmodi partes dimidiæ dextræ, quæ Augusti caput referunt, repertæ sunt Romæ, cum illic ageret amicus noster Clarissimus Menetrius, qui eas vocabat* Archas, *nulla adjecta explicatione; binisque donavit fratrem meum Philippum Chifletium, Abbatem Balernensem, flava una, nigraque altera: qui & tertiam accepit (itidem nigram, sed sinistram, Agrippæ capite signatam, & in hoc Belgio repertam) a Carolo Brooman cive Bruxellense, rei antiquariæ apprime studioso. Nummum divisum hic exhibeo, usurpatum, mea sententia, pro arrhabone sive tessera inter amicos absentes & longe dissitos.*

Amicitiam *enim*, quæ est amicorum conjunctio, locus non dirimit. *Qui manebat Romæ, partem dextram servabat Augusti capite signatam: qui peregre proficiscebatur, sinistram cum Agrippæ effigie deferebat: quod existimaret Gentilis vetustas*, LARES DEOS *defunctorum animas esse, qui quæ opera fecissent in vita, eadem mortui tuerentur*. Et paulo post: *Sperabat ergo amicus, qui Romæ manebat, Augustalis vultus, ut domestici Laris cultu, amicum abeuntem in profectione sua felicem fore: ac se vicissim fortunatum peregrinator, quod Agrippæ imaginem ut* LAREM VIALEM *secum gestaret ac coleret. Sic ut nummus ille bipertitus quædam esset amoris arrha, per quam corda absentium amicorum longe dissita mutui complexus desiderio alerentur.*



Cap. XXIX.

De mercenaria hospitalitate: ubi de Caupona, Taberna, Stabulo, & Diversorio.

Ratione excipiendi hospites gratuita jam satis perspecta, nonnulla breviter de mercenaria dicenda, quam Veteribus fuisse in usu satis constat. Cicero lib. I. *de Divinatione*: *Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, & Megaram venissent, alterum ad cauponem divertisse, ad hospitem alterum: qui ut cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur*. Certi enim homines lucri causa viatores quosvis pro mercede excipiunt; illisque tecti solius usum, vel etiam alimenta præbent. Hi a Latinis *caupones* sive *copones* dicuntur. Alii solum panem sine vino. Apud Ciceronem in *Pisoniana copæ* videntur: *Panis & vinum de propola & de copa*. Quod sic exponendum est: *Panis de propola, vinum de copa*. Sed in veteribus Glossis *propolæ* sunt tabernarii, id est, caupones, qui *propolæ* apud Lucillum omnes sunt coctores qui aliquid promercale habent. Sicuti macellarii, qui veluti publici coqui in foro

A carnes vendebant; a laniis differentes, qui crudas tantum venales habere soliti. De his Phædrus:

Pendere ad lanium quidam vidit simium
Inter reliquas merces atque obsonia.

Caupona idem cum taberna, quæ, teste Isidoro, erant ædiculæ plebejorum, parvæ & simplices in vicis, asseribus & tabulis clausæ; unde & tabernarii dicuntur, qui iis assistunt. Videntur autem tabernæ etiam omnibus opificibus & negociatoribus suæ: de copona nunquam mentio. Est enim cella vinaria, attamen frequens eadem est taberna pro

B copona. Virgilius in *Copa*:

Ebria famosa saltat lasciva taberna.

Ergo taberna eadem cum caupona. Illud tamen magis generale nomen, quam istud.

Pro diversorio etiam caupona usurpatur apud Horatium *Epistolarum* lib. I. epist. XI.

Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre lutoque
Aspersus, volet in caupona vivere.

C Diversorium locus est ubi viatores divertunt. Aliqui putant fuisse dictum, quod ex diversis viis eo conveniatur. Cicero *de Senectute*: *Ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tamquam ex domo. Commorandi enim natura nobis diversorium, non habitandi dedit*. Diversari etiam est manere apud aliquem hospitii jure, vel alio modo; & diversor is, qui diversatur. Quod quidem vel est publicum, ut taberna meritoria, vel privatum.

Aliquando inter tabernam & diversoria erat differentia: aliquando confunduntur. Nam & tabernæ plerumque viatores & adventores excipiunt:

D diversoria vinum vendunt civibus. Quin Latini pariter cauponas & diversoria pro iisdem habent. Suetonius diversorias tabernas appellat in *Nerone*, quas copæ exercerent: *Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Bajanum sinum prænavigaret, dispositæ per littora & ripas diversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganea, & matronarum institorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium ut appelleret*. Sic legendum illum locum Clarissimus Virorum Claudius Salmasius *de Usuris* putat. Nam vulgo est, *insignes ganeæ*.

Diversoriis adjectum erat stabulum, quod erat receptaculum equorum & jumentorum, quod etiam

E pro caupona & hospitio accipitur, a stando. Apulejus *lib.* I. *Ego vero, quod primum ingressus stabulum conspicatus sum, accessi, de quadam anu caupona illico percontor*. Sed proprie animalium locus, qui semper cauponis & tabernis erat proximus. Quo modo aliqui explicanda verba *D. Lucæ* censent de B. Virgine c. II. *In stabulo eum reclinavit, quia locus in diversorio non erat ipsis*. Quod *præsepium* reddit vetus Interpres pro *stabulo*, ut Græcum φάτνη pro eodem. Cum igitur non esset locus præ nimia multitudine divertentium in ipso diversorio, peperit Christum Maria, fasciis involvit,

F & reclinavit in stabulo diversorii, quo jumenta accipi solebant. Hinc a stabulo stabularii famuli, qui stabulo præsunt.

Antiquitus vero tam apud Græcos, quam apud Romanos cauponariam exercere ignominiosum fuisse, passim ex Auctoribus constat. Hujus artis auctores Lydos tradunt, a quibus etiam aleæ, tesserarum, atque pilæ lusum deducunt, qui quidem in tabernis illis mercenariis maxime viget. Hinc Plato lib. II. *de Legibus* ea interdicit cives suos. Plutarchus II. *Probl. Sympofiac.* XIX. Italos caupo-

nes pravitatis & avaritiæ arguit. Sed horum mores hic perſtringere non eſt locus. A

Noſtris temporibus iis nihil frequentius. Hinc undique tabernæ & caupones, ſed diverſæ: aliæ in Gallia, aliæ in Germania, aliæ in Belgio & Anglia: ſplendidæ enim & nobiliores ſunt eæ, quæ in itinere Romano, & ſub dominio Summi Pontificis, tumque Magni Ducis Florentiæ, uti etiam ſtata mercede hoſpites & equi ſine cauponæ querimonia excipiuntur, ſignis ad diſcrimen ubique præfixis, quibus viatores earum memores, illuc redeuntes denuo invitentur.

CAP. XXX. B

De ſupremo erga hoſpites officio.

NIHIL religioſius apud Romanos, quam eorum ſepulchra, quæ veluti ſacra habebantur, in quibus fere ſemper vetitum erat alios condi. Singulos ſingulis tumulis reponi apud eos permanſit conſuetudo, quam ab Athenienſibus uſurpatam ferunt. Poſtea mos adolevit, ut ſingulæ familiæ ſuos tumulos inſignes haberent, qui locus conditorium vocabatur. Vidi Romæ in Vinea nobiliſſimi Viri Joannis Baptiſtæ Caſalii, ad viam Appiam, ſubterraneum conditorium, ſive hypogæum, dealbatum & cruſtatum, in quo plurimæ concavitates in muro, & in unaquaque earum extabant duæ C vel tres ollæ fictiles, muro affixæ, repletæ cineribus & oſſibus ſemiuſtis, cum tabella trium palmorum inſcripta, prohibente ne exteræ familiæ hic conderentur:

L. HOSTILIVS. FORTVNATVS. SIBI. ET
HOSTILIAE.IANVARIAE.FILIAE.ITEM
LIBERTIS. LIBERTABVSQ. SVIS
POSTERISQ. EORVM. FECIT D
EXTERAE. FAMILIAE. ADITVS. NON
DATVR. NEC. IVRE. QVIS. IN HOC
MONVMENTO. OLLAS. EMET

Nec juxta ſepulchrum novum propius ſexaginta pedes invito domino ædes admovere licebat, eaque inviolabilia habita, nec præſcribi poterant, nec uſu capi, ſicut nec publica. Si quis tamen oſſa cineresque in alienum ſepulchrum deferret, illa eruere loci dominus, & ſine Pontificum decreto alio E transferre non poterat. Ulpiani hoc eſt in *l. Oſſa. 8. in princ. ff. de Relig. & ſumptibus funerum.*

Legimus autem cujuſdam monumentum in pavimento Baſilicæ Lateranenſis, in quo auctor jubebat, ut ſi quis EXTERVM CORPVS INFERRE VOLVERIT, daret Reipublicæ Oſtienſi quædam ſeſtertia:

. . . .
. . . .
ET. PORTENS. Q. Q. IMMQVE
BISELLIARI..... FECIT. SIBI
ET AVRELIAE. VICTORINAE..... F
CONIVGI. FT. FILIIS. SVIS
ET LIBERTIS..
LIBERTAB. POSTERISQ. EORVM
IN. HOC. AVTEM. MONVMENTO
QVISQ. EXTERVM. CORPVS. INFERRE
VOLVERIT. DABIT. REIPVBLICAE
OSTIENS. S. H. L. M̄. N. IN. FRON. P. L.
IN. AGRO. P. LXXI. S.

Nec magis Romanos erga hoſpites defunctos ſuprema animi pietas deſtituit, cum etiam publica monumenta pauperibus & ſervis, ubi condi poterant, ædificarent.

Plura nempe monumenta hoſpitibus bene merentibus poſita legimus. E quibus libet hic duo recenſere. Primum Tarraconæ videtur:

D. M.

T. COR.... F....
DELEGATVS. VII. G
P. F. STIP. XXIIII
VIX. ANN. LVII.
FECIT........
ALLIA. PARALI...
HENIS........
HOSPITI. B.....

Alterum ibidem, ex Verdeſii ſchedis:

D. M.

VAL. ATTICO. R. F.
COS. LEG. XII. G
P. FE. STIP. XXIIII
VIXIT. ANNIS. XLI
FECIT. AELIA. PAR
THENIS. HOSPITI
BENEMERENTI

Quod munus utique per omnia tempora uſitatum, etiam apud noſtros viget. Patavii ad D. Laurentii ædem in marmore monumentum extat, quod Dominicus Molinus, Senator ampliſſimus, FRANCISCI Sereniſſimi, dum hæc ſcribimus, Reipublicæ Venetæ Ducis, frater, Laurentio Pignorio Amico & Hoſpiti poſuit:

D. O. M.

LAVRENTIO PIGNORIO
PRIMVM PAROCHO
DEINDE TARVISII CANONICO
PIETATE AC MORVM SANCTITATE
SPECTATISSIMO
VERO CANDORIS ET PVDORIS EXEMPLO
LITERARVM OMNIVM
CVM GRAVIORVM TVM POLITIORVM
PERITISSIMO
PENITIORIS ANTIQVITATIS NON MINVS
CERTO QVAM CVRIOSO INDAGATORI
PATRIAE AMICORVM ET SVI IPSIVS
MEMORIAE
LVCVLENTISSIMIS SCRIPTIONIBVS
PROPAGATORI
MVSARVM DENIQVE ET GRATIARVM
CORCVLO ET OCELLO
DOMINICVS MOLINVS SEN. VEN.
AMICO AC HOSPITI
CARISSIMO ET IVCVNDISS. P.
OB. ANN. MDCXXXI. IDIB. IVNII.
VIXIT ANN. LIX. MENS. VIII.

Idem mos Veterum in milites bello defunctos. Lacedæmonii, dum contra Meſſenios pugnant, ne milites, qui bello ceciderant, inſepulti manerent, teſſeras in brachiis, inſculptis nominibus, habuere. Apud Athenienſes ſingulæ tribus ſingulas habuere arcas, in quibus cadavera & diſperſas reliquias mi-

litum suæ cuique tribui inquisita colligerent, & postquam in publicis sepulchris illa condidissent, ne essent inhonorati, insigni testimonio pietatis in defunctos, solemni oratione eorum laudes recensebantur.

Hoc autem loco non extra rem quæri poterit, cur Judæi triginta argenteis, quos reddidit Judas Iscariotes, emerint agrum figuli in sepulturam peregrinorum? Quia, cum essent precium sanguinis, eos in Corbona vel Gazophylacio inter dona Dei recondi nefas erat Principibus & Sacerdotibus, inito propterea ab iis consilio statuerunt, ut emeretur illis ager figuli, quo peregrini, qui in urbe e vita discedebant sepulchroque carebant, in illo sepelirentur. Sub velo nempe typi significatur, precium sanguinis Christi, non Judæis indigenis, sed peregrinis, id est, Gentibus in eum credituris, profuturum esse.

Optime Aloysius Novarinus *in Matth.* c. XXVII. *Fraudulenter principes Sacerdotum cogitaverant, & decreverant illius pecuniæ summam in vilissimæ & abjectissimæ rei usum expendere, in sepulturam scilicet militum aliorumque pauperum & ignobilium Gentilium, atque hac ratione Christi memoriam ad necem empti, & suam ipsorum impietatem emptione sepulturæ sepelire. Sed aliter Dei providentia factum; ager quippe ille emptus æternum monumentum factus est sceleris ipsorum. Si in Corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset; nunc vero prædio empto ad posteros rem universam vel aliud cogitantes transmiserunt, ut hinc cogitaremus, ægre celari Sacerdotum & Principum scelera posse.*

Mirum est quod de hoc agro scribunt Brocardus, Nicephorus, Bredembachius, Saligniacus, & ex iis Adricomius in *Descriptione Hierusalem* n.216. pag. 173. *Cum jussu Imperatricis Helenæ de hoc agro, quantum terræ plures naves capere poterant, Romam avectum, ac juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolæ Campum Sanctum vocitant, licet cælum mutarit, eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hic omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantum residuis.*

CAP. XXXI.

De Inhospitalitate.

SICUT hospitalitate nihil est juri divino, naturali, atque gentium convenientius, nihil cum universis civibus, vel singulis hominibus gloriosius, ornatius, jucundius; ita inhospitalitate nihil est tetrius & immanius; nihil legi divinæ atque naturali magis contrarium & inimicum; nihil quod & universæ civitati & singulis hominibus majus apud mortales odium & invidiam majoremque ignominiam atque dedecus pariat. Non defuere tamen, qui ferarum more, non hominum, ab omni humanitate alieni erant, ut non benigne hospites ad mensam admitterent, sed mensæ apponerent, *Dial.* II. Cæsarius. In Hesperiis regionibus ultra Indos quidam habitant, qui hospites devorant, & advenas interficientes comedunt. Huc facit illud Theocriti Scholiast. *Idyll.* I. ubi, dum explicat quid sit τραγωδία τῦ Λυτιέρσυ, nempe *Lytiersis cantus*, hanc affert historiam. Lytierses Celænas Phrygiæ habitabat, Midæ filius nothus, hic cum esset agricola, hospitio atque cantu transeuntes excipiebat, atque metere secum cogebat; nocte vero amputatis ipsorum capitibus cantilenas ad truncos canebat. Hercules postea monstrum occidit, cadaverque projecit in Mæandrum, ex quo Phrygii messores adhuc Herculem laudantes, ut optimum messorem celebrant cantu, quem Apollodorus cantionem esse metentium ait. In lamentationibus enim cantus quemadmodum Jalemus, in hymnis Julus, a quibus genera cantionum appellavere; ita & cantilena metentium Lytiersis ob id causæ est nuncupata.

Notantur Lacones ex eo, quia expellebant hospites; unde *Laconizare* pro hospites rejicere, proverbium exortum est. Cicero in suis Invectivis *in Verrem*, inter alia crimina illi sæpe hospitii violationem exprobat. Ut in *Actione ultima*: *Num te ejus lacrymæ, num senectus, num hospitii jus atque nomen a scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit? Sed quid ego hospitii jura in hac tam immani bellua commemoro, qui Sthenium Termitanum, hospitem suum, cujus domum per hospitium exhausit & exinanivit, absentem in reos retulerit, causa indicta, capite damnarit, ab eo nunc hospitiorum jura atque officia quæramus?*

Barbarum semper, nocere hospitibus, colligit *in Euripidis Hecubam* Scholiastes: *Vobis barbaris insitum fortasse hospites cædere; nobis vero Stellinis Græcis impium est*: ubi nota Trojanos dici Stellinos, atque ita quodammodo Græcos: loquitur enim Hecuba contra Polymnestorem, qui Thrax; & Thraces proprie barbari; unde illud Horatii, lib. III. *Carm.* ode XXV.

— *ac pede barbaro*
Lustratam Rhodopen.

Barbaro, hoc est, Thracio.

Quantum Thraces fuerint inhospitales, ostendunt Polymnestor, Diomedes, Busiris, Scythæ. Nec Homero exempla desunt.

Massagetæ, populi Scythici in Asia ultra mare Caspium, infestissimi sunt hospitibus. Neque enim cum vicinis populis ullam servant amicitiam, ex Strabone *lib.* VI.

Procustes cogebat hospites super lectum aliquem ascendere, quo si longiores fuissent, pars supereminens amputabatur, qui vero breviores distendebantur: a qua re etiam nomen illi inditum putant, Plutarchus in *Theseo*.

Imprecationes vero plures in eos, qui peregrinos injuriis afficiunt, leguntur in Homero, & præsertim sub persona Menelai adversus Alexandrum ingratum hospitem:

Juppiter rex da ulcisci, qui me prius injuria affecit
Nobilem Alexandrum, & meis sub manibus doma,
Ut aliquis timeat & posterorum hominum
Hospitem injuria afficere, qui amicitiam præbuerit.

Apud Livium *Decad.* IV. *lib.* IX. Annibal cum se a Prusia, Rege Bithyniæ, hospite suo, nefarie proditum animadvertisset, execratus in regnum caputque Prusiæ, & hospitales Deos violatæ ab eo fidei testes invocans, poculum veneni, quo sibi mortem conscivit, exhausit.

Pœna eorum, qui peregrinos tecto arcerent, apud Suecos fuit, si idoneis testibus ter hospitium negasse aliquis eorum fuisset convictus, illius ædes subjectis ignibus comburebantur: ut ædibus propriis juste privaretur, qui earum usum aliis inhumanissime denegasset. Immo fuerunt apud Antiquos nonnullæ domus sceleſtæ, quas non licuit amplius habitare, postquam ibi violata essent hospitia. Notati sunt insigniter, qui penuriæ & necessitatis tempore peregrinos ab urbe excludebant. D. Ambrosius lib. III. *Offic.* cap. VII. Bethlehemiticæ gentes ob inhospitalitatem graves & atroces, teste D.

Hieronymo, pœnas dederunt, illorum infantibus ab Herode trucidatis.

Lacedæmonii verberibus expellebant hospites, indicio Aristophanis in *Avibus*, citante Suida. Ex legibus enim Lycurgi exteros non admittebant ad jus civitatis. Ita Thebani. Quin etiam Spartanis peregrinos adire non licuit, quod eorum commercia vitarent: quare Dirinoxeni, quasi fallentes hospitem, dicti sunt. Sed ipsis etiam peregrinari vetitum erat. Tyrtæum tamen Poetam Lacedæmonii civitate donarunt, contra instituta majorum. Quod ideo factum Pausanias ait, ne quando illis objici posset, quod peregrino duce usi fuissent. Solon vero Atheniensibus in suis legibus decrevit, quod præter eos, qui sacra, & genus, aut stirpem antiquissimam haberent, jus civitatis nulli peregrino, nisi ei, qui aut perpetuo exilio patria pulsus esset, aut alicujus artis causa jure penatibus & domo Athenas commigrasset. Nec Atheniensium ullus Megaram pedem inferre potuit.

Moscovitæ quoque nostris temporibus hospites indignis modis habent, immo legatos satis arcte. Omnium quippe mortalium sunt suspiciosissimi. *Britannos hospitibus feros* vocat Horatius *Carminum* lib. III. ode IV. At nihil hodie ista gente amabilius. Tanta culturæ vis est, qua literæ animos ceteroquin feros emolliunt.

Hospites apud Tauros immolabantur, ut refert Origenes lib. II. *Periarchon*, & præsertim Dianæ, eodem *in Celsum* lib. V.

Pœnis, si quis vi tempestatis, aut hostium impetu ad eorum littora applicuisset, intra quintum diem abire cogebatur, apud Indos triduo, Philostratus in *Vita Apollonii* lib. II. cap. XI.

Carthaginenses exteros adeo exosos habebant, ut qui in Sardiniam, aut ad Herculis columnas navigasset, mari demergeretur, si credendum Straboni *lib.* XVII.

Scythæ peregrinos insectabantur, & quod inhumanum est, eos immolabant, ex Herodoto *lib.* IV. & Strabone *lib.* VII. qui de Scythotauris idem perhibet.

Gamphasantes, in intimis Libyæ oris, adeo hominum commercia fugere, ut nullis e peregrino misceri sinant, Plinius *lib.* V. *cap.* VIII. auctor est.

Seres cœtus & congressus hominum fugiunt, ut etiam rerum precia oculis æstimantes sua tradant, & aliena non emant, arbitrati jura civium cum peregrinis communicari non oportere, Solinus *cap.* LIII.

Apud Busirim & Cynospolim alieni & hospites non admittuntur. Idque commune barbaris, ut hospites expellant, auctoritate Eratosthenis scribit Strabo *lib.* VII. Putabant enim eorum societate quasi contagione quadam infici. Nec desunt hodie nationes, quarum cives, suæ Reipublicæ nimis studiosi, peregrinis se abstinent, ne alienis moribus ritibusve incolarum consuetudines inquinentur.

Cap. XXXII.

Operis Peroratio.

Hæc de Hospitalitate & Hospitiis, Veterum præcipue, quæ ad elegantissimæ tabulæ explicationem e Veterum monumentis ad ipsorum mentem, salvis semper S. Romanæ Ecclesiæ decretis, ac meliori Doctorum judicio, eruere, nostrique ævi consuetudine percensere licuit breviter, inter publica negotia, ea æquitate excipi desidero, ut aliis in re satis perplexa & uberior ingenii & stili materia relinquatur.

FINIS.

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

PRANDIO ET COENA VETERUM,

AC DE ALIIS AD EADEM SPECTANTIBUS, MISCELLANEA.

AD GER. JOH. VOSSIUM PUBLICUM RHETORICES PRAELECTOREM APUD BATAVOS.

INDEX CAPITUM.

XVII.

JOSEPHI LAURENTII, *LUCENSIS*, DE PRANDIO ET CŒNA VETERUM, AC DE ALIIS AD EADEM SPECTANTIBUS, MISCELLANEA.

AD GER. JOH. VOSSIUM PUBLICUM RHETORICES PRÆLECTOREM APUD BATAVOS.

CAP. I.

Mensæ benedictio Antiquis in usu, & cur? Iisdem mensa sacra. Jusjurandum per convictum quod? Convivium Deorum quale? Cœna unde dicta? Epulæ sacrificiorum appendices. Convivia publica apud varios populos quæ? Preces ante mensam. Cibus non libatus haud sumendus. Mos inter bibendum sibi mutuo bene precandi. Quid acclamatum in potionibus? Jovi Servatori poculum primum. Κυλικεῖον *quid, & a quibus usurpatum?*



Laudatissimus mos Christi fidelium ante mensam Deum precandi, quem & priscis Ethnicis etiam in usu fuisse refert Athen. l. VII. his verbis: *Nam ad epulas convenientes primum Deos venerabantur, deinde ad animi remissionem ac hilaritatem sese traducebant*, &c. Paulo infra rationem reddit: *Ut dum putaret quisque ad primitias & libationes Deos venire, in iis verecunde ac pudenter versaretur.* Idem l. X. *Deos igitur precari, quod ait Plato in Philebo, vinum misceamus, seu Bacchus, seu Vulcanus, seu quis alius*

A *Deorum hunc sortitus est honorem, cum vinum misceretur, nempe, ut ejus numen invocetur, & libatione colatur.* Quintil. *decl.* CCCI. *Invitavi ad cœnam*, &c. Paulo post: *Et adisti mensam, ad quam eum venire cœpimus, Deos invocamus.*

Plutarchus præterea *Quæst. Rom.* LIV. aperte asserit, mensam esse sacram. Ideo solemne apud Scythas jusjurandum per convictum, seu convivendi, convivandique consuetudinem. Athenæus *lib.* V. *Omnis convivalis cœtus apud Veteres sui causam ad Deum referebat*, & idcirco subjungit: *Veteres cum coronis atque hymnis Deorum propriis, tum mensæ ministris, non servis, sed liberis & ingenuis in conviviorum celebritate uti solitos.* Asclepiades,
B teste Pausania, moderatum convivium, Deorum conciliabulum vocat, dum ad tale convivium non modo Heroas, verum ipsum quoque Jovem, Deosque omnes accedere posse crediderit.

Convivium a Varrone apud Agellium *lib.* XIII. *cap.* XI. dicitur constare quatuor rebus, quod omnibus suis sit absolutum numeris: si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si apparatus non neglectus, si tempus lectum, hoc est, si tempestivum sit convivium, ut interpretatur eruditissimus Turnebus, de rebus potius festis, quam profestis, si sub noctem, de die enim potare olim turpe, neque in multam noctem producatur, sed fiat tempore, unde *tempestivum dictum*.

Cœnam Plutarchus vult dictam, quasi κοινὴν, id est, *communem*, a communione; Clemens ἀγάπην, id est, *charitatem*; alii συνουσίαν, id est, *convictum*. Unde epulæ olim sacrificiorum appendices. Quare legislatores convivia publica instituerunt, ut illis vel civilis societas iniretur, vel inita benevolentia conservaretur. Aristoteles in *Politicis* ait, antiquissima Italorum συσσίτια ab Italo: Cretensium ἀνδρεῖα a Minoe: Lacedæmoniorum φειδίτια a Lycurgo: Carthaginensium syssitia: Atheniensium συμπόσια in Prytaneo, in Panathenæis, & Tesmophoriis; nec non Romanorum charistia inter proximos; & cœnas in Capitolio publicisque sacrificiis fieri solitas. Quare μονοφάγια olim probrosa, id est, a convivis fugata: in prandio solum permissa, ex Athenæo, & aliis. Inde precibus præmissis etiam Ethnici cibum capiebant. Athenæus *lib.* IV. Latine: *Etiam post discubitum surgebant rursus, atque in genua procidebant, & præeunte præcone, seu sacrorum administro, patrias quasdam preces cernui simul profundebant, quibus absolutis, denuo mensæ accumbebant.* Huc facit quod refert Liv. *Decad.* IV. *lib.* IX. de Q. Flaminio Cos. Placentiæ, ubi amplificans scelus, ait: *Commissum est facinus inter epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene precari mos est.* De libationibus his a me alibi. Plutarch. in *Sympos.* Inter res sacras cum dixisset esse mensam, subdit: *Ac proinde cibum sumpturi, Diis consecrabant* τὰς ἀπαρχὰς, hoc est, *primitias*, &c. Unde proverbium, *Ne a chytrapode cibum nondum sacrificatum rapias.* Vide Manutium.

Ductum hoc a victimis, quas fas non erat contingere, nisi mysteriis peractis. Et Plato vult, etiam in conviviis prælibari Diis, & mensam rem sacram putavit antiquitas, teste Plutarcho; unde fit, ut his etiam temporibus nefas putent ἀνίπτοις χερσὶν, id est, *illotis manibus*, accumbere. Prandii quoque etymon mihi prælucet ad observandum, etiam ante prandium preces fusas; prandium enim Græce ἄριστον, ab ἀρὰ dictum putant, hoc est, a *precibus*, quod non nisi Deos precati Veteres ad prandium accederent.

Nec solum mensas a Diis Prisci auspicabantur, sed etiam orationes, quod dicebant præfari, ut colligitur ex principio *Paneg. Trajani*. Præfari enim est dicere aliquid extra orationem, quo fieret precatio ad Deos, ut ex Demosthene, Platone, Livio, Cicerone & aliis patet. Inter pocula vero solemni verbo sibi mutuo precandi morem innuit Ovidius, *Fast.* II.

Et bene nos, bene te, patriæ pater optime Cæsar;
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Unica voce dicebatur clare, Ζήσειας, hoc est, *Vivas*, cum quis ἀμυστὶ, uno scilicet haustu, vini plurimum ebibisset. Cassius Dio in *Commodo* id aperte declarat: *Bibebat defessus* (Commodus) *in medio certamine clavato e calice, vino dulci refrigerato, mulieris e manu sumpto, uno haustu. Inde populus, & nos omnes statim, quod in conviviis dici solet, acclamavimus, Vivas.* Grande ergo poculum, unico haustu ac sine respiratione exiccatum, causa erat acclamandi, *Vivas*. Ex quibus liquet, vocem illam, *Prosit*, quam nunc inter propinandum, & finita cœna, aut prandio, usurpamus, pro eo nobis esse fere, quod olim, Ζήσειας Græce, Latine *Vivas*. At vero ante pocula, Jovis Servatoris nomen invocabant. Athenæus lib. II. *Jovis præterea Servatoris nomen invocare constituit, memoria grata bibentium, quod sic bibentes salutem sine dubio consequerentur.* Hæc ille: sed de hoc a me alibi.

A Romanis in mensa secunda, in qua libatio fieri solebat, & Deorum precatio adhibebatur: colligitur ex illo Horatii *lib.* IV. *ode* V.

——— *& alteris*
Te mensis adhibet Deum.

Augusto enim ut Laribus libabant. Virg. I. *Æn.* inducit Didonem libantem in convivio,

Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.

Itaque non solum in libationibus, sed etiam mane & vesperi precabantur: *Dicimus* (Horatius *ibidem*) *integro sicci mane die, dicimus uvidi, cum sol Oceano subest*, quod est, precamur, veniente die jejuni, vespere poti. Ea duo tempora votis & precibus addicta, testatur Plato lib. X. *de Legibus*, Turn. *Adversf.* lib. XXIV. cap. XXXV.

Quod autem olim κυλικεῖον, quod vulgo hodie dicitur *bottiglieria*, in conviviis esset in usu, idem Athenæus *lib.* II. his verbis refert: *Sed quærendum vobis censeo, priusquam recensere pocula instituimus, quibus est refertum hoc* κυλικεῖον, *seu* ἄβακες, *abacus, ita enim appellatur poculorum vasorumque theca*, &c. ubi disputat Philologus de dictione illa, simulque veteris consuetudinis nos admonens; quæ fuit, ut in divitum conviviis (qui mos etiam durat apud nos) cum crateribus apponeretur poculorum ingens theca ad triclinium, magis ad opum ostentationem, quam ad usum: proprie autem erat mensa, ubi κυλικεῖον spectandum exhibebant, quod vulgo dicimus etiam *credenza*, quam Servius vocat poculorum mensam.

Ad mensam festinanti Hippomene malum mihi objicit aureum de ritu, tempore vindemiæ a vinitoribus observato, & viatoribus, ut colligo ex Horatio. Viatores enim vinitoribus & vindemiatoribus de via conviciari, eosque ut nimis tardos in vitibus putandis, colendisque agris, contumeliæ gratia, cuculos appellari solitos, indicat Horatius *Serm.* lib. I. sat. VII.

——— *regerit convicia, durus*
Vindemiator, & invictus, cui sæpe viator
Cessisset magna compellans voce cucullum.

Cuculum lego. Dedecus enim habebatur, falcem ab illa volucre in vite deprehendi. Ausonius in *Mosella*:

——— *inde viator*
Riparum subjecta terens, hunc navita labens,
Probra canunt seris cultoribus.

Hæc vox contumeliosa postea deflexa ad maritos, parum vigilanter uxores custodientes. Plinius de hoc ritu pluribus *lib.* XVIII. *c.* II. *Dum secat, inde natam exprobrationem fœdam putantium vites, imitationem cantus alitis temporariæ, quam cuculum vocant: dedecus enim habetur opprobrium meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiæ sales etiam cum primo vere laudentur, auspicio tamen detestabiles videantur.* Cuculus, vocatus Jupiter κόκκυξ, quod in cuculum versus Junonem stuprarit, Gyral. Cuculus ova sua in nidum curucæ transfert, unde *Curuci* potius dicendi, quibus uxores ignominiæ notam inurunt.

Extat adagium, *Cuculus*, ubi multa erudite. Innuo locum, tu consule. Plautus *Asin.* *Cubat cuculus; surge amator, i domum*, & alibi. Vide Alciati *Parergon* lib. VII. cap. V.

CAP. II.

Mensa nunquam relicta vacua. Cibi appositi semper libati. Libatio duplex. Patellarii Dii unde dicti? Non ex quolibet vino libatum. Manus lotæ, & precum formula ante libationem. Inferium vinum quod? Libatio post epulas Mercurio cur facta? Ultimum mensæ poculum. Mensæ onustæ a quibus & cur non relictæ vacuæ? Mappam secum quisque portabat. Mensæ opertæ non appositæ. Auguria superstitiosa mensæ Veterum. Ἱερὰ

sacra quæ? Carnes victimarum cui usui. Visceratio quid? Non sacrificata devorare, *quale proverbium? Mensa cur res sacra? Mensæ ex reliquiis victimarum apparatæ. Missæ quæ? Silentium olim in cœna quando? Sacra mensæ quæ? Publice edendi causæ tres. Prisci an assis carnibus usi? Heroum mensis nulli pisces, aut carnes elixæ, & cur? Athletarum cibus.* Βουλίμυ *expulsio quid?*

A
Ntiquis mos fuit nunquam omnino inanem mensam tollendo facere, neque lucernam unquam per vim extingui finere. Plutarch. *Symp.* VII. quæst. IV. *Hesiodus vetat, cibum apponere ex ollis, nondum libatum, sed igni vult suas primitias, suumque ob ministerium offerri honorem, & recte. Romani, quod alimentum lucernis dedissent, iis usi reliquerunt, passique sunt vivere & fulgere. Ita relinquendum aliquid e mensa servis & vernulis; gaudent enim communicatione hac magis, quam alioquin accipiendo. Idcirco Persarum Reges non amicis modo, & proceribus, ac stipatoribus solebant de cœna portiones mittere, sed semper servorum quoque & canum cœna in ipsorum mensa proponebatur, cum, quantum omnino fieri poterat, omnes, quorum utebantur opera, suæ mensæ facerent participes.* Vide quanti facienda ejusdem mensæ communio, vel saltem ciborum, ad amorem aucupandum, ita enim communis fit Mercurius. Hinc Phiditia, Syssitia, epulæ publicæ, de quibus a me alibi. Tantaque fuit Antiquorum religio in libationibus, ut primitias omnes fructuum, quas ἀπαρχὰς vocabant, suis numinibus libarent. Tibullus *eleg.* I.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deos.

Libare, proprie, est leviter degustare, & primis labris attingere. Isidorus vult, a Libero quodam, qui in Græcia vitis usum reperit, deductum libare.

Duplex libatio apud Ethnicos, tum in sacrificiis, tum in epulis. Una erat dapum atque ciborum, quorum partem aliquam decerpentes, illam in ignem focumque conjiciebant, atque ita Diis suis illas consecrabant. Cicero *de Finibus: Atqui reperiemus Asotos primum ita non religiosos, ut edant de patella, quæ Diis e cœna libata sunt.* Plutarchus *de fortuna Rom.* ait: *Oc etiam virginem identidem primitias & libationes a Regia mensa accipere, & ea ad focum perferre, consuevisse; cumque aliquando pro more eam in ignem conjiceret,* &c. Ideo Horatius ruri agens, ait, se non vesci, nisi dapibus pie ante Deo libatis; unde Dii Patellarii, quibus in patella libabatur, & non magna sacrificia fiebant. Legendus Macrobius *l.* III. *c.* IX. Altera fuit potus, cum videlicet vini, aquæ, lactis, vel alicujus liquoris parte aliqua effusa ex vase in terram, vel in aram, certis adhibitis cæremoniis, seu precibus, in Dei honorem fiebat, & hoc erat Diis libare. Vinum potissimum non quodvis in sacris libatum, sed meracum. Vinum spurcum sacris adhiberi non poterat, nempe cui aqua admixta est, (ut ait Labeo) defrutumve, aut igne tactum, mustumve, antequam defervescat. Mercurio vero vinum mistum libatum, quia in vivis & mortuis dominatur. Soli mel libatum, ut a me dictum. Athenienses Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ, Nymphis, non vino, sed aqua melle diluta sacrificabant; Diis Inferis non vinum tantum, verum etiam mel atque lac invergebant: oleum aliquando libatum.

Ubi autem in sacris vina libare Diis fuit necesse, ex Græcia, & imputata vite, seu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, vel immunditie polluta fuerat, aut juxta quam homo laqueo pependerat, quæque circumcisis vinaceis profluxerat, vina libare Diis erat infaustum.

Ante libationem manus abluebant, certasque preces fundebant, ut colligitur ex multis locis Homeri, *Iliad.* IX. Virgilii, & cæterorum, marina aliquando aqua, cui vis expiatrix. Formula precum hujusmodi erat, *Mactus hoc vino inferio esto;* inferium enim vinum dicebatur sacrum, quod Diis infertur: e cratere pleno effundebatur, vel alio vase sacro super victimas, vel super terram, vel super mare, prout erat sacrificium. Libationes usitatissimæ in fœderibus, in sponsalibus, in exequiis, in conviviis, & in omnibus epulis, in quibus nullus bibebat, nisi prius Diis facta libatione. De libatione facta Mercurio post epulas a me alibi, quæ erat post epulas, antequam cubitum irent. Lege Eustathium in illa verba, *Dividite linguas, miscete vinum;* Veteres enim post sacrificium cubitum se recepturi, victimarum prius linguas sacrificabant, illas in ignem conjicientes, vel ut se a maledicentia repurgarent; vel quod lingua sit membrum præstantissimum; vel quod ea, quæ inter pocula dicta erant, Diis dedicabant; vel quod in convivio dicta silentio essent premenda, unde proverb. *Odi memorem compotorem;* vel quod jam sub vesperam tacendum, loquacitate omissa.

Præter hanc libationem in fine mensæ proferebatur ultimum poculum, dictum ἀγαθῦ δαίμονος, id est, *boni Genii*, de quo a me alibi, Philotesius crater, de quo vide Adagiographum. De vini novi libatione quoque alibi. A libatione ad mensas revertor.

Mensæ igitur semper ferculis onustæ a duobus servulis asportatis simul, ut moris est in Cœnobiis nostris. Ita habet Athenæus *l.* IX. & Plutarchus in *Vita Pelopidæ*. Dicebantur etiam mensæ, in quibus reponebantur vasa escaria & fercula.

Mappam sternendam super mensæ partem, pro se quisque conviva secum afferebat ad convivium, ut videre est in Martiali *lib.* XII. *epig.* XXIX.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantile e mensa sustulit Hermogenes.

Quod vero mensas opertas non opponerent, idem Martialis *lib.* XI. *epigr.* LIV. confirmat, idque ridiculum putat:

Mensas, Ole, bonas ponis, sed ponis opertas;
Ridiculum est, possum sic ego habere bonas.

Cur autem mensam inanem nunquam relinquerent, Plutarchus supra citatus quæst. IV. lib. VII. *Symp. Probl.* LXIV. rationes has reddit. Primo significabant semper & partis aliquid in futurum & in præsenti die subsecuturæ aliquam habendam rationem. 2. Quod scitum putabant, appetitum cohibere, eumque reprimere, dum aliquid adhuc ad fruendum in promptu est: minus enim appetunt absentia, qui præsentibus abstinere didicerunt. 3. Quod mos iste humanitatis aliquid erga famulos videtur habere, qui sic videntur quodammodo a dominis ad societatem mensæ admitti, non enim tantum delectantur accipiendo, quantum participando. 4. Quod mensa sit res sacra, nulla autem rerum sacrarum unquam debeat inanis relinqui. 5. Quod mensa terræ videatur esse simulacrum; nam præterquam quod nos alit, rotunda etiam est, & stabilis, & recte Vesta a quibusdam appellatur; sicut ergo terram volumus aliquid nobis utile semper producere & efferre, ita censemus mensam quoque nunquam debere vacuam & omni destitutam apparatu relinqui. Hæc eruditissimus Plutarchus. Et quia mensa res sacra, ideo multa superstitiosa narrantur a Plinio *lib.* XXVIII. *cap.* II. quæ tibi quia gratissima, & scitu jucundissima, ordine recensebo.

1. Incendia inter epulas nominata, aquas sub mensa profusas, abominantur.

2. Bibente conviva, mensam vel repositorium tolli inauspicatissimum judicatur.

3. Servii Sulpicii commentatio, quare mensa linquenda non sit.

4. Sternutamento ferculum revocari, mensamve, si postea non aliquid gustetur, dirum habetur.

5. Cibus etiam a manu prolapsus reddebatur, utique per mensas, munditiæ ergo, deflare vetitum.

6. Si Pontifici accidat Ditis gratia epulanti, in mensa utique id reponi, adolerique ad Larem, dirum.

7. Medicamenta, priusquam adhibeantur, in mensa forte deposita, negantur prodesse.

8. Quæ de mensa cadebant (ut dictum) nefas tollere, quæ mortuis amicis Heroibus dicata.

9. Quando mensam tollebant, nunquam inanem relinquebant. Semper aliquid in ea.

At mensa res est honorifica & augusta; hinc mensæ adhibentur a Principibus honoris gratia viri virtute insignes, quos sua gratia dignari volunt.

Græci scriptores non solum *ἱέρεια* appellant victimas, quæ vere *ἱερεύοντες*, & in sacrificiorum usum mactantur; verum omnia quæcumque ad comedendum jugulabantur animalia. Pausanias in *Corinth. Carnium vero parte una non aliter, quam victimarum soliti essent, vescerentur*. An quia (ut colligere licet ex Scriptoribus tum sacris, tum profanis) in honorem tantum numinis animalia mactabantur, hostiæ dictæ? usus autem maxime tunc olerum: at mortales cœpere carnibus vesci, vel salitis, vel reliquiis hostiarum, ut colligi potest ex Juvenale *Satyra* XI.

Sicci terga suis rara pendentia crate
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia; carne.

Hæc visceratio quibusdam dicta; nec unquam animalia in proprios usus mactabant, quin ejus aliquam partem Deo consecrarent adolendam: qui secus facerent, proverbio notari, *ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίειν*, *non sacrificata sacra devorare*. Item ad Hesiodeum illud *ἀπὸ χυτραπόδων ἀνεπιῤῥέκτων ἀνελόντα*, id est, ante sacrum factum cibum ab ollis tollere raptum, atque edere. Lege Interpretem. Plutarchus in *Sympos.* scribit, prisci sæculi homines inter res sacras mensas habuisse, & prius *ἀπαρχὰς*, id est, *primitias*, Diis consecrasse, quam ad edendum accumberent. Ad hæc ex reliquæ hostiæ partibus cœnam apparabant, quibus, qui sacris interfuissent, vesci solebant; hæ partes dictæ *μερίδες* Græcis, *missæ* Latinis.

Missa dicta, quia populus non nisi missus recedit, unde Sacerdos in fine ait, *Ite, Missa est*. Ita apud Græcos, *λαῶν ἄφεσις*; alii melius dicunt esse nomen Hebraicum, מס enim Missa illis; id est, munus personale tributi, censusque perferendi; & Missa, ipsa oblatio dicitur facta a servo domino suo propter debitum personale, Alciatus *Parerg.* lib. VII. cap. X.

Absentibus quoque distribuebant; & plerumque in macello, avaritia impellente, vendebant, ut habemus in Divi Pauli *Epistolis* jubentis edi ex macello carnes emptas, non interrogantes ex conscientia. Apud Romanos cœna edita, sublatisque mensis primis, omnes conticescebant, quoad ea, quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur, & igni darentur. Tum puer Deos propitios nuntiabat, utque Diis honos haberetur. Vulgatum illud Arnobii, *Mensas vestras salinorum appositu, & simulacris Deorum, sacras facitis*. Ab his dicta sunt *sacra mensæ*. At virgam lauri non aliunde expecto, quam ex Plauto, dicente in *Trin. Verecundari ad mensam dedecet. Nam ibi de divinis atque humanis agitur*.

Publice tribus de causis vescebantur Romani; vel quando dabatur epulum, seu potius visceratio in funere alicujus principis viri & insignis, quæ erat crudæ carnis distributio; vel in Latinis feriis, vel in funere & parentalibus, quam viscerationem dedit M. Flaccus in funere matris. Altera, cum publice sacrificabant, seu sacra faciebant. Demum, cum ob publicam lætitiam publicum aliquod epulum dabatur.

Boum carnibus vescebantur Heroes, roboris, non voluptatis, causa, ideoque Agamemnon, ex Homero, semper boves immolabat, & ad hoc præstantissimos quosque invitabat, ideoque nunquam piscem gustabant, etsi ad mare fixissent tentoria, Dio Chrys. *Orat.* II.

An vero Prisci tantum carnibus assis vescerentur? Servius aperte testatur *ad Virg.* & Athenæus *lib.* I. videtur docuisse his verbis: *Carnes assabant illi* (scilicet Græci ad Trojam) *tantummodo; etenim nullam elixasse ex illis refert*. Crediderim tamen (auctore M. Varrone) assas primum, deinde elixas, demum e jure cœpisse, natura id docente, & usu; legimus enim apud Platonem Heroum in mensis parari ab Homero non pisces, non elixas carnes, sed assas, ut quæ concinnarentur facilius. Huc Athenæum respexisse opinor; in exercitu enim expeditius & facilius assantur carnes, cum solo sit opus igne, cujus ministerium expeditissimum: cont , operosa sit vasorum administratio, quibus ad elixandum indigemus. An quia assa caro salubrior? non negarem tamen aliquando Priscos usos elixis carnibus, quæ viliores, quibus profestis vescerentur diebus. Ita Eustathius inducit Heroas Homericos elixis vescentes carnibus, sed præcipue assis, & plerumque; nunquam piscibus, qui delicatorum erat cibus, & difficilis paratu, nec multi, aut boni nutrimenti.

Quando vero primum Athletæ carnibus vesci cœperint, refert Pausanias in *Eliacis Posterioribus*: *Primum Stymphalium carnibus vesci cœpisse ferunt, cum Athletæ ante ipsum caseo e fiscellis alerentur*.

Ad famem averruncandam, morem priscum reperio non indignum, qui sciatur: hic dicebatur *Bulimi expulsio*, in Plutarchi *Sympos.* VI. q. VIII. *Quod Archon in publico, reliquorum quivis domi suæ peragit, vocatur autem Bulimi expulsio, & servorum aliquem viticeis verberantes ferulis per fores ejiciunt, additis his verbis; Foras Bulimum, intro divitias, & sanitatem*.

CAP. III.

Fausta apprecatio cœnantibus facta. Libationes factæ super linguis post cœnam. Purgatio manus post cœnam qui peracta? Manus lotæ post singulos missus, & ante cœnam. Purificatio a cœna quæ? Manus odoramentis sparsæ. Magdalia quid? Apophoreta munera quæ? Lucernæ usus in conviviis. Reliquiæ mensæ a quo collectæ, & quibus reservatæ? Eædem a quibus combustæ?

Quod nos cœnaculum intrantes, dum cœnatur, bene apprecamur, idem factitatum apud Antiquos colligo ex Athen. *l.* IV. dicente, *καὶ ὁ προσφέρων ἂν εἰπεῖν, εὖ δειπνήσειας*, *ut prosit, quod estur, aut bibitur*. Hasce enim formulas prolatas lego, *εὖ δειπνήσειας* vel *εὐφημίας*, vel *ζήσειας*, tum in conviviis Græcis, tum in Latinis; nam *εὖ* *bene, feliciter, fausteque* dicit. Quid vero post?

A Post cœnam Heroes Homerici soliti facere libationes super linguis, cum e convivio discederent, quas Mercurio adolebant, veteri instituto, ut refert Athenæus *lib.* I. *Σπένδουσι καὶ ἐπὶ ταῖς γλώσσαις ἐκ τῶν δείπνων ἀπιόντες*. Rationem refert Athenæus ob linguæ commercium; Mercurio namque sacræ linguæ sunt ob eloquentiam & orationis perspicuitatem. Antiquiores tamen libabant Jovi τελείῳ, id est, *adulto*. Hesychius τελεστικὸν, καὶ ὁλόκληρον, exponit, *perfectiorem & integrum*. Gyraldus refert, æque Jovem atque Junonem dici τελείαν, ex Diodoro. Utrique sacrificatum tanquam primis nuptiarum ducibus, ex Pausania, & habuisse statuam quadrangularem in foro. Hinc προτέλεια, & προγάμεια, dicta sacra ante nuptias, B & munera etiam nuptialia, & poculum illud Servatori libatum, dictum τέλειον. προτέλεια, victimæ ante nuptias mactatæ.

Aliud libationis genus, seu sacrificii, a Suida recensetur, quod dicitur τελετῆς, mysteriosum sacrificium, maximum & sumptuosissimum, sic nominatum, quod in eo mala consumerentur; est enim τελεῖν *insumere*, tametsi est quoque *perficere*; & ideo esse, quibus hinc potius *Teletas* esse dictas placeat, ceu sint absoluta quædam sacrificia, & quibus nihil desit.

Et Jovi τέλεια, id est, *perfecta* & adulta sacrificare solebant: τελεία etiam dicta Juno, quam C virgines ante nuptias placabant, quod matrimonia perficeret: τέλεια, sacra eximia. *Teletarches*, religionis conditor: *Polyteles*, qui multa: *Euteles*, qui bene operatur: *Telesterium*, locus sacrorum.

Talia erant sacra Solis, & Lunæ, (ut scribit Porphyrius) & Bacchi; & quædam expiationes, quæ libris Orphei & Musæi continebantur, sicut Plato docet lib. *de Rep.* II. quibus scelera non privatorum modo, sed publice quoque civitatum, & pro viventibus, & pro vita jam functis expurgarentur per sacrificia, ludosque, & omne genus oblectamentorum; quæ sacra *Teletæ* dicerentur; D etsi Plato eo loci ad solos mortuos pertinere dicat, & inde dictas nempe a τελευτήσασι, quæ nos malis, quæ apud inferos sunt, liberant. Hoc tamen libationis genus a cœnis usurpatum quomodo fieret, refert idem Athenæus *lib.* IV. his verbis: (Latine refero) *Cœnati Diis libant non manibus illotis, sed frusto panis aspersis*.

Interpres Aristophanis in *Equitibus* refert moris fuisse, adipem finito convivio a manibus furfure abstergere, & canibus objicere, unde proverbium,

Tanquam canis e Magdalia.

E Vide Cælium Rhod. de eodem *lib.* XXVIII. *cap.* I.

Purificationis genera, seu expiationis, sunt aqua viva, bis, vel ter, vel septies abstergendo, mergendo, spargendo, irrorando, circumferendo, submergendo, abluendo, caput, manus, pedes: unde adagium, Illotis pedibus, corpus totum. Aut sulphure, ramo olivæ, lauri ramusculo, tædis, sale, lente, ovis, placentis, caseo, &c. Aut reliquis elementis, nempe igne, aere, seu ventis, terra, seu pulvere, Delrius *ad Senecam*.

F Quod vero abluerent manus Prisci etiam post singulos missus, a me alibi explicandum: ante cœnam, Athenæus eruditissimus aperte testatum reliquit, qui *lib.* IX. in calce sic ait: *Veteribus ante prandium & cœnam dictum fuisse κατὰ χεῖρας ἀπονίψασθαι, manus eluere*: & paulo infra, de purificatione prisca hæc refert: *Est autem χέρνιψ aqua, in qua titionem ex ara sumptum tingebant*. Aqua illa conspersos purificabant eos, qui adessent. Nota morem purificandi priscum. Subjungit: *Mos quoque fuit manus odoramentis illinire, spretis magdaliarum honoribus, quas Lacedæmonii Cynadas appellabant*. Magdalia nomen mazam signat, ex reliquiis farinæ aqua subactis, qua pransi, & cœnati, cum manus abstersissent, canes alebantur. Deinde addit: *Pueri lavandis manibus aquam dederunt smegmate ex admista iride confecto, ejus tepidæ tantum affundentes, quantum opus erat: mantilia præbuerunt splendida e sindone texta, & unguenta ambrosiam spirantia, & coronas e floribus consertas*. Ex quibus percipies quam fuerint delicati in lavandis manibus. Corollarii vice & xeniorum data mantilia splendida, unguenta preciosa, & corollæ maxime fragrantes.

Prius quam convivio dimittam, noto apud Antiquos, post mensam manus lotas, teste Polluce, quod dicebatur ἀπονίψασθαι.

Aquam ante prandium & cœnam vocant, ad manus. Post cibum dicebantur abluere se, utebanturque sine smegmate ad sordes abluendas. Inde odoratis manus inungebant, & mantili e crudo lino eas tergebant, Buleng. *de Imper. Rom.*

Deinde factam propinationem ultimam Mercurio, Sanitati, Jovi Sospitatori, Bono Genio, de quibus a me alibi fusius. Deinde data munera conviviis, dicta Apophoreta. Martialis:

Præmia convivæ det sua quisque suo.

De his crebra mentio in epulis Imperatorum apud Athenæum, Julium Capitolinum, Suetonium, & alios; & quia convivia plerumque noctu facta, ideo in ipsis plurimus usus lucernarum, de quibus Virgilius:

—— *dependent lychni laquearibus aureis*.

Lucernarum etiam usus convivis deducendis domum; de lucernis plurima Licetus. Reliquum est in convivio, ut de reliquiis pauca delibemus.

Reliquiæ vini pincernæ puero datæ, quod autumat Athen. *lib. ult. Mos erat*, ait, *ut cum surgerent a mensa, cumque libassent, vini reliquum puero illi darent, qui bibere ministrasset*.

Idem *libr.* I. notat convivas non abstulisse reliquias domum, sed reliquisse, quas Conda colligebat, atque hospitibus advenientibus reservabat; parasitos tamen sibi illas arrogasse video in Plauti *Persa*:

Nunc huc introibo, visam hesternas reliquias.

De mensæ reliquiis vide Plut. lib. II. *Probl.* Senecam, Lampridium, & alios. Deus tamen voluit in Veteri Testamento reliquias epularum sacrificalium igni comburi: causam pete a Theologis; reperio tamen apud Ethnicos quoddam sacrificium fuisse quod vocabatur *Propterviа*, in quo igne consumebatur quicquid ex epulis supererat. Hinc jocus Catonis de Albidio, qui dictus, proterviam fecisse in domus incendio, postquam cætera bona sua decoxisset, lege Macrobium *Satur.* lib. II. Quæ vero in terram decidebant, vocabantur analecta, seu quisquiliæ ciborum, quas tollere nefas, cum amicis defunctis, atque Heroibus essent consecratæ, de quo a me alibi pluribus; & ab eruditissimo Bossio Proptervia expenditur & enucleatur in aureis ejus opusculis, Propter viam nuncupando.

Analectæ vero servi dicti, qui reliquias cœnæ, aut ea, quæ ceciderant de mensa, colligere solebant, ea autem analecta dicebantur.

CAP. IV.

Manus post singulos missus olim lotæ, ac coronæ & unguenta innovata. Ista quando distributa? Post lotionem poculum datum Bono Genio cui dicatum? Græcorum consuetudo in conviviis. A minoribus poculis cœnam ordiebantur Prisci. An singula pocula singulis convivis apposita, & quando? Delphicæ mensæ, & pocula quæ?

NON solum manus lotas ante cœnam & post cœnam lego, sed & post singulos missus, B id est, post primam & post secundam mensam, quod mihi confirmat Athenæus *lib.* XIV. Alexidis verba referens hoc modo: *Removenda mensa, danda manibus aqua, afferenda corona, unguenta, libamen, thus, escharis, bellaria, dandum ovum, attingenda placenta*. Quare non tantum post primum missum manus lotæ, sed & coronæ & unguenta (crediderim) innovata; coronati enim accumbebant. Ad hæc datum ovum, quod etiam paulo superius idem innuit, his verbis: *Nonnunquam vero secunda mensa dabatur & ovum, & leporina mixtim cum turdis, & opere dulciario*. Quod confirmat carminibus Antiphanis in *Leptinisco*. Manus lotas post singulos C missus Lampridius confirmat in *Heliogabalo*.

Intervallum inter primam & secundam mensam dicabatur coronis, unguentis, vinoque ad libationem. Ideo Athenæus *lib.* IV. in convivio inducit puerum ferentem unguentum suave; & alium, qui στεφάνυς, id est, *coronas*, & tandem miscentem cratera Bromii. Hunc ritum refert etiam Virgilius VIII. *Æneid.* Et quamvis coronæ adhibitæ in utraque mensa, secunda tamen eas sibi arrogabat præcipue, veluti etiam propinationes. Ratio in promptu.

Capiebant coronas a convivii domino, quæ fuerunt primum ex lana, mox floribus omnibus, ex- D cepto apio mortuis dicato, quare nec polluti in convivio sedebant, quod Cic. objecit Vatinio. Factæ frequentissime ex rosis hyemali tempore, ramento e cornibus tincto, laminave ærea inaurata, aut unguentata cum lemniscis aureis, quos cælare instituit P. Claudius Pulcher, & bracteas etiam M. Crassus aureas fecit & argenteas, folia imitantes. Coronæ adhibitæ ad vini vapores, & ebrietatem cohibendam, odores ad terrum odorem nidoremque corrigendum. De Coronis & Unguentis alibi.

Post lotionem poculum dabatur Bono Genio. E (de quo a me alibi) Sed hic addere mihi libet, quæ nuper occurrerunt, Jovi Servatori dicatum illud poculum, quod XII. *lib.* ejusdem Athen. assumo, his verbis: *Metaniptron poculum est, quod jam cœnatis, postea quam manus laverint, præbetur. Antiphanes in Lampade, post bellaria Boni Genii poculum: quod libandum, & plaudendum esse monet Diphilus in Sapho*,

Archiloche mihi hanc ostende metaniptridem
Plenam, qua Jovi Servatori libemus, atque
Bono Genio.

Græci enim in conviviis primum Deos salutabant, deinde amicos suos nominatim appellabant, demum Jovi Servatori litabant; de quo vide Adagio- F graphum. Sed hoc poculum temperatum fuisse reperio in eodem Athenæo *lib.* XV. *Quapropter*, inquit, *Græci, cum temetum inter cœnandum mensæ infertur, elato clamore, Bonum Deum invocant. Fuit autem is Bacchus. Cum vero post cœnam primum aqua temperatum poculum ministrant, Jovem Servatorem exultantes exclamant, pluviæ largitorem & moderatorem existimantes*, A *jucundæque temperationis & mixtionis auctorem*. Hæc ille, & pulcherrime. Quod vero Bono Genio libabant, esse temetum, affirmat Theophrastus lib. *de Temulentia*: *Temeti, quod cœnatis, ait, dant, & quod Boni Dæmonis esse poculum dicunt, parum offerunt, ut ejus potionis quæ vis esset, & quantum Dei beneficium, tantum recordarentur*. Poculum crediderim Boni Genii idem fuisse cum Jovis Servatoris, seu Boni Dei, cœna peracta, ut videtur innuere Cicero III. *de Natura Deorum*: *Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri, in quibus, quod more veteris Græciæ inscriptum erat, Bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat*. Quod de Bono Genio intelligendum suadet Ælianus *libr.* I. *cap.* XXII.

Usitatum reperio ab initio cœnæ minoribus poculis, deinde majoribus usos Græcos & Romanos. Cicero VI. *in Verrem*: *Fit sermo inter eos, & invitatio, more Græco ut biberetur: Hospes hortatur; poscunt majoribus poculis*. Philo *de Ebrietate*, aperte id asserit. Trallianus lib. I. *problem.* institutum esse refert, ut in principio minutis, in fine amplioribus uterentur poculis; ne videlicet a largo potu cœnam auspicantes se adeo explerent, ut vesci non possent. Apud Indos hic mos quoque invaluit, ut docet Philostratus *lib.* II. In Heroum veterum epulis Homerus tradit fuisse usitatum, ut singulis convivis singula apponerentur pocula. *Apponitur* (ait Athenæus *libr.* I.) *singulis Homeri convivis canister, mensa, & poculum, ut bibant quando volunt*. Aliquando vero ex uno eodemque poculo omnes bibebant. At hæc aliquando pocula plena apponuntur in mensa epulari, aliquando (hic mos magis usitatus) in abaco; unde convivarum aliquis bibere volens, a ministro seu pincerna poculum poscebat. In mensa Delphica paria pocula apposita: Flaccus lib. I. *Serm.* sat. VI.

—— *& lapis albus*
Pocula cum cyatho duo sustinet.

Delphicæ mensæ a Delphis urbe Apollini sacra dictæ sunt, & erant ex ære, quas Veteres dixere cortinas. Plin. *lib.* XXXIV. *ex ære factitaverunt cortinas tripodum nomine Delphicas*. Cicero VI. *in Verrem* meminit harum, sed marmorearum; Martial. quoque:

Aurum non simplex, sed Delphica po tat.

Super hac mensa pocula paria semper fuere. Delphica quoque erant vasa, quorum nulla mutata forma varius & multiplex usus, namque ita erant facta, ut duplice facie diversis usibus inservirent, nunc poculorum vicem præstantia, nunc clypeorum, Alex. *Gen. Dier.* lib. I. cap. XIX.

CAP. V.

Prandium Antiquorum quale? Stantes olim prandebant & seorsim: Simul vero cœnabant: Discumbentes & sedentes. Lex Macedonum de accumbendo. Græci discumbebant cum matulis, ac eas ad crepitum digiti ab Eunuchis poscebant. Antiquitus ad mensam frugaliter sedebant. Thronus quid ad mensam? Scamnum ibidem vilissimum. Mulieres cum viris non discumbebant apud Græcos; contra apud Romanos. Lugentes in epulis sedebant. Convivarum numerus. Quando inter spectacula prandere cœptum? Prandium qui finitum tempore æstivo?

QUAMVIS de prandio ab eruditis multa, eaque non protrita, & a me pauca alibi; hoc tamen suffragium fero: Prandium fuisse leve, tenue, & paratu facillimum, ideoque illos stantes prandisse, ut innuere videtur Afranius his verbis:

Equidem prandere stantem incincta toga.

Panem comedere, gustare, jentare res eadem, quod

non semper domi sumebatur, sed in foro, in lectica, ubicumque essent. Hora jentaculi tertia, aut quarta, septima prandii, unde Martialis eum, qui ad quintam venerat pransurus, sero venire dixit, ut jentaret; nimis tempori, ut pranderet:

Mane veni potius, nam cur te quinta moretur?
Ut jentes sero, Cæciliane, venis.

Tertia enim hora ungebantur, lavabantur, gustabant, deinde prandebant, alii vero impransi totum diem durabant, Salm. *ad Fl. Vopisc.* Horatius *sat.* VI. *lib.* I.

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

Plutarchus *Symp. Quæst.* hæc habet; *Apud nos prandia obsonii expertia, tenuia, ac salubria, tanquam medicamentum sunt, quibus ad tam splendidas & copia distentas cœnas utimur.* Et *lib.* VII. *quæst.* VI. inquit; *Est autem Romanis dipnon cœna, quasi communio, quia antiquitus seorsum solebant prandere Romani, cœnare cum amicis*, &c. A Barbaris usitatum Plutarchus in *Cimone* innuit, his verbis: *Urbis deinde Principes, ut consueverunt vesperi cœnantes, Damon cum suis in Curiam irruentes.*

At vero cœnantium alios sedisse, alios discubuisse lego in Athenæo *lib.* V. his verbis: *Sedisse convivas Homeri tempore.* Et *lib.* I. *Sedebant in cœnis Heroes, non accumbebant, qui mos, ut inquit Duris, etiam interdum asservabatur apud Alexandrum Regem. Is enim aliquando quadringentos duces in sellis aureis & argenteis veste purpurea stratis sedentes convivio excepit. Hegesander scribit, neminem in cœna apud Macedonas accumbere solitum, qui aprum extra retia non interemisset.* Idem paullo supra refert, morem Græcorum defœdum, inter alia instrumenta perditi luxus, etiam matulas sub tricliniis habuisse, quas sæpe, cum mero incaluissent, in capita invicem sibi illidebant. Plautus *Capt. Nisi colaphos perpeti potis parasitus, frangique ollas in caput.* Has ad crepitum digiti poscebant ab Eunuchis. Martialis *lib.* III. *in Zoilum*;

Digiti crepantis signa novit Eunuchus.

Et *lib.* IV. de Panareto por…re:

Cum peteret seram media jam nocte matellam,
Arguto madidus pollice Panaretus.

Petronius *Satyrico*: *Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado apposuit.*

Priscis igitur temporibus cum frugalitas ac modestia vigeret, sedebant, ut notat Virgilius:

Perpetuis soliti patres considere mensis.

Unde Isidorus *Etymol.* lib. XX. *Apud Veteres*, inquit, *non erat usus accumbendi, unde & considere dicebantur.* Sic Homerus Heroas suos, & procos Penelopes sedentes facit in convivio, & Catullus in *nuptiis Pelei.*

Sed præter sellas, thronis usi Antiqui, sedentes in mensis. Homerus:

Deinde in sellis atque thronis sederunt.

Est autem thronus sella cum subsellio, in quo sedent liberi ingenuique homines. Vilissimum in hoc genere sedis fuit δίφρος, id est, *scamnum*. Ex nominis etymo sella significatur in qua duo pluresve sedent. Itaque referente eodem Athenæo *libr.* V. *Ulyssi, quia mendicus esse videretur, δίφρον apposuere cum exigua mensa.* In scamnis igitur, non in thronis, servi sedebant. Sordidi præterea & vilissima capita in scamnis excipiebantur. Plautus in *Sticho* Act. V. Sc. IV.

—— potius in subsellio
Cynice accipiemur, quam in lectis.

Luxu Romæ luxuriante, Asia devicta, & Græcia subacta, accubitus irrepsit luxuriosæ lætitiæ fomentum; ideo Cato Uticensis, vel priscam retinens frugalitatem, vel luctus ergo, nunquam accumbere, sed sedere voluit, ut dicetur.

An vero passim mulieres cum viris discumberent? Dico. Apud Græcos mulieres non accumbebant in convivio virorum. Id habeo in Ciceronis *Verrina* III. *Philodamus hospes Rubrio petenti, ut filiam suam ad se in convivium intro vocari juberet, ut aliquid responderet; negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres.* Pudicitia, quam violant plerumque petulantes convivæ, in causa hujus. Contra apud Romanos fæminæ cum viris accumbebant sedentes, ex Val. Maximo. Nam Jovis epulo ipsæ in lectum Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitabantur. Sic in cœna Pontificali Metelli Pont. Popilia, Licinia Aruncia, Virgines Vestales, & ipsius uxor Publicia Flaminia, & Sempronia socrus accubuere. Innuptæ tamen virgines a conviviis amotæ. Hinc illa Corn. Nepotis in *Prologo*: *Contra ea pleraque nostris* (Romanis) *moribus sunt decora, quæ apud illos* (Græcos) *turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?* Et huic eidem rei exemplo locus ille apud M. Tullium lib. V. *Epist. ad Atticum* epistola I. *Sed prandimus in Arcano: nosti hunc fundum, quo ut venimus, humanissime Quinctus, Pomponia, inquit, tu invita mulieres, ego viros accivero*, &c.

Cum Romanis consentiebant Illyrii, ut Athenæus *lib.* X. refert, fæminas adhibentes in conviviis, ut ab iisdem ebrii facti domum reducerentur. Ita Phæaces apud Homerum cum uxoribus & filiabus, ut habet idem Athenæus *lib.* XII. Herodotus *lib.* V. Ita Commodus Imperator cum meretricibus agitabat convivia, quod & ab intemperantibus & obscœnis aliquando factitatum.

Corollarium addo. In convivio, luctus caussa, non accubuisse, sed sedisse viros; testis Plutarchus, qui loquens de Catone Uticensi in *ejus Vita*, ait; *Cœnabat sedens ex eo die, quo cladem Pharsalicam intellexit, idque ad cæterum luctum addidit, neque recumbebat, nisi somni gratia.* Et iterum: *Lotus cum multis cœnavit sedens, ut consueverat post bellum; neque enim nisi somni caussa decumbebat.* De hoc alibi fusius, ubi de conviviis Antiquorum egimus.

Mulieres itaque & pueri honestiores sedebant, vel ævo subsequente. Ideo tanquam probrum Cicero in *Verrinis* objicit mulieri accumbenti. De pueris sedentibus ita Tacitus XIII. *Annal. Mos habebatur Principum liberos sedentes vesci in adspectum propinquorum, propria & parciore mensa.* Suetonius in *Claudio* cap. XXXII. *Adhibebat omni cœnæ liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.*

Nec tamen inficias iverim assedisse etiam Senatores, & principes viros, cum ab Imperatoribus conviviis excipiebantur. Hinc quidam opinantur dictam rectam cœnam, (etsi alii aliter) qua convivæ recti accumbentes sedebant. Virgilius VIII. *Æneid.*

Hæc ubi dicta, dapes jubet, & sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili.

Quare (ut opinor) cum multi convivabantur, sedebant; cum pauci, accumbebant. De quibus illud Varronis, Convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, progredi usque ad Musarum. Horatius *lib.* III. *ode* XIX.

—— tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.

Sed de his legendi Ciacconius, Manutius *Quæst.* lib. I. cap. IV. & alii. Inter spectacula prandere quando cœptum, Dion. *lib.* XXXVII. A. V. C. 623. M. Pisone & M. Messala Coss. innuit his verbis: *Eodem anno a Censoribus omnes hi, qui magistratus gesserant, in ordinem Senatorum sunt relati, etiam ultra definitum Senatorum numerum. Populus etiam, qui ante hæc tempora ludos gladiatorios, nulla intercedente requie, totos spectaverat, tum primum inter actionem surrexit, pransusque est. Isque mos tum cœptus, hodieque, quoties Imperator ludos exhibet, observatur.*

Ut autem caput hoc, quasi prandium passerinum frustillatim minutatimque dissipatum, passeribus objectem, addo. Apud Plautum *Asin. Pransitare polentam*, nil aliud esse, quam esse servum molitorem, quorum prandium polenta ex hordei farina: horum collo molentium machina quædam dicta *Pausicape* inserebatur, ne polentam pransitarent, manusve ori opponere possent. Servi ergo pro pane polentam esitabant, cum fortasse pistrino erant damnati.

Prandium finiamus his æstivis horis & meridianis Horatiano illo *sat.* IV. *lib.* I.

—— ille salubres
Æstates ducet, nigris qui prandia moris
Finiet.

CAP. VI.

Antecœnium Priscis in usu, & ex quibus constaret? Garum quid, & ex quo fieret? Oxygarum idem. Ova & alia in prima mensa. Antecœnium dictum prandium. Mulsum antecœnium celeberrimum. Propoma dicta promulsis. Idem qui factum? Vilis mensa sine promulside. Mulsi commoda & varia nomina. Mulsum datum militibus ab Imperatoribus post triumphum. Secunda mensa qualis?

ANTECOENIUM, quod nos vulgo *antipasto* dicimus, Priscis fuisse in usu, nemo in Auctoribus mediocriter versatus ignorat, sed, ex quibus rebus constaret, Athenæus *li.* II. & III. disserit, quod duobus verbis complectitur: *Heraclides dicens*, λέγω δὲ λαχάνων, καὶ ταριχῶν γένη, *dico autem olerum, & tarichorum genera.* Olera enim & res salitæ præcipua fuerunt antecœnii materia. Plutarchus erudite vocat, λεπτὰ καὶ τόμα, *tenuia minutaque.* Sed quæ ista tenuia? Salita puto, garum in primis tam Antiquis celebre, de quo Martialis *lib.* XIII.

Accipe fastosum munera rara garum.

Et alibi:

Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Vocat enim fastosum & nobile garum, quia plurimi fiebat, *singulis millibus nummum permutantibus ejus congios pene binos*, ut inquit Plinius *lib.* XXXI. *cap.* VII. Ubi etiam habet inter alia multa, garum fieri ex intestinis garorum sale maceratis; sed optimum ex scombris, & ideo Martialis dixit *lib.* XIII.

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo.

Et supra, de eodem loquens:

Hesperius scombri temperet ora liquor.

Isidorus *lib.* XX. *Garum est liquor, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant. Et quamvis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet, a quo initium sumpsit.* De garo etiam Athenæus *lib.* II. scripsit ex Cratino, & Æschylo; & *lib.* IX. de Ponticorum oxygaro, quod inter prima fercula retulit Martialis modo laudatus *lib.* I. *in Ligurinum*, cum ait:

Deposui soleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque, Liber.

Oxygarum autem idem, ac garum. Apicius *lib.* I. *cap.* VI. *Oxygarum (quod sonat garum, sive liquamen acetosum) digestibile habet piperis semiunciam.* Sed ad hæc, quæ de garo diximus, illustranda, audire præstat Junium lib. VI. *Animadv.* cap. VII. *Garum, tantopere prisco sæculo nobilitatum, constat saniem fuisse cruentam ex intestinis piscium, præcipue scombrorum, quos macquarellos recentior ætas nominat, eliquatam, quod a salsamenti conditaneo jure ταριχηρὸν epitheto dixit in Triptolemo Fabula Pherecrates Comicus. Laudatissimum autem maximi pretii fuit, quod garum sociorum vocitant, superbo admodum titulo.*

Plutarchus secus de primis ferculis, *Sympos.* IX. quæst. IX. his verbis: *Magnum etiam illud de præbitionibus, quas vocant propomata. Nam Antiqui ne aquam quidem biberunt, antequam edissent, nunc ante cibum captum vino oppleti humectato, & fervente corpore cibum aggredimur, tenuia, & acuta, utque incidendi prædita ad appetitum excitandum ingerentes, & deinde aliis vescentes.*

Hoc propoma in lancibus appositum, circumferri solitum, ut singulis convivarum carpendi ad libitum fieret potestas. Athenæus in fine *lib.* III. inquit: *Mediocris cibus, priusquam bibas, sumi debet, is maxime, qui solet ante alia apposita circircumferri.* Quod & *lib.* IV. & alibi confirmat.

Verum aliud paracœnium, seu antecœnium reperio apud alios Scriptores, ovum, unde parœmia, *Ab ovo usque ad mala.* Ovum enim appositum in prima mensa, mala in postrema. Ita Cicero Papirio: *Habuisses non hospitem, sed contubernalem. At quem virum? non eum, quem tu es solitus promulside conficere; integram famem ad ovum affero, itaque usque ad assum vitulinum opera perducitur*, cum videlicet primus gustus sumebatur. Videndus Porphyrio *lib.* II. ad illa, *Ab ovo ad mala*, & Fulvius Ursinus in *Appendice ad Triclinium Ciacconii*, & alii. Obiter hic subnecte ex Novarini *Schediasmatis*, ova sale condiri solita, & capillo secari. Idemque ovum pueris petentibus tribui sæpe solere. Vide locum.

Lactuca etiam adhibita, & cochleæ in prima mensa. De utrisque Plinius *epist.* V. *ad Erutium*: *Paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, ova bina cum mulso & nive.* Martialis *lib.* XIII.

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe; perdere nolo famem.

De lactuca seorsim idem Martialis:

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo.

Et alibi, *loco supra laudato:*

—— affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque, Liber.

Hoc est, inter prima fercula, ut idem subjicit Martialis. Et alibi quærit idem Vates, (ut a me alias quæsitum, responsum quoque) cur inchoet lactuca nostras dapes, quæ olim claudere solebat cœnas. De cochleis Horatius II. *Serm.*

Tostis marcentem squillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea.

Noto vero hic obiter, putasse quosdam hoc antecœnium dictum prandium, quod ex levissimis constaret, unde illud solitum circumferri,

—— ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, &c.

Auspi-

Auspicabantur etiam cœnas ab olivis, licet iisdem quandoque finirent, Martiale teste:

Hæc, quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat atque eadem finit oliva dapes.

At celeberrimum antecœnium, mulsum, seu promulsis, ex melle & vino, in primum gustum apposita. Varro *de Re Rustica*; *Favus venit ad altaria, & mel ad principia convivii*. Inde sequebatur cœnæ caput, quod erat primum quodque & præcipuum ferculum, de quo Cicero v *Tusculan. Jus nigrum, quod erat caput cœnæ*. Mitto hoc jus Apicii candidatis, & repeto primum gustum promulsidarium ex asello. Vinum illud melle dilutum lenissimum legebant: ideo ab Horatio Aufidius carbone notatur & scommate sic;

Aufidius forti miscebat mella Falerno
Mendose; quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene docet.

Hinc promulsis a Græcis dicta *πρόπομα*, quod erat potionis genus ex vino & melle despumato, ut in vini sextarios quatuor unus mellis adderetur; ac sic mixtura fiebat citra cocturam. Hac voce utitur Apulejus, & item Athenæus, *πρόπομα τούτῳ πῖθι περιενεχθέντος*, ut & sequentibus, *πρόπομά τι πρὸ τοῦ δείπνου περιφέρεται*, *propoma ante prandium circumfertur*, &c. Quæ proponiata, non modo sanitatis, sed & voluptatis causa, frequenter usurpantur, veluti compotationis præludia. Prima enim sitis mitigabatur in antecessum mulso & rebus mellitis. Hinc vasa promulsidaria, in quibus promulsis asservata. Petronius Arbiter; *Lautus conviva raro post asellum promulsidarium diaria poscit*. Deinceps: *Cæterum in promulsidari asellus erat Corinthius*. Promulsis igitur, seu mulsum, antiquissimum *πρόπομα*, ut Platina testatur ex Plinio, & ante ipsum Dioscorides, & Homerus. Nam Circe sociis Ulyssis mel recens vino Pramnio miscuit in *Odyss.* & Hippocrates mulsi meminit pluribus in locis. Componitur mulsum ex vino & melle, & potissimum ex vetustissimo vino, sed optimum & jucundissimum, ex austero & melle, ut notant Dioscorides & Plinius.

Vilis vero erat mensa, cui non prælusisset promulsis. Horatius *lib.* II. *sat.* II.

Sperne cibum vilem, nisi Hymettia mella Falerno, &c.

Martialis:

Attica nectareum turbatis mella Falernum,
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

Loco promulsidis, seu mulsi, tenuiores ab alica cœnas inchoabant. Martialis:

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives:
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Nam mulsum majoris semper fuit pretii ex Plinio. Mulso corpora augentur; multi senectam mulso diu produxere. Illud Pollionis ad Augustum tritissimum, qui se senectutis ætatem multum produxisse testabatur, *intus mulso, & foris oleo*. Dioscorides etiam affirmat, *Mulsum corpus alere, alvo prodesse, urinam pellere, appetendi vim excitare*. Quidni igitur cœnarum hoc esset præludium ab Hippocrate maxime commendatum? Hoc mulsum dictum *μελίκρατον*, seu *μελιτίτης*, seu *οἰνόμελι*. Est vero aliud genus *οἰνομέλιτος*, quod ex vino & aromatibus paratur, quod dicitur nectar *ὑδρόμελι*. Erat aqua mellita, seu aqua melle mista, quam Latini aquam mulsam dixere.

Mulsum (addo) etiam datum ab Imperatoribus militibus post triumphum. Plautus *Bacch.*

Ut sit mulsum, quo triumphent milites.

Alibi:

Verumtamen acciperentur mulso milites.

Ab antecœnio cœnæ caput auspicabantur. Caput cœnæ erat præcipuus missus, & ferculum. De prima mensa, seu antecœnio satis. Ad secundam me confero; hæc olim ex Plinio *lib.* XIX. *cap.* VIII. semen candidi papaveris cum melle & lactuca. Virg. *Moret.*

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Martialis præ cæteris *lib* V. *epigr.* LXXIX. eleganter describit secundam mensam:

Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum,
Et, quas docta Neapolis creavit,
Lento castaneæ vapore tostæ.
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc omnia forte si movebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ,
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, & tepens lupinus.
Parva est cœnula; quis potest negare?

CAP. VII.

Servorum varii gradus ac varia epitheta. Eorumdem nequitia. Herus servo monosyllabus *prov. explicatur. Verberationis triplex genus. Flagellatio servis propria. Servi convivales qui, & quot? Iidem ad mensam ornati & nitidi. Ipsorum nota peculiaris. Pisces cari Antiquis. Catonis dictum de pisce. Obsonivori helluones qui? Tintinnabulum olim in foro piscario. Coi servos a sacris & templis arcebant. Titulos ob quid gestarint servi? Ars servi titulo inscripta. Poleterium qualis locus? Servi quomodo vænibant? Stigmata in eorum fronte, ut & tironum & militum, & cur? Servi quomodo stigmata tegebant? Ipsorummet aliæ notæ & nomina. Noctua quorum stigma. Servorum vestis & festa varia. Vindiciæ secundum libertatem ac servitutem. Verbi* dormio *originatio. Materia lectorum apud Veteres qualis? Pellium usus varius.* Incubare Jovi *quid? Somnia a quo immissa? De parasitis plurima.*

SERVORUM ut & libertinorum varii gradus. Primi erant frugi servi, ut Actores, Dispensatores, Ordinarii. Secundi, seu medii, vulgares, ut mediastini. Tertii vilissimi in nervo & compedibus. Ex compeditis alii pœnæ causa ob noxam, alii non pœnæ, sed custodiæ, aut officii more, ut erant ostiarii, Pithœus.

Quot servi, tot hostes, habet vetus parœmia. Nam, ut admonet Plato *de Legibus* VI. *Servorum animus nequaquam integer est; sed mentis dimidium iis ademit Juppiter, Homero teste, quos servituti fecit obnoxios*. Odit autem, quisquis metuit. Virgilius vocat fures in *Eclog.* III.

Quid domini facient, audent cum talia fures?

Aristophanes in *Pluto* vocat servum *κλεπτίστατον*, *furacissimum*, quia servi plura clam dominis auferunt, unde non infrequenter fures dicti. Plautus vocat trium literarum servum. Ideo Athenæus *lib.* VI. hæc refert. *Documenta sunt & quæ memorantur servorum in Italia omnigena furta, facinora, & quæ domini patiuntur ab illis detrimenta; cavendum, ne conterranei, ne concordes; nunquam illis otium: panis & baculus diarium eorum. Omnis*

herus servo monosyllabus, Πᾶς δεσπότης δέλῳ μονοσύλλαβος: herus enim Laconismum decet, & si fieri possit, verbulo, oculi nictu, supercilio, vel adnuant, ναὶ, ἢ ἒ. Quare hoc proverbium καθολον censetur. Demetrius: Πᾶς δεσπότης δέλῳ μονοσύλλαβος, *Omnis dominus servo monosyllabus*. Nam compendiarios vocis imperio servos dominus tenet. Item a domino ad servum adagium transfertur. Omnis scilicet servus domino unisyllabus; unius enim syllabæ voces audit servus, ut *fur*, a domino, vel duarum syllabarum, ut *Syrus*, *Geta*, *Dromo*, *Stichus*. Heroum vero polysyllaba, ut *Agamemnon*, *Menelaus*, &c. Quid si dicam cum eruditissimo Puteano, olim nomina servis unisyllaba imposita ob vilitatem sortis, ut compendio appellationis moniti scirent compendiarium herilem esse sermonem, & adessent promptius? Unde servulus ille apud Athenæum monosyllabus Μῦς *Mus* appellatus, & *Simon* calceolarius, ut est apud Lucianum, hæreditate auctus grandire nomen voluit, & *Simonides* appellari. Et quia triplex verberationis genus, fuste, virgis, aut flagellis, postremum, quia infame, unis servis reservatum, ut passim in Auctoribus legimus.

Gradus servorum in amplis familiis tres; Ordinarii, Vicarii, Mediastini. Ordinariis assignata erant munera, ut alii essent sutores, alii villici, alii penum curarent, alii cubiculum. Vicarii non habebant certum aliquem ordinem, sed vices aliorum obibant. Mediastini, qui domum verrebant, & aquam ac ligna portabant, & semper versabantur in medio. In politicis sunt servi. 1. natura, ut concepti ex ancilla. 2. servi capti ab hostibus. 3. ad publica opera damnati, servati pœnæ. 4. qui se in servitutem sponte vendiderunt. 5. a piratis aut latronibus venditi, Lex. Philol. ad vocem *Servus*.

Servilia verbera erant flagella, flagra, lora. Fustium vero castigatio erat levior quam flagellorum, quibus flagellabantur in atroci coercitione & servili injuria, ut notat Brisson. lib. 11. *Selectorum* Quid mirum si flagellatum legimus atrocissime Redemptorem a barbaris Judæis, ut qui formam servi induerit, ac veluti vilissimum mancipium fuerit exagitatum?

A nomine pœnave servorum ad munus vela verto, & potissimum circa mensam, cujus mentio cuique jucundissima. Servi convivales, id est, qui operam conviviis præstabant, primo erant Κλήτορες, id est, *Vocatores*. Deinde *Obsonatores*, qui in cibis parandis, coquendis, condiendis occupati. Tertio *Scoparii*, a verrendo scopis pavimentum; dicti enim *Peniculi*, quod penicillo mensam abstergerent. Quarto *Lectisterniatores*, a lectis sternendis & mensis. Quinto *Atriarii*, quorum cura supellex. Sexto *Dapiferi*, a dapibus ferendis, prægustandis. Septimo *Pocillatores*, seu *Pincernæ*, seu *ad cyathos*, a cyathis fundendis, miscendis. Octavo *Promocondi*, procuratores cellarii, unde *Cellarii* etiam dicti. Nono *Tricliniarchæ*, sive *Architriclini*, qui toti convivio præsunt & provident. Cum his ultro se intrudebant Parasiti, Gnathones, & hujusmodi farinæ scurræ, & Umbræ. Ex mensæ ministris quidam dicti ad pedes servi *Circumpedes*, *Antepedes*; hinc sedere ad pedes alicujus ferebantur vilissimi, ut dicitur.

Sed de Parasitis alibi. Servos exercere mihi in animo. Servi a Græcis ἀνδράποδα dicuntur, quasi *pedes virorum*, quod servi subjecti sunt dominis, ut pedes toti corpori, vel quia sunt perfidi, captantque occasionem a dominis fugiendi, novos ignotosque dominos inquirendi. Ideo ἀνδραποδώδης θρὶξ, *servilis pilus*, dictus proverbialiter de fatuis, ut referunt Suidas & Plato, serviles adhuc pilos gerens præ inscitia. Fuit & tonsura quædam peculiaris servorum, quam Athenis manumissi mutabant, ideo immoderatos affectus habentes dicti pilum servilem præseferre. Suidas.

Hi ministri mensæ (obiter dico) antiquitus eleganti corporis vestitu ornati: nam & Horatius *lib.* II. *sat.* IV.

Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit.

Noto tamen in Athenæi *lib.* I. *cap.* IX. ex Homero Antiquos sine risu atque pudore sibimet ipsis obsonia parasse, sibique in epulis inservisse, dictos αὐτυργὺς. Sic Æginetæ Neptuno sacrificantes, & hoc erat prandere sibi, ut innuit Juvenalis *sat.* XIII.

Prandebat sibi quisque Deus.

Id est, quisque Deus sibi ministrabat & serviebat. O Dii facerent, ut quisque sibi ipsi posset, & prandere, & cœnare, & reliqua vitæ munia obire!

Revertor ad servorum nequitiam, quorum fraudes mihi animo valde inhærent, lancinant, manentque alta mente repostæ. Ibidem Athenæus Alexis notam veram dignoscendi servum refert, cum dicit: *Omnem pauperem, qui pisces emat multos & sæpe, necessario esse nocturnum grassatorem*. Tanti pisces valebant olim, ut idem notat, qui nisi a divitibus & opulentis empti. Pisces ideo opponuntur ab Horatio vilibus herbis, *lib.* I. *epist.* XII.

Verum seu pisces, seu porrum, aut cæpe trucidas.

Inter aves turdo Martialis primas dat. Persius *sat.* VI. liguritorem notat, qui probe norit, quo sapore sint turdi:

—— *solers turdorum nosse salivam.*

Piscis barbus, referente Lipsio, venditus a Tiberio CXXV. nummis aureis. Quanti vero murænæ & alii pisces pretiosi æstimati, legantur Plinius, & Budæus *de Asse*. Cato in luxum sui temporis invehens, dicebat, pluris vendi piscem, quam bovem. Plut. IV. *Symp.* quæst. IV. hæc habet: *Obsonivoros & obsoniorum cupidos vocamus, non qui bubulis carnibus delectantur, ut Hercules; non qui ficubus, ut Plato; non qui uvis, ut Arcesilaus; sed qui subinde in foro piscario versantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt*. Ex quo percipio, olim tintinnabulum fuisse in foro piscario ad horam præscribendam piscatoribus. A me alibi notatum scio de tintinnabulorum prisco usu. Idem *Symp.* IX. quæst. IX. hæc refert: *Idcirco Pythagoræi non lege tantum ab omnibus hominibus, sed natura etiam ab omni innoxio injuriam abstinentes, minime, aut omnino nequaquam usi sunt piscibus pro cibo, cum præter justitiam piscatio videatur intemperantiam quamdam & gulæ incontinentiam secum habere sumptuosa & curiosa*, & quæ sequuntur lectione digna. *Itaque* (eodem Athenæo teste) *si cui vestis ablata noctu, mane veniendum in forum piscarium, & emptores ibi observandos: nam si viderit pauperem ementem anguillas & cætera, huic manus injiciendas, obtorto collo in carcerem detrudendum*. De tintinnabulis alibi fusius.

Et quia ex pauperibus servi eliguntur, hinc colligere, quales nobis deligendi, quæ, si a me notata, Megaricas Sphynges, Laverniones, servilem non essem passus nequitiam. Quapropter Coi merito, Junoni cum sacrificant, neque templum ullus servus ingreditur, neque gustat quidquam ex iis, quæ sunt apparata, Lege eundem librum Athenæi in calce. Sed, *quem Cos non nutrit*, (ut est in adagio) *illum nec Ægyptus*: ad triremes illi ablegandi. Ad palam faciendum artem, inertiamve, titulos servi omnes gestabant; quod

innuit Aulus Gellius ædilitio edicto, his verbis: *Titulus servorum singulorum ut scriptus fiet, curato*, &c. Ut intelligi recte possit, quid morbi vitiique fiet; fugitivus, erro, an frugi; id factum, quia penes ædiles cura rerum venalium, earum cognitio, quorum edictum erat ex Ulpiano sic: *Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitiique cuique fiet*.

Servi ars præterea titulo ejus inscribebatur. Plinius in *Epistolis*: *Est homo probus, officiosus, literatus, & ars quidem ejus, & quasi inscriptio, Comœdus, in qua plurimum facit*. Qui & præcone jubente saltare & currere soliti erant, ut cursu sanitatem, & celeritate corporis valetudinem significarent, & sic emptores allicerent. Legendus Casellius. Alia vero mancipia pileata venibant, quorum pileo denotabant venditores, horum nomine nihil præstare.

Poleterium dictum olim locus, seu lapis, unde mancipia venibant, quorum familiam ducebant mancipia pulcriora, ut scite emptores allicerent, & vendibiliorem facerent, reliquam turpiorum: hinc fortasse manavit illud dictum *Ducere familiam*, apud Cic. *Epist. Famil.* lib. VIII. epist. V.

Sub coronis præterea vænibant pedibus cretatis, ut ab aliis & a me alibi notatum. Nudi etiam vænibant. Plutarchus in *Agesilao*: *Cum illius jussu captivi detractis vestibus sub corona vænirent, vestium autem existerent complures emptores*, &c. Præter titulos artis, famæ, gestabant etiam alios, infamiæ caussa. O utinam morem priscum retineremus notandi eos in fronte, ut ab illis caveremus, tanquam a cane rabido, & angue venenato! Unde dicti stigmatiæ, inscripti, litterati: nam fronte notati erant fugitivi, ac tota facie. Petronius. *Implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus litteris, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit*. Martialis *lib.* IX. *epigr.* LXXV.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Plautus in *Casina*:

Si hic literatus me sinat, quod bonum ac fortunatum mihi fiet.

Non solum servi, sed & tyrones capti in bello sub Principibus (postquam ingenui deserunt) compungebantur. Vegetius: *Victuris in cute punctis milites scripti, & matriculis inserti, jurare solent*. Aetius, στίγματα καλοῦσι, Latine *stigmata vocant, quæ in facie, aut alia parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum in manibus*. Nomen Imperatoris fuisse opinor. Hic appellabatur regius character, ut colligitur ex D. Chrysostomo *Hom.* III. *in* II. *ad Corinthios* Latine: *Sicut militibus signaculum, ita fidelibus spiritus imponitur, & si ordinem deserueris, notus omnibus fies*. Hoc quoque e Sacris petitum. Prudentius:

Quid cum sacrandus accipit sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere; utque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

Stigmata ergo inusta vel servis fugitivis, vel tyronibus, ne latitarent, & deprehensi dignoscerentur.

Hac de caussa D. Paulus *ad Galat.* VI. inquit: *Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Jesu Christi in corpore meo porto*. Stigmata enim a dominis inurebantur servis; ita illis servus Paulus se Christi mancipium profitetur, seque eum nunquam deserturum, quod si fieret, stigmate inustus deprehenderetur. Vel dicit, se tanquam servum fugitivum, (desciverat enim a vera fide, cum Christianam insectabatur) quare a Christo notatus stigmate, fatetur se illius perpetuo nexu fore mancipium. Alias hujus loci interpretationes vide apud Sacros Interpretes, ne sutor ultra crepidam. Punctis notatos esse nobiles in Thracia refert Herod. *lib.* V. his verbis: *Punctas nobis esse frontes, nobile judicatur, non esse notatas punctis, ignobile*. An B. Paulus Christo carus nobilitatis Christianæ hæc insignia referebat, quam & omnes veri cultores Christi præseferunt? Gloriatur enim in Cruce D. N. Jesu Christi, & passionibus. Vel stigmata dicuntur cicatrices militum vulneratorum. Paulus ergo cicatrices ex verberibus & vulneribus pro Christo toleratas vocat stigmata corpori suo impressa, quæ ostentabat, ut olim milites sua pro suis Imperatoribus stigmata & puncta etiam inusta militibus, sed non in fronte ut servis, sed in manibus, J. Cujacius. Ne in alieno choro, eoque sacro, profanus saltare videar, his sacris abstineo, atque ergastulum repeto.

Hæc stigmata tegebant spleniis. Martialis *lib.* II.

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.

Vel promissis capillis in frontem. Petronius: *Simul ut notæ quoque literarum non adumbratæ comarum præsidio totæ ad oculos lugentium accederent*. Ausonius *epig.* XV. *Tam segnis scriptor*, &c. Et XVI. *Pergame*, &c.

Aliquando domini irati non compungebant servos notis, sed deformabant cicatricibus, aut atramento, ut colligitur ex Ulpiano, Petronio, & aliis. In suris, brachiis, & manibus inscribebantur aliquando ad tyronum imitationem, ne, si militiam subterfugerent, latere possent.

Stigmata olim quoque inurebant sibi in consecrationibus idolorum, & potissimum in Bellonæ sacrificiis, humerorum sectione hanc Deam venerabantur. Ita Lactant. *de falsa relig.* cap. XXI. *Ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant, sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exercentes, currunt, efferuntur, insaniunt*. Tertul. *Apol.* cap. IX. *Hodie istinc Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus datur signatis?* Nec viri tantum, sed etiam fœminæ id factitarunt. Tibullus:

Ipsa Bibenna suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta Deam.

Stigmata ergo inusta vel in Deorum honorem, vel hominum, ut se illorum mancipio addictos ad cruoris usque effusionem palam facerent.

Apud Athenienses servis nomen Aristogitonis, & Harmodii indere nefas, ob memoriam, & grati animi ergo, quod tyrannicidæ extiterint. Domitianus Metium supplicio affecit, quod nomen Magonis & Annibalis indidisset servis, tanquam clarissimorum virorum nomina contagio polluisset servili. Samii captivis Atheniensium inurunt noctuam; vicissim Athenienses Samiis Samœnam navis genus lato ventre ab illis inventam.

Mancipia vendita pileata, quod ita venderentur, ut venditor nihil emptori præstaret, neque emptor errorem suum venditoris fraudi imputare posset. Alii vero bello capti venditi sub corona, quod milites custodiæ causa captivorum greges circumstarent. At vilissima mancipia de lapide, id est, scelerato, & rupe Tarpeja empti, e qua præcipitarentur supplicio digni. Eorum pedes creta notati, qui trans mare advecti.

In Cheronea Sacerdos lorum tenens pro Matutæ æde clamitabat, *Non servum ingredi, non servam, non Ætolum, non Ætolam*: Coi item operaturi Junoni, unde dicti soli hominum libere sacrifi-

care. In sacrorum apparatu Romæ lictor præfabatur, *Hostis victus, mulier virgo exesto*. Mulieres enim innuptæ, aut servitio pressæ, vel ære coemptæ abesse debebant: ideo servi ingenuorum veste Romæ non usi, quippe qui neque colobia, neque calceos habebant, quæ liberis dabantur: crepidis quoque, aut mulleis uti servos, aut plebejos, erat lege vetitum.

A

Festum servorum apud Romanos erant Saturnalia, cum servorum ministeria ingenui occupabant, & servi pileos sumebant, & a liberis nullo discrimine differebant, stipesque invicem dabant, & munera missitabant. Regna quoque sortiebantur inter æquales, ac tanquam Reges imperitabant, magistratus purpuram induebant, reliqui in veste candida diem concelebrabant. Hic mos communis etiam cum Græcis & Exteris. Nam per Mercurialia festa, *Hermæa* dicta, hoc ipsum fiebat in Creta, & convivantibus servis, domini illis serviebant. In Trœzene Geræstionis mense per multos dies fit conventus *Panegyra* dictus, quorum in uno servi cum civibus una ludunt astragalis, & servis domini convivium præbent. Sacæa Calendis Septembris per dies quinque agebantur in Babylonia, ubi servi dominis imperitabant, atque unus eorum educebatur ex domo stolam regiæ similem indutus, quem *zoganem* appellabant, Athenæo teste, *lib.* XIV. *cap.* XVII.

B

C

Servorum dies festus Idib. Augusti, quod eo die Servius Tullus natus serva ædem Dianæ dicaverit in Aventino, cujus tutelæ sunt cervi, a quorum celeritate fugitivos vocant servos, Fest. Macrobius vero Nonas omnes a servis celebratas ait, Lex. Phil.

Noto hoc insuper, si quis liber in servitutem abducebatur, quilibet poterat eum in libertatem asserere, seu manum injicere, & ad judicem ire. Hæ dicebantur vindiciæ secundum libertatem. Contra, si quis servum suum autumabat, injecta manu in servitutem asserebat. Hæ dictæ vindiciæ secundum servitutem. Quod si quispiam contra niteretur, aut eum eximere conaretur, clamabat, se ejus, quem adducebat, dominum. Judicio sistebant fidei jussore dato. Martialis *lib.* I. *epigr.* LIII.

D

Si de servitio gravi queruntur,
Assertor venias, satisque præstes.

Laciniam addo ex Lipsio *ad* II. *Annal. Taciti*: Domini vox, ait, proprie non nisi in servos: quamquam Augusti ævo, & infra, a liberis patres appellatos reperire est, & a fratribus blandientibus fratres, quod tamen Augustus in sua domo vetuit, ut notat Sueton. in *ejus Vita*. Vide Raderum *ad Martial.* lib. I. cap. LXVII. Ut servi libertate donati grati in dominos esse debeant; ita Respublicæ e servitute in pristinam vindicatæ libertatem, in vindices gratissimæ. Demetrius Poliorcetes Demetrium Phalereum Athenis dominantem urbe expulit, ac pristinam Reip. libertatem restituit. Populus Atheniensis Senatusconsulto censuit, ut quotiescumque Demetrius in urbem veniret, iisdem ritibus ac cæremoniis peregre adveniens exciperetur, quibus Ceres & Bacchus: non solum suffitibus, coronamentis, & libationibus vini, sed etiam chori præcesserunt, ei obviam cum prosodiis, ithyphallis, saltantes & canentes, quæ omnia olim diis propria, cum in pompa traducerentur. Vide Athenæum *lib.* VI. *cap.* XV.

E

F

Mitto servos, sed non manu; ad alia stylum converto non mortiferum, sed soporiferum, a te lacessitus. De pellibus, quibus indormiebant, hæc a me paucis habe; sed tu cense. Verbum *dormio* eruditiores dictum volunt (nec abnuo) a nomine δέρμα, hoc est, a *pelle*, eo quod olim non in culcitris, sed in pellibus lanatis dormirent. Athenæus *lib.* VI. *Postquam vero*, ait, *solus domum veni, super stratas pelles dormio*, &c. Postea inventis lectis, culcitris, & vestibus stragulis, pauperibus relictæ sunt pelles. Hinc fortasse natum illud adagium, *Intra tuam pelliculam te contine*: etsi aliter & erudite a Parœmiographo explicetur. Deinde tentoria pellicea facta & vestes. Pellium usus plurimus in castris, ut passim in Auctoribus videre licet. Propertius:

Atque hinuli pellis totos operibat amantes.

Juvenalis *sat.* VI.

Silvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus, & culmis, vicinarumque ferarum
Pellibus.

Lucanus *lib.* V.

Tunc igitur pelles, nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.

In pellibus etiam substratis somnia, seu visa expectabant Athenienses, quod ostendit Pausanias in *Atticis*, his verbis: *Deinde arietem immolant, cujus substrata pelle, dormientes nocturna visa expectabant*. Quare non tantum pellium usus in bellis & domibus, sed in templis ad religionem captandam. Siquidem Sacrorum solemnium vigiliis populus ante lucem ad templa veniebat, ubi vel partem noctis aliquam insomnem quidam ducebant ad accipienda Dei responsa. Virgilius VII. *Æneid.*

—— huc dona sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.
Multa modis simulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, &c.

Huc collimant Plautina illa in *Curcul.* de Æsculapio, quem videt in somnis Cappadox: item de Jove in Capitolio, *apud quem incubandum* facete respondet, & alibi. Unde *incubare Jovi*, ut notat Servius, *est dormire in Capitolio*, ut responsum posset accipi. Festus: *Cubans auspicatur, qui in lecto quærit augurium*. Cicero lib. I. *de Divinatione*: *Atque etiam, qui præerant Lacedæmoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaes fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant*. Ideo ægroti, ut a me alibi indicatum, in Æsculapii æde dormiunt, putantes sibi inter dormiendum remedium præscribi. Hæc Antiquorum opinio, nec absurda prorsus, res sacras in somnis peragi. Sacra Historia his adstipulatur.

Somniorum matrem esse noctem putavit Antiquitas, eaque a Luna immitti scribit Propertius, cujus in nocte dominatus est, ut Solis in die:

Sæpe illa immeritæ causata est omina Lunæ.

Solebant autem omina noctis expiare perenni aqua. Siquidem Dea apud Græcos existimata, quæ vaticiniis per somnia præesse credebatur, in primis vero Deli culta, cui scaphas offerre consueverant omnium rerum refertas, piscibus dumtaxat exceptis. Veteres ad depulsionem malorum somniorum, quam viderant speciem narrabant Diis ac sæpenumero domesticis, ut Vestæ, Græci Apollini Προςατηρίῳ, sed & Soli, ut qui noctis tenebras discutiens sua luce somnia irrita reddat. Apud Trœzenios Aldali vetus ara, super qua Musis & Somno Deo rem divinam faciebant, somnum affirmantes esse Musis amicum. Sed somnia narro, qui somniavi ritu cantherino.

Parasitos supra intermissos jam repeto, iisque insisto, quorum hæc nota, ut cibi objectu quocumque ducantur. Plaut. *Most.* Act. iv. Sc. ii.

> Ph. *Qui parasitus sum?* Se. *Ego enim*
> *Dicam, cibo perduci poteris quovis.*

Ideo variis ludicris ii objecti, & parati omnia perpeti ut ventri inserviant. Incudi quidam se comparat apud Athenæum *lib.* vi. *Si tolerandæ plagæ incus sum ac nodus.* Heliogabalus tamen suos parasitos in Triclinii versatilibus violis & floribus oppressit, ut refert Lampridius in *ejus Vita*. Olim tamen parasiti adeo in honore, ut Sacerdotibus æquarentur, cum ex bobus selectis tres partes fierent, una in ludos, secunda in Sacerdotes, tertia in parasitos distribueretur. Deos epulones vana finxit Antiquitas, quos Jovis parasitos vocavit, ut notat S. August. *de Civit. Dei* cap. vii. Item parasiti & epulones in templo Herculis erant, cum ipse Deus voracissimus haberetur. Hinc Athenis publice alebantur, postea autem magistratus elegerunt divites, ut ab hoc sumptu Rempublicam liberarent, quibus parasitos alendos traderent. Vide Novar. *Schediasm.* lib. iii. cap. xxiv. Non sane potest evadere occupationes, qui curarum auctoramentum non potest negligere. Hæc igitur curarum compendia mitto, qui aliorum sum χρήσει, tuus vero κτήσει. Et licet ego non mei mancipii, mancipio tamen hanc epistolam tibi dare minime vereor, & evictione me præstiturum spondeo. Eadem lege tu mancipio accipies, meque habebis commendatum, etsi ex Martiale,

> ——— *peccat,*
> *Qui commendatum se petit esse suis.*

Tibi potissimum, qui me compedibus aureis tot beneficiorum adeo devinxisti, manicis adamantinis munificæ hospitalitatis obligasti, tuis virtutibus Lucæ usque addictum, ut ego tibi Pirithoo meo, ut cum Seneca in *Hyppolyto* loquar,

> ——— *Ditis clauserit regnum licet,*
> *Canisque diras Stygius observet fores,*
> *Solus negatas inveniam Theseus vias.*

Vale, pietatis antiquæque probitatis exemplar singulare.

Cap. VIII.

Servi vilissimi ad pedes dominorum. Iidem linteo præcincti serviebant. Iisdem cœnæ analecta distributa. Ipsimet manumissi cum dominis cœnabant. Pueri puellæque ubinam cœnarent? Arcadum liberi quomodo accumberent? Menstruum stipendium servorum. Eorumdem dormitorium in cœnaculo. Dimensum quid, & unde datum? Potus & cibus servorum qualis? De allio proverbia quædam. Allium gustantes a templo Magnæ Matris arcebantur.

Quod D. Magdalena adstiterit retro pedes Domini cœnantis, eosque laverit, colligit eruditissimus Mercurialis, aliique multi, Christum accumbendi Romanorum Hebræorumque consuetudinem retinuisse. Sed ego altiori indagine perscrutatus hunc modum D. Magdalenæ sua scelera graviter deplorantis, deprehendo animi demissi & abjecti ad impetrandam veniam adeo argumentum Evangelicæ veritati consonum, ut nihil supra. Ea enim accedens vilissimum & maxime abjectum locum sibi elegit, ergastulis & mediastinis destinatum. Servi enim ad pedes dominorum discumbentium stabant, quod innuit Seneca lib. iii. de *Benefic.* c. xxxii. *Ut primum diluxit, servus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixisset.* Martialis *lib.* vii. *epigr.* xix.

> *Misto lagenam replet ad pedes vino.*

Idem *lib.* iii. *epigr.* xxiii.

> *Omnia cum retro pueris obsonia tradas,*
> *Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?*

Idem *lib.* iii. *epigr.* lxxxii.

> *At ille retro flexus ad turbam pedum,* &c.

Et præcinctos quidem illos fuisse ex Horatio colligo;

> *His ubi sublatis puer alto cinctus acernam*
> *Gausape purpureo mensam pertersit.*

Et Apulejus *lib.* ii. *Ipsa linea tunica mundule amicta, & russea fasciola prænitente altiuscule, sub ipsas papillas succinctula, illud cibarium vasculum floridis palmulis rotabat in circulum.* Philo Judæus omnes simul servorum ad pedes stantium ornatus, de Romanorum luxuriosis conviviis agens, breviter perstringit lib. *de Vita Contemplativa*: *Ex iis ministrantibus minores pueri & pincernæ grandiores aquam afferunt, & loti, nitidi, fucatique, ac concinnati, (alunt enim capillitium) vel omnino intonsi, vel a fronte tamen prætectis in orbem crinibus, tenuissimas candidissimasque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites. Utrinque mollibus tæniis adstricti commissuras, propendentibus ad latera finibus, sic ornati adstant, nutus observando, quid quisque postulat.* Id genus servorum linteis cingebatur, quod autumat Seneca: *Ad hoc præsto aderit ministrorum ornatissimorum turba linteis succincta.* Annon humani generis Servator, qui formam servi accepit, linteo se præcinxit, Discipulis ministerium servile obiturus in ultima cœna?

Ex locis supra citatis conjectura ducor servis ad pedes dominorum discumbentium reliquias & analecta fuisse diversa. Idem Seneca hoc confirmat *epistola* lxxvii. *Quemadmodum cœna peracta reliquiæ circumstantibus dividuntur.* Suetonius in *Galba* cap. xxii. *Inter cœnam vero usque ad abundantiam, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique ad pedes stantibus.*

Romani servos non admittebant ad mensam, nisi manumissos, ita ut mensæ communicatio esset manumissionis signum, ut alibi a me probatum ex Tertulliano. Iisdem tamen, ut testatur Plutarchus *Symp.* iv. *lib.* vii. semper aliquid censebant relinquendum, ita ut reliquiæ in illorum usum cederent. Moris tamen fuit, cum apud Græcos, tum apud Romanos, ut Saturnalibus servi exæquato cum dominis jure conviverent; imo ut domini servis ministrarent. Vide de hoc Lipsium, & alios. Idem mos apud Cretenses in Mercurialibus: apud Trœzenios mense Geræstione: apud Babylonios in festo Sacea: apud Thessalos in Peloriis, ut domini servirent ex Athen. *lib.* iv. *Sic Hyacinthiorum die tertio apud Spartanos servi ad sacrificia & epulas admittebantur.*

Verum pueri veterum Romanorum, ad fulcra lectorum sedentes, cibum capiebant. Claudius Imperator (teste Suetonio) adhibuit omni cœnæ liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad lectorum fulcra sedentes vescebantur. Ex Tacito Principum liberi cum cæteris ejusdem ætatis nobilibus sedentes vescebantur in aspectu propinquorum propria atque puriore men-

sa, ut a me alibi dictum. Apud Arcades (auctore Athenæo *lib.* IV. liberi cum patribus suis lapidibus insidentes nudi convivabantur.

Ad servos redeo, eorum mercedem inquiro. Menstruum stipendium Senecæ tempore quinque modii, & quinque denarii. Seneca ipse *epist.* LXXX. *Servus est; quinque modios accepit, & quinque denarios, diurnum accepit, & dormit in cœnaculo.* Diurnum igitur stipendium erant quinque denarii, & mercedula eorum, atque in cœnaculo dormiebant, ubi tenuiores & inopes. Ita Plautinus Amphitruo ait, *In superiore qui habito cœnaculo.* Legendus Lipsius de modo Lucaris *ad primum Taciti Annal.* Ita pauperes, qui cœnaculariam faciebant, cœnacula conducebant, cum in suo non habitarent; qui autem omnium tenuissimi cœnacula tegulis proxima conducebant. Sueton. de Orbilio in lib. *de Gram. Namque jam persenex pauperem se & habitare sub tegulis quodam scripto fatetur*: hinc dicti pauperes habitare sub tegulis, & a Martiale *lib.* I. *epigr.* CLXII. habitare tribus scalis:

Et scalis habito tribus, sed altis.

Ante Senecam tamen, tempore scilicet non tam opulento, quaternos tantum modios accepisse invenio: & Donatus autumat servos quaternos modios accepisse frumenti in mensem, & id *dimensum* dicebatur, utrum a mense, an a dimetiendo? incertum. A dimetiendo magis opinor. Plautus illi subscribit:

Huc argentum vobis dimensum dabo.

Et in *Sticho*:

Vos meministis, quod Calendis peterem dimensum cibum.

Dabatur igitur Kalendis dimensum a Græcis, dictum σιτόμετρον. Apud Græcos, qui menses a lunæ coitu auspicabantur, in novilunio merces dabatur. Lucianus in Dialog. *de mercede conductis*: *Cum instante novilunio Pyrrhiis & Zopyrionibus immixtus, manum itidem, ut alii servuli, protendis.* Cujacius ait, selibram farris in diurnum victum quemque Romæ accipere solitum. Et lege Decemvirali vincti debitores, vel de suo vivebant, vel selibram farris in victum diurnum a creditoribus accipiebant. Horatius *sat.* V. *lib.* I. dicit libram unam farris fuisse servorum mensuram, his verbis:

Denique cur nunquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, &c.

Potum horum Plautus describit in *Rudente*:

Hic Rex cum aceto pransurus est, & sale, sine bono pulmento.

Aceto ergo servi accipiebant, seu poscam cum sale. Lucianus videtur cum sale conjunxisse cæpas in Dial. *de mercede conductis*, his verbis: *Habes suavissimum convivium, quod mihi quidem haudquaquam suavius sit cæpis, candidoque sale, libere cum velim ex his, & quantum velim edenti.* Persius *sat.* IV.

Tunicatum cum sale mordens cæpe.

Allium quoque cibus servorum Græcorum. Proverbium de hoc extat: *Ne edas allia, & fabas*, quo significabatur vitæ tranquillitas tempore pacis. Ideo ab allii esu abstinendum, cujus maxime belli usus. In judiciis fabas esitabant, ne obdormiscerent, vel refer ad calculos fabarios in suffragiis. Aristoph. in *Equitibus*: *Milites coemptis prius alliis & cæpis naves ascendisse, ut inalliati magis strenue pugnarent.* Hinc & aliæ paroemiæ: *Ne allii quidem caput*, subintellige, *apposuit*, de homine sordido: *Allium in retibus*, de sordido commeatu. Attici enim, ut dixi, expeditionem adornantes, allium pro commeatu sibi comparabant. Quare allium cibus vilissimus, servilis, & militaris; hodie quoque damnatorum ad triremes mancipiorum. Alliorum capita ad multarum noxarum depulsionem valere animis vetustas imbiberat. Persius *satyra* V.

Incussere Deos inflantem corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.

Columella etiam ovis, quæ incubantur, substerni utiliter adversus tonitrua putat, dicens *lib.* I. *cap.* V. *Plurimi etiam infra cubilium stramenta graminis aliquid, & ramulos lauri, nec minus allii capita cum clavis ferreis subjiciunt, quæ cuncta remedia creduntur esse adversus tonitrua, quibus vitiantur ova.* Allium vero esse venenum efficacissimum, non cibum, Medeamque veneficam, hoc vel caros servasse, vel inimicos perdidisse, venuste jocatur Horatius *Epod.* III. in allium. Vide.

Allium gustantes a templo magnæ Matris arcebantur, ut refert Athenæus.

CAP. IX.

Dapiferi quinam? Ferculum quid? Primi missus qui? Prandium pro gustu. Bellaria apud Lacedæmonios nulla. Lauri folia cur inter bellaria adhibita? Ordo in cibis portandis & apponendis. Tabella ferculorum cui data? Cœnæ variæ recensentur. Cœnæ Veterum moderatæ. Earumdem frugalium proverbia. Cœnæ delatæ in sportulis. Symbola cœnarum quæ? Epulæ in templis. Cœna popularis dicta epulum. Quæ pœna contemnentis epulum?

ATHENÆI penus multos ritus priscos ad convivia spectantes suppeditat, & primum fercula portata in mensam ab ancillis atque servis dapiferis, δειπνοφόροις, ex *lib.* V. Hoc munus etiam coquorum. Δειπνοφόροι (inquit Suidas) *Dapiferæ dicebantur, quæ in Minervæ templo decumbentibus cœnam afferebant.* Ferculum idem, quod missus; hi olim terni Augusto, teste Suetonio; aliquando seni; Heliogabalo, teste Lampridio, viceni. In primo missu, seu antecœnio, ex Macrobio, echini, ostrea cruda. Martialis gustationem prægustemus ex *lib.* XI. *epigr.* LIII.

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, & porris fila resecta suis;
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ:
Hæc satis in gustu, cætera nosse cupis?
Mentiar, ut venias, pisces, conchylia, sumen, &c.

Ultimi ferculi signum buccina interdum datum, ex Buleng. *de Imper.*

Aliquando lego, prandium pro gustu usurpatum, seu antecœnio. Sed ante cœnam plerumque promulsis apposita, de qua, & antecœnio, quia a me alibi dictum, supersedeo. Obiter tantum repeto.

In gustatione, seu cœnæ capite apposuere ostrea, lactucas, ova, mora, gobios, rutam. Deinde sequebantur missus carnium, aut piscium; & hactenus dicebatur prima mensa. Secunda mensa continebat cibos suaves, ut bellaria Attica, τραγήματα, Athenæus, *lib.* XIV. Secundam mensam his exornabant, ovis, lacte, caseo, melle, Jovis cerebro, hoc est, opiparo aliquo cibo, turdis, leporibus, conchis, jusculis quibusdam, placentis variis, præsertim ex melle confectis, rapis, fabis, malis, pyris, mespilis, nucibus, denique omni fructuum genere. His accesserunt, vinum suave, coronæ, unguenta, musica instrumenta, & aliæ hujusmodi voluptatis illecebræ. Plutarchus in *Arta-*

xerxe ait, Reges Persarum de more Regio initiando pro bellariis terebinthum deguſtaſſe. Lacedæmonii bellaria non comedebant. Lego etiam in Athenæo *lib.* IV. folia lauri adhibita inter bellaria. Quod pluribus rationibus factum puto: ſed potiſſimum hiſce duabus; tum, ut vi foliorum exſiccatoria fumi ad caput elati abſumerentur: tum ut etiam odor vini, ac ciborum, qui ſolet ſæpenumero a ſaturis hominibus gravis emitti, abſconderetur; id quod Martialis facete admodum nobis indicat *lib.* V. *epigr.* IV.

Fœtere multo Myrtale ſolet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde, non aqua miſcet, &c.

Cammata erant folia lauri, quibus placentas involvebant, ut habet Lexicon. Item placentæ e farina & oleo, quas Lacones a cœna eſitabant lauri cum frondibus. Hæc fortaſſe illa lauri folia inter bellaria recenſita & eſitata.

Semen etiam papaveris cum melle & lactuca ad conciliandum ſomnum eſitaſſe una cum ficubus & uvis legimus. Horatius *ſat.* II. *lib.* II. ſecundæ menſæ frugalitatem ita deſcribit:

—— tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas cum duplice ficu.

Ut autem in ciborum appoſitione ordinem ſervare poſſent ſervi, de ſchedula id factum. Nam non ſingula fercula, ſed menſas ferculis onuſtas duo ſervi accumbentibus apponebant, loco & tempore diſponendis. Convivator ergo, ut ſcirent dapiferi quænam fercula, aut quo ordine eſſent ſuper menſa diſponenda, tabellam ſibi afferri jubebat, in quo omnium ferculorum nomina eſſent deſcripta, ita Athenæus *lib.* II. *In cœnis priſco more convivatori, poſtea quam accubuiſſet, tabella, in qua omnium ferculorum nomina deſcripta fuerant tradebatur, ut ſciret ille, quodnam obſonium allaturus eſſet coquus.* Deinde in fronte IV. *lib.* idem præcipit, quid primo faciendum, cum hoſpites excipiuntur in conviviis nuptialibus, his verbis: *Videtur autem vinum ad conciliandam alliciendamque amicitiam vim quandam habere, ut quoi animum diffundat & calefaciat. Quamobrem, non antea qui eſſent, rogabant, quam bibiſſent, ſed guſtato jam vino hoſpitii jus & fidem honorantes, potius quam privatum hoſpitium, ſingulos.* Deinde recenſet hæc cœnarum genera, nempe, Phileticas, quæ ſcilicet amicis & familiaribus præbentur. Populares, quæ univerſo populo. Thiaſas, quæ in ſodalitiis, quæ & φρατρικὰ dicta, ſcilicet contribules, cum unaquæque tribus ſua propria & peculiaria ſacra haberet. Demum Orgeonicas, quæ in Orgiis ſacris Bacchi; has a legiſlatoribus eſſe præſcriptas meminit *ibidem* Athenæus.

Moderatas fuiſſe Antiquorum cœnas inde colligo, quod variis proverbiis exprimuntur, ſumptis vel a Diis, vel ab hominibus, qui ejuſmodi tenuitate conviviorum uſi: quæ proverbia tantum innuo, qui a Parœmiographo fuſius explicata. *Cœna Deum*, dicta frugi, & jucunda: creditum enim Deos, ex Dionyſio, non tantum nectare paſci & ambroſia, verum etiam vilibus quibuſque cibis. *Cœna Saturnia*, ignara exoticarum deliciarum. *Hecates*, quod apud inferos preparce cœnent. *Hecales*, ab Hecale paupercula. *Icci*, a parſimonia illius. *Philoſophica*, non multum a ſportula differens. *Muſica*, unde Plautus in *Moſtellaria*:

Muſice hercle agitis ætatem, &c.

Platonica, *Ruſtica*, *Laconica*, *Cynica*, pro nimis tenui & ſordida. *Terreſtris*, id eſt, ſine ſanguine, ex oleribus tantum. Contra vero dicebatur, *Cœna dupalis*, *dapſilis*, *depatica*, *pollucibilis*, *recta*, quæ dabatur a divitibus & Principibus: *Uncta*, *epularis*, *ganeata*, *gliſcera*, *dubia*, *popularis*, *ebria*, *adipalis*, *regalis*, *Cerealis*, *Saliaris*, *Auguralis*, *Pontificalis*, *Capitolina*, *Perſica*, *Medica*, *Sybaritica*, *Italica*, *Campana*, & aliæ hujuſmodi, quæ a luxurioſiſſimis populis uſurpatæ.

In lautiſſimis conviviis primi quique ferculorum miſſus ante cœnam dicebantur; ii vero plerumque iterabantur, ſecunda tamen fercula ac velut ſolidum convivii corpus cœna appellabatur. Unde Macrobius, Ante cœnam echinos, oſtreas crudas, quantum vellent, in cœna ſumina, ſinciput aprugnum.

Hic obiter ſubnecto, cœnam diei ſepulchrum dictam, & hoc eſſe componere, ſepelire, comburere diem, hilariter epulando & compotando, Mendozæ Viridarium. *lib.* VIII. *Saturn.*

Cœna plerumque largior, quia uberiore epularum apparatu, tum familiarium atque affinium ſocietate, in propatulo, unde cœna dicta ἀπὸ τῆς κοινωνίας, *a communione*. Prandium erat tenuius, quia ſoli, ſeorſim, μονόφαγοι prandebant.

At *lib.* VIII. apud eundem Athenæum in calce præter ſymbolam (de qua alibi) dari ſolitam pro cœnis, alium modum reperio deferendi cœnas in ſportulis, his verbis: *Veteribus quoque notæ fuerunt e ſportulis cœnæ, quas Pherecrates in Oblivioſo, his verbis ſignificat:*

Cœnam cum in ſportula præparaſſet, Ophellum ibat.

Hinc liquet e ſporta cœnam vocari, quando cœna parata ſibi quiſpiam, & in ſporta recondita, ad alium proficiſcitur, cum eo cœnaturus. Arrianus id confirmat.

Idem Athenæus ſcribit de ſymbolis, quæ apud Chalcidenſes erant, tæniæ, corollæ, unguenta, aliaque parvo parabilia, quæ invitati ad Regem convivæ deferebant. Sed hæc tenebantur apud alias gentes Sympoſiarchæ convivis de ſuo miniſtrare. Argivorum ſymbola erat pecunia, ut idem *ibidem* afferit, in ſumptum convivii erogata.

A cœna ad epulum gradum facio, & potiſſimum triumphale, datum a triumphantibus, cujus duo loca reperio, unum Capitolinum, ut habet Mart. *lib.* XII. *epigr.* XLVIII.

Non Albana mihi ſit comeſſatio tanti,
Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

Deinde cætera templa, epulis dicata. Innuit Virg. VII. *Æn.*

Hæ ſacræ ſedes epulis, &c.

Alium locum noto in Athenæo *lib.* V. ſub finem, cum loquitur de pellibus reportatis a Mario Romam, quorundam animalium incognitorum, ob inſolitam & inuſitatam ſpeciem, dicatas illas fuiſſe in Herculis templo, in quo triumphantes Imperatores epulum exhibent. Hæc cœna dicta popularis, quia populo data.

Cujus vero ſit inſtitutum epulatio, Plutarchus in *Solone* annuit ſic: *Proprium vero eſt Solonis epulatio in Curia, quod παρασιτεῖν ille appellavit, ſiquidem non permittit eidem illic epulari frequenter. Sin autem ille, cui id delatum ſit, contemnat, infligit ei pœnam, ratus, hoc honoris publici faſtidium illud eſſe plus æquo appetentis*, &c.

Ne vero vim a me tibi fieri logis alogis jure ſuccenſeas, finio, ſed noto, ut ſine noxa mala abeam, Veteres, cum violenter detinebantur, exclamare ſolitos eſſe, *Hæc vis eſt*, ut colligitur ex Plauti *Capt.*

Vis hæc quidem hercle est, trahi & trudi simul.

Et ex Sueton. in *Julio* cap. XXVIII. *Deinde clamantem, ista quidem vis est*. Ne tu quoque clames; mutito.

CAP. X.

Piscium pretium in tabella publice olim expositum. Piscatores in foro stantes vendebant. Pisces venales legibus cautum aqua adspergere. Iidem Ægyptiis sacri. Pythagorici cur ab illis abstinent. Venatio maritima quibus interdicta? Sanior ego pisce *prov. unde? Thynnea quale sacrificium? Piscatorii ludi quo anni mense olim celebrati? Piscium esus ante Homeri tempora non usitatus.*

IN prima fronte Athenæi *l.* VI. morem & legem standi in foro piscario lego, & pretium singulorum piscium in tabella publice appensum; ut vidi observatum in quibusdam civitatibus & oppidis. Refert igitur ex *Lebete* Alex. hæc carmina:

Post Solonem legislator nullus fuit,
Astronomico sapientior. Alias is quidem
Multas leges promulgavit atque varias:
Nunc autem legem quamdam edixit novam
Auream, ne sedentes vendant
Piscarii, sed recti stent perpetuo.
Deinde appensis tabulis pretium scribant in posterum.
Quo citius mercaturi revertantur domum,
Suaque, velut Dei, vendant e machinis.

Sed præ cæteris mihi arridet, quod paulo supra meminit de lege quadam, quam Pisano in foro piscario & alibi observatam religiosissime vidi. Idem Alexis in *Lebete* de eodem Aristonico legislatore apud Athen. hæc refert:

Ut piscariorum quisque piscem vænundet
Ubi pretium indicavit, si minoris det,
Quam æstimaverit, in vincula
Protinus conjiciatur, ut pœnæ metu
Justo pretio contenti sint, & vesperi
Marcidos omnes reportent domum.

Ne videlicet in tabernis forensibus relinquant, postridie carius vendituri. Pisces vero in profluentem Arnum projicere tenentur vesperi, quos eo pretio, quod sibi indixere, vendere non potuerunt.

Pisces vero venales cautum legibus aqua aspergere. Ita Xenarchus in *Purpura* apud eundem Athenæum *lib.* VI. initio, recensens varias nequitias piscatorum: *Piscatorio genere nullum magis impurum: nam quia pisces illis non licet aqua rigare, legibusque id vetitum fuit,* & quæ sequuntur. Subdit, illos venditos mortuos ex Antiphane in *Adulteris*, & *lib.* IX Alexis in *Atthide* sic:

Qui primus dixit Sophisten neminem
Animatum quippiam comesse, sapiens mehercule fuit.
E foro nunc revertor, mercatus nihil
Animatum, emi namque pisces mortuos
Ingentes, tum agni pinguis carnem minime vivi, &c.
Horum quidquam animatum esse si quis ostenderit,
Et culpam admisisse, & legem violasse me fateor,

Tenebantur igitur mortuos pisces vendere, &, ne putrescerent statim, nec aqua aspergere eos ad diutius retinendos, quod ideo factum, ut viliori pretio eos distraherent, timentes, ne in foro putrescerent.

Piscibus Ægyptus abstinet, ut docet Herodotus *lib.* II. *Arbitrantur* (inquit *ibidem*) *sacrum*

A *genus piscium, quod vocatur squamosum, atque etiam anguillam. Hos ipsos ajunt sacros esse*. Pythagorici etiam a piscibus abstinent, vel quia alienæ gentis, ut ajunt, sunt; vel quia non sunt malefici, quare piscium nullum immolabant, & a piscibus nemo Deorum nomen habuit. Plato in *Legibus* marinam venationem adolescentibus interdixit: nulla enim roboris exercitatio, nulla sapientiæ meditatio paratur congricidæ, mullicidæ. Pisatorum nequitiam Athenæus pluribus describit, eosque vocat execrandos. Cætera apud ipsum vide. Phaselitarum sacrum anniversarium ex salsamentis refert Leonicus *de Varia Historia*.

B Cum hoc anno peste deseviente per Duumviros sanitatis quotidie sub horam diei primam inquireretur in singulis domiciliis, an sani essent cuncti, audivi dicentem, *Sanior ego pisce*, quod mihi parœmiam antiquam reduxit in memoriam, deprompta ex Juvenale, *Sanior ego pisce*. Vulgo enim creditum pisces non sentire morbos, cui tamen refragantur Aristoteles & Plinius. Crediderim tamen hoc verum de valetudine non contagiosa. Soli enim pisces contagiosa non sentiunt, quod non accidit hominibus, & cæteris animantibus, sive feris, sive cicuribus. An quia contagiosa aeris contactu

C contrahuntur, cujus pisces sunt expertes, cum in aquis degant? an quia elementum illud frigidissimum, ubi degunt, omnem pestilentiam prorsus extinguit? ego non auctor fundus, ut dicitur, alienæ sententiæ.

At *lib.* VII. idem Athenæus ait, anguillas coronatas aspersasque mola cum precibus, Diis a Bœotis immolatas: & Neptuno a piscatoribus thynnorum, thynnum immolatum, vocatumque illud sacrificium Thynneam.

Piscatorii ludi quotannis mense Junio (ut refert Festus) fieri soliti trans Tiberim a populo Romano pro piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus

D non in macellum pervenit, sed fere in æream Vulcani, quod id genus pisciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis: unde Volcanalia (ex Varrone *de lingua Latina*) dicta a Volcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit. De ludis piscatoriis Ovidius lib. VI. *Fastorum*:

Tertia post Nonas removere Lycaona Phœbe
Fertur, & a tergo non habet ursa metum.
Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Aspicere, & dici, lubrice Tibri, tuos.
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
E *Quique tegunt parvis æra recurva cibis.*

Homeri temporibus piscium & avium esum fuisse usitatum, Athenæus docet *lib.* IV. *cap.* V. eorum tamen in conviviis Heroum nullam mentionem facit; propterea quod iis in dignitate constitutis non convenire hujusmodi alimentum existimabat. Eustathius Gadarei Melegni testimonio comprobat, Veteres non fuisse appetentes piscium; sed eorum esum post Homeri tempora invaluisse: Homerum præterea, ceu Syrum natione, secundum gentis illius instituta, Heroas fecisse abstinentes a piscibus.

F Horus Apoll. *hierogl.* XLII. ait, nefarium innuentes, aut etiam abominationem, piscem pingunt, quod horum esum, qui in sacris versantur, horreant atque execrentur: est enim ejus naturæ piscis omnis, ut quæ offenderit exhauriat, inque suum ipse genus sæviat. Victimas quoque de piscibus aliquando factas legimus. Bœotii, ut scribit Athenæus, Copaidas anguillas, a lacu sic vocatas, coronatas molaque perfusas Diis immolabant. Idem scribit de Thynneis sacris factis a piscatoribus.

CAP.

Cap. XI.

Salini eversio in mensa cur inauspicata? Salis commoda. Salaria stipendia quæ? Salaria via qualis? Sal cum pane & caseo cibus quotidianus Antiquis. Sal contra podagram. Mortui sale conditi. Antiquitus sacrum nullum sine sale. Absque eodem mensa prophana habita. Salinum quid? Illud remotum in incantationibus. Ægyptii cur sale abstinent? Animalia salacia unde sic dicta? Sal pro sapientia. Idem mancipiorum pretium. Figulis istud apponere religiosum. Vini effusio in mensa cur boni ominis?

ENCÆNIA in urbe agebantur, constitueramus sicci, symbolis collatis, in meis ædiculis, ut largius pocillationibus nos invitaremus, diemque frangeremus solidum. Convenimus, lavamur, accumbimus, poculum vicissim porrigimus, Philio operati, amicitiæ Symbolum confirmatæ. Ecce novum portentum, salinum evertitur cum poculo rorante. Inclamo, φεῦ τῶ κακῶν. Infaustum omen, salini: Faustum, vini in mensam effusio; scrupulum, scio, injeci de mea religione, illum tollo, hac me exsolvo.

Sale ac sole nil utilius Veteres dixere: illum vitæ, hunc amicitiæ Symbolum perpetuo duraturæ existimantes; ut enim sal cibi condimentum, ita amor vitæ lenimentum Sale corpora solida & cornea (ut inquit Plinius) piscatorum sunt, eaque a putredine conservantur. Et amori hæc vis, ita ut merito sal Antiquis amoris σύμβολον, ἀναγκαιότερος πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος, id est *magis necessarius amicus, quam ignis & aqua*. De sale salse dictum, ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν, *salem & mensam non prætermitendam*, vulgo dicebant. Ex diversis aquis sal solis virtute coalescit, & amoris vi, *duo corpora*, ἐν μιᾷ ψυχῇ, *in una anima*. Salis beneficia vel in pecudes & armenta propagantur, nam sale maxime ad pastum sollicitantur, largioreque lacte gratioreque caseo abundant. Hinc Columellæ præceptum, *Totumque eorum palatum sale defricato*. Apoplectici sale defricantur, ut sensus torpor excitetur. Præterea, humana vita ut sine sole tetrica, horrida; ita sine sale insulsa, ingrata videtur. Quare non solum ad corporis voluptates conciliandas in cibis sale necessario utimur, sed etiam in dictis; nam sales animi appellati lepores, hilaritates, Veneres, ἅλες ἡδισμένοι. Hinc fortasse etiam nostra salaria dicta Principum congiaria, bene de Republica merentibus erogata, quæ æque Professoribus necessaria, atque ipse sal; aut quia per ipsa sal sapientiæ & scientiæ in studiosorum pectora transportatur, quo insipida juvenum ingenia saliuntur. Unde viam illam Salariam ob salis copiam, inde in Sabinos derivati, nuncupatam volunt. Addo pulmentarium salitum. Audi, inde (si libet) abi.

Antiqui (si mea non me fallit memoria) salem cum pane & caseo esitasse feruntur; cum necdum luxus irrepsisset: ideo, *Salem lingere*, pro esitare, usurpabant: & salinum pro victu quotidiano ac modico. Quare in sordidissimum atque avarissimum hæc jactabant, οὐδ' ἅλα δοίοι, *ne salem quidem dederit*, qui hospitibus vulgo dabatur omnibus. Dordalus ille in Plautina:

Eodem mihi pretio sal perhibetur, quo tibi,
Nisi me hæc defendet, nunquam delinget salem.

Persius *sat.* V.

Vare regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si cum Jove vivere pergis.

Horatius *lib.* II. *ode* XVI.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

Idem *sat.* III. *lib.* I.

—— modo sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri.

Persius *sat.* III.

—— purum sine labe salinum.

Et amor animæ cibus suavissimus. Contra podagram sal præstantissimum medicamentum; tu ipse hujus testis locupletissimus non utendo, sed præscribendo, quæ vestra benignitas; & amor odit inertes. Ovidius *de Arte amandi*:

Militiæ species amor est; discedite segnes.

Infinita præterea commoda sal mortalibus suppeditat, ac potissimum a putredine defendit. Ideo Ægyptii mortuos sale condiebant, Herodoto referente, quod si cum oleo misceatur, contra temulentiam deliriumque, contra cœli etiam inclementiam prodest. Puerorum corpora occallescunt, si aqua salita perluantur, eaque vegetiora robustioraque redduntur. Amare & sapere Deo proprium, & a Deo, (hinc hujus divinam excellentiam colligo) & in sacris olim nullum sacrificium sine mola salsa, & in nostris quibusdam sacris mysteriis salis usus præcipitur. Profanam (inquit meus Lipsius) sine salino mensam esse, Veterum opinio fuit; sed & nostram. Arnobius, *sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum*: (de quo modo non disputo) quin & salinum ipsum inter vasa sacra. Ideo salinum proprie est patella, ut ait non ineruditus Interpres, in qua Diis primitiæ cum sale offerebantur. Livius addit, *ut salinum patellamque Deorum causa habeant*. Et cum de Fabricio & Æmilio loqueretur, *uterque* (inquit) *patellam Deorum & salinum habuit*. Fabricius bellicosos Imperatores plusquam pateram & salinum ex argento habere vetabat, & Veteres tametsi vas nullum argenteum possidebant, salinum tamen ac patellam Deorum ex argento habebant; ita explicatur Horatii ode, *Vivitur parvo bene, cui salinum splendet*, salinum enim ipsum inter vasa sacra recensetur. Statius:

Et exiguo placuerunt fana salino.

Quapropter sal religionis gratia in divinationibus apponi solitus; hinc a veneficiis salem quam longissime removent. Hæc in causa cur ab Homero jure divinus vocatur; quod in sacris necessario adhibeatur:

Inspersit autem sale sacro, a lapidibus elevans.

Platoni dictus rebus divinis amicissimus, ideo Ægyptii tanquam a re sacra in esculentis abstinebant; (etsi alii aliter) quia a tabe & putredine, ut dixi, corpora defendit, animæ vice fungi existimatur: hinc immundo animali anima pro sale data. Vitalique virtute sal præditus; ideo gignendi vis illi genuina; seminalem vigorem excitat; ut inde animalia dicantur salacia, Veneri proclivia, cujus genitura e salo & sale, quam ἁλιγενῆ, id est, *saligenam*, Poetæ finxere. Marini Dii omnes maxime fœcundi. In omnibus negociis, veteri parœmia, jubebantur, τὸ ἅλα παρατίθεσθαι, *salem* videlicet *apponere*, justitiam, & æquitatem: Salem demum pro sapientia usurparunt. Mancipiorum precium sal Thracibus; hinc ea dicta, πρὸς ἁλὸς ἠγορασμένα, *sale redempta*. In Festo, hæc de salino lego. Salinum in mensa pro aquali solitum esse poni, ait Verrius, cum patella, quia nil aliud sit sal, quam aqua. Salinum sale in mensa

ponere figulis religioni habetur, quod quondam A in Esquilina regione, figulo, cum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, super modum potus, somno esset oppressus cum convivis suis; præteriens quidam petulans, ostio patente, ex mensa salinum conjecit in fornacem, atque ita incendio excitato, figulus cum suis concrematus est. Hæc omnia applica amicitiæ, ad unguem quadrare videbis. Coronidem impono. Salis modius amicitiæ certissimum experimentum; nunquid hic Lydius lapis? Nil igitur mirum, si salinum inversum in amicitiæ ara convivali, illius evertendæ omen ariolor. Ariolor; & illius in integrum nulla interposita mora B restituendæ majori cum fœnore & gaudio, ob vini profusionem, cujus odor naribus, uti gustui, gratissimus, quo Celtiberi Thracesque vestes perfundebant; præclarum hoc, & beatæ vitæ genus existimantes. An, quia in vino veritas? an, quia lætitiæ dator Bacchus?

Sed non ego aruspex, conjector. Id vel falsa fortasse conjectura vix assecutus, abstineo, aruspicinæ omnino imperitus. Aliorum esto judicium. Tu vero vive æquus arbiter æquitatis, medicinæque patronus. Non me latet, in his, Quot capita, tot sententiæ, atque C

Velle suum cuique, nec voto vivitur uno.

CAP. XII.

Lactucæ cur appositæ in principio & fine mensæ? Lactuca sub auroram a quo comesta? Eadem Augusto conducibilis fuit. Partes ciborum missæ amicis absentibus. Eædem quibus datæ? Mercurii sors quid? Æsculapii & Hygieæ signa. Valetudinis encomium.

MARTIALIS locum *lib.* XIII. *epigr.* IV. D

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes.

Ita exponis. In cœnæ principio apponi lactucæ solitæ ad appetentiam excitandam; a cœna vero ad ebrietatem reprimendam, aut soporem conciliandum, quibus peragendis illa nil præstantius; ideo Virgilius in *Moreto*, ita:

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Horatius vero scopum hujus tangit *sat.* IV. *lib.* II. his verbis:

Tostis marcentem squillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea, nam lactuca innatat, acri E
Post vinum stomacho.

Sed eruditissime Lipsius (ut solet) lib. III. *Antiquarum Lectionum*, cap. I. aliique ad eum locum. Quales tamen & quantæ eæ appositæ, nec dum aliis observatum.

Lactucas Aristoxenus comedere fuit solitus sub auroram; eas placentas virides appellans, testibus Eustathio & Athenæo. Augustus pristinam olim valetudinem lactuca recuperavit Musæ medici prudentia, cui idcirco Pop. Rom. statuam juxta ædem Æsculapii erexit, teste Suetonio. Columella lib. II. *Rei Rusticæ*:

Jamque salutari properet lactuca sopore, F
Tristia quæ relevet longi fastidia morbi.

Capitolinus in *Pertinace*: *Et cum verbis esset affabilis, re erat illiberalis, ac prope sordidus, ita ut dimidiatas lactucas & carduos in privata vita convivis apponeret, & nisi quod missum esset edulium*, &c. *si autem plus aliquid missum esset, etiam in alium diem differebat*, &c. *Amicis, si quando de prandio suo mittere voluit, misit offulas binas*, &c.

Hæc verba præter lactucæ sordidam sectionem (obiter id noto) innuunt moris fuisse, ut absentibus amicis partes mitterentur. Confirmat id Suetonius in *Caligula* cap. XVIII. *Qua epulatione equiti Romano contra se hilarius avidiusque vescenti partes suas misit*. Spartianus in *Caracalla*: *Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie de cœna miserat, occidi jussit*. Ministris etiam tricliniaribus solitos fuisse Priscos portiones mittere, a me alibi probatum. Suetonium addo mihi modo succurrentem in *Galba* cap. XII. *Et ordinario quidem dispensatori breviarium rationum offerenti, paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse*. Pollux *lib.* VI. scriptum reliquit in carnibus dividendis ac distribuendis, primam partem fuisse vocatam, *Mercurii sortem*, Ερμῦ κλῆρος, ita etiam in sortibus educendis primam hoc nomine nuncupatam Hesychius testatur.

Jure postliminii revertor ad locum Capitolini de carduis & lactucis, qui astruit, lactucas & carduos non dimidiatos, (quod sordidum) sed integros apponendos convivis. His affinia illa proverbia, *Cumini sector*, *Ficum dividit*, ad quod alludit Martialis συκαμερίζειν. Quibus quid clarius, quid apertius ad avaritiam sigillandam apponentium lactucas & carduos dimidiatos? in his enim usquequaque illa parœmia vera, *Dimidium plus toto*; de aurea mediocritate. Hesiodus, Amentes neque sciunt quanto plus sit dimidium toto, vide Suidam f. 375. Hujusmodi dimidiata minora semper, & ingratiora, & fortasse sordidiora. Poma qui donat, integra donat, neque concidit olera olitor, nec lautus conviva lactucas.

Aliam rem noto, non tamen ab re nostra, de die dimidiato, de quo ita Plautus habet in *Menæchmis*, *Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus*. Ideo mortuus, quia dimidiatus, & mortuæ lactucæ, & cardui, cum dimidiati: ne tamen dimidiata Epistola sit mortua, Sanitati seu Hygieæ dicata, ad umbilicum perducatur.

Hujus Deæ effigiem sacrumve refert Pausanias in *Corinthiacis*: *Æsculapii signi sola se facies, manus, & imi pedes ostendunt, partes cæteræ lanea tunica & pallio velantur. Eodem ferme habitu est Hygieæ signum, neque enim illud facile conspicias. Velatum enim undecunque est, partim comis, quas Deæ mulieres detonderunt, partim vero Babyloniæ vestis laciniis: qua vero cumque re litare quis voluerit, eadem, traditum est, illud etiam numen placari: cui est Hygieæ nomen, valetudinem bonam nos appellamus*, &c. Quod nobis ob oculos ponit, quam facile valetudini facere obvia quæque, dum moderate, dum prudenter eam conservare fartam tectamque volumus; & esse bonum latens, quod non agnoscitur nisi deperditum.

Pacem vero sanitatemque petituri ab Apolline, lauri virgam gestabant, quod innuit Plautus in *Mercatore* ita:

Aliquid cedo, qui hanc vicini nostri aram augeam.
Do sane hanc virgam lauri.

Paulo post:

Apollo, quæso te, ut des pacem propitius, salutem, & sanitatem
Nostræ familiæ.

Templum Pacis Athenis dicatum, cum conditiones pacis Athenas Callias Legatus a Persis attulisset. Romæ quoque fuit magnificentissimum foro proximum, quod Vespasianus a Claudio inchoatum construxit, ubi vasa & donaria templi Hierosolymitani a Tito & Vespasiano reposita: hoc templum frequentatum ab ægrotis e Galeno percipimus libr. *de Pulsibus*. Commodo imperante hoc

templum combustum scribit Herodianus. Pacis simulacrum ita effictum, ut puerum Plutum manu gestaret, ex pace enim opes. Interdum cum spicis, ex pace abundantia frugum. Interdum cum olea, lauro, rosa. Vide Gyraldi *Syntag.*

Signum Hygieæ in arce Palladis fuisse apud Græcos refert Plutarchus in *Pericle*, sic: *Hujus gratia Hygieæ Palladis in arce prope aram signum constituit, sicut antea fuerat, ut fertur. Phidias vero aureum Deæ sigillum finxit, ejusque, ut fictoris, in columna nomen erat incisum.* Nota quanti facerent Deæ hujus patrocinium, ex loco, ubi constituta, & materia, ex qua ejus simulacrum conflatum.

Cap. XIII.

Mellis descriptio. Manna quid? Mellis variæ utilitates. Mulsum mensarum propoma, & cur? Idem cœnæ anteludium. Mel olim sacrum. Mensa Pythagoræ qualis? Medica quæ?

Mellis naturam, usum, beneficia tantum indicabo, &, si quam auctoritatem mihi mea suggeret memoria, paucis, ut se se dabunt, proponam.

Mel est cœli sudor, siderum saliva, aut purgantis se se aeris succus, ex Antiquorum sententia. Ex recentiorum, est liquor dulcis, ortus ex vapore, & admixta subtili exhalatione, solis calore inter se concocti, absque notabili diminutione humoris; quod si fiat, liquor ille dulcis, albus, duriusculus, dicitur manna, mel agreste, ut refert Suidas, his verbis: *Mel agreste ab arboribus collectum a multis dicitur manna:* hinc apes dictæ Aristoteli non mellificæ, sed mellilegæ e foliis & floribus matutino tempore. Virg. *Æn.* I.

> —— *apes liquentia mella*
> *Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.*

Hujus ὑπεροχὴν ex hoc colligo, quod vitam servat, producit, Diis hominibusque gratum. Siquidem, ut fertur, dulcia naturæ amica, & dulcissimum mel, quo lita cadavera non putrescunt, ut olim Alexandriæ Claudio Cæsari Hippocentaurus diu mortuus ex Ægypto allatus. Mellis conditura in cadaveribus asservandis fuit Lacedæmoniis usurpata, ex Cornelio Nepote, & Xenophonte quod institutum manavit a Democrito Abderite, teste Varrone, apud Nonium Marcellum: *Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit, ut comburerentur, quam Democritus, qui, ut in melle servarentur,* &c. Eruditissimus Pignorius in suis *Epistolis* aureis causas hujus ita indagatur. An quia mel aereum est, ut inquit princeps poetarum Virgilius lib. IV *Georgicorum*:

> *Protinus aerii mellis cœlestia dona.*

Unde cœli sudor dictus. An vero quia ceram matrem agnoscit, ut scribit Athenæus *lib.* XIV. cera autem cadavera servabat. An quia mellis natura est, ut vitia coerceat, nec serpere ea patiatur. An postremo quod mel sit aridæ facultatis, ex Macrobio *libr.* VII. *cap.* XII. Quid mirum, si vitam quoque diu servat? Hinc multos mulsi intinctu senectam Nestoream duxisse legimus. Celeberrimum Pollionis exemplum, annum supra centesimum agentis, qui ab Augusto interrogatus, qui hoc fieri posset? *Intus*, inquit, *mel, foris oleum.* Ideo Cyrni nuncupati πολυχρονιώτατοι, id est, *multæ vitæ*, ob mellis usum. Democritus, ne sua morte jam imminente sacra Thesmophoria, mox per filiam celebranda, funestaret, mellis anaphora, seu evaporatione (alii quamvis aliter) vitam sibi, dum hæc peragerentur sacra, produxit. Cujus præstantem usum homines admirantes mensis præponebant mulsum, nempe potionem ex melle factam, ob ejus suavitatem atque beneficium. Martialis *lib.* XIII. *epigr.* CVIII.

> *Attica nectareo turbatis mella Falerno:*
> *Misceri decet hoc a Ganymede merum.*

Mulsum igitur anteludium cœnæ habitum, quod veluti θηριακὴν seu *antidotum* Antiquis ex Plinio aliisque scriptoribus reperio in primæ mensæ auspiciis. Horatius *lib.* I. *sat.* IV.

> —— *vacuis committere venis*
> *Nil nisi lene decet, leni præcordia mulso*
> *Prolueris melius.*

Nec minus Seneca: *Circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quæro quid sit? Dicitur mulsum & alicam poposcisse,* &c. Plinius quoque de eadem gustatione, seu promulside: *Paratæ erant lactucæ singulæ, cocleæ, ova bina, cum mulso & nive.* Discrimen inter mulsum & alicam colligo ex Martiale *lib.* XIII. *epig.* VI.

> *Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives:*
> *Si tibi noluerit mittere dives, eme.*

Sacrum præterea dico hunc cibum. Antiquitus, qui sacris initiarentur, aquæ loco, melle manus & linguam detergebant, quæ præsentissima putabant piacula, atque in altaria favus mellis veniebat. Mensa Pythagoræ pane melleque constabat. Quamobrem præstantissima quæque a melle nuncupata, pessima a felle; unde poetica mella dicuntura Lyrico. Plautus:

> *In melle sunt linguæ sitæ vestræ, atque orationes.*

Contra:

> *Corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto.*

Blanditiæ quoque hæ passim habitæ, *mellilum, mel meum, puer mellite.* Græcus ille cœcus, *mellitus, mellifluus, mera medulla*, de suo Nestore hæc inquit: *Cujus ex lingua melle dulcior fluebat oratio.* De promulside a me alibi dictum.

Hoc antecœnium mellitum justo copiosius; a quo (ne quid nimis) abstineo. Summis digitis (ut ajunt) mel delibandum; nam haud me præterit Martialis illud *lib.* VII. *epigr.* XXIV.

> *Nec cibus ipse juvat, morsu fraudatus aceti,*
> *Nec grata est facies, cui gelasinus abest.*
> *Infanti melimela dato, fatuasque mariscas;*
> *Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit.*

Sapiam, si tuis sapientissimis acquiescam consiliis, cujus in manu tot civium meique valetudo. Nec tamen parœmia me deterret, *Qui medice vivit, misere vivit.* Cui enim Medica semper mensa, id est, cui omnis cibus religioni, nullusve delectus, luxuriose se cibo potuque ingurgitando, eheu, nimis misere vivit. At mihi vivere in animo, medice, id est, modice, pro meo censu; nam parsimonia maximum vectigal; & anima sicca sapientissima. O vir omni laude superior, me ama, qui pro melle mellitam placentam tibi refero; quæ si tibi æque grata, atque illud, Amores mihi sternuasse opinabor: cui Archiatro me tantum debere fateor, quantum Æsculapio Virbius, ex Hippolyto reformatus.

CAP. XIV.

Mel & ficus esæ a feriantibus. Ficuum præstantia & utilitas. Eædem quando & a quo inventæ? Eædem olim sacræ. Ficum petit *quale adagium? Ficus Mercurio sacer & appensus. Ficus duplex. Mel Soli libatum, & cur? Idem an inebriet? Memoriæ non mandata, sed scripta oracula. Eadem & suffragia ubi scripta? Oraculorum duo genera. Iisdem edendis stati dies. Eorumdem origo. Sibyllæ qui vaticinarentur?*

ÆGYPTIORUM more Mercurii diem festum agentium, mel & ficum edamus, ad innuendum sermonem dulcem esse ac plenum veritate, quod notavit Plutarchus *de Iside & Osiride*. Vera enim, dictuque suavia in medium proferam, sed de tuo utrumque dilargire, mellitissime TRISSINE doctrinæ suavitate, clarissime stemmatis nobilitate. De FICUBUS.

De ficuum præstantia hoc autumo, quæ vere mihi semper sacræ, tibique decumanam hanc statuo, tanquam Herculi decimam. Ficitores omnes cupiunt ficitatem, ut Nævius apud Nonium innuit. Ego vere φιλόσυκος adeo, ut vel Mercuriales tollerem. Memorabile illud Galeni, animum mihi semper titillavit, qui annum agens octavum & centesimum, horæis omnibus bellum indixit, ficubus exceptis & uvis egregie maturis. Athenæus *lib.* VII. de hoc divino fructu innuit: *Initio hominum cibus, glandes fagineæ & quernæ fuerunt; deinde cognita est ficus, & ejus fructus præ glandibus probatus.* Hæc vero sunt ipsius verba: *Ficus, ô amici viri, mortalibus elegantioris vitæ magistra fuit, vel hoc argumento, quod locum, ubi primum arbor hæc inventa est, Sacram ficum Athenienses vocaverunt, ipsiusque fructus ἡγητηρίαν, id est, unctioris ac cultioris vitæ ducem, quod ante mitiores omnes cibus inventus.* Ex quibus colligo ficum fuisse sacram Atheniensibus, dictam ἱερὰν συκῆν, id est, *sacram ficum*, & primum fuisse fructum a glandibus repertum. Mihi subscribit Plut. *Sympos.* VII. quæst. IV. dicens: *Hoc vero considera, an non gratitudinis meditandæ gratia Antiqui neutiquam absurde nimii in hoc fuerint genere, cum & quercu venerarentur frugiferas, & ficum Athenienses sacrum appellarent, & morum exscindi prohiberent.* Plutarchus de Iside refert, Ægyptios sacra Mercurio instituisse XIX. die primi mensis, in quibus mel & ficus edentes dictitabant, DULCIS VERITAS. Suidas refert: *Ficus olim in pretio Athenis, quas si quis furari diceretur puniebatur, ut Sycophanta, ab accusando propter ficus. Hegeteria* ab Atheniensibus ficus nuncupati, quod inter fructus omnes principatum obtinerent, quod ante fruges inventas illi olim victitarunt ficubus. Rh. Cyrenenses ficis coronati, Saturno sacrum faciunt, ex Macrobio *li.* V. *cap.* VII. sed de hujus præstantia legendus Plinius, & doctissimus Pierius suo loco.

Athenis cum novi ius servus in ædes introducebatur, dominus aut domina ficubus, palmulis, nucibus & aliis bellariis eum perfundebant, quæ a conservis raperentur. Idem fieri solitum tradunt etiam Legatis, & sacrorum curatoribus novitiis, & sponsis, iis denique omnibus, quibus bene ominarentur, quod signum id esset prosperitatis & abundantiæ. Theopompus: *Affer tu catachysmata celeriter, perfunde sponsum & puellam. Recte sane dicit*, Suid. f 472. Ante carnium esum aridis ficubus vescebantur Athenienses, idem f.424.

Ficus arboris primum fuisse inventorem Pythalum Athenienses perhibent. Hic enim juxta Marathonem angusti agelli dominus, cum errantem Cererem hospitio benignissime suscepisset, ejus meriti gratia a Dea ficulneo ornatus surculo, divini illius muneris humanum genus particeps esse voluit, Leonicus *de Varia Historia*.

Apud Rhodios pecuniæ nomine aliquando fuere ficus, item oleum, vinum & similia ex Athen. *lib.* II. *cap.* I. nam ante receptum usum numorum, pecuniæ locum in contractibus, mulctis, præmiis, & omne genus collationibus, obtinuerunt res ad humanos usus necessariæ, ut probant Jurisconsulti: sic apud veteres Rom. ovis & bos.

Athenienses omnes ficuum appetentes, quod dulcissimi reperiantur; unde prov. *Ficum petit*, qui blanditur; Athenienses enim agricolis blandiri solebant, ut ab illis ficos acciperent, bene ominantes ac precantes, ut in annum sequentem fici feliciter provenirent; unde cum blandientes audiebant, dicebant, σῦκον αἰτεῖ, *ficum petit*. Antiquitus sicubi ficus repertus esset, cum veluti Mercurio sacrum suspendebant. Liberum autem erat tollere ficum Mercurialem, cuicumque libitum fuisset, vel quod is Deus furibus favere creditus, vel juxta parœmiam, *Communis Mercurius*. Athenæus fici esum in mensa proponit sic: *A pisce ficum, a carnibus legumina*. Id fortasse olim in usu, uti apud nos, a carnibus caseus, a piscibus nuces eduntur. Horat. *sat.* II. *lib.* II.

Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

Id est, crasso, majori, quæ dicta *marisca*; innuit priscam frugalitatem. Ego addo, ficum cum nuce esse antipharmacum contra pestem, quod hoc anno maxime sumus experti. Marisca autem erat ficus vilior, dicta *fatua* a Martiale. Caricæ sunt ficus sicci minorisque pretii, quam fici pingues; de quibus Flac. *lib.* II. *sat. ult.*

Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.

Ficus quia non florescit, sed lactescit, fructusque dulcissimos parit sine ornamentorum luxuria, symbolum erit illius qui non promissis dives, sed beneficiis aliis prodesse conatur. Contra, hac tempestate speciosis promissis fallitur.

Eundem Athen. *lib.* XV. pervolvens, de libatione Soli facta hæc lego: *Apud Græcos eos, qui Soli rem divinam faciunt, mel libare, non vinum altaribus infundere, quoniam oportet (ut ajunt) id Numen, quod omnia regit, & continet, mundumque perpetuo circumvolvit, alienissimum esse ab ebrietate*. Apud Orpheum tamen vetustissimum Theologum lego, Saturnum ab Jove filio per mellis poculum insidiis captum, quo saturatus, inebriatus fuit, & acto in vertiginem quandam capite, qualem vini copia excitat, obdormivit. Ita Πόρος apud Platonem calamitatis Deus inebriatur, nectare ad satietatem exhausto. An vere mel inebriet, Medicorum judicium esto; ego falcem meam in hanc segetem immittere nolo. Hactenus ego ficitor in ficeto, in aliam descendo aream.

Dubius & anceps ego diu in illo (ut Grammaticum obiter agam) adverbio, *Extemplo*, neque mihi Varronis arrisit interpretatio, quod templa statim munienda, ideo *extemplo* dictum, & alia, quæ rem, nec dum per somnium vel umbram, indicant; sed Scaliger eruditissimus rem acu tangit, dicens, hoc esse verborum sacrorum, sicut *Ilicet* judiciorum. Ut enim dimisso Senatu *Ilicet* exclamabant, item dimissis iis, qui funeri intererant; sic *Extemplo*, sacrificio patrato, a præcone pronunciabatur, innuente, ut ex Templo exirent, quod quia cito fiebat, inde pro cito usurpatum *extemplo*.

Ex templo ad antrum eo; quia te semper oracula loqui palam profiteor, & universi testantur, ideo de Oraculis pauca noto, tibi non ignota. O-

facula olim summa religio fuit memoriæ mandare; quod innuit Sophocles in *Trachin.* Ἔθος γὰρ χρησμὸν δεχομένους παραχρῆμα γράφειν, ἵνα μὴ λάθωνται, id est, *Moris fuit illico conscribi acceptum oraculum, ne memoria excideret.* Scripta in foliis (ut dicunt) palmarum, Virgilius:

Quæcumque in foliis descripsit carmina Virgo.

Hunc morem scribendi in foliis diu Græci usurparunt in suffragiis ferendis, quod colligitur ex Æschine *contra Timarchum*, dicente: Βουλὴ ἐκφυλλοφορήσασα, *Senatus frondium suffragio repudians*; & Polluce *lib.* VIII. Ἐκπεφυλλοφορημένος, *condemnatus est frondium suffragio.*

Oraculorum duo fuisse genera innuit Cicero *de Divin.* unum, quod a furentibus profundebatur, ut a Pythia numine Apollinis correpta; alterum, quod æquatis & paribus sortibus e sitella vel urna ducebatur: habebant enim sortes, ut notat eruditissimus Turnebus, certis quibusdam sententiis obscuris tamen notatas, quarum quædam felicitatem, quædam calamitatem denunciabant; Sortes erant veluti tessellæ aut taleolæ quædam inscriptæ, & sortis instrumenta: Sors vero ipsa sortitio.

De oraculis scriptis refert Herodotus *lib.* I. *Oraculis edendis dies destinati.* Ita Plutarchus in *Alexandro*: *Delphos ad Apollinem de bello consulendum profectus, quod forte dies nefasti essent, quibus non erat solemne oracula edere, primo misit certos, qui Vatem orarent, ut veniret, recusante illa, & legem prætendente, ascendit ipse, ac vi traxit ad templum.*

Oraculorum originem aperit Diodorus *lib.* XVI. *Pascebantur capræ non longe a specu, una earum proxime ad specum accessit, statim illa quasi lymphata cœpit rotari, discurrere, cernuari. Pastor admiratus, specum ipse adiit, atque inde egressus ebrio similis cœpit fundere vaticinia. Accidit hoc aliis, qui se in specum præcipitaverunt, atque omnium consensu virgo deligitur, quæ tripodem conscenderet, & futura consulentibus prædiceret.* Pastorem illum Plutarchus Coretam appellat. Tullius I. *de Divin.* ait: *Potest autem vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat, evanuisse vetustate.* Iterum: *Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent.*

In limine data oracula petentibus, vatibus in adytis reddentibus. Colligitur ex Virgilio, *Æneid.* VI.

Quin ut te supplex peterem, & tua limina adirem.

Idem *ibidem*:

Ventum erat ad limen, cum Virgo poscere fata, &c.

Idem *alibi*:

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla, &c.

Dionysius Halic. *lib.* IV. loquens de Tarquinio Superbo, hæc refert de oraculis: *Oracula vero, quæ nunc extant, ex variis locis sunt comportata, alia ex Italicis urbibus allata, alia ex Erythris Asiaticis ex S. C. missis legatis, qui eorum exemplar describerent, alia ex aliis urbibus, & a privatis hominibus transcripta, in quibus quædam supposititia, & carminibus Sibyllinis inserta reperiuntur, quæ deprehenduntur ex iis, quæ acrostichides nuncupantur, id est, apices literarii.*

Cap. XV.

Vini usus olim fœminis interdictus, & cur? Iisdem claves cellæ vinariæ vetitæ. Juvenes ad annum usque XXX. *vino abstinebant. Mulieres cur osculatæ? Laconum sobrietas. Apud eosdem ebrietas infamis. Modus vini bibendi.* Daduchi *quinam? Faces & lucernæ redeuntibus e convivio prælatæ. Oenoptæ lychnos cœnantibus dabant, & vinum distribuebant. Modiperatores qui, eorumque officium.*

Vini usum olim Romanis fœminis ignotum fuisse, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, testatur Valer. Max. *lib.* II. *de institutis antiquis*, Plutarchus, Plinius, Dionysius Halicarnasseus, Cicero, & alii. Quod in legibus antiquis ex Baldovino scriptum ita reperitur: *Si mulier vinum biberit, domi ut adulteram puniunto.* Romanas vero matronas non prorsus abstemias fuisse, sed tantum a temeto, crediderim, mihi suffragante Athenæo *lib.* X. his verbis: *Apud Romanos vinum mulieribus interdictum est: iis tantum passim vinum licuit bibere, quod ex uva passa fit, gustu simile vino dulci Ægosthenensi, aut Cretico, hoc scilicet, cum urget valde, sitim leniunt. Vinum autem si qua biberit, id celare non potest, primum quidem quod cellam vinariam non committunt mulieri; deinde quod eam osculentur tum sui, tum mariti cognati, ad consobrinos usque, & id quotidie ubi statim illam aspexerint, quia vinum non temetum, sed passum dulce permittitur mulieribus,* (ut ait ille) *dulce vero non inebriat*, de quo legendus Plin. *lib.* XIV. *cap.* XIII. Aulus Gellius *lib.* X. *cap.* XXIII. Claves præterea (Plinius *ibidem* ait) cellæ vinariæ matronæ non habebant. Nota historia ejus matronæ, quæ (ut refert Plinius ex Fabio Pictore) quod loculos, in quibus erant claves cellæ vinariæ, resignavisset, a suis inedia est mori coacta.

Addo parergon de clavibus ex Lipsio eruditissimo dicente clavem fuisse insigne servorum: gestabant enim servi claves, & hoc munus illorum. Mart. *lib.* V. *epigr.* XXXVI.

Cecidit repente magna de sinu clavis.

Vino abstinent mulieres, juvenes quoque ad XXX. annum, vel XXXV. ut apud Ælianum, nisi certis diebus sacrorum causa, Egnatiusque absolutus a Romulo, interfecta uxore, quæ vinum bibisset, qua causa osculari a propinquis credidit M. Cato. Alii osculum referunt ad tempora Trojana, cum eæ naves incendissent. Dionysius Halicarnasseus *lib.* I. *De his cognoscebant ipsi cognati cum viro, ubi violata fuisset pudicitia, & quod omnium peccatorum Græcis levissimum videretur, si quam mulierem vinum bibisse constitisset; Romulus enim hoc utrumque ut muliebrium delictorum gravissimum puniri jussit, quia stuprum dementiæ, ebrietatem vero stupri originem esse judicavit; ex quibus perspicio discrimen*, &c. De hac sobrietate mulierum A. Gellius *l.* X. *c.* XXIII. Ubi potum illarum, ait, fuisse loream, passam, murinam, & quæ id genus epotant, potu dulcia: mulctatasque a judice fuisse, si vinum bibissent, non minus, quam si probrum & adulterium admisissent.

Tanta fuit Laconum sobrietas, ut inebriari sine infamiæ nota illis nunquam licuerit, quod vitium ut evitandi haberent occasionem, lege cautum & disciplina Laconica institutum, ne quis domum e convivio reverteretur cum lumine, sed, ut Xenophon & Plutarchus ait, δίχα λαμπάδος. Ad hanc rem Athenæus *lib.* II. præscribit bibendi modum: *Ut videlicet tantum vini bibere liceat cuique, quantum non impediat domum redire sine puero, qui præluceat, aut sine itineris duce.*

Plutarch. in *Gracchis*: *Quibus Metellus exprobravit, Tiberio patre ejus Censore, cum reverteretur a cœna domum, lumina cives restinguere solitos, quod timerent ne longius quam oporteret in conviviis & poculis indulsisse viderentur, huic*

vero nocte audacissimos quosque & mendicissimos de plebe prælucere, &c.

Apud Romanos redeuntibus e convivio lucernæ prælatæ per pueros δαδῦχυς.

Daduchi dicti quoque lampadophori, Sacerdotes in sacris Cereris, quia portabant faces in ejus sacris, imitantes Cererem Proserpinam quæritantem.

Hæ faces & lucernæ in itinere nocturno, laternæ inclusæ, solita incidi e cornu. Plautus in *Amph.*

Vulcanum in cornu gestat.

Idem *Casin.*

Sed eccum progreditur cum corona & lampade.

Athen. in Epicharmi *Spe*, *lib.* VI.

Nam multum edens, bibensque multum, protinus

Discedo, lucernam puer nec fert mihi.

Apud Athenienses Oenoptæ lychnos funaliaque dabant cœnantibus; ideo oculi dicti; est enim magistratibus nomen Oenoptæ, tanquam inspectores & observatores eorum, quæ inter epulas geruntur; præter enim pocillatores in conviviis, qui erant nobilissimi juvenes, Oenoptæ etiam erant cœnarum præsides, & Modiperatores, quorum (referente Athen. *lib.* X.) erat ex æquo vinum convivis præbere, & animadvertere, ut ex æquo omnes biberent, item suppeditare lucernas, ellychnia, & alia: οἰνόπτας etiam vocabant ὀφθαλμὺς: Athenæus οἰνοφύλακας dixit.

CAP. XVI.

Vinum temperatum & dilutum Antiquis. Mixtum servis datum. Auctor vinum diluendi. Vini mixtio & temperatura diversa. Pro vini diversitate facta. Potus triplex pro triplici hominum conditione. In principio & fine convivii quibus libatum?

TAnta Priscorum sobrietas, ut vinum meracius, vel Homeri ætate, non potatum. Id colligo ex Athenæi *lib.* I. dicentis: *Porro novit & Homerus utilitatem vini, ac temperaturam, etsi Horatius sugillans eum, ita inquit,*

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Nota fuere & illi temperandi varia genera. Non enim Achilles temperari meracius oportere dixisset, nisi quotidiana quædam fuisset temperatura. Hinc dictum vinum dilutum Martiali:

Diluti bibis unciam Falerni.

Horatius lib. II. *Carm.* ode XI.

—— *quis puer ocius*

Restinguet ardentis Falerni

Pocula prætereunte lympha?

Dicebatur etiam mistum, quod sequenti ætate increscente luxuria servis ad pedes datum, ut colligunt ex illo Martial. *lib.* VII. *epigr.* XIX.

Misto lagenam replet ad pedes vino.

Staphylus, Sitheni filius, dicitur a Plinio *l.* VII. *cap.* LVII. induxisse primum usum aqua vinum diluendi, contra morem & mentem Thyadum, quæ vetant aquam infundi vino bacchantium. Sed male: Baccho enim plures Nymphas nutrices finxit antiquitas, quod oporteret vinum cicurari & temperari pluribus aquæ portionibus, de quibus idem Athenæus *lib.* XX. in hunc modum: *Quæ nostro sæculo fit mistio, Priscis inconsueta, memoriam retulit jactati proverbii*, ἢ τρία, ἢ μὴ τέσσαρα. *Bibenda quinque, vel tria, sed minime quatuor*, jubet adagium, etsi aliter hoc alii explicent, ut, cum quinque partibus aquæ vini duas bibamus, aut cum aquæ tribus unam vini. At quibus diutius & copiosius bibere placebat, ii quinque cyathos aquæ miscebant cum duobus vini. De illo proverbio legendus Plutarchus *Symp.* lib. III. quæst. IX. Plautus in *Sticho*, Ausonius:

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est, &c.

Hoc carmen alii referunt ad numerum convivarum, ut incipiant a numero trium Gratiarum, & desinant numero novenario Musarum. Quinarius igitur bis duo complectitur & dimidium, quaternarius semel tria & tertiam partem, quod quatuor bibere vetet, ea temperatio est duorum aquæ cyathorum cum totidem vini. Antiquis ea potio meracior videbatur. At Plutarchus aliter exponit. Legendus etiam Adagiographus in illo adagio, *Aut quinque bibe, aut tres, aut ne quatuor.* Communiter tamen ita temperatum lego, ut crateri ter tantum aquæ infunderent, quantum vini, propterea de parum generoso vino frequens erat in ore potantium, *nunquid potabis tria?* Sed quis legem præscriberet exlegi? Bibendum enim in convivio, aut abeundum.

Pro vini, potantium, & temporis discrimine, diversa & aquæ mistio. Præterea potus triplex quantitas pro triplici hominum conditione; alii enim sani, alii valetudinarii. Valetudinariorum potus quantitas sextans, hoc est, duarum unciarum: sanorum, vel temperatorum, vel intemperatorum, seu ebriorum: temperatorum consuetus erat triens, scilicet quatuor unciarum circiter; ebriorum vero 10. seu 11. unciarum, & meracius ad libitum & libidinem.

Observo apud Homerum, ut primitias ciborum Diis offerebant in ignem conjectas, ita vinum libabant Vestæ in fine convivii, ut & principio. Meracum in Græcis ipsis conviviis miscetur primo, qui calyx dicitur Jovis Olympii, vel Jovis & Junonis. Secundus diluti Telluris & Heroum. Tertius Jovis Soterii. Sublata mensa iterum sumebant meracum in honorem Mercurii, qui somnum mittit: cum cyathis saltabant, & ut vel Deos vel amicos nominassent, bibebant. Jactu etiam talorum libatam potionem aliis, eorum pronunciato nomine, addito salutis verbo Χαῖρε, *Salve*, tradebant canebantque; Vel *quinque bibe, vel tria, non quatuor*, de quibus a me alibi. Hoc meum vinum miscellum decumanum, ideo deterius.

Hæc ad te a me pluribus, non ocii, sed amoris abundantia. Inertibus semper feriæ, nunquam studiosis, & potissimum in illa aula Palatina, ubi tu meres, multa jam diu meritus, aurea compede vinctus, aurea vincens secula, aurea contentus mediocritate.

CAP. XVII.

Vinum nivatum & glaciatum Priscis æstivo tempore in usu, & deliciis. Quis illud invenerit? Colum nivarium quid? Aqua olim decocta, ut citius & magis gelaretur. Fructus in frigida immittebant Antiqui. Aquæ refrigerandæ ritus varius, & ratio. Aquæ calidæ potus. Ejusdem usus duplex. Thermopolia quæ? Aquæ calidæ utilitas. Ejusdem potus qualis revera fuerit? Quædam obiter de vectigalibus. Portorium quid, & quotuplex?

NON novitium, sed antiquum inventum, & usu receptum a Neronis usque tempore vinum congelare, cum Sirius maxime ardet, atqua arva incendit, voluptatis & sanitatis gratia.

Plinius apertissime fatetur, scribens: *Decoquunt alias nives, quas mox & illas hyement, quod Neronis Principis inventum*. Idem: *Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat*. Quam nivem colo nivario percolabant, ut alsius & liquidius potarent. De colo nivario habemus apud Martialem *epigr.* CI. *lib.* XIV.

Setinos moneo nostra nive frange trientes,
Pauperiore mero tingere lina potes.

Idem de sacculo nivario *epigr.* sequenti:

Attenuare nives norunt, & lintea nostra,
Frigidior colo non salit unda tuo.

Pomponius *l.* II. *ff. de auro & argento*: *In argento potorio etiam id, quod ad præparationem bibendi comparatum est, veluti colum nivarium, & urceoli*. De nive Seneca ita *epist.* XCV. *Nivem rodunt solatium stomachi æstuantis*. Et II. *de Ira*: *Puero male diluenti nivem irascitur*. Martialis *epigr.* LXIV. *lib.* V.

Sextantes Calliste duos infunde Falerni,
Tu super æstivas, Alcime, funde nives.

De glacie idem Seneca *epist.* LXX. *O infelicem ægrum! quia non nive vinum diluit, quia non rigorem potionis suæ, quam capaci scypho miscuit, renovat, fracta insuper glacie*. Idem *Quæstionum Natur.* lib. IV. cap. ult. *Inde est, quod neque nive quidem sunt contenti, sed glaciem, veluti certior illi ex solido rigor, exquirunt*. Non solum igitur nivem adhibebant, verum etiam glaciem fractam. Ut autem frigidior aqua fieret gelata prius calefiebat. Idem Plinius *lib.* XXXI. *cap.* III. ita inquit: *Neronis Principis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit, sine vitio nivis. Omnem utique decoctam utiliorem esse convenit, item calefactam magis refrigerari subtilissimo invento*. Juvenalis *sat.* V.

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Et non solum vinum in frigidam immittebant, sed & fructus, qui in disco frigidam continente asservabantur, ad secundam mensam exornandam; ita Athenæus de cerasis loquens *lib.* II. ait: *Cum frigida sumuntur placere ventriculo*.

Semus Delius libro *Neriadis* secundo, refrigeratoria loca excavata in insula Cimolo fieri scribit, in quibus æstatis tempore vasa fictilia tepida aqua plena deponunt, postea nulla re nivibus differentia ea exportant, Athenæus *lib.* III. *cap.* XXI.

Chares Mytilenæus in *Historia de Alexandro* declarat, quo pacto nivem servare oporteat, ubi Petræ civitatis Indiæ obsidionem percurrit, dicitque Alexandrum triginta magnas fossas excavasse, quas cum nive replevisset, ramos querneos superinjecit; sic enim plus temporis nivem perdurare posse affirmat idem *ibidem*.

Callistratus *Commistorum* lib. VII. ut testatur Simonides poeta, cum apud quosdam magni caloris tempore pranderet, pocillatoresque cæteris omnibus, se uno excepto, nivem in poculis miscerent, epigrammate ex tempore pronunciato, & sibi nivem dari poposcit.

Protagorides libro *Comicarum Historiarum* secundo, ubi Antiochi regis navigationem juxta fluvium describit, quædam refrigerandæ aquæ artificia ita commemorat. Die quidem ipsam in aprico loco ponentes, & quod crassum est, noctu excolantes, reliquam noctis partem in hydriis fictilibus sub dio in editioribus partibus domus exponunt: per totam deinde noctem duo pueri ipsa vasa exterius irrigant, ac diluculo incipiente, purgantes, fæcemque rursus subtrahentes, & tenuem ipsam aquam, maximeque sanitati idoneam facientes, inter paleas hydrias ipsas collocant: postea illa sic utuntur, nullam nivis inopiam cognoscentes.

Ex quibus facile est colligere non tantum Neronis inventum fuisse aquam æstate refrigerandi, nec Romanorum tantummodo, sed ante ipsum alibi usurpatum, intermissum aliquando, prout parsimonia vel locus reposcebat. Plutarch. eruditissimus scriptor in *Symp.* ait, cotibus, silicibus, necnon plumbeis laminis aquæ injectis aquam refrigerari. In puteis quoque vinum refrigerandi morem habuisse Veteres Athenæus probat ex auctoribus quibusdam. Sed de aqua frigida facile adducor, ut credam ad potum adhibitam.

Aqua calida ex Medicorum præscripto omnino stomacho noxia, & tamen plures auctores aquæ calidæ meminerunt ad ignem calefactæ, hinc Thermopolia. Plautus in *Curc.* Act. II. Sc. III.

Quos semper videas bibentes esse in thermopolio.

Et in *Pseudolo* Act. III. Sc. I.

Quin in corde instruere quondam cœpit thermopolium.

Et in *Trinummo* Act. IV. Sc. III.

——— satin' in thermopolio
Condalium es oblitus?

Thermopolia erant cauponæ, in quibus calida vænibat, pura puta, & aliæ potiones dulces. Lipsius duplicem calidæ aquæ usum agnoscit, & cum solitariam, tum vino infusam vult bibi solitam: quod proclivius & jucundius potio fervens, quam frigida iret in bulgam. Martialis confirmat de calefacta, *lib.* VIII. *epigram.* LXVII.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Athenæus *lib.* XI. ex Aristotele docet, ollis Rhodianis aquam, qua vinum miscebatur, calefieri olim fuisse solitam, injecta in eam myrrha, mastiche, croco, balsamo, cinnamomo, & aliis aromatibus. Apud Apulejum Photis accipit poculum, & desuper aqua calida injecta porrigit. Cujus ratio hæc videtur esse. Quia ex Platone l. I. *de Rep.* aqua calida intestina refrigerat, & appetentiam concitat; ex Mercuriali, ante alios potata cibos, renum fervorem remittit. Conducit potissimum ventriculum frigidum habentibus, & vomitum concitare volentibus ad magis se se cibis ingurgitandum: ita faciebant Rhodii, teste Stratonico apud Athenæum *lib.* VIII. Thermopolia Romæ ablata a Claudio ex Dione Cassio, ne calida prostaret. Thermopolium taberna erat, ubi confectæ dulcesque potiones vænibant, quas calidas bibebant. Idem de Druso Tiberii filio, quem ebrietatis accusat, quod ad ignem restinguendum uti voluerit aqua calida; quasi, dicens, convivii res esset, non incendii. Hinc Tiberius dictus Biberius, Caldius, Mero, a frequenti calidæ potu. Meminit quoque calidæ Tacitus *Ann.* XIII de Britannico loquens, Pollux, Athenæus, Martialis, &c.

Quod si quis locus conjecturæ; meam hic subjicio. Fateor equidem decoctam olim in maximo pretio; non quia calida biberetur, sed quia frigidior, congestis deinde nivibus, & quia salubrior. Hinc Herodotus scribit *lib.* I. regem Persarum solicum ferre aquam Choaspis fluminis decoctam, quocumque iret, nam ex eo bibebat flumine. Lipsius cum cæteris primæ ceræ hominibus aquam calidam portatam censet in *Electis*, & ad illum locum Taciti, XIII. *Ann. Innoxia adhuc, & præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico: dein postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua effunditur venenum*. Ubi fraus & dolus, non usus, aquam calidam potandi: censent alii

eruditi viri calidam offerri Britannico; quæ calida erat respuenda, ut videlicet prægustator sine noxa libaret: quo facto, quasi negligentius fuisset frigefacta, nix adduceretur, ut fieret frigida, inter quas moras effunditur venenum, jam absque periculo prægustatoris, cum jam eam libasset, ita sentit pereruditus Cerda, & alii non infimæ notæ viri. Verum multis placet, & nostratibus omnibus, ex Medicorum præscripto frigidam, gelidamve dici, quæ nivibus, gelu, aut alia ratione frigefacta; calidam, quæ communis; aut quæ revera calefacta, & excocta, deinde frigefacta: Quisque suum consulat gustum; deinde suffragium ferat, in quam sententiam libuerit.

Proram meæ inscriptionis solvo, verto, & passis velis alio me converto, pontone transvectus, & vectigal in ponte soluturus; quod genus vectigalis solutum & Imperatorum priscorum ævo. Nec est, quod lividuli nostrorum Principum vectigalia sugillent, cum illi Monarchæ tantis non exhausti calamitatibus, ut nostri, non tantum tonderent, sed & degluberent pecus.

In Cedreno lego ἀερικὸν tributum, liberi aeris nomine impositum prædiis a Joan. Michaelis Paphlagonis fratre. Dio *lib.* XLVI. autumat Senatorii ordinis omnes in singulas ædium suarum tegulas sex asses persolvisse. Zosim. refert *lib.* XI. χρυσάργυρον tributi genus, quod pro suis pariter & brutorum animalium excrementis dare homines consueverant, homines pro se nummum argenteum unum, pro bubus, mulis, & equis alterum; pro cane atque asino folles sex numerabant, auctorem facit Constantinum Magnum. Vectigal fixum, sine quo fundus comparari non potest, Cod. Item, mobile pro rebus mobilibus, Dur. Casel. *lib.* II. *cap.* II.

Vectigalia olim ex aratoribus, quæ decimæ; ex pascuis, quæ scripturæ; e portibus, quæ portoria dicta. Hinc decumani, scripturarii, & portitorii. Sed nomine portorii intelligitur τέλος ἐν λιμένι, *vectigal in portu*; item τέλος ἐν πύλῃ, *vectigal in porta*; demum τέλος ἐν γεφύρᾳ, *vectigal in ponte*. Primum dictum portorium; alterum portarium: tertium (ut ita dicam) pontorium, quod posteriore ævo solutum tempore Neronis reperio, idque habeo ex Seneca *de Constantia* cap. XIV. *Nec indignabitur aliquid impendere, ut limen transeat, cogitans & in pontibus quibusdam pro transitu dari*. Ex quo colligo non in omnibus, sed in nuper instructis; fortasse & instauratis; ita notat eruditissimus Lipsius in *Admir.*

Erat & vectigal stipendiarium, id est, certum, ut auctor est Cic. act. v. *in Verrem*, de quo ita Appianus lib. I. *Belli Civ. Dedit colonis colendos agros, quos bello sibi quæsierant, eosque grassantis belli injuria incultos relictos, ex quibus quidem agris vectigalia annua publice pendebant coloni; partem scilicet decimam seminum, fructuum vero omnium ex arboribus quintam, pecorum rationem quandam præscripserant*. Vide locum sub initium.

Ad liberalitatem Principum navem appello, qui regiones & urbes aliquando vectigales dedere dynastis de se bene merentibus, & more Principum Regumque hujus ætatis. Athenæi suffragium fero *lib.* VIII. dicentis: *Dixit Strabonius a Musis se accepisse id vectigal omnes Græcos, a quibus mercedem exigat ipsorum imperitiæ*. Plutarch. in *Sylla: Sedebatque Pergami opes, dynastias, & dominatus amicis impertiens*. Sic olim Ægyptum cuidam Reginæ εἰς κόσμον *ad ornatum* a marito datam, Themistocli Lampsacum εἰς οἶνον, Magnesiam εἰς ἄρτον, Myuntem εἰς ὄψον, refert doctissimus Athenæi Interpres. Plutarchi prætextam prætexo huic capiti in *Themistocle* dicentis: Πόλεις δ' αὐτῷ τρεῖς μὲν οἱ πλεῖστοι δοθῆναι εἰς ἄρτον, καὶ οἶνον, καὶ ὄψον, Μαγνησίαν, καὶ Λάμψακον, καὶ Μυοῦντα. δύο δ' ἄλλας προστίθησιν ὁ Κυζικηνὸς Νεάνθης καὶ Φανίας, Περκώτην δὲ Παλαίσκηψιν, εἰς στρωμνὴν καὶ ἀμπεχόνην. *Urbes tres tradunt plerique ei in panem, vinum, & esculenta datas, Magnesiam, Lampsacum, Myunta. Duas adjiciunt alias Cyzicenus, Neanthes, & Phanias, Percoten & Palæscepsin, in stratum & vestem*. Idem in *Alexandro*: Ἀλλά, καίπερ ἀπὸ μικρῶν καὶ στενῶν οὕτως ὁρμώμενος, οὐ πρότερον ἐπέβη τῆς νεώς, ἢ τὰ τῶν ἑταίρων πράγματα σκεψάμενος, ἀπονεῖμαι τῷ μὲν ἀγρὸν, τῷ δὲ κώμην, τῷ δὲ συνοικίας πρόσοδον ἢ λιμένος. ἤδη δὲ κατηναλωμένων καὶ διαγεγραμμένων σχεδὸν ἁπάντων τῶν βασιλικῶν. *Qui quamvis subsidiis rem suscepit adeo exiguis & angustis, non ante conscendit, quam consideratis rationibus amicorum, erogasset huic agrum, illi pagum, alteri vici proventum vel portus, cum jam essent vectigalia pene omnia distributa regia, & diplomatibus consignata*, &c. Vide de his Brissonium *de Regno Persarum* lib. I.

CAP. XVIII.

Primus dies mensis qui Pythagoreis dictus? Arista pro ætate. Fores crepuere *quid? Epulum a triumphantibus ubi datum? Cicadæ in cibum olim adhibitæ. Vinum quis invenerit. Varia vina fictitia recensentur. Propoma & propinatio quid? Acratoposia vituperata. Tripodes antiquitus qualia vasa? Sobrietas in potu Veteribus magni habita. Ab iisdem urtica & lens esitatæ*. Facchini *Ital. unde dicti?*

DEsinente cœna suavis est placentula, ex Pindaro; & post epulum Saliare tot eruditorum, qui te suis mensis excipiunt, villi mei crucii gustulum tibi libandum propono, ex racemarione, post vindemiam aliorum, diffusum. Percontari libet ex te sæpe oracula loquente, quid sibi velit Anastasius Sinaita, scriptor non trivialis, antiquus, non antiquatus, qui lib. I. *Hexamer.* ait: *Pythagorei primum diem mensis non primum, sed similem nuncupant*. Ego sane æstuo, neque cuneum huic nodo idoneum reperio. Tu mihi enoda, qui nunquam ex eruditorum theatro excuneatus spectasti. Attamen parem calculum reponere tento, solertiam Diomedis in permutando imitatus aridissimam ac tenuissimam in feraci campo Ennodii, circa hominis Dei epitaphium reperio, ut in illo apud Virg. *Ecl.* I. pro annis arista:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Verum in Ennodio supra citato pro ipsa æstate arista usurpatur, quam hyemi opponit apertissime in hac *Epigraphe*:

Bis denas hiemes, totidem transcendit aristas,
Quem subito ex oculis sors inimica tulit.

Novum nescio quid mihi visum, nec tamen invisum, ut de meis notis te de more certum faciam, quod legi in Dione de Domitiano affirmante solum Domitianum decem annos perpetuos Consulem, & quamdiu viveret se Censorem jussisse. Vide obsecro quid de Consulibus & Censoribus a me alibi, & potissimum apud Rosinum, & alios. Sed nunquid crepitu te probare volo? Crepuere fores, sæpicule apud Comicos. An hic crepitus editur in aperiendo, cum cardo vertitur? an etiam tunc moris, ostium digito vel manu percuti, ne inopinanti supervenirent? Fores enim, ædium ritu, Græcorum in theatris non introrsum habebantur, sed in viam publicam propellebantur, dum aperirentur. Vide Mureti *Var. Lect.* lib. I. p. 17.

Epu-

Epulum datum ab Imperatore triumphante sumptibus publicis in Capitolio, res nota lippis & tonsoribus; & a me alibi de Triumpho. Sed de loco epuli Athenæus *lib.* v. sub finem ita disserit, loquens de pellibus reportatis a Mario Romam quorumdam animalium incognitorum ob insolitam & inusitatam speciem ait, *dicatas fuisse in Herculis templo, in quo triumphantes epulum exhibent*. An hoc templum in Capitolio? Habuisse Herculem sacellum in Capitolio suspicatur eruditus Justus Rycquius *de Capitolio*, c. XLIII. præterea cap. XXV. Colossum fuisse Herculem Tarentinum, quem capta urbe Tarento Fabius Maximus in Capitolio collocavit, auctore Plutarcho in *Fabio*. Hæc conscribillanti cicadæ dum obstrepunt, leone furente ad umbram platani, quid mirum si ego cicada fiam vocalior, quas etsi vocalissimas, rore victitantes, & nullius pretii, tamen venisse antiquitus in pauperum mensas, non minus quam locustas, lacessendi appetitus gratia, clare in Athenæo testatur Alexis *lib.* I. Hinc illa Æliani gravis indignatio contra sui sæculi homines, qui musicum animalculum in cibi usum vertere non vererentur: *Ego vero*, inquit, *quosdam vidi, qui cicadas in lineam digererent, & ad cœnam venderent: nec defuit qui illis & avide quidem vesceretur. Istud enim, o cicadæ, omnivorum animal ne vobis quidem parcit, sed etiam de vobis salsamenta conficere homines sustinent, invitis Musis Jovis filiabus hoc se facere ignorantes*. Musis enim hoc animalculum dicatum. Gentes vescuntur iis ad Orientem, etiam Parthi opibus abundantibus. Videndus Plinius *lib.* XI. *cap.* XXVI.

Cum resonant arbusta cicadis, potu restinguitur æstus; non aquæ brutis destinatæ, sed vini diluti ad sitim sedandam. Vinum, teste Athenæo, Deorum inventum, cujus innumera commoda quem latent? ad coquendum, lavandum, purgandum, medendum, ulcera siccandum, sanandum, & potissimum in omnibus ad sitim extinguendam, & cibum digerendum. Hinc Bacchus dictus vini inventor, medicus, semper juvenis, ridens, quia vinum exhilarat, ætatem reddit floridam; antipharmacum tristitiæ, si in tempore & modice potetur.

Hinc vina factitia, Scylliticum, Cydonites, Absinthites, Hyssopites, Rhodites, Aromatites, Nectarites, & alia multa, quibus Antiqui usi in propinationibus, salutis aut voluptatis gratia, ut proluderent sympoſio.

Propoma, πρόπομα, propria & antiquiore significatione appellatur potio omnium prima, in antecessum & ante omnem cibum hausta: id moris olim viguit ex Plinio *lib.* X. *cap.* XXII. Tiberio Claudio Principe ante hos annos quadraginta institutum, ut jejuni biberent, potusque cibos præcurreret, externis & hoc artibus, ac medicorum placitis novitate aliqua sese commendantium. Clarum ex his, ante Tiberium Claudium Romanis nondum fuisse moris cœnas a potu inchoare, cœpisse id fieri eodem tempore etiam apud Græcos, cum esset prius inusitata atque inaudita res, scimus ex Plutarcho *Sympos.* lib. VI quæst. IX. Quare apud vetustiores rerum & morum Græciæ scriptores πρόπομα vox legi non potest, cum esset is mos plane incognitus: rerum enim quam verborum origo anterior.

Cum vero Plinius dicit, *externis & hoc artibus*, aliis gentibus hunc morem inolevisse innuit, nempe Bithynis delicatioribus & luxui deditis: Macedonibus quoque non incognitum, ut colligitur ex Athenæi *lib.* IV. Hippolocho narrante: Carani enim lautissimas epulas hic describens, omnium primum hoc ait, singulis convivis, statim atque accubuerant, phialam esse datam, quam illi siccarent. Quare propoma nihil aliud est, quam certa potio dari solita ante legitimas epulas, Interprete Athenæi mihi face clarissima prælucente ad illum Athenæi locum, Propomata sæpe ex vino recentato, seu vetere novo musto, vel lixivio tortivo commisto. Noto tamen Priscis probro datum potare merum; hæc dicta *Acratoposia*. Quare vinum dilutum passim a sobriis potatum, dictum spurcum, quod sacris adhibere nefas, ut alibi notavi. Quare sobrietas maxime commendata ad vitam salubriter propagandam. Unde illud,

Bacchus amet Glaucum, cibum quoque sumito paucum.

Tripodas olim nuncupabant vasa potoria, in quibus vinum temperabant, ex eodem Athenæo; quia ternis pedibus infima pars sustinebatur. Philochorus scribit, Amphictyonem regem Atheniensium, cum a Baccho didicisset vini temperati rationem, primum diluisse; ac idcirco, qui sic mixtum biberent homines, rectos ambulasse, cum antea curvi ob meri potionem incederent.

Ob tantum beneficium aram eundem Recto Baccho ædificasse in Horarum delubro, quoniam Horæ vitis fructum educant; & proxime illam Nymphis alteram extruxisse, documentum bibituris, vinum temperandum esse, quia Nymphas Bacchi nutrices fuisse tradunt. Præterea legem promulgasse, ut statim cum cibis degustandum solum meri nonnihil afferretur; quod Boni Genii quam magna potestas sit declararet: deinde postea ut temperatum quisque biberet, quantum esset libitum, sed cum præfatione nominis Jovis Servatoris, pietatis ergo: potaturique ut meminisent, pro indubitato se salvos & incolumes fore, si ad eum modum biberent.

Ex quibus conjicere licet, quanti sobrietas in potu Antiquis habita, vel in mediis tricliniis Quare frugi homines ita Chrysippus apud Athenæum monet: *Si habueris urticam, olivam ne edito hieme*. Parci carnium & piscium loco olivas esitabant, ille tamen ab his monet abstinendum. Urticæ, ut scandix & similia agrestia olera, non pauperum, sed mendicorum mensis conveniunt: per hiemem tamen pro summis deliciis idem Chrysippus ait habendam esse *bolbophacen*, id est, cibum e lente & bulbo confectum. Ægyptum lentibus abundare scribit Plinius, & testatur Cynulcus apud Athenæum his verbis: *At vos pulchræ Alexandriæ cives, o Plutarche, lente plurimum vescimini, atque adeo universa urbs vestra plena est φακίνων*, id est, *lentium*. Sed videntur Græci φακίνς appellasse, a cibi hujus vilitate, homines abjectos, & nihili; hoc est, eos qui hodie Italis nominantur *Facchini*: φακὸν enim lentem, aut pulmentum ex lente significat. Verum, qui dives est (ut Aristophanes in *Pluto*) haud lente gaudet amplius. Ego lentem coxi, quod Zenoneum est, ut ipsemet irridens respondit irridenti, sapiens enim vel in minimis se sapientem præfert: sed ante lentem ollam auxi, qui plura, quam par est, animo concepi enucleanda, & supra meas vires.

CAP. XIX.

Mensæ Genius quis? Pocula tot exhausta quot litteræ in nominibus amicarum. Calicum diversa nomina. Mercurio post cœnam litatum, & cur? Pocula tria quibus Diis sacra? Crater, mensis remotis, quare appositus? Vini usus triplex apud Antiquos. Litare & libare qui discrepent? Bacchus Eubulus *cur dictus? Convivia plurima variorum populorum. In Phiditiis quid latum ac distributum? Mensa Ægyptia, Democratica, Satrapica quæ?*

MENSÆ Genium Herculem fuisse dictum Epitrapezium, seu vindicem, præ cæteris, ostendunt Quintilianus *declam.* XXX. Lipsius *Sat.* lib. I. cap. II. In compotationibus amatoriis varium bibendi numerum & modum fuisse lego, varietate nominis amicarum: unde Martialis *lib.* I. *epigr.* LXXII.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno,
Et quia nulla venit, tu mihi somne veni.

Hic funem contentionis ducere nolo, an totidem cyathi ebiberentur, quot litteræ erant amicarum, an pocula ipsa ebibenda totidem continerent cyathos, scilicet vini mensuras, quot litteræ erant in nomine, hinc calices dicti septunces, quincunces. Idem Martialis *lib.* VIII. *epigr.* LI.

Dat numerum cyathis instanti litera Rufi,
Author enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissaque gaudia portat,
Servabor dominæ, Rufe, triente tuo:
Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem,
Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam.

Dico tamen illud carmen Martialis,

Et quia nulla venit, tu mihi somne veni,

mihi ab Athenæo *lib.* I. plane explicatum, dicente: *Post cœnam cum jam cœtus dissolveretur, litabant Antiqui Mercurio, non ut posteritas Jovi Teleo, quoniam Mercurius somno præest, & somniorum præses dictus.* Hinc passim Mercurium Græci nuncupant Ερμοῦ τὴν τελευταίαν πόσιν. Merito Somnum invocat Martialis, per Mercurium, Pollux *Onom.* lib. VI. Καὶ Ερμῆς ἡ τελευταία πόσις. Hom. τῷ πυμάτῳ ἀπολείβεσκον.

Quoniam vero Mercurius somni præses, ideo olim in lectorum fulcris ejus effigiem sculpere consuerant, ut docet Etymologici Auctor, Novar. *Sched.* lib. IV. cap. VII.

Sacra igitur pocula in conviviis legitimis tria fuisse lego in Scholiaste Apollonii: primum Διὸς Σωτῆρος, *Jovis Sospitatoris*, quod poculum fuisse temperatum alii contendunt, idque boni ominis & valetudinis gratia, ut meminissent mortales, se hoc modo vinum bibentes servatum iri. Hoc tamen a Parœmiographo aliter in illa parœmia τὸν τρίτον τῷ σωτῆρι, id est, *tertium servatori*, vel *sospitatori*, explicatur. Legendus ipse, hanc pluribus explicans. Alterum poculum dictum, ἀγαθοῦ Δαίμονος, id est, *boni Genii*; hac tamen præfatione usos Priscos volunt quidam, nec ineruditi: cum principem potionem præberent præbibendam; & per ἀγαθοῦ Δαίμονος videtur intelligi *lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno*, ideo quidam volunt hoc poculum non alterum, at primum fuisse. Sed quid? varii varia; alii etiam tertium locum illi adscribunt, intelligentes per ἀγαθοῦ Δαίμονος *bonam fortunam*.

A Non patitur doctissimus Heinsius hanc versionem, & merito. Nam confecto jam epulo, ut dictum est, vinum exquisitissimum promebant, quam potionem ἀγαθοῦ Δαίμονος vocabant, eo nomine intelligentes Deum non eundem omnes, neque certum aliquem, sed quem quisque sibi propitium volebat, unde Horat. *lib.* IV. *ode* V. *Et alteris te mensis adhibet Deum*, nil aliud voluit, quam Aug. Cæsarem ἀγαθὸν Δαίμονα Romanis esse, & mensæ secundæ Deum, quasi illi honor ut Deo exhibeatur. Post hanc potionem poculum iterum implebant, quod qui leviter & summo ore gustasset, dicebatur ἀγαθοδαιμονιστής.

B Tertium dixere, ex Scholiaste, Ερμοῦ, id est, *Mercurii*, somni præsidis, quidam tertium poculum vocarunt παυσίλυπον, quod curas abigeret; ideo dixerunt Jovis hoc esse Servatoris; Jovem enim ipsum appellat *Pausilypum* Sophocles. Primum igitur poculum Gratiis, alterum Veneri, tertium Libero: illæ pellunt sitim & exhilarant, Venus delectat, Bacchus liberat omnibus curis. Legendus de his Rhodiginus *lib.* XXVIII. *cap.* VI. & alii.

Mensis remotis, crater statuebatur ad libationem & invitationem, nam se Græci post convi-C vium poculis invitare solebant, quam consuetudinem imitatus Virgil.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Vina coronant, non est, ut multi putant, ad summam coronam & marginem implent, sed hilaritatis & libationis gratia pocula coronant, si enim coronatæ victimæ mactandæ, & pocula delibanda erant coronata.

Vino demum usos Veteres ad tria reperio, ne-D cessitatem, voluptatem, & pietatem. Quod ad necessitatem datum, promiscue inter edendum sumptum: at bibere voluptatis & pietatis causa, id est, libationes facere, finitis epulis, aut saltem a primis mensis solebant. Plut. *de Musica* in fine, his verbis: *Hæc ille fatus Pæanem cecinit, cumque Saturno, ejusque filiis omnibus, ac Musis libavisset, commisit.* Idem VIII. *Sympos.* quæst. IX. ex Hom. *Odys.* II. hæc habet: *Mercurio libant, cum jam dare corpora somno est animus.* Nonne conjungunt cum vino rationem? quando ut præsenti & una disceptanti prudentissimo Deo vota faciunt jam discessuri.

E Noto apud Antiquos inter libare & litare, quæ sunt verba sacrorum, discrimen. Libare a λείβω, litare a λειτομεῖν: libare utcumque est sacrificare, imo leviter tangere, ut fere in sacrificiis solemus. Litare vero est rite sacrificare, impetrare. De libationibus alibi.

Antiquissimi vero ipsum Bacchum, tanquam nihil Mercurii egentem, *Eubulen*, id est, bonum consiliarium, & ejus gratia noctem *Euphronem*, quasi prudentiæ aptam appellaverunt. Hæc in causa cur apud Cretenses Andria quasi virilia; apud Spartanos Phiditia, quasi frugalia, quon-F dam erant loca arcanorum conciliorum, & consessus optimatum; ita Prytaneum, & Thesmothesion (apud Platonem) conventus præcipuorum virorum. In Phiditia quisque de suo confert polentæ ad summum Atticos tres dimidios modios, vini congios undecim, vel duodecim, ac insuper ficuum libram quandam, & ad obsonium emendum: Æginenses obolos decem; reliqua per te vide *libro* IV. Athenæi. Ibidem etiam vide frugalitatem Lacedæmoniorum in hoc convivio, viles enim cibi in eo tantummodo, &

præcipue ii, qui pueris dabantur, polentam enim oleo subactam illis datam lauri foliis involutam tradit. Lauri autem folia pro bellariis aliquando apposita docet Callias sive Diocles in *Cyclopibus*: *Lauri folia tu arrodes*.

Imagines etiam virorum illustrium in Phiditiis a locupletibus distributas fuisse memorat, quas in subactæ farinæ materia fuisse impressas, ejus Interpretes asseverat. Pulcherrimum locum vide, quem, ne prolixior, quam par est, siem, omitto.

Servatum vero (referente Rhodigino) Athenis (Græci tradunt) antiqui victus exemplum, quum Dioscuris in Prytaneo apponeretur prandium: mensis enim inferebatur caseus, ac physte; est autem eo nomine, mazæ species. Olivæ quoque, quas *dyrpetes* vocant: item porrum. Mensa Ægyptia cujusmodi foret (nam neque hoc proposito dissentaneum est) ex Philostrati verbis licet conjectare in *Dionysio Sophista*, quem ab Adriano Imperatore illis insertum tradit, qui in Musæo pascerentur. Musæum vero, inquit, mensa Ægyptia, convocans omnes in orbe terrarum eloquentia illustres. Democratica mensa vocatur, quæ sumptu modico plures alat, cujus fuit modi Atheniensis Cimonis. Satrapica vero, quæ impensa nimia paucos admittat deliciis affluentes, qualis erat Lucullea. Invitatus ad convivium si consentiebat, dicebat, Συμπεριφέρομαι: sin recusabat, *Benigne*, *Gratia est*, *Facio gratiam*, respondebat.

CAP. XX.

Propinare seu prægustare quid? Quis primus in convivio propinaret? Philotesia ob quid instituta? Propinationis finis. Antidotum contra ebrietatem. Crambe cur mensis apposita? Propinantes quem invocare soliti? Pocula tria vel novem quare bibebant Antiqui? Materia poculorum olim qualis? Eorumdem mensura triplex. Tot pocula exhausta quot digiti in manu. Liberalibus propinandi modus quis? Pro salute Principis & felici eventu amicorum potatum. In circulo bibere *quid? Propinandi formula & mos antiquissimus. Cibi æqualiter distributi, & pocula paria apposita. Structores, Chironomi quinam? Cibos dividere quorum officium? Integra animalia interdum mensis apposita. Sortes jactæ super portiones. Ancilla penuaria & proma quæ, ejusque officium. Pocula in Symposiis inversa. Amantium ritus varii.*

PROPINARE, προπίνειν, proprie ex Athenæo est τὸ ἑτέρῳ πρὸ ἑαυτοῦ δοῦναι πιεῖν, alteri pro se dare bibere, antequam quis bibat. At nunc propinare, ut olim etiam, est præbibendo alios ad bibendum invitare, seu prægustato leviter vino poculum alteri offerre; ita intelligendus Juvenalis *sat.* v.

——— quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula. ———

Propinabat semper dignior & Symposiarcha cæteris. Hic ritus propinandi æque apud Hebræos, Græcos, atque apud Romanos invaluit. Hæc sunt Philotesia, amicitiæ benevolentiæque ergo instituta; hinc ille crater Philotesius, de quo alibi. Hujus finis laudabilis: quia ob amicitiam vel ineundam, vel fovendam.

Philotesio siquidem cratere conciliantur ami-

A citiæ, ut apud Germanos laudabiliter fit. Apud Plaut. in *Pseud.* servus ebrius Diis proximum putat, manu candida cantharum dulciferum propinare mitissimam amicitiam, & hoc fortasse erat, *Potare more Græco*, ex Pædiano *in Verrem*, non grandioribus, sed meracioribus poculis. Græci enim libantes in convivio prius Deos salutant, paululum e cyato profundentes, dein amicos suos; totiesque bibunt merum, quoties Deos aut caros suos nominatim vocant, quasi in Philotesio cratere, ut ait Plut. *de fortuna Alex.* miscentes vitas, mores, conjugia, ac vivendi rationes. Hinc illa Phiditia, Syssitia, de
B quibus alibi.

Ne tamen frequens nimis ad potum invitatio ebrietatem induceret, apud Ægyptios & Sybaritas moris fuit ante omnia sumere cramben coctam. Suidas scribit illam solitam in mensis apponi. Quibusdam mos erat ex amethystino vasculo crambes semen ante compotationen capere, quo citra periculum ebrietatis vino indulgere possent.

Propinantes Deum quempiam, aut hominem, ominis causa præfabantur. Sic apud Lucianum in *Lapithis* Alcidamus Cynicus sponsæ, Her-
C culis nomine, propinat. Horat. *ode* XIX. *lib.* III.

Da lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ: tribus aut novem
Miscentur cyathis.

Tres igitur cyathi, totidem Gratiæ: aut novem, totidem Musæ, non autem quatuor, ut habet adagium, *non quatuor bibenda*. Nam Deus numero impare gaudet.

Apud Patres sanctos & Eremitas in compo-
D tationibus præfabantur, Συγχώρησον, *Ignosce*, ut notat Sozomenus, & Herib.

Prælibo poculum, ejusque tibi materiam primam præmonstro, videlicet corneam, e cornu enim antiquitus potabant. Athenæus *lib.* II. Priscos atque primos homines fama est boum cornibus olim bibisse, poculis inde factis intellige: liquet hoc ex eo quod adhuc, dum aquæ vinum permiscent, κεράσαι dicunt, ἀπὸ τοῦ κέρατος, *a cornu*; & vas, in quo vinum miscetur, craterem appellant, ἀπὸ τοῦ κέρατος, quasi κρατῆρα *corneum*,
E quoniam in cornua potio fundatur. Testes adducit Xenophontem, Pindarum, Æschylum, & alios.

Mensura potus varia, communis triplex, Sextans, Triens, Deunx. Sextans temperatorum (ut Budæus vult) erat legitima mensura quotidiani potus. Deunx intemperatorum. Martialis *lib.* XII. *epigram.* XXVIII.

Sextantem poto, tu potas, Cinna, deuncem,
Et quereris, quod non, Cinna, bibamus idem.

F Sextans sex unciarum. Deunx 12. Sextantem sexies ori admovisse Augustum in conviviis publicis, etsi sobrium, refert Cornelius Nepos. Sextans igitur maxime in usu repetitus, credo quinquies, aut sexies. Deunx vero, & triens intemperatorum. Indicat hoc sæpe mentio facta sextantis. At trientem magis in usu fuisse testatur Mercurialis, quæ erat quarta sextarii pars, ex quo infero sextarium fuisse forsan potus mensuram, quam in cœna quotidie sumebant, quan-

quam in quatuor partes, sive circiter, trientes quatuor dividebant.

Tot cyathos bibebant aliquando, quot digiti sunt in manu, id est, quinque. Plautus in *Sticho*, Act. v. Sc. iv.

Vide quot cyathos bibamus. St. *quot digiti tibi*
sunt in manu,

Ideo subjiciebant cantionem, *Aut quinque bibe, aut ter, non quatuor*. De hoc a me superius.

Antiquissimus fuit propinandi mos in conviviis, ut colligitur ex Plauto *Curcul.* Act. ii. Sc. iii. *Propino magnum poculum*. Quæ consuetudo inde initium habuit, quod Græci in solemnioribus compotationibus, quas Philotesias appellabant, aurea argenteaque pocula proferri & vino impleri jubebantur, eaque prægustata, cui visum esset, dono offerebant. Liberalibus festis Romani tot cyathos bibebant, quot annos alicui precabantur. Ovidius lib. iii. *Fast*,

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla tuos.

Liberalia festa, Bacchanalia, Dionysia, Orgia, dicta. Sane Liberalia & Bacchanalia non eodem tempore fiebant: nam Liberalibus togæ pueris dabantur xvi. an. Kalend. Aprilis, sic dicta ex Varrone, quod per totum oppidum eo die sederent sacerdotes liberi, & anus hedera coronatæ cum libis & foculo pro emptore sacrificarent. Bacchanalia vero singulis mensibus, quæ sublata fuere a Posthumio Cos. propter dedecus.

Bibebant autem modo pro salute Imperatoris, ut indicat Dio, qui Augusto inter alios hunc quoque honorem decretum ait, ut pro salute ejus in conviviis biberent. Aliquando ob felices successus amicorum, ut Horat. *ode* xix. *lib.* iii.

—— *da puer auguris*
Murenæ.

Potatum etiam in amicorum gratiam absentium. Tibullus *lib.* ii. *eleg.* i.

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.
Nomen & absentis singula verba sonent.

Verum pocula ministrata a summo ad infimum, initio facto ab uno ex convivis, qui in summo accumberet, & in orbem circumlato poculo ad eum, qui in imo lecto discumberet, quod Athen. dixit ἐν κύκλῳ πίνειν. Inter potandum prægustatum poculum alteri traditum ex Hom. *Iliad.* iv.

Formam propinandi describit sic Plautus *Sticho*: *Bene nos*, scilicet, valere precor, *Bene vos*, *Bene te*, *Bene me*, *Bene nostram etiam Stephanium*. Ex quibus etiam amantes semper nominatas percipio, & eum in nomine *Stephanium* decem litteræ contineantur, totidem pocula quisque bibere tenebatur, ut apud Martialem, *Septem Justina bibatur*. Cantio tamen in conviviis plerumque, & cantio Græca, ἢ πέντε πιεῖν, ἢ τρία πιεῖν, ἢ μὴ τέτταρα, *aut quinque, aut tria bibenda, nunquam quatuor*. Antiquitatis eruditissimus indagator Athenæus, vel Athenæi Eclogarius longe antiquiorem hunc ritum propinandi recenset his verbis: (Latine refero) *Salutabant etiam olim se mutuo propinantes, & salvere jubebant. Achillem etiam quidam accepit, nempe ipsi propinans poculum dextra obtulit. De sua potione quisque largiebatur, quibus esset libitum, sic Ulysses de tergo, quod appositum sibi fuerat, rescissam partem Demodoco dat.* Et paulo superius: *Ut autem Cereris beneficio largior annona fuit, cibum ex æquo singulis exhibuerunt, quæ res ad modestiam cœnas revocavit, hominesque impulit, ut æqualiter panem & bellaria partirentur, &* ἄλις ἶσα, *quod alia non essent aliis capaciora pocula bibituris paris magnitudinis fierent*. In quibus vides partem cuique æquam distributam, poculum æquale omnibus, præterquam cum omnes de eodem biberent poculo. Horatius *sat.* vi. *lib.* ii. plane & apertis tibiis detestatur hunc morem, ut alienum a convivali modestia:

—— *prout cuique libido est,*
Siccat inæquales calices conviva, solutus
Legibus insanis.

Plutarchus in *Apophth. Lacon. Sorte quadam* (Agesilaus) *in convivio magisterium nactus, pincernæ interroganti, quantum cuique convivarum vini juberet apponi*, &c. Etsi hæc lex non semper servata.

A vini divisione ad ciborum verto sermonem: æquam enim cibi partem sibi vendicant atque pocula in conviviis. Structores dicti, qui cibos dividebant, a struenda mensa; quibus (ut ait Virgilius lib. i. *Æneid.*

Cura penum struere. ——

Græce dicti chironomi, qui docebantur a magistris hanc artem profitentibus. Servis olim hoc officium demandatum. Seneca *epist.* xlvii. *Alius*, inquit, *preciosas aves scindit & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, & in frusta excutit*. Ubi de servis loquitur. Integra nonnunquam animalia coquos apposuisse Persas, ex Herodoto & Athenæo *lib.* iv. ex Macrobio Romanos lego. Rullus primus Romæ integrum aprum apposuit, cui consultum lege Fannia, sed frustra. Munus dividendi cibos apud Græcos erat, τῶν μαγείρων, *coquorum*, apud Lacedæmones κρεωδοτῶν primorum virorum carnium divisorum. Idem Plutarch. de hoc optime disputat in *Probl. Laudabiliusne fecerint majores certis portionibus, an recentiores communibus dapibus victitantes*. De hoc disputatur in utramque partem. Lege; ipse judica, cui judicium non fallax. Missas aliquando super portionibus sortes reperio apud Plutarchum in *Catone Minore* his verbis: *In cœnis sortem mittebat de portionibus. Si sors ipsum destituisset, amicis, ut primam tolleret, instantibus; parum id, ait, convenire invita Venere*. Hinc proverbium illud, *Priusquam sortiaris, communia devoras*.

A cellario me vocat ancilla penuaria, ut partiario agam ex æquo. Ancillam penuariam ibidem reperio dictam promam, cujus erat apud Homerum reliquias colligere & analecta ex conviviis, ut, si quis novus hospes superveniret, esset, quod daret. Mirare priscam frugalitatem, & servorum raram turbam: antequam Asiaticus luxus & luxuria invaderet homines. Analecta insuper data hospitibus. Aliam tamen formulam propinandi, & diversam a supra dicta, objicit mihi Ulpianus apud Athenæum *lib.* x. his verbis:

———— *hanc ego*
Plenam pateram amicis meis, quos nominatim
Appellavi, totam præbibo, benevolentiæ
Certum pignus.

Totam dicit, quia bibentes invertebant poculum ut ego oculatus testis vidi in Germanicis epulis & comessationibus; alibi etiam. Ita apud Virgilium *Æneid.* ix.

Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.

Idem Plautus in *Sticho* supra citato:

—— *quamvis de subito vel cadus vorti potest.*

A Baccho ad Venerem, sine illo hæc enim friget) a vino ad amorem progredior, & eidem lineæ insisto, ut huic amicam coronidem faciat capiti. Plutarchi Eroticus de amantium moribus variis differit: *Quid vero prohibet, quin commissatum ad fores ejus ipsa eat, cantet carmen, quod a fletu ad januam vocatur* παρακλαυσίθυρον: *imagunculas sertis ornet, omni conatu cum rivalibus decertet*. Et paulo infra: *Simul & mulieres intus Bacchoni chlamydem diripuerunt, & nuptialem injecerunt vestem, servi autem circumcursitantes, olea lauroque fores, non Ismenodoræ modo, sed Bacchonis etiam redimiverunt, & tibicina canens per vicum transivit*. Quæ verba morem amantium innuunt de carmine flebili ad januam amasiarum; de imagunculis coronatis cum cantu ad eandem; de veste nuptiali; de sertis, olea, lauroque fores ornantibus, & aliis, quæ Lector per se norit, dum legat, quæ ille aliique habent de convivalibus, & amatoriis: ne aliud agens a linea excidam, neve ad fastidium usque decantata nolenti obtrudam æque, ac volenti.

Solebant amantes periculum facere, utrum redamarentur, necne, compresso & colliso digitis papaveris folio, quod si sonitum ederet, se redamari dicebant; si non ederet, se non redamari. Idcirco folium papaveris τηλέφιλον quasi δηλέφιλον, modo πλαταγὼ, a sonitu nuncupatur, & πλατάγημα est sonitus ipse, Interpr. Theocrito.

Cap. XXI.

Lectulus triplex Antiquis. Lucubratorius cui usui? Lecti pensiles. Lectisternia quæ convivia? Ob quid instituta, & ubi posita, & quibus Diis apparata? Eorum tempore nullæ lites. Pulvinaria quæ, & unde dicta? Pluviæ petendæ ritus apud Græcos & Romanos. Manalis lapis qualis? Fontium Sacra quæ, & ubi? Nudipedalia quale festum? Boreasmi quid Athenis?

Ex Auctoribus colligo Priscos habuisse lectum lucubratorium, præter dormitorium & discubitorium. In lucubratorio studebant, scribebant, meditabantur, ut probant loci tum Senecæ, tum Plinii *lib.* v. *Visus est tibi jacere in lectulo suo compositus in habitum studentis*. Ovidius:

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis,
Nec consuete meum lectule corpus habes.

In hoc lectulo, ut opinor, semirecti, nec omnino jacentes quiescebant. Hinc *lucubratoria lectica* dicta Suet. qua usus Augustus ad lucubrandum. Seneca *epist.* LXXII. *Quædam enim sunt, quæ possis in cisio describere: quædam lectum, & otium, & secretum desiderant*. Inde lectica hæc dicta Plinio, cubiculum viatorium. Juvenalis *sat.* III. in lectica ait,

Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus,
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Lectus dormitorius erat ille, in quo noctu, quietis & somni gratia, quiescebant: hinc Cicero *de Divin.* ad differentiam triclinaris, dixit, *Quos nocturnæ quietis causa in cubiculis habemus*. Dictum etiam cubile.

Discubitorius vero, seu triclinaris, in quo discumbebant, qui plerumque eburneus. Propertius:

Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Lectulos discubitorios altiores fuisse triclinaribus docet Lipsius *Lect. Antiq.* lib. III. Erat & lectulus pensilis in curribus & pilentis, dictus Græce σκιμπόδιον. Juv. *sat.* I.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis.

Erat & anaclinterium lectulus, ubi interdiu meridiantes horis æstivis discumbebant, qualia celebrantur Tuscanea, & a Lampridio in *Heliog.* dicuntur *Accuba*, ab aliis dicuntur *Stibadia*. Rhod. *lib.* IV. *cap.* LVIII. a stibade herba, facili paratu, & idonea somno conciliando, hinc Plut. in *Lycurgo*: Dormiebant simul juvenes ἐπὶ στιβάδων *in stibadibus, sive herbis, quas congerebant ex arundinibus apud Erotam natis*. Hæc fortasse illa oscilla, de quibus Virgilius:

Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Vide Mercurialem *Art. Gymn.* lib. III.

Lectisternia me a lectulo vocant, quæ erant convivia ex victimis & immolatis in templis Deorum, a stratis lectis, quibus ordine discumbebatur, sic dicta. Horum crebra a T. Livio fit mentio. Hæc ad templa & pulvinaria Deorum strata, vel ob lætitiam, vel ad avertendam Deorum iram, in quibus plerumque Senatores ac Patricii cum conjugibus & liberis ad delubra & aras procedebant, nonnunquam omnes tribus, & ordines etiam, Pontifice maximo præeunte: in his enim, & pueri ingenui, & libertini, ac item virgines, omnes coronati, lauream præferentes, cum pompa thensas & fercula Deum deferentes, tum & sacro carmine supplicare, & Deum pacem exposcere solebant. Lectisternia vero & pulvinaria juxta Deorum aras statuebantur, cum aliis ornamentis: quin & frondes virentes & odoriferæ, ac flores omnis generis, & verbenæ ante Deum ædes, & in ipsis templis sternebantur. Illud autem observatum ab Antiquis videmus, ut quoties supplicationes aut lectisternia indicerentur, a jurgiis & litibus abstinerent, & vinctis vincula demerent. Cæterum lectisternia tribus Diis in Capitolio primum ob Deos placandos apparata, nempe Jovi, Junoni, & Minervæ. Jovis simulacrum statuebatur in lecto recubans: Junonis & Minervæ imagines in sellis considebant. Unde Valerius Max. colligit, viros antiquitus in lectulis, mulieres vero in sellulis discubuisse. Deinde multa nocte appositis epulis, septem Epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant.

Pulvinaria, quasi pluminaria, quia plumis referta, erant lectuli illis Diis dicati in templis, in quibus illorum simulacra solebant reclinari, cum lectisternia apparabantur.

Livius *lib.* v. ab V. C. *Gravis*, inquit, *pestilensque ombibus animalibus æstas excipit urbem cum insanabili pernicie, quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex S. C. aditi, Duumviri sacris faciundis, lectisternia tunc primum in urbe Romana facta per dies* VIII. *Apollinem, Latonamque, & Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum tribus, quæ amplissime tum apparari poterant, stratis lectis placavere: privatim quoque id sacrum est tota urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim & advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benigne & comiter sermones habitos, jurgiis & li-*

A *tibus temperatum, vinctis quoque dempta in eos dies vincula, religioni deinde fuisse quibus eam opem tulissent vinciri.* Locum integrum noto, ut ritum firmem, & Italos moneam, quid agendum pestilentia grassante, dum vero Deo cultum ferant religiose.

De lectisterniis, erudita, ut solet, molitur V. Cl. Hieronymus Bossius.

A lectulo lectisternioque ad alia me confero his horis æstivis, Virgilio vota nostra sollicitante *Georg.* I.

Humida solstitia atque hyemes optate serenas
B *Agricolæ.*

Optamus, vovemus jamdiu hoc æstu ardentissimo, atque pluviam exposcimus. Modum priscum Græcorum pluviam exposcentium deprehendo in Pausaniæ *Arcad.* his verbis; *Quod si forte siccitate solum laboret, atque ex eo segetes & stirpes exarescant. Ibi Lycæi Jovis sacerdos ad aquam ejus fontis, cum precatione conversus, riteque re divina, mactatis hostiis, peracta, e quercu ramum non alte, sed in summam aquam porricit: existit repente commota aqua ater halitus, nebulæ persimilis, neque ita multo post nubes attollitur, moxque plurium* C *nubium accessione obducto cœlo, Arcadum fines optatis imbribus perfunduntur.* Ad portam Capenam Romæ juxta ædem Martis erat lapis, dictus Manalis, quem, cum Romani vellent impetrare pluviam a Jove, in urbem ferebant, dicebaturque Manalis, auctore Festo. Unde Juvenalis vocat *madidam Capenam*. Martialis;

Capena grandi porta qua pluit gutta.

Etsi alii dicant vocatam madidam ob fontes, qui ibi plurimi; ideo sacra fontium ibi fiebant, coronatis fontibus & puteis.

Fontinalia erat dies festus Romæ, quo in fontes D coronas projiciebant, puteosque coronabant, ut a quibus pellucidos liquores ad extinguendam sitim reciperent, iisdem gratiam referre hoc ritu viderentur. Unde dictum, *si aquam hauris, puteum corona*, Varro lib. v. *de L. L.* Jovis Pluvii simulacrum Athenienses venerabantur & aram, quæ in monte Hymettio posita fuerat, unde, cum opus erat, ab Jove pluviam comprecabantur, dictus est Jupiter ὄμβριος, ὑέτιος. Tertull. hæc sacra *Aquilicia* vocat in *Apolog.* & in III. *adversum Marcionem* Aquilicem vocat Jovem, quod aquam eliciat.

Numen aliquod fontibus inclusum Antiqui venerabantur, ideo illis faciebant sacra, & religio-E se colebant. Hesiodus in lib. *Oper. & Dies:*

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίῤῥοον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα.
Nunquam perennium fluminum pulcrifluam aquam
Pedibus trajicias, priusquam in limpida fluenta intuens precatus sis.

Et paulo post:

Μηδέ ποτ' ἐν προχοῇ ποταμῶν ἅλαδε προρεόντων,
Μηδ' ἐπὶ κρηνάων οὐρεῖν, μάλα δ' ἐξαλέασθαι.
Nunquam in alveum fluminum in mare decurrentium,
Neque in fontes immingas, sed illud diligenter
F *vita.*

De violato fontis honore est querela *epigr.* Græci, qui prius defluebam pleno alveo, nunc sum lymphis vacuus, etiam ad unam usque guttam. Aquis enim meis homicida suas manus cruentas lavit macula inspergens aquas. Hinc honor ille ab Horatio *lib.* III. *ode* XIII. traditus fonti Blandusiæ.

Fulgentius *Mythologicon*; *Fibræ jecoris sandaracei coloris si fuant, manales tum verrere est opus petras, id est, quas Antiqui solebant in modum cylindrorum per limites trahere pro commutanda pluviæ inopia.* In Lycæi Jovis fonte, sacerdotis manu, querno ramo agitato cogebantur nubes, largosque effundebat imbres; & Athenis Terræ fuisse simulacrum Pausanias prodit, suppliciter a Jove aquam expetentis, cujus ara in monte Hymettio visebatur, quam ὄμβριον, quasi *pluvium* Jovem dixere. Quod si repentina aliqua incidat pluvia, eam dixere tropæam. Nudipedalia festum fuisse apud Ethnicos, Græcos, Romanos, Barbaros, in quo nudis pedibus oportebat omnes incedere, observatur a Tertulliano *Apolog.* capite XL. dicente: *Denique cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in cura est, quidam quotidie pasti, statimque pransuri balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denunciatis, Cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso Deo & Cœlo.* Institutio, ut videtur, Nudipedalium fuit, ut aquarum cœlestium defluxum terra arescente impetrare possent; proprium tamen Judaici populi festum, scribit Fl. Josephus, *lib.* II. *Antiq. Jud.* ut notat eruditissimus Dempsterus *lib.* V.

Contra vero Boreæ templum ædificatum lego in Herodoto a Græcis juxta Ilissum; quod ejus violentia classis Persarum fecerit naufragium. Quin Athenis Boreasmos nuncupabant, qui Boreæ festa celebrarent, ut siccus spiraret. Idem Herodotus *lib.* IV. asserit, VII. annis non pluisse apud Theræos, omnesque præter unam arborem exaruisse.

Ad pluviam avertendam Autor *Geoponicon* lib. I. ait, valere lapidem chalazitem ferro applosum, vel aquilæ alam dextram in medio agro defixam.

CAP. XXII.

Jejunium valetudinis causa apud Ethnicos olim in usu. Vespasianus Imp. quando jejunabat? Oracula consulturis jejunium indicebatur. Thesmophoria qualia festa apud Athenienses? Numæ abstinentia. Julii Cæsaris frugalitas. Ægyptiorum jejunia. Sacra abstemia quibus offerebant Athenienses? Sobrietatis commoda. Castum Cereris quale jejunium? Variorum populorum jejunia. Statio in quo differat a jejunio? Ave & Vale *quando usurpata a Veteribus?*

JEJUNIUM antiquis Ethnicis fuisse in usu valetudinis caussa & religionis colligo ex Seneca *ep.* LXVIII. dicente: *Alius levat vomitu stomachum; alius frequenti cibo fulcit; alius interposito jejunio corpus exhaurit & purgat.* Suetonius in *Aug.* cap. LXXVI. *Ne Judæus quidem tam diligenter sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi, qui in balneo demum post horam primam noctis bucceas duas manducavi, priusquam ungi cœperim.*

Zenonem Cittieum, qui nonagenarius obiit, subinde cibo tamdiu abstinuisse dum inedia deficeret, Suidas refert. Severus Imperator quolibet mense die integro nil cibi admisit. Diogeniana Stoicorum inedia neminem præterit.

Idem in *Vespasiano* cap. XXII. *Quamvis ad tuendam valetudinem nil amplius, quam fauces cæteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio refricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret.* Hæc de jejunio bonæ valetudinis gratia. Religionis caussa apud Ægyptios fuisse, refert Athenæus *l.* IV. cum inquit: *Ego quidem malim, inquit Cynulcus, tentato illo ludo Thracio perire,*

quam istic apud vos, qui religiose jejunatis, expectantes dum sol exoriatur, sidus, id est, vesper. Livius lib. VI. *Belli Macedonici: Eorum prodigiorum caussa libros Sibyllinos, ex Senatus Consulto, Decemviri cum adissent, renunciaverunt jejunium instituendum Cereri esse, & id quinto quoque anno servandum.*

Oracula consulturis jejunium indicebatur; ita Tert. *de Anima* afferente: *Ut cum apud oracula incubaturis jejunium indicebatur.* Et paulo post: *Sic enim & dæmonia sobrietatem expostulant a suis somniatoribus.*

Idem *de Jejuniis Ethnicorum* cap. XVI. *Sed & omnem tapinophronesim Ethnici agnoscunt, cum stupet cœlum, & aret annus. Nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigetant, hostiam instaurant. Apud quasdam vero colonias præterea annuo ritu saccis velati & cinere conspersi idolis suis*, &c. & paulo infra: *Sed bene quod in nostris xerophagiis blasphemias ingerens Casto Isidis & Cybeles eas adæquas*, &c. *Xerophagia* erat jejunium constans ex aridis cibis tantum, seu crudis: stationes & jejunia usque ad vesperam, semijejunia usque ad nonam; vide Pamel. *ad Tertull. loco citato.*

Hinc Thesmophoria festa apud Athenienses, ut est a Plutarcho traditum, in quibus Ægyptiorum more mulieres a cibis abstinebant, humique jacebant. Comicus a pistrino ferias esuriales sæpe proclamat. Amphiaraus vates censebat sacerdotibus responsum clarum aut accepturis, aut daturis, die solido jejunandum, & triduo vini usu abstinendum.

Horatius, etsi furtim in Aristippi præcepta relabens, totus Epicureus, & sanna postica irridens religionem nimis religiosam, innuit tamen esse quædam jejunia in honorem Jovis instituta: mater pro salute filii quartana laborantis precatur Jovem ita lib. II. *Serm.* sat. II.

Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus,
In Tiberi stabit.

Legimus Numam Pompilium, cum pro frugibus faceret, usu carnium & Venere abstinuisse.

Quæ sacra cum posteri tenuissent, anulum etiam digitis deponebant, nec ante repetere consuerant, quam peracta ea frugum sacrificia fuissent. Legimus & Julium Cæsarem oleribus leguminibusque contentum sæpe cœnitasse ob religionem; atque eos, qui Isidis sacris initiandi erant, dies decem carnibus pepercisse & vino; & Ægyptios festis quibusdam diebus jejunia servasse, ut refert Plutarchus in lib. *de Osiride & Iside*, allata in ea re Xenocratis sententia.

Eorum sacerdotes, ut habemus a Chæremone, ex eo tempore, quo sacris essent initiati, carnibus ac vino semper abstinebant. Cretensium sacerdotes ullum cibum igne mollitum coctumque non sumebant.

Athenienses, teste Polemone, sobria sive abstemia sacra Memoriæ, Musis, Nymphisque offerenda putarunt, nullo vini usu. Sic enim meraciore potu memoriam obnubilari, ingenii aciem obtundi, virginitatis secreta tentari, demonstratione symbolica ostenderunt, Junius *An.* III. *Proverb.* I. Alex. ab Alexandro *lib.* IV. *cap.* XVII.

Jejunium apud Hebræos erat abstinentia ab omni cibo usque ad vesperam, sive nonam horam. Essæorum autem ἐγκράτειαν, id est, *temperantiam*, seu *abstinentiam*, Philo Judæus fuisse scribit, ut cibum aut potum nemo illorum ante solis occasum ceperit.

Eo tempore, quo jejunium a mulieribus humi sedentibus, ut Novar. ex Plut. & sacra Cereris celebrabantur, pane vesci nefas fuit: hoc jejunium dictum Castum Cereris. Lacedæmonii uno die se, & servos, & animalia jejunare decrevere, & quantum expendisset quispiam, tantum dare Samiis nolentibus ab obsidione recedere, Aristoteles *Oecon.*

In Creta ex Euripide apud Majolum Jovis vates non modo carnes, sed etiam cibos coctos non esitabant, & Indorum Magi ad solis sacerdotium evecti, carnibus & vino abstinebant, & nunquam sub tecto erant, sed lineis velati sub dio agebant. Ægyptii sacerdotes carnibus & vino abstinebant. Gymnosophistæ pomis solum, oryza, & farina alebantur. Serpens quoque jejuni hominis saliva necatur, ut est apud Plin. *lib.* XXXVIIII. *cap.* IV. Nestea celebritas apud Græcos, in qua jejunium servabant, ut Ælianus lib. V. *Variæ Historiæ* tradit.

Qui volebant sacris Isidis & Cybeles initiari, illis jejunium X. dierum indicebatur, ex Apul. *lib.* II. quo peracto phasianis delicatisque carnibus vescebantur, Novar. Amphiaraus summus vates jussit, sacerdotes, qui responsa clare accipere & sincere reddere vellent, integrum diem a cibo, a vino triduo abstinere, Volaterranus *lib* XIII. *cap.* LV. Apud Trœzenios, qui ad Aridali aram rem divinam facerent, & Deorum responsa peterent, per integrum diem cibo, a vino autem per triduum abstinebant, Alexander ab Alexandro *lib.* VI. Tarentini cum a Romanis obsiderentur, ac jam deditio ob rerum penuriam instaret, Rhegini cum in decimum diem suis jejunia indixissent, victum Tarentinis dedere, quo diutius patriam ab hostibus defendere possent, ideoque cum Romani obsidionem solvere cogerentur, Tarentini in perpetuam ejus rei memoriam jejunii festum instituere, ex Æliani lib. II. *Var. Hist.* Locum pulcherrimum subnecto de jejunio nostro ex Isidoro cap. ult. lib. IV. *Etym. Jejunium autem & statio dicitur. Statio autem de militari exemplo nomen accepit, pro eo quod nulla lætitia sive tristitia obveniens castris stationem militum rescindat; nam lætitia libentius, tristitia sollicitius administrat disciplinam. Unde & milites nunquam immemores sacramenti magis stationibus parent. Discernunt autem quidam inter jejunium & stationem; nam jejunium est indifferenter cujuslibet diei abstinentia, non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem: statio autem est observatio statutorum dierum, vel temporum, dierum, ut* IV. *Feriæ*, &c. De jejunio Hebræorum & aliorum videndus Novar. in *Sched.* lib. VIII. cap. XVI. XVII.

Vespertina jejunantium cœna omisso prandio ad *Ave* seu *Vale* vespertinum me manu ducit, de quo a quibusdam controversum. Et ad hanc rem, cum audio chelidonem, scrupulum mihi non exiguum Dionis historia in *Adriano* injecit, his verbis: *Eumque salutavit non verbo* Χαῖρε, *hoc est*, Salve, *quæ est matutina salutatio, sed* Ὑγίαινε, *hoc est*, Vale, *quæ vespertina est, usus.* Martialis *lib.* V. *epigr.* LXI. vocat *Ave matutinum.* At *Ave* apud eundem erat congredientis, *Vale* vero discedentis: idem *lib.* IX. *epigrammate* VIII.

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus Ave.

Non vacat, aut dormit, dictum bis, terque reverso,
Jam satis est; non vis, Afer, avere, Vale.
Salve usurpatum a morituris: unde illud Dionis in *Claudio* prolatum a reis damnatis, decertaturis in prælio navali, *Salve Imperator, pereuntes salutamus te.*

A

Vale & salve conjungebant discedentes ab aliquo, quem nunquam essent visuri. Sed Luciani *Dialogus*, pro lapsu inter salutandum totus, totum auferet scrupulum. Legantur & alii; fiet hæc res tam clara, quam solis radii solent in meridie cum sudum est.

F I N I S.



PETRI CASTELLANI,

IN ACADEMIA LOVANIENSI GRÆCARUM LITERARUM ET MEDICINÆ PROFESSORIS REGII,

ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ

SIVE

DE ESU CARNIUM.

LIBRI IV.


ILLUSTRISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS

ORDINIBUS BRABANTIÆ,

PATRIÆ COLUMINIBUS,

PETRUS CASTELLANUS

DEDICO CONSECROQUE.



NON est, ILLUSTRISSIMI ATQUE AMPLISSIMI DOMINI, quod quisquam miretur me specimen studiorum meorum vobis exhibere. Nam cum verser in altera duarum Professionum, quibus ALBERTUS PIUS Academiam suam auxit, vos autem stipendium decrevistis, optimo jure labores meos probare vobis etiam debui, qui eis præmium detulistis. Verum hac in re dum officio meo fungor, aliud metuo; ne muneris, quod oblatum venio, parvitas reprehensionem incurrat. Atque id quidem fateor haud dignum, de quo viri negotiis Reipublicæ districtissimi advertant. Nec certe posset hujus temeritatis peccato vel tenuis dari venia excusationis, nisi esset ea magnorum animorum facilitas, ut libenter ad hæc inferiora se demittant, quoties honesta curarum laxamenta quærunt, sine quorum vicissitudine contentionem diutius ferre nequeant. Quemadmodum enim eos, qui ex altissimo fastigio subjecta telluris sola despiciunt, facile vertigo corripit: ita in summo dignitatis culmine positis arduarum rerum satietas oboritur, cui solatium ab humilioribus peti debet. Ista considerantem spes magna tenet, vos in optimam partem accepturos hoc qualecumque memoris gratique animi testimonium. Nihil enim leve nimis æstimant unquam, qui affectum ponderare solent, quo sæpenumero a tenuissimorum hominum muneribus, Arabum divitiæ superantur. Omitto quæ vetustas exempla suppeditat. Recentiora mihi satis in simili plane materia patrocinantur. Platina popinæ scientiam Cardinali Roverellæ, & Paulus Jovius, primum Medicus Novocomensis, deinde Nucerinus Episcopus, libellum *de Piscibus* Ludovico Borbonio, Regii sanguinis Principi, atque itidem S. R. E. Cardinali, dedicare non dubitarunt. Nec illi cura atque animadversione sua judicarunt indigna, quæcumque proferebantur a viris doctissimis ad tutelam sanitatis; cujus eo sollicitiores oportet esse Proceres, quod eorum salute salus etiam Reipublicæ nixetur. Quin etiam plerique summorum virorum olim ita scientia Medicorum utebantur, ut ejus quoque se ipsi peritos in exigendis rerum causis ostenderent. Aristotelem ferunt gravi ac periculoso morbo detentum, Medico remedia varia præscribenti dixisse, ne se instar bubulci curaret; sed eorum, quæ faceret, sibi rationem explicaret. Alii omne prorsus adjumentum Medicorum aspernati, oportere morborum remedia sibi quemque temperare censuerunt, eo quod quisque naturæ suæ proprietatem optime percipere, eique familiaria deligere queat. Et Hippocrates vult τὸν ἄνδρα συνετὸν ἐπιστάσθαι ἐκ τῆς ἑωυτοῦ γνώμης ἐν τῇσι νούσοισιν ὠφελέεσθαι; *Virum intelligentem ex sua ipsius sententia in morbis juvari*. Idem quoque video placuisse Democrito, qui medendi scientiam a nemine ignorari posse arbitratus est. In quam rem ejus extat sententia in *Epistola ad Hippocratem*, χρὴ πάντας ἀνθρώπους ἰητρικὴν τέχνην ἐπιστάσθαι, *oportet omnes homines medicam artem scire*. Quod uti non temere velim extendi ad θεραπευτικὴν, quæ docti atque exercitati Medici industriam prudentiamque requirit: ita in ὑγιεινῇ occupare potest, qua vacare nemo debet, qui vita sua frui optat; ut merito Tiberius apud Tacitum eludere solitus sit eos, qui post trigesimum ætatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent. Sic Antoninus Philosophus, ut libro *de Theriaca* refert Galenus, in conservatione sanitatis haudquaquam alienæ artis indigus, etiam amicis consilii copiam præbuit. Petrus propter nationem cognomento Hispanus, & anno CIↃ. CCLXXVI. ut supputat Martinus Polonus, ex Episcopo Tusculano Pontifex Maximus creatus, assumpto Joannis nomine, quod ordine XXI. reperitur, valetudinem suam arbitratu suo rexit, eaque prosperrima usus est; in tantum, ut fretus notitia διαιτητικῆς, in quam luculentissimos Commentarios conscripsit, vitæ diuturnitatem sibi certo sponderet, ejusque spem liberrima securitate jactaret; quæ fortassis nec falsa fuisset, si, ut internas noxas vivendi lege, sic casus periculorum extrinsecus ingruentium felicitate potuisset evadere. Itaque si nullius tanta sit dignitas, ut ea valetudinis suæ curam indignam putet; non temere mihi persuadere videor, vos læta fronte excepturos studium hominis vobis obnoxii, beneficiaque retaliare cupientis exiguo quidem hostimento, sed ejus-

modi tamen quod ad vitam salubriter instituendam non parum conducere libenter agnoscetis. Ac si Tiberio tantopere placuit Asellii Sabini Dialogus, in quo boleti & ficedulæ, & ostreæ & turdi certamen induxerat, ut ei, teste Suetonio, H-S. ducenta donarit; potiori jure videor posse confidere, ut commendationem inter vos obtineat hic meus labor, qui nequaquam ingeniosis in luxum commentis, sed salutaribus, & ad hominum incolumitatem spectantibus documentis, vestrum favorem ac gratiam impetrare contendit. Nam cum ὑγιεινῆς potissima pars sit διαιτητική; hujus autem argumentum præcipue pertineat ad usum ciborum; cibi vero frequentissimi maximeque communes sint ex carnibus, facile intelligitur, quantum in expetendis salubrioribus, vitandisque contrariis intersit omnium, vires illarum ac facultates penitus perspectas planeque cognitas habere. Voveo tantum ut ex his aliqua ad vos perveniat utilitas, vobisque conferat ad conservationem sanitatis, cui tempus quam longissimum a D. O. M. tribuatur. Lovanii III. Nonas Septemb. M.DC.XXV.

HI *quatuor* de Carnium esu *libri eruditi sunt, & ob rerum varietatem lectu jucundi, nihil continentes quod aut Catholicæ fidei aut Christianis moribus quoquo modo repugnet.*

GUILIELMUS FABRICIUS

Apostolicus ac Regius librorum Censor.

INDEX CAPITUM.

PETRI CASTELLANI,

IN ACADEMIA LOVANIENSI GRÆCARUM LITERARUM ET MEDICINÆ PROFESSORIS REGII,

ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ
SIVE
DE ESU CARNIUM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

QUANDO ET QUOMODO CARNES EDI COEPTÆ? OBITER NOTATI INTERPRETES GALENI ET HIPPOCRATIS.



Unumquodque genus brutorum solo naturæ instinctu familiare pabulum appetit, & alienum fugit. Quæ herbas, radices, aut fructus edunt, a carnibus abstinent: & quæ carnibus aluntur, terræ germina non attingunt: homo autem omnia gulæ suæ mancipavit, *ὅσα τε χθὼν, πόντυτε βένθη, καὶ αέρος αμέτρητον δίρος ἐκτρέφει*, ut canit vetus Poeta, *quæcumque terra, pontique profunda, & aeris immensa latitudo enutrit*. Atque in iis appetendis esurire non satis fuit; etiam ingeniosus esse voluit, ne quid non ejus ventri natum esse videretur. Sapores miscuit, ut escas alioquin ingratas palato placere cogeret. Quamobrem apud Plutarchum Gryllus Circeo poculo sus ex homine factus hoc potissimum naturæ beneficio pecudum genus hominibus antecellere contendit, quibus projecta hæc & effrænata belluandi cupiditas veluti Pandoræ pyxis est, ex qua, ut ait Poeta,

Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι
Σιγῇ, ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητιέτα Ζεύς.
Interdiu morbi ac noctu mortalibus ægris
Obveniunt ultro, tacite mala multa ferentes;
Juppiter his quoniam vocem consultor ademit.

Et certe si rationes ineamus, morborumque caussas ad examen revocemus, ab hoc fonte plerasque derivari comperiemus, & oppido paucos esse qui illud Comici in se detorquere non debeant;

Venter creavit omnes has ærumnas mihi.

Quod indicare volentes Ægyptii, ut memorat Plutarchus lib. II. *περὶ σαρκοφαγίας*, & Clemens Alexandrinus in *Pædagogo*, Porphyrius IV. *de Abstinentia*, (quamvis hæc aliter Herodotus *lib.* II.) ubi quis diem obivisset, confestim ei ventrem exsecare, & adverso sole laceratum discerptumque abjicere solebant, ac si quæcumque in vita homini mala contingunt, uni accepta referre ventri debeamus.

Nemo quidem inficias ierit ab intemperantia plurimos morbos oriri: & agnosco fœcundissimum omnis mali seminarium, & cum Romano Sapiente *epistola* XCV. fateor, innumerabiles morbos esse supplicia luxuriæ: sed probare nequeo sententiam eorum, qui hujus infamiæ notam præcipue carnium esui affigunt. Nam si credimus illis, simul atque is invaluit, variæ novæque pestes orbi terrarum incubuerunt:

Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Primos enim homines simplici victu contentos, & fuisse morborum expertes, & longævos manifestum ajunt. Mox in angustum contracta vivendi spacia, postquam sine sanguine fames expleri non potuit.

Equidem in prima nascentis origine mundi carnibus abstinuisse mortales Poetarum aurei sæculi felicitatem decantantium monumenta clamant, quasi tum fructus sponte nati dumtaxat,

Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes,

famis solatia præstarent. Lucretius *lib.* V.

Quæ sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum:
Glandiferas inter curabant corpora quercus.

Pythagoras apud Ovidium libro XV. *Metamorph.*

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Hinc, ut est apud Isidorum libro XVII. *Originum* cap. VII. fagus & esculus arbores glandiferæ ideo vocatæ creduntur, quod harum fructibus olim homines vixerunt, cibumque sumpserunt, escamque habuerunt; nam esculus ab esca dicta, fagus autem a Græco vocabulum traxit: *φάγειν* enim Græce *comedere* dicitur. Nam sero tandem & non nisi ferreum genus, ut loquuntur Poetæ, hanc in victu continentiam violavit; & quasi absque esu carnium scelerati esse non potuissent homines, qui primi, juxta illud Arati,

Κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν.
Ausi funestum fabricarier ensem.

Iidem primi animalibus vim intulerunt, ignari, ut canit Hesiodus,

—— *ὅσον ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.*
—— *quantum in malva & asphodelo bonum.*

Hinc etiam Homerus *ἀσφόδελον λειμῶνα* suis beatis tribuit, quod extra necessitates hujus vitæ positi nulla cura rei familiaris angantur, sed victu simplicissimo utantur, qualis est in campis *ἀσφοδέλου*,

Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισι,
Ubi facillima vivendi ratio est hominibus.

A Præterea Hippocrates libro *de Medicina priscorum* existimat in cibum sufficisse primis hominibus τὰ ἐκ γῆς φυόμενα, *quæ ex terra nascuntur*. Dicæarchus etiam in libris *Antiquitatum*, ut est apud Porphyrium, refert priscos mortalium & Deorum ævo propinquos nullum animal occidisse, sed fructibus ac pomis victitasse, quæ sponte sua tellus ferebat, vitamque egisse beatam, quæ merito possit aurea dici, si cum ista in ferri rigorem depravata comparetur. Hunc Dicæarchi locum haut dubie respexit Varro lib. II. *de Re Rustica* cap. I. *Necesse est*, inquit, *humanæ vitæ a summa memoria gradatim descendisse ad hanc ætatem, ut scribit Dicæarchus, & summum gradum*
B *fuisse naturalem, cum viverent homines ex iis, quæ inviolata ultro ferebat terra*. Suffragatur his Plato VI. *de Legibus*. Σαρκῶν δ᾽ ἀπείχοντο, ὡς οὐχ ὅσιον ὂν ἐσθίειν, οὐδὲ τοὺς τῶν θεῶν βωμοὺς αἵματι μιαίνειν. *A carnibus* majores nostri *abstinuerunt, tamquam pium non esset illas edere, vel Deorum aras sanguine polluere*. Quamobrem Virgilius eam gentem, quæ animalia cædere primum occœpit, impiam vocavit in fine II. *Georg.*

Hæc autem omnia, quamvis involuta fabulis, tamen a veri fonte profluxerunt. Nam ad locum illum *Geneseos* cap. I. vers. 29. *Ecce dedi vobis om-*
C *nem herbam afferentem semen super terram*, &c. Et cap. IX. vers. 3. *Et omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*, &c. Theologi disputant, utrum in statu innocentiæ usitatus fuisset hominibus carnium esus; & utrum ante Diluvium fuerit licitus. Ad prius quod attinet, victum hominis in statu innocentiæ statuunt ex solis herbis futurum, atque arborum fructibus. In posteriori vero quæstione non conveniunt. Alii enim ante Diluvium nec licitum nec usitatum fuisse carnis esum sentiunt. Quorum opinioni adstipulantur nonnulli Patrum. Tertullianus *Epistola de cibis Judaicis*: *Cibus primus*, inquit, *hominibus solus arborum fuit fœtus, aut fructus*. Et D. Hieronymus lib. I.
D *adversus Jovinianum*: *Ab exordio conditionis humanæ nec carnibus vescebantur*. Deinde addit: *Post Diluvium cum datione Legis, quam implere nullus potuit, carnes fuisse ingestas ad vescendum*: nimirum posteaquam Deus dixisset *Genesis* cap. IX. *Et omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia*. Alii contra & licitum & usitatum fuisse contendunt; qui pro se allegant Divum Justinum *quæstione* CXIX. Cum is tamen ibi suam hac de re sententiam non proferat, sed ad objectiones respondeat eorum, qui rogabant, cur Abel ex opimis ovibus quas pascebat, & Cain ex terræ frugibus
E quas colebat, sacrum faceret & offerret, si nec arborum fructibus, nec carnibus homines ante Diluvium vescebantur. Alii denique, velut mediam ingressi viam, non quidem interdictum fuisse carnis usum ante Diluvium ajunt; ab eo tamen abstinuisse viros religiosiores, eo quod Deus in assignando hominis cibo dumtaxat olerum mentionem fecisset.

Igitur ex mente plurimorum Theologorum esus carnium libere cœpit usurpari, postquam Deus dixit Noe: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*. Porphyrius autem IV. περὶ ἀποχῆς ex Asclepiade Cyprio refert cœpisse mortales pri-
F mum carnibus vesci sub regno Pygmalionis, qui licet summis viribus hanc novam gulæ libidinem compescere niteretur, ac passim σαρκοφάγους ceu nefarii sceleris reos exquisitissimis tormentis vexaret: tamen gustata semel carnis suavitate, non potuisse homines ulla suppliciorum atrocitate intra primævæ frugalitatis limites contineri.

Utcumque ista res habet, siquidem vetustissimorum scriptorum authoritate ponderetur, duæ potissimum causæ primum homines ad cædem animalium impulerunt; necessitas vim propulsandi, & pietas. Priorem agnovisse videtur Pythagoras apud Ovidium XVI. *Metamorph.* dum ait;

—— *primoque a cæde ferarum*
Incaluisse putes maculatum sanguine ferrum.

Id etiam Plutarchus & Porphyrius affirmant. Posteriorem ex antiquis cultus divini ritibus colligere possumus. Nam Deus omnium animis aliquam sui notitiam insevit, unde vel in ipsa veri cultus ignorantia, qualiscumque saltem religio servatur; ut nulla gens adeo fera unquam fuerit, quæ non, etiamsi ignoraret qualem Deum habere deceret, tamen & habendum sciret, ut inquit Cicero, & veneratione prosequeretur. Ergo dum singuli pietatem voto aut dono testatam facere vellent, liba primum & fructuum primitias obtulerunt, ut Porphyrius testatur in fine libri II. περὶ ἀποχῆς. Unde apud Eusebium libro IV. *Præparationis Evangel.* Poeta vetus:

Ταύρων δ᾽ ἀκρίτοισι φόνοις οὐ δεύετο βωμός,
Ἀλλὰ μύσος τοῦτ᾽ ἔσκεν ἐν ἀνθρώποισι μέγιστον.
Nulla madescebant cæsis altaria tauris,
Ast hoc crimen erat primis mortalibus ingens.

Postea vero a fructuum primitiis ad fœturæ primitias venerunt, & in honorem Dei mactare victimas cœperunt. Atque hosce fuisse gradus ad cædem animalium ex Porphyrio Theophrastum laudante idem Eusebius ostendit. Et historia non illepida confirmat ipse Porphyrius citans authores Neanthem Cyzicenum, & Asclepiadem Cyprium; Primo quidem nullum animal Diis sacrificari solitum, nec legem ea de re fuisse quæ naturali lege prohibebatur: Primum vero animal immolatum ab iis qui pœna talionis animam pro anima postularunt, ac ex victima nihil remansisse ad usum hominis, sed universam flammis absumptam. Verum ardente hostia aliquando contigisse ut carnes in terram deciderent: has autem manibus sustulisse Sacrificum, digitosque ustulatos per imprudentiam ori admovisse, tanquam inde remedium peteret. Gustato deinde pinguedinis nidore cupiditatem ejus accensam, nec abstinere potuisse; sed etiam uxorem fecisse participem. Quo intellecto Pygmalionem ipsi Sacrifico ejusque uxori mortis supplicium irrogasse, atque utrosque de saxo præcipites dedisse. Alteri dein Sacerdotium contulisse: hunc etiam spatio exigui temporis interposito, cum idem sacrificium perageret, carnes edisse, eodemque supplicio mulctatum periisse. Sed gliscentem edendæ carnis libidinem non potuisse ulla legum severitate refrænari. Sic immolandorum animalium ritus, eorumdem edendorum quoque consuetudinem apud plerasque gentes, contraque fructuum atque olerum, ac denique τῆς ἀψύχου τροφῆς fastidium invexit.

Hanc autem esse κρεωφαγίας originem vel ex eo manifestum est, quod nullum animal in proprios usus mactare solerent, quin partem ejus aliquam Deo adolendam consecrarent; adeo ut is qui secus faceret velut impius & inhumanus ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίειν vulgi dicto notaretur. Hinc quoque factum, ut quodcumque animal in usum cibi mactaretur, id promiscue & communiter ἱερεῖον appellaretur. Ita Galenus edulem animalium carnem vocat τὴν ἐπὶ τῶν ἱερείων ἐσθιομένην. Libro autem II. *de Temperamentis* ζῴων καὶ ἱερείων nullo discrimine pro iisdem usurpat. Et apud Hippocratem cum de animalibus ad usum nostrum destinatis loquitur, non facile reperias aliud præter ἱερεῖον. In quo vertendo frustra sunt Interpretes, cum ubique ἱερεῖον, *victimam*, exponunt. Ut inter cæteros Vassæus ad hunc locum IV. *de victus ratione in*

A *acutis*, ubi de suilla agitur: Κράτιϛα δὲ τὰ μὴ ἰσχυρῶς πίονα, μήτε λεπτὰ, μηθ᾽ ἡλικιῶν ἱερῆ παλαιᾶ. *Valentissimæ quæ non admodum pingues, neque graciles sunt, nec victimæ veteris ætatem sunt assecutæ.* Hic enim *victima* non magis locum habet quam apud Athenæum *li.* VII. Εὐσηπτότερα τὰ νύκτωρ θυόμενα ἱερεῖα, quod vertit Dalechampius, *putrescunt celerius quæ noctu mactantur hostiæ.* Galenus II. *de Temperamentis*: Ἀλλὰ καὶ εἰ νέον ἱερεῖον εἴτε ἐσθίειν ἐθέλοις, εἴτε ἀνατεμῶν σκοπεῖσθαι, μυξώδη μὲν καὶ πλαδαρὰν εὑρήσεις τὴν σάρκα, &c. Ubi Linacer cum videret *victimas* non habere locum, vertit in hunc modum: *Quin si recens editum porcellum vel esse vel dissectum inspicere velis, carnem* B *quidem ejus mucosam perhumidamque invenies.* Atqui Galeno propositum ibi est docere, non modo porcellorum, sed omnium animalium recens editorum carnes esse mucosas & humoris copia quasi diffluere. Igitur in omnibus prope earum quibus utimur versionum locis *victimæ* οὐδὲν πρὸς ἔπος, cum ubique apud Græcos ἱερεῖον ἀντὶ τοῦ ζώου usurpetur; quemadmodum τὸ ἱερεύειν, καὶ θύειν (cui Gallicus idiotismus adstipulatur) non tantum est *sacrificare*, sed etiam ad edendum mactare; ut passim videre licet apud Homerum, & manifesto *Odysseæ* Ω.

Δεῖπνον δ᾽ αἶψα συῶν ἱερεύσατε ὅϛις ἄριϛος, C
In prandium statim suem mactate optimum.

Ubi Eustathius, τὸ μὲν δεῖπνον ἱερεύσατε, ἀντὶ τοῦ, διὰ δεῖπνον σφάζετε.

Primum igitur carnium usus admodum simplex erat, easque sine apparatu & artificio condimentorum solitas apponebant: nec simplex tantum, sed rarus etiam; neque enim temere nisi solemnioribus epulis usurpatus. Utrumque exprobrando docet Juvenalis *sat.* XI.

Sicci terga suis rara pendentia crate
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne. D

Sed quibus deinde gradibus luxuria creverit, notius est, quam ut pluribus verbis explicari mereatur.

Cap. II.

CARNES PRÆ CÆTERIS OMNIBUS OPTIMUM AC PLURIMUM PRÆSTANT ALIMENTUM.

Sed ut eo redeam unde primum diverti, si quam noxam ingluvies corporibus inferat, non ideo carnium esus e medio tollendus. Nam abusus res etiam præstantissimas & humano generi utilissimas in perniciem vertit, quas propterea nemo damnandas in universum censeat. E Cæterum si carnes debite sumantur, haut facile quidquam reperias, unde melius aut copiosius alimentum capiatur. Nam ut cibus bonum alimentum præstet, corporibus nostris similis esse debet tum substantiæ modo, tum moderatione qualitatum. In substantiæ modo caro longe majorem, quam alia omnia, cum humano corpore habet analogiam. Nam ut proverbio lac lacti simile fertur, ita carnem carni affinem dicere possumus. Hinc facile in substantiam nostram mutatur. Avicenna, *Caro*, inquit, *est cibus confortans, & propinquæ conversionis in sanguinem, præsertim si de laudabili sit genere quadrupedum aut volucrum.* Et Rhazes lib. XX. F *Continentis* cap. I. *Nutrimentum*, inquit, *carnis convenientis corpori bonum est, quoniam auget cito carnem ipsius.*

Ad commoderationem qualitatum quod attinet, præter eam similitudinem, quæ consistit in quatuor primis qualitatibus, carnes aliam temperamenti convenientiam nobiscum habent: nam & formam cum animal viveret nobiliorem obtinuerunt, quam alia omnia quibus præterea vescimur: ergo & temperiem nativo calori nostro familiariorem. Præclare enim Aristoteles l. *de Respiratione* capite XIII. Τὰ τιμιώτερα τῶν ζώων πλείονος τετύχηκε τῆς θερμότητος· ἅμα γὰρ ἀνάγκη καὶ ψυχῆς τετυχηκέναι τιμιωτέρας. *Quæ inter animalia honoratiora sunt plus caloris sortita sunt; nam simul & animam sortita esse honoratiorem necessum est.* Deinde addit, Τιμιώτερα γὰρ τὰ τοιαῦτα τῆς φύσεως τῶν φυτῶν. *Honoratiora enim sunt hæc plantis.* Idem & sanguis arguit, qui earum est materia: nam & ab hac materiæ propinquitate temperamenti quoque affinitas recte colligitur. Deinde cum de cibi ratione sit, ut sit calidus & siccus, respondeatque fami, quæ est appetitio calidi & sicci, harum qualitatum convenientiam cum humana temperatura majorem carnes obtinent, quam pisces aut olera. Nam pisces justo frigidiores, & humidiores. Frigidiores esse patet, quia vel nullum vel paucum habent sanguinem. Sanguinis enim abundantia caloris indicium est. Aristoteles III. *de partibus animalium* cap. VI. ἡ δὲ πολυαιμία θερμότητος σημεῖον: explosa enim est Empedoclis sententia, qui pisces aliis animantibus esse calidiores asseruit, ideoque in aquis vivere, ut ingens caloris nativi excessus contrarii affluxu continuo temperaretur. Humidiores autem esse victus ipse demonstrat; tum & locus in quo victitant. Recte enim Aristoteles libro *de Respiratione* cap. XIV. Αἱ μὲν οὖν φύσεις τῆς ὕλης ἐν οἵαπερ τόπῳ εἰσὶ, τοιαῦται οὖσαι τυγχάνουσιν, αἱ μὲν ἐν ὕδατι ὑγραὶ, αἱ δὲ ἐν τῇ γῇ ξηραὶ, &c. *Natura igitur materiæ talis esse solet, qualis est locus in quo sunt, quæ in aqua sunt humidæ, quæ in terra siccæ.* Itaque substantia piscium aquea est, & labilis, atque obnoxia putredini; quia propter defectum caloris eum non est assecuta modum concoctionis qui ad solidioris consistentiæ firmitatem desideratur. Quocirca spiritus generat frigidos, impuros, & aqueos, a quibus obtusius ingenium: sanguinem quoque frigidum & pituitosum, a quo cutis decolor, & corporis habitus languidus, atque, ut Augusti vocabulo utar, *betissans* in furorem. Magnum quoque pravitatis argumentum, quod cum jus coctarum carnium salubre sit, palatoque jucundum, ac probe nutriat, contra quod a piscibus provenit, nauseam moveat, & nauteam oleat; quod minime mirum, cum etiam ipsi puteant, & ut in proverbio est, piscis semper piscem oleat, etiamsi unguentis oblinas. Nec mortuos tantum, sed vivos quoque mox ut capti sunt, hautquaquam e myrothecio prodire quilibet etiam non nimis emunctæ naris judicabit. Adeo ut non satis caverit Plautus cum dixit piscem esse nequam, nisi recens sit, vel Seneca, dum ait eum pro putrido afferri, qui non hodie eductus, hodie sit occisus.

Jam vero in universo olerum genere, nullum prope est quod alimenti nomen vere mereatur. Immo nullum est quod simpliciter bonum succum præstet. Et ipsa etiam lactuca inter ea, quæ boni aut mali succi sunt, medio se modo habet. Galenus libro *de cibis boni & mali succi* cap. VI. *In olerum genere nullum est quod bonum succum præstet: & lactuca etiam in his, quæ boni malique succi sunt, mediocriter se habet.* Atque idem confirmat lib. II. *de facultatibus alimentorum* cap. XI. Et rursus *ad aphorismum* XVIII. lib. II. ait olera præbere alimentum, quod sit naturæ admodum fluxæ. Quamobrem apud Plautum Coquus olera proscribit, eorumque usui brevitatem vitæ imputat:

Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Cum hasce herbas hujusmodi in alvum congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo:
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt:

Quocirca dignum est admiratione, quod de Persis memorat Xenophon, eos nihil ad panem adhibere solitos præter nasturcium, atque ea victus ratione valetudinem prosperrimam retinuisse corpusque habuisse vacuum ab omni redundantia excrementorum, sic ut contra decori legem peccare censeretur, qui in publico aut spueret, aut emungeretur.

At vero carnes, cum, ut docet Haly-Abbas v. *Theoricæ*, capite XXI. calidæ sint, & inter humidum siccumque temperatæ, respectu nostri, & aliarum rerum, quibus vesci solemus, propter affinitatem alimenti in bonum sanguinem facillime transmutantur. Nam quo major est alimenti cum alio similitudo, minorque repugnantia, eo minus quoque ventriculus in eo conficiendo laborat, nutricatio melius succedit, & pauciora excrementa cumulantur.

Plus etiam alimenti esse in carne quam in ullo alio manifestum est, quod iis, qui sese illa refecerunt, serius fames oboriatur, quam iis, qui se piscibus, aut oleribus expleverunt. Quia namque substantia solidiori, caloris & humidi aerei pinguisque copia majori prædita est, effluvii damna firmius resarcit, corporibusque reponit portiones ὐκ ἀδιαφορητοὺς, sive dissipatu hautquaquam faciles, quæ propterea suum membris vigorem diu servant, eorumque robur augent. Unde Grammatici Græci, qui sibi in hoc etymologiarum negotio plurimum indulgent, κρέας dici volunt παρὰ τὸ κρατύνειν τὰ σώματα, ut Eustathius *ad Iliados* Θ.

Quare falluntur qui primos hominum fuisse longævos autumant, eo quod edundis animalibus abstinuerint, iis contenti, quæ e terra arboribusque gignerentur. Nam cum tres ciborum ordines statuantur, primus materiæ valentissimæ, secundus mediæ, tertius imbecillissimæ, præter legumina, & quæ ex frumentis panificia sunt, in exordio mundi incognita, nihil terra profert quod sit in valentissima materia, sed pauca admodum quæ in media, pleraque quæ in infirmissima numerentur. Celsus *lib.* II. *cap.* XVIII. *In media*, inquit, *materia numerari ex oleribus debent ea, quorum radices aut bulbos assumimus*. Et paulo post. *Imbecillissimam vero materiam esse omne olus, & quidquid in cauliculo oritur, qualis est cucurbita, & cucumis, & capparis, omnia poma*, &c. Atqui verissimum est illud Hippocratis oraculum ex VI. *Epidem*. sectione V. sententia XX. Ἀσθενέστερα σιτία ὀλιγοχρονίην βιοτὴν ἔχει. *Imbecilles cibi brevem vitam præstant*. Ergo vitæ diuturnitas primis temporibus hautquaquam victui attribuenda fuit, adeo ut singulari potius munere Dei ad propagationem generis humani concessa fuisse videatur.

CAP. III.
DE CARNIUM DELECTU.

DUM carnes laudamus, de sanorum diæta intelligi volumus. Nam qui ægris pariter & valentibus eamdem victus rationem præscripserit, e tota Medicorum memoria tantum unus extitit Petronas, quem sectatoribus quoque destitutum fuisse produnt. Ægri rectio ac gubernatio Medicorum prudentiæ tribuitur, qui cibum offerrent facultatibus ad illius naturam & morbi genus æstimatis. *Quippe*, ut Celsus ait, *imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est; mediocriter firmos media materia optime sustinet; & robustis apta validissima est*. Igitur in sanorum victu quis delectus carnium sit habendus, breviter unico præcepto definit Oribasius III. *Collectionum* cap. II. *Friabilitas*, inquit, *& mollities duæ notæ, ut cujusque animalis carnem cognoscas; quibus attentis eam carnem, cui inesse utramque conspicies, ad satietatem usque poteris comedere; cui neutram, ejus usus omnino circumcidendus; cui alterutra tantum inest, ea, cum alia tibi non suppetunt, vesci licet, non tamen usque ad saturitatem*. Sed horum generalis cognitio non sufficit ad usum, qui in rebus singulis maxime spectatur. Nam ut recte monet Aristoteles lib. VI. *Nicomacheorum* cap. VIII. Si quis sciat carnes leves esse ad concoquendum faciles & salubres; leves autem quæ sint ignoret, bonam valetudinem non efficiet, sed is potius efficiet, qui avium carnes scit esse leves & salubres. Ut igitur in earum usu certius sit judicium, discrimina pressius exponam.

In primis differt caro quadrupedum & volucrum; deinde ferarum & altilium: nec in generibus tantummodo, sed etiam in singulis discrimen est; quod sumitur ab ætate, pabulo, solo, cœlo, habitu, membro.

Caro quadrupedum firmior & gravior est carne volucrum: & in utroque genere quo majus quodque animal, eo robustior ex eo cibus est. Præterea domesticum fero præstat. Isaac *de Universalibus Diætis* capite XIII. Rhazes III. *ad Mansorem*, & omnis Arabum schola, qui suadent, ubi domestica suppetunt, abstinendum a feris, quæ & parum nutriant, & humorem malancholicum gignant. Galenus III. *de Alimentorum facultatibus*, & libro *de attenuante Diæta* scribit carnem ferarum esse sicciorem carne domesticorum animalium, quod hæc minus exerceantur, & plerumque in aere humidiore vivant: illæ vero longe lateque discurrant, colles saltusque peragrent, atque in locis perflatis agant. Ex quo fit, ut in eodem genere animalis domesticorum & ferarum caro plurimum inter se dissideat; cujus rei exemplum Galenus in suilla proponit, ut suo loco referemus.

CAP. IV.
DIFFERENTIÆ CARNIUM PARTICULARES.

AB ætate initium capiemus, quæ magnam facit in singulis diversitatem. Nam in omni genere animalium carnes vetulorum duræ, siccæ, & concoctu difficiles sunt: recens autem natorum nimis humidæ, & excrementis offertæ. Galenus libro *de cibis boni & mali succi*: *Illud autem in cunctis animantibus communiter meminisse debes, scilicet seniorum duras, siccas, & concoctu difficiles esse: ut contra juniorum humidas, molles, atque idcirco commodius concoqui; his tamen exceptis, quæ ubi in lucem editæ sunt, protinus in cibo sumuntur*. Media vero ætas, quæ nondum summam magnitudinem implevit, inter hæc mediocritatem servat. Itaque sic ratio ineunda est, quo animal quodque ortui vicinius est, eo humidius est: & ætas sensim humiditati detrahit, quoad senectus passam exsuccamque siccitatem inducat. Hinc Galenus, τὰ δὲ πρεσβυτικὰ χείριστα πρὸς πέψιν, καὶ πρὸς εὐχυμίαν, καὶ πρὸς θρέψιν, *vetulorum carnes pessimæ ad concoctionem, & ad boni succi generationem, & ad nutritionem*. Igitur quodcumque animal natura humidius est, id in ætatis flore præstat; & contra siccum nimis ante vigorem excellit: hoc tamen pro utentis natura est accipiendum. Quamobrem recte Galenus: *Cæterum suum carnes, hominibus quidem ætate florentibus, & qui se multum exercent, ætate florentium ad concoquendum sunt præstantiores; aliis vero suum adhuc increscentium. Porro quemadmodum ex suibus qui ætate sunt florenti iis juvenibus, qui bono sunt habitu, conveniunt; sic & boum qui nondum ætatem florentem attigerunt. Bos enim temperamento est quam*

sus

sus multo sicciore ; quemadmodum & vir ætate florens quam puer. Atque omne quidem ætatis discrimen intra hos fines consistit, quos ultra citraque pro modulo temperamenti delectus carnium est habendus.

Secundo non leve discrimen a pabulo contingit. Summus ille rei medicæ Dictator libro *de Affectionibus*: Διαφέρει δὲ τὰ κρέα τῶν κτηνέων, καὶ ὁκόσα καρπὸν ἐσθίει, καὶ ὁπόσα μὴ ἐσθίει. καὶ ὁ καρπὸς οὐ τὸ αὐτὸ ἅπασι ποιέει, ἀλλὰ τὸ μὲν πυκνήν τε τὴν σάρκα τοῦ ἱερείου παρέχει καὶ ἰσχυρήν, τὸ δὲ ἀραιήν τε, καὶ ὑγρήν, καὶ ἀσθενέα. *Pecorum autem carnes differunt, & eorum quæ fruges edunt, & eorum quæ non edunt: neque fruges idem omnibus faciunt, sed quædam densam & robustam animalis carnem reddunt; quædam vero raram, & humidam, & imbecillam.* Plinius *lib.* XVI. *cap.* VI. in suilla exemplum affert: *Glans*, inquit, *fagea suem hilarem facit, carnem coctibilem, ac levem & utilem stomacho: iligna suem angustam, nitidam, strigosam: querna diffusam & gravissimam, & ipsa glandium æque dulcissima.* Ex cerea glande, solidiorem fieri carnem, sed duram; esculo, robore, subere fungosam, Nigidius memoriæ prodidit. Horatius *lib.* II. *satyra* IV.

Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem.

Zethi caricis pastum commendat: nam de suilla agens inquit: Εἰ δέ γε καλῶς πεφθείη, χρηστὸν καὶ εὔχυμον ἐμποιεῖ τροφήν, καὶ μάλιστα εἰ δι' ἰσχάδων ὁ χοῖρος τρέφεται. πάνυ γάρ, ὥς φασιν, ἥδιστον τὸ τοιοῦτο, καὶ εὔχυμον. *Si probe concoquatur, bonum & boni succi alimentum facit, præsertim si porcus caricis alatur: ejus enim caro, ut ajunt, apprime suavis, & boni succi.* In universum omnia animalia, quibus affatim alimenta propria suppetunt, longe præstantiora seipsis evadunt. Proinde quæ teneras herbas ac primum e terra emergentes, aut arborum germina depascuntur, ea omnia cum his abundant, habitiora sunt, ac pinguiora, nobisque alendis accommodatiora. Et contra quæ grandibus herbis & jam in semen turgentibus gaudent, ea ut plurimum adulta æstate, aut sub autumni primi tempus recte lanio destinantur. Id etiam innuit Hippocrates in fine libri IV. *de ratione victus in acutis*, ubi caprarum carnes ait æstate optimas esse, autumno deterrimas. Quia, ut Galenus exponit, sub finem veris & æstate capris convenientis pabuli copiam suppeditant teneri arborum surculi, & fruticantes cauliculi, qui autumno in lignum induruerunt. Et e contra, Κατὰ τὸ θέρος, inquit, τὰ ποηφάγα τῶν ζώων μοχθηρά, διὰ τὸ μηκέτι ἔχειν τὴν πόαν χλωράν. *Carnes animalium, quæ herbis victitant, pravæ sunt per æstatem, quia non amplius viride gramen habent.*

Tertio loco solum commemoravi. Quippe solo natura subest, quam pabuli conditio sequitur. Nam macrum & exile, vel, ut Maro ait lib. II. *Georg.*

—— jejuna clivosi glarea ruris
Vix humiles apibus casias roremque ministrat.

At,

Pinguis humus viridi semper se gramine vestit.

Igitur aliud animal tibi dabunt difficiles terræ & maligni colles, aliud prata dulci uligine læta, aliud saturi saltus. Etiam hominum habitus ingenium loci fingit. Qui humentia loca incolunt, habitu corporis raro sunt, laxo, & molli: qui sicca, & instar Ithacæ asperis edita saxulis, duro & compacto, qualis πολύτλας Ulysses. Non minor vis soli in pecora. Certe Aristoteles *cap.* X. etiam quoad alimentum, quod ex illis capimus, multum referre putat, quibus in locis pascantur: Παντὸς δὲ τετράποδος τὰ κρέα χείρω, ὅπου ἑλώδη χωρία νέμονται, ἢ ὅπου μετεωρότερα. *Omnium quadrupedum carnes deteriores, quæ locis palustribus pascuntur, quam quæ editioribus.* Quod fortassis Averroem induxit, ut montanas herbas omnes reliquis præstantiores censeret. Certe palustres silvestresque minime idoneas haberi Columella tradit. Quanta vero in habitu corporis ac temperatura mutatio fiat a loci natura, argumento est ipsa morum mutatio. Nam, ut Aristoteles etiam refert lib. VIII. *de historia animalium* c. XXIX. montanæ bestiæ & asperis locis agentes multo sunt ferociores iis, quæ campos oberrant planis porrectos spaciis: quod adeo verum, ut quamvis in omni ferarum genere plerumque mares sint sæviores fœminis; tamen verres in Athi vallibus orti genio loci ita effœminantur, ut scrophas in fastigio montis editas intueri contra vix audeant. Sed Aristotelis verba subjicere operæpretium duxi, ut curiosis talium rerum quærendi laborem minuam: Ποιοῦσι δὲ καὶ οἱ τόποι διαφέροντα τὰ ἤθη οἷον οἱ ὀρεινοὶ καὶ τραχεῖς τῶν ἐν τοῖς πεδίοις καὶ τοῖς μαλακοῖς. καὶ γὰρ τὰς ὄψεις ἀγριώτερα καὶ ἀλκιμώτερα. καθάπερ καὶ οἱ ἐν τῷ Ἄθῳ ὕες. τούτων γὰρ οὐδὲ τὰς θηλείας ὑπομένουσιν τῶν κάτω οἱ ἄρρενες. *Morum quoque loca faciunt diversitatem montana & aspera a campestribus & mollibus. Sunt enim facie magis torva & fortiora: quemadmodum in Atho monte sues. Illorum enim fœminas ne mares quidem subjectæ planiciei possunt subsistere.* Cæterum quantam differentia locorum vim habeat in omnia animalia, pluribus exequitur Aristoteles *cap.* XX. *ejusdem libri*; quæ transtulit Plinius in *lib.* VIII. & attingit Columella *lib.* VII. *cap.* II.

Quarto cælum. Nec enim minus naturam pabuli, & soli, cælorum influxus variat. Quæ tria licet inter se apta sint adeo atque conjuncta, ut omnia simul unam tantummodo differentiam facere videantur: singula tamen corporibus peculiare quiddam conferunt, quod in rerum experimentis deprehendas facilius, quam dicendo consequaris. Nam quod nonnulla terris quibusdam negata sint, alia vero alibi lætius proveniant, aut tristius, quid causæ fuerit, præterquam

Sidus & occulti miranda potentia fati?

Et inanis colendi industria est, ubi sidera cessant. Pyrrichas boves nulla diligentia producas alibi ad eam amplitudinem, qua in Epiro visuntur. Ithaca lepores non alit, & aliunde illati vivere nequeunt, sed mortui reperiuntur ad mare conversi, qua illati fuerunt. In Africa tam multiplicium ferarum feraci, non aper, non cervus, non capra silvestris est. Britannia jam nec lupos, neque ullum animal maleficum patitur, excepta vulpe, prout refert Polydorus Virgilius libro I. *Hist.* Quid commemorem ex Varrone, quæ in una Italia quilibet ager ad victum optima ferat, & diversa: Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis. Et gula investigavit, cæterisque præstare didicit, pavum e Samo, Phrygiam attagenam, grues Mellicas, hœdum ex Ambracia, palamin Chalcedoniam, murenam Tartessiam, asellos Pessinuntios, ostrea Tarentina, pectunculum Chium, helopem Rhodium, scaros Cilicas, glandem Ibericam, nuces Thasias, palmam Ægyptiam. Plura ejus generis observavit Ennius apud Apulejum in *Apologia*, Clemens Alexandrinus lib. II. *Pædag.* cap. I. quæ præter naturam soli & pabuli, ac præter ipsum cultum, peculiare quidpiam a cælo ducunt, ut aliis in locis talia prorsus haberi nequeant. Et in recensendis iis, quæ alibi atque alibi meliora nascuntur, plurimi Veterum operam otiumque suum occupaverunt, ut Archestratus, Antiphanes, Hermippus, Mnesitheus Athenienfis, ex quibus multa refert Athenæus. Aristoteles autem l. VIII. *de historia animalium* c. XXVIII.

cum docuiſſet animalia plurimum differre, & ejus rei cauſam in quibuſdam ad pabuli copiam aut penuriam retuliſſet, tandem ait, πολλαχῦ ϰ͂ ἡ κρᾶσις αἰτία, *ſæpe & cæli temperies cauſa eſt*. Quod apud nos Friſiorum, aut Furnenſium boves cæteris antecellant, non aliam adſignes rationem præter hanc, quam Poeta quoque in celebrandis Hiſpanorum ovibus agnoſcit, apud quos

—— generoſi graminis ipſum
Infecit natura pecus; ſed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aer.

Quinto habitus: nam eadem omnia pinguia, quam macra, meliora ſunt, & plus alimenti habent. Quamvis & hic quoque modus ſervari debet: nonnulla enim ita pingueſcunt, ut ſe ipſa ſtantia ſuſtinere non poſſint, nec progredi uſquam, qualem in Arcadia a ſe eſſe ſpectatam ſuem tradit Varro lib. II. *de Re Ruſtica* cap. IV. quæ præ pinguedine carnis non modo ſurgere non poſſet, ſed etiam in ejus corpore ſorex exeſa carne nidum feciſſet, & peperiſſet mures. Cujus rei meminit etiam Plinius lib. XI. *Natural. Hiſtor.* cap. XXXVII. Tanta pinguedo faſtidium moveat, in ſtomacho natet, eumque ſubvertat, & alia incommoda gignat. Quocirca Iſaac libro *Univerſalium Diætarum* cap. XIV. *Via tutior & ſecurior eſt, ut relictis extremis, pinguiſſima, & macerrima carne, mediocrem comedamus.* Et Haly-Abbas V. *Theoricæ* cap. XXI. *Omnibus porro carnibus elegantior, quæ inter macredinem & pinguedinem eſt temperata.* Rhazes III. *ad Manſorem* cap. XI. *Caro, quæ inter pinguem & macram exiſtit, ſanguinem generat temperatum.* Et Galenus lib. III. *de facultatibus alimentorum* cap XI. pinguedinem & adipem hactenus in cibos admittit, ut carnibus veluti condimenta ſint: Μᾶλλον, inquit, ἡδύσματά ἐστι τῶν τρεφόντων ἡμᾶς σαρκῶν, ἢ αὐταὶ τροφαί. *Magis condimenta ſunt alentium nos carnium, quam ipſa alimenta.* Recte igitur, & ex præcepto Medicorum, Platina: *Laudabiliora ſunt*, inquit, *quæ media inter macilentiam & nimiam obeſitatem ſunt, quam quæ aut præpinguia, aut macra nimis habentur. Pinguia enim appetentiam removent, concoctionem diſturbant, ac ſtomachum laxant: hanc ob rem ex obeſa carne macram, ex macra pinguem tutius comedemus.*

Huc quoque referri debet caſtratio, cujus maxima ac pæne incredibilis vis eſt ad temperamenti atque habitus mutationem, ut videre licet apud Ariſtotelem lib. VIII. *de Hiſtoria animalium* capite ultimo, & ſectione X. problemate XXXVI. Ipſis etiam caſtratorum carnibus novus omnino ſapor & odor conciliatur, quo fit, ut guſtui magis adlubeſcant, quam integrorum, quæ ſemper evomunt grave quoddam virus acerbitatis. Quamobrem Galenus abſolute pronunciavit, ἐν ἅπασι δὲ τοῖς τὰ τῶν ἐκτμηθέντων ἀμείνω, *in omnibus caſtratorum carnes meliores*. Vetus eſt illa gulæ ſævities; nec in mares modo, ſed etiam fœminas placuit, ut eſt apud Ariſtotelem lib. VIII. *de Hiſtoria animalium* cap. L. & Columellam *lib.* VII. *cap.* IX. quarum carnes hac ratione gratiores fieri tradit Galenus lib. I. *de ſemine*, ἡδίονα τὸ κρέας ἔχουσι τῶν ἄλλων θηλειῶν, *ſuaviorem carnem habent, quam aliæ fœminæ*. Et ſic hodie repertum a ganeis quomodo gallinæ caſtrentur, quæ mirum in modum pingueſcunt. Nonnullis quidem animalibus fœcunditatem adimere commoditas utendi ſuaſit, ut camelis; quo in bello expeditiores eſſent, nec unquam uteri onere tardarentur. Sed plura luxus deſtruxit; nec in pecore ſubſtitit; etiam mulieribus hanc naturæ injuriam intulit. Id primum a Lydis factitatum Xanthus memoriæ prodidit apud Athenæum *lib.* XII. Adeo audax omnia peti mortalitas, ut etiam per naturæ contumelias lubidini ſuæ velificetur.

Sextum membrum. Nam ejuſdem animalis diverſæ partes in alimenti ratione diſcrimen recipiunt, ſi ad totum corpus referantur.

Extremitates, ut pedes, roſtra, aures, veſcida ſunt, parum nutriunt, & facile deſcendunt. Meliores tamen pedes roſtro, roſtrum auribus, quæ prope ſola cartilagine & pelle conſtant. Sic Galenus lib. III. *de alimentorum facultatibus* cap. III. Celſus: *Inter domeſticas quadrupedes leviſſima ſuilla eſt, & ex eodem ſue ungulæ, roſtrum, aures*, &c. Simeon Zethi: Οἱ δὲ πόδες ϰ͂ χρηστοὶ, καὶ εὔχυμοι πεφύκασιν εἶναι. εὔπεπτοι γὰρ, καὶ διὰ τοῦτο ὠφέλιμοι τοῖς ἀναλαμβάνουσιν ἐκ νόσου. *Pedes* (loquitur de ſuillis) *utiles ſunt, & boni ſucci: facile enim concoquuntur, quapropter ſe ex morbo reficientibus idonei ſunt.*

Cartilago autem adultorum animalium omnino concoqui nequit: eorum vero quæ adhuc augeſcunt, ſi in ore probe lævigata, & in ventriculo confecta fuerit, alimentum quidem corpori dabit, ſed exiguum.

Linguam Paulus ait eſſe χαύνην, καὶ ἄναιμον, καὶ ὀλιγότροφον, *raram, & exſanguem, & pauci alimenti*. Facile concoquitur; nec ingratus ſapor; adeo ut quarumdam gentium Reges hoc ferculum, etiam ex homine, præcipuum ſibi retinuerint.

Glandulæ ſuaves ſunt, & friabiles: ſuaviores quæ circa mammas ſunt lacte diſtentas; eaſque potiſſimum a lurconibus expetitas legimus. Alimentum præſtant affine carnibus, ſi recte concoquantur. Sin minus, crudum pituitoſumque humorem generant. Renes pravi ſucci ſunt, difficiles concoctu, & urinæ infecti qualitatibus, quas guſtui manifeſte repræſentant: Aetius ἐμφαίνοντες ἐν τῇ γεύσει τῶν τῆς οὔρου ποιότητα. Et ante illum Ariſtoteles lib. III. *de partibus animalium* cap. IX. δυσωδέστατοι τῶν σπλάγχνων ἐστίν, *omnium maxime viſcerum renes fœdum reddunt odorem.*

Cerebrum Galenus ejuſmodi elogiis exornatum nobis dedit, ut opus non ſit Pythagora, qui eo abſtinere jubeat, non ſecus atque a parentum capitibus; nam a cerebro animalium ita abſtinendum præcipiebat, ut a fabis; a fabis autem, tamquam a parentum capitibus; ut verſus apud Euſtathium *Iliados* N. teſtatur:

Ἶσόν τοι κυάμους τε φαγεῖν, κεφαλάς τε τοκήων.
Æquale eſt ediſſe fabas, cerebrumque parentum.

Deinde ratio ſubjicitur, διὰ τὸ

Ψυχῆς αἰζηῶν βάσιν ἔμμεναι, ἠδ' ἀνάβαθμον
Ἐξ ἀΐδαο ὅταν αὐγὰς εἰσανίωσιν.

Nec tamen ignoro, quæ adverſus hæc affert Gellius lib. IV. *Noctium Atticarum* cap. XI. ex Ariſtoxeno Ariſtotelis auditore. Sed ut Pythagoram quoque Pythagoricoſque omittamus, caput ſacrum a Veteribus habitum conſtat; unde in proverbium abiit de homine ſceleratiſſimo, aut certe voraciſſimo, illud Philoclis,

Ὅς κἂν ἐγκεφάλων γ' ἔσθων λίποι.
Hic vel cerebra ſine fine comederit.

Nos quidem iſtius religionis metu ſoluti ſumus: ſed Galeni authoritas in eam trahere queat ſententiam, ut vel *cerebrum Iovis pene ſupremi*, quod Ennio in exemplar deliciarum placuit, nauſeam ſapere videatur. Φλεγματικώτερόν, inquit, ἐστι, καὶ παχύχυμον, ἔδεσμα, καὶ κακόχυμον, καὶ βραδύπορον, καὶ δύσπεπτον, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ κακοστόμαχον, ἅπας ἐγκέφαλος. *Pituitoſior cibus eſt, craſſi, pravique ſucci, & tarde permeans, & concoctu difficilis, nec minimum ſtomacho nocens, omne cerebrum.* Quippe quod nauſeam concitat, adeo ut, ſi cui a cibo vomitum ciere Medici decreverint, cerebrum poſtremum ciborum ſuadent exhibendum. Cerebella tamen

avium leviter assa cum sale & pipere ad obtundendam humiditatem commendantur; unde Poeta:

Quadrupedum præstant oculi, cerebella volucrum,
Uda tamen nimium, ni piper addis, erunt.

Et in universum si quis cerebri esu delectetur, recte admiscebit origanum, calamentham, & similia, quæ viscosum ejus lentorem ac frigiditatem emendent, in quibus sit vis incidendi & calefaciendi. Alioquin in ratione alimenti vix recipi potest. Quorumdam tamen animalium cerebrum ratione medicamenti laudabile fertur; ut capreolorum contra tremorem, & secundum quosdam cerebrum pullorum & caponum ad memoriam & ingenii acumen commendatur.

Medullam ossis excrementum esse voluit Aristoteles lib. II. *de partibus animalium* cap. VI. & III. *de Historia Animalium* cap. XX. Galenus *commento in aphorismum* XXXIX. *lib.* V. Averrhoes lib. II. colligit, cap. II. Alii contra ossis alimentum esse contendunt, ut idem Galenus affirmat XI. *de usu partium*, & III. *de facultatibus naturalibus*, capite ultimo. Cui sententiæ subscriberem, siquidem hujus loci controversia esset, propter authoritatem Hippocratis, qui libro περὶ τροφῆς sub finem ait, μυελὸς τροφὴ ὀστέυ, διὰ τοῦτο ἐπιπωρῦται, *medulla alimentum ossis, propterea callo obducitur*. Neque enim excrementum dici potest aliter, quam quod sit residuum benignum alimenti, & simile naturæ partium in quibus continetur. Ad rem vero præsentem quod attinet, ossium medulla cerebro calidior est, pinguior, & suavior. Liberalius sumpta nauseam parit, non secus ac cerebrum; plus tamen habet alimenti, si rite concoquatur. Vulgus hodie inter βρώματα ὑποβινητιῶντα, ut Menandri verbo utar, id est, irritamenta Veneris languentis, reponunt. Neque id temere creditum. Nam ex Veterum opinione manavit. Quippe, ut innuit Aristoteles II. *de partibus Animalium* cap. VI. & aperte explicat Michael Ephesius *ad eum locum Aristotelis*: Ἀρχὴν σπέρματος ἐτίθεντο οἱ περὶ Πλάτωνα. *Principium seminis ponebat medullam Plato*. Locus autem Platonis est in *Timæo*, ubi insanum in modum ad voluptates effusum ait esse illum, τὸ σπέρμα ὅτῳ πολὺ, καὶ ῥυῶδες περὶ τὸν μυελὸν γίγνεται, *cui semen multum, & fluxile circa medullam nascitur*. Unde colligit Aristoteles ejus esse sententiam, medullam esse τὴν γονῆς σπερματικὴν δύναμιν, *genituræ vim seminalem*.

Testes quadrupedum concoctu difficiles sunt, & pravi succi; διὰ τὸ ἐνύπαρχον ἐν αὐτῷ βρομῶδες, ut inquit Aetius, sive ob quemdam virulentiæ fœtorem, quem ex elaboratione seminis, aut etiam proprio alimento contrahunt. Eo tamen carent juniorum animalium testes, quæ non coierunt, & in quibus semen nondum est fermentatum; ideoque aliis præstantiores sunt. At omnium præstantissimi habentur gallorum gallinaceorum, præsertim altilium, qui & suavissimum & optimum dant alimentum.

Cor durum & fibrosum; alimenti multi, nec mali, si recte concoquatur: sed concoctu difficile est.

Jecur παχύχυμον, δύσπεπτον, βραδύπορον, *crassi succi, difficile concoctu, tarde permean*. Verum suis ficubus pastæ jecur, quod σύκωτον vocant, in deliciis habitum, de quo Galenus lib. III. *de facultat. aliment.* cap. XXII. & omnibus præfert Aetius. Pollux *lib.* VII. vocat ἤπατα σεσυκασμένα, καὶ ἤπατα συῶν σεσυκοτραγηκότων, & II. *Anthologiæ* tit. XVII. a Pallada, ipsi sues dicuntur χοῖροι συκιζόμενοι. Inventum M. Apicii, ut author est Plinius *lib.* VIII. *cap.* LI. qui ficu arida saginatis mulsi potum dabat,

& in satie repente necabat. Similis ars adhibita anseribus, ut suo loco ostendemus, & in universum jecinora avium inter omnia edulia Cardanus celebrat. Rhazes II. *Aphoris.* XXXVII. anserino primas, gallinaceo secundas tribuit Baptista Fiera:

Colla jecurque calent, sed colla fluentibus hument:
Gallina, anser, anas, mollius hepar habent.

Splen pravi succi est, & melancholicus; gustu etiam insuavis; quod Galenus tradit libro III. *de Alimentorum facultatibus* cap. XII. Τῶν δὲ ἄλλων σπλάγχνων ὁ μὲν σπλὴν οὐδὲ πρὸς τὴν γεῦσιν ἀκριβῶς ἡδύς ἐστι, ἔχει γάρ τι στρυφνὸν ἐμφαινόμενον. Locum ideo transcripsi, quia Interpres plane contrarium asserit, & sibimet ipse repugnat: *Reliquorum*, inquit, *viscerum, lien quidem gustu suavissimus est; est enim in eo perspicua acerbitas*. Vertendum est: *Reliquorum autem viscerum, lien quidem neque ad gustum exacte suavis est; habet enim quiddam manifestæ acerbitatis*.

De ventriculis ita Galenus: *Ventriculi in cibo laudantur præ intestinis, præsertim altilium gallinarum, magisque etiam anserum: sunt enim perquam suaves, cæterum crassi durique, eoque ad concoquendum difficiles, sed quibus semel coctis multum alimenti insit*.

Pulmo eo quam jecur & cor ad concoquendum facilior est, quo rariorem substantiam habet; alimenti etiam paucioris est, & pituitosi.

Quod attinet ad reliqua viscera, vulgatus occupet versiculus & convaleat;

Ilia porcorum bona sunt, mala sunt reliquorum.

Atque his partium differentiis breviter expositis, caput finiam, si prius dixero in ipsamet carne diversitatem percipi, quod alia cervicis, alia armorum, alia coxarum, alia lumborum, alia denique aliorum membrorum, hic tenerior, illic durior, aliterque alibi affecta deprehendatur. Et in universum, carnem ossibus propinquam, quam Ossum a Terentio dictam quidam putant, reliqua suaviorem censent: quod apud nos Belgico proverbio fertur, & antiqui Poetæ versiculo confirmatur, qui legitur apud Athenæum:

Τὸ γὰρ πρὸς ὀστῶν φασὶ κρέας εἶναι γλυκύ.
Adhærens ossi est dulcior, ut ajunt, caro.

Quod ideo adjicere visum, ut ostenderem nonnulla vulgi dicta se posse vetustatis authoritate tueri.

CAP. V.

AN SIT RECENTIBUS VESCENDUM.

PISCES quo recentiores, eo magis magisque probari solitos a lautis hominibus supra diximus; quod etiam proverbiali acroteleutio significatur, οὐδεὶς σαπρὸς, μέγας ἰχθῦς, cujus author hoc sensisse videtur, *Omnis piscis, quantumvis magnus, nullus est, si putidus*. Idcirco idem est apud Plautum: *Nequam est piscis nisi recens*. In carnibus etiam recens ille vigor tantopere quibusdam placuit, ut crudas & adhuc palpitantes, atque a vita calentes edi voluerint; sic eas valentius alere rati, eo quod ob caloris innati reliquias a temperie viventis minimum recedant. Atque id probant exemplo animalium carnivororum, quæ ut robustissima, ita & vivacissima sunt. Quos equidem nemo jure merito reprehendat, si Scythis, aut potius Cyclopibus se præcepta vivendi tradere profiterentur. Nobis ne tum quidem venter id persuaserit, cum esurigo findit costas.

Cæterum recentes paulo vetustioribus plus alere scribit Hippocrates libro II. *de victus ratione*, cujus verba notatu dignissima subscribere non gra-

vabor: Τὰ πρόσφατα ἰσχὺν πλείονα παρέχεται τῶν ἄλλων διὰ τόδε, ὅτι ἔγγιον τοῦ ζῶντος ἐστί. τὰ δὲ ἕωλα καὶ σαπρὰ διαχωρέει μᾶλλον τῶν προσφάτων, διότι ἔγγιον τῆς σηπεδόνος ἐστί. *Recentia omnia majus robur conferunt quam alia, eo quod propinquiora viventi ſint. At vetuſta & rancida magis alvum dejiciunt quam recentia, eo quod ad putredinem magis accedant*. Πρόσφατα procul dubio ſunt *recentia*; nam licet generaliter τὸ πρόσφατον de recenti dicto aut facto intelligatur; proprie tamen pro recenter interfecto, aut recente ſimpliciter accipitur. At dubium eſſe potuiſſet, quid per τὰ ἕωλα vellet Hippocrates, niſi τὰ σαπρὰ ſubjunxiſſet. Nam, libro περὶ παθῶν, cibos ἑώλους, καὶ ψυχροὺς, pro iiſdem nempe frigidis & repoſitis uſurpat. Quo ſenſu etiam Athenæus *lib.* VII. ἕωλον θοίνην vocat *dapes pridianas*. Sed hic addendo τὰ σαπρὰ clare ſignificat intelligere ſe aliquamdiu mactatas carnes & rancidas. Ad Hippocratis locum procul dubio reſpexit Avenzoar I. *Theicir*, vir longo rerum uſu peritus & ideo *Sapientis* ac *Mirabilis* cognomento decoratus; *Et dicunt quod comedere carnem recentem, ſtatim poſt ejus necationem, eſt bonum valde, & confert*. Et mox addit: *Comedere carnes veteres eſſe maximam cauſam ægritudinum*. Ratio eſt, quod, ut Hippocrates innuit, humidum illud, quo ſuſtentabatur calor innatus, extabeſcat, & materia ad putredinem ab aere diſponatur, cælo præſertim humido & calido, vel flante Auſtro, qui natura ſua σηπεποιὸς eſt. Quamobrem Horat. *lib.* II. *ſatyr.* II. helluonibus Harpyiarum in modum rapacibus nihil gravius imprecari voluit, quam ut eorum obſonia præſentes Auſtri coquerent. Et *ſatyra* VIII. dum irridet Naſidienum ſuas epulas inepte oſtentantem, quæ revera erant rancidæ ac putidæ, aprum Auſtro flante captum, id eſt, fœtidum, cœnæ caput fuiſſe lepide jocatur, ut ex eo de reliquo vaniſſimi convivatoris apparatu conjectura fieret. Sic Juvenalis *ſat.* IV. ut exprimeret ſtudium anxii piſcatoris, qui inuſitatæ magnitudinis rhombum non offerre ſibi crimini verſum iri metuebat, eum ait etiam aſpera hyeme, quæ carnes frigore ſuo diu ſervat incolumes, non minus properaſſe, quam ſi Auſtri putredinem minitarentur:

Stridebat deformis hyems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auſter.

Galenus autem lib. VII. *Methodi* c. VI. τὸ ἕωλον, inquit, εὐπεπτότερόν ἐστι τοῦ προσφάτου, *vetuſta caro ad concoquendum facilior eſt recenti*. Idque inter mandendum ipſa durities & tenacitas arguit, quæ non niſi aliquo ſpacio temporis aboletur. Nam viſcidus ille lentor, quo veluti glutine carnes inter ſe coalitæ vinciuntur, ſenſim exhalat, & ab aere circumfuſo decoquitur, unde reſiccatis fibris mollities quædam & teneritas acquiritur; per quam fit, ut dentibus haut ita rebelles maneant, ſed friabiles & fragiles evadant. Id quoque docet Galenus *commento* III. ad III. *Prædict.* textu XXIV. nam cum dixiſſet ψάθυρα κρέα, id eſt, *teneras delicataſque carnes* eſſe, quæ duris, & fibroſis, & ægre diſſolubilibus, atque ad maſticandum contumacibus ex adverſo opponuntur; ſubjungit: Μάλιστα δὲ γίνεται τοιαῦτα, τὰ καλούμενα πρὸς τῶν πολλῶν σαχνά, μίαν ἡμέραν ἢ δύο τιθέμενα, μετὰ τὸ σφαγῆναι τὸ ζῶον. *Tales autem ſunt, quæ vulgo* σαχναὶ *vocantur, ad unum diem aut alterum repoſitæ, poſtquam animal fuerit mactatum*. Carnes igitur molliores concoctuque leviores fiunt, ſi aliquamdiu reponantur. Nec repugnat Hippocrates, cum ait recentes plus roboris conferre; quia plus alunt, ſed concoctu ſunt difficiliores. Nam, ut Celſi verbis utar, *fere ſequitur, ut quo valentior quæque materia eſt, eo minus facile concoquatur; ſed ſi concocta eſt, plus alat*. Contra vero repoſitæ minus alunt, & concoctu ſunt faciliores, eoque citius permeant, & alvum cient; *quia*, inquit, *putredini ſunt propinquiores*; putredinem accipiens pro via ad corruptionem. Hinc & Galenus ἑωλύζειν interpretatur προσηπεῖν, id eſt, *ad putredinem antea diſponere*. Ejuſmodi autem diſpoſitio materiam concoctioni præparat, & ori ſtomachoque reddit obſequentem. Nam, ut Plutarchus ait, ἡ πέψις ἔοικεν εἶναι σῆψις, *concoctio videtur quædam eſſe putredo*. Unde vulgatus Empedoclis verſiculus:

Οἶνος ἀπὸ φλοιοῦ πέλεται σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ.
Vinum a cortice eſt putrefacta in ligno aqua.

Et Galenus commento VI. *in* I. *Aphoriſmorum* docet ἄσεπτον pro ἄπεπτον uſurpari. Verum proprie loquendo σῆψιν, & πέψιν, differre certum eſt ex diſputationibus Philoſophorum & Medicorum, ut Ariſtotelis IV. *Meteor.* & Galeni II. *de facultatibus naturalibus*. Idque diſcrimen breviſſime indicat Ariſtoteles XII. *Metaphyſicorum*, ἡ σῆψις, καὶ τὸ σηπτὸν περίττωμα τοῦ πεφθέντος ἐστί. At vero reſpectu ejus quod concoquitur; concoctio, quædam dici corruptio poteſt: quod neque Peripatetici negant. Hinc Olympiodorus explicans quid inter illa ſit differentiæ, ait: Λέγομεν πρῶτον ὅτι ἡ πέψις τοῦ πεπτομένου οὐκ ἐστὶ πέψις. ἀλλὰ πρὸς τὴν ἡμῶν χρῆσιν λέγομεν αὐτὴν πέψιν. ἐπεὶ ὅσον πρὸς τὸ πεπτόμενον, σῆψις ἐστί. *Dicimus primo concoctionem, concocti non eſſe concoctionem: ſed habito reſpectu ad uſum noſtrum dicimus concoctionem; nam quantum ad id quod concoquitur, putredo eſt*. Ex quibus patet diſſidium, quod hic fingitur inter graviſſimos authores medendi, ſi recte perpendatur, revera nullum eſſe, & ut communi joco fertur litem de tribus capellis. Nam Galenus non vult ut fruſta carnium trementia verubus figantur; Hippocrates autem non probat putiſcentia, & vetuſtate rancida. Non oportet cum Polyphemo cruentis & adhuc vivis artubus ingluviem explere, nec cum Martialis Bætico σαπροφαγεῖν. Nam quæ Priſcorum celebratur frugalitas, qui laridum non niſi rancidum comedebant, avaritiæ potius, ſive ut mitius loquamur, ſordidæ parcimoniæ conducebat, quam ſanitati; quod nec vaferrimus ille morum Cenſor diſſimulat;

Rancidum aprum Antiqui laudabant, non quia naſus
Illis nullus erat; ſed credo hac mente, quod hoſpes
Tardius adveniens, vitiatum commodius quam
Integrum edax dominus conſumeret.

Ergo ſervanda mediocritas inter recentes nimium & vetuſtas, ut & putor abſit, nec durities adſit. Ac reponendi ſpacium pro anni tempore, cæli ſtatu, ipſaque natura animalis eſt modulandum. Unde jam laudatus Avenzoar: *Caro, quæ eſt ex animalibus habentibus duras carnes, velut ſunt turtures, grues, anates ſylveſtres, & ſimilia, comedi debent poſt necationem ipſorum* XII. *horis hyeme; æſtate vero ſex horis*. Galenus VII. *Methodi*, capite VI. ſufficere ſcribit ad conciliandam carni teneritudinem, ſiquidem hyems ſit, ut animal pridie juguletur: Θέρους δ' ἀρκεῖ τεθύσθαι μὲν ἕωθεν τὸ ἱερεῖον, ἐσθίεσθαι δὲ πρὸς δυσμὰς ἡλίου. *Æſtate ſat fuerit ſi mane ſit mactatum animal, ac circa ſolis occaſum comedatur.*

Aliam præterea regulam in hoc negotio ſtatuit Hippocrates libro *de Alimento*: Σιτίον νέοισιν ἀκροσαπὲς, γέρουσι δὲ ἐς τέλος μεταβεβλημένον, ἀκμάζουσιν ἀμετάβλητον. Quem locum citat aliter quidem Galenus libro *de optima ſecta ad Thraſybulum*: tamen ſi ad examen revocetur, judicii non falletur quiſquis hunc illius ſenſum eſſe cenſebit; nempe carnem quam ſenes ſunt eſitaturi teneram, quam æ-

tate vigentes recentissimam, quam vero adolescentes inter utrasque mediam esse oportere. Nam, ut recte Mercurialis monet, prout calor, qui concoquere debet, major vel minor est, sic etiam edulia paratiora, vel minus parata concoctioni esse convenit: alioquin, ut ait Galen. I. *de facultat. aliment* si facilia concoctu calidissimis ventriculis offerantur, statim corrumpuntur, quemadmodum difficilia tepidioribus oblata debitam concoctionem non assequuntur. Notandum tamen est quod ex Galeno profert Rabbi Moyses *aphoris.* XIX. *Singula*, inquit, *animalia, ex quibus cibandi sunt senes & domini corporum defectorum, per diem & noctem ea demitte, & postmodum coquina carnes ipsorum, & fac ex iis cibaria bene cocta, & ministra iis. Et juvenibus, & dominis fortium corporum, & operantibus fortia opera, coquina carnes recentes, coquens eas bene vel assatas vel elixatas.* Oribasius IV. *Collect.* ex sententia Ruffi carnes omnium agrestium statim esse coquendas præcipit, & proinde recentes manducandas: cicurum vero ovillas & caprinas recentes, bubulas autem vetustas. Similiter ex avibus, magnas atque palustres, itemque gallinas, palumbos, perdices, pavones, atque attagenas non esse recentes coquendos, contra turtures, columbas, & turdos.

Cæterum nihil obesse crediderim, si carnes, illico atque occisum est animal, artificio aliquo teneræ atque ad mandendum aptæ reddi possent; quod fieri docet Plutarch. lib. VI. *Symposiacon* qu. X. si de ficu suspendantur; aut etiam secundum alios, si in acervo tritici condantur, aut juxta nitrum reponantur.

Cap. VI.

CALIDÆNE AN FRIGIDÆ CARNES EDENDÆ.

QUOTQUOT extiterunt nobiles catillones, eos omnes ferventibus cibis fuisse delectatos legimus. Athenæus *lib.* I. refert Philoxenum assuefecisse manus & os fervidorum contactu, ne a calidissimis cibis læderentur. Nihil illi tam calidum apponi potuit, quod manus refugerent, aut fauces emortuæ atque occallatæ non ferrent. Pithyllus cognomento Τενθης, eodem Athenæo teste, & Suida, ut cibos quam ferventissimos in alvum demittere posset, manus manicis sive chirothecis adversus ardorem muniebat, linguamque membraneo tegmine involvebat, & obducta crusta loricabat, eamque, ubi animo collubitum erat, ad gustum æstuantis escæ depromebat. Alius ex hoc ganeonum genere nepos apud Crobylum ait:

Καὶ τ̃ λάρυγγ᾽ ἥ ζ ισα πυρίῳ τεμάχοις.
Κάμινος, ȣ̓κ ἄνθρωπος.
Fauces suavissime incendam tomaculis.
Caminus sum, non homo.

In hunc finem gulæ artifices excogitarunt foculos, quibus in mensam pruna deferretur. In quo sæculi sui luxum censoria gravitate castigat Seneca *epist.* LXXVIII. *Quia non circa cœnationem tumultus coquorum est ipsos cum obsoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta est; ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, cœnam culina prosequitur.* Et IV. *Quæstionum Naturalium* c. ult. *Ardentes boletos & raptim condimento suo mersatos demittunt pæne fumantes, quos deinde restinguant nivatis potionibus.* An autem tantus cibi fervor ad voluptatem faciat, iis credendum, qui experimento fidem sibi constare volent. Nobis cum linguæ discrimine delicias illas probare non libuit. An vero sanitati conducat, a Medicis exquiramus.

Hippocrates lib. II. *de victus ratione*, quædam A statuit circa cibum frigidum & calidum, qui actu quidem talis sit. Nam de eo qui potentia calidus est aut frigidius, alterius loci disputatio est. Itaque de frigido sic Hippocrates: *Πήγνυσι τὸ ὑγρὸν ἐν τῷ σώματι, καὶ τὰς κοιλίας συνίστησι τῇ πήξει, καὶ ψύξει*, quasi dicat cibos frigidos humidi constrictione & congelatione alvum sistere. Quod idem faciunt nimium calidi, dum absumpto humido tantam siccitatem inducunt, ut fluorem impediant: *Καὶ τȣ̃ θερμȣ̃ ζ̓ πάλιν αἱ ὑπερβολαὶ πήγνυσι καὶ τοσȣ̃τον, ὡς μὴ διάχυσιν ἔχειν.* *Et rursus calidi excessus cogunt in tantum, ut diffusionem non habeant.*

B Sic ubique sola mediocritas vitio caret; excessus & defectus utrimque pravi: adeo ut locum habere debeat non tantum in quantitate ciborum illud Phocylidis, sed etiam in qualitatibus:

Μέτρῳ μὲν φαγέειν, πιεῖν, καὶ μυθολογεύειν.
Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ᾽ ἀλεεινή.

Id etiam Hippocrates quodam velut ænigmate proponit lib. *de Alimento*, *ἐς θερμασίην βλάπτει, καὶ ὠφελέει· ἐς ψύξιν βλάπτει, καὶ ὠφελέει. Cibi caliditate lædunt, & juvant; frigiditate lædunt, ac juvant.* Et nimius quidem fervor noxam infert, eo quod calorem igneum stomacho infundat, ejusque nativum calorem corrumpat, ut author est Avenzoar I. *Theicir*, C *Et hoc*, inquit, *ideo quod digestio non fiat eo modo, quo putant ignorantes, qui dicunt, quod omnis caliditas digestionem procuret: sed sicut ipsi errant, ita & alios errare faciunt; membra vero cibum digerunt suo calore radicali & naturali, quem ab hepate recipiunt.* Igitur universa stomachi œconomia adventitio ciborum incendio turbatur. Quamobrem non immerito Seneca *epist.* XCV. *Quid illa purulenta, & quæ tantum non ab ipso igne in os transferuntur, judicas sine noxa in ipsis visceribus extingui?*

At frigida palato ingrata sunt, & cito fastidium D movent, calorem stomachi tardius excitant ad concoctionem, & velut ignavum diu relinquunt.

Aliqui secundum anni tempora discrimen statuunt, ut hyeme calida, æstate frigida sumantur. Excessus tamen utrimque vitari jubent. Sic Avicenna *fen* III. *primi c.* VII. *doctrina* II. *In hyeme*, inquit, *nutriens actu calidum comedat, in æstate frigidum, aut quod sit parvæ caliditatis: & neque frigiditas, neque caliditas ad rem perveniat, quam sustinere non possit.*

Ad hæc etiam consideranda est ipsius carnis natura; quædam enim frigidæ, quædam vero calidæ salubriores. Hœdinas enim frigidas Avicenna commendat, *quod earum vapor tum quiescat.* E Similiter Hippocrates porcinam frigidam edi jubet, *ἐσθίειν ἄνευ τȣ̃ φορινȣ̃ς, καὶ ὑπόψυχρα, comedere oportet sine cute, & subfrigidam.* Quo loco Galenus putat ab Hippocrate carnes subfrigidas ita commendari, quasi calidas omnes aspernetur, propter ardorem & flatus, quos gignunt. Quocirca decretum illius simpliciter non admittit, sed dumtaxat in iis, quæ natura sua calidæ sunt, cujusmodi sunt hœdinæ, quod etiam Avicenna voluit. Verum si natura sua sint temperatæ, & frigoris calorisque quodammodo mediocritatem obtineant, tum hoc discrimen servari præcipit, ut hominibus temperamento frigidiori- F bus calidæ, contra vero frigidæ calidioribus exhibeantur.

Cap. VII.

AN ASSÆ CARNES SINT ELIXIS SALUBRIORES.

MULTIS modis hodie carnes apparantur. Veteres assare tantum noverant. Et Homerus, dum Phæacum, procorum, aliorumque lauta convivia describit, assas tantum, nec aliter con-

ditas carnes mensis appositas fuisse memorat, ut animadvertit Athenæus *lib.* I. Hanc unam coquendi rationem heroicis temporibus usurpatam notat Serv. *ad* I. *Æneid. Heroicis*, inquit, *temporibus carne non vescebantur elixa*. Id etiam Plato ceu priscæ frugalitatis exemplum adducit lib. III. *de Repub.* Ὅμηρος, inquit, *ἐπὶ στρατιᾶς ἐν τῇ τῶν Ἡρώων ἑστίασιν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ, καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς. Homerus in exercitu ad Heroum convivia non pisces adducit, quamvis in ipso maris Hellesponti littore essent, neque elixas carnes, sed tantum assas*. Hanc parandi rationem Priscis & Heroibus familiarem reddidit ipsa facilitas: minimum enim operosa est; solo igne peragitur; nec veru deesse potest, ubi igni struendo materia suppetit. Quocirca addit etiam Plato, *ἃ δὴ μάλιστα ἂν εἴη στρατιώταις εὔπορα, quæ maxime militibus parabilia sint*. Tamen Crates, ut notat Eustathius, ex loco Homeri *Odyss.* Υ. (ubi Ctesippus procorum unus, rapto e mensa pede bubulo, ignotum Ulyssem liberius loquentem impetit) colligit: Ὅτι καὶ ἑφθὰ ἤσθιον Ἥρωες. *οὐ γὰρ ἄν, φησί, γένοιτο ποὺς βοὸς ὀπτός. Quod elixas carnes comederent Heroes: neque enim, inquit, fuerit pes bovis assus*. En Grammatici acuminis curiositatem oppido futilem, quam Seneca graviter castigat *epist.* LXXXVIII.

Sed iis omissis videamus quomodo carnes assæ & elixæ inter se differant. Aristot. lib. IV. *Meteorologicorum* cap. IV. elixa assis aridiora esse contendit. Nam cum elixatio fiat a calore, qui est in humido, contingit, ut externus calor internum vincat, humoremque foras educat. Græca verba Aristotelis afferam, nam Latine versa obscuriora sunt: *Ἐκκρίνεται γὰρ αὐτοῦ τὸ ὑγρὸν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ ἔξω ὑγρῷ θερμασίας. Excernitur enim ex ipso humor a caliditate, quæ est in humido externo*. Quæ vero assantur aut friguntur, non tantopere suum reddunt succum, sed potius intro recondunt, & si quis est extra humor, eum ad interiora trahunt, & combibunt. Hoc Barbari clarius explicant: *Assata*, inquiunt, *sunt humidiora elixis; quia elixatorum dissoluta est humiditas in brodio: assatorum vero in igne humiditas non potest dissolvi spissitudine superficiei suæ*. Rursus Aristoteles *sectione* I. *problemate* LIV. tamquam evidens ponit, carnes assas elixis esse humidiores. Idem innuere videtur Galenus lib. I. *de alimentorum facultatibus* c. XLIV. & lib. *de cibis boni & mali succi*.

Contra tamen lib. III. *de facultatibus alimentorum* c. II. elixa dicit assis esse humidiora; & in *victus ratione*, humidis naturis præbenda assa monet, siccis autem temperamentis elixa porrigenda. Et lib. VI. *Methodi* cap. IV. intemperiem humidam ventriculi cibis natura siccis & probe assatis curari jubet. Et *Comment. super lib. de victus ratione*, manifeste carnes assas inter calefacientia & exsiccantia reponit. Idem disertis verbis affirmat lib. XI. *de simplicium medicamentorum facultatibus*, & Aristoteles *problemate* V. *sectione* XX. Præterea cum victus ratio secundum anni tempora variari debeat, ut qualitatum excessus, quo tempestas esse noxia posset, vivendi regula corrigatur: dubio procul hyeme, quæ frigida est & humida, cibos calidos & siccos imperare par est; humidos autem & frigidos æstate, quo fervor ejus & siccitas emendetur. Atqui Hippocrates lib. *de victu salubri*, hyeme carnibus assis, æstate vero elixis uti jubet. Idemque præcipit lib. III. *de victus ratione*; ex quo sequitur illum assa elixis aridiora statuisse. Quocirca vitiosus merito censeatur locus ille Celsi *libr.* I. *c.* III. ubi legimus hyeme carnem elixam, æstate assam esse aptissimam. Neque enim verosimile est authorem illum in hac re voluisse discedere a sententia Hippocratis, cujus ubique fidelem Interpretem egit. Recentiores plerique ab Hippocr. & Galeno stant. *Elixa*, inquit Treverius, *assumetur a siccis, assa ab humidis, quod elixa multo humidior est*. Et Gratarol. *Artificium*, inquit, *tale sit: dum pinguiusculæ carnes & teneræ valdeque humidæ sunt, assari hyeme præsertim & vere expediet: reliquas autem elixari æstate præsertim & autumno conveniet; quoniam & levioris concoctionis sunt, & siccitati, quæ viget per id tempus, obsistunt*. Hinc etiam statuunt elixas prandio, cœnæ assas convenire, quod meridies æstati, vesper hyemi quadam temperamenti proportione respondeat.

Porro hanc repugnantiam nonnulli sic conciliant: duplex, inquiunt, est humidum, quod remittitur & exit a rebus dum elixantur. Prius est crudissimum, humidum, spumosum scilicet & flatuosum; Aristoteles *πνευματῶδες* appellat; alterum aqueum, & *ὑδατῶδες*: quo fit, ut semicocta, dum adhuc illo redundant humore, sint duriora perfecte coctis. Ex quo evidens & perspicuum esse volunt, elixa ratione humoris nativiácciora esse assis. Verum ratione humidi alieni esse humidiora. Exemplum afferunt in hordeo; cujus farina quidem est sicca; sed ipsum coctum, id est ptisana, humidum est, authore Galeno: qui id scriptum reliquit lib. I. *de facultatibus alimentorum*: Τὸ γὰρ *ἄλφιτον ἐκ τῆς φρυγείσης κριθῆς γινόμενον ἐναργῶς φαίνεται ξηραῖνον, ἡ πτισάνη δὲ ὑγραίνει. Hordei tosti farina manifeste apparet exsiccans, sed ptisana humectat*. Sic carnem elixam ajunt adventitia humiditate abundare, quam ei impertit aqua, in qua elixatur. Contra vero interna, propria, & substantifica humiditate magis abundare assas, adeoque plus humidi alentis reponere: quo respexisse videtur Avicenna *fen* IV. *primi c.* XX. cum ad impinguandum & generandam sanguinis copiam assas præ elixis plurimum valere statuit. Alii dicunt assas interno succo, elixas externo magis esse succulentas; atque ea etiam est Aristotelis sententia: *ὀπτὰ τὰ ἐκτὸς ξηρότερα τῶν ἐντός· τὰ δ' ἑφθὰ τοὐναντίον, assa secundum externa sicciora sunt, quam secundum interna; elixa e contra*. Et ratio est, quod elixa non multum proprii humoris retineant, sed imbuantur alieno, qui in superficie magis consistit. Assis autem plerumque vi ignis crusta obducitur, qua humor intro coactus exspirare prohibetur: unde fit, ut in proprio humido coquantur, eorumque partes interiores optimo succo refertæ sint, atque ideo laudabiliores habeantur.

Petrus Hispanus, qui anno CIↃ. CCLXVI. Pontificatum iniit assumpto Joannis nomine, quod ordine XXI. reperitur, in *Commentario ad diætas* Isaacii fili Solomonis Regis Arabiæ, hanc responsionem impugnat, & veluti frivolam rejicit. Cum enim siccitas ignis humiditati tam accidentali & externæ, quam substantificæ & internæ perinde adversetur, utramque pariter absumet. Responderi quidem potest, quod licet ignis siccitas non minus uni humiditati quam alteri opponatur, tamen diversus agendi modus efficit, ut in assis humiditas remaneat, in elixis autem dissipetur. Ignis enim extrinsecus agens in ea quæ assantur crustam inducit, quæ humidum internum cohibet, nec exhalare sinit. At contra in elixis, caloris vis per aquam intro subiens illud foras prolicit.

Sed quorsum tot ambages? ego enim parum interesse puto in eodem genere carnis, assane an elixa comedatur. Aut certe si aliquod discrimen ista coctionis diversitas faciat, illud est exiguum, nec tanti, ut impedimento esse possit, quo minus electio sani hominis appetitui ac gustui relinquatur. Tamen si quis in re levis momenti hunc quoque scrupulum sibi exemptum cupiat, iis potius assen-

tiendum puto, qui assa ficciora elixis esse affirmant. Elixatio enim est effectus caliditatis humidæ; assatio caliditatis siccæ, ut cum Aristotele admittimus. In effectibus autem perpetuo quædam causæ vis atque similitudo remanet; ergo a sicco calore siccitas, ab humido humiditas carnibus impressa remanebunt. Adde quod elixando numquam tanta fieri potest adustio, quantam efficere valet assatio, quæ ad incinerationem quoque progreditur. Hinc etiam carnes eas, quæ sicciores sunt temperamenti, ut bubulas, vulgo elixamus, ut nonnihil humescant. Humidas autem, ut agninas & porcellorum, assamus, ut redundans humor vi siccæ coctionis absumatur. Atque ut finem huic Capiti simul ac Libro imponamus auspicato desinemus in Hippocrate, qui lib. *de affectionibus* omnem harum coctionum vim tribus decretis breviter explicat.

I. Ἐς τὴν διαχώρησιν τὰ μὲν ἑφθὰ ἐπιτήδεια· τὰ δὲ ὀπτὰ στασιμώτερα. *Ad alvi secessum perelixæ quidem accommodatæ; assæ vero pigriores.*

II. Τὰ δὲ μετρίως ἔχοντα καὶ ἑψήσιος καὶ ὀπτήσιος, μετρίως καὶ ἐς τὴν ἰσχὺν ἔχει καὶ ἐς τὴν διαχώρησιν. *Quæ vero moderatam elixationem & assationem habent, ea & ad robur & ad alvi secessionem sese moderate habent.*

III. Τὰ δὲ ὠμότερα πρὸς μὲν τὴν ἰσχὺν ἐπιτήδεια, πρὸς δὲ τὴν διαχώρησιν οὔ. *Crudiores autem ad robur accommodatæ, ad secessum vero minime.*

PETRI CASTELLANI,

IN ACADEMIA LOVANIENSI GRÆCARUM LITERARUM ET MEDICINÆ PROFESSORIS REGII,

ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ SIVE DE ESU CARNIUM.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

DE CARNE SUILLA



ANIMALIA primum sacrificandi causa fuisse mactata, & hinc edundæ carnis initium cepisse vulgo proditum supra ostendimus. Quod igitur animal primum ad sacrificia placuit, id quoque primum homines pavisse verosimile est; & suem gravissimi Authores commemorant. Quod tamen ad Ethnicos referri debet: nam universe falsum est. Ovem quippe primam omnium cecidisse victimam Sacræ Literæ nos docent. Etenim *Genesis* cap. IV. vers. IV. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui.* Et paulo ante dictum erat, *fuit autem Abel pastor ovium.* Igitur ovis primum sacrificio destinata. Scriptores autem Sacrorum Librorum ignari hoc suillo pecori tribuunt. Varro lib. II. *de Re Rustica* cap. IV. id ex ipsa nominis origine, tum ex vetustissimis Eleusiniorum initiis, aliisque antiquorum rituum ceremoniis eleganter colligit. *Sus*, inquit, *Græce dicitur ὗς, olim θῦς, ab illo verbo, quod dicitur θύειν, quod est immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur: cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur: & quod nuptiarum initio antiqui reges & sublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta & novus maritus primum porcum immolant. Prisci quoque Latini & etiam Græci in Italia idem factitasse videntur. Nam & nostræ mulieres, maxime nutrices, naturam, qua fœminæ sunt, in virginibus appellant porcum, & Græci χοῖρον, significantes esse dignum insigni nuptiarum.* Neque alienum est quod ἀπὸ τοῦ θύειν deducatur θῦν: nam antequam animalia immolarentur, herbas & fructus diis adolebant, a quorum exhalatione duxit originem illud θύειν. Sic Porphyrius lib. II. *de abstinentia*: Ἐκ τῆς θυμιάσεως τῆς ἀπὸ γῆς θυμιατήριά τε ἐκάλουν, καὶ τὸ θύειν, καὶ θυσίας. Varroni subscribit Athenæus *lib.* IX. Οἱ δὲ σῦν εἰρῆσθαι οἱονεὶ θῦν, τὸν εἰς θυσίαν εὔθετον ὄντα. *Quidam σῦν dici putant, quasi θῦν, quod sacrificiis apta sit.* Ovidius I. *Fastorum*:

Prima Ceres avidæ gravisa est sanguine porcæ,
Ulta suas merita cæde nocentis opes.

Hinc etiam Comicus in *Acarnan.* χοίρους appellat μυστικάς, διὰ τὸ ἐν τοῖς μυστηρίοις τῆς Δήμητρος θύεσθαι, *quod in mysteriis Cereris immolarentur*, ut ait Scholiastes.

Et vero ad lanium a natura sues destinatæ videntur; cum ad communem vitæ usum nihil præter carnes suas conferre queant. Unde Carneades apud Porphyrium: Ἡ ὗς φύσει γέγονε πρὸς τὸ σφαγῆναι καὶ καταβρωθῆναι. *Sus natura facta est ad mactandum & edendum.* Et Plato Comicus hanc unam e genere quadrupedum mactari oportere scripsit: Τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲν ἀποκτείνειν ἡμᾶς ἔδει τὸ λοιπὸν πλὴν ὑῶν· τὰ γὰρ κρέα ἥδιστα ἔχουσι, καὶ οὐδὲν ἀφ' ὑὸς γίνεται πλὴν ὕστριχες ἡμῖν, καὶ πηλὸς, καὶ βοή. *Quadrupedum animalium nullum nos occidere oportebat præter sues: nam & carnes suavissimas habent, & nihil a sue est nobis præterquam setæ, lutum, & clamor.* Quid? quod neque aspectu gratum, nec ingenio amœnum, quod quibusdam animalibus alias inutilibus natura tribuit veluti lenocinium, quo ab hominibus escam mererentur. Nullum enim fœdius, nullum prope est invenire stupidius, adeo ut animam loco salis habere dicatur Plin. *lib.* VIII.

cap. LI. *Animalium hoc maxime brutum, animamque pro sale datam non illepide existimabatur.* Idem longe ante Plinium Varro scripsit: *Suillum pecus donatum a natura dicunt ad epulandum; itaque iis animam datam pro sale, qui servaret carnem.* Cicero V. *de Finibus*: *Etenim omnium rerum, quas & creat natura & tuetur, quæ aut sine animo sunt, aut non multo secus, earum summum bonum in corpore est, ut non inscite illud dictum videatur in sue, Animam illi pecudi datam pro sale, ne putresceret.* Idem repetit II. *de Natura Deorum*; & quia futurum erat, ut crebro in usu ciborum mactaretur, ideo tantam illius esse fœcunditatem: *Sus vero quid habet præter escam? Cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus, qua pecude, quod esset ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.* Porphyrius lib. III. περὶ ἀποχῆς: Ἡ ὗς (ἐνταῦθα γὰρ ἐστὶ τὸ χαρίτων τὸ ἥδιστον) οὐδὶ ἄλλο τὶ πλὴν θύεσθαι ἐγεγόνει, καὶ τῇ σαρκὶ τὴν ψυχὴν ὁ Θεὸς οἷον ἅλας ἐνέμιξεν, εὐοψίαν ἡμῖν μηχανώμενος. *Sus autem (hinc enim illa gratiarum suavitas) non ad aliud quam ad mactandum nata est, & carni animam Deus veluti salem immiscuit, lautitias nobis struens.* Et Artemidorus lib. I. *Onirocrit.* cap. LXXII. somnia de esu carnium ovillarum aut bubularum mala esse dicit, optima vero de esu suillarum: Ἄριστα δὲ πᾶσι τὰ χοίρεια· καὶ γὰρ εἰκός. ζῶν μὲν γὰρ χοῖρος οὐδὲν εὔχρηστος ἀνθρώποις. ἀποθανὼν δὲ μᾶλλον ἐδώδιμος τῶν ἄλλων. *Optima omnibus de suilla somnia; & merito: vivens enim sus nullum usum hominibus præbet; mortuus autem præ cæteris ad esum aptissimus est.* Tanto Scriptorum consensu dictum hoc celebratur. Sed notandum ejus authorem Cleanthem statui a Clemente Alexandrino, cum tamen ad Chrysippum a Cicerone referatur. Ait enim ille lib. VII. *Stromat.* Καὶ Κλεάνθης φησὶν, αὐθ' ἁλῶν αὐτὰς ἔχειν τὴν ψυχὴν, ἵνα μὴ σαπῇ τὰ κρέα. *Et Cleanthes inquit, pro sale eas habere animam, ne putrescerent carnes.* Sed lapsum memoria crediderim potius Clementem, eo quod Ciceroni Porphyrius adstipuletur.

CAP. II.

DE DELITIIS EX CARNE SUILLA, VULVA, SUMINE, &c.

Ut suem ad epulandum nobis esse datam sciamus, præterquam quod ad alia omnia sit inutilis, carnes habet longe suavissimas, quibus velut illecebris ad lanienam invitasse mortales jam gustu captos videtur. Neque in alio pecore magis gulæ Proceres ingenium luxu ostentarunt, inventa in uno animali tot saporum varietate, quæ sola dubiæ cœnæ satis esset. Plinius *lib.* VIII. *cap.* LI. *Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ; quinquaginta prope sapores, cum cæteris singuli.* Cum Plinio facit, quod memorat Livius *libro* V. *Decadis* IV. Nam cum Antiochus Syriæ Rex in Græciam magno exercitu irrupisset, copiasque inauditarum gentium nomine terribiles secum traheret; perculsis omnium animis, Titus Quintius Romanorum imperator, ut eam consternationem tolleret, Regisque potentiam elevaret, habita ad Achæos concione, illius exercitum lepide comparavit cum hospitis sui cœna, in qua suillam tam varie conditam apposuit, ut alieno anni tempore tam multiplicia fercula convivæ mirarentur. Ita quas Græci horrerent gentes nomine quidem diversas, revera Syros omnes, id est, imbelles, & effœminatos esse prudentissimus dux indicabat. Verba facundissimi scriptoris sunt: *Est autem res simillima cœnæ Chalcidensis hospitis mei, apud quem solstitiali tempore comiter accepti, cum miraremur, unde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio: homo non quam isti sunt gloriosus, renidens, condimentis ait varietatem illam, & speciem ferinæ carnis, ex mansueto sue factam. Hoc dici apte in copias Regis, quæ paulo ante jactatæ sint, posse; varia enim genera armorum, & multa nomina gentium inauditarum, Dahas, & Medos, & Cadusios, Elimæos, Syros omnes esse.* Eamdem Historiam refert Plutarchus in *Vita T. Quintii*, & in *Apophthegmatibus Romanorum*.

Præcipuæ vero mensarum deliciæ vulva suis, & sumen: illam recens edito partu, sed magis ejecto probabant. Rem totam luculenter explicat Plinius *lib.* XI. *cap.* XXXVII. *Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejectitia vocatur illa, hæc porcaria; primiparæ suis optima: contra effœtis. A partu, præterquam eodem die suis occisæ, livida ac macra: nec novellarum suum præterquam primipararum probantur, potiusque veterum, necdum effœtarum, & biduo ante partum, aut post partum, aut quo ejecerint die; proxima ejectitiæ est occisæ uno die post partum.* Athenæus etiam *lib.* III. ex Hipparcho *Iliados Ægyptiacæ* authore ostendit τὴν διαφορὰν τῆς ἐκβολάδος παρὰ τὴν ἐκτοκίδα, *præstantiam ejectitiæ præ illa cujus partus est editus.* Verum qui exactius ista perpenderunt, triplici nomine vulvam appellatam tradiderunt, *ejectitiæ, porcariæ, virginis* sive *sterilis*. Hæc autem in omnibus suibus virginibus grata erat, quippe quæ nisi arte fieret, nullius saporis esset, sed in suibus tantum castratis. Castrabantur enim fœminæ teste Plinio *lib.* VIII. *cap.* L. suspensæ pernis prioribus, recisa vulva, ut amisso libidinis usu magis pinguescerent, fierentque gratiores: talesque vulvas *steriles* Apitius appellavit. Hæ voluptariorum hominum fuere lautitiæ, quas etiam prædicant non imperiti earum rerum æstimatores; Martialis *lib.* XIII. *epigrammate* LVI.

Te fortasse magis capiet de virgine porca:
Me materna gravi de sue vulva capit.

Horat. ille Epicuri de grege porcus, *lib.* I. *ep.* XV.

—— *vulva nil pulchrius ampla.*

Antiphanes:

Μήτραν τινὲς πωλοῦσιν, ἥδιστον κρέας.
Vulvam quidam vendunt, carnem suavissimam.

Apud Athenæum *lib.* III. Alexis Comicus Callimedontem, celebrem in primis ganeonem, qui tamen Demosthenis ævo Rempub. Atheniensem regebat, vulvarum adeo avidum fuisse memorat, ut pro iis, non secus ac viri fortes pro patria, mortem oppetere pulchrum & decorum putaret. Græcorum versuum lepos est in allusione vocum πάτρας & μήτρας, quem Latine assequi non possumus:

Ὑπὲρ πάτρας μὲν πᾶς τις ἀποθνήσκειν θέλει
Ὑπὲρ δὲ μήτρας Καλλιμέδων ὁ Κάραβος
Ἐφθῆς ἴσως προσεῖτ' ἂν ὁ τάλας ἀποθανεῖν.
Pro patria omnes mori volunt;
Pro matrice (seu *vulva*) *Callimedon Carabus*
Cocta forte sustineat miser mori.

Nunc vero partem illam abjicimus, nec ullus palato est tam curioso ut eam gustare velit. Nec certe quidquam habet quod magnopere pelliceat. Nam substantia membranea villorum textura, venarum nervorumque miscella officiunt teneritati, ac mollitiei, & friabilitati, quam in carne laudamus, & contra tenacem, ac pannuceam, corioque similem materiæ duritiem inducunt. Sed & condimenta solebant adhibere, quæ nullam

saporis

saporis gratiam ei conciliabant. Nam elixæ, aut frictæ in sartagine, addebant acidam acri thymo muriam, rutæ virentis succum, cominum, acetum cum silphio, ut est apud Athenæum *libro citato*. Apitius autem lib. VII. *rei culinariæ* cap. I. laserem Cyrenaicum, vel Parthicum, aceto & liquamine temperari, & vulvæ sterili apponi jubet. Item piper, apii semen, mentam siccam, laseris radicem, mel, acetum & liquamen. Et Archestratus, ob ganeæ peritiam cognomento Ὀψοδαίδαλος, vulvam his conditam apponi jubet:

Ἐμπίνοντι δέ σοι φερέτω τοιόνδε τράγημα,
Γαστέρα καὶ μήτραν ἑφθὴν ὑὸς, ἔν τε κυμίνῳ,
Ἐν τ' ὄξει δριμεῖ, καὶ σιλφίῳ ἐμβεβαῶσαν.
Potanti vero tibi hæc apponantur bellaria,
Suis venter, elixa porcæ vulva, cum cumino,
Cum aceto acri, & silphio accedens.

Atque horum ea quæ novimus, & fortassis etiam quæ non novimus, palato minime blandiuntur. Adeo ut mirum non sit ab ea diu Priscos abstinuisse, ac gliscente demum luxu edi cœptam, cum plebejum saperet, quidquid a communi usu non abhorreret. Plutarch. lib. VIII. *Symposiacon* qu. IX. suis temporibus vulvæ esum adhuc non fuisse penitus in mores receptum significat, affirmans plerosque seniorum, qui tunc viverent, insolentes ejus cibi prorsus abstinuisse. Πολλὰ γὰρ, inquit, τῶν ἀγεύστων καὶ ἀβρώτων πρότερον, ἥδιστα νῦν γέγονεν, ὥσπερ οἰνόμελι, καὶ μήτρα. *Multa quæ nemo antea gustare aut edere voluisset, suavissima sunt facta, qualia sunt mulsum, (vino-mel) & vulva.*

Sumen, quasi sugimen, est arte præparatum suis abdomen cum mammis lacte turgentibus: unde Martialis *lib.* II. *epigr.* XXXVII. vocat *mammas suminis:* & *lib.* XIII. *epigr.* XLIV.

Esse putes nondum sumen: sic ubere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Suminis nomen abdomini impositum fuisse a Publio Mimographo tradit Plinius *lib.* VIII. *cap.* LI. *Publii mimorum Poetæ cœna, postquam servitutem exuerat, nulla memoratur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito.* Itaque Plinius sumen ab abdomine, sed voce tantum, distinguit, hoc antiquis, illud recentibus magis usurpatum. Quod etiam affirmat *lib.* XI. *cap.* XXXVII. *Suis,* inquit, *occisæ uno die post partum, sumen optimum, si modo fœtus non hauserit, ejectitiæ deterrimum. Antiqui abdomen vocabant, prius callere id sinentes ante occidere non assueti.* Sed fallitur Plinius, quod a Publio mimorum Poeta nomen ei impositum esse dicat. Nam Plautus eo longe vetustior pluribus in locis suminis mentionem facit. Ut in *Curculione* Act. II. Sc. III.

Pernam, abdomen, sumen, suis glandium.

Et in *Pseudolo* Act. I. Sc. II.

Pernam, callum, glandium, sumen.

In *Captivis* Act. IV. Sc. III.

Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido,
Quanta sumini absumendo, quanta callo calamitas.

Easdem delitias & ganeam a suibus peti solitas idem Plautus etiam in *Carbonaria* memorat apud Nonium:

Esto pernam, sumen, sueris, spetile, callum, glandia.

Ubi *spetile*, vel ut alii volunt *spectile*, Scaliger interpretatur carnem sub umbilico, τὸ ἦτρον, καὶ ὑποκοίλιον, τὸ ὑποκάτω τοῦ ὀμφαλοῦ μέρος. Per callum intelligunt vulgo lumbos, quorum caro compacta quidem est, quandamque duritiem habet, sed cum friabili teneritudine pulpalmenti conjunctam, unde nomen obtinuit. Glandia vero sunt partes figuram glandis referentes, quæ ex gutture suis & cervice detrahuntur. Opsonium ex his glandiis

A sive glandulis paratum Plautus in *Menæchmis* lepide *Glandionidam suillam* appellavit.

Sed ad sumen redeamus; ejus parandi rationem Plutarchus refert oratione posteriore περὶ σαρκοφαγίας· Οἱ μὲν οὖν εἰς σφαγὰς ὑῶν ὠθοῦντες ὀβελοὺς διαπύρους, ἵνα τῇ βαφῇ τοῦ σιδήρου περισβεννύμενον τὸ αἷμα καὶ διαχεόμενον τὴν σάρκα θρύπτῃ καὶ μαλάξῃ. Οἱ δὲ οὔθασι συῶν ἐπιτόκων ἐναλλόμενοι λακτίζοντες, ἵνα αἷμα, καὶ γάλα, καὶ λύθρον ἐμβρύων ἅμα συμφθαρέντων ἐν ὠδῖσι ἀναδεύσαντες (ὦ Ζεῦ καθάρσιε) φάγωσι τοῦ ζώου τὸ μάλιστα φλεγμαῖνον. *Alii verubus ignitis porcos jugulant, ut ferri tinctura sanguis extinctus atque diffusus carnem molliat delicatam-*
B *que reddat. Alii uberibus suum fœtarum instante jam partu insiliunt, eaque calcant, ut sanguinem, & lac, & tabum fœtus simul interfecti inter matris dolores eximentes (pro Juppiter Piacularis) maxime inflammatam animalis partem vorent.* Hoc edulii genus quis hodie non fastidiat? Nepotina voluptas ut inveniret delitias, crudelis esse debuit; delitias an gustu suaves nescio, certe auditu graves. Nam quid aliud hic expeti videmus præter lac & sanguinem, contritis ulceratisque mammis inculcata, id est, meram saniem? Nihilominus in hoc genere tantum sibi gula indulsit, ut nisi legum
C Censoriarum severitas obviam ivisset, ad propagationem sobolis vix quidquam reliqui factura fuisse videatur. Sed vel sic ivit in posteros luxuriæ exemplum; quod postea Julianus adstricti moris Imperator edicto compescuit. Vetuit enim, ut refert Ammianus Marcellinus, *inferri vulvam & sumen, ipse vili & fortuito cibo contentus.* Et ante illum Alexander Severus, ut author est Lampridius, cum populus Romanus de caritate bubulæ atque porcinæ quereretur, jussit ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: tantumque intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut
D cum fuisset octominutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur.

Præter vulvam, sumen, callum, glandia, Veterum delitiæ fuerunt e suillo pecore testiculi, syncipitia verrina, pernæ, petasones. Inter pernam vero & petasonem hoc tantum interest, quod petasonis pars perna vocetur, vel authore Athenæo, cujus hæc verba sunt: Ἐπεὶ δὲ πετασῶνος μέρος ἑκάστῳ κεῖται, ὃν πέρναν καλοῦσι, φέρε τί εἴπωμεν περὶ αὐτῆς. *Quoniam petasonis pars unicuique apposita est, quam pernam vocant, age aliquid de ea dicamus.* Itaque pernæ sunt suum crura: etiam in hominibus dixit Ennius:

E *His pernas succidit iniqua potentia Pœni.*

Quem versum interpretatur Livius de clade Cannensi loquens, cum ait, quosdam jacentes vivos succisis femoribus poplitibusque inventos fuisse. Et Veteres elegantissime *suppernatos* vocabant eos, quibus crura succisa essent in modo suillarum pernarum. Petaso autem non modo crus aut femora, sed simul cum his exsectos humeros, aut clunes comprehendit, quod etiam ipsa vocis origo subindicat, quæ apud Græcos latitudinis significationem præ se fert. Alia quoque differentia fuisse videtur, quod petasone recenti vescerentur:
F pernas autem salirent, & in fumo suspenderent, atque in carnario ad usus necessarios reponerent. Hinc de petasone Martialis *lib.* XIII. *epigrammate* LV.

Musteus est: propera, charos nec differ amicos;
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

At pernam Horatius *satyra* II. *libri* II. *fumosam* appellat:

—— fumosæ cum pede pernæ.

Et Cato libro *de Re Rustica* capite CLXII. sive ultimo, cum docuisset qua ratione salire pernas

oporteat, eas biduum in fumo, deinde oleo & aceto commisto perunctas in carnario suspendi jubet.

His addi possunt *Tæniacæ*, *Tomacinæ*, sive *Tomacula*, de quibus Varro lib. II. *de Re Rustica* cap. IV. & Juvenalis *satyra* X.

—— candiduli divina tomacula porci.

Et Petronius in gustatione Trimalcionis valde lauta scribit fuisse tomacula supra craticulam ferventia argenteam posita. Græci vocant τομάχη & τόμους, unde & nomen ipsis, vel σχελίδας καὶ πλευρίδας, quarum mentio est apud Athenæum, & Grammatici κρέα ἐπιμήκη *carnes oblongas* interpretantur. Hinc a Gallis *longes* appellantur. Hesychius: Σχελίδες, κρέα ἐπιμήκη, τετμημένα· οἱ δὲ πλευρίδες. *Schelides, carnes oblongæ, sectæ; aliis pleurides*, sive *laterales*. At Scholiastes Aristophanis in *Equitibus*, & Suidas, σχελίδας ajunt esse βοὸς πλευρὰ, ἢ ἁπλῶς τὰ πλευρικὰ τῶν κρεῶν, *bovis latera, vel simpliciter laterum carnes*. Atque hoc est quod Hesychius vult eas πλευρίδας dici. Cæterum videntur illa fuisse edulia nostris *saucissis* affinia, quam etiam *Lucanicas* vocarunt, a Lucanis Italiæ populis, quorum sues & apri prædicantur. Martialis *lib.* XIII. *epigr.* XXXV.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Eadem esse puto *isicia*, quæ amissione literæ nomen hoc obtinuerunt, cum prius ab insectione *insicia* dicerentur; ut author est Macrobius lib. VII. *Saturnalium* cap. VIII. Quo loco Disarius Medicus causam reddere conatur, cur difficile digestu sit isicium, cum multum in eo digestionem futuram juverit tritura tam diligens, & quidquid grave erat carnis assumpserit, consummationemque ejus multa ex parte confecerit. Nam inde hoc genus cibi difficile digeri ait, unde ei digestio ante provisa putatur. Levitas enim, quam tritura præstitit, facit ut innatet udo cibo, quem in medio ventris invenerit, nec adhæreat cuti ventris, de cujus calore digestio promovetur.

CAP. III.

DE PORCO TROJANO.

Et has quidem ex partibus suum delicias luxuriæ libido damno severitatis excogitavit: utque ad ostentationem magis, quam ad pastum compositas esse sciremus epulas, invenit etiam quomodo totos mensis inferret: neque id simpliciter, sed differtos variis animalium generibus; & tum *porci Trojani* dicebantur. Hoc autem iis nomen inditum fuit, quod ita diversas animantium species utero tegerent, quemadmodum equus ille divina Palladis arte ædificatus clausit armatos viros. Macrobius lib. III. *Saturnalium* cap. XIII. *Ipsa vero edulium genera quam dictu turpia? nam Cincius in suasione legis Fanniæ objicit seculo suo, quod porcum Trojanum mensis inferat, quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Trojanus equus armatis fuit.* Quæ vero animalia includerentur videre est apud Athenæum *lib.* IV. ubi in convivio Carani porcus insignis magnitudinis integer apponitur: Ἦσαν γὰρ ἐν αὐτῷ συνωπτημέναι κίχλαι, καὶ μῆτραι, καὶ συκαλίδων πλῆθος ἀπείρων, καὶ ᾠῶν ἐπικεχυμέναι λέκιθοι, καὶ ὄστρεα, καὶ κτένες. *Erant in ipso simul assi turdi, vulvæ, ficedularum copia innumerarum, vitelli ovorum affusi, & ostrea, ac pectines.* Et *lib.* IX. refert Deipnosophistarum mensis illatum porcellum ab altera parte assatum & probe tostum; ab altera vero jurulentum & elixum: cui & hoc coqui artificium accesserat, quod nullum vulneris vestigium inspectantibus exhiberet, cum tamen non solum exenteratus, sed etiam impensa multa farctus & oppletus esset. Identidemque memorat pro farctu fuisse turdos, atque alias aviculas, ovorum vitellos, abdomina suum, & vulvas minutatim concisas, & gallinas, quarum quoque ventres frustis vulvarum, lucanicis, isiciis, aliisque lautitiis distenti essent.

CAP. IV.

PLURIMOS ABSTINUISSE SUILLA.

Suilla Judæi se inprimis abstinuerunt Dei jussu *Levitici* XI. & *Deuteronomii* XIV. Censetur enim sus inter immunda animalia, quæ Josephus vocat ἀνόσια, Septuaginta vero ἀκάθαρτα ζῶα, id est, οὐ θύσιμα οὐδ' ἐδώδιμα, *quæ nec sacrificari nec comedi poterant*. Tamen ejus rei causam alius aliam commentus est. Apud Plutarch. lib. IV. *Sympos.* quæst. V. Callistratus honoris causa id eos fecisse contendit, quod suem ut sationis & arationis magistram venerarentur. Quo respexisse videtur Poeta:

Judæus licet & porcinum numen adoret.

At Lamprias metu vitiliginis & lepræ, quibus obnoxii erant, eos illam carnem fuisse detestatos asserit; quæ Taciti quoque sententia est V. *Historiarum*: *Sue abstinent, memoriam cladis quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Et sane copioso suillæ usu contrahi genus id mali quidam fatentur. Quæ vis in lacte potissimum elucere fertur; quod Plutarchus tradit lib. *de Iside & Osiride*: Καὶ τῶν τὸ γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν καὶ ψωρικὰς τραχύτητας. *Eorum qui lac suillum bibunt corpora lepra & scabiosis asperitatibus efflorescunt.* Et Ælianus lib. X. *de Animalibus* cap. XVI. Ἀκούω δὲ καὶ Μανέθωνα τὸν Αἰγύπτιον σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακότα ἄνδρα εἰπεῖν, ὅτι γάλακτος ὑείου γευσάμενος ἀλφῶν ὑποπίμπλαται καὶ λέπρας. *Manæthonem Ægyptium summa sapientia virum accepi dicere, eum, qui suillo lacte vescatur, vitiliginibus & lepra oppletum iri.*

Alii propter sordes spretam Judæis suillam putarunt, quod animal illud non tantum luto cœnosisque volutabris gaudeat, sed etiam, qua est ingluvie, fœdissima quæque voret, & potu spurciore delectetur ac pinguescat, quod etiam Homerus nos docet:

—— μέλαν ὕδωρ
Πίνουσαι, τό θ' ὕεσι τρέφει τεθαλυῖαν ἀλοιφήν.

—— nigram aquam
Bibentes, quæ suibus auget florentem pinguedinem.

Clemens Alexandrinus lib. VII. *Stromatum* scribit Judæos abstinere a carne suilla, quod hoc animal sit maxime sceleratum & execrandum, quoniam præ cæteris maxime fructus effodit & corrumpit, atque ita vanitatis arguit eos, qui Judæos id animal veneratos fuisse prodiderunt, quod hominibus arandi artem proscissa rostro tellure primum monstrasset.

Sunt qui Judæis hoc indicare voluisse Deum contendant, voracitati, delitiis, & omnibus gulæ irritamentis, quæ plurima ex eo pecore capiuntur, ei abstinendum, quisquid ex Divinæ Legis præscripto vitam instituere meditaretur. A quibus non alienum est illud Tertulliani, *epistola de cibis Judæorum* cap. III. *Cum cibo suem probibet assumi, reprehendit utique cœnosam & luteam & gaudentem vitiorum sordibus vitam, bonum suum non in animi generositate, sed in sola carne ponentem.* Similiter Novatianus: *Cum suem interdicit, vitam reprehendit bonum suum in sola carne ponentem.* Nam, ut supra ex Cicerone ostensum est, nihil habet sus præ-

ter escam; unde belluinæ voluptatis symbolum habetur. Et Boetius *lib.* IV. *prosa* III. ubi eos qui a bono defecerint ipsa tantum humani corporis specie homines esse tradit, cum revera desierint esse quod fuerant, quando versi in malitiam humanam quoque amiserint naturam, & in belluas degenerarint: mox recensens animalia, quorum vitiis transformatum hominem, non amplius hominem existimare possis, eum qui fœdis immundisque libidinibus immergitur, ait sordidæ suis voluptate detineri. Denique Theologi notant animalia, quæ Deus immunda vult haberi, tropologice esse symbola vitiorum, a quibus abstinere debemus.

Porphyrius autem lib. I. περὶ ἀποχῆς, hujus abstinentiæ causam ait esse penuriam, quod nimirum in Judæa sues nullæ nascerentur; quodque illis abstineant, idem esse ac quod nos camelis, quibus omnino caremus, abstinemus: Οὐδὲ γάρ, inquit, ἐστι χρήσιμον πρὸς ἄλλο τι ὗς, ἢ πρὸς βρῶσιν· φοίνικες δὲ καὶ Ἰουδαῖοι ἀπέχοντο, ὅτι ὅλως ἐν τοῖς τόποις οὐκ ἐφύετο. *Neque enim utilis ad aliud est sus, quam ad escam. Phœnices tamen & Judæi abstinebant, quia illis regionibus omnino non nascebatur.* Sed falsum id esse patet ex iis quæ Evangelistæ referunt in agro Gadareno gregem porcorum magnum fuisse, in quem Dæmones mitti rogarunt. *Et magno impetu*, inquit D. Marcus, *grex præcipitatus est in mare ad duo millia.* Miratur quidem Baronius in Judæorum regione gregem esse porcorum: sed eos fortassis ut venderent, non in suos usus alebant. Quod etiam probabile reddunt Rabbini, qui observant Hyrcani & Aristobuli tempore, paullo antequam illa contingerent, quæ in Evangelio narrantur, factum esse decretum hoc, *Maledictus esto, qui suem aluerit*: quo decreto avaritiæ illorum dubio procul obviam itum est, qui quæstus sui causa porcorum greges pascebant.

Procopius autem scribit ea animalia, quæ Ægyptii divino cultu prosequebantur, ut bovem & ovem, Judæis in cibum a Deo fuisse concessa, quo eos ab impia superstitione revocaret. Nam Apis in figura bovis, Juppiter Ammon in ovis specie colebatur. Ea vero tamquam immunda prohibuisse, quæ avidius illi lurcabantur. In eadem sententia est Theodoretus lib. VII. *de curatione Græcanicarum affectionum*, sive *sermone de sacrificiis*, ubi docet Deum Opt. Max. instar prudentis Medici contrariis contrariorum remediis usum: Δεισιδαίμονας γὰρ αὐτοὺς καὶ γαστριμάργους εἰδώς, πάθει πάθος ἀντέταξε, καὶ τῇ δεισιδαιμονίᾳ τὴν γαστριμαργίαν ἀντέστησε· τῶν γάρ τοι ὑείων ὡς ἀκαθάρτων κελεύσας ἀπέχεσθαι, τῶν δέ γε ἄλλων ὡς καθαρῶν ἀπολαύειν νομοθετήσας, τῇ τῆς κρεοφαγίας ἐπιθυμίᾳ τῶν θεῶν νομιζομένων μεταλαβεῖν κατηνάγκαζεν. *Superstitiosos enim illos & gulosos cum nosset, affectui affectum objecit. Superstitioni siquidem gulam opposuit; qui enim abstinere suillis carnibus ut impuris jussit, alias vero carnes illorum edacitati lata lege permisit, ita profecto vorandæ carnis cupidine incitatos, vesci eos coegit animantibus illis, quas olim deos esse opinabantur.* Et sanctus Gregentius in disputatione contra Herbanum Judæum, referens cibos, quos spreto manna Judæi concupiscebant, etiam carnes suillas recenset, ac si familiares illis essent.

Tamen si credimus Herodoto, non minus religiose Ægyptii, quam Judæi sue abstinuerunt, ut qui vel solo ejus contactu inquinari se arbitrarentur. Nam *lib.* II. Ὗν δέ, inquit, Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι, καὶ τοῦτο μέν, ἤν τις ψαύσῃ αὐτοῦ παριὼν ὑός αὐτοῖσι τοῖσι ἱματίοισι ἀπ' ὧν ἔβαψε ἑωυτόν, βὰς εἰς τὸν ποταμόν. *Suem autem Ægyptii impuram belluam arbitrantur, quam si quis vel transeundo contigerit, abit immersum sese flumini cum ipsis vestimentis.* Hinc despicatissimi erant apud eosdem subulci, in tantum ut communibus templis arcerentur, nec matrimonii conditionem nisi inter sui generis homines invenirent. Ælianus lib. VIII. *de Animalibus* cap. LI. rationem affert, quod pecus illud tantæ sit voracitatis, ut ne humanis quidem carnibus abstineat, nec propriis fœtibus parcat, quocirca ὡς μυσαρὸν καὶ πάμβορον esse abominationi: unde Plin. *lib.* VIII. *cap.* LI. scribit hujus animalis a natura monstrosam adeo esse voracitatem, ut comesse fœtus ei non sit prodigium. Eudoxus aliam adducit causam cum Ægyptii sues non jugulent, quod greges earum arvis immittere consueverint, ut proculcando rostrisque fodiendo humum everterent, & sata adobruerent, quo sic contecta a volucrum injuria conservarentur. Quæ ratio reperitur etiam a Callistrato apud Plutarch. IV. *Sympos.* ubi ait Sacerdotes Ægyptios suem ideo colere, quod prima rostri acumine tellurem findendo aratri usum ostenderit; unde rustico instrumento vomeri nomen ὕνις, a sue videlicet, quæ illis ὗς appellatur.

Præter Judæos & Ægyptios abstinuerunt etiam suillo pecore Phœnices, ut ex Porphyrio superius ostendi; & Arabes Scenitæ, atque Indi, quod memoriæ prodidit Ælianus lib. XVI. *de Animalibus* c. XXXVI. De Scenitis autem etiam Solinus *cap.* XXXVI. *Præterea carnibus suillis prorsus abstinent. Sane hoc animalis genus si invectum illo fuerit, moritur illico.*

Cretensium Sacerdotes omnibus omnino carnibus abstinere scribit Porphyr. *lib.* IV. περὶ ἀποχῆς. Suem vero sacram eos habuisse, & religiosis ritibus coluisse, tradit Athen. *lib.* IX. Cujus superstitionis causa ex antiquo scriptore Agathocle Babylonio affertur hæc: Jovem in Creta natum fabulantur, in monte Dicta, ubi etiam arcana quædam sacra agitantur. Ajunt enim, suem illi sugendam mammam præbuisse, & circumcursantem grunnitu suo impedisse, ne illius vagitus posset intelligi. Ideo omnes animal hoc summa veneratione dignum censent: neque eorum quemquam adduxeris, ut suilla vescatur: & a templo Veneris arcebantur qui carnes suillas gustassent. Sacerdotes etiam Deæ Syriæ, ut refert Lucianus, inter omnes animantes, solas sues pro sceleratis habuerunt, adeo ut neque sacrificarent eas, neque manducarent. Hinc Heliogabalus ille gurges & helluo, natus abdomini suo, tamen Phœnicum & Syrorum religione adstrictus, his se carnibus abstinuit, ut author est Herodianus. Nam *lib.* V. refert eum omnis generis animalia loco missilium in populum effudisse, πλὴν χοίρων, τούτων γὰρ ἀπείχετο Φοινίκων νόμῳ, *exceptis suibus, quibus abstinebat lege Phœnicum.* Cui repugnat Lampridius, qui Heliogabalum ipsum totis interdum diebus nihil præter porcinam gustasse, decem vero diebus continuis aprugna sumina populo exibuisse tradit.

CAP. V.

DE PRÆSTANTIA CARNIS SUILLÆ AC TEMPERAMENTO.

GALENUS in universo genere alimentorum præstantiæ palmam carni suillæ tribuit, idque tanta ubique constantia, ut ex proprii gustus affectu locutus fuisse videatur. Primo *de Facultatibus alimentorum* cap. III. ait eam in nutriendo omnium esse valentissimam; idque exemplum athletarum comprobat, qui se ad certamina non alimento sed sagina componebant. Unde Aristoteles lib. VIII. *Politicorum* cap. III. eorum victum modo βίαιον τροφὴν, modo ἀναγκαιοφαγίαν appellavit; ejusdemque meminit Epictetus *Enchiridii sui* cap. XXXV. & Clemens Alexandrinus lib. II. *Pædagogi* cap. I.

Cibus autem, quo saginari solebant etiam pri-

mis temporibus, potissimum erat caro suilla, prout liquet ex Biantis pugilis Historia LXX. apud Hippocratem lib. V. ἐπιδημιῶν. Atque hinc argumentum colligit Galenus: Nam, inquit, si athletæ æqualibus exercitationibus alterius cujuspiam escæ parem molem vel uno die assumant, postridie confestim redduntur imbecilliores: quod si pluribus subinde diebus idem fecerint, non imbecilliores modo, sed etiam alimenti penuria macilentiores evadent. Libro VII. *Methodi*, cap. VI. Τροφιμώτατον ὂν ἐστιν ἁπάντων, ὧν ἴσμεν, ἐδεσμάτων χοίρειον κρέας. *Omnium, quos novimus, ciborum maxime alit caro suilla.* Paria tradit libro *de Attenuante diæta*, cap. VI. libro *de Renum affectibus dignoscendis & curandis*, cap. XXVI. Denique ubicumque de alimento probo bonique succi verba facere instituit, carnem suillam omnibus anteponit. Eadem crepant, & velut ex Magistri ore dictata resonant Aetius *lib.* II. *cap.* CXXI. Paulus *lib.* I. *cap.* LXXXIII. Oribasius lib. II. *Collectorum* cap. XXVIII. Jam vero Arabes sive Mauri, quorum maxima pars eam carnem per leges religionis suæ gustare non potuit, veluti majorum præjudicio victi, pedibus in eamdem sententiam iverunt. Averrhoes V. *Collig. Melior caro, est caro porcina, & est naturalior hominibus, quam alia caro animalium ambulantium, & experientia hoc docet.* His accedit Avicenna II. *Canonis* cap. DCXIII. Haly-Abbas V. *Theoricæ* cap. XXI. Isaac *Universalium diætarum* cap. XIV. Primus autem hujus sententiæ author fuisse videtur summus ille rei medicæ Dictator Hippocrates; nam I. *de victus ratione* ait; Τὰ δὲ ὕεια ἰσχὺν μὲν τῷ σώματι ἐμποιεῖ μᾶλλον τουτέων. *Suillæ carnes robur corpori majus conferunt quam istæ,* nempe agninæ, de quibus antea loquebatur. Et lib. *de Affectionibus*; Τὰ δὲ ὕεια εἰς καὶ εὐεξίην μὲν καὶ ἰσχὺν ποιέουσι. *Suillæ vero & ad bonum habitum & ad robur conferunt.* Et libro VI. ἐπιδημιῶν, sententia IV. offerri suillas jubet iis, quorum habitus fuerit extenuatus, & vires multis magnisque exercitiis conciderint. Alio loco tabidos, & marasmo jam exhaustos, cerebro suillo reficit. Galenus etiam lib. IX. *Methodi*, cap. VI. & lib. V. *de Sanitate tuenda*, defectu spirituum languentes, & eos qui syncope frequenter obruuntur, suillo itidem cerebro restaurari jubet. *Verum sit*, inquit, *diligenter assum: (nam si cruentum detur, summopere lædit) vel in albo jure legitime elixum, porro & anetho injectis.* Plinius etiam *lib.* XXVIII. *cap.* XVII. macræ suis fœminæ herbis pastæ lardum phthisicis mederi, & hoc genere ciborum in Achaja id malum curari memorat. Idem confirmat Serenus Sammonicus in cura tabis.

Proderit & veteris sevi pila sumpta suilli.

Cum denique, ut Aurelianus ait lib. II. *Tardarum passionum* cap. XIV. tabes plerumque fiat antecedente sanguinis fluore, hunc etiam suilla carne sanari, Æsculapii responso contestatum habemus. Refert enim Suidas, Domninum, Philosophum Platonicum, Syriani discipulum, & Procli condiscipulum, natione Syrum, cum sanguinem continuo spueret, adeo ut ob hoc αἱμοπτυικὸς diceretur, ab Æsculapii oraculo diuturni mali remedium postulasse, jussumque crebro vesci carnibus suillis: & licet patria lege prohiberetur, iis tamen usum fuisse, valetudinemque recuperasse, nec unquam spuisse sanguinem, nisi si quo forsitan die ab illarum usu abstinuisset.

Ex quibus omnibus manifestum est, eas validissime nutrire; quod fit, quia glutinoso crassoque succo abundant, qui partibus affixus non facile discutiatur. Has enim optimi alimenti conditiones statuit Hippocrates lib. *de Affectionibus*, cum ait eos cibos ad sanitatem optimos esse, qui paucissimi ingesti, satis sint ut fami & siti medelam afferant, & longo tempore in corpus recepti, etiam pro ratione per alvum secedunt. Et paulo post, Ad robur, inquit, comparandum optimi sunt, qui plurimam & densissimam carnem gignunt, sanguinem crassiorem reddunt, & pro ingestorum ratione per alvum secedunt, plurimoque tempore in corpore continentur. Hoc autem inprimis habet caro suilla, ut diu in corpore maneat, eique firmiter adhæreat, nec cito resolvatur. Et hinc Athenæus *lib.* IX. recte dicit, τὰ ὕεια κρέα εἶναι ἀσαπόνητα. Neque enim fieri potest, ut quod facile resolvitur, id valide nutriat. Nam quæ valide nutriunt, firma sint oportet, & dissolutioni resistant: quod eleganter docet Galenus lib. VII. *Methodi*; ubi cum dixisset, omnium ciborum maxime alere suillam, propter succi lentorem, addit: Οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἄλλως οἷόν τε διαχεῖσθαι τὸ ἄκρως τρόφιμον· ἴσχεσθαι γὰρ αὐτὸ χρὴ, καὶ προσπλάττεσθαι δυσαπολύτως διὰ λεπτότητος. *Neque enim alio præditum habitu esse oportet, quod summe nutriat: quippe adhærere id debet & firmiter affigi, non autem præ tenuitate diffluere.* Sic etiam lib. *de Renum affectibus*; Ἀπὸ δὲ τῶν πεζῶν τὸ χοίρειον κρέας εὐχυμότατον, καὶ πάντων μάλιστα οἰκειότατον, καὶ τροφιμώτατον, διὰ τοῦτο καὶ δυναμικώτατον, γλίσχρον δέ τι καὶ παχὺ ἔχει. *Et genere quadrupedum suilla caro optimi succi est, & omnium maxime nobis familiaris, plurimumque alit, & ob id valentissima est; glutinosum vero & crassum quidquam habet.* Fallitur ergo Celsus, qui suillam carnem inter domesticas quadrupedes levissimam putavit; ut etiam Eustatius *ad Odyss.* Ξ. qui τὰ ὕεια ῥᾷον φθείρεσθαι affirmat.

Propter hanc succi crassitiem, & materiæ firmitatem, requirit Galenus, ut probe concoquatur in ventriculo, nec continuo, sed ἐκ μακρῶν διαλειμμάτων, id est, per longa intervalla comedatur. Hinc etiam Schola Salernitana vinum ei adjungit. Nam si non recte concoquatur, jecoris & renum obstructiones gignet, ut *loco* jam *citato* docet Galenus, & iterum inculcat lib. *de Cibis boni & mali succi*. Optimi, inquit, succi caro suilla est, si exacte in ventriculo concoquatur, & in sanguinem a jecore convertatur: sed glutinosi aliquid habet, ob idque jecur & renes obstruit iis, quibus hæc a natura adstrictos habent meatus. Itaque stomachum requirit bene dispositum, & simul apta concoctioni exercitia. Quocirca dixit Hippocrates, γυμναζομένοις εἶναι ἀγαθὰ τὰ ὕεια, ἀσθενέουσι δὲ καὶ ἰδιώτῃσι ἰσχυρότερα: *iis qui exercentur convenire suillas, imbellibus & privatis esse validiores.* Et Simeon Sethi: Αἱ γοῦν ὑγραὶ κοιλίαι οὐ καλῶς πέπτουσι τὸ χοίρειον, ἀλλὰ ἐμφράξεις ποιοῦσιν, καὶ περιττωματικὴν ὑγρότητα καὶ γλίσχρον ἀπογεννῶσιν εὐθύς. *Humidi ventres non bene concoquunt suillam, sed obstructiones faciunt, & superfluam humiditatem glutinosumque humorem statim progenerant.* Igitur homini sano, & qui debitis exercitiis utitur, convenientissimum est alimentum suilla.

Convenientiam vero illam facit similitudo, quæ illi est cum humana carne. Habere autem similitudinem magnam cum humana carne, Galenus III. *de Facultatibus alimentorum* monstravit hisce verbis: Καταμαθεῖν δ' ἔνεστι τῷ καὶ τινὰς ἐδηδοκότας ἀνθρωπίνων κρεῶν ὡς χοιρείων οὐδεμίαν ὑπόνοιαν ἐσχηκέναι κατά γε τὴν γεῦσιν αὐτῶν, καὶ τὴν ὀσμήν. ἐφωράθη γὰρ τοῦτο γεγονὸς ὑπὸ πονηρῶν πανδοχέων, καὶ ἄλλων τινῶν. *Similitudinem, quæ suillæ carni cum humana est, vel ex eo discere licet, quod quidam humanis carnibus quasi porcinis vescentes, nullam ejus nec in gustu nec in olfactu suspicionem habuerunt: nam hoc a malignis hospitibus, ac aliis quibusdam factum esse deprehensum est.* Hujus rei historiam explicatius narrat lib. X. *de Simplicium medicamentorum facultatibus* cap. III. Sanguis, inquit, suillus humidus est & minus calidus, humano maxime temperie similis: siquidem & carnes suum humanis sunt similes. Con-

perti enim sunt hospites & coqui complures, qui humanas carnes pro suillis venderent, tametsi qui eas edissent, nullum omnino discrimen percipere potuerint. Quin & ipse narrantes audivi viros fide dignos, sæpe in diversorio jus esitasse delicatum cum carnibus suavissimis: cæterum cum jam pæne saturi essent, invenisse digiti partem anteriorem, quæ videlicet ad unguem est; quo perculsi ac metuentes eos qui erant in diversorio, ne scilicet se quoque vorarent ceu illi rei assueti, protinus quidem illinc exierunt, ac vomitu redditis quæ ederant, ita iter denuo ingressi sunt: sed & in ipso facinore homines mactantes deprehensos non ita multo post referebant. Eadem recenset Avicenna II. *Canon.* capite *de Sanguine*; *Sanguis hominis & sanguis porci sunt similes in omni re; ita ut quidam fuerint, qui vendebant carnem hominis, ac si esset caro porcina; & occultatum fuerit, usquequo inventi fuerunt in ea digiti hominis.* Simeon Sethi; Τὸ χοίρειον κρέας εὔχυμόν ἐστι καὶ εὔπεπτον, δηλονότι τὸ ἐνιαύσιον, διὰ τὴν πρὸς τὸ ἀνθρώπινον σῶμα ὁμοιότητα. διὰ γὰρ ἀνάγκην λιμοῦ τινὲς ἀνθρωπίνων σαρκῶν γευσάμενοι διηγήσαντο ὡς τὸ παρόμοιον εἶναι κατὰ τὴν τοῦ χοιρείου κρέατος γεῦσιν· ἔστι δὲ πάντων ἐδεσμάτων τροφιμώτατον. *Suilla caro boni succi est & facilis concoctionis, cum porcus annalis est, propter similitudinem quam cum humano corpore habet. Quidam enim famis necessitate carnes humanas gustavere, quas suillæ similes gustu esse prodiderunt: alit vero magis omnibus aliis cibariis.* Hæc illi: ut jam mirum videri non debeat, quod de ἀνθρωποφάγοις memoriæ prodiderunt Authores, ut de Massagetis Herodotus *libro* I. de Padæis Indis *libro* III. de Scythis & Hibernis Strabo *lib.* IV. de Cambyse & aliis quibusdam Eustathius *ad* X. *Odysseæ*. Nam & primos homines inter se mutua cæde grassatos fuisse, ex Athemone Poeta vetustissimo docet Athenæus *lib.* XIV. deinde vero pecudes mactare instituisse, cum earum carnes æque suaves percepissent. Atque hinc forsitan Ægyptii, qui se mortalium antiquissimos, & mitioris vitæ authores gloriantur, ne qua ἀλληλοφαγίας irritamenta retinerent, aut ut omnia ejus vestigia penitus abolerent, suillam detestati sunt, quæ priscæ immanitatis memoriam similitudine quadam revocare poterat.

Sunt tamen qui suillam frigidiorem justo censeant, & humidiorem. Et humiditas quidem agnoscenda est, sed moderata, & quæ nostro temperamento collata excessus vitio careat, ac proinde corporibus nostris alendis sit maxime idonea.

At frigiditatis indicium hoc habent, quod præ cæteris hoc animal pinguedine distendatur, quam cogi a frigido veteres Medici asserunt. Idem arguit tenuitas venarum, & paucitas sanguis, quam in illo pecore etiam Hippocrates notavit: Λεπτὰς τὰς φλέβας ἔχει, καὶ ὀλιγαίμους, σάρκα δὲ πολλήν. *Exiles venas habet, & pauci sanguinis, carnem vero multam.*

Sed contra sunt qui alia omnia sentiant, & caliditatem magis culpent. Pro quibus faciunt inprimis qui materiem adipis calidam, agens calidum, effectus calidos esse contendunt. Tum quoque rei rusticæ scriptores, qui suillum pecus juxta flumen aut stagnum detineri præcipiunt. *Nam,* ut inquit Varro, *quia cum sit æstuosissimum, non est contentum potione aquæ, nisi obesam illuviem, atque distentam pabulis alvum demerserit ac refrigerarit, nec ulla re magis gaudet quam rivis aut cœnoso lacu volutari.* Et ob eam rem ajunt, lupos, ubi sues nacti fuerint, eas trahere usque ad aquam, quod dentes fervorem carnis ferre nequeant. His etiam consentaneum est quod nonnulli suillam hyeme magis quam æstate comedendam suadeant. Oribasius libro I. *Collectorum* capite III. Sues, inquit, verno tempore, usque ad occasum autumnalem Pleiadum, sunt pessimi; sed ex eo tempore ad ver optimi. Atque hoc illud est quod apud Athenæum *libro* VII. docet Ananias Poeta vetustissimus, dum jubet porcos escæ destinatos mactari ὅταν τραπῶσι καὶ πατέωσι,

Tunc ubi maturas calcat vindemitor uvas.

Et Albertus Magnus earum carnes æstate simpliciter insalubres ait, quod eo tempore id animal torpens & somniculosum lethargo plerumque corripiatur, & interdum moriatur.

Cap. VI.

De delectu suillæ.

Quæ de carnis electione generatim diximus, ea facile queunt singulis accommodari: pauca tamen de suilla peculiariter tradam.

Porcellos adhuc lactentes, quos Græci γαλαθηνοὺς, δέλφακας, & χοίρους appellant, olim in delitiis habitos, colligere licet ex variis Authorum locis, quos laudat Athenæus *lib.* IX. & Martialis hautquaquam fatuæ Poeta linguæ opimo sui lactentem porcellum anteponit *libro* XIII. *epigrammate* XLI.

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, & Ætolo de sue dives edat.

Et Pythagoram Philosophum, quem non esitavisse ex animalibus opinio vetus occupavit, porculis minusculis & hœdis tenuioribus victitasse proditum est ab Aristoxeno, ut Gellius testatur *libro* IV. *capite* XI.

Tamen Hippocrates suillæ carnis differentias commemorans, τὰ χοίρεα, id est, *nefrendium* sive *porculorum* adhuc subrumorum, quos Varro tradit decimo a partu die *sacres* appellari, carnes vituperat, τὰ ὕεια vero, sive carnes suum adultorum commendat. Χοίρεα δὲ, ait, πονηρὰ, ὁπόταν ᾖ ἐνωμότερα ἢ περιεφθῆ· χολώδεα δ' ἂν εἴη καὶ ἐκταρακτικά. Ὕεια δὲ βέλτιστα τῶν κρεῶν ἁπάντων· κράτιστα δὲ, τὰ μήτε ἰσχυρῶς πίονα, μήτε λεπτὰ, μήτε ἡλικίην φέροντα ἱερείου παλαιοῦ· ἐσθίειν δὲ ἄνευ φορίνης, ἢ καὶ ὑπόψυχρα. *Porcellorum carnes, sive subcrudæ, sive ambustæ malæ sunt; nam & bilem pariunt, & turbationem. Suillis nullæ aliæ meliores sunt; idque si non admodum pingues, neque etiam pertenues sunt, ac neque veteris animalis ætatem sint assecutæ; at vero rejecta pelle, & subfrigidæ edendæ sunt.* Ratio est, quod in porcellis viscida mucosaque humiditas nimium redundet; quod etiam Galenus monet libro III. *de Alimentis*: Εἰκότως οἱ χοῖροι περιττωματικωτέραν ἡμῖν εἰς τοσοῦτον παρέχουσι τὴν τροφὴν, εἰς ὅσον τῶν μεγάλων ὑῶν εἰσὶν ὑγρότεροι. *Merito porcelli tanto magis excrementitium præbent nobis alimentum, quanto sunt magnis suibus humidiores.* Et libro VII. *Methodi* idem ex dissectionibus ad oculum patere scribit. Quamobrem apud Homerum *Odysseæ* Ξ. Eum eus subulcus, ille ὄρχαμος ἀνδρῶν, herum suum Ulyssem, sed ignotum, & a longis erroribus reducem, excepturus epulis, queritur porcellos tantum sibi esse reliquos ab ingluvie procorum, qui porcos adultos & opimos ipsi lucrabantur:

Ἔσθιε νῦν, ὦ ξεῖνε, τά τε δμώεσσι πάρεστι
Χοίρε'· ἀτὰρ σιάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσι.
Comede nunc, hospes, hi servis supersunt
Porcelli: cæterum pingues sues comedunt proci.

Manifeste porcellos tamquam viliores relinqui servis ait, perfectos autem saginatosque sues, ceu delicatoria mensæ fercula, a sponsis Penelopes vindicari.

Galenus commento IV. *ad Hippocratem de Victu acutorum*, hosce versus Homeri laudat, sed non recte capit. Primo enim χοίρεα esse putat porcos admodum exiles, cujusmodi Varro tradit esse qui nascuntur hyeme propter frigora, & quod matres

aspernentur propter exiguitatem lactis; ideoque passim a Græcis ὀλίγονα, καὶ λειπογάλακτα, & a Rhetoribus μετάχοιρα nuncupantur. Deinde σιάλους σύας ait esse τοὺς ὑπερτελεῖς, id est, vergentis ætatis, & effœtos: ac procos insipientis palati accusat, & esse, inquit ἀναισθητοτάτους ἐς διάγνωσιν εὐπέπτων τε ἅμα καὶ ἡδέων ἐδεσμάτων, *stolidissimos in dignotione facilium concoctu & suavium eduliorum*.

Verum Eustathius *ad Homeri locum* jam *citatum*, ex Aristophane Grammatico rectius docet σιάλους dici τελείους καὶ εὐτραφεστέρους, id est, adultos, & qui justum magnitudinis modum obtinent, ac bene curatos; unde etiam ab Homero ζατρεφέες appellantur. His opponuntur δέλφακες & χοῖροι sive χοίρεα, quæ sunt, ut ipse Aristophanes loquitur, ἔτι ἁπαλὰ καὶ ἔνικμα, *adhuc mollia & humecta*. Sic apud Athenæum *libro* IX. Pherecydes γαλαθηνοῖς, id est, *subrumis*, opponit τὰ τέλεα, *quæ perfectæ sunt ætatis*. Unde si apud Homerum σιάλοι sint τέλειοι, etiam χοίρεα his opposita erunt γαλαθηνά.

Cum vero cibus dicatur præstans aut respectu roboris quod confert, aut respectu valetudinis cui conducit, in utroque adultiores sues porcellis antistant. Ad primum quod attinet, porcelli minus validi sunt, juxta sententiam Hippocratis, qui τὰ γαλαθηνὰ ... ἀρεια τοῖσιν ἰσχυροτέροις, id est, *lactentium carnes valentioribus*, opponit. Valetudini quoque minus conferunt, eo quod humiditate nimia scateant. Hippocrates libro II. *de Victus ratione*: Χοίρεα τῶν συείων βαρύτερα· φύσει γὰρ εὔσαρκον ὂν τὸ ζῶον καὶ ἄναιμον ὑπερβολὴν ὑγρασίης ἔχει, τέως ἂν νέον ᾖ. *Porcellorum carnes suillis sunt graviores: hoc enim animal natura carnosum & exsangue, quamdiu tenellum est, superabundantem habet humiditatem*. Idem supra ex Galeno docuimus, qui præterea addit, porcellorum carnes minus alere, εἰκότως, inquit, καὶ ἧττον τρέφουσι. Tamen gustu titillant. Hinc in illis multi suas delicias ponunt. Certe referunt, Angliæ Regem Henricum VIII. illum virum ac virtutum omnium acerbum cinerem, ad summas dignitates nullius pretii hominem evexisse non aliam ob causam, quam quod illi apposuisset porcellum aptissime assum, quo cibi genere potissimum delectabatur; in hoc imitatus Persarum Reges, qui, ut est apud Athenæum *libro* IX. præmiis afficere solebant eos, qui delicatiorem cibum obtulissent.

Qua vero ætate potissimum sint eligendi, ab eodem Galeno discere licet: *Optima*, inquit, *caro ad voluptatem & ad concoctionem est suum ætate mediocrium: nam probum ea generat sanguinem. Pessima vero est vetustissimi suis caro, & recens editorum, si comedatur. Hoc enim omnium, quæ quidem homo comedit, animalium terrestrium humidissimam habet carnem: & propterea supra modum humida caro recens natorum pituitam plurimam generat*. Et libro *de Cibis boni & mali succi* præterea explicat, quæ cuique ætas conveniat: *Ex animantibus*, ait, *quorum natura ad bonos humores gignendos aptissima est, sues mediocris ætatis habentur. Qui enim ad summum creverint, hominibus vigentis ætatis, seque exercentibus: qui vero adhuc increscunt, iis, quorum ætas inclinat, idonei sunt. At porcellorum caro excrementitia est*. Simeon Sethi clarius explicat quænam ætas sit habenda pro mediocri; & suem, qui alimentum tantopere Galenum laudatum præbeat, esse vult anniculum. Deinde addit: Οἱ δὲ δέλφακες, ἅτινα ὀνομάζουσι λακτενδόπουλα, ὑγροί εἰσιν, καὶ περιττωματικοὶ, καὶ οὐχ ὅπως εὔχυμοι· διὸ οὐδὲ καταχρῆσθαι δεῖ τούτοις, ὥσπερ οὐδὲ τοῖς παλαιοῖς τῶν χοίρων, ὡς ἔφην εὔχυμος. (Postrema verba mendosa sunt. Interpres legisse videtur, ὡς οὐκ εὐχύμων. Ego legerim, οὐχ ὅπως, ὡς ἔφην, εὐχύμων) *Porcelli, quos* Græco-Barbari *lactendopula vocant, humidi sunt, & excrementitii, nec adeo boni succi: quamobrem haut bonum est iis uti, quemadmodum nec vetustis suibus, ut qui non adeo boni sint succi*. Sed universim summus ille naturæ genius omnem suillæ carnis usum brevi decreto circumscribit, quod supra ex libro IV. *de Victu in acutis* retuli.

Verum ἅλις ὑός. Idem cibus, licet delicatissimus, si crebro repetatur, nauseam parit. Itaque aliud ferculum apponam, si prius monuero, præstantiam succidiæ a regionibus censeri. Menapiorum pernæ olim ut etiam nunc in deliciis habitæ. Sed, eas superabant Ceretanæ; & his meliores quoque fuisse videntur Cantabricæ. Nam Strabo *libro* III. Ceretanarum pernarum præstantiam indicans, eas cum Cantabricis comparat: Κερρετανοὶ, inquit, Ἰβηρικὸν φῦλον, παρ᾽ οἷς πέρναι διάφοροι συντίθενται, ταῖς Κανταβρικαῖς ἐνάμιλλοι, πρόσοδον οὐ μικρὰν τοῖς ἀνθρώποις παρέχουσαι. *Cerretani Hispanicæ gentis, apud quos pernæ conficiuntur eximiæ, & quæ cum Cantabricis certant, proventumque non exiguum istis hominibus præbent*. Martialis *l.* XIII. *epigam.* LIV.

Ceretana mihi fiet, vel missa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

Athenæus etiam *l.* XIV. meminit pernarum Cantabricarum, & hunc Geographi locum citat. Atque in universum Hispania laudatur a bonitate suillæ. *In Lusitania*, inquit Varro l. II. *de Re Rustica, sus cum esset occisus, Attilius Hispaniensis, minime mendax, & multarum rerum peritus in doctrina, dicebat L. Volumnio Senatori missam esse offulam cum duabus costis, quæ penderet* III. *&* XX. *pondo, ejusque suis a cute ad os pedem & tres digitos fuisse*. Strabo *lib.* V. refert, in ea Italiæ parte, quam Liguriam appellabant, tantas fuisse glandiferarum arborum sylvas, ut ex porcorum gregibus, qui ibi pascerentur, Roma fere aleretur. Polybius author longe gravissimus eidem adstipulatur *libro* II. *Glans*, inquit, *quam larga copia in quercetis proveniat, quæ totis illis campis per varia intervalla cernuntur, sic facile intelligas. Nam cum plurimos Itali homines porcos mactent, tum ut privatim illis victitent, tum ut in conditis militaribus reponant, maximam eorum copiam hæc planities subministrat*. Idem Geographus *libro* IV. tradit, optima salsamenta suillarum carnium ex Sequanis Romam deferri. Et eas ταριχείας sive *salsamenta* videtur intellexisse Varro libro II. *Rei Rusticæ* capite IV. *Succidias Galli optimas & maximas facere consueverunt. Optimarum signum est, quod etiam nunc quotannis e Gallia apportantur pernæ tomacinæ, & tæniacæ, & petasones*.

CAP. VII.

DE BUBULA.

SUILLUM pecus, ut supra diximus, præter escam nihil habet, quo nobis prosit. Contra boves, ut omittam quæ ad vitæ sustentationem dum vivunt ipsæ conferunt, etiam corporis sui figura declarant ad aliud se natas esse, quam ad lanienam. Nam cervices ad jugum formatæ, tum vires & latitudines ad aratra extrahenda, juvandosque in opere rustico hominum labores a natura datæ videntur. Denique *tanta*, inquit Cicero lib. II. *de Natura Deorum*, *putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur*. Et hoc ferreæ ætatis initium, cum, ut Aratus ait,

Πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ᾽ ἀροτήρων.

Impia cum cæsis gens est epulata juvencis.

Tamen Heroum conviviis ubique Homerus apponit, in tantum, ut illis temporibus solemniorum epularum fundus & fundamentum in carne bubula fuisse videatur. Et apud eundem Agamemnon Ajacem post singulare certamen tergo

bubulo honoravit. Hinc apud Athenæum *libro* VII. Ananias cum primis vetustissimus eam asserit nunquam non jucundam esse; cum tamen in omni genere ciborum alius alio tempore probetur: Βοῦς δὲ πιανθεὶς, δοκέομεν, καὶ μεσέων νυκτῶν ἡδύς. *Bos autem opimus, ut arbitror, & mediis noctibus suavis est.*

Illius occidendi authorem Prometheum Plinius facit l. VII. *Naturalis Historiæ* capite LVI. Theon Arati Scholiastes primos id fecisse scribit Athenienses. Cum vero summis atque infimis eumdem victum tolerantibus huic pecori tanta strages inferri non posset absque detrimento agriculturæ, ei conservando legem tulerunt. Varro lib. II. *de Re Rustica* cap. V. Hic socius hominum in opere rustico, & minister Cereris; ab hoc Antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset: qua in re testis Attice, testis Peloponnesus. Vide etiam Ælianum libro V. *Var. Hist.* cap. XIV. Hinc in Buphoniis sacris, ubi rei olim gestæ imago repræsentabatur, apud Athenienses profugo bovis percussore, de securi, qua cædes facta erat, judicium peragebatur, ne quisquam impune vim huic animali afferri licere arbitraretur. Id latius in libro *de Festis Græcorum* ostendi; atque ea de re insignis extat locus apud Porphyrium lib. II. περὶ ἀποχῆς, tum cum illa scriberem a me non animadversus.

CAP. VIII.

DE NATURA ET TEMPERIE CARNIS BUBULÆ.

GALENUS cibis boni succi carnes bubulas adnumerat. Nam libro περὶ εὐχυμίας, καὶ κακοχυμίας, cum in animalium pedestrium genere primas suillæ tribuat, hœdinæ secundas, vitulinæ tertias; deinde suadet, ut a cæteris se abstineat, qui boni succi alimentum expetit: Ἀπέχεσθαι κελεύω, τὸν εὐχυμίας προνοούμενον, τῆς τῶν ἄλλων πεζῶν τῆς ἐδωδῆς. *Ab aliorum pedestrium esu abstinere eum jubeo, quisquis ad bonum succum attentus est.*

Vulgo nunc plurimus illius usus, ut operæpretium sit, unumquemque uno in loco videre, quid de ea veteres Medici scripserint. Hippocrates lib II. *de Victus ratione:* Βόεια κρέα ἰσχυρὰ, καὶ στάσιμα, καὶ δύσπεπτα τῇσι κοιλίῃσι. *Carnes bubulæ validæ sunt, & alvum sistunt, & difficulter in ventriculis concoquuntur.* Libro *de Affectionibus* bubulas ait esse graves; & IV. *de Victu acutorum:* Τὰ μὲν γὰρ μελαγχολικὰ καὶ παροξυνθείη ἂν παθήματα ἀπὸ βοείων κρεῶν ἐδωδῆς· ἀνυπέρβλητος γὰρ ἡ φύσις αὐτοῦ. καὶ οὐ τυχούσης κοιλίας καταπέψαι. *Melancholicæ affectiones ab esu carnis bubulæ exacerbantur: insuperabilis enim ejus natura est, nec cujusvis est ventriculi eam concoquere.* In eandem plane sententiam concedit Galenus, ut non immerito Hippocratis enarratorem ubique se profiteatur. Τὰ δὲ βόεια, inquit, κρέα τροφὴν μὲν καὶ αὐτὰ δίδωσιν οὐκ ὀλίγην, οὔτ' εὐδιαφόρητον. αἷμα μέντοι παχύτερον ἢ προσήκει γεννᾷ. εἰ δὲ καὶ φύσει τὶς εἴη μελαγχολικώτερος τὴν κρᾶσιν, ἁλώσεται τινὶ παθήματι μελαγχολικῶν ἐν τῇ τούτων ἐδωδῇ πλεονάσας. *Bubulæ vero carnes alimentum quidem & ipsæ tribuunt non exiguum, nec facile dissolubile: sanguinem quidem gignit crassiorem quam convenit. Si vero quis etiam naturali temperamento sit melancholicus, iisque crebro utatur, aliquo affectu melancholico corripietur.* Paulus, Aetius, & Oribasius magistri sui verba sublegerunt, & mentem expresserunt. Nec alio abit Simeon Sethi, cæterum his accuratior: *Bubula*, inquit, *caro plurimum nutrit, & qui ex ea gignitur sanguis supra modum crassior est. Difficulter etiam concoquitur &*

A *distribuitur; sed si concoquatur, abunde nutrit. Et si cum ovilla carne comparetur, frigida est, sanguinemque melancholicum gignit. Hujus carnis jus ventris fluxus ex flava bile compescit. Si quis comedere expetat, ejus noxæ, quæ timetur futura, medeatur cum aceto, alliis & ruta intingens.*

Arabes omnes uno ore Græcis assentiuntur. Isaac *Universalium Diætarum* cap. XIII. & partic. *Sanguinem generat grossum, turbidum, & melancholicum, multumque nutrimentum inobediens digestioni, tardeque de stomacho ejicitur, & a membris difficulter dissolvitur, & ventrem constipat.*
B Haly-Abbas V. *Theoricæ* capite XXI. *Vaccinæ carnis nutrimentum plurimum, & grossum, & digestioni difficile, nigram generat choleram, maxime quod completorum fit animalium. Si hanc homo comederit, & sui natura ad choleram declinat nigram, melancholici illi proveniunt morbi.* Rhazes l. III. *ad Mansorem* capite IX. *Caro vaccina crassa est, multumque nutrit; sanguinem quoque spissum ac crassum generat. Neque convenit nisi his qui multo utuntur exercitio: a comestione abstinere debent, quibus melancholicæ accidunt ægritudines.* Idem XXIII. *Continentis* capite DCCIII. *Caro vaccina abundanter nutrit, tamen generat humorem grossum declinantem ad nigredinem, & si ea utitur in cibo*
C *melancholicus per naturam, frequenter patietur morbos melancholicos.* Avicenna *fen* I. *primi, capite* XV. *Caro vaccina est grossi nutrimenti, & multi, & mali.* Et *capite* CXLVI. *Caro vaccina plurimi est nutrimenti, grossa, melancholica, generans ægritudines melancholicas.* Paria scribit Averrhoes V. *Colligit.* adeo ut omnes, non utrum ita res haberet inquisivisse, sed veluti majorum præjudicio victi, in eamdem sententiam pedibus ivisse videantur.

CAP. IX.

D
AMPLIUS DE NATURA BUBULÆ, ET QUIBUS CONVENIAT.

COMMUNIS ergo sententia bubulam esse frigidam & siccam, ideoque ad restauranda humidi innati detrimenta inhabilem, ventriculo rebellem, concoctu difficilem, crassum generare sanguinem & melancholicum, qui melancholicos proritet affectus in iis, qui natura sint melancholici. Adeo non uno peniculo bubula funditus e lautorum mensis everritur.

Verum hæc qualitatum finitio ad examen est revocanda. Galenus bubulam statuit suilla multo
E sicciorem: unde cum suilla humanæ carni sit persimilis, procul dubio bubula respectu nostri sicca merito dicetur. Sed alterius qualitatis excessum non adsignat: quin libro XI. *de Simplicium medicamentorum facultate*, calorem moderatum, & æquabili temperamento propinquiorem illi tribuere videtur. Et si verum est quod asserit Aristoteles III. *de Partibus animalium* capite VI. ἡ πολυαιμία θερμότητος σημεῖον, *sanguinis copia caloris indicium,* non est quod bovem temperamento frigidum dicamus; cum, ut scriptum reliquit Hippocrates II. *de ratione victus*, sit ζῶον πολύαιμον, *animal mul-*
F *to sanguine præditum.* Nec est cur ob temperiem vitæ nostræ principiis adversam ejus carnes adeo noxias existimemus. Quin Celsus *l.* II. *c.* XXIV. inter ea, quæ stomacho aptissima sunt, ex domesticis animalibus recenset bubulam; & *c.* XXVIII. eamdem reponit in numero eorum, quæ in stomacho minime vitiantur.

Cæterum in hac re nihil absolute statui potest, sed distinctio facienda juxta naturam hominum qui carne bubula utuntur, & juxta naturam ipsorum boum ex quibus ea sumitur. Atque ad pri-

mum quod attinet, juvenibus bono habitu prædi-tis, & robusto ventriculi calore, convenientius est alimentum, quam mullus aut accipenser. Quod etiam docet Galenus, cum eam suillæ carnis & bubulæ proportionem facit, ut juvenibus recte valentibus, quibus caro suum ætate florentium convenit, iisdem quoque conveniat caro boum, qui id ætatis nondum attigerunt. *Ὥσπερ ἐν τοῖς ὑσὶν*, inquit, *οἱ κατὰ τὴν ἀκμαστικὴν ἡλικίαν ἐπιτήδειοι τοῖς εὐεκτικοῖς νεανίσκοις εἰσὶν, οὕτω τῶν βοῶν οἱ πρὸ τῆς ἀκμῆς*. *Quemadmodum sues ætate vigentes conveniunt juvenibus bene habitis, sic boves ante vigorem.* His adde vitæ genus, consuetudinem, exercitia, quæ in nonnullis leviorem materiem corrumpere possent; ea efficiunt, ut ab iisdem ex bubula alimentum laudabile capiatur. Unde merito Simeon Sethi: *Λυσιτελεῖ δὲ μόνοις τοῖς ἔχουσι θερμοτέραν τὴν γαστέρα, καὶ τοῖς σφοδρῶς γυμναζομένοις καὶ ἀμέτρως*, *Expedit solis iis qui ventrem habent calidiorem, ac valde & supra modum exercentur*. Neque enim ex palati tantum sensu varianda victus ratio; sed aliarum quoque circumstantiarum momentis est modulanda. Hinc quæ Trimalcioni sapiunt, & conferunt, ea nonnunquam

Squallidus in magna fastidit compede fossor.

CAP. X.

DE ELECTIONE BUBULÆ.

ALTERA differentia est a natura ipsorum boum, quæ spectatur e sexu, ætate, regione, pabulo. Ad sexum quod attinet, mares alimenti copia, succi bonitate, & temperamenti competentia fœminis antecellunt. Tauros gentium consensus a mensis ablegavit. Expediret etiam vaccas damnari post trimatum, & quæ marem admiserunt: nam præter succi pravitatem, etiam sexus ratione frigidiores sunt. Certe Ægyptii & Phœnices citius humanas carnes gustassent, quam vaccinas, si Porphyrio credimus II. *περὶ ἀποχῆς*. *Παρὰ γοῦν Αἰγυπτίοις*, inquit, *καὶ Φοίνιξι, θᾶττον ἄν τις ἀνθρωπείων κρεῶν γεύσαιτο, ἢ θηλείας βόος*. Quamvis Herodotus *lib.* II. bubulam Ægyptiorum Sacerdotum cibum esse memoriæ prodat. Ergo ratione sexus reliqui sunt cibo utiles exsecti sive castrati, & tauræ. Quantam corporibus mutationem afferat castratio, supra docui. Hoc obiter hic addo, Varronem jubere castrare ante bimatum; quia difficulter, si aliter feceris, se recipiunt: qui autem postea castrantur, duri & inutiles fiunt. Verum suaviores fore carnes arbitror, si teneri & sub uberibus castrentur, quod ex Magone vetustissimo rei rusticæ scriptore tradit Columella *lib.* VI. *capite* XXVI. Post florem ætatis castrati, etiamsi saginentur, multum taurinæ virulentiæ ac duritiæ retinent. Quippe hoc animal etiam anniculum generat, ut author est Aristoteles libro VI. *de Historia Animalium* cap. XXI.

Tauræ sunt vaccæ steriles, ita Varro lib. II. *de Re Rustica*, capite V. Columella *lib.* VI. *capite* XXII. & Festus. Ut has non temere fastidiamus, exemplo nobis est apud Homerum *Odyss.* Υ. Philætius, qui numero isti fruges consumere nato, sponsis inquam Penelopes rem gratam facturus venit:

Βοῦν στεῖραν μνηστῆρσιν ἄγων καὶ πίονας αἶγας.

Abducens tauramque procis pinguesque capellas.

Secunda differentia sumitur ab ætate: ejus gradus sunt quatuor. Varro *lib.* II. *cap.* V. *In bubulo genere ætatis gradus dicuntur quatuor: prima vitulorum, secunda juvencorum, tertia boum novellorum, quarta vetulorum*. De vetulis seorsim agemus. Ex secunda & tertia ætate *τομίας* sive *castratos* recipio, & tauras. Nam tauros etiam anniculos rejecerim: quippe jam tum Venerem meditantur. In trimatu autem ætatis vigorem obtinent, ut est in *Geoponicῶν* libro XVI. Vaccæ omnium deterrimæ; & senio pravitas augetur. Quanto igitur salutis humanæ dispendio etiam effœtas avaritia lanio destinat. Denique in universo boum genere, vetulorum carnes duræ, siccæ, fibrosæ, pannuceæ, & concoctioni rebelles sunt. Media & florens ætas suppeditabit quod eligere queas.

Tertio, quibus regionibus nati sint plurimum refert. Veteres olim boni generis boves in Italia & Gallia ducebant. Transmarinos autem Epiroticos reliquis omnibus anteponebant, adeo ut, teste Varrone, propter dignitatem amplitudinis & coloris eos ad victimas farcirent, & ad Deorum supplicia servarent. Ac vero quanta boum præstantia fuerit apud Gentem, eorum curæ sedulo incumbentem, ostendit Aristoteles libro VIII. *de Historia Animalium* c. VIII. vel ut alii distinguunt cap. X. *Αὐξάνονται δὲ ὅταν πλείω ἔτη ἀνόχευτοι ὦσι. Διὸ οἱ ἐν τῇ Ἠπείρῳ τὰς καλουμένας Πυῤῥίχας βοῦς ἐννέα ἔτη διατηροῦσιν ἀνοχεύτους· καὶ καλοῦσιν ἀποταύρους, ὅταν αὔξονται. Τούτων δὲ τὸ πλῆθος εἶναί φασι περὶ τετρακοσίους ἰδίους τῶν βασιλέων· ἐν ἄλλῃ δὲ ζῆν χώρᾳ οὐ δύνασθαι, καίτοι πεπειρᾶσθαι τινάς*. *Crescunt cum plures annos Veneris expertes sunt. Idcirco Epirotæ vaccas, quas vocant Pyrrhichas, annos novem coitu arcendas curant; & dum crescunt atauras appellant. Ajunt eas esse numero circiter quadringentas regum peculiares; aliis locis vivere non posse multorum experimento*. Meminit etiam *ταύρου Πυῤῥίχου* Theocritus *Idyllio* IV. Et licet, ut notat Scholiastes, hoc nomine rufus intelligi queat; tamen alii de hoc genere boum acceperunt, atque a Rege Pyrrho dictos, & reliquias esse boum Gergonis existimarunt. *Τινὲς δὲ*, inquit, *τὸν Πυῤῥίχον Ἠπειρωτικὸν ἤκουσαν ἀπὸ Πύῤῥου τοῦ ἐκεῖ βασιλεύσαντος· Δοκοῦσι δὲ οἱ βόες ἐκεῖνοι λείψανον εἶναι τῶν Γηρυονείων*. *Aliqui Pyrrhichum Epiroticum audiunt a Pyrrho Rege. Videntur autem boves isti reliquiæ Gergoneorum*. Et hodie Poloni bubulam suam mirifice prædicant, illudque Martialis *lib.* XIII. *epigr.* XCII. in ejus laudem flectunt:

Inter aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima boves.

Apud Anglos etiam oppido delicata fertur. Nos boves Frisios laudamus. Et in agro Furnensi apud Flandros ita præstare creduntur, ut vulgo *Furnensium perdicum* nomine celebrentur. Adeo omnium animantium corpora regionum situs varie concinnat.

Denique pabulum, pascendique ratio, non exiguam diversitatem facit. Unde Galenus: *Καὶ τῶν ἄλλων ζώων, ὅσα τὰς οἰκείας ἀφθόνως ἔχουσι τροφάς, πολὺ βελτίω σφῶν αὐτῶν εἰς ἐδωδὴν γίνονται· καθάπερ καὶ χείρω τ' ἀναντία*. *Et aliorum animalium, quibuscumque familiare pabulum & proprium abunde suppetit, ad esum longe meliora seipsis evadunt; quemadmodum deteriora quibus e contra accidit*. Ita vituli salubriores gustuque jucundiores sunt, si probo lacte alantur: nec aliud Gandenses tantopere commendat, quam peculiaris ars & cura saginandi. Sic boves manifesto fiunt obesiores, succique laudabilioris, dum virentes herbæ in semen turgescunt. Et Oribasius libro I. *Synopseos* boves ait esse optimos, cum herba fructum fert. Hæc si deficiant, frustra impendas curam denso distendere pingui: ubi suppetunt, ultro pinguescunt. Et sic Furnenses nostri boum suorum opimitatem mollibus lætisque pratis acceptam referre debent. Pinguescunt etiam iis quæ flatum gignunt, ut ervo, faba fresa, atque ipsa fabarum herba, quod docet Aristoteles *loco* superius *allegato*. Et his fere mo-

momentis, alimenti, quod ex bubulo genere capessimus, bonitatem juxta & pravitatem pensitamus.

CAP. XI.

DE CARNE VITULINA.

AVICENNA *fen* III. *primi, doctrina* II. *capite* VII. inter cibos boni succi, & ad sanitatis conservationem aptos, carnes vitulinas maxime commendat. Nam cum bubulæ sint æquo frigidiores & ficciores, id vitium vitulinis nondum advenit, quæ beneficio ætatis moderatam inter humidum calidumque temperiem ac naturæ nostræ familiarem obtinent. Omnia enim animalia secundum speciem, quo ortui viciniora sunt; eo & calidiora & humidiora censentur, ac per ætatum gradus frigidiora, & ficciora evadunt. Hæc autem temperamenti convenientia, & substantiæ modus minus durus efficit, ut eorum carnes facile concoquantur, & in bonum sanguinem convertantur. Idem affirmat Rhazes XXIII. *Continentis*, Haly-Abbas V. *Theoricæ* cap. XXI. *Caro*, inquit, *vituli natura sicca cum ætatis humiditate complexionem temperat in humido & sicco, ideoque cibus est laudabilis*. His etiam adstipulatur Averrhoes V. *Collig.* Porro in vitulorum genere, si alimentum spectemus, nulla fere sexus ratio habetur; nisi quis dicere velit mares fœminis esse calidiores & minus humidos. Sed primis mensibus in alimento discrimen hoc a sexu vix percipi arbitror. Sed quod ab ætate sumitur, nimis est obvium, quam ut consilio egeat. Nam quis stomacho tam firmo, ut vitulorum recens editorum & adhuc a matre madentium carnes sine fastidio comedat. Quisquis apponere volet, moneo simul pelvim afferat. Mucus est, non caro. Igitur antequam in usum mensæ veniant, sint ad minimum bimestres, aut paullum ultra citrave eam ætatem consistant. Nam Galenus lib. III. *de Facultatibus alimentorum* cap. I. carnes vituli lactentis sex vel octo hebdomadarum, assatas ut optimas tum ad concoquendum, tum ad succum bonum generandum, tum ad nutriendum commendat. In secundo ætatis gradu sunt juvenci & juvencæ sive junices. Temperies eorum ficcior est quam vitulorum, humidior tamen quam boum. Et alimentum præstant non illaudati succi ante admissuram, aut certe antequam admissuræ habiles sint. Quod etiam Hesiodus affirmat; qui in *Operibus* & *Diebus*, ruris opes & delicias enumerans, non omittit:

Καὶ βόος ὑλοφάγοιο κρέας μήπω τετοκυΐας.
In sylvis pastæ, nondum enixæque juvencæ
Carnem.

Convenit maxime juvenibus, qui bono corporis habitu sunt præditi. Itaque vitulorum carnes non modo salubres, sed in tantum quoque suaves ac palato gratas usus invenit, ut, ne in his nimium gula luxuriaret, tandemque socius hominibus in opere rustico & Cereris minister deficeret, Imperator Valens lege per Orientem lata cavere debuerit, ne quis vitulorum carnibus vesceretur.

CAP. XII.

DE OVILLA.

EFERIS pecudibus primum oves comprehensas ab hominibus & mansuefactas Antiqui crediderunt, & propter utilitatem & placiditatem. Earum tamen carnes ad cibum raro mensis adhibuerunt. Nam cum lacte, caseo, lana vitæ necessitatibus large succurrerent, diu ab iis manus abstinendum censuerunt. Et sane videtur huic animali ita comparatum a natura: ut mortuum nihil habeat quod magnopere sit expetendum, quasi nobis sufficere debeat quod a vivo tot commoda percipiamus.

Quippe caro arietis hircinæ affinis est, & ut concoctu difficilis, ita succi vitio & odoris fœditate detestabilis. Nec melior est ovilla, in qua speciei simul & sexus temperies frigida nimium & humida nutrimenti pravitatem auget. Hinc mucosi lentique humoris copiam offendas etiam per ipsas musculorum fibras diffusam. Atque ætate hæc vitia crescunt. Ideo si annum excesserit, in universum damnat Simeon Sethi: Τὸ προβάτειον κρέας περιττωματικόν ἐστι, καὶ κακόχυμον· κρείττονα δὲ τῶν προβάτων τὰ ἐνιαύσια. τὰ δὲ ὑπὲρ ταῦτα, καὶ δύσπεπτα, καὶ κακοχυμώτερα. βλάπτει δὲ μᾶλλον τοὺς ὑγροστομάχους, καὶ τοὺς φλεγματικούς. *Ovilla superfluitatum plena est, malique succi; melior est annicula; quæ vero super hanc est, difficulter concoquitur, & deterioris succi; nocet magis his qui stomacho sunt humido, & pituitosis.* Ergo vetularum ovium caro durior est, & succi pravioris: unde qui ea temere utuntur, ex humorum corruptela in febres aut dysenteriam incidunt. Accedit ad hanc pravitatem, quod ut author est Hippocrates, oves morbo sacro plerumque tententur: ut mirum videri merito possit quod non vetulas tantum, sed crebro etiam partu effœtas certo anni tempore in lanarium ducere per civitatum leges permittatur.

Sed neque agninæ ad sanitatis tutelam commendari possunt, ob insignem excessum humiditatis; quamvis non negandum quin ovillæ pluribus abundent excrementis, & sint succi deterioris: quod docet Galenus III. *de Alimentorum facultatibus*: Ὑγροτάτην δὲ ἔχουσι καὶ φλεγματώδη σάρκα καὶ οἱ ἄρνες· ἀλλὰ καὶ ἡ τῶν προβάτων σὰρξ καὶ περιττωματικότερα τέ ἐστι, καὶ κακοχυμώτερα. *Agni carnem habent humidissimam & pituitosam; ovium vero excrementosior est, & succi deterioris.* Atque id forte voluit Hippocrates l. II. *de Victus ratione*, cum ait: Τὰ δὲ ἄρνεια κουφότερα τῶν οἴων. *Agninas ovillis esse leviores.* Præterea Galenus libro *de cibis boni & mali succi*: Ἡ δὲ τῶν ἀρνῶν σὰρξ ὑγρά, καὶ γλίσχρα, καὶ βλεννώδης ἐστι. *Agnorum caro humida est, & viscida, & mucosa.* Et libro *de attenuante diæta*, ex terrestribus animalibus genus omne ovium non undequaque laudabilis esse alimenti affirmat: agnorum vero esum propter insignem humiditatem esse fugiendum. Nam cum omnium animalium recens in lucem editorum carnes humidæ sint & mucosæ, eo magis eorum quæ suapte natura sunt humidiora. Galeno concinunt Oribasius lib. II. c. XXVIII. Aetius *lib.* II. *cap.* CXXI. & Averrhoes V. *Collig.* in iisdem *superfluam humiditatem* damnat, qua vitulinas carere testatur. Quare nec apud Antiquos ullo in pretio fuerunt: unde Horatius *l.* I. *epist.* XV. vilissimis cibis eas adnumerat:

—— *patinas cœnabat omasi*
Vilis & agninæ.

Quo loco Mænii scurræ cujusdam edacitatem perstringit, quæ tanta erat, ut, cum epulæ lautiores carioresque eum deficerent, maximam sibi vilissimarum copiam apponi curaret. Et Athenæus *l.* IX. ex Antiphane inducit quendam interrogatum, qua carne libentius vesceretur, ita respondentem:

Εἰς εὐτέλειαν τῶν προβάτων μοι, οἷς ἔνι
Μήτ' ἔρια, μήτε τυρός, ἀνὲρ φίλτατε.
Ad vilitatem quidem ovium, quibus
Nec lana est, nec caseus, vir optime.

Nec tamen in universum carnes agnorum esse damnandas arbibror, penitusque delendas e censu alimentorum. Nam utiles esse queunt iis qui tem-

perie sunt calida, & stomachum habent impense A siccum, & præsertim anniculorum, qui Venerem tamen experti nondum sint: nam concoctu faciliores sunt, eo quod redundantem humorem ætas aliquantum decoxerit. Id etiam innuere videtur Simeon Sethi, cujus locum, quia corruptus, hic adscribam prout esse legendum arbitror: Τὰ τῶν ἀρνῶν κρέατα συμμέτρως μὲν εἰσὶ θερμά, περιττωματικὴν δὲ ἔχει ὑγρότητα, καὶ διὰ τοῦτο βλάπτει τοὺς ὑγροτέραν ἔχοντας κρᾶσιν, λυσιτελεῖ δὲ τοῖς ξηροτέροις. Καὶ ὅσῳ μὲν νεαρώτερον, τοσούτῳ καὶ δυσπεπτότερον, καὶ ὑγρότερον. Ὅσῳ δὲ μεῖζον, τοσούτῳ καὶ εὐπεπτότερον, καὶ ἧττον ὑγρόν. *Agnorum carnes moderate calidæ* B *sunt, superfluam vero habent humiditatem. Atque ob id nocent iis qui humidiore sunt temperamento, convenit autem siccioribus. Quantoque junior agnus fuerit, tanto difficilius ejus caro concoquitur, & humidior est. Quanto autem major, tanto melius concoquitur, & minus est humida.* Atque ex his quodammodo patet, hoc pecus in cibos non esse adhibendum priusquam aliis naturæ muneribus homini profuerit. Quod secuti Athenienfium Legislatores, interdixerunt esum agni tenelli, & anniculo minoris, cui nec vulsa, nec tonsa lana fuisset. Παλαιὸς νόμος, μὴ σφάττειν πρόβατον ἄπεκτον ἢ ἄτοκον. Sic ex Philo Choro, & Androtione Athenæus l. I. & C IX. *Deipnosoph.* & post eum Eustathius *ad Homeri Odyss.* Ξ.

Igitur ut hoc animal etiam in cibos placeret, a naturali habitu discedendum fuit. Solus enim vervex carnem laudabilis succi præstat, ac præsertim si non sit anniculo major. Nam circa tempus hoc, deposita humiditatis abundantia, temperamenti mediocritatem quandamque substantiæ teneritudinem obtinet, ut & naturæ nostræ familiaris sit, & concoctu minime contumax inveniatur. Sed ut neque minorem quinque mensibus castrare oportet, ita si anniculo major exsecetur, carnes habebit insuaviores. Ætatis etiam progressu siccitas invale- D scit, qua duriores evadunt. Verum hæc plurimum variant ob regionis & pabuli diversitatem. Sic in Alpibus, non procul a gente Carnorum, genus est vervecum tenerrimæ carnis, præ qua vel altiles gallinarum pullos facile contemnas. Et apud Hispanos non immerito vervecina in deliciis est. Nam cum in eorum regione saltus & campi sint, rore-marino atque alio id genus odoratissimarum herbarum germine florentes, necessario contingit,

Ut pecus occultum referat in lacte saporem,

& substantiam habeat longe solidiorem: quo fit, ut apud illos una libra plus alimenti conferat quam E apud alias nationes sesquilibra. Porro generatim dicere licet, vervecis anniculi, aut paulo etiam majoris, aut saltem non vetuli, carnem præstantia nulli alteri quadrupedum concedere, quod etiam Turcæ non ignorant, qui ea libentissime vescuntur, nec aliam lautioribus epulis frequentius adhibent.

CAP. XIII.

DE CAPRINA.

SUB caprino pecore hircos, capras, hœdos comprehendimus. Hircina caro calida est & F sicca, stomacho inimica, concoctu difficilis, & pravi succi. Galenus eam his nominibus culpat, libro *de attenuante diæta*, c. VII. & *Commentario* CI. & CII. *in quartum Hippocratis de Victu acutorum*. Libro autem III. *de Alimentorum facultatibus*, cap. II. ait in hunc modum: Ἡ δὲ τῶν τράγων σὰρξ χειρίστη, καὶ πρὸς εὐχυμίαν, καὶ πρὸς πέψιν. *Hircorum caro deterrima est, sive succi bonitatem attendas, sive concoctionem.* Galenum sequuntur Oribasius lib. I. Εὐπορίστων cap. XXXIII. & lib. II. *Collectionum* cap. XVIII. Paulus *lib.* I. *cap.* LXXXIV. Aetius *l.* I. *c.* CXX. Ad hanc materiæ pravitatem fœtor accedit, ob quem ne gustui quidem suavis esse potest. Quamvis, si Plinio credimus, virus non resipere fertur, si panem hordeaceum eo die, quo interficiatur, ederit, laserve dilutum biberit. Albertus Magnus id vitium corrigi tradit, & simul caloris acrimoniam inducta frigidi humidique temperie retundi, si hircus adhuc tenellus, & antequam salire valeat, exsecetur: quod mature opus facto est. Nam, ut author est Columella l. V. *de Re Rustica* cap. VI. mensium septem satis habilis est ad procreandum: quoniam immodicus libidinis dum adhuc uberibus alitur matrem stupro supervenit, & ideo celeriter; atque ante sex annos consenescit, quod immatura Veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhauriatur.

Caprina ad alendum validissima putatur a quibusdam: & argumento est, quod ex Clitomacho, viro in Academica Philosophia maximo, & harum rerum diligentissimo, refert Athenæus *l.* IX. Thebanum quendam athletam omnes ætatis suæ homines robore virium superasse non aliam ob causam, quam quod assiduo caprarum carne vesceretur: Εὔτονοι γὰρ ἐντεῦθεν, inquit, καὶ γλίσχροι χυμοὶ γίνονται, καὶ πολὺν χρόνον ὑπομένειν ἐν τοῖς ὄγκοις δυνάμενοι. *Firmi enim hinc & viscidi succi gignuntur, & longo tempore in corporis mole permanere valentes.* Sic enim Athenæi locus iste mutilus ex Eustathio *ad Homeri Odysseam* Ξ. restaurari debet. Apud Homerum quoque proci quotidie capras bene pingues in usum ciborum mactant, atque eorum unusquisque,

—— ἐπ' ἤματι μῆλον ἀγινεῖ
Ζατρεφέων αἰγῶν ὅστις φαίνηται ἄριστος,
—— *quotidie pecudem abducit*
Abunde saginatarum caprarum quæcunque videtur optima.

Tamen si Medicos audimus, & athletæ illi pollicem obvertemus, & quod Galenus facit, procos ut imperitos bonorum ciborum æstimatores rejiciemus. Atque in primis Hippocrates, lib. IV. *de Victu acutorum*, eam bubula deteriorem statuit. Nam cum antea dixisset esu bubulæ exacerbari melancholicos affectus, ejusque naturam esse insuperabilem, nec a quocumque ventriculo posse concoqui, deinde subjungit: Αἴγεια δὴ κρέα, ὅσα τε ἐν βοείοισιν ἔνεστι κακά, ἅπαντα ἔχει, τήν τε ἀπεψίαν, καὶ φυσωδέστερα, καὶ ἐρευγματωδέστερα, καὶ χολέρην ποιεῖ. *Caprina caro, quæcumque in bubulis insunt mala, habet omnia, & cruditatem, estque flatuosior, & ructus magis generat, & bilem facit.* At lib. II. *de Victus ratione* ait caprinas bubulis esse leviores, & magis alvum dejicere: Τὰ δὲ αἴγεια κρέα κουφότερα τούτων (nempe βοείων) καὶ διαχωρέει μᾶλλον. Galenus autem III. *de Facultatibus alimentorum* cap. II. in iis & succi pravitatem & acrimoniam reprehendit. Κακόχυμοι καὶ αἱ τῶν αἰγῶν σάρκες μετὰ δριμύτητος. Quamvis enim calida & sicca temperies, quæ in hircis est, ratione sexus in capris aliquantum remittatur: si tamen homini vel sui conferantur, haut exiguus illarum qualitatum excessus invenietur. Hinc comparatio suillæ cum caprina proverbiali joco locum fecit in eos qui neglectis melioribus deteriora sequuntur, apud Athenæum *l.* XII.

Ἐπεὶ γε τῶν ὑῶν διάμεστος ἐγένετο,
Ἐπὶ τὸ αἴγ' οἷός ἐστιν ἀνακάμπτειν πάλιν.
Expletus suilla carne cum fuerit,
Ad capram reverti denuo potest.

Eamdem quoque intemperiem arguit febris, qua per omne vitæ spacium carere nunquam existimantur, quod ex Archelao memoriæ prodidit

Plinius *l.* VII. *c.* L. & *l.* XXVIII. *c.* X. Hinc etiam est, quod cum in emptione cujuslibet pecoris stipulatio de sanitate soleret interponi, aliter in his fieret, ut docet Varro lib. II. *de Re Rustica* c. III. *quod*, inquit, *capras sanas sanus nemo promittit; nunquam enim sine febri sunt*. Præterea morbo comitiali obnoxiæ sunt, ut in libro *de Morbo sacro* testatur Hippocrates; qui etiam asserit, eos qui Libyæ loca mediterranea incolunt, vix unquam sanari, si in epilepsiam inciderint, eo quod caprinis carnibus assiduo vescantur. Quam ob causam veteribus Sacerdotibus apud Romanos, & præcipue Flamini Diali nefas erat non edere tantum, sed etiam attingere carnes earum, quod sonticum quid exhalare & contagionem diffundere crederentur. Ita Plutarch. in *Quæstionibus Romanis*. Quod autem addit Priscos sacrificio caprarum abstinuisse, universim non est verum: nam Homerus sæpissime capras sacrificiis infert. Et Aristoteles lib. V. *Ethicorum* c. X. meminit cujusdam legis, quæ jubet capram Jovi immolare. Avicenna l. II. *Canonis*, Tractatu II. cap. CCXXX. eos qui caprinam gustarent aut tangerent, eadem lue facillime inquinari testatur: quod etiam ex Veterum authoritate demonstrat Clemens Alexand. VII. *Stromat.* Accensis etiam cornibus capræ vel hirci, non secus ac cervi, comitialem morbum deprehendi vulgus existimavit. Eamdem vim & carnibus illius tribuerunt. Et quia hunc morbum, ut ait Hippocrates, φύσιν καὶ πρόφασιν οἱ ἄνθρωποι ἐνόμισαν θεῖον εἶναι, idcirco *causa* VII. *quæstione* II. *capitulo* II. sive ultimo, ubi Pontifex Gelasius Præsulem quendam, qui frequenter epilepticorum ritu corruebat in terram, carnibus indifferenter uti necessaria probatione compellit: Glossa censet excipi hœdinas, *quæ provocant dæmones*. Amplius pravitatem arguit, quod sanguis caprarum haustus corpori pallorem inducat; quod exemplo Drusi probat Plin. l. XXVIII. *Historiæ Naturalis* capite IX. *Drusus Tribunus plebis*, inquit, *traditur caprinum sanguinem bibisse, cum pallore & invidia veneni sibi dati Q. Cepionem inimicum vellet*. Millia tamen remediorum ex eo animali demonstrantur, quod Plinius *l.* XXV. *c.* X sese mirari fatetur. Sed magis quoque mirum, quod ejus morbi remedium præstet cui potissimum est obnoxium, & quem transfundere fertur. Idem quippe Plinius *l.* XXVIII. *cap.* XIX. *Cerebrum capræ*, inquit, *Magi per annulum aureum trajectum, prius quam lac detur, infantibus instillant, contra comitiales cæterosque infantium morbos*. Id quoque confirmat Sextus Empiricus, ubi agit de remediis, quæ ab animalibus petuntur; & hoc amplius addit, caprarum carnibus in hominis rogo tostis, earumdem sevo morbos comitiales sanari. Cæterum si quis caprina vesci cupiat, æstate adulta vel autumno suaviorem inveniet propter alimenti copiam, quod ex fruticum virgultorumque germinibus capiunt: unde apud Athenæum *l.* VII. Ananias Poeta.

Ἡδὺ γ' ἐσθίειν χίμαρυ φθινοπωρισμῷ κρέας.

Suave per autumnum comedere capræ carnes.

Igitur in hoc genere superest hœdina, quæ post suillam omnium præstantissima a Galeno perhibetur, & ab Arabibus præcipue commendatur. Nam suillam potius ex authoritate majorum quam ex arbitrio proprii gustus prædicarunt, cum lege Mahometis ab ea se abstinere cogerentur. Hanc vero ex animi sententia laudant. Itaque Avicenna *fen* III. *primi*, *doctrina* II. *cap.* VII. hœdinam reliquis anteponit, & iis qui sanitatis suæ curam gerunt maxime commendat. Rhazes l. IV. *suorum Aphorismorum mirabilem* vocat. Et Isaac capite XIV. *Diætarum universalium*, *temperatam esse* ait, *nullamque in se babere malitiæ admixtionem*, *omnibusque omnium quadrupedum carnibus laudabiliorem*. Averrhoes V. *Collig.* cum pulli gallinacei carnem esse optimam asseruisset, huic deinde proximam statuit hœdinam. Haly-Abbas V. *Theoricæ* cap. XXI. *Hœdulorum*, inquit, *caro generat bonum sanguinem*. At ne tantum ex Arabum palato sapere videamur, præter Galenum, in cujus sententiam Paulus, Aetius, Oribasius plerumque jurant & verba sublegunt, e citerioribus Græcis hautquaquam proletariæ conditionis testem adducemus. Is est Simeon Sethi, qui ait in hunc modum: Τὰ τῶν ἐρίφων κρέα εὐπεπτά ἐστι, καὶ σύμμετρα. ἀπογεννᾷ δὲ αἷμα λεπτὸν καὶ ὑγρόν. Ὠφελεῖ δὲ τὰς θερμὰς καὶ ξηρὰς κράσεις· κρείττονες δὲ καὶ εὔχυμοι, οἱ μήτε πάνυ νεαροί, μήτε μείζονες· οἱ γὰρ τοὺς ἓξ μῆνας ὑπερβαίνοντες, οὐδὲ κυρίως ἔριφοι ἂν κληθεῖεν, ἀλλ' αἶγες. Οἵ τε πυρροὶ καὶ γλαυκοὶ τῶν ἄλλων βελτίονες, βλάπτουσι δὲ πρὸς τὰς κωλικὰς διαθέσεις. Φασὶ δὲ καὶ ὡς ὁ πνεύμων αὐτῶν ἐσθιόμενος μέθης ἀποτρεπτικὸς τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ γίνεται. *Hœdorum carnes faciles concoctu, & moderatæ, sanguinem vero tenuem & bumidum gignunt. Calidas etiam & siccas babitudines & temperaturas juvant. Sunt autem meliores & succi melioris, qui nec nimis tenelli sunt, nec nimium natu grandes. Nam qui sex menses excedunt, non bœdi proprie vocari possunt, sed capellæ. Rufi & glauci cæteris meliores sunt sed colicis affectibus nocent. Ajunt quoque pulmonem eorum, si ante potum edatur, ea die temulentiam avertere*. Et sane cum genus id animalis natura calidum sit & siccum; siccitas ætatis, calor autem alimenti beneficio corrigitur. Hinc oritur temperamenti moderatio naturæ nostræ familiaris, & a qua bonus sanguis, calido frigidoque contemperatus, generetur. Ad bonitatem præterea facit, quod minimum habeat excrementi. Sed cum dico alimenti beneficio calorem emendari, solum de lactentibus ago; neque enim aliorum usus probatur: nam ut monet Sethi, semestres non amplius hœdorum nomine veniunt. Quin & bimestres, etiamsi lacte nutriantur, duriores evadunt, & aliquid jam viroli resipiunt. Frustra naturam alimento expellere tentes; mox recurret. Hinc Rhazes: *Quia in iis odor existit, ideo comedi debent bœdi non magni*. Et recte Elluchasim Elemithar *Tacuino* XIV. *Hœdi*, inquit *quo antiquiores, tanto pejores*. Et Martialis *lib.* VII. *epigramm.* XXX.

—— fœtum querulæ rudem capellæ

inter ruris delicias enumerat. Et illud forte magis locum habet in maribus quam in fœmellis: Certe Pastor apud Theocritum *Idyllio* I. capellæ carnem usque ad partum esse bonam ait:

Χιμάρῳ δὲ καλὸν κρῆς, ἔς τε κ' ἀμέλξῃς.

Capellæ bona caro, donec mulseris.

Id est, ut exponit Scholiastes, quamdiu fuerit ἀνάμελκτος, & nondum pepererit. His convenit Elluchasim, qui fæmellæ carnem temperatiorem quam masculi, & a siccitate remotiorem esse tradit. Sed vel sic anniculis minores esse convenit. Nam, ut author est Aristoteles l. V. *de Historia Animalium* cap. XIV. capræ αὐτοετεῖς, id est, eo quo natæ sunt anno coeunt, & uterum gerunt. Hinc Juvenalis *satyra* XI.

De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, inscius berbæ
Necdum ausus virgas bumilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet quam sanguinis.

Hieronymus Mercurialis, vir sine controversia summus, libro I. *Variarum* capite XXV. ex hoc Juvenalis loco, hædos Tiburtinos Veteribus in pretio fuisse colligit. Quod ut illi concedamus, alia tamen est mens Poetæ: nam sæculi sui luxum graviter, *ea Satyra* reprehendit. Et ne factis procul, dictis tenus censor esse videretur, Persicum quem habiturus erat convivam, coram ait experturum, numquid pulcherrima dictu non præstet

vita vel moribus, & re. Quamobrem epulas priscæ frugalitatis & fercula nullis ornata macellis illi se appositurum pollicetur. Non igitur Tiburtinum ut notæ præstantioris hœdum promittit, sed ut parabiliorem, & sibi fortassis vernaculum. Deinde addit Mercurialis: *Sed quem gulosi omnium maxime quærebant, erat hœdus lupi faucibus ereptus*. Atque id probat authoritate Horatii ode II. *Epod.*

Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.

Et Martialis *l.x. epigramm.*XLVIII. Sed locum adeo depravatum, ut nihil sani coloris elici posset, ipse non animadvertit; quem Scriverius, vir limatissimi ingenii, & doctrinæ reconditæ summa industria nobis restitutum dedit:

Gustus in his: una ponetur cœnula mensa,
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.

Equidem Plutarchus lib. II. *Sympotiacῶν*, quæstione IX. tradidit, earum pecudum, quas lupus momorderit, carnes fieri teneriores: sed hoc ambitiosius est, quam ut congruat sensui poetarum qui ἀτέλειαν sive *parcimoniam* suarum epularum commemorant. A Hoc enim uterque vult, hœdum se mensis adhibituros, sed lupo ereptum & sic quoque in rem domini versum, cui funditus periisset, si lupus eum dilaniasset. Atque id etiam innuit vetus Interpres Horatii, dum inquit: *Cariora sunt quæ a periculis liberantur*. Nec recta sunt omnia, quæ de Medicis ac Melicis hœdis ibidem Mercurialis refert. Hœdos tamen ex Melo insula maris Jonii Veteribus celebratos constat. Nam Athenæus *libro* I. & ex eo Clemens Alexandrinus libro II. *Pædag* capite I. eos ganeonum deliciis adnumerat: & Pollux *libro* VII. *capite* X. inter ἀδόκιμα παλαιῶν ἐδέσματα ἔριφον ἐκ Μήλου recenset. Verum B οὐκ ἔτ' αὔεκτα sunt, quæ vir ille, nemini sine honoris præfatione nominandus, de Ambraciæ hœdis comminiscitur, dum eo detorquet Archestrati versus, apud Athenæum *libro* VII.& κάπρον, quem etiam Ennius apud Apulejum vocat *caprum apud Ambracienses*, non pro pisce, sed pro hœdo accipit. Quod quam sit alienum, facillime judicabit quisquis Archestrati versuum interpretationem legerit apud Casaubonum libro VII. *Observationum* capite XV.

PETRI CASTELLANI,

IN ACADEMIA LOVANIENSI GRÆCARUM LITERARUM ET MEDICINÆ PROFESSORIS REGII,

ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ

SIVE

DE ESU CARNIUM.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

DE CARNE FERINA.



IN omnibus animalibus cujuscumque generis ullum est placidum, ejusdem inveniri & ferum Veteres tradiderunt. Aristoteles: Πάντα γὰρ ὅσα ἥμερά ἐστι γένη, καὶ ἄγριά ἐστι. Plin. idem affirmat *lib.* VIII. *cap.* LIII. Hinc etiam Varro l. II. *Rei Rusticæ* cap. III. *Oves*, inquit, *quas pascimus, ortæ sunt ab ovibus feris: sic capræ quas alimus, a capris feris sunt ortæ*. Ex quo verosimile fit quod Plutarchus ait, primam carnium venisse ferinam in usum ciborum. Et integros etiam populos non alia victitasse compertum est. Antiquiora non revolvo. Ammianus Marcellinus *lib.*XIV. de Saracenis: *Victus*, inquit, *caro ferina est, lactisque abundans copia, qua sustentantur, & herbæ multiplices, & si quæ alites capi per aucupium possint: & plerosque nos vidimus frumenti usum penitus ignorantes*. Hinc venandi ars valuit, in qua se E modo Principes & Nobiles potissimum ostentant. Et olim nonnulli supra modum ei fuerunt addicti, adeo ut integras aucupum venatorumque cohortes per provincias mitterent. Pacatus Latinus, Theodosii temperantiam extollens, Veterum luxum exaggerat, qui illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent. *Ut taceam*, inquit, *infami sæpe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse convivis*. Quicquid quæritur optimum videtur, ait Satyricus. Elegantiorum epularum pompa caputque ferina est, quod F non sit facilis. Seneca in *Consolatione ad Helviam* capite IX. *O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur: pretiosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas aut difficultas parandi facit*. Vilis & plebeja censetur mensa, cujus ad apparatum nihil venatio contulit. Sed videamus an ut ostentationi, ita & salubritati istæ lautitiæ conducant.

Arabes ferinam absolute malam pronunciant, & expungunt ex classe ciborum, qui ad curam sanitatis commendantur. Haly-Abbas V. *Theoricæ* capite XXI. *Silvestrium caro omnium mala est*;

sanguinem enim generat grossum & melancbolicum. Idem scribit Rhazes III. *ad Mansorem*, Isaac *Universalium Diætarum* capite XIII. Nec aliud illa Græcorum parœmia significat, quæ de supinis & oscitabundis usurpari solet, Ἀγρίου βέβρωκας, *De fera comedisti*: nam vulgo creditum, usu ferinæ crebras oscitationes excitari. Hesychius: Ἀγρίου βέβρωκας. οἱονεὶ ζώου ἀγρίου· εἰώθασι δὲ οἱ βεβρωκότες χασμᾶσθαι. *Ferinam gustasti, hoc est ex animali fero comedisti; solent autem qui ferina vescuntur oscitari.* Eadem ad verbum habet Zenobius *centuria* I. *adagio* VIII.

Contra Græci ferinam cicurum animalium carnibus anteponunt. Galenus lib. III. *de Facultatibus alimentorum* capite XIV. Τῶν ἡμέρων ζώων ἡ κρᾶσις ὑγροτέρα τῆς τῶν ἀγρίων ἐστὶ, διά τε τὴν ὑγρότητα τοῦ ἀέρος, ἐν ᾧ διαιτῶνται, καὶ τὸ ῥᾴθυμον τοῦ βίου. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ὄρεσι ταλαιπορεῖταί τε καὶ κάμνει πολλὰ, καὶ κατὰ ξηρότερον ἀέρα διατρίβει. διὰ τοῦτο καὶ σὰρξ αὐτῶν ἐστὶ σκληροτέρα, καὶ πιμελῆς ἢ οὐδ᾽ ὅλως, ἢ ὀλίγιστον μετέχει. Ταύτῃ τοι καὶ ἀσηπτοτέρα πλείοσιν ἡμέραις διαμένει τῶν ἡμέρων τε καὶ ἀργῶς διαιτωμένων ζώων. Πρόδηλον δ᾽ ὅτι καὶ ἀπέριττός ἐστιν ἡ ἐξ αὐτῶν τροφὴ μᾶλλον. ὥσπερ ἡ μὲν τῶν ἡμέρων τε καὶ ἀργῶν περιττωματική. Τρέφειν τε οὖν ἀναγκαιόν ἐστι τὴν τοιαύτην τροφὴν εὐχυμωτέραν τε πολλῷ τῆς ἑτέρας ὑπάρχειν. *Domestica animalia temperie humidiora sunt quam agrestia, tum ob aeris, in quo degunt, humiditatem, tum etiam ob vitæ ignaviam. Quæ vero in montibus degunt, multum exercentur ac fatigantur, præterea in aere ficciore vivunt; quapropter eorum caro est durior, nulliusque prorsus, aut quam parcissimæ pinguedinis particeps. Quæ causa est cur pluribus diebus quam domesticorum & otiose degentium animalium servetur imputris. Liquet etiam quod alimentum ab iis proveniens minus habet excrementi, contra excrementitium est, quod a domesticis atque otiosis sumitur. Necessum igitur est alimentum ejusmodi nutrire valentius quam alterum, succumque gignere multo meliorem.* Et Oribasius l. IV. *Synopseos*, capite XII. ferarum carnes succi melioris esse quam cicurum liquido affirmat.

Verum haut difficulter hoc Authorum dissidium componemus, si dicamus, animalia fera in usu ciborum præferenda esse mansuetis ejusdem speciei; at si animalia diversi generis inter se conferantur, tum plerasque mansuetorum carnes ferinis esse laudabiliores. Ut exempli gratia vervecinas aut hœdinas, & succi bonitate, & concoctionis facilitate cervinis aut leporinis præstare, nemo sani gustus negaverit. At contra aprugnam domestici suis carne longe meliorem esse omnes fatentur.

CAP. II.
DE APRUGNA CARNE.

ATQUE id ceu principiis supra positis, consentaneum ubique docet Galenus, ut lib. *de attenuante diæta* cap. VI. & lib. VIII. *Methodi* cap. II, Habet enim omnia commoda domestici suis, & vitiis ejus caret; quia in humiditate temperatior est, minusque viscosa atque excrementitia, ut asserit Simeon Sethi: Ὑπερέχει δὲ ἡ τῶν ἀγρίων σὰρξ τῆς τῶν ἡμέρων, τὸ μὴ περιττωματικὸν εἶναι, μηδὲ γλίσχρον χυμὸν γεννᾷν. *Caro aprorum antecellit carni suum domesticorum, quod paucioris sit excrementi, nec viscidum adeo succum generet.* Hinc Hippocrates illi tres facultates in alimento expetendas assignat; quod nempe respectu suillæ exsiccet, valenter alat, & facile descendat. Ἡ σὰρξ συὸς ἀγρίου ξηραίνει, καὶ ἰσχὺν παρέχει, καὶ διαχωρέει. Atque his de causis in toto ferinæ genere primas ei fuisse tributas Avicenna testatur. *Christiani dicunt, quod melior caro sylvestris est caro porci sylvestris: nam cum hoc quod est levior carnibus domesticorum, est fortis nutrimenti & plurimi, & velocis digestionis.* Igitur ea non immerito frequentissima mensis, ut parum lautus hospes haberetur, qui convivis suis aprugnam non apposuisset. Deinde vero gliscente luxu, quasi conviviorum furor portionibus expleri non potuisset, integros apros inferre cœperunt. Quam sæculi sui labem satyrico sale perfricat Juvenalis *satyra* I.

—— quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!

Id primum a Rullo factitatum protinus in mores ivit. Plinius *lib.* VIII. cap. LI. *Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Servilius Rullus, pater ejus Rulli, qui Ciceronis Consulatu legem agrariam promulgavit. Tam propinqua origo nunc quotidianæ rei est.* Suetonius in parcimonia & sordibus Tiberii Imper. habet, quod dimidiatum aprum apponeret, affirmans eadem habere quæ totum. Verum M. Antonius Triumvir, teste Plutarcho, septem aut octo apros in cœnam unam paravit. Nec ibi luxuria substitit, convivis singulis etiam singulos apros appositos fuisse legimus. Quod in nuptiali convivio Carani Macedonis factum memorat Athenæus *libro* IV. in quo ut numerus convivarum æquaretur, CXX. apros in triclinium illatos oportuit. Sic bellua natura sua μονήρης, quamque Callimachus & Ælianus μόνιον vocant, & posteriores Latini *singularem* appellarunt, in gregis multitudinem coacta, ut gulæ superbiam satiaret. Nec vero quidquam miri, tantam suppetivisse ferarum copiam, cum eas non tantum ex venatu haberent, sed etiam depromerent ex θηριοτροφείῳ. Sic capsam appellabant septumve, quo captivas includebant. Ita Varro l. III. *de Re Rustica* c. XIII. refert Q. Hortensio sylvam fuisse quinquaginta jugerum maceria circumdatam, in qua incredibilem cervorum aprorumque multitudinem alebat, quos, ubi collubitum erat, circa triclinium excelso loco positum, per ministrum Orphei specie exornatum inflata buccina congregabat; & spectaculum convivis præbebat non minus formosum, quam in Circo maximo Ædiles, non sine Africanis bestiis cum fiunt venationes. De talibus Juvenalis *sat.* V.

Altilis & flavi ferro dignus Meleagri
Fumat aper.

Sic altos etiam castrabant, quo delicatiores fierent, & majores: hoc enim ad incrementum iis prodesse tradit Aristotel. l. VI. *de Hist. Animalium* c. XXVIII. Et *l.* IX. *c.* L. generatim ait: Καὶ ὅλως δὲ μακρότερα γίνεται τὰ ἐκτεμνόμενα ζῶα τῶν ἀτμήτων. *Et universim majora fiunt animalia exsecta non exsectis.* Et Homerus exsecti apri miram magnitudinem prædicat:

Θρέψεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον, οὐδὲ ἐῴκει
Θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι.
Nutriit ferum suem, qui exsectus instar
Creverat non fruge pastæ bestiæ, sed montis
Ardui arborosi.

Jam vero quantus ejusmodi cœnarum sumptus, ubi minima pars apparatus ipsa caro: patrimonium in ea mergendum erat, ut saperet. Quamobrem Martialis *epigrammate* XXVI. *lib.* VII. aprum lepide vocat *conturbatorem*; & ab igne suo non posse capi, seque vilius esurire fatetur.

CAP. III.
DE CARNE CERVINA.

QUANTUM bubula suillæ, tantum cedit aprugnæ cervina. Sicca enim est, dura, concoctu difficilis, succumque gignit vitiosum & melancholicum. Galenus III. *de Facultatibus alimentorum*, bubulæ affinem esse dicit; sed ea quoque frigidior est: cujus rei affert argumentum Ari-

stoteles lib. IV. *Meteoror.* cap. VII. quod sanguis cervi non concrescat. Ὅσα δὲ μὴ πήγνυται, οἷον τὸ τοῦ ἐλάφου, καὶ τὰ τοιαῦτα, ὕδατος μᾶλλον, καὶ ψυχρότατα ταῦτα. *Quicumque vero sanguines non concrescunt, ut cervi, & similes, ad aquam magis accedunt, & frigidissimi sunt.* Et lib. II. *de Partibus Animalium* cap. IV. scribit, cervi sanguinem fibris carere. Galenus autem libro *de Renum affectionibus*: Φυλακτέον δὲ καὶ τὸ τοῦ ἐλάφου, ὡς σκληρόν, καὶ δύσπεπτον, καὶ μελαγχολικόν. *Fugienda est cervina, ut quæ dura sit, concoctu difficilis, & melancholica.* At libro *de attenuante diæta* proxime ad asininam accedere ait, quam alibi ad homines τὸ πῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ὀνώδεις relegat. Aetius: Κακόχυμος καὶ ἡ τῶν ἐλάφων, καὶ σκληρά, καὶ δύσπεπτος. Paulus: Ἡ δὲ τῶν ἐλάφων καὶ σκληρά, καὶ δύσπεπτος. Similia Oribasius lib. II. *Collectionum* cap. XXVIII. & lib. I. εὐποριστῶν cap. XIX. Atque eadem veluti dictata retinent omnes uno ore Arabes. Hippocrates hoc ei commodum inesse scribit, quod urinas moveat, licet alioquin difficilis sit digestionis. Ἐλάφου δὲ κρέας ξηραίνει, ἧσσον δὲ διαχωρέει, οὐρέεται δὲ μᾶλλον. *Cervi caro exsiccat, minus autem descendit, magis urinam movet.*

Si quis ea delectetur, æstatis tempore circa Augustum, ex Platinæ sententia, gratiorem experietur. Quod propterea, ut opinor, asseruit, quia æstate cervi supra modum pinguescunt, adeo ut ad cursum tardiores evadant. Verum si Platina suas patinas eo anni tempore sic concinnet, vix est ut se peritum lautitiarum Aristoteli probet. Nam lib. VI. *de Historia Animalium* c. XXIX. cum cervis tempus coitus esse dixisset ab Arcturo, mense Augusto & Septembri, addit postea: Καθ' ὃν δὲ χρόνον ὀχεύουσι, τὰ κρέα γίγνεται φαῦλα καὶ δυσώδη, καθάπερ καὶ τῶν τράγων. *Quo tempore coeunt, caro eorum fit prava & fœtida, perinde quasi hircorum.*

Aliam præterea rationem affert Simeon Sethi, cur æstivo tempore satius sit abstinere, quod tum serpentibus vescantur, quos spiritu narium e latebris extrahunt, nec fieri possit quin a pabuli pernicie labes aliqua contrahatur. Sed verba diligentissimi scriptoris, licet pluscula, non abs re fuerit in medium proferre, tum quia non omnibus obvia sunt, tum quia naturam & proprietates carnis cervinæ luculenter explicat. Τὰ τῶν ἐλάφων κρέατα κακόχυμά ἐστι, καὶ δύσπεπτα, καὶ μελαίνης χολῆς γεννητικά. Δεῖ δὲ παρατηρεῖσθαι τὰς θηρευομένας κατὰ τὸν τοῦ θέρους καιρόν, ἐπεὶ πολλάκις τηνικαῦτα ὄφεσι καὶ ἐχίδναις τρεφόμεναι διψώδεις γίνονται· φυσικῶς τε γιγνώσκουσιν, ὡς, εἴπερ πίωσιν ὕδωρ πρὸ τῆς τούτων πέψεως, θνήσκουσι. καὶ διὰ τοῦτο τὰς δίψας ἀνέχονται, καὶ ταύτῃ ὑπερεκκαίονται. αἱ γοῦν ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἀναιρούμεναι δηλητηριώδεις εἰσί, καὶ πάνυ βλαπτικαί. καὶ διὰ τοῦτο προφυλακτέον τὴν ἐκ τούτων διατροφὴν τῷ θέρει, καὶ χρηστέον τῷ χειμῶνι. Κατὰ γὰρ τὸν τοιοῦτον καιρόν, καὶ εὐχερῶς πέττονται, καὶ διὰ τὴν ἔνδοθεν θερμότητα. Μὴ καλῶς γὰρ πεφθέντα τὰ ἐλάφεια κρέατα παχὺν ἀπογεννῶσι χυμόν, καὶ ἐμφράξεις τῷ τε ἥπατι καὶ τῷ σπληνὶ ἐμποιοῦσι. Λέγεται δέ, ὡς συνεχῶς καὶ ἀμέτρως ἐσθιόμενα τρομώδες καὶ ἀκατάστατον τὸ σῶμα ἐργάζονται. *Cervorum carnes mali succi sunt, & difficilis concoctionis, & bilem atram gignunt. Oportet autem æstatis tempore captos cavere, quod sæpenumero tum viperis ac serpentibus vescantur atque adeo siticulosi fiunt. Et suapte natura norunt, quod, si aquam ante illorum concoctionem hauserint, intereunt: propterea sitim tolerant, atque ea supra modum incenduntur. Cervorum igitur carnes eo anni tempore sumptæ virulentæ sunt, & valde noxiæ. Et propterea ab eorum esu æstate præcavendum, hyeme vero utendum. Per hyemem vero tutius sumuntur, & melius concoquuntur propter interiorem caliditatem. Sed si non probe digerantur, crassum humorem gignunt, jecurque & lienem obstruunt. Quinetiam dicitur, si crebrius & supra modum edatur, corpus tremulum & inconstans facere.*

Atque hæc licet fabulosa videri queant, tot & tam gravium virorum testimoniis comprobata sunt, ut infra ostendo *l.* IV. *c.* XXVIII. quo loco discutio quantam vim homo adversum venena obtinere possit; ut laboratura sit antiquitatis fides, si ullus adhuc dubitandi locus relinquatur. Sed longe mirabilius est, majoremque demonstrat occulti vitii corruptelam, quod memoriæ prodidit Aristoteles, & verissimum esse plurimorum experientia docuit, atque a viris gravissimis ac testibus oculatis accepi, in cervorum omnium capitibus vermes gigni adeo magnos & multos, ut tota fere cerebri substantia in vermes conversa videatur. Aristotelis verba sunt ex l. II. *Histor. Animal.* c. XV. Σκώληκας μέντοι πάντες ἔχουσιν ἐν τῇ κεφαλῇ ζῶντας· ἐγγίνονται δὲ ὑποκάτω τοῦ ὑπογλωττίου ἐν τῷ κοίλῳ, καὶ περὶ τὸν σφόνδυλον, ᾗ ἡ κεφαλὴ προσπέφυκε· τὸ μέγεθος οὐκ ἐλάττους ὄντες τῶν μεγίστων εὐλῶν. Ἐγγίνονται δ' ἀθρόοι, καὶ συνεχεῖς τὸν ἀριθμόν δ' εἰσὶ μάλιστα περὶ εἴκοσι. *Vermes in capite vivos habent omnes sub linguæ concavitate, circa vertebram, cui commissum caput est: pares iis qui vel maxime putribus in carnibus enascuntur, ad viginti numero consertos atque complicatos.* Hunc locum respexit Plinius *l.* XI. *c.* XXXVII. *Cervis in capite inesse vermiculi sub linguæ inanitate & circa articulum qua caput jungitur, numero viginti produntur.*

Cæterum Avicenna ex esu carnis cervinæ quartanas oriri affirmat. Tamen Plinius *l.* VIII *c.* XXXII. velut peculiare febrium amuletum commendat: *Febrium morbos*, inquit, *non sentit hoc animal, quin & medetur huic timori. Quasdam nos principes fœminas scimus omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, & longo ævo caruisse febribus; quod ita demum existimant ratum, si vulnere uno interierit.* Solinus *c.* XXII. *Legimus plurimos matutinis diebus cervinam carnem degustare solitos sine febribus longævos fuisse: quod tum demum proderit, si uno vulnere fuerint interfecti.* Sed Avicennæ potius subscribendum puto: nam cum dura sit, & succum gignat melancholicum, præter omnem rationem videtur, ut ei quoque febri remedio sit, cujus causa passim melancholia statuitur. Sed vitia, quæ retulimus, minora sunt in junioribus & hinnulis, quorum non est tanta siccitas, ut eam duritiem pariat, quæ in adultis reperitur; ideoque teneriorem & gratiorem quoque palato carnem præbent, quæque ventriculo minus adversetur.

Non potest tamen mihi curiositas illa probari Magnatum quorundam, qui hinnulos ex utero matris exsectos in summis deliciis habent. Nam fœdo mucore oppletiores arbitror quam ut sine fastidio comedi possint: & crudiore succo abundant, quam ut bene concoqui & in probum alimentum converti queant.

Cornuum germina primum erumpentia, & adhuc mollia, vixque in cartilaginem coeuntia, suaque etiamnum lanugine obtecta, pro delicatissimis nobilium epularum ferculis habentur, iisque admirabilis quædam vis inesse contra veneni genus omne creditur. Et quidem alexipharmaci vim illis non esse denegandam facile concesserim: sed alimenti nomen vix merentur, cum non magis nutrire valeant, quam cartilago. Nec saporis lenocinio tantopere placent: nam gustum referunt fungorum. Videte nunc quam æqui simus, qui vulvæ, suminis, aut jecoris causa mactata animalia Priscis exprobramus, cum hæc multo crudelius excrementi gratia jugulemus.

CAP. IV.

DE CARNE CAPREARUM.

PLINIUS lib. VII. *Naturalis Historiæ* cap. LIII. scribit, capras præ cæteris animalibus in plu-

timas ſimilitudines transfigurari: enumeratque generis ejuſdem compluria, nimirum capreas, rupicapras, ibices, oryges, damas, pygargos, & ſtrepſicerotas. Secundum quam ejus ſententiam hæ ſunt ſpecies ferarum caprarum, quas Græci vocant *αἰγάγρυς*; & Latinis *capreas* dici monet Servius *ad hunc verſum ex* IV. *Æneidos*,

Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis.

In quo non convenit cum Plinio, cui capreæ certam diſtinctamque ferarum caprarum ſpeciem conſtituunt. Oppianus II. *Cyneget.* poſtquam de cervis egit, nonnullorum meminit animalium, quæ cum cervino genere magnam habent ſimilitudinem. Ac primum recenſet *δρυκέρωτας*, quos aliter vocant *πλατυκέρωτας*, de quibus ait, *πάντ' ἔλαφοι πελέθυσι*, *cervi per omnia ſunt*. Deinde *ἰορκὺς*, quos Latini vertunt *damas*; cum tamen damæ *δορκάδες πλατυκέρωτες* a quibuſdam exiſtimentur. Tertio *βύβαλον*, qui cum ſtrepſicerote Plinii hoc habet commune, quod illi cornua

——————— *ποτὶ νῶτον*
Ἀψόῤῥον νεύυσι παλιγνάπτοισιν ἀκωκαῖς.
Cuſpidibus retro nutant in terga reflexis.

Quarto *δορκάδας*. Poſtremo *αἰγάγρυς*. De quibus hoc notatu vel admiratione potius dignum aſſerit, foramen per medios dentes pervium in cornua tendere, quo ſpiritum trahant; quod ſi obturetur, velut intercluſo anhelitu exanimari:

Αἰγάγροις δέ τίς ἐςι δι' αὐτῶν αὐλὸς ὀδόντων
Λεπταλέης πνοιῆς κεράων μέσον, ἔνθεν ἔπειτα
Αὐτὴν ἐς κραδίην καὶ πνεύμονας ἰθὺς ἱκάνει.
Εἰ δέ τις αἰγάγρυ κηρὸν κέρασιν περιχεύοι,
Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδὺς, πνοιῆς τε διαύλυς.
Eſt autem capris agreſtibus ore foramen
Anguſtum, medios per dentes cornua verſus,
Pervadens flexis anfractibus intima cordis,
Hac in pulmones penetrat perflatilis aura;
Quod ſi quis fuſa ſenſim per cornua cera
Intercludat inane, cito reſtinxerit auras
Vitales, animamque & reſpiracula vitæ.

Non eſt abſimile quod de capris ab Alcmæone falſo proditum refert Ariſtoteles lib. I. *de Hiſtoria Animalium* c. IX. vel ut alii diſtinguunt cap. XI. eas non ut reliqua animalia naribus, ſed auribus ſpiritum ducere. At Varro l. II. *de Re Ruſtica* c. III & Plinius *lib.* VIII. *c.* L. id quod Philoſophus hic Alcmæoni tribuit, Archelao adſignant. Tamen non ideo exiſtimandum, cum viris doctis Petro Victorio & Hieronymo Mercuriali, textum Ariſtotelis eſſe corrigendum, vel Varronis, aut Plinii: quia diverſi ſunt Authores illi. Et Archelaus ex Alcmæone antiquiſſimo Phyſico hoc potuit referre, ita ut Ariſtoteles ab Alcmæone, Varro autem & Plinius ab Archelao id acceperint. Certe pro Alcmæone, Archelao, & aliis Authoribus qui eos ſequuntur, contra Ariſtotelem facit Orus Niliacus, de caprarum per aures reſpiratione ita ſcribens: *Τινὰ δὲ κατὰ τὸ μᾶλλον ἀκύοντα θέλοντες σημῆναι, αἶγα ζωγραφῦσιν. αὕτη γὰρ ἀναπνεῖ διὰ τῶν ῥωθώνων, καὶ τῶν ὤτων.*

Hæc ideo in medium protuli, quod mihi non liqueat ad quam ſpeciem referre debeam animal apud nos in ſylvis non infrequens, quod capream ſive dorcadem vulgo appellamus; cum tamen Martialis *lib.* XIII. *epigramm.* XCVIII. XCIX. dorcadem a caprea diſtinguat: nam dorcadem inter pueriles delicias reponit:

Delicium parvo donabis dorcada nato;
Jactatis ſolet hanc mittere turba togis.

At per capream intelligere videtur rupicapram:

Pendentem ſumma capream de rupe videbis;
Caſuram ſperes: decipit illa canes.

Ariſtoteles lib. III. *de Hiſtoria Animalium* cap. II. minimum cornutorum ait eſſe dorcada: *Κερατοφόρων δὲ μικρὸν πάμπαν ὐδὲν ἴσμεν. ἐλάχιςον γάρ ἐςιν τῶν γνωριζομένων δορκάς. Cornigerorum autem nullum admodum parvum novimus; omnium enim, quæ explorata habemus, minimum caprea eſt.* Magnam ubique in his nominibus confuſionem invenio. Sed illud animal, de quo loquor, non male quiſquam fortaſſis *ἰορκὸν* Oppiani eſſe dixerit, qui, teſte Heſychio, eſt e genere *τῶν δορκάδων*: tantamque habet cum cervo ſimilitudinem, ut nonnulli *ἡλικίαν ἐλάφυ* ſint arbitrati. Idque etiam affirmat Oppianus, cum ait:

Κἀκείνοις ἐλάφοιο δέμας.
Et illis cervi corpus.

Illud autem animal noſtrum cervo quam ſimillimum eſt, ſolaque magnitudine, & cornuum ramoſa ſerie differre videtur. Sed in eo magnum eſt diſcrimen, quod tradit Oppianus *ἰορκῶν* pellem inſtar pantherarum quibuſdam maculis conſpergi & variegari:

——————— *ῥινὸν ἐπὶ νώτῳ,*
Στικτὸν ἅπαντα φέρυσι παναίολον, οἷά τε θηρῶν
Παρδαλίων σφραγῖδες ἐπὶ χροῒ μαρμαίρυσι.
Tergora ſunt vario macularum inſperſa colore,
Ut pantherarum decoratur honeſta ſupellex.

Id in noſtris quidem locum habet, ſed prima dumtaxat ætate; nam maculæ grandioribus evaneſcunt. Hinc Virgilius eam proprietatem capreolis tribuit *Ecloga* II.

Præterea duo, nec tuta mihi valle, reperti
Capreoli, ſparſis etiamnum pellibus albo.

Id eſt, inquit Servilius, *qui habent adhuc maculas a prima ætate venientes.* Quo maxime permotus indicio, uſitatum vulgo nomen retinui, per capream intelligens illud animal quod Belgæ vocant *een ree*, ſive ſit *ἰορκὸς*, ſive *δορκὰς*, quam & *capream* in Sacris Literis II. *Regum* capite II. interpretantur, cum fortaſſis ſatius fuerit *rupicapram* accipere, quæ *jaal* Hebræis, & *vaal* Arabibus dicitur; cujus nominis etymon ad *alah*, id eſt, *adſcendit*, pertinet, quod montes & rupes id animal adſcendat.

Utcumque ſeſe iſta habent, vix tamen adduci poſſum ut credam Arabes de hoc ipſo animali locutos dum carnes laudant capreolorum, quos ipſi vocant *gazellos*. Nam caprearum noſtrarum caro cervorum carnibus eſt affinis, ſucci pravi & melancholici, concoctu difficilis, ſicca, dura: quo reſpexiſſe videtur Lucretius *libro* IV. ubi oſtendit quam honeſtis nominibus homines cupidine cæci turpia amicarum vitia tegant, & *nervoſam ac ligneam δορκάδα* nuncupari ſcribit. Odor præterea & ſapor quoddam ſylveſtris virulentiæ faſtidium afferunt, adeo ut vix placere poſſit, niſi coquorum artificio & condimentis illa feritatis contumacia frangatur: & tum guſtu quidem titillat, nihil tamen ad boni ſucci generationem conducit.

Verum Arabes licet omnem ferinam damnent, carnem tamen gazellorum excipiunt. Avicenna: *Ex ſylveſtribus optima eſt gazelli caro.* Elluchaſim: *Carnes ſylveſtres omnes malæ: generant enim ſanguinem groſſum & melancholicum. Gazellorum tamen minoris ſunt malitiæ.* Iſaac *Univerſalium Diætarum* cap. XIII. *Sylveſtria animalia non ſaporita ſunt ſicut domeſtica, præter capreolos, qui cum ſint ſylvatici, ſunt ſaporoſiores, & laudabiliores, & nutribiliores.* Et paulo poſt: *Domeſtica ſunt ſaporoſiora ſylvaticis, & nutribiliora, exceptis capreolis.* Rhazes libro IV. *Aphoriſmorum* ſuorum docet gazelli carnes eſſe *abſque nocumento & ventoſitate.* Et lib. III. *ad Manſorem* cap. IX. *Caro gazel inter ſylveſtres carnes melior habetur: ſanguis quoque ex ea generatus paucas efficit ſuperfluitates, qui cum ſiccus ſit, melancholiæ attinet.* Quo dicto innuit eam non eſſe ab omni parte laudabilem, & omni plane vitio carere; ſed melancholicum humorem generare propter ſiccita-

tem. Hanc vero emendari ajunt, si ex oleo coquatur: forte quia id humiditatem suam valide communicat & imprimit. Hinc, ut docet Plutarchus l. VI. *Simposiacῶν* quæstione IX. Homerus, cum aliis liquoribus peculiaria epitheta tribuat, solum oleum vocat humidum, quod humiditatis impermixtæ veræque particeps sit, ut ex eo patet, quod exigua illius gutta latissime diffundatur. Contra tamen Galenus l. II. *de Facultatibus simplicium medic.* c. V. licet alias oleum humidum fateatur, in hac parte Dioclem & Archidamum secutus, affirmat ea quæ oleo incoquuntur sicciora fieri, & absumpto τοῦ συστήματος sive *consistentiæ* glutino, humida ψαθυρὰ, id est, *friabilia* evadere. Ὅτι μὲν γὰρ ἐν ἐλαίῳ πᾶν ὁτιοῦν ἑψόμενον ἀπόλλυσι τὴν οἰκείαν ὑγρότητα, καὶ ψάθυρον καὶ κραῦρον γίγνεται ταχέως, οὐδὲν τοιοῦτον πάσχον ἐν ὕδατι, πρὸς τῆς ἐμπειρίας ἐδιδάχθημεν. *Quidquid in oleo coquitur, id humiditatem propriam perdere, & statim fieri friabile atque aridum, cum nihil tale patiatur in aqua, edocti sumus experientia.*

Cæterum colligere licet, per gazellos Arabibus intelligi capras feras, ut qui carnes earum cum hœdinis comparare videantur. Sed quæ ipsis tribuunt, eadem capreis nostris, mea quidem sententia, non conveniunt: ut neque quod Athenæus refert *l.* IX. a Palamede Ὀνοματολόγῳ dictum, οὐκ ἄχαρι κρέας τῶν δορκάδων, *non ingrata caro dorcadum.* Eamdem quoque præ reliqua ferina commendat Simeon Sethi: Τὰ τῶν δορκάδων κρέατα εὐχυμώτερά ἐστι τῶν λοιπῶν ἀγρίων ζώων, καὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον σῶμα ἔχει οἰκείωσιν· λυσιτελοῦσί τε τοῖς περιττωματικοῖς σώμασι καὶ ὑγροῖς, καὶ πρὸς κωλικὰς καὶ ἐπιληπτικὰς διαθέσεις· ἐπέχουσι δὲ τὴν γαστέρα, καὶ ξηρότητα τοῖς νεύροις ἐμποιοῦσι. *Dorcadum carnes melioris succi sunt, quam cæterorum agrestium animalium, & ad humanum corpus quandam habent familiaritatem; humidisque & multas habentibus superfluitates corporibus prosunt, item morbis colicis & comitialibus; sed ventrem morantur, & nervis siccitatem inducunt.*

CAP. V.

DE LEPORINA.

QUANTA leporinæ dignitas apud Antiquos fuerit, notissimo *epigrammate* XCII. *l.* XIII. Martialis abunde testatum reliquit:

Inter aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes Mattya prima lepus.

Cur autem pro eo, quod antea legebatur *gloria*, viri docti *Mattya* substituerint, haut difficulter intelligent, qui viderint ea quæ ab Athenæo in fine *libri* XIV. super hac voce differuntur; ubi inter multa hoc etiam ait: Ὅτι μὲν οὖν κοινὸν ἦν τοὔνομα τῶν πολυτελεστάτων ἐδεσμάτων φανερόν. *Hinc liquet* Mattyam *nomen commune fuisse cibis omnibus exquisitissimis.* Ergo inter cibos exquisitissimos, qui ex quadrupedibus sumuntur, primas tenere leporem, judicio Poetæ definitum est. Aristophanes etiam in *Vespis*, Ζῆν ἐν πᾶσι λαγῴοις. *Vivere in omnibus leporibus*, dixit, ἀντὶ τοῦ, ἐν τρυφῇ, ut notat Scholiastes; quod ita receptum, ut in adagii formulam abierit, qua vitæ delicias indigitamus. Et apud Horatium *satyra* IV. *lib.* II. Latius eum qui palato sapiat, leporis armos sectari jubet. Denique apud Petronium in delicatissimo epulo Trimalcionis ad alterum ferculum, *cum altilibus & suminibus apponitur lepus in medio pennis subornatus, ut Pegasus videretur.* Sic lautissimi hominis parum lauta sine lepore mensa fuisset. Quocirca mirum quid Britannos olim induxerit, ut leporem gustare fas non putarent, quod refert Cæsar libro V. *Belli Gallici*; quamvis longe his dissimilia tradant Dio Nicæus & Herodianus in *Severo*.

Verosimile est illum e feris primum hominibus prædæ fuisse, primumque septis includi cœptum, unde ejusmodi capsas sive θηριοτροφεῖα nomine antiquo *leporaria* dicta legimus. Hasce præterea mensarum delicias plurimum commendavit pervulgata opinio, quod qui leporem edisset, septem diebus formosus esse crederetur. Ut Martialem omittam, ejus rei non sine causa tantam esse persuasionem censet Plinius *lib.* XXVIII. *cap.* XIX. At quæ tamdem potest esse causa? Calcagninus putat ejus carnibus inesse vim expurgandæ melancholiæ; hinc oriri quandam animi exhilarationem, qua amor & gratia concilietur; quod quam verum sit, ex iis, quæ infra dicentur, erit manifestum. Alii ex vicinia nominum *leporis* & *leporis* natam joci originem arbitrantur; quo respexisse videtur versificator nescio quis apud Ælium Lampridium, dum Imperatorem Alexandrum Severum, quod leporinis carnibus libenter & assidue vesceretur, hoc carmine sugillavit:

Pulchrum quod vides esse nostrum Regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Quam Poetastri dicacitatem ipse Imperator versibus elegantioribus ultus est, sed Græcis; quorum putidam modo ineptamque versionem nobis Lampridius exhibuit. Alii ad ipsam nominis originationem respexisse Veteres autumant; quod sicuti Ἔρως, id est, *Amor*, dicitur ab ὁρᾷν, *videre*, ita λαγὼς, *lepus*, a λάειν, quod etiam est *videre*; ex qua significationis affinitate leporem Amori sacrum esse crediderunt. Eustathius *ad Iliad.* A. Καὶ λαγωὸς ἐρώτων ἀνάθημα, διὰ τὸ ταυτὸν τὴν κατὰ κλῆσιν γενέσεως· λαγὼς τε γὰρ ἀπὸ τοῦ λάειν, καὶ ἔρως ἐκ τοῦ ὁρᾷν. Atque ibidem pluribus exemplis ostendit, alia animalia ob eamdem nomenclaturæ similitudinem ac proprietatem diis dicata consecrataque fuisse. Hinc etiam Philostratus in *Imaginibus* Amores leporem venantes repræsentat, eumque dicit esse ἱερεῖον τῇ Ἀφροδίτῃ ἥδιστον; *animal Veneri suavissimum*; καὶ πειθώ τινα ἐρωτικὴν ἐν αὐτῷ κατεγνώκασιν, *ac philtrum amatorium in eo agnoverunt.* Idque tradit non ob causas jam allegatas, sed propter admirabilem fœcunditatem. Καὶ ὡς πολὺ τῆς Ἀφροδίτης μέτεστιν αὐτῷ. *Et quod multus sit in Venereis.* Nam mas æque ac fœmina concipit, & parit, & superfœtat adeo feliciter, ut aliud educet, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerat pariter. Herodotus *l.* III. Aristoteles l. IV. *de Generatione animalium* c. V. Varro l. III. *de Re Rustica* c. XIV. Plinius *l.* VIII. *c.* LV. Athenæus *l.* IX. Ælianus *l.* II. *de Animal.* c. XII. Oppianus in fine l. III. *de Venatione.* Hinc inter rationes tropologicas, ob quas leporis esu Deus Judæos abstinere voluit, & a Theologis ista refertur, quod non tantum timiditatis & pusillanimitatis, aut propter nimiam fœcunditatem fœneratoris symbolum sit, sed etiam præposteræ libidinis, ut notat Author *de Cibis Judaicis* cap. III. *Cum leporem*, inquit, *interdicit, accusat reformatos in fœminam viros.* Et Hebræi cum soleant omnibus aliis animalibus nomen tribuere masculinum, leporem vocant *arnebeth* in fœminino, quasi mares in eo genere non agnoscerent. At Rabbini lepores omnes utroque sexu præditos & hermaphroditos existimarunt, ut videre est apud Aben-Esra, & Kimhi in *Radicibus*: & Donatus *incerti sexus* esse dicit: cujus sententiæ antiquissimus author est Democritus, ut notare licet libro IV. *Geoponicῶν*, capite XIX. Et hanc naturæ transformationem, quod interdum velut masculi generent, aliquando velut fœminæ pariant, a se observatam fuisse Augustinus Niphus testatur. Addunt alii, lepores sponte sua sine ullis conju-

conjugiis gravidari. Sed hoc, & quæ de superfetatione nimium monstruosa vulgavit Antiquitas, experientia posterorum convicit. Semel enim in anno pariunt, aut non plus bis, vere nimirum & autumno. Decembri aut Januario numquam venatores prægnantem deprehenderunt. Cuniculos autem superfetare coitu repetito constat. Semper alios super alios inchoant. Sed hoc alienum a natura leporum.

Cæterum id non exiguam lepori dignationem addidit, quod ut gratus ita salubris haberetur. Sane Cato Censorius in eo Commentario, quem *de tuenda valetudine & salubri victus ratione* conscripsit, ne Græcis Medicis unquam indigeret, se suosque firmos ac valentes conservasse testatur usu olerum, & carne vel anatis, vel palumbis vel leporis: & hunc levem esse, & infirmis idoneum, nisi quod somniosos efficiat. Plutarch. in *ejus Vita*: Αὐτῷ δὲ γεγραμμένον ὑπόμνημα εἶναι, καὶ τοῖς πρὸς τοῦτο θεραπεύειν, καὶ διαιτᾶν τοὺς νοσοῦντας οἴκοι νῆστιν μὲν οὐδέποτε διατηρῶν οὐδένα, τρέφων δὲ λαχάνοις, καὶ σαρκιδίοις νήσσης, ἢ φάσσης, ἢ λαγώ. Καὶ γὰρ τοῦτο κοῦφον εἶναι, καὶ πρόσφορον ἀσθενοῦσι, πλὴν ὅτι πολλὰ συμβαίνει τοῖς φαγοῦσιν ἐνυπνιάζεσθαι. Ταύτῃ δὲ θεραπείᾳ καὶ διαίτῃ χρώμενος ὑγιαίνειν μὲν αὐτὸς, ὑγιαίνοντας δὲ τοὺς αὐτοῦ διαφυλάττειν. *Sibi scriptum commentarium esse, cujus præceptis se familiam ægrotantem curare, & victus rationem præscribere. Neminem unquam cibo abstinere, alere oleribus, & carne anatis, vel palumbi, vel leporis: levem enim hanc esse & ægris convenientem, nisi quod illis, qui eam manducaverint, multa creet insomnia. Hac se medicina & victu valetudinem tueri suam, suosque conservare firmos.* Sed mirum non est hanc Catonis diætam non convenire decretis Medicorum, quibus ipse ex destinato bellum indixisse videtur. Tamen quod leporis carnem esse levem dicit, non est omnino falsum; si modo levem intelligat eam, in qua non sit plurimum alimenti. Nam cum neque ad materiam valentissimam, neque ad imbecillissimam quoque referri possit, eam Cornelius Celsus *lib.* II. *cap.* XVIII. in media numerari prodidit. Verum an ægris conveniat, ex iis, quæ mox dicemus, non obscure patebit.

Hippocrates lib. II. *de Victus ratione*: Λαγῶα, inquit, ξηρὰ, καὶ στάσιμα, οὔρησιν δέ τινα παρέχει. *Leporinæ siccæ sunt, & alvum morantur, urinam quodammodo cient.* Galen. lib. III. *de Alimentis*, *Leporum caro*, inquit, *sanguinem crassiorem gignit*; & apertissime lib. *de Locis affectis* III. eam dicit magnam habere vim in generatione sanguinis melancholici. Oribasius, Aetius & Paulus iisdem fere verbis Galeno subscribunt, & pessimum esse alimentum affirmant. Post eos Simeon Sethi, quæcumque a vetustioribus dicta erant sparsim, quasi compendio colligens inquit: Τὰ τῶν λαγωῶν κρέατα τοῖς μὲν ξηραίνειν βουλομένοις τὸ σῶμα εἰσὶ πάνυ λυσιτελῆ, τοῖς δὲ ξηροτέροις τὴν κρᾶσιν ἀσύμφορα. ἀπογεννᾷ δὲ αἷμα παχυμερὲς καὶ μελαγχολικὸν, ἐπέχει τὴν γαστέρα, καὶ τὰ οὖρα προτρέπει. καλῶς μὲν οὖν πεφθέντα τρόφιμα γίνονται. Τοὐναντίον ἔμφραξιν τῷ τε ἥπατι καὶ τῷ σπλῆνι ἐμποιοῦσι, βλάπτουσι καὶ τὸν πνεύμονα, καὶ ἀγρυπνίαν ποιοῦσι. *Leporum carnes his qui corpus arefacere volunt, sunt valde utiles. Qui vero rariorem habitudinem nacti sunt, iis minus conferunt: crassum enim & melancholicum sanguinem gignunt, sistunt ventrem, urinam movent. At si probe concoquantur, probe etiam nutriunt; e contrario obstructionem jecori & spleni efficiunt, pulmonemque lædunt, & vigilias afferunt.* Græcis accedunt Arabes: Isaac *Universalium Diætarum* c. XIII. alimenta, quæ ex lepore capiuntur, ait esse pessima. Et in *Particularibus*, *Lepus*, inquit, *est siccus, & grossum ac siccum sanguinem gignit*. Rhazes III. *ad Mansorem* c. X asserit leporinæ præ cæteris omnibus vim inesse maximam generandæ melancholiæ. Ex quo sequitur, ab his Authoribus leporinam frigidam & siccam censeri. Et quidem ad siccitatem quod attinet, hanc ei nullus adimit. Sed nonnulli frigidam esse negant, ac pro se afferunt authoritatem Avicennæ, qui II. *Can. c.* CXLVI. Leporis, inquit, *caro est calida & sicca*. Præterea commendat eam in morbo comitiali, & puero epileptico concedit Galenus, id nullo modo facturi, si frigidam esse putassent, cum malum illud a frigido humore fiat, & remediis calidis indigeat. Cum Avicenna sentit Elluchasim *Tacuino* XV. atque expresse leporinas ait esse calidas & siccas: *Ideoque*, inquit, *sunt juvativæ decrepitis, & habentibus complexiones frigidas. Juvenibus non sunt convenientes, qui tamen si comedere appetant ex iis, reponant ipsas una nocte in succo granatorum, & aceto.*

Hinc etiam aliqui contendunt, non esse tam pravi succi, neque adeo melancholici, ut Galenus asserit, & ejus sectatores crediderunt. Rationem afferunt: Si leporina caro est melancholica, sanguis quoque ejus erit melancholicus: talem enim temperiem habet caro, qualem habet sanguis. Leporinum vero sanguinem non esse melancholicum, ex eo constat, quod tenuis sit & aqueus, non autem ater & spissus. Deinde sanguis ratione fibrarum crassus est, & terreus, ut docet Aristoteles, & ex consequenti melancholicus: leporinus autem fibris caret perinde ac cerstinus. Præterea inter Medicos fere convenit, coloris gratiam a sanguinis bonitate, cujus index est, proficisci. Videmus enim quotidie in hyposarca, retentione mensium, febribus, & spleneticis, quibus jecur aut lien, alterum vel utrumque procreandi aut depurandi sanguinis organum induratum, vel obstructum, aut quovis modo affectum est, livore vultus pallescere: qui melancholicis peculiaris, in corpore hirsuto color est. Atqui cum caro leporum omniumque animalium oblongas aures habentium gignant sanguinem melancholicum, ut author est Galenus: tamen ex esu leporum, genas puellarum rubore roseo infici atque efflorere tradunt: cujus rei ratio non potest expediri, ut Langius ait *epist.* LXVII. *centuriæ* I. si leporis caro sanguinem melancholicum producat. Denique quæcumque animalia dulcem ac delicatissimum sanguinem habent, qui potis est, ut horum esus in alienis corporibus sanguinem crassum & atrum gignat? At talis est leporum sanguis, quem aliis omnibus bonitatis alimonia præstare Galenus his verbis fatetur: Τὸ δὲ τῶν λαγωῶν αἷμα ὡς ἥδιστον τετίμηται, καὶ πολλοῖς διὰ ἔθους ἐστὶν ἕψειν αὐτὸ σὺν τῷ ἥπατι, τισὶ δὲ καὶ μετὰ τῶν ἄλλων σπλάγχνων. *Leporum sanguis omnibus aliis ut suavissimus præfertur, quare plerique consuetudo est, hunc cum hepate, vel aliis visceribus decoquere.*

Verum hæc ad examen revocentur. Primum in cibo certissimumque bonitatis aut privatis indicium ab ipsa carnis substantia desumitur. Atqui substantia carnis in hoc animali dura est; quo fit, ut paullatim & tarde nutriat. Nam ut ait Galen. *Commento ad Aphorismum* XVIII. sect. II. quæcumque dura carne constant, tardius & paullatim nutriunt. Quod autem tardius & paullatim nutrit, id respectu nostri calidum est: Εἴτε γὰρ, inquit Galen. εὔπεπτόν ἐστι, καὶ τρέφει ταχέως, εἴη ἂν ὡς πρὸς ἡμᾶς θερμόν. *Nam sive facile concoquitur, & cito nutrit, respectu nostri calidum erit.* Propria enim singulorum est probatio, si tarde vel celeriter tale fiat, quale est potestate: Βάσανος οἰκεία καθ' ἕκαστον εἰ φαίνοιτο ταχέως γινόμενον τοιοῦτον, ὁποῖον ἔφαμεν ὑπάρχειν αὐτὸ δυνάμει.

Sed & timiditas frigus indicat. Si enim siccitati jungeretur caliditas, audaciam efficeret, ut in

leone; qui cum quadrupedum calidissimus sit & siccissimus, etiam audacissimus est,

Est præterea eadem durities evidens indicium siccitatis, ut II. lib. *de Temperamentis* a Galeno colligitur. Licet enim non quidquid durum est, id quoque siccum dici debeat: id tamen durum, quod neque a vehementi calore duratum est, neque a valido frigore congelatum, procul dubio siccum est. Tanta vero caliditas non est in lepore, ut carnem ejus induret; nec tanta frigiditas, ut congelet. Quare cum sit dura, omnino etiam sicca esse videtur. Igitur iis est prædita qualitatibus, quæ ad generandam melancholiam valent.

Ad ea vero, quæ in contrarium allata sunt, facile respondetur. Ac primo quod attinet ad Avicennam, authoritas ex II. *Canonis* desumpta parvi momenti est. Nam si quis locum illum esse mendosum dixerit, ejusdem Avicennæ testimonio se tueri poterit: quippe de lepore tractans in materia alimentorum, ejus carnem frigidam esse & siccam liquido affirmat. Quod autem simul cum Avicenna Galen. epilepticis leporinas concedat, ratione siccitatis id facit, Quidquid autem in hac dicat Elluchasim Baldachi Medicus, nihil moror, eique majoris authoritatis scriptores oppono. Ad argumentum a ratione desumptum, respondetur, non esse necessarium ut eadem sit carnis temperies quæ sanguinis. Nam alimentum mutatur ab eo quod alitur, non e contra. Idque vel ex eo constat, quod diversorum temperamentorum particulæ ab uno eodemque sanguine nutriantur. Quare si talis esset animalis nutriti natura, qualis est nutrimenti, fieret ut omnes corporis particulæ ex eodem sanguine nutritæ, ejusdem essent temperaturæ; quod est ab omni ratione alienum, cum nemo sit, qui nesciat carnis temperaturam ab ea quæ est ossis plurimum differre. Sicut scimus in latitudine partium corporis calidarum, multis numeris a sanguine vinci carnem: siquidem post sanguinem locant cor, post quod jecur, & post ipsum carnem. Longe igitur calidior est sanguis quam caro. Præterea carnem non sequi naturam sanguinis, ex eo colligitur, quod Galenus lib. III. *de Facultatibus alimentorum* cap. XXII. leporinum sanguinem avium sanguini præponat, cum tamen capite LXVII. *ejusdem Operis*, avium carnes non solum leporinis, sed omnium quadrupedum carnibus ad concoquendum dicat esse faciliores. Et libro *de bono & malo succo*, inter escas culpa vacantes reponit carnes multarum avium: omnem vero sanguinem, ceu concoctu difficilem, vituperat: ut etiam *libro* supra *allegato*: *Omnem*, inquit, *sanguinem, etiam volucrum, quocumque modo paraveris, ad concoquendum est difficilis, & excrementitius*. Igitur ex animalis sanguine, juxta Galeni decreta, non necessario colligitur carnis temperatura.

Deinde tenuitas non caloris, sed frigiditatis est indicium. Nam Aristoteles II. *de Partibus animalium* capite IV. Τοῦ γὰρ αἵματος, inquit, τὸ ὑδατῶδες μᾶλλον ψυχρόν ἐστι. *Sanguis qui dilutior est & aquosior, frigidior etiam est*. Et paulo post: Δειλότερα δὲ τὰ λίαν ὑδατώδη, ὁ γὰρ φόβος καταψύχει. *Timidiora quibus sanguis dilutus nimium est, metus enim refrigerat*. Hic certe timor in isthoc animali tantus, ut proverbio locum fecerit, λαγὼ βίον ζῆν, *leporis vitam vivere*, vel solus maximum est frigiditatis argumentum.

Ad Galeni locum, ubi dicitur sanguinem leporis esse suavissimum, respondetur, a dulcedine non judicari calorem. Neque enim omnia dulcia calida sunt, ut docet Galenus lib. IV. *de Simplicium medicamentorum facultatibus* cap. III. sed ea tantum quæ magnam habent dulcedinem. Nam modice dulcia etiam frigida sunt. At non est tanta leporini sanguinis dulcedo, ut illius ratione calidus judicari debeat, siquidem ad hominis temperiem comparetur. Igitur ea sanguinis dulcedo magis arguit carnem esse frigidam: nam cum sanguis sit carne longe calidior, & sanguis ex moderata dulcedine frigidus censeri debeat, eo frigidior caro erit. Id etiam confirmat modus, quo in usum ciborum præparatur. Nam Rhazes adhiberi præcipit aromata: Apitius, quo nemo melius calidæ popinæ sapores unquam novit, piperi non esse parcendum monet, omniaque illius condimenta ex herbis calidissimis, ut allio, cæpis, ruta, origano, satureja, cumino, mentha, opii seminibus, & similibus concinnare jubet, quo videlicet naturalis densitas & frigiditas tenuium calidarumque rerum admixtione corrigatur. Tamen Archestratus apud Athenæum *lib*. IX. ob insignem opsonandi peritiam cognomento ὀψοδαίδαλος (nam male Bodinus in *Commentariis ad Oppianum* hoc adjunctum lepori tribuit) omnes illos præparandi leporis modos respuit, atque hoc tantum a convivatore postulat, ut subcruentus, calidus, & a veru raptus apponatur; reliqua coquorum artificia ad felis apparatum spectare potius arbitratur. Verum cum vel sola durities leporinam eximat e numero bonarum carnium, teste Galeno, libro *de Attenuante Diæta*, nec ratio vel experientia contrarium evincat, merito gravissimorum & antiquissimorum sententiæ subscribentes eam e censu salubrium alimentorum expungemus, & in classem κακοχύμων, concoctu difficilium, & melancholicorum referemus.

Atque id locum habet præsertim in vetulis. Nam juniores minus habent vitii, quod eorum siccitas ab ætate tempereturt. Ætas autem non tantum ex magnitudine, sed etiam ex foraminibus naturæ deprehenditur. Varro lib. III. *de Re Rustica* capite XII. *Itaque de his Archelaus scribit, annorum quot sint si quis velit scire, inspicere oportet foramina naturæ, quæ sine dubio alius alio habet plura*. Plinius *lib*. VIII. *cap* LV. *Archelaus author est, quot sint corporis cavernæ ad excrementa lepori, totidem annos esse ætatis*. Ælianus lib. II. *de Animalibus* cap. XII. Κατηγορεῖ δὲ αὐτῶ τὰ ἔτη τρώγλας τινὰς ὑποφαίνων. *Arguit annos suos foramina aliqua demonstrans*.

Eadem ratione & pinguiores longe cæteris antecellunt: nam pinguedo quoque siccitatem emendat, & ejusmodi animalium carnes ad quandam substantiæ mediocritatem reducit. Verum Albertus Magnus nunquam pinguescere lepores affirmat, nisi quieti sub tecto nutriantur, quod olim fieri solitum Varro testatur lib. III. *de Re Rustica* cap. XII. & ex eo Macrobius lib. III. *Saturnalium* capite XIII. *Hoc quoque institutum ut saginarentur, cum exceptos e leporario condant in caveis, & loco clauso faciant pingues*. Qua ratione sic eos opimari tradit idem Albertus, ut arvina dextrum renem obtegente moriantur. Celerius autem pinguescere, si surdi sint, author est Plin. *lib*. XXVIII. *cap*. XX. ratio est, quod timidissimum animal adempto auditu securius pascatur.

CAP. VI.

DE CUNICULIS.

IN genere leporum cuniculi quoque censentur, eosque propterea Strabo *lib*. III. vocat λαγιδεῖς γαιωρύχους; & Vegetius, *Lepores qui cavernas sub terris fodiunt, ibique conduntur*, *lib*. IV. *c*. XXIV. Festus, *Animal quod simili est lepori quod subter fossa terra latere est solitum*. Pollux monet λεβηρίδας a quibusdam appellari. Hinc Grammatici in *glossis super voce* Λεβηρίς. Τελέμαχος ὁ γραμματικὸς εὐηθέστερόν φησι δυσαγωνιστοῦ καὶ λιμοποιοῦ

ζώου μικροῦ ὄνομα εἶναι τὴν λεβηρίδα μικρῷ λαγωῷ ὁμοίου, ὃ Ῥωμαῖοι μὲν κουνίκλουν βαλοῦσι, Μασσιλιῶται δὲ λεβηρίδα. Telemachus grammaticus inepte inquit insuperabilis & famem inferentis animalis parvi nomen esse leberida, parvo lepori similis, quod Romani cuniculum vocant, Massilienses leberida. Ælianus tamen *lib.* III. *c.* XV. tradit cuniculi nomen isti animali impositum ab Hispanis qui Iberiam incolunt. Et eidem Provinciæ quasi proprium facit Varro: *Tertii generis*, inquit, *est quod in Hispania nascitur, simile nostro lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant*. Hinc etiam est, quod Catullus *epigramm.* XXXVII. *Celtiberiam cuniculosam* appellarit: nam tantus ibi proventus eorum, ut oppidum suffodisse ex Varrone tradat Plinius *lib.* VIII. *c.* XXIX. Quam portentosa fœcunditate mox cuniculi multiplicentur, exemplo sunt Balearici, quos idem Author refert coactos adversus eos auxilium militare per legatos ab Augusto petere; quod etiam Strabo *lib.* III. & Athenæus *lib.* IX. testantur.

Quamvis autem cuniculus magnam habeat cum lepore similitudinem, differt nihilominus multum ab eodem in substantiæ modo & qualitatibus, quod vel ipso gustu facile deprehendas. Idque Polybius nobilissimus & gravissimus Historiæ scriptor indicare non defugit *lib.* XII. ubi ait in hunc modum: Ὁ δὲ κούνικλος πόρρωθεν μὲν ὁρώμενος εἶναι δοκεῖ λαγὼς μικρός· ὅταν δὲ εἰς τὰς χεῖρας λάβῃ τις, μεγάλην ἔχει διαφορὰν, καὶ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ κατὰ βρῶσιν. *Cuniculum si procul intuearis, putes esse leporem parvum: ubi in manus sumpseris, magnam observes differentiam, & in specie, & in gustu*. Quem locum laudat Athenæus *lib.* IX.

Galenus lib. III. *de Alimentorum facultatibus* cap. II. cum speciatim de plerorumque animalium carnibus sententiam suam tulisset; eo tandem venit, ut aliquorum naturam experimento indagandam relinquat eorum hominum, apud quos copiose nascuntur. In eo censu constituit etiam cuniculum: nam cum antea inter peculiares quibusdam provinciis animantes recensuisset ἐν Ἰβηρίᾳ τὸ τοῖς λαγωοῖς ὅμοιον ζωΰφιον, ὃ καλοῦσι κουνίκλουν, *in Iberia animalculum lepori simile, quod cuniculum nominant*, postmodum adjungit: Ὅσα γὰρ εὔτροφα τῶν τοιούτων ζώων ἐστὶ καὶ σαφῶς πίονα, ταῦτα τῇ πείρᾳ βασάνιζε, τοὺς τρόπους τῆς σκευασίας αὐτῶν, οὓς ἐξ ἐμπειρίας ἔμαθεν ἕκαστος τῶν ἐπιχωρίων, ἀκούων καὶ μανθάνων παρ᾽ ἐκείνων. *Quæ enim ex ejusmodi animalibus bene sunt nutrita ac plane pinguia, ea experientia explora, præparandorum ipsorum rationem, quam incolæ experientia didicerunt, ab ipsis audiens & discens*.

De facultatibus in alendo nec ipse nec alii Medici tam Græci quam Arabes quidquam definiverunt, ut verosimile sit cuniculum leporis nomine comprehensum. Illius tamen caro candidior est & mollior, & facilius alit quam leporina. Non est tamen salubrior multo, aut ad esum jucundior. Qui in eo genere commendari queunt, sunt tenelli & juvenes. Fetus ventre exsectos, vel uberibus ablatos, non repurgatis intraneis, in cibatu gratissimo habitos, & *laurices* appellatos Plinius *lib.* VIII. *c.* LV. testatur. Feri domesticis præferuntur: nam cum animal sit natura graveolens, augetur hoc vitium, si aere concluso alatur, & movendi libertate privetur. Nonnulli domesticos & altiles abominantur, non aliam ob causam quam quod cum soricibus coeuntes deprehenderint, qui postea catulos caudatos & brevioribus auribus præditos ediderunt.

CAP. VII.

DE SCIURO.

Antiquorum Medicorum nullus, quod sciam, sub alimenti quidem ratione, mentionem facit sciuri. Et magis ad lusum quam ad escam capi solitum arbitror. Id enim animalculum cum simia longe sit formosius, innata motus agilitate gesticulationes æque gratas edit: tum etiam dum expanso caudæ tegumento (unde nomen illi inditum) corpori suo umbram facit, spectaculum præbet non minus amœnum quam pavo, ut ostendit Oppian. lib. III. *de Venatione* circa finem:

Ὅς ῥά νυ τοι θέρεος μεσάτου φλογερῇσιν ἐν ὥραις
Οὐρὴν αὐτέλλει σκέπας αὐτορόφοιο μελάθρου
Οἷον δή νυ ταῶνες ἑὸν δόμον ἀγλαόμορφον
Γναμπτὸν ἐπισκιάουσιν ἀριπρεπὲς αἰολόνωτον.
Qui caudas ut tecta domus camerata retorquent,
Corpora dum flagrant æstus calefacta tegentes,
Non secus ac ales Junonis, pavo superbus
Cauda versicolore decorum corpus obumbrat.

Hinc Martialis *lib.* V. *epigr.* XXXIX. ut Erotii delicatissimæ puellæ elegantias apte exprimeret, hac usus est comparatione:

Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, & frequens phœnix.

Sed neque huic parcitum: & qui in usum ciborum mactarunt, ejus carnes cum hœdorum, aut cuniculorum carnibus posse conferri tradiderunt. Quin & his procul dubio salubriores sunt, & suaviores. Nam graveolentia carent, quæ est in cuniculis. Albertus Magnus carnes sciuri bonas ait esse & salubres; quod adeo verum esse asserit Stumpfius, ut etiam ægrotis & imbecillibus imperari possit. Sed nigri rutilis præferuntur.

CAP. VIII.

DE EQUINA CARNE.

Atque hactenus de carnibus quadrupedum, qui in usum ciborum mactari solent. Pauca subjungam de iis, ad quorum cædem vel curiositas, vel inopia famisque necessitas interdum nos adigit.

Ab equina ordiemur: eam nemo citra summam necessitatem apud nos hodie gustarit. Fuere tamen, & etiamnum sunt gentes, quibus familiaris hæc esca. Nomades, parvæ Scythiæ populi, ea promiscuæ ut alia quavis utebantur, & hac victus ratione distinguebantur a Scythis Cherronesiis, qui quod agros colerent atque exercerent, *Georgi* nominabantur, ut est apud Melam *lib.* II. *c.* VII. Οἱ δὲ αὐτοὶ οὗτοι καὶ Γεωργοὶ ἐκαλοῦντ᾽ ἰδίως, διὰ τὸ τοὺς ὑπερκειμένους Νομάδας εἶναι τρεφομένους κρέασιν, ἄλλοις τε, καὶ ἱππείοις. Ἱππείῳ δὲ καὶ τυρῷ, καὶ γάλακτι, καὶ ὀξυγάλακτι· τοῦτο δὲ καὶ ὄψημά ἐστιν αὐτοῖς κατασκευασθὲν πως, διόπερ ὁ Ποιητὴς ἅπαντας εἴρηκε τοὺς ταύτῃ γαλακτοφάγους. *Iidem* (Cherronesii) *peculiari nomine Agricolæ dicebantur, quod qui supra eos habitabant, Numidæ essent, qui vescerentur cum aliis carnibus, tum equinis. Vescuntur vero equina cum sero, & lacte, & acido lacte; quo ii utuntur condimento, certa quadam arte parato. Itaque omnes, qui partes istas inhabitarent, Poeta uno nomine lactivoros appellavit*. Intelligit autem hunc Homeri locum ex lib. XIII. *Iliados*:

——— αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ,
Νόσφιν ἐφ᾽ ἱπποπόλων Θρηκῶν καθορώμενος αἶαν,
Μυσῶν τ᾽ ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν
Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.
Ipse autem (Juppiter) *retro vertit oculos splendidos,*
Seorsim in equitum Thracum despiciens terram,
Mysorumque cominus pugnantium, & illustrium
Hippemolgorum

A *Lacte vescentium, Abiorumque justissimorum hominum.*

Hinc tamen Interpretes notant, ὅτι ἐδεσὶ ζῶον ἐσθίουσι, & quod lacte dumtaxat victirent equino; ex quo etiam caseum, sive aliud cibi genus conficiant, quod ἱππάκη dicitur. Ælius Dionysius apud Eustathium: Ἱππάκη βρῶμα Σκυθικὸν διὰ γάλακτος ἱππείου σκευαζόμενον. Hinc Sophocles Scythas vocat ἱππάκης βρωτῆρας, hoc versiculo;

Ἀλλ' ἱππάκης βρωτῆρες οἰκοῦσι Σκύθαι.

Ejus etiam Hippocrates & Dioscorides meminerunt.

Apud Virgilium lib. XI. *Æneidos* Metabus filiam

B Camillam equino lacte aluit:

Hic natam in dumis interque horrentia lustra
Armentalis equæ mammis & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.

Inde feram quoque naturam imbibit, quæ & grandem natu per omnes vitæ partes & actus est comitata. Humanius autem hoc quam quod Bisaltæ ac Geloni faciunt, qui equino lacti permistum sanguinem bibunt, de quibus idem Poeta lib. III. *Georgicorum*. Id etiam Tartaris usitatum memorant, qui in longissimis expeditionibus, quas cursim in finitimos suscipiunt, ubi commeatus deficit, eo se alimento sustentant. Quamvis dubitare licet, an in

C alimentorum numero sanguis equinus reponi possit; eum quippe crustam inducere, & susceptum, ac putrefaciendi vi præditum esse vulgus olim credidit, ut lib. X. *de Facultatibus simplicium medicamentorum* c. VIII. Galenus testatur, qui tamen ejus rei experimentum facere detrectavit. Idem quoque Plinius confirmat lib. XXVIII. c. IX. *Naturalis Historiæ*: *Quin & sanguis eorum septicam vim habet. Item equarum, præterquam virginum, erodit, emarginat ulcera.* Præterea Sarmatas, Moschos, Wandalos, equorum carnibus non abstinuisse proditur. Persæ solennibus epulis natalis diei,

D quem præcipua veneratione colebant, eas adhibuerunt. Herodot. *lib.* I. Ἡμέρην δὲ ἁπασέων μάλιστα ἐκείνην τιμᾶν νομίζουσι τῇ ἕκαστος ἐγένετο· ἐν ταύτῃ δὲ πλέω δαῖτα τῶν ἄλλων δικαιοῦσι προτίθεσθαι. ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βοῦν, καὶ ἵππον, καὶ κάμηλον, καὶ ὄνον προτιθέαται ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι. οἱ δὲ πένητες αὐτέων τὰ λεπτὰ τῶν προβάτων προτιθέαται, &c. *Ex omnibus diebus præcipue colendum censent suum quique natalem; nimirum hoc die plusquam aliis ciborum apponere æquum judicant. Et ditiores integros boves, equos, camelos, asinos, eosque in fornacibus tostos isto die in mensam apponunt: pauperes natalem minoribus pecoribus honorant*, &c.

E Quem locum citat Athenæus *lib.* IV. Et ideo Persæ Græcos ceu deparcos & genii sui defraudatores ridere solebant, quasi nihil apponerent quod famem expleret convivarum, quos ideo famelicos exsurgere abire oportebat. Sed contra Aristophanes in *Acarnanibus* carpit illos ut helluones & gurgites cibi atque vini:

Οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους,
Τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν.
Nam barbari solos hos judicant viros,
Qui potare & vorare possunt plurimum.

Deinde respiciens ad morem ab Herodoto notatum, inducit legatos Atheniensium, qui jactant

F appositos sibi fuisse solidos e clibano boves:

Εἶτα ἐξένιζε, παρετίθει δ' ἡμῖν ὅλους
Ἐκ κριβάνου βοῦς.
Deinde hospitio nos excepit, apponebat autem
Integros ex clibano boves.

Verum tot ex illo animali usus vita capit, ut merito ei parcendum sit; nec nisi pessimo exemplo ad cibum mactari possit, ubi necessitas non urget. Et hoc ipsam credo naturam dicere rerum, quæ nihil ipsi concessit propter quod magnopere debeat expeti. Nam qui ejus carnem gustarunt, insignem in ea tenacitatem ac duritiem, multumque insipidi glutinis, & viscidi adeo, ut vix plurimo sale domari posset, se deprehendisse testantur. Itaque mali succi est, & a lentore periculum metuendum.

CAP. IX.

DE ASININA.

PERSÆ Soli, quem *Mithram* vocabant, equo faciebant, ne daretur celeris victima tarda Deo. Contra Hyperborei Phœbo immolabant asinum, quem cum testudine Comici tardigradum appellare licet. Id ex Apollodoro & Callimacho docet Clem. Alexandr. in *Adhortatoria ad Gentes*:

Φοῖβος Ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐπιτέλλεται ἱροῖς.
Phœbus Hyperboreis asino placatur in oris.

Et iterum:

Τέρπουσιν λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.
Delectant Phœbum victimæ opimæ asini.

An autem ut Persæ equis, ut Hyperborei asinis epulati fuerint, mihi non liquet: sane idem Clem. Alexandrin. lib. I. *Stromatum* ex Hellanico eos omnino carnibus abstinere tradit: Τοὺς δὲ Ὑπερβορέους Ἑλλάνικος ὑπὲρ τὰ Ῥίπαια ὄρη οἰκεῖν ἱστορεῖ, διδάσκεσθαι δὲ αὐτοὺς δικαιοσύνην, μὴ κρεωφαγοῦντας, ἀλλὰ ἀκροδρύοις χρωμένους. Cui consonat Solin. *c.* XXI. *In diem victum arbores subministrant.* Alexandrinos autem hoc genere ciborum usos testatur Galen. lib. I. *de Facultatibus alimentorum*: Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τῶν ὄνων κρέα ἐσθίουσιν. *Alexandriæ carnibus asinorum vescuntur.* Quamobrem plurimos in ea civitate leprosos fuisse prodidit Avicenna *fen.* III. *quarti*, *tract.* III. *c.* I. Et Mecænas ille eruditorum patronus pullis asinorum delectabatur; quos, ut author est Plinius lib. VIII. *Historiæ Natural.* c. XLIII. eo dignationis extulit, ut etiam onagris præferrentur, qui in deliciis erant; nec omnino spernendi sunt: nam si Clenardo credimus, in quibusdam Hispaniæ regionibus optimæ ferinæ vices explent. Nec Hippocrates quidem asininas contemnit: nam lib. II. *de Victus ratione*: Τὰ δὲ ὄνεια, inquit, διαχωρέει· καὶ τῶν πώλων ἔτι μᾶλλον. *Asininæ per alvum secedunt; sed pusillorum magis.* Ad onagros quod attinet, eos Oribasius cervis proximos statuit: nam lib. II. *Collectionum* c. XXVIII. *Cervinæ carni*, inquit, *propinqua est asinorum agrestium, bene habitorum, & juvenum.* Et rursus . LXVIII. omnium animantium, quibus ungulæ solidæ sunt, carnes admodum viles ait: *In eo tamen genere*, inquit, *omnibus præstant, levissimæque sunt asinorum, quemadmodum ajunt ii qui Asiam peragrant, sylvestrium; quemadmodum vero nos ibidem vidimus, eorum qui diligentissime fuerunt educati.* Xenophon, lib. I. *de Expeditione Cyri*, similiter asinorum sylvestrium carnes cum cervinis componit & anteponit. Nam feras recensens, quarum venatu Cyrus in itineribus Arabiæ victitabat, ἀγρίους ὄνους, *sylvestres asinos*, commemorat, qui equos pernicitate superarent, ita ut capi non possent, nisi dispositis per intervalla equitibus, quorum alter alteri succedens eos cursu urgeret, tandemque plurium recentibus semper viribus subeuntium impetu fatigatos conficeret. Deinde addidit: Τὰ δὲ κρέα τῶν ἁλισκομένων ἦν παραπλήσια τοῖς ἐλαφείοις, ἁπαλώτερα δέ. *Carnes captorum erant cervinis assimiles, verum teneriores.*

Cæterum ut Galenus docet lib. III. *de Facultatibus alimentorum* cap. I. carnes asinorum pessimi sunt succi; & præterquam quod inamabiles sunt & gustu insuaves, stomachum quoque lædunt, καὶ αὐτῶν ἐσθίουσιν οἱ ὀνώδεις ἄνθρωποι τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα, *& eas comedunt homines & animo & cor-*

pore asinini. Illas tamen equinis præponit Oribasius lib. I. *Collectionum* cap. LXVIII. A

Porro mirandum est, quod de carnibus asininis prodidere Scriptores gravissimi, videlicet earum usu tabidos juvari. Plinius *lib.* XXVIII. *cap.* XVII. *Phthisicis medentur jecur lupi ex vino, macræ suis herbis pastæ laridum, carnes asininæ ex jure sumptæ*. Serenus Sammonicus idem probat his versibus:

Proderit & veteris sevi pila sumpta suilli,
Carne asinæ sevoque capræ medicina salubris.

Ubi perperam Mercurialis pro *carne asinæ*, legendum putat *lacte asinæ*; nam verosimile est, hunc B Plinii locum Sereno fuisse propositum. Adde, quod oraculo Serapidis hæc vis asininæ carnis comprobata sit, de quo elegans est historia apud Ælianum lib. XI. *de Animalibus* cap. XXXV. Ἀτὰρ οὖν καὶ Βάθυλιν τὸν Κρῆτα ἐς νόσον φθίσεως ἐμπεσόντα, ἐξ ἑνὸς τοῦ τοσαύτου κακοῦ, ὅδε ὁ Θεὸς (Σαραπὶς) εἰργάσατο ὀνείων κρεῶν γευσάμενον. καὶ προσέπεσε γένεσθαι καὶ αὐτῷ παρὰ τὸ ὄνομα τοῦ ζώου. ἔφατο γὰρ ὀνησιφόρον οἱ ταύτην ἔσεσθαι τὴν θεράπειαν καὶ ἴασιν. *Cæterum idem hic Deus Serapis, Bathylim Cretensem tabe laborantem, ab hoc tanto malo, asininæ carnis esu liberavit. Atque ita quemadmodum Deus colludentibus vocabulis Græcis ei prædixerat*, ὄνεια κρέα ὀνησιφόρα, *asini carnes auxilium attulerunt*. Hoc Serapi- C dis responsum procul dubio ad istam opinionem causas dedit. Nec vero hujus dicto plus est tribuendum quam Apollinis aliorumque præstigiatorum oraculis, quæ plerumque vocis ambiguitate perplexa atque obliqua rudes & superstitiosos inprimis homines deceperunt.

Cap. X.

De Camelina.

QUÆ palatorum lubido! Arabes abstinent suil- D la, quam tot populorum consensus & sensus suavissimam ac saluberrimam probant: camelorum autem carnes avide lurcantur, quas apud nos gustarit nemo, nisi corpore simul & animo, ut cum Galeno loquar, καμηλώδης. Mahometes ille generis humani opprobrium, miris artibus quasi præstigiis quibusdam & captionibus etiam Judæos primum in partes suas pertraxerat. Sed ubi hominem, ut fert mos Arabum, carnibus camelinis vesci conspexerunt, se turpiter esse deceptos agnoverunt, & ab ejus factione confestim defecerunt. Refert id Constantinus Imperator lib. *de Administrando Imperio*, cap. XVII. ex Chronico Theo- E phanis: Οἱ δὲ πεπλανημένοι Ἑβραῖοι ἐν ἀρχῇ τῆς παρουσίας αὐτοῦ ἐνόμισαν εἶναι τὸν παρ' αὐτοῖς προσδοκώμενον Χριστὸν, ὡς καί τινας τῶν προὐχόντων αὐτῶν προσελθεῖν αὐτῷ, καὶ δέξασθαι τὴν αὐτοῦ θρησκείαν, καὶ καταλιπεῖν τὴν τοῦ θεόπτου Μωσέως. θεωρήσαντες δὲ αὐτὸν ἀπὸ καμήλου ἐσθίοντα, ἔγνωσαν ὅτι οὐκ ἔστιν, ὃν ἐνόμισαν. *Hebræi autem initio adventus ipsius decepti Christum esse arbitrabantur, quem ipsi expectabant, adeo ut & quidam ex primoribus ad ejus partes transirent, cultumque ejus amplecterentur, relicto illo quem Moses præscripserat, qui Deum viderat. Cum vero e camelo edentem vidissent, cognoverunt non esse illum quem arbitrati erant.* F

Rhazes lib. I. *de Facultatibus alimentorum* cap. IX. de camelo, *Est*, inquit, *in complexione calidus & siccus*. Ejus autem carnes ut absolute malas damnat Galenus lib. III. *de Facultatibus alimentorum*. Tamen Aristoteles lib. VI. *de Historia Animalium* cap. XXVI. eas ut suavissimas commendat: Ἔχει δ' ἡ καὶ τὰ κρέα καὶ τὸ γάλα, μέχρις οὗ ἂν γαστρὶ λάβῃ, ἥδιστα πάντων. *Habet autem camelus carnes & lac, quousque conceperit, omnium suavissima*. Vertit Scaliger: *Atque interea carnes atque lac inter suavissimos censentur cibos*. Ac totius loci sensum ita explicat: Lac a partu ad alteram conceptionem nunquam deficit, quod eo tempore suavissimum est, sicut & carnes. Sed non male Mercurialis lib. II. cap. V. *Variarum* suspecta semper hæc habuit, crediditque τὰ κρέα in contextum a marginibus irrepsisse. Nam Plinius, qui multis in locis Aristotelem transcripsit, *lib.* XXVIII. *cap.* IX. lac camelinum ad hominis ait esse dulcissimum. Ac carnium non facit ullam mentionem.

Cap. XI.

De Catulina.

CANES in usum ciborum fuisse mactatos etiam a Romanis, constat. Plinius *lib.* XXIX. *cap.* IV. *Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur his. Genito mane catulo res divina fit. Aditialibus quidem epulis celebrem fuisse, Plauti fabulæ indicio sunt*. Intelligit autem Plinius *Saturionem* fabulam, in qua Plautus ejus rei mentionem fecit: Festus: *Catulinam carnem esitavisse, hoc est, comedisse, Romanos, Plautus in Saturione refert*. Dubites tamen an esitaverint, an autem canario sacrificio tantum canes mactarint ad placandum Caniculæ sidus. Græce dicitur περισκυλακισμός: de quo videatur Plutarchus in *Problematibus Romanis*. Galenus lib. III. *de Facultatibus alimentorum* quibusdam gentibus usitatum esum indicat: *Quid loquar de canibus*, inquit, *quos juvenes & pingues, & potissimum cum castrati fuerint, apud quasdam gentes frequentissime mandunt*. Eadem ad verbum Oribasius lib. II. *Collectionum* c. XXVIII. De Græcis negat Porphyrius lib. I. περὶ ἀποχῆς: ait enim: Οἱ Ἕλληνες οὔτε κυνοφαγοῦσιν, οὔτε ἵππους ἐσθίουσιν. *Græci nec canes nec equos comedunt*. Sextus autem Empiricus lib III. cap. XXIV. *Pyrrhoniarum hypotyposeon* Thraces canina solitos vesci scribit: de Græcis dubitat, eo quod Diocles quibusdam ægrotis eam imperaret: Κυνείων δὲ γεύσασθαι δοκοῦμεν ἡμεῖς ἀθέμιτον εἶναι. Θρακῶν δὲ ἔνιοι κυνοφαγεῖν ἱστοροῦνται. Ἴσως δὲ καὶ παρ' Ἕλλησι τοῦτο ἦν σύνηθες. διόπερ καὶ Διοκλῆς ἀπὸ τῶν κατὰ τοὺς Ἀσκληπιάδας ὁρμώμενος, τισὶ τῶν πασχόντων σκυλάκεια δίδοσθαι κελεύει κρέα. *Carnes vero caninas gustare nos profanum arbitramur; at nonnulli Thracum canibus vesci narrantur. Fortassis etiam in usu apud Græcos hoc fuit. Unde & Diocles ex eorum schola, qui Asclepiadarum tempore fuerunt, prodiens, quibusdam ægrotis catulorum carnes dare præcepit*. Sane Hippocrates illarum toties non meminisset, si nullus apud Græcos usus omnino fuisset. Sic libro *de Morbis internis* liene laborantes carnibus etiam canis majoris vesci jubet. Et libro *de Superfœtatione*, mulierem, quæ conceptionis & procreationis liberorum cupida sit, σκυλάκια ἑφθὰ *catellos elixos* edere præcipit. Præterea lib. II. *de Victus ratione* tanquam communis & usitati vulgo cibi qualitates ejus exponit: Κύνεια, inquit, θερμαίνει, καὶ ξηραίνει, καὶ ἰσχὺν ἐμποιεῖ. οὐ μέντοι διαχωρέει, σκυλάκια δὲ ὑγραίνει, καὶ διαχωρέει. *Caninæ calefaciunt, & exsiccant, & robur afferunt; non tamen per alvum secedunt; catulinæ vero humectant, & alvum dejiciunt*. Denique libro περὶ Παθῶν easdem inter levissimas reponit, & volucrum ac leporum carnibus adnumerat. Oribasius lib. II. *Collectionum* cap. XXVIII. ex Mnesitheo Atheniensi, *Caninæ carnes*, inquit, *alvum subducunt, non tamen semper afferunt eam levitatem, quam ex multis aliis consequimur. Nam & mucosæ sunt, & glutinosæ. Et tamen tenerrimorum catu-*

lorum caro præstantissima est. Cæterum Hippocrati, qui carnem caninam asserit calefacere & siccare, adversatur Rhazes, qui libro *de Alimentorum facultatibus*, cap. XIV. canis carnem esse frigidam & siccam asseverat.

CAP. XII.

DE CARNE FELINA.

IN alimentorum censu feles ab Antiquis numeratos nondum inveni. Tamen eos quidam in deliciis habent, præsertim pingues admodum, & qui media hyeme in fluvio per quindecim ut minimum dies macerati fuerint. Verum ego ut hoc animal in usu ciborum a Veteribus præteritum video, ita detestandum puto. Nam præterquam quod carnem habeat siccam & duram, atque improbi prorsus illaudatique succi, etiam particeps est virosæ malignitatis, cujus admiranda exempla a gravibus Authoribus referuntur. Matthiolus *Commentario in librum* VI. *Dioscoridis* scribit eos, qui felis cerebrum ederint, crebris affici vertiginibus, fierique subinde stolidos & amentes. Id autem accidere censet Ponzettus *lib.* II. *tractatu* VI. *cap.* III. propter nimiam siccitatem. Nam cerebrum felis valde siccum est, si ad hominis temperiem conferatur; hinc meatus obstruit & spirituum animalium vias intercludit. Illud præterea non ignorandum esse monet Matthiolus, quod feles non tantum devorato eorum cerebro homines inficere possunt, sed pilis quoque, & anhelitu, atque oculorum intuitu. Nam etsi pili omnes imprudenter in cibis sumpti præfocare queant, respirationis meatus obstruendo, ut Fabium in lactis haustu uno pilo strangulatum scribit Plinius *lib.* VII. *cap.* VII. felium tamen pili singulari quadam proprietate exitiales censentur. Eorum præterea spiritus tabifico veneno infectus deprehenditur. Deinde addit, se novisse quosdam, qui, cum felibus adeo delectarentur, ut nunquam sine iis lectum peterent, attracto diutius eorum spiritu in tabem ac marasmum inciderunt: *Nec diu est*, inquit, *quod in quodam Monachorum Cænobio universa periit familia, propter assiduum felium contubernium, quorum ingens ibi copia reperiebatur.* Atque hæc etiam ille inter Arabes admirabilis Avenzoar confirmat lib. I. *Theisir*: *Probatum est*, inquit, *quod odorare anhelitum catorum habet consumere humiditatem naturalem pulmonis & totius corporis*. Atque ex his Paræus lib. XX. suæ *Chirurgiæ* cap. XXXIV. colligit minime fabulosum esse, quod vulgus dictitat, feles infantibus esse exitiales: ipsorum enim ori toto corpore incumbentes, fuliginis exitum, & thoracis motum intercipiunt, & pestifera, quam exhalant, aura tenellorum infantium spiritus inficiunt & præfocant. Verum superat hæc omnia, quod sua memoria Bressæ contigisse narrat Martinus Weinrichius Commentario *de Monstris* cap. XV. Puella quædam mollior, non multorum annorum, cum publice spectaret a carnifice latronem capite truncari, territa spectaculi fœditate in epilepsiam incidit. Multa, ut fit, pro remedio tentata, sed frustra omnia. Ex vulgo quispiam suasit felium sanguinem porrigi utile esse, quo ebibito malum non difficulter cessaturum. Offertur; accipit misera infelici eventu admodum: paulo post enim felis naturam induit ex intervallo, & quod id animal in ædibus solet, id illa imitatur, voce, saltu, gestu, vestigiis cum mures in silentio venatur, in angustissimis etiam quibuscumque potest foraminulis, idque ita diu, donec paroxysmi vehementia remisit. Inter hæc quæ potest esse carnis bonitas in eo animali, cujus non tantum cerebrum, sanguis, & pilus, si devorentur, exitialia sunt, sed etiam spiritus, atque ipse conspectus afflatu pestilenti lethalem noxam infert. Quare non est quod pro miraculo narret Aristoteles, libro *Mirabilium Auscultationum*, in Sicilia & Italia felium morsus esse mortiferos. Quin absque muribus esset, optandum foret illud naturæ privilegium, quod Reneiæ tributum est, in qua feles non nasci Antigonus Carystius affirmat.

CAP. XIII.

DE CARNE VULPINA.

GALENUS libro *de attenuante diæta* canum & vulpium carnem in eodem ordine collocat. *Canum*, inquit, *& vulpium carnem nunquam equidem gustavi, nec unquam gustare fui adactus, neque in Asia, neque in Græcia, neque in Italia. Ajunt tamen hanc quoque mandi. Et quidem conjicio vim ei inesse carni leporum adsimilem. Nam canis & vulpes, ut summatim dicam, temperamento sunt sicca.* Idem *Commento* IV. *de Victus ratione in acutis*, textu XCIX. ut ostendat animalia carnes habere longe meliores ea anni tempestate, cum suppetit alimenti copia, manifestum id esse ait in vulpibus autumni tempore cum uvæ maturuerint. Ὅτι δὲ τροφὴ πλεῖστον δύναται πρὸς τὴν τῶν καιρῶν ἐπιτηδειότητα, κἀκ τῶν ἀλωπέκων ἔνεστί σοι μαθεῖν ἐν φθινοπώρῳ μάλιστα καλλίστην ἐχουσῶν διὰ τὰς σταφυλὰς σάρκα. *Quod vero alimentum plurimum valeat ad tempestatum opportunitatem, ex vulpibus discere fas est in autumno potissimum, quæ carnem tum habent optimam propter uvas.* Idipsum repetit lib. III. *de Alimentorum facultatibus* cap. II. Τὰ δὲ τῶν ἀλωπέκων ἐν φθινοπώρῳ καὶ οἱ παρ' ἡμῖν κυνηγέται προσφέρονται. πιαίνονται γὰρ ὑπὸ τῶν σταφυλῶν. *Vulpium autem carnibus autumno venatores apud nos vescuntur; tunc enim uvarum esu pinguescunt.* Nam vulpibus autumno pabulum ut jucundissimum & familiarissimum, ita parabile multis in regionibus uvæ præstant. Aliis autem anni temporibus, & potissimum hyeme, insidiosa deprædatione victum quæritare cogitur. Hinc Oppianus lib. III. *de Venatione*:

> Εὖτε δὲ χειμαπέλη κρυερὸν, βρόσιος δὲ χατίζῃ.
> Γυμναὶ δ' ἡμερίδες περὶ βότρυσιν ἰνδάλλονται.
> *Quando autem hyems est rigida, ciboque indiguerit.*
> *Nudæ autem vites circum racemos apparent.*

tunc etiam in feras versutiam texere, avesque dolo capere, & catulos leporum, tradit.

PETRI CASTELLANI,

IN ACADEMIA LOVANIENSI GRÆCARUM LITERARUM ET MEDICINÆ PROFESSORIS REGII,

ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ SIVE DE ESU CARNIUM.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

DE CARNE VOLUCRUM IN GENERE.



CELSUS *lib.* II. *cap.* XVII. tres classes statuit alimentorum: prima est valentissimæ materiæ, secunda mediæ, tertia imbecillissimæ. Id autem *valentissimum* vocat, in quo plurimum alimenti est; cujusmodi sunt omnia legumina, quæque ex frumentis panificia fiunt; omne animal quadrupes domesticum; omnis grandis fera, ut sunt caprea, cervus, aper; omnis quoque grandis avis, quales sunt anser, pavo, grus. In media autem materia sunt, quæ nimia nec copia nec paucitate alimenti, sed mediocritate censentur; in quibus numerantur ex oleribus ea, quorum radices vel bulbos assumimus, ut ex quadrupedibus lepus, & aves omnes a minimis ad phœnicopterum. Nam magna ex parte tenuior substantia est volucrum, quam terrestrium: tamen illorum nonnulla duriorem & crassiorem habere videntur, quam horum multa, ut anseres, anates, palumbi, vultures, & omne genus accipitrum, quam arietes. Imbecillissimæ vero materiæ sunt, quæ minimum alunt, ut omne olus, & quidquid in cauliculo nascitur: *Sed quamvis hæc ita discreta sunt*, ait Celsus, *tamen etiam quæ sub eadem specie sunt, magna discrimina recipiunt, aliaque res alia valentior est, vel infirmior*. Mox addit: *Ex his avibus, quæ in media specie sunt, valentior ea quæ pedibus, quam quæ volatu magis nititur. Et ex his quæ volatu fidunt, firmiores sunt quæ grandiores aves, quam quæ minutæ sunt, ut ficedula, turdus. Atque eæ quoque quæ in aqua degunt leviorem cibum præstant, quam quæ natandi scientiam non habent*. Præterea quo quidque valentius est, & plus habet alimenti; eo difficilius concoquitur, & contra. Nam facilius dissipatur, quod cito concoquitur, juxta illud Hippocratis *aphorismo* XVIII. *lib.* II. Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίγνονται. *Eorum quæ affatim & celeriter nutriunt, celeres etiam existunt excretiones*. Itaque ut verbo dicam, omne genus avium, exceptis maximis, cum mediæ materiæ sint, ut non valde nutriunt, ita facile concoquuntur. Galenus lib. III. *de Facultatibus alimentorum* cap. XIX. Ἔστι δὲ τὸ γένος ἁπάντων τῶν πτηνῶν ὀρνίθων ὀλιγοτροφώτατον, εἰ περιβάλλοιτο τῷ C γένει τῶν πεζῶν. *Avium porro omnium volucrum genus paucissimi est alimenti, si cum genere gressilium conferatur*. Et mox: Εὐπεπτοτέρα γε μὴν ἡ σὰρξ ἐστὶ τῶν πτηνῶν. *Volucrum caro concoctu facilior est*. Eadem ad verbum ex Galeno tradit Paulus *lib.* I. *cap.* LXXXII. Aetius *lib.* II. *cap.* CXXVIII. Oribasius lib. II. *Collectorum* cap. XLII. His Arabes uno ore subscribunt; Isaac in *Universalibus Diætis* c. XVI. *Volatilia universaliter, ad ambulantia comparata, minora faciunt nutrimenta, ad digerendum tamen subtiliora & faciliora*. Idem in *Particularibus Diætis* repetit. Rhazes XXIII. *Continentis*, cap. DCCIII. *Caro avium est modici nutrimenti, velocisque digestionis, adhibita relatione ad alia a-* D *nimalia*. Similia Haly-Abbas V. *Theoricæ*, c. XXIII. Propter hanc levitatem, & concoctionis facilitatem, salubres sunt, & in tuenda recuperandaque valetudine vim magnam habent. Hinc Aristoteles lib. VI. *Ethicorum* cap. VIII. declarare volens prudentiam non esse rerum universarum, sed in ea requiri notitiam singularum; & plerumque πρακτικωτέρους εἶναι ἐνίους οὐκ εἰδότας, ἐνίων εἰδότων, utitur exemplo Medicorum, qui accommodatiorem victus rationem instituunt ex notitia rerum singularum, quam ex scientia universalium, in quo salubritas carnis avium indicatur: Εἰ γὰρ εἰδείη ὅτι τὰ κοῦφα εὔπεπτα κρέα καὶ ὑγιεινά, ποῖα δὲ κοῦφα ἀγνοεῖ, E οὐ ποιήσει ὑγίειαν. ἀλλ' ὁ εἰδὼς ὅτι τὰ ὀρνίθεια κοῦφα καὶ ὑγιεινά, ποιήσει μᾶλλον. *Nam si quis sciat carnes leves esse faciles ad concoquendum & salubres, leves autem quæ sint, ignoret, sanitatem non efficiet; sed is potius qui avium carnes scit esse leves & salubres*. Ad commendationem avium quoque facit, quod nulla venenosa reperiatur, ut notat Cardanus; quod tamen ad sola πτερωτὰ restringendum esse monet Scaliger. Sed & boni aeris indicium est, avium abundantia.

Igitur ad sanitatis tutelam carnes avium conferunt, quia concoctu faciles sunt, & laudabilem F sanguinem spiritusque defæcatos gignunt. Sed hæc non ita generatim accipienda sunt, quasi omnes omnibus ex æquo naturis conveniant: discrimina sunt in singulis æstimanda. Universim tamen animalium quæ volatu fidunt caro siccior est, quam eorum quæ gressu nituntur. Hippocrates lib. II. *de Victus ratione*: Σχεδόν τι πάντα τὰ ὀρνίθια ξηρότερα, ἢ τὰ τετράποδα. *Omnia fere volucrum genera quadrupedibus icciora existunt*. Idque vel ex eo manifestum esse colligitur, quod idem ait lib. VI. *de Morbis vulgaribus*, sectione IV. textu XXIV. quia per aeris squallores optime habeant, cum scilicet similem temperiei suæ tempestatem

nactæ ſunt: Αὐχμὰ ὑπὲ γῆς οἰωνῶν γένος εὐθυνεῖ. *Per terræ ſquallores avium genus probe valet*. Quam ſententiam, ut multa alia, ab Hippocrate mutuatus eſt Ariſtoteles lib. VIII. *de Hiſtoria Animalium* cap. XVIII. Τοῖς μὲν ὄρνισι οἱ αὐχμοὶ συμφέρουσι. *Avibus ſquallores conferunt*. Feris etiam major ſiccitas, quam cortalibus: ſed illarum carnes facilius concoquuntur, quia teneriores, rariores, leviores. Harum nonnullæ pravum ſuccum generant, præſertim ſi temperamento ſint humidiori.

Porro temperamenti ſiccitas, & ſubſtantiæ tenuitas cumulandæ bili idonea eſt: quod etiam monet Hippocrates eodem lib. VI. *de Morbis vulgaribus*, ſectione V. textu XI. Ἡ χολή. οἷον εἶπον περ τῶν ὀρνίθων, ὅτι χολώδεες. *Bilis: dixi de avibus, quia bilioſæ ſunt*. Ex his ratio patet, ob quam, qui delicate vivunt, & crebro volucrum carnibus utuntur, moroſiores ſint, & in iram procliviores. Corrigitur ea ſiccitas pinguedine. Quamobrem lauti avem non guſtant niſi præpinguem. Hoc tamen diſcrimen ſtatuunt, ut ſi quæ natura ſit humidior, ea macilentiori veſcantur: quia ut pinguedo ſiccitatem, ſic macies humiditatem nimiam temperat. Verum apud Ariſtophanem in *Avibus* Hercules citra exceptionem ait,

> Καὶ μὴν πρέπει γ' ὀρνίθια λιπαρά γ' εἶναι πρέπει.
> *Et aviculas pingues eſſe decet*.

Et ætas attendi debet: nam, ut ait Galenus, in omnibus volucribus animalibus, ut & in quadrupedibus, ſcire in univerſum oportet; quod augeſcentium caro multo ſit præſtantior, quam ætate declinantium: media autem inter utramque, florentium. Prava autem admodum eſt valde novellorum, ſed diverſa ratione ac ſenum: ſiquidem horum caro dura eſt, & ſicca, ac nervoſa; ideoque prava ad concoquendum, & exigui nutrimenti. Contra animalium recens editorum corpora mucoſa ſunt atque humida, eoque excrementis plena; facilius tamen per alvum ſecedunt. Itaque quæ natura ſunt humidiores, admodum juvenes comedi non expedit; nam redundat in iis humiditas, quæ ætatis progreſſu demum decoquitur; & adultæ magis probantur. Contra ſicciores ætas prima commendat, cujus beneficio moderatam humiditatem obtinent. Quædam veris tempore præſtant, ut columbi: aliæ æſtate, ut quæ granis pingueſcunt, quales ſunt turtures, perdices, capones, pulli gallinacei. Aliæ meliores ſunt autumno, quod autumnalibus fructibus veſcantur, ut turdi, ficedulæ. Aliæ denique laudabiliores hyeme, ut merulæ, anſerculi, & quæcumque in aqua vitam degunt, & a genio locorum aliquid ducunt, quod in ſingulis notabo. Nam, ut ait Galenus, pro locorum natura ac proportione animalium carnes fiunt ſiccæ, & excrementis vacuæ, & ad coquendum faciliores, aut humidæ, & excrementitiæ, & concoctu difficiliores. Dum catuliunt, aut incubant, omnes pravæ. Cæterum non conveniunt iis, qui multum exercentur. Nec recte faciunt, qui omnes promiſcue febricitantibus exhibent. Studioſis ſedentariis, & convaleſcentibus, qui plerumque ſunt κακοστομαχοὶ, utiles; quia probum ſanguinem ſpiritusque gignunt puriores, & facile concoquuntur.

CAP. II.

DE GALLO GALLINACEO.

INTER volucres, quas vulgo menſis adhibemus, merito primas generi gallinaceo tribuemus, quod regnum, in quacumque fuerit domo, exercet; cuique, ut oſtendit Plinius lib. X. cap. XXI. *Hiſtoriæ Naturalis*, tantum honoris Romana pur-

A pura tribuit, ut terrarum imperio ipſum imperare videretur. Id primum e Perſide prodiiſſe, indeque in alias terrarum orbis regiones devectum, ex Menodoro Samio refert Athenæus *lib.* XII. Quocirca Cratinus in *Horis* & Ariſtophanes in *Avibus* Περσικὸν ὄρνιν appellarunt: quamvis propter præſtantiam ita vocatum fuiſſe notet vetus Scholiaſtes, & ex eo Suidas, quia pretioſa omnia, quibus ſolus Rex Perſarum utebatur, Perſica dicebantur. Verum galli non tam ad cibum, quam ad ſpectaculi voluptatem Veteribus expetiti. Nam
B pugnaciſſimum animal, non ſecus ac gladiatores, in arenam producebant. Iis enim tanta dimicandi libido, ut finis non ſit niſi commorientibus. Quod præter Plinium memoriæ prodidit etiam Philo Judæus libro *quod omnis probus liber*. Οἱ ἀλεκτρυόνες ἐπιτηδεύουσι φιλονεικίαν οὕτως ἀγωνίζεσθαι, ὥστε ὑπὲρ τοῦ μὴ εἶξαι καὶ πραχωρῆσαι, κᾂν ἡττῶνται ταῖς δυνάμεσιν, οὐχ ἡττῶνται ταῖς ἀτολμίαις. ἄχρι γὰρ θανάτου πραμένουσι. *Gallinacei tanta contentione pugnare ſolent, ut ne cedant, etſi viribus vincantur, animis tamen non ſuperentur; ad mortem enim uſque pertendunt*. Et familiarem Græcis ludum fuiſſe video, de victoria poſitis pignoribus inter ſe contendere. Colu-
C mella *lib.* VIII. *c.* II. *Nobis noſtrum vernaculum maxime placet, omiſſo tamen illo ſtudio Græcorum, qui ferociſſimum quemque alitem certaminibus & pugnæ præparabant. Nos enim cenſemus inſtituere vectigal induſtrii patrisfamilias, non rixoſarum avium laniſtæ; cujus plerumque totum patrimonium pignus aleæ victor gallinaceus pyctes abſtulit*. Meminit quoque Lucianus in *Gymnaſiis*. Etiam apud quaſdam gentes ſolemne fuit hujus certaminis ſpectaculum; ut apud Pergamenos, de quibus Plinius: *Pergami omnibus annis gallorum ſpectaculum publice editur, ceu gladiatorum*. Et Athenienſes poſt
D devictos Themiſtocle duce Perſas legem tulerunt, ut quotannis in theatro publice gallorum certamen ederetur. Cauſam tradit Ælianus lib. II. cap. XXVIII. *Var. Hiſt.* Vorato allio pertinacia augetur, ut notat Xenophon in *Sympoſio*. Hinc apud Comicum in *Equitibus* σκοροδίζειν eſt *ad prælium animare*, deductum a natura gallinaceorum, qui aſſumpto allio magis ad pugnam accenduntur.

Cæterum menſis vix adhibentur, niſi cum adhuc tenelli ſunt. Et antequam coierint, eorum caro, præſertim moderate pinguium, boni ſucci eſt, & concoctu facilis, atque appetentiam excitat, probumque ſanguinem gignit; ac plane cenſeri
E poteſt inter volucrum carnes a Galeno plurimum laudatas, quæ mediam quandam tenuitatis ac craſſitudinis vim obtinent ac propterea nutrimenti bonitate commendantur. Verum hæc in ſalaciſſimo animali non ſunt diuturna: nam adultiores, & mox ubi cucuriunt ac coëunt, ad ſiccitatem pleno gradu vergunt. Quare Hippocrates lib. II. *de Victus ratione* galli carnes inter ſicciſſimas recenſet. Deinde cum ſiccitate pariter & calor augetur; & eum non mediocrem eſſe, vis ſtomachi ſatis arguit, quæ proverbio locum fecit, Ἀλεκτρυόνων μέμφεσθαι κοιλίαν, *Gallorum incuſare ventrem*.

Ex hac porro ſiccitatis & caloris immoderatio-
F ne carni fibroſa durities conciliatur, pro ætate major atque major: ſic ut plane vetulorum, non tam in ciborum numero, quam medicamentorum habeatur. Nam elixa quandam acrimoniam & ſalſuginem in jus transfundit, ut alvum ſolvere valeat. In quo reliquis pharmacis antiſtat, quod ſimul omnem intemperiem corrigat & alat, ac ſine nauſea ſumatur, nec ſtomachum ſubvertat. Quamobrem in analepſi merito magnum habet uſum. Et hinc fortaſſis eſt, quod qui ex gravi ac periculoſo morbo convaleſcerent, gallum Æſculapio ſacrificare ſolerent. Addit Plinius

nius *lib.* XXXIX. *c.* IV. idem prodesse *contra longinquas febres, & torpentibus membris tremulisque, & articulariis morbis, & capitis doloribus, epiphoris, inflationibus, fastidiis, incipienti tenesmo, jecinori, renibus, vesicæ, contra cruditates, suspiria.* In collyriis sanguinem galli gallinacei ipse Æsculapius nobilitavit. Extat Romæ & servatur apud Maffæos tabella, quam, ut mos erat, in templo suspendit Valerius Aper, ut visum sibi restitutum, si credere dignum est, apud posteros testaretur. Οὐαλερίῳ Ἄπρῳ στρατιώτῃ τυφλῷ ἐχρημάτισεν ὁ Θεὸς, ἐλθεῖν, καὶ λαβεῖν αἷμα ἐξ ἀλεκτρυόνος λευκοῦ μετὰ μέλιτος, καὶ κολλύριον συντρῖψαι, καὶ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐπιχρῖσαι ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς· καὶ ἀνέβλεψεν, καὶ ἐλήλυθεν, καὶ ηὐχαρίστησεν δημοσίᾳ τῷ Θεῷ. *Valerio Apro militi cæco respondit Deus, veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus illineret oculos; vidit, & venit, & gratias egit publice Deo.* Sed majori admiratione dignum, quod gallinacei præsentia difficiles partus accelerari credantur, quod prodit Ælianus l. IV. *de Animalibus* cap. XXIX. Atque has ob causas forsitan Æsculapio gallum consecravit Antiquitas, & super ejus manu depinxit: nisi cum Plutarcho, libro *de Pythiæ oraculis*, dicere malimus, Phœbi filio, sanitatis præsidi, dicatum fuisse diei solisque nuncium, quo divinæ benificentiæ, morborum omnium curatrici, quæ divinæ providentiæ filia nuncupatur, diem, id est, vitæ lumen, debere se faterentur.

CAP. III.

DE GALLINIS ET PULLIS GALLINACEIS.

GALLINAS reliquo volucrum generi Arabes anteponunt, verum juvenes, necdum anniculas, quæ nondum pepererunt, vulgo nunc *pullastras* appellant, quæ Veteribus *pullitræ* sive *pulletræ* dicebantur. Nam, ut notat Scaliger *ad Varronem lib.* III. *cap.* IX. *de Re Rustica*, pullastræ non ad ætatem referuntur, sed ad magnitudinem: & pullastri sunt in genere gallinaceo, qui pumiliones in hominibus. Pullitra autem vel pulletra est, quæ adhuc effeta non est; ut a porca porcetra, quæ semel peperit, & opponitur scrophæ, quæ multum peperit, ut est apud Gellium *lib.* XVIII. *cap.* VI. Rhazes lib. XXIII. *Continentis*, cap. DCCIII. *Gallinæ carnem omni alia carne ait esse meliorem.* Et *Aphorismo* IX. *lib.* III. *Gallinæ*, inquit, *quæ nimium non sunt antiquæ, nec nimium pingues, mirabilis cibus existit, & temperatiores aliis existunt.* His similia scribunt Haly-Abbas V. *Theoricæ* cap. XXXIII, Isaac cap. XVI *Universalium Diætarum*. Quamvis hanc præstantiam non a sexu, sed ætate desumant: nam easdem dotes tribuere videntur pullis gallinaceis, sive galli sint, sive gallinæ, dummodo illi antequam cucuriant, hæ antequam pariant, mensis inferantur: nisi quod fœmellæ temperamentum obtineant aliquanto frigidius & humidius, cujus ratione febricitantibus magis conveniunt, quam masculi. Mirabilis Avenzoar, cujus dicta Averrhoes cæterique barbari pro oraculis habent, lib. I. *Theicir* tractatu IX. cap. VII. epilepticis remedia victusque rationem præscribens, sine discrimine sexus parvos pullos commendat: *Principium*, inquit, *curationis est certificare regimen istorum, dando eis pullos gallinaceos parvos; quoniam absolute cæteris carnibus eos laudabiliores esse dicimus.* Avicenna II. *Canone* cap. CCXCIII. iisdem laudibus illos effert, & hoc amplius addit: *Caro gallinarum, quæ sunt pullæ, in intellectu augmentum efficit.* Atque id etiam ipsius æmulus in

A suas *Collectiones* transtulit lib. V. cap. XXXII. *Melior*, inquit, *caro ex volatilibus est caro gallinæ juvenis sane & pinguis, & habet mirabilem proprietatem in temperando complexionem: & propterea brodium suum est optima medicina leprosis; & dicitur quod cerebrum gallinæ augmentat substantiam nostri cerebri, & acuit ingenium.* Inter Græcos Simeon Sethi carnem gallinarum parere incipientium scribit esse εὔπεπτον καὶ εὔχυμον, ac plurimum nutrire, maxime si pinguis sit; corpus etiam humectare, colorisque gratiam conciliare; sed otiosis convenire magis, quam iis qui multum exercentur. Præterea monet, ne post ejus esum mox ὀξύγαλα
B sive *lac acidum* hauriatur: nam compertum est inde colicos dolores oriri. Denique vim roborandi atque augendi cerebri ab Arabibus decantatam medullæ potissimum sive cerebro earum inesse tradit: Καὶ προστίθησι τῇ γονῇ καὶ τῇ ἐγκεφάλῃ οὐσίᾳ, καὶ μάλιστα ὁ τούτων μυελός· τρέφει γὰρ ἱκανῶς τὸν ἐγκέφαλον, καὶ διὰ τοῦτο φασὶ τοῖς κουφοτέροις τὸν λογισμὸν, τοῦτον λυσιτελεῖν. *Semen & cerebri substantiam auget, sed præcipue medulla* vel *cerebrum; nam abunde cerebrum nutrit, atque idcirco prodesse ferunt iis, qui levitate mentis laborant.* Pullos autem gallinaceos, quos ipse cum inferioris ævi Græcis mixobarbaris
C ὀρνιθόπουλα vocat, alii etiam ὀρνιθοπουλλίτζια, dicit esse facilis concoctionis, καὶ ἀπογεννᾷν αἷμα σύμμετρον τῇ συστάσει, μήτε πάνυ λεπτὸν, μήτε πάνυ παχὺ, *& generare sanguinem ipsa corpulentia moderatum, neque tenuem omnino, neque omnino crassum.* Alii tamen eorum usu sanguinem nimis tenuem gigni affirmant, ideoque nocere podagricis, atque iis denique omnibus, qui distillationibus, aut quibuscumque defluxionibus obnoxii sunt. In quam sententiam Rhazes lib. I. *de Facultatibus animalium* cap. XLIII. citat Aristotelem hisce verbis: *Existimavit Aristoteles, quod qui duraverit in comestione gallinarum pullarum pinguium, inducit*
D *hæreditatem hæmorrhoidarum & podagræ.* Verum nihil tale in *Operibus* Aristotelis observavi.

Cæterum ipsas gallinas olim in cibis frequentes fuisse patet, quod Poetæ, dum convivia describunt, earum mentionem crebro faciant; ut Juvenalis *satyra* V.

—— nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Et *satyra* XI. ubi luxum reprehendit sui ævi hominum, qui stomacho erant adeo superbo, ut cibos fastidirent non impositos mensis citreis, quæ pede eburneo fulcirentur; cum tamen, nisi quis palato
E desipiat, non sint minus suaves, etiamsi splendor ille absit & apparatus, nec in vilioribus mensis

———— ulla unquam obsonia fiant
Rancidula, aut ideo pejor gallina secetur.

Horatius autem *satyra* IV. *lib.* II. ejus meminit tamquam familiaris ferculi, quod superveniente præter expectationem hospite, ad imperatas epulas adhiberi potest; modumque docet, quo teneritas ei subito concilietur:

Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris, vivam musto mersare Falerno.

F Idem fieri ajunt si de ficu suspendatur, qua ratione Ariston, ut est apud Plutarchum libro II. *Symposiacon*, quæstione X mactatum Herculi gallum illico tenerum reddidit, cum tamen recens adhuc esset, & pridie vixisset. Nunc inciso gutture statim in aquam injiciunt, ut in ea palpitantes moriantur, eoque teneriores evadant. Sed dubio procul id celerius in vino fiet & commodius, tum propter calorem, tum propter quandam naturæ familiaritatem, quam omnis gallinacei generis a-

les cum vino habet. Nam, ut author est Ælianus lib. IX. cap. XIX. *de Animalibus*, si in id illapsa fuerit & suffocata, nullum ex eo vitium contrahit, nec spiritu gravis est: at si in aqua exstinguatur, odorem fœdum emittit, atque aerem inficit. Adde quod in hoc genere solas gallinas saginarint, quam artem a Deliacis acceptam indicat Varro lib. III. cap. IX. *de Re Rustica*, & fuse docet Columella *lib.* VIII. *cap.* VII. & Martialis *lib.* XIII. *epigramm.* LXII. breviter tangit:

Pascitur & dulci facilis gallina farina,
Pascitur & tenebris; ingeniosa gula est.

Qua in re sic ganea lasciviit, ut, cum lege Fannia, cujus meminit Gellius *lib.* II. *cap.* XXIV. undecim annis ante tertium bellum Punicum, victus atque cœnarum tenuitas, Veterumque parsimonia custodiretur, cautum fuerit, teste Plinio *lib.* X. *cap.* L. *Naturalis Historiæ*, ne quid volucre poneretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis. Sed invento gallorum farciendorum artificio, qui gallinis succenturiarentur, fraus legi facta est, quæ has dumtaxat exprimebat; *Inventumque diverticulum est*, ait Plinius, *in fraudem earum gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis*. Verum Clemens Alexandrinus lib. II. *Stromatum* ait gallinas multo meliorem carnem acquirere, si alimentum sibi ruspando quærant, quam si edendi necessitate pinguescere cogantur. Multa de usu gallinarum apud Ægyptios Prosper Alpinus *lib.* III. *de Medicina Ægyptia* cap. XI. memoriæ mandavit. Sed Author ille πρατολόγος toto isto scripto consecutus est, ut proverbium, quod peregrinantibus apud nos vulgo dici solet, quodque Homerus *Odysseæ* XIV. celebrat, in eum non absurde possit usurpari,

—— —— ἄνδρες ἀλῆται
Ψεύδοντ', ὐδ' ἐθέλησιν ἀληθέα μυθήσασθαι.

Atque haut scio an magis credibile sit, quo Albertus Magnus refert lib. XXIII. *de Animalibus*, gallinas serpentum venena superare vi quadam occulta, nec ipsa die, qua ovum peperint, a serpentibus posse lædi; quin & assumptis earum carnibus sanari venenato morsu violatos. Simile Plinius: *Carnibus gallinaceorum, ita ut tepeant avulsæ, appositis venena serpentum domantur*. Et addit aliud admiratione dignum; si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumi id in se. Ita quod venena serpentum domat, hoc auro venenum est. At vero ridiculum plane, nisi potius insignitæ in magna fortuna vecordiæ testimonium dicere velimus, quod de Honorio Imperatore memorat Zonaras; eum in deliciis habuisse gallinam inusitatæ magnitudinis, quam *Romam* nominabat, eamque pluris fecisse quam illam terrarum gentiumque Deam. Nam cum illi nunciaretur captam ab Alarico Romam, nominis ambiguitate deceptus, & gallinam suam periisse ratus, mox unguibus ora lanians, & femora manu quatiens, omnia ingentis tristitiæ animique summe consternati signa edidit; vix tandem pacatus, cum de urbe loqui nuncium intellexisset.

CAP. IV.

DE CAPO.

VETERES Medici vix ullam mentionem faciunt caporum: hoc universim pronunciant, animalia omnia seipsis evadere præstantiora, si tempestive castrentur. Rei rusticæ Scriptores eorum meminerunt, & castrandi quoque rationem tradiderunt, longe diversam ab ea, quæ nunc usurpatur. Varro *lib.* III. *cap.* IX. *Proprio nomine vocantur fœminæ, quæ sunt villaticæ, gallinæ; mares galli; capi semimares, quod sint castrati. Gallos castrant, ut sint capi, candenti ferro inurentes ad infima crura, usque dum rumpantur: at quod extat ulcus, oblinunt figlina creta*. Sic & Columella *lib.* VIII. *cap.* II. *Fœminæ appellantur gallinæ; mares autem galli; semimares capi; qui hoc nomine vocantur, cum sint castrati, libidinis abolendæ causa. Nec tamen id patiuntur amissis genitalibus, sed ferro candenti calcaribus inustis, quæ cum ignea vi consumpta sunt, facta ulcera, dum consanescant, figlari creta linuntur*. At Plinius *l.* X. *cap.* XXI. duos modos castrandi refert, quorum alterum ex Varrone, alterum ex Aristotele desumpsit. *Desinunt*, inquit, *canere castrati; quod duobus fit modis; lumbis adustis candente ferro, aut imis calcaribus; mox ulcere oblito figlina creta: facilius ita pinguescuat*. Priorem modum exponit eleganter Aristoteles lib. IX. cap. L. *de Historia Animalium*: Ἐκτέμνονται δὲ οἱ ὄρνιθες κατὰ τὸ ὀῤῥοπύγιον, καθ' ὃ συμπίπτουσιν ὀχεύοντες. *Castrantur galli ad clunes, qua parte conquiniscunt coeuntes*: quod fit, loco illo ferramentis binis ternisve usto. Inventum hoc fortasse Deliacorum, qui primi quoque gallinas saginare cœperunt, ut docet Plinius *lib.* X. *c.* L. Unde Petronius spadones vocat, *Deliaci manu recisos*. Quam seduli porro fuerint in educandis gallinis, notum est ex Cicerone II. *Tusculanarum*: *Videsne ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures salvis rebus illis, qui gallinas alere permultas quæstus causa solerent. Hi cum ovum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant*. Hinc apud Varronem, & Columellam, Deliacus accipitur pro curatore gallinarum.

Cæterum quæcumque gallinaceo generi laudes tribuuntur, cumulatius omnes uni capo deferuntur. Nam carnem habet in omnibus qualitatibus exacte temperatam concoctu facilem, quæ stomachum juvat, alimentum præstat optimum nec paucum, sanguinem perfectum generat, æqualem omnibus humoribus temperiem conciliat, calorem nativum auget. Isaac libro *Universalium Diætarum*: *Gallus caponatus plus est laudandus; quia complexio sua in quatuor qualitatibus est temperata, & inde nutribilior, & coitus augmentatior*. Iterum in *Particularibus Diætis*: *Volatilia castrata omnibus animalibus ambulantibus sunt utiliora; nec non galli castrati omnibus volatilibus convenientiores: laudabilius enim nutrimentum, & perfectum generant sanguinem*. Quamobrem non immerito inter primas mensarum delicias habetur, & ab Arbitro inter luxuriantis gulæ lautitias gallus spado censetur.

Nocere tamen iis qui non exercentur, & podagram generare creditur; non tantum quia sanguinem generet tenuem ac fluxilem; sed & singulari proprietate, quod ipse malo isti sit obnoxius, cum tamen, ut ab Hippocrate proditum est *aphorismo* XXVIII. *lib.* VI. eunuchi podagra non laborent. Atque hanc ob causam multi præferunt gallinam castratam, quod fit ferro candente: sic mirum in modum pinguescunt. Et gulæ proceres earum carnes longe suaviores esse affirmant. Quibus suffragatur Galenus lib. I. *de Semine*; ubi cum docuisset etiam castrari fœminas, addit, ἥδιόν τε τὸ κρέας ἔχουσι τῶν ἄλλων θηλειῶν, *suaviorem carnem habent quam aliæ fœminæ*. Verum si quod sit podagræ periculum a capis, id non ex eo dixerim oriri, quod hoc ipsi affectu tententur, sed potius quod sanguinem genereut purum, defæcatum, ac tenuem, ideoque ad fluxiones paratum.

CAP. V.

DE PARTIBUS QUIBUSDAM GENERIS GALLINACEI.

HOc quoque fuit gulæ ingenium, ut gallinas quidem ad saginam non omnes eligeret, sed nisi in cervice pingui cute, prout author est Plinius *lib.* X. *cap.* L. Auxere curiositatem artes culinarum, ut clunes spectarentur, ut dividerentur in tergora, ut pede uno dilatatæ repositoria occuparent. Videsis dilectum gulæ, cujus tantum nihilominus fastidium, ut in universo genere, quod elegisset, non omnia probaret; & quasi edendo defatigaretur, delibari sibi cœnas jussit. *Nec tamen*, ait *ibid.* Plinius, *in hoc mangonio quidquam totum placet; hic clune, alibi pectore tantum laudatis*. Seneca *epistola* LXXVIII. *In repositorio pectora avium (totas enim videre fastidium est) congesta ponuntur*. Vide, si lubet, plura *epistola* XLVII.

Cristis gallinaceis dignationem fecit Messalinus Cotta, Messalæ Oratoris filius, qui eas patinis condire cœpit, postea celebriores portentosa gula Heliogabali, qui, ut author est Lampridius, vivis gallinaceis demptas lurcabatur. In his etiam hodie multi delicias faciunt. At si substantiam intuearis, difficile concoquuntur, & parum nutriunt. Nam mediæ cujusdam sunt naturæ: neque enim caro est, neque non caro; sed quid mediæ substantiæ, ad cartilaginem accedens; quod Plinius monet *lib.* XI. *cap.* XXXVIII. sub init. *Sed spectatissimum insigne gallinaceis, corpore conservatum: nec carnem id esse, nec cartilaginem, nec callum jure dixerimus, verum peculiare*. Aristoteles lib. II. cap. II. *de Historia Animalium*: Ἔτι δ' ἔνια τῶν ὀρνέων λόφον ἔχουσι τὰ μὲν αὐτῶν τῶν πτερῶν ἐπανεστηκότα· ὁ δ' ἀλεκτρυὼν μόνος ἴδιον, ὃ οὔτε σάρξ ἐστιν, οὔτε πόῤῥω σαρκὸς τὴν φύσιν. *Præterea quædam cristam habent surrectis constantem pennis: solus gallus peculiarem sibi, quæ neque caro est, neque a natura carnis aliena*. Hinc Galenus lib. III. cap. XXI. *de Facultatibus alimentorum* easdem quoque medio habet loco, nec laudat, nec damnat: Λόφους δὲ καὶ κάλλαια τῶν ἀλεκτρυόνων οὔτ' ἐπαινέσειεν ἄν τις οὔτε ψέξειεν. *Cristas & palearia gallorum neque laudaverit quispiam neque vituperaverit*.

Idem vero testes maxime prædicat: Οἱ δὲ ὄρχεις ἄριστοι, καὶ μάλιστα τῶν σιτευτῶν ἀλεκτρυόνων· ἔτι δὲ μᾶλλον ὅσοι διὰ γάλακτος ὀῤῥώδους τὰς τροφὰς προσενέγκονται. *Gallorum testes præstantissimi sunt, præsertim altilium; & multo magis si cibus eorum, quo aluntur, seroso lacte fuerit imbutus*. Atque ob hos galli olim expetiti a ganeonibus; multique adeo mortem evasissent, si instar Castoris eunuchos se facere potuissent. Sic animalibus ne quidem ex fastidio pax fuit.

CAP. VI.

DE GALLO ET GALLINA INDIÆ.

NOTA satis hoc nomine apud nos avis est. Alii gallopavum, sive pavogallum appellant. Alii meleagridem esse censent. Et descriptio illa meleagridum, quam ex Clyto Aristotelis discipulo effert Athenæus *lib.* XIV. *cap.* XX. plane gallinis iis convenit, quas vulgo *Indicas* vocamus: unde Scaliger:

Pavusque, pavique æmulus, minus pictus,
Visendus orbe nuper e peregrino,
Meleagris putatus e Clyti verbis.

Habet tamen aliquid dubitationis, quod dicat avem esse palustrem, & fœtus negligentem; cum eam uda loca respuere; & matres pullorum studiosissimas videamus. Aliqui etiam cum Africanis confundunt, quas easdem cum Numidicis faciunt: ut apud Horatium hoc versu ode II. *Epod.*

Non Afra avis descendit in ventrem meum.

Porphyrio, *Afram*, inquit, *gallinam Numidicam dicit*. Sic apud Juvenalem *satyra* XI. accipitur, & apud Petronium. Atque ita gallinas Indicas, Africanas, Numidicas non differre statuunt. Quibus adstipulari videtur Varro lib. III. cap. IX. *de Re Rustica*: *Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ, quas meleagridas appellant Græci*. Et quidem Africanam & Numidicam easdem esse non abnuerim: at meleagridas a Numidicis non differre, falsum esse monet Scaliger, quod aliæ sint gibberæ Numidicæ, aliæ meleagrides. Nam gibberas Numidicas esse putat, quas Galli *pullas Guineas* dicunt: meleagridas vero, nostras *gallinas Indicas*, ut vulgo loquimur. Quin & Columella ipse distinguit *lib.* VIII. *cap.* II. *Africana est, quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam & cristam capite gerat, quæ utraque sunt in meleagride cærulea*. Et Suetonius inter hostias, quas Caligula, cum sibi divinam majestatem assereret, numini suo offerri jussit, Numidicas & meleagridas recenset. Neque enim conjunctim legere oportet, *Numidicæ meleagrides*, ut Sabellicus autumat, sed divisim, ut monet Beroaldus. Numidicas existimem esse, quarum par apud Thomam Fienum V. Cl. & Athenæi nostri decus eximium vidi. Erant minores Indicis gallinis, & admodum gibberæ: caput habebant nulla quidem crista insigne, in quo tamen pellis investis rutilam quasi galeam efformabat: palearia satis ampla, & igneo rubore micantia, ab imis maxillis sursum erigebantur, & mox reflexa propendebant. Plumæ guttis albis ordinatim, quasi lucentibus gemmis perfusæ; ut merito Martialis *lib.* III. *epigramm.* LVIII. ubi Faustini villam celebrat, de iis intelligi possit, dum *Numidicas guttatas* appellat. Quamvis idem de meleagride Clytus dicat apud Athenæum: Τὸ δὲ σῶμα ἅπαν ποίκιλον, μέλανος ὄντος τοῦ χρώματος ὅλου, πτίλοις λευκοῖς καὶ πυκνοῖς διειλημμένον μείζοσι φακῶν. *Corpus omne varium, colore toto nigro, maculis albis & crebris notato majoribus lente*. Et Aristophanes etiam attagenas esse maculosas ait. Africanas a meleagridibus distinguit Scaliger emendans Varronis locum hoc modo: *Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ, quas meleagridas appellant Græci, hæ novissimæ in triclinium genianum introierunt e culina propter fastidium hominum: væneunt propter penuriam magno. Nam nusquam*, inquit, *factum, ut eadem esset Africana cum meleagride*. Plinius tamen veterem Varronis lectionem confirmat *lib.* X. *cap.* XXVI. ubi de meleagridibus: *Africæ*, inquit, *hoc est gallinarum genus, gibberum, variis sparsum plumis; quæ novissimæ sunt peregrinarum avium in mensas receptæ, propter ingratum virus*. Sed quod virus memorat Plinius, in Indicis gallinis nullum nos invenimus. Tamen si verum amamus, omnes illæ volucres, quas memoravi, species sunt meleagridum. Sed institutum meum egressus sum. Neque enim indagare decrevi species animalium; sed quæ facultas sit alimenti, quod capimus ex iis quæ apud nos reperiuntur. Numidicas illas guttatas in Belgio vix habemus, idque dumtaxat ad curiosorum oculorum voluptatem. Indicas passim alimus in usum mensarum.

Caro illarum calida est & humida, cæterum lautissima & splendidioribus epulis digna censetur; laudabilis & copiosi nutrimenti, si recte concoquatur. Nam aliquanto durior est, nec ventriculo facile obtemperat, quod grandioribus avibus

commune eſt. Sed hoc vitio carent pulli, quorum carnes longe teneriores ſunt. Eandem fere teneritudinem adultis quoque conciliabis, ſi fibras verberibus rumpas, aut mactatas aliquandiu nocturno aeri exponas. Otioſis non conveniunt. Eos enim defluxionibus reddunt obnoxios,& podagram accelerant. Quare parcius iis utendum; vel, cum utentur, exercitio validiori corpus agitandum.

CAP. VII.
DE COLUMBIS.

COLUMBARUM varia ſunt genera, quæ recenſet Ariſtoteles l. v. c. XIII. *de Hiſtoria Animalium*, & ex eo Athenæus *l.* IX. Omnia in
B
uſum ciborum cedunt. Veteres tamen non tam ad gulæ quam ad oculorum voluptatem eas aluiſſe videntur. Syri, ut narrat Xenophon l. I. *de Expeditione Cyri*, columbas ſacroſanctas habuerunt, eaſque violare nefas putarunt.Et Columella l.VIII. c. VIII.*de Re Ruſtica* non tantum ait eſſe reditum in farciendis columbis quantus eſt in educandis. Atque hoc etiam nomine pretia columbarum excuſat, quarum paria ſingula, ut Varro teſtatur *l.* III *c.* VII. ſi formoſæ eſſent, bono colore, integræ, boni ſeminis, ducenis nummis vænibant; nec non eximia ſingulis millibus nummum; & poſtea inventi qui quaternis millibus nummum binas aves mercarentur: *Quamquam vel bos*, ait Columella, *magis tolerabiles putem, qui oblectamenta deliciarum poſſidendi habendique cauſa gravi ære & argento penſent, quam illos, qui Ponticum Phaſim & Scythica ſtagna Mæotidis eluant*. Mox addit; eas dumtaxat farciri ſolitas, ſi quæ ſteriles, aut ſordidi coloris intervenirent. Præterea fimi cauſa eas habebant, & quidem tanta copia, ut in uno περιστεροτροφείῳ ſive *columbario* quinque millia includerentur. Unde Florentinus lib. XIV. *Geoponicon*: Τοῖς γεωργίας ἐπιμελουμένοις χρησιμωτάτη σφόδρα τυγχάνει ἡ τῶν περιστερῶν κτῆσις, μάλιστα διὰ τὴν οὖσαν ἐξ αὐτῶν εὔθετον κόπρον. *Agriculturæ ſtudioſis utiliſſima eſt columbarum poſſeſſio, maxime propter fimi commoditatem*. Eſt enim, ut Varro teſtatur, appoſitus ad agriculturam, ita ut optimum eſſe ſcripſerint aliquot. Et de ejus viribus atque uſu multa Galenus libro *de Simplicium medicamentorum facultatibus*, & l. III. *de Temperamentis*, Plinius *l.* XXIX. *c.* V. & VI. Nolo hic commemorare quam dociles ſint, & ad juſſa paratæ, præſertim ad literas in longinqua terrarum deferendas: res ultra captum credulitatis, ſed tamen veriſſima, & veteribus Romanis uſitata: cujus exemplum extat apud Plinium in columba Decimi Bruti, obſidione Mutinenſi.

Redeo quo vocat inſtitutum: atque ut oſtendam quem in alimenti ratione ordinem teneant, prius ediſſeram, quam iis vim in genere Medici tribuant, deinde quis ſit delectus inſtituendi modus, denique quid peculiariter ſanitati conferant. Hippocrates lib. II. *de Victus ratione* columbarum carnem in ſiccorum alimentorum claſſe recenſet.

Galenus tamen calidis naturis & ſiccis convenire tradit. Et lib. III. *de Facultatibus alimentorum* inter cibos laudati ſucci facilisque concoctionis enumerat. Alibi tamen eam eſſe dicit boni quidem ſucci, ſed nimium ſubtilis. Pſellus etiam ad attenuantia refert. Alio loco proventum excrementitii humoris in iiſdem accuſat. Rufus autem in ſecundo ordine probandarum avium reponit.

Quæ tam varia delectu facile diſtinguentur. Hic autem ſumitur ab ætate, naſcendi loco, & tempore. Adultiorum carnes ſiccæ ſunt, & duræ, concoctionique rebelles, in quibus etiam calor eminet; ideoque ab earum nimio uſu febres aliaſque inflammationes, & peculiariter anginam, ori-

A ri affirmant. Et Meſne quendam nomine Caſſiſam angina periiſſe tradit, eo quod uno die ter aſſis columbis ſe expleviſſet: atque ejus rei teſtem citat Galenum, apud quem tale nihil me obſervare memini. Pulli quoque admodum teneri non probantur. Averrhoes, & Iſaac calidos eſſe cenſet, & humidos, craſſique nutrimenti. At Avicenna in *Canone* c. CXXIV. *In pullis columbarum*, inquit, *qui volare non poſſunt, eſt caliditas & humiditas ſuperflua*. Et paulo poſt: *In pullis eſt groſſitudo propter humiditatem ſuperfluam*. Eadem Rhazes XXI.*Continentis* c. CCXXVII. Soli laudantur qui jam volatu niti incipiunt. Quod, præter Authores jam adductos, etiam affirmat Haly-Abbas v. *Theoricæ*: *Columbarum pulli carnem habent malam, multæque humiditatis, quique ex iis generatur ſanguis, plurimum calidus eſt,& humidus, citæ putrefactionis: qui autem jam volare incipiunt, minorum ſunt ſuperfluitatum*. Et Varro refert, illos, qui ſolent ſaginare pullos, quo pluris vendant, eos ſecludere cum jam pluma ſunt tecti.

Ex naſcendi loco aliæ domeſticæ ſunt, aliæ ſylveſtres: harum carnes homini non eſſe guſtandas, ſed accipitribus relinquendas nonnulli ſtatuunt. Galenus tamen libro *de Attenuante Diæta* turricolas domeſticis præfert. Nam domeſticæ juſto hu-
C midiores ſunt, magiſque excrementitiæ. Simeon Sethi: Τῶν περιστεροπούλων σὰρξ θερμή ἐστι, καὶ ὑγρὰ, καὶ περιττωματικὴ, καὶ μάλιστα ἡ τῶν κατοικιδίων. *Pullorum columbinorum caro calida eſt, & humida, multæque ſuperfluitatis, ſed maxime domeſticorum*. Alii contra præſtare dicunt eos qui domi nutriuntur, ſive exeant, ſive non: quia tantam non habent ſiccitatem & caliditatem, quanta in feris reperitur.

Ad naſcendi tempus quod attinet. Ariſtoteles lib. v. c. XII. *de Hiſtoria Animalium* vernos omnibus anteponit: Τὰ δὲ ἔκγονα βέλτιστα τοῦ ἔαρος ἢ τοῦ φθινοπώρου. τὰ δὲ τοῦ θέρους, καὶ ἐν ταῖς θερμημερίαις,
D χείριστα. *Pulli verni quam autumnales meliores: æſtivi, aut æſtu infeſtis diebus qui oriuntur, peſſimi*. Idem affirmat Simeon Sethi. Verum Albertus Magnus autumnales omnibus anteponit: quia tum temporis, ex meſſe granorum omnium, eſcam optimam inveniunt.

Poſtremo loco dicendum,quid in ſanitate tuenda valeant. Galenus languentibus utiliter exhiberi tradit. Et Florentinus l. XIV. c. I. *Geoponicon* ait νεοσσοὺς ἀναγκαίους εἶναι εἰς τὰς τῶν ἀρρωστημάτων ἀναλήψεις, *columbarum pullos eſſe neceſſarios ad reſumptiones ex ægritudinibus*. Et Rhazes hunc quo-
E que cibum præſcribit iis, qui parum ſanguinis habent, & quibus calor innatus ac vires ex longo morbo labefactantur. Verba ejus ſunt *l.* IV. *aphoriſmo* XI. *Pulli columbarum cibus mirabilis ad caliditatem declinans: & Philoſophi dixerunt, quod in iis eſt virtus mirabilis; & præceperunt, quod hi, qui parum habent ſanguinis, & in quibus deficiunt virtutes, & calor innatus, debent eos comedere*; *& ex proprietate dolori renum conferunt, ſanguinem colant corruptum*. De renibus quod dicit, Sethi quoque probat, ſiquidem a cauſa frigida lædantur: quod autem ſanguinem colent ſive purgent, haudquaquam: nam lepram gigni refert, ſi nimium uſurpentur; capiti
F etiam atque oculis nocere. Paralyſi vero mederi ſcripſit Rabbi Moyſes in *Conſilio ad Sultanum*. Et Zoar non eſum modo columbarum, ſed odorem quoque ſalutarem prodidit: *Comedere*, inquit, *columbas ſylveſtres, eſt præſentanea antidotus relaxationi omnium membrorum, & illis, qui reponunt poſt ſe crura & pedes; & ſalutares privationi ſenſus & motus*. Verſari etiam in columbario paralyticis prodeſt: quod tamen hactenus admittendum exiſtimarim, ſi cauſa mali frigida ſit & humida. Ve-

nerem stimulare creditur salax ales, & Veneri sacra, ut videre est apud Plinium *lib.* x. *cap.* XXXIV. Præterea si quis columbinorum pullorum carnibus tempore pestis per contagionem ortæ vescatur, is se tutum ab ea lue præstare fertur. Denique hoc omnibus commune putatur, quod capitis dolorem generent, præsertim si integræ, nec capite minutæ apponantur. Quamobrem Rhazes *loco citato*, & Avenzoar lib. I. *Theicir* tract. IX. cap. X. & lib. II. ejusdem tract. VII. cap. XVII. omnibus capita demi jubet, antequam edantur; quod & hodie videmus usurpari.

CAP. VIII.

DE TURTURIBUS ET PALUMBIS.

QUAMVIS ea, quæ diximus de genere columbarum, referri quoque possint ad turtures & palumbos; tamen operæpretium facturus mihi videor, si quæ de his notatu digna observavi, peculiari capite comprehensa Lectori ob oculos proponam. Igitur in lautorum mensis olim locum non postremum turtures obtinuerunt. Nam Plautus in *Mostellaria* Act. I. Sc. I. inter cibos enumerat eorum, qui pulchre victitarent, & qui sua bona comederent non aliter ac si proterviam facturi essent;

Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus:
Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves.

Et Juvenalis *satyra* VI. inter ea munera, quibus hæredipetæ canis capitibus volturium parabant, & orbos captabant, turturem nominat:

—— —— *cariturus turture magno,*
Mullorumque jubis, &c.

Nec aliam ob causam educari solebant, quam ut farturæ destinarentur; quoniam id genus in ornithonone nec parit, nec excludit, ut Columella testatur *lib.* VIII. *cap.* IX. Ægyptii tamen iis abstinebant, ut author est Porphyrius lib. IV. περὶ ἀποχῆς, non quod pravi essent alimenti; sed quod ab accipitribus captæ demitterentur *μισθὸν ἀποδιδόντες μίξεως σωτηρίαν, reddito coitu in præmium salutis.*

Laudantur maxime pingues, & salubriores habentur: nam cum sint natura sua siccæ, qualitatis ejus immoderatio pinguedine temperatur. Recte Martialis *lib.* XIII. *epigr.* LIII.

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis;
Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.

Quamobrem illis a natura comparatum, ut facile pinguescant, & leviore cura, quam cæteræ aves, saginentur. Nam vel sponte sua crassescunt, & quidem in tantum, ut arvina sua suffocentur, dummodo sit facultas cibi, ac triticum, vel milium mulsa maceratum objiciatur. Palladius *lib.* I. *cap.* XV. *Nihil expetunt, nisi ut æstate, qua sola maxime pinguescunt, triticum, vel milium mulsa maceratum semper accipiant.* Quod etiam affirmat Didymus lib. XIV. *Geoponicon*. Tamen nimium pingues ob exundantem humiditatem nocere possunt; quia crassum generent succum, & difficulter concoquantur. Adultorum vero & senescentium caro dura est, sicca, & fibrosa, difficilis concoctionis, & sanguinem gignit melancholicum. Quare eligendi sunt juvenes, nec anniculis majores, cujusmodi duntaxat saginæ destinabantur. Unde Columella: *Hujus avis ætas ad saginam non tam vetus est idonea, quam novella. Itaque circa messem, cum jam confirmata est, pullities eligitur.* Tenerior evadit caro, faciliusque concoquitur, si per duas noctes aeri exponatur: omnino si pridiana recentiore datur, ipsa durities obluctari, dentibus offendetur. Et hic quoque quoddam lu-

A xus fastidium totas non probare; clunes dumtaxat expetuntur. Martialis *lib.* III. *epigr.* LX. *in Ponticum*, qui lautissimis sibi reservatis vilissima quæque suis convivis relinquebat;

Aureus immodicis turtur te clunibus implet;
Ponitur in cavea mortua pica mihi.

Et rursus *epigr.* LXXXII.

Et concubino turturum nates donat.

Hic obiter notandum, olim observatum, quod nunc etiam ex disciplina venatoria usus recipit, ut ejusmodi aves pennæ suæ acumine, per cerebrum, qua cervix capiti committitur, adacto, necarentur. B Plautus in *Pœnulo* Act. II. Sc. I.

Ut quisque acciderat, eum necabam illico
Per cerebrum pinna sua sibi tanquam turturem.

Cæterum turtur calidus & siccus est in secundo gradu, nisi cum pinguedo siccitatem minuit. Tum enim in siccitate & humiditate temperatus evadit, & alimentum præbet non invalidum, & sanguinem generat mediocrem, nec crassum nimis, nec tenuem, qui spiritibus aptissimam materiam suppeditat, cerebrum roborat, animumque ad functiones animales alacriorem reddit, unde vulgatum apud nonnullos dictum, *Turturum carnes esse* C *cibum sapientum*. Atque hinc opinor est, quod Magi in superstitiosa morbi sacri curatione, ut testatur Hippocrates, turtures exhiberent. Archigenes apud Galenum inter res stomacho utiles recenset. Semen etiam augere & Venerem stimulare creduntur. Hinc turturilla dicitur palæstra illa, ubi damnis desudascitur. Isidorus: *Turturilla, ita dictus locus, in quo corruptelæ fiebant; quod ibi turturi opera daretur, id est, peni.* Seneca meminit *epist.* XCVI. *Isti, quos publica quies, aliis laborantibus, molliter habet, turturillæ sunt, tuti contumeliæ causa.* Denique prosunt fluxibus dissentericis, si cum caryophyllis & succo aureorum D malorum comedantur. Conducunt maxime senibus, atque omnibus phlegmaticis, præsertim qui in agris capiuntur.

Palumbi quoque in eadem significatione usurpantur; in qua Poetæ tam Græci quam Latini sæpe ludunt, dum ab amatoribus palumbos amicis mitti fingunt; ut Theocritus *Idyllio* V.

Κ'ηγὼ μὲν δώσω τῇ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν.
Et ego quidem dabo puellæ mox palumbem.

Plautus multis in locis ex ejus vocis ambiguitate jo-E cos facit; quem Nemesianus & Calpurnius imitati fuerunt in *Bucolicis*. Quod mirum tamen, cum libidinem inhibere dicantur. Martialis *lib.* XIII. *epigr.* LXVII.

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi;
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Galenus lib. III. *de Alimentorum facultatibus* palumborum carnes non improbat; sed duriores esse columbinis affirmat. Paulus autem turturem, palumbum, atque anatem in eodem ordine duritiei collocat; propter quam Hippocrates habet inter cibos qui alvum morantur: quod etiam a Celso & Avicenna repetitum. Magis adstringunt, si in po-F sca decoquantur. Præterea non exiguam exsiccandi vim iis tribuit Hippocrates; atque ideo mulieri, cui menses pituitosi fluebant, palumbis vesci consuluit. Verba ejus sunt lib. I. *de Morbis muliebribus*: *Σιτίοισι δὲ χρεέσθω, καὶ ἄρτοισι, καὶ μάζῃ, ἢν γε βούληται· κρεῶν δὲ φάσσῃ, καὶ τοῖσι παραπλησίοισι. In cibo panibus utatur, & maza, si volet; ex carnibus, palumbo, & similibus.* Falsus igitur Psellus, qui eas excrementis scatere censuit. Qui etiam arguitur ex eo, quod semiassos & adhuc cruore suo madentes ac rubentes e culina mensis inferant. Tales in sua cœna Scaliger pollicetur:

Bis terve lota dextera e veru tracta
Fumat palumbes semicocta.

Et rursus:

Exin palumbes semicocta fumabit.

Quod si excrementis abundaret, ea longiori coctione dissipanda essent. Quamvis nec ista cruditas admodum salubris esse possit; omnia enim, quæ in cibum assumuntur, moderatæ coctionis apparatum postulant.

CAP. IX.

DE PAVONE.

PAVONES in insulis Sami, in luco Junonis agrestes fuerunt: inde propago ducta, ut Athenæus tradit. Romæ sua memoria greges eorum haberi cœptos, Varro testatur lib. III. cap. VI. *de Re Rustica*, sed ad delectationem potius quam ad usum. Huic enim aliti natura formæ e volucribus dedit palmam; qua etiam exteros, nedum dominos oblectet. Et sane Hypsæa cæcior sit, quem non recreet gemmeus decor, quoties superbit.

Ορνις ἀγαλλόμενος πτερύγων πολυανθεῖ χροιῇ.
Avis exultans pennarum multiflorido colore.

Ac Priscis, ut canit Ovidius, præter pennas nihil in pavone placebat. Et indignatur Martialis eum culinæ tradi, *lib.* XIII. *epigr.* LXX.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sævo tradere, dure, coquo?

Et Alexander Magnus, cum ejusmodi aves apud Indos vidisset, earum admiratione captus, in eos, qui occiderent, gravem pœnam constituit. Ælianus lib. V. cap. XXI. *de Animalibus*. Pavonem cibi gratia Romæ primus occidit Orator Hortensius adiciali cœna sacerdotii, ut refert Plinius *lib.* X. *cap.* XX. Macrobius lib. III. cap. XIII. *Saturnalium*, & ante eos Varro; qui addit, hoc protinus factum tam luxuriosos quam severos bonos viros laudasse, cum tamen Ælianus lib. VI. cap. XXI. *de Animalibus* illum eo nomine damnatum indicet. Nec vero judicium effugisset Tertulliani sententia; *Præcidam*, inquit in fine libri *de Pallio*, *gulam, qua Hortensius Orator primus pavum cibi causa potuit occidere*. M. Aufidius Lurco saginare primus instituit, exque eo quæstu reditus H-S. sexaginta millia habuit; id est, unum millionem, & circiter septuaginta quinque millia aureorum. Sic invaluit, ut ad augendum solenniorum mensarum splendorem passim adhiberetur; non quia palato placeret, sed quia plumato amicta aureo Babylonico, væniret auro rara avis, & picta panderet spectacula cauda: quam vanitatem merito reprehendit Horatius lib. II. *Serm.* sat. II. quia fames minime solet esse ambitiosa, nec quidquam fastidire, quo desinat:

——— *an vesceris ista,*
Quam laudas, pluma? coctove num adest honor idem?

Minime vero: non si oculos consulas, non si gustum. Nam, ut ait Simeon Sethi, τῶν ταῶν σὰρξ ἰνώδης ἐστὶ περιττωματικὴ ἐστι, καὶ δύσπεπτος, καὶ κακόχυμος. *Pavonum caro fibrosa est, excrementis scatet, & difficilis concoctu, pravique succi.* Eadem plane Galenus lib. III. cap. XIX. *de Facultatibus alimentorum*, & passim recenset inter aves pravi temperamenti, durissimæ carnis, difficillimæ concoctionis, & quæ sanguinem melancholicum generent, ac menti tenebras offundant. Arabes autem hanc duritiem fractis staminibus ac fibris emolliri putant, si appensis ponderibus ad aerem suspendantur notabili tempore, quod alii bidui, alii tridui, quatridui, alii decem, alii quindecim dierum spacio definiunt. Juvenis, & in loco liquidi aeris ac perflato educatus, tanto non eget apparatu; mollior est, & concoctu facilior. Tamen exercitium poscit & ventriculum calidum ac robustum, a quo si conficiatur, multum alit. Jus peculiari proprietate pleuriticos sanat, præsertim si pingue sit. Adeps cum rutæ succo & melle affectus colicos ex humore frigido factos optime tollit. Ossa vero adusta, & in aceto trita & illita, lepras & vitiligines emendant.

Verum memoratu dignum est, & aliquam naturæ præstantiam arguit, quod illorum caro non putrescat. Id authoritate atque experimento D. Augustini probatum; qui lib. XXI. cap. IV. *de Civitate Dei* ait in hunc modum: *Quis nisi Deus creator omnium dedit carni pavonis mortui ne putresceret? Quod cum auditu incredibile videretur, evenit ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc avis. De cujus pectore pulparum quantum visum est decerptum servare jussimus: Quod post dierum tantum spacium, quanto alia caro quæcumque cocta putresceret, prolatum atque oblatum, nihil nostrum offendit olfactum. Itemque repositum post dies amplius quam triginta, idem quod erat inventum est. Idemque post annum, nisi quod aliquantum corpulentiæ siccioris & contractioris fuit.* Et ne ullam dubitandi ansam relinqueret, sibique tanquam oculato testi fidem faceret, iterum cap. VII. *ejusdem libri* ait se non velle temere credi cuncta quæ posuit; *quia*, inquit, *nec a meipso ita creduntur, tanquam nulla de illis sit in mea cogitatione dubitatio, exceptis his, quæ vel ipse sum expertus, & cuivis facile est experiri*; quorum ponit exemplum *de carne non putrescente pavonis, cum putruerit & caro Platonis*. Eadem confirmat Ulysses Aldrovandus, diligentissimus harum rerum indagator, qui narrat ab Antonio Gigante Poeta frustum carnis pavoninæ sibi donatum anno 1598. quæ cocta fuerat anno 1592. atque adeo sex annos incorrupta permanserat. Verum multis atque exiguis foraminibus instar cribri pervia erat; ex quibus, si leviter quateretur, pulvis excidebat, qualis resolvitur ex arboribus cariosis: qui putredinis quidem soboles dici potuisset, nisi sapore salsus fuisset & amarus, atque odoris gratiam retinuisset, qui proxime ad fœniculum accedebat. His recentior accedit testis Jason Pratensis, Medicus Zirizæus, & ex Beveræ in Wasia Toparchis oriundus, qui ejusdem rei experimentum allegat. Cardanus lib. VII. cap. XXXVI. *Varietate rerum*, ne quidquam occultæ proprietati tribuat, sed ut omnium naturalem rationem dare conetur, ad temperiem frigidam & siccam recurrit in densa substantia, quæ ob hoc putredini maxime resistit.

CAP. X.

DE PHASIANIS.

PHASIANOS nemo dictos ignorat a Phaside Colchidos urbe, cui nomen a fluvio, qui de monte Garamante fluit. Martialis *lib.* XIII. *epigramm.* LXXII.

Argiva primum sum trasportata carina,
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

Quo arma Romanorum penetrare non potuerunt, eo luxuria perrupit. Cum stomacho notat id Manilius lib. V. *Astronom.*

—— in luxum jam ventri longius itur,
Quam modo militiæ: Numidarum pascimur oris,
Phasidos & damnis: arcessitur inde macellum,
Unde aurata novo convecta est æquore pellis.

Istos etiam ganeones, qui ultra Phasim capi volunt quod ambitiosam popinam instruat, acri imprecatione castigat, vel potius devovet Seneca *Consolatione ad Helviam* cap. IX. *Dii Deæque istos perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit.* Melius de genere humano meriti fuissent, si relictis avibus, ad irritandas illecebras natis, in orbem nostrum detulissent virgam leucophylli, quod in Phaside nasci, & admirabilem ad compescenda libidinum probra vim habere prodidit Plutarchus lib. *de Fluminibus*.

Porro in avium genere phasiani videntur explevisse culmen luxus: vix enim hic in aliquo reprehenditur, quin illi simul objiciantur. Aristophanes in *Nubibus* perstringens Leogoram, unum eorum qui tum Rempub. administrabant, & quem Plato comicus recenset inter eos,

Οἳ ζῶσι τερπνῶς οὐδὲν ἐνθυμούμενοι,
Qui vivunt jucunde nulla de re solliciti;

altilium phasianorum ei copiam exprobrat. Arbiter ille sui ævi, inter floralia nonnumquam severus, sub persona luxum objurgat cui sumptus & fastidium pro facetiis procedit:

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non sint faciles.

Et alio loco:

—— jam Phasidos unda
Orbata est avibus, mutoque in littore tantum
Solæ desertis adspirant frondibus auræ.

Apollonius Tyaneus apud Philostratum *lib.* VIII. inter instrumenta gulæ memorat, quibus disciplina morum corrumpitur, & esse cibum ait *τῶν τρυφώντων, καὶ τῇ γαστρὶ πάντα χαριζομένων, luxu diffluentium, & omnia ventri indulgentium.* Drepanus Pacatus in divino suo *Panegyrico* Theodosii parsimoniam extollens, ejus laudem amplificat comparatione sæculi prioris, in quo iis demum cibis acquiescebant, *quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent.* Et Clemens Alexandrinus lib. II. *Pædagogi*, cap. I. cibos enumerans, quos pretiosos non tantum eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas etiam & difficultas parandi facit, *ὄρνεις ἀπὸ Φάσιδος* non omittit. D. Hieronymus Salvinam monens quam difficile sit viduitatem in deliciis servare lapsumque in lubrica via metuendum: *Procul sint*, inquit, *a conviviis tuis Phasidos aves, crassi turtures, attagen Ionicus, & omnes aves quibus amplissima patrimonia avolant.* Hinc adstricti moris Imperatores, qui repressi luxus gloriam quæsiverunt, phasianos aut mensis inferri vetuerunt, aut censoria exempli sui severitate reliquis abstinendi necessitatem imposuerunt. Pertinax, qui, ut author est Capitolinus, epulas Imperatorias ex immenso ad certum revocavit modum, privato convivio nunquam phasianum comedit, aut alicui misit. Atque exemplo Imperatoris alii quoque se parcius egerunt, & ex omnium continentia vilitas nata est. Severus, ut est apud Lampridium, non nisi solennioribus festis, ut Calendis Januariis, & Hilariis, & Matris Deum, & ludis Apollinaribus, & Saturnalibus phasianum apponebat. Julianus autem, cujus etiam in pace mensarum tenuitas erat admiranda, ut ait Ammianus Marcellinus, phasianum nunquam edit, illud Democriti scitum usurpare solitus, *Ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus apponit.* In quo Ptolomæum Ægypti Regem æquavit, qui apud Athenæum *lib.* XIV. eandem avem se nunquam gustasse gloriatur. Tacitus Imperator, teste Flavio Vopisco, phasianam avem nisi suo & suorum natali, & diebus festivissimis, posuit.

Verum nemini mirum videri debet fuisse tanti avem, cui non modo raritas, & parandi difficultas, sed ipsa quoque suavitas ac bonitas alimenti pretium fecit; adeo ut in hac una lauti reperirent quod gulæ satisfaceret, sive appositas epulas sumptu ac censibus, sive sapore ac naturalibus desideriis æstimarent.

Galenus esum phasiani multis modis commendat, & in ordine præstantissimorum ciborum collocat, qui succum tenuitatis nimiæ, vel crassitudinis expertem gignunt. Ejus vero carnem, quod ad concoctionis facilitatem & alimenti probitatem attinet, affinem esse carni gallinarum; suavitate vero haudquaquam imparem esse tradit. Eadem ex Galeno colligit Simeon Sethi: *Φασιανοὶ εὔπεπτοί εἰσι καὶ εὔχυμοι, καὶ αἵματος γεννητικοί· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, κατὰ τὴν πέψιν, καὶ τροφὴν, ἡ τούτων σὰρξ ἡ αὐτὴ ὑπάρχει τῶν ἀλεκτορίδων. Phasiani probe concoquuntur & facile, bonique succi sunt, & bonum sanguinem gignunt; & ut semel dicam, quoad nutrimentum & concoctionem, horum caro similis est gallinarum.* Alii medios esse dicunt inter pullos gallinaceos & perdices; atque his crassiores esse minusque temperatos, Elluchasim Baldaci Medicus testatur. Alii, ut Averrhoes, omni avium generi anteponunt, eorumque carnes veluti normam statuunt optimi alimenti, quod ex volucribus capitur. Et magnum bonitatis argumentum est, quod etiam non castrati capum superent, cum gallinaceorum carnes duræ evadant ac fibrosæ, virosumque saporem contrahant, nisi tempestive castrentur. Quamobrem Aristoteles, sive Theophrastus in suis *Commentariis* apud Athenæum *lib.* XIV. *cap.* XX. in phasianorum genere, mares fœminis excellentiores, gustuque suaviores esse non ad aliarum avium proportionem, sed absolute pronunciavit. Et sane temperiem omnium qualitatum moderatione concinnam obtinent, minimum excrementitii sunt: unde non tantum palato præ cæteris sapiunt, sed etiam valetudini plurimum conducunt. Nam facile concoquuntur, & concoctricem facultatem ac debilem ventriculum roborant, alimentum optimum nec paucum præstant. Hecticis & ex morbo convalescentibus vires restituunt, extenuatos & macilentos brevi spacio reficiunt. Denique nulla noxa infames sunt, nisi quod rusticos asthmaticos sive anhelosos reddere credantur: quocirca bonum factum, ut eos nobilioribus & lautioribus relinquant.

CAP. XI.

DE PERDICIBUS.

Duo perdicum genera perhibentur, quæ sola magnitudine distinguuntur. Majores communi generis nomine designant; minores *starnas* appellant. Anserum instar in India nasci, memorat Onesicritus apud Strabonem *lib.* XV. & unam vulturis magnitudine pro singulari munere oblatam fuisse Alexandro Magno, Clitarchus memoriæ prodidit. Apud nos par omnibus fere moles. Nec ab hac in alimenti ratione discrimen petitur. Cæterum perdicibus pretium fecit caritas: unde Martialis eas ait magis sapere quam rusticulas, quod sint cariores. Sane Aristippus, qui quod Regibus uti nosset, solus nunquam prandebat, unam quinquaginta drachmis, ut refert Laertius, id est, nostræ monetæ circiter quindecim

florenis, aliquando comparari jussit. Et cuidam luxum exprobranti respondit, se quinquaginta drachmas non pluris facere quam ipse obolum, quo emptam sibi voluisset. Martialis etiam raro mensis apponi solitam testatur *lib.* XIII. *epigr.* LXV.

Ponitur Ausoniis avis hæc rarissima mensis;
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Quod tamen mirum in tanta fœcunditate, si modo vera sunt quæ de ejus libidine atque conceptu memoriæ prodidit Aristoteles, & Plinius; propter quæ τὸ ζῶον ἐπὶ λαγνείας συμβολικῶς παρείληπται, *id animal ad lasciviam & salacitatem symbolo quodam transfertur*, ut docet Athenæus *lib.* IX. Sed fortassis ob capiendi difficultatem rariores in mensis fuerunt. Est enim avis hæc in eludendis aucupum insidiis solertissima, ut author est Aristoteles lib. IX. cap. VIII. *de Historia Animalium*, & Ælianus *lib.* IV. *cap.* XVI. Quocirca Aristophanes in *Avibus* verbum finxit ἐκπερδικίσαι, id est, *callide perdicum ritu periculum effudere*; ubi multa in hanc rem vetus Scholiastes.

Caro illarum delicata est, & palato adlubescit. Galenus lib. *de bono & malo succo* adnumerat cibis, qui neque tenuem nimis, neque crassum succum generant. Et lib. III. *de Alimentorum facultatibus* ait perdices esse concoctu faciles, & gignere sanguinem laudatissimum. Cui Simeon Sethi adstipulatur: Περδίκων σὰρξ εὔχυμος, εὔπεπτος. Averrhoes nullis avium secundas asserit; sed declinare nonnihil ad frigiditatem & siccitatem. At Rhazes calidas & humidas facit: Elluchasim temperatas, sic tamen ut ad caliditatem nonnihil vergant: pingues etiam humidas fieri tradit: in quo fallitur; quia nunquam pinguescunt, uti nec lepores, ut est apud Plinium *lib.* XI. *cap.* XXXVII. Alii rectius calidas in primo, & siccas in secundo gradu constituunt. Eligendæ sunt juniores: nam vetularum dura est caro, & vix tenerescit, etiamsi ex consilio Simeonis diem unum aut alterum servetur, atque aeri exponatur. Alimentum præstat optimum, sed tenue, & sanguinem generat tenuem, & si crassus sit, eum extenuat ac diffundit. Λυσιτελεῖ, inquit Sethi, τοῖς ἀγυμνάστοις, καὶ τοῖς τὴν δύναμιν ἀσθενέσι, καὶ τοῖς λεπτῆς διαίτης λεγομένοις, καὶ τοῖς ὑγροῖς τὸν στόμαχον. *Prodest otiosis, & inexercitatis, atque iis, qui imbecilliores sunt & invalidi, & qui tenuioris diætæ esse dicuntur, quique humido sunt stomacho.* Nam in ventriculo numquam corrumpitur & superfluos ejus humores exsiccat, ac fluxus quoslibet cohibet. Quocirca Galenus lib. VIII. *de Compositione medicamentorum* κακοστομάχοις convenire scribit. Sed alvum remoratur, atque ideo, tum quoque propter siccitatem, melancholicis nocet. Lue venerea laborantibus mirifice conducit, quos etiam solo ejus usu curari produnt. Earum hepar, si spacio unius anni quotidie comedatur, comitiales sanat. Medulla cum vino hausta morbum regium, fel vero illitum suffusiones oculorum & hebetudines curat. Eodem si tempora singulis mensibus illinantur, augeri memoriam ac firmari tradunt.

CAP. XII.

DE GALLINAGINE.

AVEM illam, quæ Aristotelis dicitur σκολόπαξ & ἀσκαλόπαξ, Theodorus Gaza *gallinaginem* interpretatur. Nomen Græcum cum Latino nihil habet affinitatis, & hoc nemo Veterum usurpat. Plinius quoque magna negligentia scolopacis non meminit. Cæterum in descriptione, quam ponit Aristoteles lib. IX. cap. XXVI. *de Historia Animalium*, ubi ait eam esse A pullitræ magnitudine, rostro longo, colore attagenis, perspicue patet esse quam vulgo *beccaciam* sive *becasse*, Belgæ *sneppe* nominant. In qua sententia me plurimum confirmavit Libertus Fromondus, vir multifariæ eruditionis, & ad mutuam amicitiam astro quodam mihi temperatus, *Saturnalitiarum cœnarum* quæst. III. ubi scolopacem a turdo differre, & eamdem esse cum nostra *sneppa* demonstrat. Quibusdam hodie *rostrula*, Martiali *rusticula*, sive *rustica perdix* appellatur. Cibus ei succus terræ, quem adacto rostri mucrone haurit, ut plantæ radicibus.

Carnem habet suavem, & mensarum deliciis B nobilem, quæ cum perdice comparatur: hæc tamen pretiosior. Notus versus Martialis *lib.* XIII. *epigr.* LXXVI.

Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix; sic sapit illa magis.

Triplicem in ea carnis differentiam inveniunt, qui palato sapiunt. Primam in cluniculis, quos reliquis præferunt: aliam in ea parte, quæ divulsis lateribus pectori in longum adhærescit: denique tertiam in alis, quas ignobiliores existimant. Et earum sane caro nigrior est ac durior. Assatur non exenterata, & quod ex intestinis distillat sup- C positis crustulis excipitur. Nam cum purissimo ac mollissimo terræ succo victitet, & felle careat, nihil excrementitium, nihil rejiculum continere putatur. Palatum quidem ista titillant: non possum tamen in animum inducere ut credam esse salubria. Nam quidquid iis facies, excrementa reperies succi terrestris; vel magis aspernanda, si, quod Olympius affirmat, lumbricis vescatur, quos rubor prodere videtur. Non sum tamen ita superstitiosus, ut hanc gustui delectationem invidere velim, maxime cum in exigua copia plerumque fumantur. Et qui libentissime appetunt, magno se Authore tueri possunt. Nam Scaliger, vir in omni D literatura summus, rei vero medicæ scientissimus, in *Hipponacte* suo, convivium, ad quod Rufum, Natalem, amicos, & affinem invitat, hoc apparatu instruit:

Tum picta rostro nominata de longo
Deponat intestina subditis crustis.

Carnis facultas pro partium ratione diversa est. Clunes, & quod pectori adhæreſcit, concoctu facilia sunt, alimentum bonum præstant, & sanguinem generant temperatiorem forte quam perdices, quæ sunt paulo sicciores. Alæ vero magis melancholicæ, quod sapor gravis indicat, qui pa- E lustrium avium naturam redolet.

CAP. XIII.

DE PHOENICOPTERO.

PHOENICOPTERO rubentes alarum pennæ nomen dederunt: celebrata ganeonibus avis. Unde a Juvenali phasianis atque aliis lautorum hominum deliciis accensetur *sat.* XI.

Et Scythicæ volucres, res phœnicopterus ingens.

Sed lingua potissimum expetita. Martial. *lib.* XIII. F *epigr.* LXXI.

Dat mihi penna rubens nomen; sed lingua gulosis
Nostra sapit: quid si garrula lingua foret?

Apicii commentum. Plin. *lib.* X. *c.* XLVIII. *Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse Apicius docuit, nepotum omnium altissimus gurges.* His quoque linguis Vitellius patinam suam instruxit, quam ob immensam magnitudinem *Clypeum Minervæ*, αἰγίδα

ἀιγίδα πολιέχε dictitabat. Suetonius in *ejus Vita* cap. XIII. & meminit Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XII. propter quam patinarum paludes illi Mutianus exprobravit. At Heliogabalus, teste Lampridio, cerebella palatinis convivis adhibuit. Ejusmodi luxum castigat Seneca *epistola* CX. *Non magnam rem facis, quod vivere sine regio apparatu potes, quod non desideres milliarios apros, nec linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ, jam tota animalia fastidientis, & certa membra in singulis eligentis.* Vere portenta luxuriæ, cibum æstimantis non gustus suavitate, aut succi bonitate, sed novis & inusitatis escis, nihilque plebejum sapientibus. Nam quid lusciniarum linguæ, aut ipsæ etiam lusciniæ jucundi saporis habent, aut boni alimenti, propter quod expetantur? & tamen in iis non tantum eversa Repub. Imperatores, qui rebus humanis illudere pro joco habebant, magnificentiam gulæ ostentaverunt; sed etiam privati, cum adhuc disciplinæ severitas, & censoriarum legum authoritas occuparet. Quo nomine Horatius *satyra* III. *lib.* II. filios Arrii insectatur:

Quincti progenies Arri, par nobile fratrum
Nequitia, & nugis, pravorum & amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemptas.

Cap. XIV.

De Lagopo.

Lagopus, avis Alpina, cui pedes leporino villo nomen hoc dedere, cætero candidæ, columbarum magnitudine. Sic Plinius *lib.* X. *cap.* XLVIII. Si credimus Scaligero *Exercitatione* LIX. *ad Cardanum*, frequens est in Pyrenæis montibus, facie perdicis, cujus rubra crura tegit pluma columborum more: ipsa tota candida. Ubi locis inferioribus liquantur nives, altiora & soli aversa loca persequitur, in quibus nix perennat. Idcirco raro capitur in campis. Tanti candoris est, ut a venatoribus hoc solo, quod nives ipsas superet, visu deprehendatur. Latet enim homine conspecto, eoque dissimulato sese motu prodere cavet: tanta fallendi fiducia nivis similitudine. Quidam logoidem esse putant, cujus meminit Horatius *satyra* II. *lib.* II. Plinius *loco* jam *citato* saporis gratiam in eo commendat. Norici vero Medici, teste Scaligero, carnes ejus ajunt esse saluberrimas, quarum esu naturalis calor mirifice roboretur. Et indicio est sapor quidam subamarus, sed gustu non insuavis, quem in ejus assata carne se deprehendisse Ornithologus testatur. Hoc quoque notatum, omnium carnium celerrime corrumpi.

Cap. XV.

De Turdis.

Turdos a tarditate dictos, quod hyemis confinio se referant, author est Isidorus lib. XII. cap. VII. *Originum*. Græcis κίχλαι vocantur. Eorum tres species facit Aristoteles libro IX. cap. XX. *de Historia Animalium*. Una est ἰξόβορος, *quæ viscum vorat*, nec alia re alitur, quam visco & resina, nec etiam aliud excernit. Unde proverbium: Κίχλα χέζει αὐτῇ κακόν. *Turdus ipse sibi malum cacat.* Altera τριχὰς dicitur, voce acuta, magnitudine merulæ. Tertia, quam vocant *Iliadem*, vel, ut Eustathius *ad Iliados* N. *illadem*, vel, ut alii, *tyladem*, omnium minima, & συναγελαστική, ut ait Alexander Myndius apud

A Athenæum *lib.* II. Primam & tertiam speciem apud nos extare non puto. Secunda τριχὰς, quam male Gaza *pilarem* appellat, cum potius ἀπὸ τοῦ τρίζειν, *a stridore*, nomen habeat, sat frequens hic est. Surda creditur hæc avis; unde proverbium, quod ex Eubulo refert Zenobius, Κωφότερος κίχλης, *Surdior turdo*. Sed Suidas ex eodem Eubulo legit Αφωνότερος κίχλης, *Magis mutus quam turdus*; cum tamen nulla volucrum sit loquacior. Narrat Scaliger, in *Commentario ad librum* IX. *Aristotelis in Historia Animalium*, se turdum habuisse argutissimum, qui etiam hyeme ad focum noctu cantillabat; de quo etiam exstat illius lusus

B in *Manibus Catullianis*:

Dulci turdule docte gutturillo
Asperas animi levare curas,
Cantillans modulos minutiores, &c.

At si sit surdus, non video qua ratione voces humanas ediscere potuerit, quod asserit se vidisse Plin. *lib.* X. *cap.* LXII. *Agrippina*, inquit, *conjux Claudii Cæsaris turdum habuit*, (*quod nunquam ante*) *imitantem sermones hominum, cum hæc proderem.*

Antiqui magnos greges in aviariis educabant, quæ tanta fuerunt, ut ex his agris stercorarentur, ut videre licet apud Varronem *lib.* I. *cap.* XXXVIII.

C Plinium *lib.* XVII. *cap.* IX. Idem Varro tradens rationem educandorum turdorum *l.* III. *c.* V. ait: *Igitur testudo* (*ut peristylium tectum tegulis, aut rete*) *sit magna, in qua millia aliquot turdorum ac merularum includere possint.* In hac tamen copia non fuit vilitas. Nam singulos ternis denariis, id est, denis nostris solidis, & amplius emptos legimus. Et hæc pretia suæ ætatis luxuria jam quotidiana facta Columella testatur *lib.* VIII. *cap.* X. Turdarium Lucullus ejusmodi fecit in Tusculano, ut in eodem tecto ornithononis inclusum triclinium haberet, ubi delicate cœnitaret, alios videret in

D mazonomo positos coctos, alios volitare circum fenestras captos, quasi fames expleri non posset, nisi etiam adspectu devoraret. In turdelitio illi sic perpetui suppetebant, ut nec æstate novi essent, nec frigore deficerent. Hinc Pompeii celebre dictum, *Nolle se luxuriæ Luculli servatam vitam referre*, cum in ancipiti morbo Medicus eum turdis vesci juberet, qui alieno anni tempore non nisi apud Lucullum reperiebantur. Verum is dubio procul illos ultro obtulisset, si indicium ei datum fuisset. Nam frequentia ex iis munera amicorum, & quidem in figuram coronæ consertis. Ovidius:

Quin etiam turdoque licet, missaque corona
Te memorem dominæ testificere tuæ.

E Martialis *lib.* XIII. *epigramm.* LI.

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis texta corona placet.

Et *lib.* III. *epigramm.* XLVII.

Illic coronam pinguibus gravem turdis.

Et Plinius *epist.* II. *lib.* V. Flacco gratias agit pro corona turdorum pulcherrimorum, cum quibus parem calculum ponere se non posse dolet.

Quantas autem in iis delicias olim fecerint, notum est ex vulgatissimo versu Martialis; qui etiam omnibus fere locis, in quibus lautarum epularum meminit, turdorum quoque mentionem facit, ut

F *lib.* IV. *epigramm.* LXVI.

Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemptum,
Sylva graves turdos exagitata dedit.

Et *lib.* III. *epigramm.* LXXVII.

Nec mullus, nec te delectat, Bætice, turdus,
Nec lepus est unquam, nec tibi gratus aper.

Alia ejus loca prætereo. Sed cum inter edulia ganeata mensarum palma tributa fuerit ostreis, boleto, ficedulæ; his tamen haudquaquam inferior turdus existimabatur. Hinc Asellius Sabinus dialogum conscripsit, in quo ostrea, boletus, ficedula, turdus inter se de præstantia contendebant, quem Tiberio obtulit, a quo ingens pretium accepit ob elegans gulosumque commentum. Suetonius in *Tiberio* cap. XLII. *Asellio Sabino H-S. ducenta donavit pro dialogo, in quo boleti, ficedulæ, & ostreæ, & turdi certamen induxerat.* Propterea Persius liguritorem & λίχνον ita describit, qui probe norit quo sapore sint turdi, *satyra* VI.

—— tenuem solers turdorum nosse salivam.

Author est Aristophanes in *Nebulis*, olim Athenis, cum disciplina erat adstrictior, nefas fuisse junioribus οὐδ' ὀψοφαγεῖν, οὐδὲ κιχλίζειν: ubi piscium & turdorum appellatione victus omnis delicatior intelligitur. Et notat vetus Scholiastes, atque ex eo Suidas, κιχλίζειν esse *lascivire*, & *immodeste ridere*, quæ lautarum epularum appendices sunt & corollaria. Unde in *Epigrammate:*

Κιχλίζεις χρεμέτισμα γάμου προκέλευθον ἱεῖσας.
Cachinnaris hinnitum nuptiarum præcursorem emittens.

Cæterum in qualitatibus turdi calidi sunt & sicci in fine primi gradus, ad principium secundi. Galenus libro *de bono & malo succo* adnumerat cibis optimis, qui neque crassum, neque tenuem, sed mediocrem in substantia succum gignunt. At lib. III. *de Alimentorum facultatibus* ad concoquendum difficiliores ait perdicibus, attagenis, columbis, gallis, phasianis, & gallinis; quod Aetius, Paulus, & Oribasius totidem verbis repetunt. Quod si verum est, sequitur, eos esse materiæ firmioris, & præbere plus alimenti: quod etiam optimum esse, communis consensus fatetur. Bonum gignunt sanguinem, & appetitum suscitant eorum qui a morbis convalescunt. Sapidiores longe sunt, si baccis juniperi aut myrto pasti fuerint. Autumno suavissimi cum uvis vescuntur, aut oleis: nam his mirifice delectantur. Quocirca ab Epicharmo ἐλαιοφιλοφάγοι, & ab Ausonio *populatores olivæ* vocantur. Nam integra sæpe oliveta vastant, ut inter agrorum calamitates non postrema ista censeatur. Hæc autem esca cum suppetit, valde pinguescunt; nec nisi pingues admodum commendantur; & ut Horatius ait *lib.* I. *epist.* XV.

—— obeso
Nil melius turdo.

Quamobrem apud Macrobium lib. II. cap. IV. *Saturnalium*, Curtius Eques Romanus deliciis diffluens, cum macrum turdum sumpsisset in convivio Cæsaris, interrogavit, *An mittere liceret:* & respondérat Princeps, *Quidni liceat?* Ille per fenestram statim misit, scilicet ut macros turdos a mensis ablegandos indicaret. Hodie non tantus iis honor, quia saginandi ratio negligitur, quam veteres rei rusticæ Scriptores accurate tradunt.

Turdorum carnibus affines plane sunt merularum; & eamdem educandi rationem in aviariis olim usurpatam observamus.

CAP. XVI.

DE FICEDULIS.

Ficedula Græcis συκαλὶς dicitur a ficubus, quamvis & uvis vescatur. Quare Martialis *lib.* XIII. *epigramm.* XLIX.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Sed hoc nomen in autumno dumtaxat habere fertur: reliquo anni tempore *melancoryphus* appellatur, propter atrum apicem, quo caput ejus insignitur:

Sumque melancoryphus, quod mihi fuscus apex.

Inter aves minutiores principatum facile tenet. Nam cum duobus præstantissimis fructibus victitet, necessario fit, ut in carne bonitatem alimenti referat; cujus tanta vis est, ut vulgato apud Gallos sermone tritum sit, quamlibet avem tempore vindemiarum esse ficedulam. Hinc etiam gratissimi saporis est, atque inprimis delicati: ideoque apud Gellium *lib.* XV. *cap.* VIII. *Præfecti popinæ atque luxuriæ negabant ullam avem præter ficedulam totam comesse oportere.*

Calidæ sunt atque humidæ primo gradu, præsertim obesæ, quæ ab Epicharmo ἀγλααὶ dicuntur, & ut cum Martiali loquar, cerea pinguedine lucent. Celeriter atque optime nutriunt, appetitum excitant, ventriculum roborant, nec eum unquam gravant, quamvis magna copia, etiam centenæ, comedantur: cor recreant, animum exhilarant; ac totum diem jucundus peraget, qui magno numero ficedulas esitarit. Sanguis enim ex iis syncerus ac defæcatus, & spiritus puri ac clari generantur. Febricitantibus tamen minime conveniunt; ut neque rusticis, quibus tabem conciliant, ut Itali prædicant, qui illa nobiliorum dumtaxat mensarum fercula oportere esse contendunt.

CAP. XVII.

DE ALAUDIS.

ALaudam olim Galli *galeam* vocabant; & hoc nomen avi imposuerunt, quam Latini galeritam, Græci κορυδὸν, κορύδαλλα, & κορυδαλὸν appellant. In Gallia mensibus hybernis ingens est captura alaudarum; quo tempore pinguiores et iam sunt, nisi nix diutius jacens escam omnem tegat. Nam licet æstate major copia pabuli suppetat, minus tamen pinguescunt, quia pullis educandis, quos in ea ter excludunt, occupatæ seipsas negligentius curant.

In usu ciborum frequentes sunt. Eas enim senas aut duodenas ligneo transfixas veruculo culinæ destinant, & cum salvia laridoque assatas apponunt, & in deliciis habent. Nonnulli tamen damnant, & earum carnes difficulter concoqui, pravumque succum generare asserunt. Cardanus & Michael Savonarola secundum gradum caliditatis & siccitatis attingere ajunt. Rhazes iis adstringendi vim cum calore tribuit: cui consonat Elluchasim, qui eas alvum sistere affirmat. Alii contra moderate calidas & humidas censent, præcipue pingues, cujusmodi hyeme, vel etiam autumno capiuntur, quas & appetitum excitare, & bonum alimentum præbere, & concoctu faciles esse tradunt. Et vero, si vetulæ non sint & effetæ, his dotibus esse præditas non negaverim. Tamen Aristoteles libro nono capite vigesimoquinto *de Historia Animalium* duo statuit alaudarum genera: alteram humi agitantem & cristatam; alteram gregatilem, sed minorem & sine crista: atque hanc dumtaxat esculentam esse scribit. Quod aliquorum Medicorum calculo probatur, qui cristatas nimis calidas, & siccas, & gustu etiam insuaves censent. In Medicina tamen usu habent. Nam doloribus colicis mire prosunt, si assæ comedantur. Id memoriæ

proditum a Dioſcoride *lib.* II. *cap.* XLVIII. & Galenus confirmat lib. XI. cap. XXXVII. *de Simplicium medicamentorum facultatibus*. Eas tamen non aſſas, ſed elixas cum jure, & quidem aſſiduo ſumi præcipit. Et addit: Επειδὴ τῆς ὠφελείας αὐτῶ πρὸς τὰς κωλικὰς ἐπειράϑην, καὶ βάλομαι καλῶς γνωρίσαι τοῖς ἀκ εἰδόσιν αὐτό. *Quandoquidem expertus ſum galeritæ adverſus colicos utilitatem, velim quoque iis monſtratam, qui ipſam ignorant.* Hanc ſcilicet affert rationem, cur illam exacte deſcribat; addita etiam fabella Æſopi, quam narrat verbis Ariſtophanis, ex comœdia cui *Aves* nomen fecerunt. Alii eandem vim tribuunt cineribus ejus, ſi drachma una cum vino capiatur.

CAP. XVIII.

DE PASSERIBUS.

OMne genus avium, exceptis γαμψωνύχοις ſive *uncungulis*, natura venereum eſt, authore Ariſtotele lib. III. cap. I. *de Hiſtoria Animalium*. Atque iis ſemper adeſt, ut canit Oppianus lib. II. Κυνηγετ.

Θυμὸς ποτὶ λέκτρον ἀναιϑόμενος πρόπαν ἦμαρ.
Animus ad concubitum ardens totum diem.

Inter aves autem paſſer longe ſalaciſſimus eſt; ut non immerito Sappho in elegantiſſima ode, quæ extat apud Dionyſium Halicarnaſſeum libro *de Nominum compoſitione*, Veneris currum a paſſeribus trahi finxerit. Propter hanc ſalacitatem brevis admodum vitæ ſunt: mares enim anno diutius durare negantur, Plinius *lib.* XI. *c.* XXXVI. Præterea morbo comitiali tentantur, quem Galenus prodidit interdum oriri ab immoderato coitu, qui ipſe juxta Democritum eſt ὀλιγοχρόνιος ἐπιληψία. Alii tamen hujus mali cauſam eſſe putant, quod hyoſcyami ſemine veſcatur.

Eos Antiqui in deliciis habuerunt, non tam ad uſum ciborum, quam ad oblectationem, quam ex eorum obſequibili ingenio capiebant. Omnia enim domini juſſa obire docebantur: & hinc ingens aliquibus quæſtus; adeo ut omnem cenſum in uno paſſere poſſiderent. Luculenter id nos docet Manilius lib. V. *Aſtronom.*

Nec te prætereant clauſas qui culmine ſummo
Paſcere aves gaudent Veneris, & reddere cæcas:
Aut cereis revocare notis, totamque per urbem
Qui geſtant caveis volucres ad juſſa paratas;
Quorum omnis parvo conſiſtit paſſere cenſus.

Ad quem locum ſcribit Scaliger, ſe vidiſſe paſſeres ejuſmodi obſequentiores & paratiores ad juſſa herilia, quam ullus canis venaticus inſtitui poſſit. Et talem quoque crediderim fuiſſe paſſerem Catulli: nimis enim argutantur, qui neſcio quid ſubturpiculum ſub illius nomine ſignificari volunt.

Nec vero deſunt qui paſſeres edi vetent: eos certe Platina *lib.* V. a patinis ſuis abeſſe jubet ob intemperiem carnis, quæ cum calida ſit & ſicca uſque ad tertium fere gradum, male alit, & difficulter concoquitur. Galenum etiam libro III. *de Alimentorum facultatibus* cap. XIX. ſcribit eſſe duriorem carnibus aliarum volucrum. At libro *de bono & malo ſucco* recenſet inter cibos attenuantium & incraſſantium medios. At commentario IV. *de Ratione victus* textu CI. ſimpliciter attenuantibus adnumerat. Arabum ſecta plane damnat. Cæterum naturis frigidis & pituitoſis conducunt. Juvenes autem & pingues, præſertim in autumno, poſtquam uvas comederunt, minime ſpernendi ſunt: tunc enim bonum præbent alimentum, & aptum augendo ſemini. Nec enim abs re Terpſicles apud Athenæum *lib.* IX. *cap.* X. ἐμφαγόντας φησὶ ϛρυθῶν ἐπικαταφόρυς πρὸς ἀφροδίσια γίνεσθαι, *ait, eos, qui paſſeribus veſcuntur, in Venerem præcipites fieri.* Quam vim eorum cerebro potiſſimum ineſſe nonnullis perſuaſum eſt.

CAP. XIX.

DE COTURNICIBUS.

COturnicum caro calida eſt in fine primi, & humida in fine ſecundi gradus: quocirca facile putreſcit in ventriculo, & febres gignit, appetitum dejicit, præſertim ſi pinguis admodum ſit, cujuſmodi autumno experimur. Eo enim tempore maxime pingueſcunt, ut author eſt Ariſtoteles lib. XIII. cap. XV. *de Hiſtoria Animalium*. Ergo valeat ſemper atque occupet illud Fracaſtorii:

Viteturque gravi coturnix tarda ſagina.

Accedit etiam malitia, quam ex pabulo contrahunt: nam venenatis ſeminibus & elleboro præcipue veſcuntur. Lucretius *lib.* IV.

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum;
At capreis adipes & coturnicibus auget.

Unde frequens earum uſus convulſiones atque epilepſiam parit: atque ideo Veteribus ſpretæ. Plinius *lib.* X. *cap.* XXIII. *Coturnicibus veratri ſemen gratiſſimus cibus: quam ob cauſam eas damnavere menſæ; ſimulque comitialem propter morbum deſpui ſuetum, quem ſolæ animalium ſentiunt, præter hominem.* Sed fallitur Plinius, & cum eo Iſidorus lib. XII. cap. VII. *Originum*, in eo, quod, præter hominem, ſolas coturnices epilepſiam ſentire dicat. Nam Hippocrates & Plutarchus oves & capras; Rhodiginus canes & feles; Abſyrtus equos; accipitres & graculos Brodæus eo morbo tentari ſcribunt. Quod de cane refert Rhodiginus, id mihi domeſtico exemplo conſtat. Et porcos ſpectavi hoc malo laborantes. Porro Galenus *Commento* V. *ad* VI. *Epidemiorum* textu XXXIV. multos in Doride & Theſſalia convulſionibus infeſtari tradit propter eſum coturnicum; idemque ſe Athenis obſervaſſe ſcribit: Καὶ μέντοι καὶ περὶ τὴν Δορίδα, καὶ Βοιωτίαν, καὶ Θετταλίαν, ὅσα τ' αὐτῇ γειτνίᾳ χωρία, πάσχουσι τῶν μυῶν ἑάλωσαν πολλοὶ φαγόντες ὄρτυγας· ἐπειδὴ τὸν ἐλλέβορον ἐσθίουσιν οὗτοι. Ταυτὸ δὲ καὶ κατὰ τὰς Αθήνας οἶδά τισι συμβὰν ὀρτύγων δαψιλέστερον ἐδηδοκόσι. *Et quidem in Doride, & Bœotia, & Theſſalia, omnibuſque finitimis regionibus, multi ex coturnicum eſu diſtenſionibus muſculorum correpti ſunt; quoniam veratro ſcilicet illæ veſcantur. Iſtud idem & Athenis quibuſdam accidiſſe novimus, qui coturnicibus largiter nimis ſeſe impleverant.* Plinio Galenoque ſubſcribit Avicenna, vimque gignendarum convulſionum coturnicibus tribuit, non tantum quia ellebori ſemine veſcantur; ſed & propter peculiarem proprietatem, quæ carnibus earum inſit. Herculem tamen, quem morbo comitiali adeo ferunt obnoxium, ut ab eo Herculeus quoque dicatur, coturnicibus ſupra modum fuiſſe delectatum legimus apud Athenæum *lib.* IX. *cap.* XI. Quin immo vita functum, ab Jolao earum nidore ad lucis uſuram revocatum. Hinc verſiculus, quem inter adagia referunt Zenobius & Diogenianus;

Ορτυξ ἔσωσεν Ηρακλῆν τὸν κάρτερον
Servavit Herculem coturnix ſtrenuum.

Et cerebrum ejus cum unguento myrteo tritum, ac faciei illitum, epilepticis præſenti remedio eſſe memoratur. At Manardus etiam ex alio capite damnat *libro* XVIII. *epiſt.* I. *Coturnices*,

inquit, *carnes non probo; non solum quoniam a majoribus nostris improbatas invenio; sed etiam quia veris & æstatis tempore siccæ admodum sunt, & ad atram potius bilem, quam ad bonum sanguinem gignendum idoneæ. Autumno & hyeme pinguedine nimia obesæ, ut palato gratiores, ita ventriculo & concoctioni ineptissimæ, exigui nutrimenti, nauseamque & fastidium pariunt, & quibusdam etiam in aquilonari ora extremam perniciem, ut a fide dignis intellexi, attulerunt*. Itaque Manardus, præter alia incommoda, coturnices etiam atram bilem augere scribit: quod alii negant; immo melancholicis utiles esse affirmant, quod siccam eorum intemperiem insigni humiditate corrigant. Cæterum nihil incommodi ex modico illarum usu metui debet, præsertim in iis regionibus in quibus elleborus non nascitur.

CAP. XX.

DE STURNIS.

STurnos non omnis ætas, aut omnes gentes, inter ea quibus vescimur, habuerunt. Quare Athenæus *lib.* II. *c.* XXIV. notat Antiphanem καὶ ψάρας ἐν τοῖς βρώμασι καταλέγειν, *etiam sturnos in cibis recensere*, quasi novum nec passim usitatum. Atque etiamnum e mensis nonnulli proscribunt; eo quod, ut Galenus testatur in fine libri *de Theriaca*, cicuta pascatur, quæ licet lethalem in eos vim non exerceat, tamen virosam malignitatem transfundit, quam ipsa saporis atque odoris gravitate referunt. Carnem quoque duram habere ajunt, & ad concoquendum ventriculo contumacem. Quare Platina *lib.* V. *c.* VIII. *Sturni*, inquit, *quos vulgo diabolicam carnem habere dicimus, omnino ab opsoniis lautiorum rejiciantur. Hos comedat vacerra noster, qui marsupio magis quam vitæ consultum vult*. Et sane Martialis *lib.* IX. *epigramm.* LV. vilioribus escis adnumerat, ubi se excusat, quod ad cognatum mittat parvæ munuscula cortis, cum propter agelli sui tenuitatem non posset dare turdos, aut pisces:

Nunc sturnos inopes, fringuillarumque querelas
Audit, & arguto passere vernat ager.

Tamen Galenus in eodem ordine, quo perdices, turdos, merulas & ejusmodi reponit, quæ ἄχυμα censentur, & plurimum ac laudabilem sanguinem, eumque fluxilem gignunt. Et lib. V. *de Sanitate tuenda* esum sturnorum concedit iis, qui gracili sunt habitu, & extenuato, & siccato: carnes enim eorum proximas collocat a carnibus attagenarum. Sed illum de pullis loqui putant, qui cicutam nondum gustare potuerunt, aut certe de iis, qui tempore vindemiarum capiuntur. Tum enim non esse improbandos, & longe seipsis suaviores evadere Cardanus testatur. Ut igitur a cicuta pravitatem, ita bonitatem & saporis quoque gratiam ab uvis ducunt. Gratiores etiam fiunt ubi olivæ nascuntur: earum enim supra modum avidi sunt. Unde Quintus Calaber sub finem libri VIII. *Derelictorum ab Homero*, Græcorum in obsidenda Troja pertinaciam comparat importunitati sturnorum, qui famelici oliveto sic incumbunt, ut nulla vi expelli queant; nisi populandi finem exempta fames, aut fructuum absumedo fecerit.

CAP. XXI.

DE CUCULO.

CUculus carne suavi est, præsertim juvenis. Aristoteles lib. VI. cap. VI. *de Historia Animalium*: Γίνεται, inquit, ὁ κόκκυξ πίων, καὶ ἡδύ-
A χρεως, κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν μάλιστα. *Cuculus fit pinguis, & est carne suavi ad vescendum, eo maxime tempore*, quo scilicet a curruca alitur. Ab ea enim excluditur, & mox genuinis pullis, se longe minoribus, & minus voracibus, escam præripiens valde pinguescit. Plinius *lib.* X. *cap.* IX. *Educat ergo subdititium adulteratio fœta nido. Ille avidus ex natura præripit cibos reliquis pullis, itaque pinguescit, & nitidus in se nutricem convertit. Illa gaudet ejus specie, miraturque se ipsam, quod talem pepererit. Suos comparatione ejus damnat ut alienos, absumique etiam se inspectante patitur; donec corripiat ipsam quoque jam volandi* B *potens. Nulla tum avium suavitate carnis comparatur illi*. Sed ubi plene adolevit, saporem mutare fertur. Quamvis nulla ratio est, cur tum fiat deterior: nisi si, quod omnibus animalibus commune est, ætas aliquam duritiem afferat. Quoniam neque in ova absumitur succus; neque in incubatu quidquam capit incommodi; neque in educando pullos dispendii ad vescendum: totum studium ponit in edendo.

CAP. XXII.

C

DE CYGNIS.

AVium aquaticarum caro aliarum volucrum carnibus durior est, & ad concoquendum difficilior. Pluribus etiam excrementis abundat: & hæc vitia eo sunt majora, quo illæ fuerint grandiores. Quædam algam redolent aut limum, in quibus escam captant, aut pisces quibus vescuntur. Unde stomacho nauseam pariunt. Quædam sapore magis blandiuntur: sed earum assiduo usu graves morbi arcessuntur.

Græci Medici cygnorum non meminerunt, quia fortassis haudquaquam esculentos censuerunt. D Nonnulli tamen anseribus prætulerunt, ut Plutarchus testatur libro *de Esu carnium*. Et apud Athenæum *lib.* IX. vix unquam a Deipnosophistarum convivio cygni abesse dicuntur. Et ad patinas veniunt eadem fere ratione, qua anseres. Carnes habent nigras, & duras, & excrementis offertas; idque magis, quo reliquis aquaticis majores sunt. Quare non tam ad gustum, quam ad ostentationem solennioribus epulis adhibentur. In tuenda valetudine locum non habent.

CAP. XXIII.

E

DE ANSERIBUS.

ALbertus Magnus anserinam carnem statuit frigidam & siccam, in quo a Veteribus dissentit: & primum ab Hippocrate, qui lib. II. *de Ratione victus* omnium ait esse humidissimam. Idem affirmant Avicenna, Rhazes, cæterique Arabes, & addunt esse calidissimam. Quibus accedit Ælianus *lib.* V. *cap.* XXIX. Θερμότατος δὲ ὢν ἄρα καὶ διαπυρώτατος ὁ χὴν φιλόλουτρός ἐστι. *Quod autem natura calidissimus sit anser, idcirco lavationum cupidissimus existit*: & iis maxime delectatur, quæ interius refrigerant. Calida vero, F ut lauri folia, & id genus alia, ne per maximam quidem inediam edere compellantur. Columella tamen viride nasturtium confectum minutatim cum aqua præbere jubet, quod iis esca sit jucundissima.

Galenus l. III. *de Facultatibus alimentorum* anseres & struthiocamelos sub eadem classe ponit; eorumque carnes ait esse excrementitias, & in toto fere volucrum genere concoctu difficillimas. Quod etiam asserit libro *de cibis boni & mali succi*. Et confirmat Simeon Sethi: Ἡ τῶν χηνῶν σὰρξ περιτ-

πωματική ἐστι, καὶ δύσπεπτος, καὶ πασῶν τῶν κατοικιδίων ὀρνέων παχυμερεστέρα, καὶ θερμοτέρα, καὶ ὑγροτέρα· ὡς καὶ ἐν αὐτῇ τάξει τεθεῖναι παρὰ τῶν παλαιῶν τῇ τῶν στρουθοκαμήλων σαρκί. Anserum carnes superfluitatum & excrementorum productrices sunt, & difficulter coquuntur, domesticisque cunctis avibus crassiores sunt, & calidiores, & humidiores. Eas Prisci eodem ordine posuerunt, quo struthiocamelorum carnes. Experimento quoque probatum est, copioso earum usu febres excitari. Nam propter substantiæ duritiem ac crassitiem non nisi ab iis, qui robusto sunt ventriculo, validisque utuntur exercitiis, superari possunt. Itaque non bene subactæ obstructiones pariunt; a quibus deinde febres aliique morbi oriuntur. Recte cocta multum alet; est enim, authore Celso, materiæ valentissimæ. Sed semper ob partium crassitudinem humores vitiosos, melancholicos, & putredini obnoxios producit.

Tamen obesos & probe saginatos multæ nationes in deliciis habuerunt. Ægyptii, ut author est Diodorus Siculus, crebro vescebantur, & in Regum mensis hic flos cœnæ habebatur. Nec alium ad finem Veterum χηνοβοσκεῖα replebantur, de quibus Varro lib. III. cap. X. *de Re Rustica*, Columella *lib.* VIII. *cap.* XIV. Et Alexandro Severo hic solennioribus festis cibus fuit, ut author est Lampridius. Angli, quibus, ut testis est Cæsar lib. V. *de Bello Gallico*, anserem gustare nefas erat, nunc juniores, antequam primam mutent plumam, loco lautarum epularum habent: sic refert Virgilius Polydorus lib. I. *Historiæ Anglicæ*. Et revera præstat opima pullities. Quare, Columella teste, mox ubi quatuor mensium sunt, farturæ maximus quisque destinatur; quoniam tenera ætas præcipue habetur ad hanc rem aptissima. Recte Villanovanus eos hyeme tutius edi posse scribit, ut omnia, quæ calefaciunt, & difficulter concoquuntur. Pullos tamen magis æstate commendant: qua tempestate totum genus imbrobarim propter authoritatem Plinii, qui *lib.* XXIX. in fine *cap.* III. scribit, anserem, uti & corvum, ab æstate in autumnum morbo conflictari. Sylvestres altilibus præstant. Nam propter assiduum volatum pauciora excrementa coacervant, ideoque faciliores ad concoquendum evadunt. Qui cum accipitribus pugnantes interficiuntur, teneriores comperiuntur; quod a Baptista Porta probatum, & a Savonarola confirmatum. Marsilius Licinus lib. II. cap. VI. *de Vita producenda* rationem tradit, qua laudabilis reddatur anserum caro, & ad tuendam valetudinem idonea: *Neque forte*, inquit, *ab re fuerit, anseres nutrice spelta, aquave nitida, ac post necem, carnes, sale & coriandris aceto præparatis conditas, dies septem servare prius quam edas.*

Inter partes hujus avis laudantur alæ, quasi minus excrementitiæ. Sic Galenus *loco citato*, Aetius *lib.* II. *cap.* CCXXIII. Paulus *lib.* I. *cap.* LXXXI. Et ventriculus in pretio est. Adeps ad opsonia commendatur, aurium dolores sanat instillatus; labris scissis illitus prodest. Pedum palmis Messalinus Cotta, Messalæ filius, dignationem addidit; qui eas torrere, atque patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit. Lingua stranguriæ quadam proprietate medetur. Testes Venerem excitant Simeon Sethi: *Λέγεται δὲ ὡς οἱ τούτων ὄρχεις ἐσθιόμενοι πρὸς παιδοποιίαν. συνεργοῦσι. Testes anserum comesti ad procreandam sobolem facere creduntur*. Atque hoc est cur illum Priapo Venerique sacrarit Antiquitas; & apud Petronium Enothea tragice sæviat in Encolpium, qui sacrum anserem armata eliserat manu: *Scelerate*, inquit, *& loqueris? nescis quam magnum flagitium admiseris? occidisti Priapi delicias anserem, omnibus matronis ac-*

A *ceptissimum*. Hæc enim non alio accommodanda putem, quam quod libidinis irritamentum inde suppeditetur.

Sed præcipua laus jecori, quod fartilibus in magnam amplitudinem crescit. Hinc Juvenal. *satyr.* V.

Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
Altilis.

Et Martialis *lib.* XIII. *epigramm.* LVIII.

Adspice quam tumeat magno jecur ansere majus!
Miratus dices, Hoc, rogo, crevit ubi?

Et hæc una fuit cura χηνοβοσκῶν, ut testis est Athenæus *lib.* IX. jecur amplificare, a quo toti B anseres æstimabantur. Plinius *lib.* X. *cap.* XXII. *Nostri*, inquit, *sapientiores, qui eos jecoris bonitate noverunt*. Ac tandem quæstione dignum putat, quis primus tantum bonum invenerit; num Scipio Metellus vir Consularis, an M. Sestius eadem ætate Eques Romanus. Et vero omnibus avitii generis jecinoribus succi bonitate antecellit. Rhazes: *In omni*, inquit, *jecinorum genere præstat anserinum, tanquam humidius, tenerius, suavius*. Et Isaac in *Universalibus Diætis* eodem nomine celebrat. Longe præstantissimum ficubus pastorum. Id apud Horatium *li.* II. *satyra* VIII. Na- C sidienus ostentat:

Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.

Et prædicat Galenus libr. III. cap. XXI. *de Facultatibus alimentorum*: *Ὥσπερ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ὑῶν τὸ συκωτὸν ἧπαρ ἐν τοῖς ζῶσι ζώοις προπαρασκευάσουσιν ἡδὺ διὰ τῆς τῶν ἰσχάδων ἐδωδῆς· οὕτως ἐπὶ τῶν χηνῶν ὁρῶ γάλακτος ἀναδεύοντας τὰς τροφὰς, ὡς γίνεσθαι μὴ μόνον ἥδιστον, ἀλλὰ καὶ τροφιμώτατον, εὐχυμώτατόν τε, καὶ διαχωροῦν οὐ χαλεπῶς, ὡσαύτως δὲ καὶ πρὸς τὴν ἐν γαστρὶ πέψιν. Quemadmodum in suibus, dum adhuc vivunt, hepar caricarum pastis ad voluptatem præparatur, ita in anseribus video ipsorum alimenta lacte imbui: ut non modo eorum jecur sit* D *jucundissimum, sed potenter etiam nutriat, atque optimi sit succi, & dejectu minime difficile, probeque similiter in ventriculo conficiatur*. Quocirca Lampridius hoc in Heliogabalo tanquam insani perditique luxus exemplum notat, quod canes jecinoribus anserum paverit.

CAP. XXIV.

DE ANATIBUS.

INTER cortales aves nulla carnem calidiorem & humidiorem quam anas habere vulgo cense- E tur. Atque id pluribus experimentis sibi compertum esse Serapion affirmat. Tamen Albertus Magnus frigidam statuit & melancholicam. Et propterea quidam putant Judæos, qui iis mirum in modum delectantur, & crebro vescuntur, melancholicis affectibus admodum esse obnoxios, & lurido colore perfundi. Contra Mesue illorum esu *colorem vocemque* clarificari ait.

Verum ut hæc in medio relinquamus, in confesso est, anatum carnem esse crassam, duram, concoctu difficilem, & excrementis abundantem. Quocirca mirari licet Catonem, qui, teste Plutarcho, hanc & leporis esse levem credidit, & ægris F convenientem; nisi quod illis, qui eam manducaverunt, multa creet insomnia. Atque hac se medicina & victu valetudinem suam suorumque conservasse gloriatur. Alii etiam pro lautitiis habuerunt. Nam Macrobius lib. III. cap. XIII. *Saturnalium* ex indice quarto Metelli Pontificis refert descriptionem cœnæ Pontificiæ, in qua cum suminibus, sincipite aprugno, patina piscium, similibusque opiparum epularum deliciis anates quoque appositæ traduntur. Aut certe palato nunc

sumus parum erudito, aut Pontifices multa potius ad pompam, quam ad edendum mensis inferebant. Nobis favet Petronius, arbiter popinæ non insulsus, dum ait: A

—— at albus anser,
Et pictis anas enovata pennis
Plebejum sapit.

Multum quidem alit, si recte concoquatur: sed robustum ventriculum requirit; & vel sic tarde descendit, & sanguinem crassum nec undequaque laudabilem gignit. Qui convivium putant inopia sordere, nisi tantum apponatur avium atque altilium, ut earum delicatissimis partibus saturi possint fieri, pectus & cervicem dumtaxat edi jubent. B Martialis *lib.* XIII. *epigramm.* LII.

Tota mihi ponatur anas; sed pectore tantum,
Et cervice sapit: cætera redde coquo.

Jecur etiam laudabile, & hepaticis fluxibus prodest. Pulli præsertim obesi adultis aut vetulis longe meliores, & feræ domesticis. Illæ enim cœlo & aquis liberioribus fruuntur; & hyeme præstant, cum ranæ & bufones absunt. Quæ vero in urbibus aluntur, penitus damnantur; quod cæno fædissimisque alimentis victitent, ut animalium intestinis, atque aliis purgamentis, quæ ex culinis in canales eluviei proluendæ destinatos abjiciuntur. C

CAP. XXV.

DE ALIIS AQUATICIS, ET MERGO.

NONNULLÆ sunt species gallinarum aquaticarum carne suavi & tenera, quæ in honore mensarum habentur.

At mergi pravi sunt, duri, concoctu difficiles: & quam improbandi, ab Horatio discas, qui *satyra* II. *libri* II. cibos non propria bonitate, sed opinione æstimari ostendens, in exemplum præposteræ gulæ mergos adducit: D

Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana juventus.

Athenæus tamen Bœotorum ait esse delicias. Et habeant sua labra lactucæ. Sues olim audiverunt, ut ex Pindaro docet Galenus in *Adhortatoria ad artes*. Quid mirum si luto magis quam amaracino delectati fuerint? Ventriculos eorum pro medicamento stomachum roborante, & concoctionem juvante, quidam commendarunt. Sed fucum Galenus experimento detexit lib. XI. cap. XIV. *de Simplicium medicamentorum facultatibus*. Nec verius est, quod eos spleni & elephantiasi tradunt mederi, sanguinem vero esse venenatis morsibus alexipharmacum. Plinius etiam majoris vanitatis compertus, qui, ex Magorum disciplina, cor mergi sine ferro exemptum contra quartanas devorari jubet. E

CAP. XXVI.

DE ARDEA.

ARDEA in honore eximio est, non ob cibos tantum, sed ob voluptatem, quam Proceres ex ejus venatu capiunt. Quidam gruibus præferunt, & carne ajunt esse sapidiore ac teneriore. Gulæ artifices pectore dumtaxat placere docuerunt. Si tamen verum amamus, venandi voluptas lenocinium addit. Ex se enim insalubris est, dura, fibrosaque adeo, ut cum arietatoribus, aut, ut cum Plauto loquar, cum calceatis dentibus ad epulas ire debeat is, cui tam scrupulosam victus commeat viam. Sapor etiam ingratus, & nescio quid feri ac tetri horroris refert. F

CAP. XXVII.

DE GRUE.

GRUUM caro, ut author est Galenus, plane dura est, & fibrosa, concoctuque difficilis. Eadem tradunt iisdem fere verbis Aetius *lib.* II. *cap.* CXXXII. Paulus *lib.* I. *cap.* LXXXIII. Oribasius lib. II. cap. XLIII. *Collectorum*, & Simeon Sethi. Qui omnes etiam asserunt, non esse comedendas, nisi post aliquot dies quam jugulatæ fuerint. Quippe mora nonnihil tenerescunt, præsertim si appensis ponderibus tendantur, ita ut fibræ disrumpantur. Valentissimæ materiæ sunt, teste Celso, & si a robusto ventriculo superentur, plurimum alunt. Sanguinem tamen generant melancholicum, & justo crassiorem. Et nescio cur Romanis tantopere placuerint, ut magnos greges earum alerent, quas ex Melo insula una Cycladum afferrent, & in γερανοβοσκείῳ studiose saginarent, ut scribit Plutarchus in *Amatoriis narrationibus*, & II. *de Esu carnium*. Atque adeo in illos merito Statius exclamare mihi videtur:

Ah miseri! quos nosse juvat quis Phasidos ales
Distet ab hyberna Rhodopes grue.

Plinius *lib.* X. *cap.* XXIV. hanc alitem inter primas expetitam memorat; cum tamen D. Augusti principatu, teste Cornelio Nepote, ciconiam ei præponerent. Minores grues appellant *vipiones*, quos in Balearibus insulis in honore mensarum fuisse refert Plinius *eodem lib. cap.* XLIX.

CAP. XXVIII.

DE CICONIA: ET OBITER QUÆSITUM, AN ESUS ANIMALIUM, QUÆ VENENO VICTITANT, HOMINI SIT NOXIUS.

QUASI ex aliis non satis intelligeremus pretium obsoniis non natura, sed opinione poni, ciconiam quoque nepotes culinæ intulerunt, in qua nihil est quod appetitum provocet, aut gustum titillet. Sola novitas condimento fuit, & helluandi libidinem excitavit; quam perstringit Satyricus:

Ciconiæ etiam grata, peregrina, hospita,
Pietatis cultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Authorem hujus tam insolentis ganeæ facit virum quemdam prætorium Horatius *satyra* II. *lib.* II.

Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos author docuit prætorius.

Quo loco priscorum Interpretum alii Sempronium, alii Rutilium Rufum nominant. Atque is fortasse Rufus est, quem Tertullianus in fine libri *de Pallio* inter nobilissimos lurcones recenset, & cum Apicio conjungit. Is tamen Prætor non fuit, sed Præturæ candidatus repulsam tulit. Displicebat enim populo novitas luxuriæ in animalia non ad epulas nata sævientis. Extant scripti in illum veteris elegantiæ versiculi apud Porphyrionem:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis.
Suffragiorum puncta non retulit septem,
Ciconiarum populus ultus est mortem.

Et mox obsolevit usus, ut ex Plinio patet: *Ciconiam*, inquit, *nemo nunc velit attigisse*. Sane quisquis victum ejus consideravit, prorsus abhorrebit. Nam, ut ait Juvenalis *sat.* V.

—— *serpente ciconia pullos*
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta.

Et ad eum finem a natura condita videtur, ut terras a venenatis animalibus liberet: in quo Thessalis olim salutares fuerunt: apud quos etiam honos iis de serpentum exitio tantus, ut capitale fuerit occidisse, eademque legibus pœna, quæ in homicidam; quod refert Aristoteles lib. *de Mirabilibus auscultationibus*, & Plinius *lib.* x. *cap.* XXIII. & meminit Clemens Alex. in *Adhortatoria ad Gentes*. Nec dubium est, quin illarum caro virulentæ escæ malignitatem retineat. Nam, ut memoriæ prodidit Julius Alexandrinus, qui eam Cæsarei Archimagiri artificio paratam explorandi causa gustavit, alienissimi saporis est, in quo deprehendas nescio quem horrorem insuavitatis, quæ nullo condimento potest edomari. Quare non tantum ingratam, sed insalubrem quoque ciconiarum carnem esse manifestum est.

Et idem statuendum videtur de omnibus animantibus, quæ venenato cibo nutriuntur. Nonnulli tamen contra sentiunt, & earum carnes, si edantur, non modo nullam inferre noxam, sed alere nos instar aliarum arbitrantur. Nam venenum, quo utuntur, in suam naturam convertunt, nec quidquam ab eo patiuntur. Tantumque abest ut inficiant, quin etiam remedium adversus venena efficacissimum ab iisdem petitur; ut a cornu cervi, qui serpentum investigare cavernas fertur, & spiritu extrahere renitentes. Tradunt etiam Chymici, ut Ernestus Burggravius in *Lampadæ vitæ*, ex sanguine ciconiæ præsentissimum venenis imbibitis antidotum parari, quamvis ea serpentibus ac bufonibus victitet. Et contra omnia venena earum ventriculum valere Plinius prodidit *lib.* XXIX. *cap.* v. Sic napelli alexiterium est mus, qui napelli radices depascitur. Contra elephantiasim remedio est vinum, in quo vipera fuerit suffocata, quod casu repertum memorat Galenus libr. XI. *de Symp. med. facult.* Anates Ponticas dicitur edundis venenis vulgo victitare: tamen, ut refert Gellius *lib.* XVII. *cap.* XVI. scriptum a Lenæo Cn. Pompeii liberto, Mithridatem ilium Ponti regem, medicæ rei & id genus solertem, fuisse solitum earum sanguinem miscere medicamentis, quæ digerendis venenis valent, eumque sanguinem vel potentissimum esse in ejus confectione. Et in libro *de facile parabilibus* scriptum est, anatis sanguinem liquidum ex oleo potum servare a potu venenosi medicamenti, & a viperæ morsu liberare. Idem traditur lib. II. *de Antidotis*. Et in Antidoto diæmaton Asclepiadis, aliisque apud Marcellum, Myrepsum, & Scribonium Largum permiscetur. Itaque si ea animalia, quæ veneno victitant, etiam adversus venena præsidio sunt, nihil periculi esse videtur, ut ab earum esu noxam contrahamus. Denique, gallinæ & pulli gallinacei libentius araneam quam granum hordei vorant, & iis tamen indies & innoxie vescimur.

Sed neque desunt momenta rationum, quæ in alia omnia assensum trahant. Nam si proximum alimentum, quod partibus jam est assimilatum, earumque effluvium restaurat, nunquam totali (ut quæstionarii Medici loquuntur) convenientia simile fit corpori nutrito, sed perpetuo retinet aliquid diversitatis, quæ sensim aucta senium inducit: quanto magis venenum, licet multis coctionibus immutetur, tamen ingenitæ perniciei quædam retinebit seminaria, quibus tenuissimi spiritus paullatim fœdentur; secundum hos sanguis, & reliqui humores, totusque corporis habitus inficiantur. Quamobrem non est dubitandum, quin diuturno veneni usu animalium istorum carnes sensim a primo naturæ suæ habitu descifcant, & alimentorum qualitatibus imbuantur. Unde etiam existimo, gallinas, aut pullos gallinaceos, si diu solis araneis nutrirentur, carnem habituros insuavem, & virosæ qualitatis participem, qua tuto vesci non possemus. Vere enim Galenus: Συμμεταβαλλούσας οἶδα ταῖς τροφαῖς τὰς τῶν ζώων σάρκας. *Scio commutatas cum ipso alimento animalium carnes.* Cui sententiæ experimenta suffragantur. Nam turdi quo tempore baccis juniperi aluntur, juniperi odorem saporemque referunt. Et cuniculorum carnes cibi, quo sunt enutriti, qualitatem redolere, venatoribus notum. Galenus vulpium carnes naturæ humanæ adversas, ut author est Isaac cap. XIII. *Universalium Diætarum*, autumni tempore comedi tradit, eo quod tum uvis nutriantur. Lac animantium scammonio, elleboro, aut etiam tithymallo pastarum, non sine violentia alvum subducere, si hauriatur, Dioscoridis & Galeni testimonio comprobatum. Hinc quoque Medici ex consilio Hippocratis lib. VI. *Epidemicorum* sectione v. sententia XXXIII. pueros adhuc tenellos & medicatis haustibus impares purgaturi, medicamenta nutricibus exhibent, quibus ipsum lac inficiatur, & purgandi contrahat facultatem. Sic hecticis & tabidis lac caprarum & asinarum præscribunt, quæ iis herbis alantur quæ morbis adversentur; quod temere fieret, nisi alimentum quantumlibet mutatum atque concoctum, & sanguini & lacti vim aliquam impertiretur. Nec aliam ob causam coturnices damnaverunt Antiquorum mensæ, quam quod veratrum gratissimus sit illis cibus, a quo etiam virus aliquod eas contrahere indicio est, quod frequens earum esus convulsiones pariat. Scribit Hippocrates lib. *de Morbo comitiali*, eos, qui Libyæ mediterranea incolunt, vix unquam sanari, si in morbum comitialem inciderint, eo quod carnibus utantur caprarum. Sic refert Aristoteles lib. *de Historia Animalium* cap. XXIX. omnium venenatorum morsum esse exitialiorem, si alterum comederit; ut a vipera scorpium devorari certum est. Et periculosus est esus eorum piscium, qui venenis capiuntur. Testis est Langius *lib.* I. *epist.* LXVIII.

Igitur non spernenda Plinii sententia *l.* XII. *cap.* LIII *Quædam*, inquit, *innocua alioquin, venenatis pasta, noxa fiunt & ipsa*. Idque exemplo confirmat aprorum in Pamphyliæ & Ciliciæ montuosis degentium, qui devorata salamandra adeo virulenti fiunt, ut qui eos edere, continuo moriantur. Quamobrem satius fuerit, ex eorum animalium genere quædam a mensis ablegare, quam cum periculo gulæ curiositatem explere. Nam subitæ nonnunquam mortes accidunt, quarum causæ frustra quæruntur extra istiusmodi cibos, qui corpus ἀπαθὲς & ad resistendum debile repererunt.

CAP. XXIX.

DE ACCIPITRE.

OMNE genus avium rapacium immundum est lege *Levitici*: & pleræque ad cibum inutiles sunt. Aristoteles tamen lib. VI. cap. VII. *de Historia Animalium* pullos accipitris commendat: Γίνονται δὲ καὶ τῶν ἱεράκων οἱ νεοττοὶ ἡδύκρεῳ σφόδρα, καὶ πίονες. *Accipitrum quoque pulli sunt & suavi carne valde.* Et Albertus Magnus li. XXIII. *de Animalibus*, *Caro accipitris*, inquit, *dulcis est & levis, propter bonum nutrimentum quo alitur.* Quare non videtur omnino damnandus ejus esus, sed potest absque dispendio sanitatis usurpari. Si quid habet vitii, illud vetustate contrahitur.

CAP. XXX.

DE NOCTUA.

PULLUS noctuæ teſtimonio Rabbi Moyſis probatur, & boni ſaporis creditur. Elixus carnem habet ſatis albam, quod non leve indicium eſt bonitatis. Rhazes tamen ait eſſe frigidam, ſiccam, & craſſam, a qua non niſi melancholiæ proventus poteſt ſperari.

CAP. XXXI.

DE BUTEONE ET ONOCROTALO.

BUTEO Græcis τριόρχης dicitur a numero teſtium, quos tres habet. Belgæ *buyſart* appellant. Optimam carnem ac teneram obtinet, hyeme præſertim, cum meliori eſca victitat, nec mures ac ranas comedit. Obeſus admodum fit; nec minus pulpamenti præbet quam farcta gallina. Dulciſſimus eſt & boni ſaporis, præſertim aſſus. Quamobrem mirum videri non debet, quod Plinius prodit *lib.* X. *cap.*XLIX. *Buteonem accipitrum generis eſſe in bonore menſarum*.

Onocrotalus nota avis: nomen habet, quod collum aqua mergens & ſpirans, vocem edat quæ aſini ruditum æmulatur. Ejus carnem nemo attigiſſe velit.

CAP. XXXII.

DE QUIBUSDAM AVIBUS PEREGRINIS.

SUPERVACUUM fuerit ſtudioſe perſequi volucres patriæ noſtræ ignotas, & quæ nullum in menſis noſtris locum habent. Aliquas tamen a Veteribus mirifice celebratas præterire non poſſum. Ac primum ſe offerunt attagenæ, quibus ex toto avium genere nihil conferri poſſe, Pherecydes teſtatur apud Athenæum *lib.* XIV. Galenus
A & Oribaſius in ratione alimenti cum perdicibus componunt. Jonicas cæteris præſtare tradit Plinius *lib.* X. *cap.* XLVIII. cui Horatius & Martialis adſtipulantur. Varro in Satyra, quam περὶ ἐδεσμάτων, id eſt, de cibis peregrinis & lautitiis, inſcripſit, Phrygias maxime prædicavit, apud Gellium *lib.* VII. *cap.* XVI.

Gallinam corylorum reliquo ferarum avium generi quidam anteponere non dubitant. Alii cum perdice comparant.

Urogalli ſive tetraonis carnes gratiſſimi ſaporis
B eſſe tradunt, adeo ut ne phaſiano quidem cedat. Hanc quoque Caligula ſibi voluit immolari, ut in *ejus Vita* refert Suetonius cap. XXII. Dio inter ὄρνιθας ἁπαλὰς καὶ πολυτιμήτους, *aves delicatas & pretioſas*, recenſet.

Sed & Coccothrauſtæ caro non minus ſuavis, grata, & ſalubris perhibetur.

Carnes avium, quas in Hiſpania *tardas* appellant, Græci *otidas*, in Arabia ſuaviſſimas eſſe Xenophon memoriæ prodidit lib. I. *de Expeditione Cyri*. At Plinius *lib.* X. *cap.* XXII. damnatas ait in
C cibis Simeon Sethi: Ἡ τῶν ὠτίδων σὰρξ μεταξύ ἐστι τῶν διὰ χηνῶν τε καὶ γερανῶν. *Caro otidum media eſt inter anſerinas carnes & gruum*.

Junco, qui Græcis dicitur σχοινικὸς, Heſychio teſte, quod in juncis libenter agat; quemque alii paſſerem aquaticum vocant, alii alaudam marinam, habet carnem ſaporis jucundi, & quæ campeſtribus alaudis antecellat.

Capella inter aves palato gratas & boni ſucci recenſetur. Gallos in ea delicias facere, Bellonius lib. IV. cap. XVII. *de Avibus* teſtatur.

D Pluvialis apud Gallos eſt *pluvier*: nomen habet, quod tempore pluviæ facilius capiatur. Lautitiarum culmen habetur. unde in hominem plus nimio delicatum proverbii ritu dicitur, *Ne pluviali quidem appoſito fore contentum*; ac ſi fatuus illi eſſet accipenſer. Carnem habere fertur oppido ſuavem, teneram, candidam, coctu facilem, quæ denique capis per omnia præferatur.

FINIS.

EX

HIERONYMI MERCURIALIS,

Foroliviensis,

VARIIS LECTIONIBUS

DE

POTIONIBUS AC EDULIIS

ANTIQUORUM

MANTISSA.

INDEX CAPITUM.

EX
HIERONYMI MERCURIALIS,
Foroliviensis,
VARIIS LECTIONIBUS
DE
POTIONIBUS AC EDULIIS
ANTIQUORUM
MANTISSA.

Cap. I.

Quid sit Recentatum apud Alexandrum Trallianum, & quæ Antiquorum Propomata.



LEGITUR apud Trallianum XI. *lib.* fuisse penes Romanos propomatis genus, quod Recentatum nuncupabant, quodque, ut in eo bibendo magis delectarentur, peculiari quadam arte refrigerabant. Id nomen quid significaret, quodve potionis genus esset; multos diu ambiguos tenuit: nec defuerunt, qui Alexandri codicem corruptum esse crediderint. Ego vero, si conjectari mihi liceat, textum nullo errore ibi esse infectum, Recentatumque Romanos vocasse puto vinum antiquum, musto, vel lixivio, vel tortivo commixtum quasique renovatum, quomodo plerosque hodie factitare conspicimus: Recentare enim apud Veteres in usu fuisse pro renovare, auctor est Nonius. Quod etiam ex Gn. Mario testatus est Gellius *lib.* XV. *cap.* XXV. Unde etiam quod a Varrone in libris *de Lingua Latina* vinum Vetusnovum nuncupatum invenitur, hoc ipsum Recentatum fuisse arbitror, quod caupones pro vetere interdum vendere solitos memorat Galenus lib. *de cibis boni & mali succi*, quemadmodum etiam apud cauponas usurpatur. Quo E pacto hoc Romani refrigerarent, cum nihil compertum habeam, id tamen divinare audebo, eos hanc potionem, utpote valetudinariis optatam, aliquo diverso modo, ita ut egelida potius, aut saltem modice frigida, quam vere gelida fieret, non autem vel lamina, vel glarea, vel glacie, vel nive, vel alio ex iis, quos alibi exponam, modis refrigerare consuevisse: tot namque modos vina & aquam insigniter refrigerandi Veteres habuisse comperio. Nisi potius velimus, Recentatum fuisse, quod Græci ἀειγλευκὲς, Latini semper mustum & semper dulce vocarunt, ac refrigerandi F consuetudinem non ad bibendi tempus, sed ad Recentati conficiendi modum esse referendam. Sic enim de hoc loquitur Columella *lib.* XII. *cap.* XXIX. Mustum ut semper dulce tanquam recens permanet, sic facito: *Antequam prælo vinacea subjiciantur, de lacu quam recentissimum addito mustum in amphoram novam, eamque oblinito, & impicato diligenter, ne quicquam aquæ introire possit. Tunc in piscinam frigidæ & dulcis aquæ totam amphoram mergito, ita ne qua pars extet. Deinde post dies* XL. *eximito. Sic usque in annum dulce permanebit.* Columellæ adstipulatur Plinius *lib.* XIV. *cap.* IV. nec non Florentinus inter *Geoponicos* lib. VI. cap. XVI. Sed omnium maxime hanc de ἀειγλεύκου faciendi rationem exposuit Plutarchus

XXVII. *quæst. nat.* Et quoniam Propomatum mentio incidit, quænam illa forent non erit absurdum significare. Scribit Paullus Ægineta *cap.* XV. *libr.* VII. Propomata mixtiones quasdam extitisse factas ex mellis despumati sextario uno, & vini quaternis; ut vero Alexander Trallianus *lib.* I. *cap.* X. & XI. & alibi sæpe meminit, Propomata nulla alia erant, quam vina factitia diversorum generum, de quibus plura leges apud Columellam & Plinium magnos Latinæ linguæ auctores, & quæ Ætius interdum προποτισμοὺς vocavit. Hæc autem sic appellata ea ratione credendum est, quod ante reliquos potus atque cibos sumerentur. Quam hujuscemodi vina bibendi consuetudinem sub Tiberio Claudio Principe invectam, Medicorum placitis novitate aliqua sese commendantium scribit Plinius *lib.* XIV. *cap.* XX. Post quem Plutarchus VIII. *Symposiacorum*, problemate IX. dum queritur tempore suo Propomatum usum, qui novis morbis occasionem præstaret, inductum, nil aliud intellexit quam quod Plinius antea detestatus erat, hæc scilicet factitia vina bibendi morem. Quamvis προπόματος, uti antiquæ consuetudinis, apud Athenæum est mentio. Cur vero ita a Medicis commendatum sit, opinor, quod ut principibus ac nobilibus viris largiorem bibendi copiam facerent, ea vina excogitarint, quæ varie affectos stomachos curarent, confirmarent, & ad bibendum impune magis excitarent: quando etiam non deerant, qui ut copiosius potare atque edere possent, vina prava, quæ ipsis incitarent vomitum, præpotabant. De qua re sic Juvenalis *satira* VI.

—— tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexin,
Dum redit, & loto terram ferit intestino.

CAP. II.

De variis Antiquorum refrigerandi vina & aquam modis. De Decocta, & quæ fuerit Calda. Quid apud Plautum thermopolium, & thermopotatio.

VARIIS modis aquam refrigeratam Veteres potare consuevisse invenio. Eos enim nivibus antiquissimis usque temporibus illud egisse, quam Nivatam vocat Theodorus Priscianus *lib.* II. *cap.* XIII. satis Athenæus ex Alexi, Dexicrate, Eutycle, & Xenophonte in III. *Dipnos.* probavit, ubi etiam nives potasse, easque in fossis magnis, quibus quernos ramos superinjiciebant, conservare consuevisse memoriæ mandavit: etsi Martialis dixit:

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Quod Plutarchus in VI. *Sympos.* fieri quoque solitum scribit cum paleis, & rudibus pannis, nivibus circumductis, easque ab aere tuentibus, & frigiditate acquisita conservantibus. Protagorides libro *Comicarum historiarum* secundo quoddam militum Antiochi regis refrigerandæ aquæ artificium memorat, quod scilicet aquam die in aprico loco ponebant, & quod crassum erat, nocte incipiente excolantes, reliquam noctis partem in hydriis fictilibus sub dio in editioribus domus partibus exponebant, per totam deinde noctem duo pueri ipsa vasa exterius irrigabant, & diluculo incipiente purgantes rursus, fæcemque subtrahentes, & tenuem ipsam aquam maximeque sanitati idoneam facientes inter paleas hydrias ipsas collocabant, sicque demum illa utebantur, nullam nivis inopiam cognoscentes. Non admodum ab hoc diversus erat ille refrigerandi aquam modus, quem Galenus in Alexandria atque universa Ægypto servatum se vidisse testatur IV. comment. VI. *Epid.* ubi occidente sole prius calefactam aquam testaceis vasis injiciebant, eaque vasa fenestris ad ventos expositis, ut tota nocte refrigerarentur, suspensa, deinde ante solis exortum humidi deposita, frigida aqua conspergebant, ac interdum ipsis folia frigida vitium, lactucæ & similium circumponebant, ut frigus aquæ noctu acquisitum interdiu conservaretur. Semus Delius lib. *Nesiadis* secundo in insula Cimolia loca refrigeratoria excavata scribit, in quibus æstatis tempore vasa fictilia tepida aqua plena deponebant, postea aquam nulla re nivibus differentem exportabant. Alium refrigerandi aquam modum fuisse disputat Plutarchus ex Aristot. VI. *Symp.* ubi cotibus & filicibus, necnon plumbeis laminis aquæ injectis, eam refrigerari demonstrat. In puteis quoque vinum refrigerandi morem habuisse Veteres testantur Strattis in *Refrigeratoriis* & Lysippus in *Bacchis*. Ceterum Neronis postremum aquæ refrigerandæ inventum nullo prædictorum ignobilius extitit, qui ut frigoris voluptate absque nivis vitiis frueretur, aquam decoqui sibi, vitroque demissam in nives refrigerari curabat: quem morem ita insecuta ætas Romæ observavit, ut Neronis decocta fere in omnium ore versaretur, de qua sermonem habens Juvenalis *satyra* V. sic ait:

Cum stomachus domini fervet potuque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Et Martialis *lib.* XIV. *epigramm.* CXVI.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis:
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

De hac Galenus intellexit, quando VII. *Methodi* memorat, se interdum stomachi ac membrorum intemperiem aqua nivibus refrigerata curasse: ὡς ἐν Ῥώμῃ (ait ille) σκιάζειν ἔθος ἔχουσι προθερμαίνοντες τὸ κατασκευὴν, ἣν αὐτοὶ προσαγορεύουσι δεκόκταν. Ne in medium adducam Athenæum, qui li. *Dipnos.* III. clarissime demonstrat, quam frequens apud Romanos esset decoctæ usus, ubi notare licet, eos convivas errasse, qui penes eum auctorem probare nitebantur antiquiores Nerone decocta fuisse usos. An vero calda unquam in conviviis sanorum uterentur Antiqui in potu, dubitatum fuit a multis. Certe ex Philemone, & ex Polluce *libr.* IX. *cap.* VI. constare potest, aliquando ejusmodi potum usurpatum esse, quando scribit: caldam chalco, quæ fere est quadrantis nostris, vel paulo plus, mensura, vendi solitam: quæ pusillitas non lotioni, sed potui inservire poterat; & quando scribit apud Homerum non facile inveniri aquæ calidæ potum, sed apud veteres Medicos, cum Hippocrates damnans frigidam in nervis, ossibus, dentibus, cerebro, calidam utilem esse innuere videatur. Posterioribus sæculis frequentior calidæ potus fuisse invenitur, ita ut in conviviis æque caldæ atque frigidæ minister haberetur: quemadmodum scribit Juvenalis *satyra* VII.

Quando vocatus adest caldæ gelidæq; minister.

Num autem calda, quam Medici frequenter sub vocabulo θερμὸν nominant, quamque Antiqui potabant, aqua esset igne soleve calefacta, an aliter, disputata quæstio est. Ego sane ita semper existimavi, nunquam inter convivia Veteres aquam calefectam bibisse, quod ea potius concitet vomitum, quam ut voluptatem, aut commodum afferat: cum item Plinius potum calidum esse contra naturam probet, argumento brutorum, quæ frigidum prosequuntur, & neque ipse, neque Galenus ullam hujusce potionis, nisi in ægrotis, mentionem fecerit: caldam autem fuisse aquam illam, quam nulla arte refrigerabant, sed quæ, qualis suapte natura, potaturis porrigebatur, ideo opinor, quoniam Martialis, ubi dicit.

Jam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares Cæciliane merum.
Frigida non desit, non deerit calda petenti.
Sed tu morosa ludere parce siti.

manifeste indicat, se de ea aqua sermonem facere, quæ passim in conviviis admiscebatur vino, & ejus magna copia habebatur: cujusmodi profecto extitit aqua nulla arte calefacta, aut refrigerata. Nec aliter sensit Philemon, qui utilitatem & copiam caldæ demonstravit, scribens eam quadrante vendi: cum verisimile sit, aquam frigefactam aut calefactam non ita vili precio venditam fuisse. Nec obstat Platonis sententia nimirum, qui eo loco sitim in exemplum adducat cupiditatis, & non de ea serio agat, quæ frigidi atque humidi appetitus ab omnibus definitur. Cur postea sic appellarint communem potando aquam, eam causam fuisse puto, ut eam a frigefacta nivibus, vel alio ingenio, convivis inter petendum, & ministris inter serviendum distinguere liceret. Quod si hæc opinio aliquibus minus placeat, cum Martialis contrarium manifeste videatur indicare his versibus.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

id saltem necessario obtinebo, vel tantum aliqua valetudine affectos toto convivio, vel illos, qui vomere cupiebant, ut copiosius & majori fame ingurgitarent, ante cœnam calefactæ aquæ potu usos esse. Quod & Antiphanes in *Omphale* indicavit his versibus;

—— ἐν χύτρᾳ δέ μοι
Ὁ παῖς ὕδωρ ἑψοντα μηδὲν ὄψομαι;
Οὐ γὰρ κακὸν ἔχω μηδ' ἔχοιμ', ἐὰν δ' ἄρα
Στρέφει με περὶ τὴν γαστέρ', ἢ τὸν ὀμφαλόν.
Παρὰ φέρτατος δακτύλιος ἔστι μοι δραχμῆς.

Et Strabonicus apud Athenæum VIII. *Dipnos.* is enim Rhodios appellavit albos Cyrenæos, quod ut his colore dissimiles, sic lascivia simillimi forent: colligens autem illud, ex consueto ipsis calidæ potu perspicuum fecit, Rhodios non ob aliud calidam potasse, quam ut ejus ope acceptos cibos revomerent, sicque iterum impleri possent: nisi pro sanis, ad remittendam cum vinorum, tum aquarum vehementiorem frigiditatem, usurpatam calidam quoque fateamur: quando rationi consentaneum est, inter multos convivas fuisse, qui frigidissimo potu, alios qui subfrigido egelidove delectarentur, rursum aliquos, qui ab omnibus frigidis læsi calidum amarent: & iccirco adhiberi in conviviis solitum fuisse calefactam atque refrigeratam aquam: ut cuicumque quam magis optasset potus temperaturam efficere liceret. Quod autem aliqui demonstrare sunt conati, aquæ calefactæ potum quam frigidæ jucundiorem esse, & ob delectationem potius, quam ob salubritatem fuisse Veteribus usurpatum, haud facile persuadebunt illis, qui voluptatem potius, quam sanitatem prosequuntur. Plato certe in *Philebo* maximæ voluptatis exemplum daturus, proponit febricitantem gelidam aquam bibentem. Quid vero apud Plautum thermopolii & thermopotationis nomine intelligendum sit, ita statuo, thermopolium fuisse locum, ubi dulces venderentur potiones, quas calidas sumebant, ita ut interdum guttures incenderentur, non quod vinum aut aquam calidam quis sanus in quotidianum usum adhiberet. Erant autem dulces potiones, quæ in thermopolio vænibant, ut in Plauti *Pseudolo* habetur, murrhina, passum, defrutum, melina, mel. Ad hoc pertinere quoque videtur ea disputatio alibi discutienda, quæ in *eodem* Athenæi *libro* tractatur, An post ficus calida, an frigida bibenda sit: & Medicorum Græcorum præceptum qui ad reprimendum renum fervorem caldæ potum ante alios cibos summopere commendant.

CAP. III.

De variis vini Antiquorum temperaturis pulchra quædam. Locus Hippocratis illustratus, & alius Athenæi correctus, Hesiodique sententia interpretata.

A VINUM aquæ primum miscere cœpit Staphylus Sitheni filius, ut scribit Plinius: ut vero Athenæus, ex Staphylo Melampus. Sed hujuscemodi mixtio longis temporum intervallis non parvam varietatem accepit, tum a natura vini, tum a natura bibentium, tum etiam a tempore quo potabatur. A natura vini primum variata est mix-
B tio, quando Maroneum vicies tanto aquæ addito, ob ejus vim, miscendum esse voluit Homerus; cujus generis vini facultas vigorque indomitus etiam Mutiani ter Consulis tempore durabat, qui ejus sextarios singulos octonis aquæ misceri comperit. Sic enim Falernum indomitum vocavit Juvenalis, quod vix & ipsum multa aqua domaretur: ut Galenus aliud ὀλιγοφόρον, quod pauca aqua vincebatur; atqui communes vini temperaturas tres extitisse, ex proverbio antiquo, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα, monstrat tertio *Sympos.* Plutarchus, ubi ait: Qui Dionysii harmonias callebant, eos tres vini cum aqua consonantias aspexisse, ses-
C quialteram, diapason, & diatessaron; πέντε namque hemioliam denotasse, quæ efficiebatur tribus aquæ partibus duas vini addendo: τρία indicasse diapason, quæ fiebat, uni vini parti duas aquæ immiscendo: τέτταρα diatessaron significasse, quæ nascebatur ex tribus aquæ partibus & una vini simul temperatis. Addit idem Plutarchus postremam & sesquitertiam portionem tanquam remissam & sobriam iis in usu fuisse, qui in Prytaneo dominabantur, & qui Philosophiæ aut contemplationibus incumbebant; nempe quos mente præditos atque sobrios esse conveniebat. De qua
D etiam temperatura Jon poeta apud Athenæum sermonem faciens, dicebat;

Εὑρὼν ὁ μάντις Παλαμήδης ἐμαντεύσατο
Πλεῖν ἔσεσθαι τοῖς Ἕλλησι πίνουσι τρεῖς
Πρὸς ἕνα κυάθους.

Alios vero a prædictis eam mixtionem effugisse: unde Menander apud Athenæum,

—— οὐ γὰρ ἄν ποτε
Ἔπινον τρεῖς ὕδατος, οἴνου δ' ἓν μόνον.

Temperaturam porro, quæ ex duabus aquæ partibus & una vini mixtis conficiebatur, mentem turbare, & levem quandam ebrietatem inducere creditum; eam autem, quæ ex duabus vini parti-
E bus aquæ tribus mixtis sub πέντε complexa contemperabatur, somnum inducere, curarum oblivionem parere, passiones sedare, dictum. Sed illud, πέντε πίνειν, secus intelligi debere, Athenæus censuit, qui hanc mixtionem ex duabus vini partibus & quinque aquæ factam fuisse scripsit, atque id ad comprobandum nonnullorum poetarum testimonio usus est, sub his verbis: Οἱ δ' ἐπισταμένως χρώμενοι τῷ ποτῷ, δύο οἴνου ἔπινον πρὸς πέντε ὕδατος. Νικοχάρης γοῦν ἐν Ἀμυμώνῃ, πρὸς τοὔνομα παίζων ἔφη. Οἰνόμαος οὗτος χαῖρε πέντε καὶ δύο, κἀγώ τε καὶ συμπόται γενοίμεθα. τὰ παραπλήσια εἴρηκε καὶ ἐν Λημνίαις. Ἀμειψίας δὲ ἐν Ἀποκοτ-
F ταβίζουσιν, ἐγὼ δὲ Διόνυσος πᾶσιν ἡμῖν εἰμὶ πέντε καὶ δύο. Εὔπολις ἐν Αἰξί· Διόνυσε χαῖρε, μή τι πέντε καὶ δύο. Ἕρμιππος Θεοῖς, Ἐπειθ' ὅταν πινώμεθ' ἢ διψώμεθα, εὐχόμεθα· πρὸς τοῦθ' ὁ οἶνος ὥσπερ ἂς γένου Οὐκ ἀστοῦ καὶ πηλοῦ γ' ὧ φέρω παίζων ἅμα, χαὖθις γεγένηται τοῦτο πέντε καὶ δύο. Qui meracius bibere volebant, præter dictas mixtiones, ex adverso quinque vini partes duabus aquæ miscebant. Id quod Athenæus idem Anacreontis auctoritate sic comprobat: παρὰ δὲ Ἀνακρέοντος. (ita enim scribendum, & non εἰς,

ut in vulgatis legitur, neque ut legunt, qui Anacreontem restituere sunt professi) οἴνε πρὸς δύ' ὕδατος, ἄγε δὴ φέρ ἡμῖν ὦ παῖ κελέβην, ὅκως ἄμυστιν προπίω, τὰ μὲν δύ' ἐγχέας ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνε κυάθυς, ὡς ἂν ὑβρισιῶσαν ἀναδὴ βασσαρήσω. Eustath. *in x. Com. Odysseæ* paulo diversius proverbium illud est interpretatus, ubi ait, τρία significasse unius vini cyathi cum duobus aquæ confusionem; πέντε duorum vini cum tribus aquæ, τέτταρα totidem vini, quot aquæ; quod dicitur & ab Hippocrate, & apud Athen. ἴσον ἴσῳ. Ab his vero extitisse & quartam bibendi rationem, ut si quis merum bibere maluisset, quam παράλυσιν afferre, sicuti superiorum trium mixtionum duas priores hominum sanorum esse, & tamen hilarium, postremam insanorum, scripsit. Potest alia fortasse non inepta proverbii, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα, explicatio afferri, quod illo vetaretur, quartum cyathum, sive ultra quintum potari, sed vel tertium duntaxat, vel usque ad quintum. Scribit Plinius a Democrito conditum esse volumen, quare cyathi quaterni & sextarii non essent potandi. Eubulus quoque apud Athenæum quartum cyathum ὕβρεως, sextum κώμων, & post hunc alios aliorum vitiorum esse majorum fecit, ut intelligere possimus, quartum cyathum nunquam laudatum. A natura bibentium quoque variata fuit vini temperatura: quoniam sani, & natura calidi, ac desides majorem aquæ mensuram adhibebant: ex adverso frigidi, debiles, & exercitati minorem. Et propterea senes, (ut disputat Plutarchus) qui magis mero gaudent, meraciorem mixtionem semper secuti inveniuntur, idque Achilles apud Homerum animadvertens, cum Phœnicem & Ulyssem senes esse, ac in armis tota die occupatos, ob idque non aquoso, sed meraciore vino, quemadmodum ceteros senes, gaudere sciret, vino paucum aquæ misceri jubet, sub hisce verbis, ζωρότερον δὲ κέραιρε: qua voce usus est quoq; Hippoc. lib. *de Exectione*, item *de Natura muliebri*, & alibi. Etsi non defuerint, quibus apud Plutarchum hanc Homericam sententiam in diversos trahere sensus placuerit. In anxietudine, oscitatione, & horrore, dicebat Hippocrates, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος λύει τὴν νόσον: videlicet vinum pari aquæ portione epotum solvit morbum: quam mixtionem appellans meraciorem Galenus sub his verbis, ἕκαστον ἐν τῶν εἰρημένων οἴνε πόσις θεραπεύει ἀκρατεστέρα, demonstrat similem vini temperiem magis mero ceteris accessisse. Quod fere semper in ceteris mixtionibus aquæ mensuram vinum superaret (ἀκρατέστερον) merum, vel mixtionem mero magis accedentem designaret, etiam ex his apud Athenæum verbis liquet: Καὶ προελθὼν, τὴν ἀκρατοποσίαν Σκυθικὴν καλεῖ πόσιν, ἄγε δότε μηκέθ' ὅπω πατάγῳ τε κ᾽ ἀλαλητῷ Σκυθικὴν πόσιν παρ᾽ οἴνῳ μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις, καὶ Λακεδαιμόνιοι δ' ὥς φησὶν Ἡρόδοτος ἐν τῇ ἕκτῃ, Κλεομένη τὸν βασιλέα Σκύθαις ὁμιλήσαντα, καὶ ἀκρατοπότην γενόμενον, ἐκ τῆς μέθης φασὶ μανῆναι. καὶ αὐτοὶ δὲ οἱ Λάκωνες ὅταν βούλωνται ἀκρατέστερον πίνειν, ἐπισκυθίσαι λέγεσι. Denique secundum tempus vini mixtiones diversas fuisse constat, cum præter Medicorum præcepta, qui dilutius æstate, meracius hieme bibendum voluerant, etiam Veterum mores attestentur. De liberis & ingenuis loquor: quoniam me non latet, Catonem præcepisse, ut mancipia, & universa ruris familia hieme aquosius & parcius, vere & æstate, quando magis laborarent, largius ac meracius potarent; quo modo Hesiodi sententiam interpretandam puto, qui meracis potionibus per viginti dies ante Canis ortum, totidemque postea uti suadet, atque etiam illud Apollinis datum Atheniensibus oraculum apud Euseb. v. *de Præp. Evang.* exp. x. intelligi debet, ubi consuluit viginti ante, vigintique post caniculares dies uti Medico Dionysio in domo opaca.

CAP. IV.

De mensuris potus Antiquorum, & ordine earundem.

Variis mensuris Antiquos potasse non me latet, sed ex eis tres potissimum observare soleo, Sextantem, Deuncem, & Trientem, quarum duas rarius, tertiam frequentius, & a pluribus, in quotidiano victu usurpatam puto. Sextante temperatos ac valetudinarios, Deunce intemperatos & bibaces potasse valde vero simile est. Nam Suetonius auctor est Augustum Cæsarem sextante bibisse, eumque sexies tantum in conviviis publicis ori admovisse. Martialis item de seipso & Cinna:

Sextantem poto, tu potas Cinna deuncem,
Et quereris quod non, Cinna, bibamus idem?

Item de Lusco bibone, *ad Aulum*:

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroque lippus.
Huic dicit Medicus, bibas caveto:
Vinum si biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo, valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros jubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Ex quibus in eam facile venire conjecturam possumus, Deuncem, sive unciarum undecim calicem, ebriosorum potius & intemperatorum hominum, Sextantem vero temperatorum mensuram extitisse. Ceterum quod in communi omnium fere usu esset crater, quinque paullo plus minusve unciarum appellatus Triens, ideo mihi pro comperto habendum videtur, quoniam Poetæ, qui omnibus aliis auctoribus melius, Veterum in edendo præsertim & bibendo mores expresserunt, cum de hujuscemodi potus mensuris vasisque loquuntur, fere semper trientes nominant. Prop. *lib.* III.

Cum fuerit multis exacta trientibus hora.

Pers. *sat.* II.

Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem.

Martialis vero, quem ceteris copiosius de hisce rebus lusisse apparet, *lib.* I.

Crebros ergo bibas licet trientes.

Et *lib.* IV.

Sed nec post primum legat hæc, summumve trientem,
Sed sua cum medius prælia Bacchus amat.

Et *lib.* IX.

Septem post calices Opimiani,
Denso cum jaceam triente blæsus.

Et *lib.* X.

Candida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus.

Et,

Cum potes amethystinos trientes.

Item *lib.* XI.

Misce dimidios puer trientes.

Et,

Et numerat nostros adstricta fronte trientes,
Tamquam de cella sit cadus ille sua.

Et *lib.* XIV.

Setinos moneo nostra nive frange trientes,
Pauperiore mero tingere lina potes.

Et,

Setinum, dominæque nives, densique trientes,
Quando ego vos Medico non prohib nte bibam.

Unde conjicere quivis potest, calices quotidianos & a cunctis fere pro potu usitatos trientes fuisse, quæ erat quarta sextarii pars. Ex quo etiam ad

credendum inducor sextarium forsan eam fuisse potus mensuram, quam in cœna quotidie sumebant, quamque in quatuor partes, sive in trientes quatuor dividebant. Quanquam non ignoro, interdum nullam esse in bibendo servatam mensuræ rationem: quemadmodum invitat Martialis Cajum Proculum *lib.* XI.

Quincunces, & sex cyathos, bessemque bibamus,
Cajus ut fiat, Julius, & Proculus.

Et quemadmodum in conviviis publicis factitatum rationi consentaneum est, in quibus refert Alexander Trallianus lib. *Probl.* I. institutum esse, ut contrariis poculis uterentur, in principio scilicet minutis, in fine vero amplioribus. Ut enim epularum gratia, in quibus frequentius bibere decebat, Veteres crebrius potarent, a parvis calicibus inchoabant, & in capaciores desinebant, quippe cum parva implere satis, ubi potare liberalissime liberet, nequirent. Quod si ab amplioribus incepissent, ocyus repleri necesse erat, & subinde minus potare, si quidem natura a largo protinus haustu accepto veluti expleta, copiam omnem subsequentem contemnit: ex adverso, si parvis poculis assueta paullatim ampliora exhibeantur, facile copiam quamcunque sustinet; quod tamen ab Anacharii Scytha esse damnatum significat Laertius, qui scribit eum mirari solitum, cur Græci initio convivii parvis poculis uterentur, ubi vero saturi essent, majoribus. Quod porro Nicandri Scholiastes memoriæ mandavit, vetustiores κέρασι, sive *cornibus*, potare solitos: (ut copiosius in lib. I. *Gymnasticæ* declaravimus) atque inde natum κεράσαι, hoc est, *merum temperare*, verisimile quidem videtur, tum ob rudes eorum mores, tum fortasse quod putarent inde potandi majorem securitatem accedere: sic enim tradit Ælianus Indorum reges asini Indici cornu bibere voluisse, sperantes a morbo epileptico & venenis se deinde tutos evasuros.

CAP. V.

Cur pisces Medici antiqui facile concederent ægris. Pisces tintinnabulo vendi solitum fuisse. Quis fuerit Hœdus ex Ambracia, apud Gellium: & nonnulla alia de Hœdo.

Cur Medici antiqui adeo in ægris fere quibuscvis curandis pisces concederent, minime rationem puto, quod ipsi suapte natura admodum conveniant: *l.* I. *c.* XXV. in initio post verbum *conveniant*: vel ut putarunt apud Plutarchum IV. *Sympos.* IV. Zeno & Crato, quod levissimum pulmentarium sit, sed quia pauci erant, qui in sanitate non potius piscibus, quam carnibus uterentur, quemadmodum in *Symposiacis* docet Plutarchus: unde consuetudine, quam maxime respiciendam jubet Hippocrates, impulsi id potius quam valida aliqua ratione factitarunt. Iccirco neque hodie in ægritudinibus facile debent pisces Medici concedere, alioquin corruptioni obnoxios, nisi quis hujusmodi cibo frequenter vesci sit solitus: quemadmodum de Veneris scripsit Martialis *lib.* XIII. *epigr.* LXXXVIII.

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Pisces tintinnabuli sonitu vendi solitum, non tantum apud Aristophanem & Demosthenem, sed etiam apud Plutarchum auctorem gravissimum observavi, qui in quarto *Symposiac.* probl. quarto, hunc sermonem a nobis Latinæ linguæ donatum habet: *Ad hæc opsophagos, sive obsoniorum amatores minime eos, qui bubulis carnibus delectantur, esse dicimus, qualis fuit Hercules: neque ficuum amatorem, ut Plato, quem virides ficus una cum carnibus edisse* (sic enim restituo Plutarchi locum) *notatum est; neque uvarum cupidum, sicut fuit Arcesilaus; sed eos, qui quotidie tabernas, ubi væneunt pisces, circumambulant, exquisiteve tintinnabulum audiunt.* Quo ex loco tintinnabulum a piscium venditoribus usurpatum, ut emptores a longe invitarentur, etiam colligo: quin & illos, qui magnis vocibus valerent, iis sæpe pro tintinnabulis usos credo. Unde Juvenalis *satyra* III.

Jam princeps equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros.

Apud eundem Plutarchum observatum est, caupones consuevisse carnes atque pisces non ab ipsis emptos, sed ab aliis sibi traditos instar coquorum apparare. Scribit enim quendam, cum pisces cauponi, ut coqueret, tradidisset, isque piper & alia quædam pro condiendis illis poposcisset, respondisse, *Si hæc mihi essent, profecto pisces non emissem.* Multa ad hæc apud Clem. Alex. secundo *Pædag.* c. I. & Gellium ex Varrone, ciborum genera referuntur; quæ ex longinquis regionibus Romam adducta maximo in precio erant; inter cetera Hœdus ex Ambracia nominatur, quem nonnulli doctissimi viri piscem κάπρον Athenæum vocatum putarunt, hisce Archestrati versibus persuasi:

Αὐτὰρ ἐς Ἀμβρακίαν ἐλθὼν ὀλβίαν δ᾽αίμονα χώραν.
Τὸν κάπρον γ᾽ ἂν ἐσίδῃς, ὤνει κὴ μὴ καταλεῖπε.
Κἂν ἰσόχρυσος ἔῃ, μή σοι νέμεσις καταπνεύσῃ
Δει[illegible] θανάτοιο: τὸ γὰρ ἐστὶ νέκταρος ἄνθος,
Τοῦτο δὲ θέμις ἐστὶ φαγεῖν θνητοῖσιν ἅπασιν.

Ego vero non piscem, sed quadrupes animal extitisse potius existimo, ea persuasione potissimum adductus, quod si pro hœdo piscem intelligamus, sequetur, Veteres nulla Romam aliunde advecta quadrupedia in pretio habuisse, quando a Gellio nullius alterius, sed avium, piscium, & pomorum tantummodo mentio fit: quod tamen ex eo falsum probatur, quoniam Varro l. II. *de Re Rust.* scribit, multos Romæ capras ex Media insula habuisse, quod ibi maximos ac pulcherrimos hœdos fieri existimaretur: a Clemente quoque Alexandrino l. II. *Pædag.* c. I. & a Polluce hœdi Melici omnibus aliis præferuntur: unde & in Varrone non *ex Media*, sed *ex Melica insula* legendum censuissem, nisi Columella *c.* II. *l.* VIII. auctor esset vulgares mutata littera Medicos Melicos dixisse. Jam vero hœdi Melici tanquam celebris meminit & Clem. Alex. II. *Pædag.* Hœdos etiam ex Tybure valde æstimatos videtur Juvenalis monstrasse *satyra* XI.

De Tyburtino veniet pinguissimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, inscius herbæ.

Sed quem gulosi omnium maxime quærebant, erat hœdus lupi faucibus ereptus, dilaniatusque; de quo Horatius in *Epodis*, & Martialis *lib.* X. vitæ parsimoniam, simulque suavitatem significantes, ista loquuntur: ille quidem ode II. *Epod.*

Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.

Et hic *lib.* X. *epigr.* XLVIII.

Parvus onyx una ponetur cœnula mensa.
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.

Cur autem hujuscemodi hœdorum caro ceteris jucunditate præcellere crederetur, assignat Plutarchus rationem II. *Symposiacorum*, scribens belluam illam nimirum suo morsu carnem teneram & proinde delicatiorem efficere; nam lupi spiritus usque adeo fervidus, ac pene igneus est, ut etiam durissima ossa in ejus stomacho emolliantur atque conficiantur: quam item ob caussam a lupis commorsa celerius aliis putredinem contrahunt. Ceterum de lanis pellibusque lupinos dentes expertis, an pediculos gignant, dubitatum fuit antiquitus, an potius caliditatis impressæ vi asperitatem quandam ac pruritum gignant. Certe lupi morsus in

totum pecudis corpus usque ad pilos ac ungues vim quandam igneam mittere constat. Neque tantum hoc verum est; immo quamplurimum referre, an ea animalia, quorum pellibus uti volumus, ferro jugulata, an sponte mortua sint Homerus quoque intellexit, dicens, ἱμὰς βοὸς ἶφι κταμένοιο, id est, *lorum bovis vi occisi*; pellis namque eorum tenacior & fortior est animalium, quæ non morbo, aut senectute, sed ferro jugulata obierint. Ex adverso quæ animalium morsu intereunt, illis ungues nigrescunt, pili defluunt, & coria flaccida effecta corrugantur, rumpunturve. Et quoniam supra Ambraciæ meminimus, hic annotare placet apud Athenæum cephalos omnium optimos ex Ambracia advehi solitos. Apulejus *in oratione pro se prima*, etiam pectunculos in Ambracia optimos nasci solitos scribit, etsi mendose legatur, *Umbraciæ finis*, pro *Ambraciæ*: eos namque Ennii versus (si tamen ejus sunt) ex Archestrato apud Athenæum tertio *Dipnosoph.* aliquo modo acceptos, vel ab Archestrato ex Ennio mutuatos, unicuique cognoscere licet; quos versus, quoniam Turnebus restituere conatus est, nil de iis amplius dicam. Sunt vero Archestrati carmina;

Τὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλυς, ὄςρεα δ' Αβυδος,
Τὰς ἄρκτυς Πάριον, τὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη;
Πλείςυς δ' Αμβρακία παρέχει.

Sed & hæc vitiata sunt.

C A P. VI.

De variis Antiquorum eduliis. Aristotelis locus examinatus de Carne Camelina. De Sumine. De Turtæ nomine.

Catulorum lactentium carnes pro cibo Veteribus aliquando fuisse, præter Plinii testimonium, (hæc *lib.* XXIX. *cap.* IV. scribentis, *Catulos lactentes adeo pueros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur*) Hippocrates quoque gravissimus auctor pluribus in locis monstravit, ubi eas in variis ægritudinibus ab ipso non parum commendari clarum est: quemadmodum etiam Oribasius in I. *Collect.* ex sententia Mnesithei Atheniensis laudavit: sed & Sext. Empiricus lib. III. *Hypot. Pyrrhonic.* memoriæ mandavit, suis in regionibus nefarium fuisse vesci carnibus caninis, at eas edere consuevisse Thracas, & fortasse Græcos, quando Diocles quibusdam ægrotis dari præcepit. At Camelinæ quomodo in usu esse potuerint, vehementer dubito, Galeno præsertim in lib. I. *de Alimentis* ita dicente; ἐν Αλεξανδρείᾳ, καὶ τ ὄνων κρέα ἐσθίυσι, δὲ οἱ καὶ τὰ τ καμήλων; quasi innuat, rem extra hominum mores fuisse, ut quis camelorum carnibus vesceretur, nempe quas in III. *lib.* ut malas valde damnat. Unde quæ Aristoteles VI. *de Hist. Animalium* scripta reliquit, carnes scilicet & lac camelarum, usquequo conceperint, omnium suavissima esse, mihi semper suspecta fuerunt, credidique τὰ κρέα ab aliquo ex marginibus interserta: quando Plinius *lib.* XXVIII. solum lac, & non carnes camelarum, ab hominum lacte, dulcissimum facit. Quod si vulgatis Philosophi codicibus fidem placeat adhibere, necesse est fateamur illa ex aliorum relationibus ipsum dixisse; ex quibus majorem librorum *de Animalibus* partem conflatam putant eruditi omnes. Id quoque a me sæpius notatum est, ranarum carnes in mensas recepisse majores, a nemine fuisse proditum, eas tamen hac tempestate veluti delicatissimas degustant multæ nationes, & præsertim Itali, quos hac ratione a Græcis aliquando βατραχοφάγυς vocari animadverti. Quod enim ranæ ventrem Archestratus apud Athenæum laudet, illud de rana pisce intelligendum est. Tempore Plutarchi cerebra animalium manducari cœperunt, quæ Antiquos uti abominatos projecisse affirmat VIII. *Symp.* probl. IX. quo in loco vulvas quoque, quas Horatius & Plinius mirum in modum prædicaverunt, pro jucundissimo edulio tunc habitas scribit: at eas qui nostra tempestate in suas mensas recipiant, nulli, aut sane pauci, inveniuntur. Sicuti nullus fere est, cujus palato grues hodie admodum arrideant, cum & Galenus fibrosam ac duram carnem habere dicat, quas tamen tanti fecerunt interdum majores, ut ex Melo insula eas (quod refert Gellius ex Varrone) maximis impensis Romam vehendas curarent; quin immo eis pinguibus reddendis in tenebroso loco, sicut & vitulis, magnum studium adhibuisse ostendit idem Plutarch. in *Erotico*, atque in XI. *de Carnium esu* declamatione: ubi quem describit ventrem porçæ nuper fœtæ una cum mammis baculo percutiendi morem, ut sanguis, lac, & caro simul mixta jucundiora gulæ evaderent, is est, quo nostra tempestate *Sumatas* populari vocabulo appellatas faciunt, haud multum ab antiquo suminis nomine deflectentes. Quod etenim vetustiores abdomen vocabant, ut scribit Plinius *lib.* XI. *capite* XXXVII. miror cur idem *libro* VIII. *capite* LI. dixerit, Publium Mimorum poetam omnium primum appellasse *Sumen*, cum sæpius *Suminis* vox apud Plautum legatur, Plautoque multo posterior fuerit Publius Mimographus: nisi forte Plinium ita loquentem faciamus, quasi Publius cœnam suam appellaret *Sumen*, ob ejus frequentissimum usum, non autem quod ipse primus hujusce nominis inventor fuerit. Quemadmodum uti *lib.* XI. perhibet, Antiquos non consuevisse scientes occidere, priusquam abdomen caleret, id innuit, quod damnatum est a Plutarcho, videlicet suo tempore homines jam partui vicinas sues occidere solitos: atque ventres percutere, quo mortuo fœtu lac simul & sanguis in carne commixta edi possent; ut Turnebi correctionem non contemnendam omnium putem, qui lib. XXIII. *Adverſ.* cap. XX. loco, *Id scientes*, *Inscientes* restituendum voluit: quamquam Hermolaum Barbarum & Gesnerum aliter sentire non me lateat. Jam vero sumen inter delicatiores cibos non infimum locum tenuisse, omnes Latini poetæ attestantur; sicut etiam hodie plerisque in locis, & præsertim Romæ, pauci sunt, qui magnopere hujusmodi salsamento non delectentur. Auctor est in *Onomastico* Erotianus, ἄρτον ἐγχρυφίαν, ab Atticis appellatum esse panem, ex pinguibus palmulis farina & aqua confectum, necnon in calido cinere coctum, quem etiam τόρταν vocatum dicit, quo in loco facile assentirem doctissimo & de medicinæ studiis optime merito Bartholomæo Eustachio nostrum *Tortæ* populare nomen veteres Romanos habuisse, si quemquam alium eorum temporum scriptorem monstrasset, qui id nomen usurpasset: ut verisimile videatur, alios etiam, & præsertim Plinium, Athenæum, Pollucem, debuisse illius mentionem facere, si nomen simile habuissent. Quocirca fortasse vox ea apud Erotianum depravata est, aut ab aliquo recentiore in margine hæc clausula notata, ὃν τόρταν καλῦσιν: deinceps a Librario ignaro aliis verbis antecedentibus adnexa fuit. Neque me latet, sacrorum Bibliorum Interpretes, ἄρτον ἐγχρυφίαν, *Tortam panis* transtulisse. At horum posteriorum auctoritas multum abest, ut Eustachio faveat quicquam.

CAP. VII.

Qui sint apud Platonem Ficus, & Uvæ generosæ, ex Galeno. De Pane fabaceo, & Faba Ægyptia. Locus Mnesithei de Ficubus.

PLato lib. VIII. *de Legibus* fructuum τῆς ὀπώρας leges condens, uvarum & ficuum γενναίων mentionem facit: ubi mitius eos puniri jubet, qui hujusmodi fructus prædantur, quam qui alios. Propterea quæsitum est apud Athenæum in XIV. Quænam a Platone generosæ uvæ & ficus appellatæ sint. Masurius respondet, γενναῖα λέγει τὰ δ' γεννῆ ὁ φιλόσοφος, ὡς καὶ Ἀρχίλοχος.

Πάρελθε, γενναῖος γὰρ ὤς.

Ἢ ἐπὶ γεγεννημένα. Id est, *Generosos ficus dicit Philosophus vel nobiles, quemadmodum & Archilochus:*

Accede, es enim nobilis.

Vel post genitos. Sed qui sint nobiliores ficus, ac uvæ, quas multis aliis postponere videtur Plato, nondum ex his Masurii verbis certe constat; attamen rationi consentaneum videtur, sic esse appellatos ficus, qui post primos & præcoces, sive in iisdem, sive in diversis arboribus nascuntur, cæterosque plerumque suavitate antecedunt. Quæ vero dicerentur uvæ generosæ, sive nobiles, omnium clarissime explicuit Galenus lib. II. *de Aliment. fac.* ubi sic ait: Ὀνομάζουσι δὲ εὐγενεῖς τὰς τοιαύτας σταφυλὰς, ἐν αἷς αἱ ῥᾶγες ὀλίγην μὲν ἔχουσι τῆς ὑγρᾶς οὐσίας, οὐκ ὀλίγην δὲ τῆς στερεωτέρας, ἥν ὥσπερ σάρκα τῆς ῥαγὸς εἶναι· καὶ χρῶνταί γε κατὰ τὸν τῆς ὀπώρας καιρὸν ἀποτιθέμενοι πολυειδῶς. Id est, *Vocant autem uvas ejusmodi generosas, in quibus acini humidam quidem substantiam habent exiguam, solidiorem autem non paucam, quamve carnem acini esse* diximus, *atque iis utuntur, eas variis modis in fine æstatis reponentes*. Quo in loco Interpres, qui pro κατὰ τὸν τῆς ὀπώρας καιρὸν *autumnum* vertit, ignorasse videtur, quæ proprie fuerit apud Veteres opora, cujus Plato meminit, & quam nos alias ex Hippocrate monstravimus esse dies illos, qui inter Canis ortum & Arcturum numerantur. Itaque ficus vocavit Plato generosos, qui nobiles, & post alios orti sunt: at uvas generosas appellavit nobiles quidem, sed quæ parum humidæ substantiæ, durioris plusculum habent, quæve edendo sunt, neque vinis faciendis idoneæ habentur, sed ut cæteri fructus autumnales, longo tempore conservari possunt; ut non inique egerit, si mitius in eos animadvertendum statuerit, qui uvas, faciendis vinis minus idoneas, licet conservationi aptas, furarentur. De uvis generosis loquitur Ovidius II. *de Remedio Amoris*:

Est tibi rure bono generosæ fertilis uvæ
Vinea, ne nascens uva sit usta time.

Jurassem, in *Pandectis* in capit. *Qui fundum*, ubi Paulus de ficubus & uvis, ex quibus non fit vinum, sermonem habet, loco vocis Græcæ, quæ desiderabatur ibi, & pro quo Politianus ac Budæus substituerunt τρογίμοις, potius γενναίοις esse substituendum: quasi Paulus diceret, uvas quas non vini caussa habemus: quas Græcis γενναίας appellant: nisi mox antiquus *Pandectarum* codex excusus eam vocem substituendam comprobasset: ut Cornarius in *commentariis Medicis* temere conatus sit voces alias sibi fingere. Quod porro de ficubus scribitur a Plutarcho, est sane cognitu dignum, qui in *Caussis naturalibus* tradit Mnesitheum Medicum a Galeno in proœmio lib. *ad Glauconem* commendatum narrasse, eos, qui in principio pulmonariæ morbi cepas appetunt, servari, qui vero ficus, interire, eo quia appetitus temperaturas, temperaturæ autem morbos consequuntur. Galenus inter legumina & frumenta illud discrimen ponit, quod ex his panes conficiantur, ex illis non. Fabam deinde cum inter legumina recenseat, manifesto videtur indicasse, Antiquos eo pane fabaceo minus victitasse, quo hodie apud varios populos magnam rusticorum partem vesci conspicimus. Sed forsan id de Græcis dumtaxat eum intelligere dixerit aliquis, quandoquidem Plin. *l.* XVIII. *c.* XII. scribit etiam ex fabis panem esse tentatum; ubi monstrat quoque sua tempestate pleraique gentes frumento fabam miscuisse in panis usum, quemadmodum hodie fit. Quod porro esse fabæ Ægyptiæ pondus, cujus frequentissima mentio a Galeno atque aliis Græcorum Medicis habetur, docuit Soranus Ephesius XXIV. capitul. suæ *Isagoges*; ubi eam continuisse scrupulos duos tradit. Quod ideo verisimile puto, quoniam ex Plinii *loco* nuper *citato* granum Ægyptiæ fabæ cæteris valde majus fuisse manifesto colligitur: ut his rationibus nullam fidem habeam lib. *de Pond. & Mens.* Galeno falso adscripto, in quo legitur, fabam Ægyptiam pependisse obolum & semis.

CAP. VIII.

De Conditurіs vinorum. De vino Picante: De vino Massiliensi. Locus Galeni emendatus.

ANtiquos vina variis modis condidisse (factitia ab hoc genere separo) ita clarum est ex Auctorum scriptis, ut id demonstrandi vanus sit futurus omni labor. Caussas vero, quibus illud agerent, tres præcipuas invenio. Unam ad leniendam ipsorum asperitatem; alteram ad augendam parvitatem, vetustatemque accelerandam: postremam, ut ipsa ab omni corruptionis genere conservarent. Africam, scribit Plinius, & Plutarchus in *Quæst. Nat.* suis vinis gypso, & in aliquibus regionibus calce, asperitatem demsisse, Græciam autem suis argilla, aut marmore, aut sale, aut marina aqua lenitatem excitasse: quo pacto etiam a Cretensibus vinum Malvaticum nuncupatum parari audio. Refert Plutarch. V. *Symposiac.* Problem. III. ex Græcis Euboios, & ex Italis eos qui circa Padum incolebant, consuevisse vasa pice oblinire, resinamque ipsam vino commiscere, quod talia vasa non modo gratum quendam odorem impertirent, verum etiam vinum generosum redderent, celeriterque ab eo aquositatem novitatemve caloris ope removerent: de quibus loquebatur Plinius, cum scripsit in Italiæ provinciis nonnullis vulgare fuisse, musta pice rabulana atque resina condiri. Et ne quis miretur, quomodo a pice ac resina graveolentibus potuerit vinis odor gratus donari: sciri velim eas lotionibus aliisque modis (ut docet Columella) a gravi odore spoliari consuevisse, & propterea resinata vina ac picata apud aliquos in precio extitisse. An vero quod hodie *Picans* & *Racens* vinum populari vocabulo dicitur, Veteribus notum fuerit, qui de hujusmodi sapore nihil meminisse videntur, multi dubitarunt. Ego autem puto primum a Plauto ipsum fuisse significatum, quando in *Pœnulo* dixit, *Vetustate vino edentulo ætatem irriges*: quasi edentulum vocarit vinum, ad illius differentiam, quod dentatum atq; mordax erat. Plin. similiter *l.* XIV. *c.* XX. scribens, *picis aspersu odorem vino contingere, & saporis quædam acumina*, duo me commonefacit: unum quod vinum picans cognoverit; alterum, quod facile potuerit picans Italorum a picato Veterum esse deductum. Quamquam scio non deesse, qui velint, picans vocem ex media Gallia fuisse productam, atque idem quod *mordens* significare. Averrhoes quoque VII. *Collect.* cap. XVI. eum saporem

rem mihi videtur his verbis indicasse: *Et vinum, quod melius reperitur, est aromaticum; cujus caliditas penetrare potest per totum corpus, quod sit sine amaritudine & stypticitate, & est illud vinum, quod est vinosum, pungitivum in principio, & post delectabile sine aliqua amaritudine & ponticitate.* Cur autem majores nihil de hoc sapore explicatius nobis reliquerint, puto eam fuisse caussam, qua etiam plurimas alias res tunc temporis vulgatissimas nobis relinquere destiterunt; aut potius quia simplicium duntaxat saporum meminerunt, mixtos autem, cujusmodi est picans, ex dulci & acri compositus, tamquam infinitos prætererunt. Ad inducendam vinis vetustatem erant qui vasa in locis calidis, aut fumo exponerent, ut is continuo quodam & blando calore penetrans, aqueas partes absumeret: quod parentem suum factitasse affirmat Galenus primo *de Antidot.* & de quo locutus est Horatius lib. III. *Carm.* ode VIII.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem astrictum pice dimovebit
Amphoræ, fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

Narbonenses & Massilienses passim vina fumo maturasse, præter Plinii testimonium, Martialis abunde demonstrat *lib.* III. *epigr.* LXXXII.

Vel cocta fumis musta Massilianis.

Et *lib.* X. *epigr.* XXXVI.

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.

Et *lib.* XIII. *epigr.* CXXIII.

Cum tua centenos expugnet sportula cives,
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

Et *lib.* XIV. *epigr.* CXVIII.

Massiliæ fumos miscere nivalibus undis
Parce puer, pluris ne tibi constet aqua.

Ex quibus non solum vina Massiliensium parum æstimata, verum etiam insaluberrima (quod Plin. *lib.* XXIII. *cap.* I. tribuit omnibus vinis fumo inveteratis, quæ Galenus capiti dolorem inducere primo *de Antidotis* inquit) extitisse facile colligi potest. Et iccirco Galeni locum in II. *ad Glauconem* mendosum esse suspicor, ubi pro eliquandis ad herpetas medicamentis accommodata vina recensens, inter tenuia, alba, & subadstringentia Massiliense adnumerat: quod tamen Athenæus ex ipsius sententia crassum & carnosum fuisse, quemadmodum est verisimile, asserit. Cum igitur Athenæus atque etiam Galenus ipse vinum Μάρσον, sive Μαρσικὸν, & non Μασσαλιώτην, inter adstringentia collocent, loco dictionis ὁ Μασσαλιώτης, dictionem ὁ Μαρσικὸς restituere præstat; cui sententiæ eo libentius adhæreo, quoniam Galenus nunquam alibi, aut rarissime saltem, vini Massiliensis mentionem facit: in IV. autem *de Comp. med. per genera* Marsico tanquam albo & adstringenti, in componendis ulcera exsiccantibus sine mordicatione medicamentis, una cum Falerno, sic in II. *ad Glauc.* utitur. Ad tuenda vero ab omni corruptione vina in primis ea nonnullas nationes igne coxisse invenio; quemadmodum de Spartanis Athenæus, & de aliis Plinius, atque Columella referunt. Alii defrutum immiscebant, quod hodie aliqui populi Romæ vicini faciunt. Non deerant, præsertim apud Græcos, (ut scribit Columella) qui salsa aqua, aut sale ipso componerent, tum gratia cujusdam suavitatis majoris, tum quia mare, ut cætera multa, sic vinum incorruptum servare compertum erat. Atque hujusce modi vina ab Asclepiade Tethalassomena vocata esse prodidit Cælius Aurelianus *Acut.* lib. II. Quamquam puto sic etiam nuncupata interdum fuisse omnia ea, quæ ex aliis in alias regiones per mare transferebantur; quæve simili transvectione non parum in bonitate ac suavitate proficere experimur omnes. Quibus vero marina aqua non miscebatur, οἴνους παραχύτους a Lesbiis vocatos, scribit Galenus XII. *Meth.*

C A P. IX.

De iis qui semel in die cibos capiunt.

Majorem Antiquorum partem semel tantum in die cibis saturari solitam, multi variis rationibus atque auctoritatibus comprobarunt. Non defuisse tamen, & præsertim seniores, qui valetudinis gratia bis terve manducarent, & Aristoteles & Galenus & ante hos Hipp. l. II. *de vict. acut.* memoriæ prodiderunt. Uti melius sibi ipsis consulerent, huic loco non convenit, ut disputetur. Id solum dicam, ab Auctoribus varia in iis, qui semel manducarent, vitia fuisse notata. Aristoteles in *Physicis Quæst.* quemadmodum refert Apollonius in *Mirab. Historiis*, scribit: Τοὺς μονοσιτοῦντας πικρότερα τὰ ἤθη ἔχειν μᾶλλον, ἢ τοὺς δὶς τροφαῖς χρωμένους: *Eos qui in die semel tantum cibis vescuntur, amarulentioribus esse moribus, quam eos, qui bis:* quoniam aucta in ipsis utraque bilis animum magnopere perturbat, eosque iracundos & melancholicos facit. Unde Auctor ille in fine primi libri *de Diæta*, iis, qui calido temperamento sunt, mandat, ut post sumptos cibos actiones obeant, quoniam sic calor cibi temperatus eos stabiliores ac agendis rebus aptiores facit. Plinius quoque *lib.* XXVIII. *c.* V. ex sententia Hippocratis tradit, non prandentium exta celerius senescere. Ante hunc dixerat Celsus, assuetis bis in die comedere, si semel solum cibis impleantur, alvum adstringi. Ambos vero ex secundo *de Diæta* Hippocratis libro accepisse arbitror, ubi hæc leguntur: Μονοσιτίη ἰσχναίνει καὶ ξηραίνει καὶ τὴν κοιλίην ἵστησι, διότι τῷ τῆς ψυχῆς θερμῷ τὸ ὑγρὸν ἐκ τῆς σαρκὸς καταναλίσκεται, ἄριστον δὲ τἀναντία διαπρήσσεται τῇ μονοσιτίῃ. Quo fit, ut non omnibus tuto a Medicis τὸ μονοσιτεῖν præcipi credam: quemadmodum inutile omnibus puto, si cibis quotidie repleri (quod Plato in Syracusanis notavit) bis velint. Certe alimentum in plures vices dispertitum facilius concoqui nemo negat. At si modus qualitatis ac mensuræ non habeatur, quanto copiosius quis alitur, tanto deteriora pericula eum subire constat. Atque de his locutum puto Hippocratem, quando in libro *de Aere, aquis & locis* ἀριστήτας edaces appellavit, quasi illi ab ipso ut intemperati damnentur, qui tam in prandio quam in cœna escis impleri volunt: neque enim Cornelii Celsi sententiam probare queo, ubi, modo concoquas, nullum in cibis discrimen haberi necessarium ducit: quod ante Lucretius dixerat, hisce carminibus:

Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum dedere possis
Artubus, & stomachi humectum servare tenorem.

Siquidem athletæ pessimis cibis & ἀναγκοφαγία illa, ab Aristotele in *Politicis* & Clemente Alexandrino decantata, utentes fortasse ob exercitationes & coctiones minus offendebantur: sed Galenus, qui illud probe novit, in II. *de Aliment. facult.* hæc scripsit: Διὰ τοῦτο ἀπέχεσθαι συμβουλεύω τῶν πάντων κακοχύμων ἐδεσμάτων, κἂν εὔπεπτα τισὶν ᾖ: λανθάνει γὰρ ἐν ταῖς φλεψὶ χυμὸς ἐξ αὐτῶν ἠθροισμένος, ὃς ἐπειδὰν ὀλίγης εἰς τὴν σῆψιν ἀφορμῆς ἐπιλάβηται, πυρετοὺς κακοήθεις ἐργάζεται. Id est, *Quapropter, ut ab omnibus pravi succi eduliis abstineant, consulo, etsi illa coctu facilia sint. Latet enim in venis pravus humor ex ipsis coacervatus, qui cum vel parvam ad putredinem concipiendam sit nactus occasionem, febres mali moris inducit.* Hoc tamen observandum, ἄριστον, quod & Galeni & nostra tempe-

ſtate cœnam ſignificat, ἄριστον ſive *prandium* vetu-
A
ſtiſſimis temporibus deſignaſſe: ut Erotianus & Galenus meminerunt. Quaſi id eſſet, μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν, ſive *poſt quod laborare oportet*.

CAP. X.

Quoties Veteres in die manducarent.

INTER doctos diu fuit non parva quæſtio, ſemelne in die tantum, an ſæpius Veteres manducarent. M. Antonius Muretus, vir elegantiſſimus & doctiſſimus, in hoc laboravit, ut etiam quater in die manducaſſe interdum probaret; in
B
quo certe non fefellit. Attamen ego hanc rem ſic ſtatuendam exiſtimo. Græcos, & præſertim Hippocratis tempore, nullam hujuſce conſuetudinis legem firmam habuiſſe; ſed multos ter, plures ſemel, plurimos bis cibum ſumere conſueviſſe: ut Cardanus omnino deridendus videatur, qui quod tempore Hippocratis ter & plus ederent, totidem etiam eos cacaſſe, in *Com. ſecundum Progn.* ſcripſit. Id autem clariſſima Hippocratis auctoritate confirmatur, qui in II. *de Rat. vict. in acut. morb.* ubi ſanorum hominum conſuetudines multis verbis exponit, ſic loquitur: Ἐπεὶ καὶ τοῖσι
C
δὶς σιτεομένοισι τῆς ἡμέρης, καὶ τοῖσι μονοσιτέουσιν, αἱ ἐξαπιναῖοι μεταβολαὶ βλάβας καὶ ἀῤῥωστίην παρέχουσιν. καὶ τοὺς μέν γε μὴ μεμαθηκότας ἀριστᾶν, εἰ ἀριστήσωσιν, αὐθέως ἀῤῥώστους ποιέει καὶ βαρέας ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ἀσθενέας, ὀκνηρούς, ἢν δὲ καὶ ἐπιδειπνήσωσιν, ὀξυρεγμιώδεας. Id eſt: *Quippe ſive bis, ſive ſemel duntaxat in die, quis cibum accipere ſolitus eſt, ſi ſubito conſuetudinem mutaverit, noxam imbecillitatemque ſubibit. Etenim prandium aſſumens, qui id non conſuevit, protinus imbecillus, gravis, ægrotus, ſegniſque redditur.* Et paulo poſt ſic ſcribit: Καὶ τοίγε πολλοὶ εἰσὶν οἳ εὐφόρως φέρουσι τρὶς σιτεόμενοι τῆς ἡμέρης ἐς πλῆθος, οἳ ἂν οὕτως ἐθισθῶσιν. Id eſt: *Quamquam ſunt*
D
nonnulli quibus nihil moleſtiæ affert ter in die cibo repleri, præſertim ſi ita educari conſueverint. Ex quibus & aliis multis eo in loco ſcriptis facile colligitur, mores hominum Græcorum in comedendo diverſos fuiſſe. Quod vero Plato miratus ſit Siculos atque Italos bis in die impleri cibis, ita plane intelligendum eſt, quod rari eſſent, qui uſque ad ſatietatem quotidie bis cibum caperent: cum Hipp. ibidem ſcribat: Ἔτι δ' αὖ μᾶλλον ποιήσειεν ὁ τοιοῦτος, εἰ τρὶς σιτέοιτο τῆς ἡμέρης ἐς κόρον, ἔτι μᾶλλον, εἰ πλεονάκις. Id eſt: *Majori tamen moleſtia afficietur is, qui ter eadem die ad ſatietatem uſque cibum ingeſſerit, ac multo magis ſi crebrius etiamnum aſſumpſerit.*
E
Ubi ſatietatem ciborum frequentatam in die eadem maxime obeſſe docens, monet quoque non fuiſſe hanc eorum hominum conſuetudinem; quod ſimiliter innuit Ariſtoteles in *Probl.* ubi Medicos concubituris præcipere ſolitos, ut parce veſpere manducarent, ſcribit. Sed clarius hoc teſtatum fecit Plutarchus, qui VIII. *Sympoſ.* VI. tradit, olim infames fuiſſe, qui ante cœnam quicquam edebant: quemadmodum etiam Hipp. in lib. *de Aere, aq. & loc.* monens, ut hominum vivendi ratio a Medico conſideretur, ſcilicet πότερον φιλοπόται, καὶ ἀριστηταὶ, καὶ ἀταλαίπωροι, videtur pranſores inter eos
F
collocare, qui non rectam vivendi normam ſequuntur. Imo *ibidem* a Plutarcho notatum eſt, ἀκράτισμα & ἄριστον, ſive *jentaculum* & *prandium*, idem Veteribus ſignificaſſe, atque alterum dictum eſſe ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, id eſt, *a mero*, quod ſolum cum pane Veteres mane ſumebant, vel ἀπὸ τῆς ἀκρασίας, id eſt, *ab incontinentia*, qua notabantur id facientes: alterum vero, quaſi ῥᾷστον, id eſt, *facillimum*, quod faciliter pararetur. Ut ex his omnibus colligatur, quam rariſſimos fuiſſe Græcorum, qui ſæpius die cibis implerentur, quamquam multi etiam ter eſitarent. Cæterum Romanos ita aſſueviſſe puto, ut ſcilicet major hominum pars ſemel ſaturarentur, atque id veſpere; mane vero aut modicum quid, aut nil omnino ſumerent; rariſſimi ter eſitarent. Quod certe Horatii, Martialis, & aliorum, qui Romanos mores poſteris tradiderunt, probare poſſem ſcriptis: ſed unum Galeni teſtimonium mihi ſat erit, qui in lib. *de tuen. val.* V. ſenes nutriendi rationem exponens, ſatius eſſe ducit illos ter cibum ſumere, atque illud factitaſſe Antiochum Medicum ac Telephum Grammaticum monſtrat, quaſi hoc præter communem aliorum vivendi morem eſſet. In VI. quinetiam ejuſdem tractationis *lib.* eorum victus rationem docens, qui negociis diſtricti ſunt, conſiderari mandat, meliuſne ſit in die ſemel, an bis comedere, atque hoc ex conſuetudine diffiniri debere: quaſi certo ſciret, homines Romæ (nam in *libro* illo ad Romanos ut plurimum ſermonem habere certum eſt) modo bis, modo ſemel comedere conſueviſſe, rariſſime vero ter; ut etiam ex Cornelio Celſo in principio librorum ſuorum *de Medicina* intelligere poſſumus, necnon ex Plutarcho, qui in *loco* nuperrime *citato* ſcriptum reliquit, priſcos Romanos moderate prandere ſeorſim, cum amicis vero cœnare conſueviſſe, ideoque cœnam quaſi κοινὴν, id eſt, *communem*, ipſis appellatam eſſe. Quod vero de jentaculo & comeſſatione a Latinis auctoribus memoriæ mandatum eſt, ſic accipio, pueros fere ſolos ipſo uſos: perinde ac hodie ubique fere gentium hoc uſurpatum eſt, ut pueri ſummo mane ſemper aliquid cibi capiant. Ea propter in *Curculione* Plautus facit Phædromum adoleſcentulum Veneri jentaculum vovere: ſimiliter & in *Truculento* Phroneſium meretrix ſic ait:

—— non noviſti, obſecro?
Qui illic apud me erat, bujus pater pueri ille eſt:
uſque ad jentaculum
Juſſit ali.

Idem ſignificavit Martialis *lib.* XIV. hoc diſticho:

Surgite jam pueri, vendit jentacula piſtor:
Criſtatæque ſonant undique lucis aves.

Præter pueros & ſenes, qui valetudinis gratia utebantur jentaculo, nullos alios unquam uſos puto; quod ſi aliqui erant, qui uterentur, protinus tanquam incontinentes notabantur. Ita quoque de merenda apud Afranium & alios (quæ erat, ut Nonius docet, cibus poſt meridiem ſumptus) cenſeo dicendum. Sicuti & illos non parva infamia affectos exiſtimo, qui comeſſationes ſeu cibos poſt cœnam ſumebant, atque Comeſſatores nomine indecoro vocabantur, ut non mirum ſit, Clementem Alexandrinum in II. *Pædagogi*, vehementer in pueris quoque prandiola, cœnas, epulas atque merendas, quæ omnia ἀγάπας, id eſt, *charitates*, aliqui appellabant, damnaſſe. Quemadmodum pariter mirum alicui videri non debet, ſi Aulus Vitellius Imperator luxurioſiſſimus & incontinentiſſimus epulas ſuas ſæpe trifariam, interdum quadrifariam diſpertiebat: in jentaculum, prandium, cœnam, comeſſationem, quibus omnibus, ſicut ait Suetonius, vomitandi conſuetudine ſufficere poterat.

CAP. XI.

An Veteres pane frigido, vel calido veſcerentur. Quid ſit imaginoſum apud Catullum.

APUD majores noſtros res quædam ita vulgares & apud omnes tritæ erant, ut poſteris eas ſcriptas tradere quiſque negligeret. Quare nos forſan nimium curioſi, aut ſimplices vi-

A debimur, si res tempore nostro nemini dubias cum vetustis moribus conferentes in dubium revocemus, ut est de pane, quo nulla pene hodie natio invenitur, quæ frigido non vescatur: attamen ita incertum est, an sic Veteres ipsum ederent, ut nihil forsan magis, cum nullum scriptorem habeamus, qui illud certo definierit. Nam usus calidi panis non ignobiles testes habeo, in primis autem Hippocratem, qui l. II. *de morbis* dum leucophlegmatiam doceret, de cibis sermonem faciens, σιτίοις, inquit, χρῆσθαι ἄρτῳ καθαρῷ ψυχρῷ, vanum & puerile profecto fuisset præceptum illud de pane frigido, si consuetudo non fuisset calido vescendi, quemadmodum hodie nemo est Medicorum,
B qui ægris, ut panem frigidum edant, præcipiat. Nec quidquam obest, quod idem Hippocrates in lib. περὶ τῶν παθῶν dicat, panem calidum siccare, quemadmodum & in l. *de victus ratione morborum acutorum*, quoniam idem etiam ait de carnibus calidis, quas plerique omnes comedunt, quanquam & illud addit, *Si vel cum aliquo humido sumantur, vel ipsis superbibatur, minime siccare*. Sed præter Hippocratem, est & Plutarchus, qui in lib. περὶ ἀοργησίας inter errores, ob quos servis & uxoribus irascuntur homines, adnumerat, *Si vel quid exustum, aut fumum redolens, vel sine sale, vel si panem frigidiorem apponant*, quasi sicut salem ante
C omnes alios cibos, sic panem calidum mensæ requirerent. Nisi forsan pro frigidis vetustos & exoletos intelligas, ut Aristoteles intellexisse videtur *sect. probl.* XXI. l. v. dum scribit, panes pridie factos esse leviores calidis, utpote frigidiores, quod pariter aliquis colligere posset ex iis Galeni verbis, quæ apud Athenæum *l.* III. *c.* XV. leguntur, ubi de panibus cum sermo habeatur, οἱ δὲ (ait) τελείως παλαιοὶ, καὶ κατεψυγμένοι ἀτροφώτεροι, σατικοί τε κοιλίας, καὶ κακόχυλοι; quasi cum panes frigidi ita damnantur, haud rationi consentaneum vi-
D deatur, eos in usu quotidiano habitos esse, nisi scriptoris non ignobilis Cælii Aureliani authoritas obstaret, qui v. l. *tardarum passionum* c. ult. sermonem habens de ratione extenuandi corpora pinguia, hunc in modum scribit: *Panem damus frigidum fermentatum autopyrum: est enim minus nutriens, & magis si fuerit veteratus*. Ex quo loco duo clarissime videntur colligi posse: nimirum & calentes panes in quotidiano usu fuisse, & pro frigidis minime vetustos esse intelligendos. Quare in eam sententiam potius inclino, panes consuevisse edere nobiliores non quidem prorsus calentes, sed qui nuper calorem deposuissent, velutique tepidi
E essent; refrigeratos autem nimium atque inveteratos vilibus solum atque pauperibus esse servatos. Josephus Scaliger, summi ingenii & singularis eruditionis vir, in suis *ad Catullum adnotationibus* multis satagit, ut ostendat, Poetam, ubi scribit,

Propinqui quibus est puella curæ,
Amicos, medicosque convocate.
Non est sana puella; nec rogate
Qualis sit, solet hæc imaginosum,

sub voce, *imaginosum*, morbum aliquem intelligere, cui & ipse assentior, quod Medicos accersiri jubeat. Sed de genere morbi si ab ipso aliquantisper dissensero, forsan ipse, qui Medicus non
F est, Medici in re medica judicium usquequaque non detrectabit. Corybantas inter insaniæ genera ab Aretæo Medico vetustissimo relatos esse jam dudum indicavimus, & quanquam ipsi concedamus ejusmodi ægrotum imaginosum a Poeta vocari, quod, qui eo teneantur, sonitus atque cantus audire videantur, ut ex Platone comprobavit, attamen minime asserendum ab ipso fuit, Medicos hujusce modi morbum aut ignorasse, aut tacuisse, cum Galenus lib. περὶ διαφορᾶς συμπτωμάτων cap.

III. referat, Theophilum quendam Medicum imaginatione ita laborasse, ut putaret tibicinas quosdam in angulo domus assiduo sonare & pulsare, & propterea illos expelli postularet. Catullum autem potius tertium insaniæ genus a Celso propositum nobis designasse existimo, de quo is *lib.* III. *cap.* XVIII. loquens ita scribit: *Tertium insaniæ genus est ex his longissimum, adeo ut vitam ipsam non impediat, quod robusti corporis esse consuevit. Hujus ipsius species duæ sunt: nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem insanientem Ajacem vel Orestem poetarum fabulæ ferunt; quidam animo desipiunt*. Nam phrenitim non intelligi a Poeta ex eo puto, quod semper cum febre sit, quam eum in muliere alioqui sana non finxisse par est. Fallitur in eo quoque Scaliger, quod Corybantismum putet esse morbum a Græcis vocatum ἄγρυπνον κῶμα, quoniam in hoc languentes oculis quidem apertis manent, a variis imaginibus occupati; at quod cantus aut sonitus sentiant, a nemine Medicorum scriptum, a nemine observatum est, cum hujuscemodi ægri non loquantur. Quapropter miror quoque Plinium, si tamen ita scripsit, *lib.* XI. *cap.* XXXVII. dixisse, oculis apertis dormire, Corybantiam Græcos dicere, cum non sit quemquam invenire apud Græcos hujusce sententiæ auctorem, neque morbo ulli adaptari possit, quod Plinius aliquibus hominibus sanis quasi ex natura contingere narrat.

Cap. XII.

De Arquato morbo. Erasistrati locus de Scythis. Quomodo homo possit diu sine cibo vivere, Plinii locus explicatus.

Veterum complurium eam reperio fuisse sententiam, illis, qui Arquato morbo laborant, omnia crocea seu lutea videri. Varro in *Eumenidibus*: *Non ut arquatis & veternosis lutea quæ non sunt, æque ut quæ sunt lutea videntur*. Lucretius in IV.

Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati.

Sextus Empiricus similiter primo *Pyrrhonicarum Hypot.* bis asserit ictericis omnia videri pallida: & Cassius Medicus *Prob.* XXVI. ita scribit: *Sic aurigi-nosi externos imaginantur colores pro affectus in oculis consistentis ratione*. Post quos etiam Galenus noster lib. I. *de caussis sympt.* c. II. & lib. *de oculis part.* IV. c. VI. ictericis omnia tum apparere flava, cum tunica oculorum cornea bile rubea cum sanguine infecta est. Cæterum neque Hipp. neque Celsus, neque Cælius Aurelianus, neque alii multi, imo vero neque Aetius, neque Avic. qui diligentissimi in signis hujusce morbi proponendis fuerunt, quidquam hac de re meminerunt, nisi quod Avicennas *lib.* III. *fen.* XXXI. *tract.* IV. *cap.* I. & Averrhoes III. col. 38. nescio quid hujusmodi insinuasse videntur. Ut, cum nec ipse (qui innumeros ictericos, quorum oculi maxime flavi erant, curavi) observarim unquam ipsis, quæ videbant, crocea aut pallida apparuisse, nec quenquam alium Medicum intellexerim, qui illud observaverit: de Veterum fide (quos forsan sine experientia secutus est Galenus) parum dubitare cogor. Nisi dicere placeat hoc interdum contingere, sed rarissime, atque tum solum, quando tunica cornea bile tota est saturata. Hipp. in calce libri *de principiis*, seu, ut eruditissimus Zuinggerus eum librum divisit, in l. περὶ αἰῶνος hæc scripta reliquit: Εἴ τις ἐθέλει ἑπτὰ ἡμέρας φαγέειν ἢ πίνειν μηδὲν, οἱ μὲν πολλοὶ ἀποθνήσκουσιν ἐν αὐταῖσιν· εἰσὶ δέ τινες καὶ οἱ ὑπερβάλλουσιν, ἀποθνήσκουσι δ' ὅ-

μως. Quam ſententiam quaſi digito indicans Plinius in *poſtremo cap.* XI. *libri*, dixit inediam ſeptimo die non eſſe lethalem, cum aliqui etiam undecimam ſine cibo & potu attigerint. Hoc enim videtur etiam Hippocrates voluiſſe, homines quidem poſſe abſque potu & cibo ultra ſeptimanam durare, ſed paullo poſt occumbere: quod etſi cibum capiant, venter tamen eum non recipiat, cum jejunium inteſtinum præ inanitate ſimul coaluerit: inteſtina autem exinanita in ſeipſa contrahi, ac propterea nec cibum capere, nec deſiderare ex Eraſiſtrati lib. primo διαιρέσεων (cujus loci etiam alibi eſt mentio a me facta) confirmavit Gellius *cap.* III. *lib.* XVI. cujus verba, quoniam alibi non leguntur, atque eruditionem antiquam præ ſe ferunt, hic libenter ſubjungam: Ἐλογιζόμεθα οὖν περατὴν ἰσχυρὰν σύμπτωσιν τῆς κοιλίας εἶναι τὴν σφοδρὰν ἀσιτίαν· καὶ γὰρ τοῖς ἐπὶ πλεῖον ἀσιτοῦσι κατὰ προαίρεσιν ἐν τοῖς πρώτοις χρόνοις, ἡ πεῖνα παρακολουθεῖ, ὕστερον δ' οὐκ ἔτι. Deinde paulum infra: Εἰθισμένοι δὲ εἰσὶ καὶ οἱ Σκύθαι, ὅταν διά τινα καιρὸν ἀναγκάζοιται ἀσιτεῖν, ζώναις πλατείαις τὴν κοιλίαν διασφίγγειν ὡς τῆς πείνης αὐτοὺς ἧττον ἐνοχλούσης· σχεδὸν δὲ καὶ ὅταν πλήρης ἡ κοιλία ᾖ, διὰ τὸ κένωμα ἐν αὐτῇ μηδὲν εἶναι, διὰ τοῦτο οὐ πεινῶσιν. ὅταν δὲ σφόδρα συμπεπτωκυῖα ᾖ, κένωμα οὐκ ἔχει. Qui vero Scythæ ad tolerandam inediam latis cingulis ſibi ventrem arcte ligarent, non ſatis compertum habeo: cum Hipp. in l. *de Aere, aquis, & locis* memoriæ mandarit Scythas corpora fluida ac lata habuiſſe, quod corpora faſciis non ligarent, ut Ægyptii. Niſi dicamus id ab Hippocrate de quotidiano Scytharum uſu proditum, ut veriſimile ſit, cum ipſi alioquin non præcincti incederent, tempore famis ſuſtinendæ cinctos incedere conſueviſſe. Et quamquam Hieronymus Cardanus de infantibus, quod faſciis non ſtringerentur apud Scythas, locutum Hipp. velit, ego tamen id ſentire non poſſum cur potius Ægyptiis comparet, quam aliis nationibus, quarum pleræque infantes faſciis ligare in more habuerunt. Utcunque ſit, a pleriſque Veteribus teſtatum invenio, non defuiſſe qui ſine ullo cibo pluribus diebus vitam traduxerint. Id enim in primis ex Ariſtotelis ſententia affirmavit Olympiodorus in *Comment. ad Phæd. Pla.* Plutarchus quoque VIII *Sym.* IX. Timonis aviam memorat conſueviſſe ſingulis annis per plures menſes in Ciliciæ cavernis abſque ullo cibo latere. Albertus Magnus l. VII. *de Anima*, & ipſe refert ſe vidiſſe melancholicum quendam, & mulierem, qui pluribus ſeptimanis ſine cibo vixerunt: ne in medium adferam quod tempeſtate noſtra de puella Germana, quæ duobus annis ſine cibo vixit, a compluribus literis conſignatum, & diſputatum eſt. Multa quoque hujuſmodi naturalia exempla recenſuit Gregorius Lilius Gyraldus in lib. *Dialogiſmorum*. Neque vero hoc prorſus a ratione alienum mihi videtur, quoniam ut animalia hieme latentia nihil edunt, & tamen ſupervivunt, tum quia extrinſecus occluſo corpore nulla fit evaporatio, nulla pene inteſtini humoris conſumptio, tum quia magna ipſis anteacto tempore accumulata eſt crudorum ſuccorum copia, quæ ad ſuſtnetandam pluribus diebus vitam ſola ſufficere queat, ſic non inconvenit reperiri poſſe homines, qui hiſce de cauſſis & vivere diu valeant, & carere cibo externo, cum internum habeant: ut vere miraculum fuerit Chriſti Servatoris noſtri, & Moyſis jejunium, quorum corpora, quod eſſent ſane quam temperatiſſima, naturali ratione quadraginta totos dies ſine cibo minime ſupervivere potuiſſent. Quod autem Plinius *ibid.* ſcribit, unum hominem perire inexplebili ſemper eſuriendi (malim eſuriendo) aviditate, non admodum intelligo: niſi appetitum caninum a Medicis appellatum ſoli homini lethalem eſſe velit: nam etſi canes aliaque complura animalia eo famis genere tententur, haudquaquam tamen ab eo ut homines jugulantur. Nam Gal. III. c. VI. *de locis affect.* ſeleucidas aves in Aſia eſſe ſcribit, quæ locuſtas jugiter edant, eaſque celeriter excernant. Quod vitii genus aliis quoque animalibus eſſe naturale perhibet, ut hac ratione inter brutorum morbos a Veterinariis minime hic recenſeatur.

CAP. XIII.

De ructu nonnulla notata. De vomitu Plinii error. De ſingultu Ariſtoteles notatus.

ARISTOTELES XLIV. *probl. ſect.* X. ſolum hominem eructare, jumenta vero crepitum ventris edere, cornigera, & aves neutrum facere, cauſſis cujuſque additis apertiſſime docuit; quod ſi verum eſt, mirari poſſumus, cur Columella *c.* VI. *l.* VI. & Vegetius lib. *Veterinariæ* III. cap. III. omnia fere a Columella verbo tenus mutuatus, dixerint, inter alia ſigna bovis cruditate ventriculi laborantis eſſe crebros, quos emittit, ructus: niſi dicere placeat vel ſonitus, quos faciunt crudi boves, nequaquam veros eſſe ructus, ſed ſimiles; vel Ariſtotelem intellexiſſe de iis, quos alioqui ſane corpora edunt, Columellam vero & Vegetium de morboſis eſſe locutos, quaſi belluæ dum ſanæ ſunt, nunquam ob rationes ab Ariſtotele adlatas ructent, ſed unus homo. Illud & hoc loco notare placet, quod ſcriptum eſt a Galeno in *Com. ad* IV. *lib. Hippocratis* περὶ διαίτης ὀξέων, nimirum ad provocandos in flatuoſa ventriculi ægritudine ructus, Sabinum Hippocratis Interpretem mandaſſe, ut ex vaſe oris anguſti potum bibere, quod qua ratione moveat ructus, non eſt facile intelligere, niſi ſit, quia qui ex vaſe hujuſmodi potant, frequenter œſophagum & laryngem moveant, unde ventriculus quoque aliquo pacto motus flatum expellat: vel quia ſic bibentes diu in hauriendo ſpiritum contineant, ob quod calor & expultrix facultas excitata flatuoſos halitus vehementius extra propellant. Quoniam vero ructui non prorſus diſſimilis vomitus eſt, licet hoc in loco Plinii erratum indicare, qui *lib.* XI. *cap.* XXXVII. de inteſtinis ſermonem faciens, canes ſcripſit ea habere ſuperna parte latiora, inferna autem anguſtiora, & propterea ſolos inter bruta vomere, quia repleto propter anguſtias ſupprimitur cibus: quod accidere non poteſt iis, quorum ſpatioſa laxitas in inferiora tranſmittit. Nam præterquam quod Columella, Vegetius, aliique Veterinarii, & ſues, & jumenta vomere docuerunt, quotidiana etiam experientia monſtrat, feles domeſticos frequentiſſime vomere, ne Ariſtotelis, a quo Plinius diſcere poterat, teſtimonium producam, qui non ſolum libro *de Hiſt. Animal.* VIII. cap. V. hyænam ſcripſit canes aliaque animalia venari hominis vomitionem imitando, verumetiam in fine lib. IX. *de Hiſt. Animal.* ſcripſit, ea animalia eſſe fluentioris alvi, quibus crura longiora ſunt, ad vomitum autem propenſiora, quæ latum pectus habent, idque tum in quadrupedum genere, tum in avium, tum etiam in hominum ita eſſe magna ex parte compertum haberi. Vomitui non prorſus abſimilis motus eſt ſingultus, quem eſſe oris ventriculi peculiarem paſſionem nemo Medicorum ignorat, ut valde deceptus ſit Galeni Interpres quidam, cum lib. II. *de Sympt. cauſſis* vocem κατὰ στόμαχον interpretatus eſt *ſecundum gulam*, non autem *ſecundum os ventriculi*, quemadmodum antiquus Interpres tranſtulit, quare niſi dicamus Ariſtotelem pro ſingultu non hunc affectum, ſed alterum & pueris & mulieribus

plorantibus familiarem intellexisse, de quo Latini scriptores creberrime loquuntur, ut Catullus:

Frigidulos udo singultus ore cientem.

Sane pueriliter errasset, cum XXIII. *partic. prob.* dixerit; in partibus spiritui trahendo dicatis singultum oriri: qua de re alibi etiam uberius sum locutus.

CAP. XIV.

Qui fuerint apud Veteres Archiatri, & Archiatrorum Comites, quodve eorum munus.

QUI Galenum aliosque Medicinæ scriptores usque ad hæc tempora interpretati sunt, omnes pene in hoc convenerunt, ut nomen ἀρχιάτρου Medicorum principem, quasique excellentissimum designare voluerint. (Jo. Baptistam Rasarium virum tempestate nostra eruditissimum excipio, qui in suis *Galeni Comment.* translationibus ubicunque occurrit, Archiatrum transfert) Id quoniam ego a veritate longe alienum semper putavi, credidique ἀρχίατρον proprie Imperatoris Principisve, atque ejus familiæ Medicum significasse; quibus ductus rationibus hanc opinionem conceperim, in medium proponam: videbunt deinde eruditi ac in antiquis rebus perscrutandis versati viri, num sententia nostra aliorum placitis anteponi debeat. Nam primo nullum hactenus Græcum Latinumve Scriptorem, qui ante Romanos Imperatores floruerit, invenire mihi est concessum, qui hac ἀρχιάτρου voce usus sit, quod conjecturam non parvam facere videtur, ut Imperatores esse, Medicosve cum suæ personæ, tum familiæ valetudinis curæ destinatos habere cœperunt, sic vocem eam tunc a Medicis in usum invectam esse, quod paullo post Tiberii & Claudii tempora fuisse ideo persuasum habeo, quoniam ante ea tempora neque Auctorum scripta, neque marmoreæ Medicorum Inscriptiones Romæ servatæ usquam hoc nomen habent. Hanc autem Græcam vocem potius, & non Latinam elegerunt, quod (ut refert Plinius *l.*XXVI. *c.*I.) nemo Romanus Medicam artem exerceret, sed omnes fere, aut saltem majori ex parte Græci, atque ii ut plurimum servi aut liberti essent. Unde si Archiater vel Medicum primarium, vel Medicorum principem significasset, consentaneum sane rationi esset, uti res ipsa ante Imperatores extitisset, pariter etiam nomen eam exprimens aliquando usurpatum fuisse; quod nunquam a me (nisi ceteri majoris lectionis viri secus observarint) apud quempiam Auctorem animadversum est: quemadmodum ex altera parte valde mihi probatur, iccirco ante Imperatores minime id nomen receptum fuisse, quod res ab illo signata, Medicus scil. Principis nondum institutus foret. Quinimmo Plin. *l.*XXV. *c.*VIII. cujus tempore jam Archiatri nomen in usu haberi cœperat, cum Damocratem Servilium Mithridaticæ antidoti auctorem, Medicum ipsius ætate primarium nominare vellet, non eum Archiatrum, sed e primis medentium vocavit, quasi sciret nomen illud Medici dumtaxat Principis convenisse. Ut his omnibus gravissimis conjecturis facile judicari queat, τοῦ ἀρχιάτρου nomen haud illis proprie attributum, qui ceteros antecellerent, sed qui Principis vel Imperatoris personæ atque familiæ operas suas locarent. Præterea Androm. quem Erotianus in *Onomastici* sui dedicatione ἀρχίατρον appellat, a Gal. item I. *de Antid.* XIV. & *de Loc. aff.* cap. I. Νέρωνος ἀρχίατρος vocatus reperitur, non quia is alios Medicos præcellere ab ipso putaretur, qui Archigenem ab Andromachi tempestate usque ad Trajani principatum in magna existimatione habitum (quod etiam Juvenalis *sat.*VI. insinuat:

—— tunc corpore sano
Advocat Archigenem.

Et *sat.* XIV.

Ocyus Archigenem quære atque eme quod Mitridates.
Composuit)

alios antecessisse scribens, nullibi Archiatrum nuncupavit, quod intelligeret solos Principis Medicos eo nomine fuisse vocatos. Quocirca si res ipsa non secundum legentis voluntatem, sed vere atque prudenter æstimetur, plane apparebit, Erotianum & Galenum concorditer Andromach. Archiatrum nuncupasse, quod eam vocem uti debitum sibi quendam titulum, nimirum cum Neronis Medicus esset, ei congruere intellexerint. Qua similiter ratione Livium Eutychum Archiatrum vocatum credo in hac Inscriptione, quæ olim in tabellula quadam, una cum multis aliis vetustate pene consumptis, Romæ ad D. Sebastiani reperta est.

M. LIVIO CELSO TABVLARIO
SCHOLAE MEDICORUM
M. IVLIVS EVTYCHVS
ARCHIATROS OLL. D. II.
INFR. PED. IIII.

Sicut & Petrus quidam Archiater apud Aetium nudis verbis citatus invenitur: quem eo titulo indicatum, quasi Principis Medicus non autem Medicorum princeps foret, ex Aetii II. *Tetra.* ser. III. c. CXVIII. verbis facile colligi potest: veluti quoque Galenus in lib *de Theriaca ad Pisonem* non alia ratione puto vocasse Archiatros Magnum & Demetrium, atque alios multos alioqui populares potius quam eminentes. Neque vero illud mihi consonum videtur, Imperatores consuevisse Medicos plures conducere, atque inter eos unum reliquis superiorem habere, quem & ob doctrinæ excellentiam & ob dignitatem sibi majorem delatam Archiatrum vocarent: quandoquidem non unum, sed plures simul Archiatros extasse, apud varios Scriptores legimus. Quis ex legum peritis quæso est, qui nesciat, Constantinum Imp. legem tulisse, qua Archiatros illustribus privilegiis maximisq; gratiis ornari voluit? Quis item non vidit eam legem, quam Imperator in *l. Archiat. c. de metatis l.* 12. *Cod. tit.* 41. in hunc modum tulit: *Archiatros nostri palatii, necnon urbis Romanæ*, &c. Ex quibus omnibus negari nunquam poterit, quin Imperatores non unum, sed plures simul Archiatros habuerint, ut hac ratione Archiatrum Principis Medicum extitisse credendum sit; alioquin si aliorum superior quasique princeps fuisset, par erat non plures uno tempore, sed unum tantum esse. Quam rem manifestius adhuc Vindiciani Medici, qui Octavii Horatiani, sive Prisciani Theodori præceptor fuit, non Cassiodori in *epist. ad Valent.* testimonia comprobare queunt: quorum ille Archiatrorum Valentiniani Comes fuisse perhibetur; hic vero dum formam, qua Archiatrorum Comes eligebatur, VI. *Variarum* lib. exponit, ita clare Archiatros simul plures, eosque Principis Medicos extitisse, atque horum præsidem, ac veluti principem non Archiatrum, sed Comitem vocatum ostendit, ut nemo nisi suæ opinionis nimius amator hanc veritatem inficiari possit: quam Andreas Alciatus, auctor nostra tempestate clarissimus, in *Comment. super lib. Cod.* probe cognoscens, antiquos legum Interpretes damnare non dubitavit, quod, ubi leges de Archiatris loquuntur, semper Medicorum principes, & non Principis Medicos interpretentur. Porro quatenus ad vocis ipsius etymon pertinet, etsi usus scriptorum

A fecus habere videatur, attamen non minus ἀρχίατρος τῶ ἀρχιάτρος ἰατρὸς, quam ἰατρῶν ἄρχων dici queat: ut neque hujuscemodi ratio ulla ex parte iis faveat, quibus diversam sententiam sequi placuit. Nunc qui essent Archiatri, quodve eorum munus, non admodum difficile est percipere. Siquidem verisimile unicuique apparere potest, ut hodie sæpenumero contingere cernimus, ita etiam antiquitus contigisse, ut qui vel artis præstantia, vel quopiam apud Imperatores favore pollerent, in ejus atque familiæ Medicos cooptarentur, atque horum cum aliquis moreretur alter in ejus locum subrogaretur: in qua subrogatione, quoniam interdum ob favores nonnulli indigni locum obtinebant, ea lex condita est, quæ in *Cod. l.*IX. *tit. de Profes. & Med. c.*XI. habetur, ne scilicet quis in Archiatrum eligi deberet, nisi communi meliorum judicio comprobaretur; nemo enim erat, qui ut Archiatri locum impetraret, non omnem moveret lapidem, non modo ob dignitatem ac gloriam, verum & ob honestissima stipendia, ceterave privilegia, quibus illis fruebantur. Scribit Plin. *l.*XXIX. *c.*I. annua horum Medicorum stipendia apud Principes fuisse CCL. H-S. quæ ad monetæ nostræ rationem redacta, faciunt Ungaricorum sex millia & sexaginta, Semuncialem unum, duodenarios novem, duplos quatuor, simplum unum. Quæ tamen non omnium Archiatrorum merces erat: cum in legibus habeatur, Archiatros ab Imperatoribus, præter alimenta subministrata, quampluribus aliis privilegiis atque favoribus donatos esse; quæ omnia mercedis instar, quod multi forent, ipsis donabantur, perinde ac temporibus nostris Medici aliqui in Pontificis Romani curia, & in aliorum Principum domibus, ob solam sportulam, aliasve gratias operam suam medendo exhibent. De iis sermonem factum a Galeno puto, ubi IX. *de Plac. Hipp. & Plat.* alios lucri caussa medicinam exercere scribit, alios ob honorem, alios ob sibi legibus concessam immunitatem, ac reipublicæ vacationem. Jam vero illorum munus quod esset, ex *loco Cod. citato cap.* X. scire unicuique licet: ubi ex verbis illius legis aperte dici potest, Archiatros, cum a populi commodis commoda reciperent salaria, non solum Principis familiæ, ejusque personæ inservisse, verumetiam pauperibus sine ulla mercedis spe obsequi, nec turpiter divitibus inservire obligatos fuisse: neque propterea inferendum est Archiatros urbis a palatii Imperatoris diversos extitisse, quando rationi est consentaneum eosdem qui stipendia ex reditibus populi capiebant, etiamsi Imperatori & aulæ inservirent, populo quoque medicinam facere consuevisse. Dicebatur vero Archiatros & Archiater veluti ex Auctoribus atque superiori Inscriptione, B subsequenteque patet, quæ Romæ in vetusto lapide servatur adhuc:

D· M
A. ACTIUS CAIVS
ARCHIATER SIBI ET
IVLIÆ PRIMAE CONIVGI
INCOMPARABILI.

Erant itaque Archiatri Medici illi omnes, qui Principis sumptibus conducti, ejus personæ primum, deinde aulæ omni, postremo cunctis pauperibus atque proprie Romæ operam præstabant: C quorum Archiatrorum princeps quidam senior prudentia & doctrina præstantior eligebatur, cujus sententia & auctoritate omnes de re medica obortæ dissensiones statim dirimebantur, isque Comes vocabatur, & præ cæteris maximam Principis curam gerebat, ejusque veluti imperium quoddam & potestatem magnam obtinebat: ut ex Cassiodori citato nuper testimonio abunde perspectum est. Nolo propter hoc omnino inficiari, qui in urbe Medicorum collegia quædam & scholæ instituerentur, quorum qui aliis præsidebat, D Archiatros interdum vocaretur, ut ex Inscriptione Livii Celsi superius allata, & ex legibus colligi potest: veruntamen qui frequentius in ore hominum versabatur, Archiater, is erat, quem descripsimus.

F I N I S.

JOANNIS FREINSHEMII DISSERTATIUNCULA DE CALIDÆ POTU.

AD

JOANNEM KUEFFERUM MEDICUM CLARISSIMUM.

JOANNI KUEFFERO
MEDICO CLARISSIMO
JOANNES FREINSHEMIUS
S. P. D.



ÆPE me res humanas propius adſpicientem, Vir experientiſſime, tam levitatis noſtræ, quam ineptiarum pudor cepit: cum eoſdem ipſos homines quæ agerent ita probare, quaſi nunquam deſituros; ita quæ non agerent improbare, quaſi nunquam recepturos; & tamen in alia ſubinde aliaque devolvi cernerem. Ita eſt profecto, ſtudioſi ſemper rerum novarum ſumus, haud alia fere cauſſa quam repertorum tædio; & tamen interea, tanquam præſentibus inſtitutis conſilium & ratio præfuiſſet, moribus noſtris aliena cum ſupercilio damnamus, & quoniam ipſi non utimur, inutilia credimus. Cum tamen Antiquorum monumenta revolventibus haudquaquam obſcurum eſſe poſſit, nihil propemodum in ædificiis, amictu, victu, militia, legibus, moribus, cultu divino, in minimis denique, in maximis, ſingulos apud populos obſervari, quod non apud eoſdem ſæpe placitum ſæpe diſplicuerit. Nec tamen in eo nobis labor aut cura comparare vetera recentibus, & ubi recepta labant, medicinam ex Antiquitate quærere: ſed novis ſemper inhiamus, inepta credulitate; quaſi rebus humanis per tot jam vices jactatis aut novi quicquam reperiri poſſit: aut vero minore cum fructu veteribus ex inſtitutis cum ratione applicitis vitio morum emendatio; quam ex novis repertis acutioris ingenii perverſa gloria peteretur. Enimvero tantum ab illa quam dixi utilitate capienda vulgo abſumus, ut contra rerum veterum palam incurioſi ſimus: & cum attigimus, fidem multis, pleriſque veniam negamus: adeo nobis cuncta noſtris inſtitutis diſcrepantia ſimilia monſtris, aut inter antiquæ ruſticitatis argumenta ſunt.

Miraberis, opinor, quæ cauſa fuerit tam tragico procemio: res ſane, fatebor enim, oppido parva: niſi quod animo tantum ſupra mortalitatis finem collocando, nihil eorum quæ citra ſunt alio majus eſſe debuerat. Scis nuper cum tecum cœnarem, de calidæ potu nonnihil jactum. Id ſane jam tum nonnullis, & doctiſſimo Lipſio cum cura dictum recepi me collecturum tibi, exhibiturumque. Idque jam dudum agere inſtitui. Sed cum viderentur alia quoque reliquis indicta a me erui poſſe, conſilium cepi totam eam rem in certa capita diſtributam ſub tui nominis auſpicio typis publicare: non quod Diſſertatiunculam hanc aut magno uſui cuiquam, aut mihi laudi futuram eſſe crederem, (quod ſperare non ineptum minus eſſet, quam improbum) ſed ut tuorum in me beneficiorum, & meæ gratitudinis extaret aliquod publicum teſtimonium, & ſi ferre ætatem poſſet, monumentum etiam ad poſteros. Tu enim, cum ſuperioribus annis adverſa valetudine premerer, ſæpiuſcule vocanti, ope, conſilio, opera etiam adfuiſti: nec enim ſatis videbatur imperare quæ conducibilia reperiebas, niſi ipſe etiam remedia a te præberes, ipſe miſceres, ipſe modi, temporis, aliorum quæ obſervare pretium erat, non ſollicitus tantum monitor, ſed frequens etiam exactor eſſes. Et quamquam hæc ita faceres nullis ante meritis provocatus, munuſcula aliquando oblata non recepiſti; non quod ea quaſi vilia tot laborum impenſarumque præmia ſperneres, (nec enim poſtea beneficia tua continuaſſes) ſed quia ea erat mea felicitas, ut amicitia tua dignus tibi crederer. Ideo præter iſta ſupra memorata plurimum etiam temporis, rei vobis utique Æſculapii filiis pretioſiſſimæ meis uſibus impendiſti: cum interim ob ſummam rei Medicæ peritiam, dexteritatem in curando ſingularem, felicitatem autem admirabilem, certatim ambireris, magno non plebis modo, ſed potentiſſimorum etiam nobiliſſimorumque hominum concurſu: ubi haud multo plus laboris, at magna cum gloria fructus uberrimos in numerato habebas. Pro his in me meritis, ſi quid egregii conari poſſem, nihil cogitari poſſet quod non rependerem. Sed quanquam meæ tenuitatis probe mihi conſcius, hanc tamen occaſionem benefacta tua prædicandi avide arripui, ſimul confiſus harum etiam rerum, a quarum familiaritate tot hominum vota te abſtrahant, conſiderationem non injucundam tibi fore: præſertim cum aliquid habeat a ſtudiis medendi non alienum. Eam autem ita juvari poſſe credidi, ſi primo loco promptis quæ de calidæ potu in Auctoribus antiquis reperiuntur, dein originem moris ejus rimatus, poſtremo uſum oſtendero.

PRÆ-

PRÆLUSUM
DE
CALIDÆ SIGNIFICATIONE.



Calida Veteres in potu frequenter usos sollicite collectis Scriptorum locis evincere, cum nec usum aliquem insignem habeat, & juxta fastidium sit, supervacuum fuerat; nisi non modo nostra ætate multis e literatorum vulgo, sed prius etiam viris doctis atque diligentibus dubitatum fuisset. Hieronymo certe Mercuriali studiis & lectione Veterum exercito, in plerisque nec cura pervestigandi moris antiqui, nec explicandi judicium defuit. At de potu calidæ quoniam animum negandi præsumpserat, Observ. *lib.* I. *cap.* VIII. *plerisque Auctorum, quibus ea consuetudo tangitur, silentio transmissis, aliorum mentem mira interpretatione circumvenit; denique cum aliter elabi non datur, ita explicat, ut saltem sitis caussa calidam adhibitam fuisse perneget. Persuasum enim habuerat* nec voluptatem *eam* afferre *bibentibus*, nec commodum: *quod ipsum adhuc ambiguum (refellam cum de origine hujus moris, & usu calidi potus tradam) & si convictum foret, non demeret fidem rei tot Auctorum testimoniis firmatæ. Quamvis enim ita fieri soleat, æquum tamen non est, quoties fide testium aut argumentis rerum opus sit, fallacibus indiciis aut conjectando niti. Non enim nec hodie novum studeri multis rebus, quarum nec utilitas ulla est, nec voluptas nisi quam adsuetudine fecimus. Itaque hæc ratio, etiamsi veris & indubitatis fundamentis constaret, potandam non fuisse calidam argueret; potam non fuisse, non argueret. Nec majoris momenti est* quod Plinius & Galenus nullam hujus potionis mentionem nisi in ægrotis fecerint: *ille etiam contra naturam eam esse contendat: nam de Plinii sententia postea videbimus. Cæterum etiamsi neuter istorum Auctorum mentionem potionis ejus fecisset, (fecerunt autem, & adducemus ex utroque testimonia) non ideo colligere esset eam aut omnino extra usum, aut illis incognitam fuisse. Siquidem istam concludendi rationem omnis Dialecticorum schola rejicit: quo exemplo Strabo* lib. XII. *vir stupendæ eruditionis multis argumentis demonstrat falli eos qui oppida Homero non memorata illius ævo nondum fuisse condita adseverabant. At Mercurialis his opinionibus inductus Auctorum loca, & præcipue Martialis, ita exponit, ut, quoties calidæ mentio fit, intelligi dicat, non illam studio & industria calefactam,* sed quæ qualis suapte natura erat potaturis porrigebatur, *ut dicta fuerit calida ad differentiam gelidæ factitiæ, cujus rigor nive aut aliis ingeniis intenditur. Quam tamen explicationem subtiliorem esse quam veriorem ex locis Auctorum infra scriptis elucescet; sed & ipse non nescit, idque fatetur relato Martialis disticho* lib. VIII. epigr. LXVII.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit;
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Illud etiam, quo suam opinionem roborare conatur, argumentum ex Polluce IX. VI. *a vilitate & copia aquæ petitum, parum firmitatis habet. Quæ enim ista vilitas, si cyathus calidæ quadrante vendebatur? cum haud magno labore, nec multo lignorum impendio ingens ejus copia parari possit. Nec sane magno constare debebat res familiarissima, cujus immensa vis frequentissimo tum balneorum usu quotidie prodigebatur: nisi forte abluendo corpori, caldariisque capacissimis implendis supererat aqua calefacta, bibendo deerat. Igitur frustra persuadere nobis nititur Mercurialis aquam istam, quæ ad potum quadrante vendebatur, non fuisse calefactam, sed qualis sponte profluit: quam semper omnes* frigidam *vocaverunt: ut nulla caussa fuerit Auctoribus istis ex Mercurialis opinione calidam eam potius autumare, præter communem loquendi usum, & ipsius rei naturam, quam frigidissimam semper existimavere, qui universitatis rerum secreta rimantur. Sed nec ipse Pollux, cujus auctoritate nititur, toto isto loco de alia calida quam hac ipsa calefacta loqui potuit; cum hanc ipsam quæstionem pertractet, an Veteres calidam biberint? A cujus mente cum in aliis omnibus recesserit Mercurialis, iis tantum verbis inhæsit, quæ perperam prolata sunt:* Καὶ γὰρ τὸ λεπτὸν τοῦ νομίσματος οὐ λουτροῦ ἐστὶν, ἀλλὰ πότου μέτρον. Nam vilitas pretii non lotioni, sed potui congruit. *Nam & lavari quadrante ita usitatum erat, ut Satyrici proverbii vicem usurpent. Horatius lib.* I. Serm. *sat.* III.

——— quadrante lavatum
Rex ibis.

Juvenalis sat. VI.

——— quadrante lavari.

Unde Senecæ epist. LXXXVI. *balneum dicitur* res quadrantaria. *Nec est ut opinemur ideo tam vile fuisse lavandi pretium, quod aqua forte sordidior ibi præberetur. Non hoc licuisset Ædilium metu.* Nam, *ut ait Seneca* ibid. hoc quoque nobilissimi Ædiles fungebantur officio, intrandi ea loca quæ populum receptabant, exigendique munditias & utilem ac salubrem temperaturam. *His ita præstructis, patet in illo etiam falsum fuisse Mercurialem, quod putavit calidam istam aut calefactam aquam non nisi vomitus caussa, vel saltem temperando potui nimis rigido, sumi consuevisse. Invenit tamen assertores; & Pareus in* Electis Plautinis *sectam ejus amplectitur. Masinium autem Medicum Cæsenatem, quem utendum mihi dedisti, Kueffere Clarissime, in novum errorem induxit. Hic enim*

(nulla ligebatur) cum videret calidæ caldæ*que voces viciſſim poni, differentiam inter eas hanc commentus eſt* extrem. lib. 11. *ut* calidæ *quidem vocabulum aquæ calefactæ imponeret ;* caldam *autem putaret eam quæ in naturali conditione permaneret , nullo caſu curave calidior aut frigidior ſolito reddita . Sed hunc errorem facile redarguant, qui veteres Auctores vel leviter attigerunt : tam enim* calidum *quam* caldum *in Senecæ, Ciceronis, Varronis, &c. libris promiſcue reperitur ; eandemque amborum eſſe poteſtatem Auguſti epiſtola apud Quintilian.* lib. 1. *demonſtrat , qua C. Cæſarem nepotem ſuum monet, non* calidum *dicere, ſed* caldum : non quia id non ſit Latinum, ſed quia odioſum, *& ut ipſe ait* περιέργον. *Sed hæc quantumvis frivola neceſſario præmiſimus, ut, everſis eorum qui contra ſentiunt opinionibus, conſtaret in iis Auctorum locis, quæ deinceps referemus, calidæ nomine non aliam aquam venire, quam quæ aut calido de fonte profluxerit, aut arte vel igne calefacta fuerit.*

INDEX
CAPITUM.



JOANNIS FREINSHEMII DISSERTATIUNCULA DE CALIDÆ POTU. AD JOANNEM KUEFFERUM MEDICUM CLARISSIMUM.

CAP. I.

DE CALIDÆ POTU APUD ANTIQUOS.

§. I.

Græci Calida usi in potu: in deliciis.



SI aliarum quoque gentium moribus dicendis decora ingenia non defuissent, haberemus absque dubio unde calidi potus usum antiquissimum & per universum prope orbem latissime diffusum offendere possemus, præsertim qua ad Orientem atque Meridiem aridior jam tellus protenditur: nam & illinc prima, nisi fallor, ejus rei origo fuit. Sed quoniam ex omni antiquitate Græcorum primo, deinde Romanorum res maxime celebratæ sunt, eaque imperia studiis & Scriptorum memoria præ ceteris floruere; eorum hic testimonia utramque paginam facient, quæ ita disponemus, ut primo adducamus ea loca quibus Græcos calidam bibisse demonstratur, deinde quæ ad Romanos pertinent. Græcos autem & Romanos cum dicimus, non istos tantum populos intelligimus, sed plurimos alios, quos late per majorem mundi partem coloniis aut imperio complexi sunt. Sed Athenæus quidem *lib.* III. refert versus Eupolidis Comici, qui vixit tempore Alcibiadis circa Olympiadem LXXXVIII. ita restituente Casaubono:

——— τὸ χαλκίον
Θέρμαινέ δ' ἡμῖν, καὶ θύη πέπτειν τινὰ
Κέλδ', ἵνα σπλάγχνοισι συγγενόμεθα.

Calefacito nobis miliarium, & victimas cura coquendas, ut ex visceribus una simus & epulemur. Pollux tamen ex Eupolide citat τὸ χαλκίον θερμαίνεται. Sed ipse quoque in eadem hac sententia fuit, ista verba accipienda esse de potu, non de lotione; nisi quod alio Aristophanis loco, (nam geminum isti Eupolideo recitaverat) qui aperte de lotione exaudiri debet, ab opinione ista fere depellitur. Quam tamen nonnihil juvare videatur problema Aristotelis XXIII. XVIII. Ὅτι τὸ ἁλμυρὸν ὕδωρ ψυχρὸν μὲν οὐ πότιμον. θερμαινόμενον δὲ μᾶλλον γίνεται πότιμον. *Marinam aquam frigidam quidem potabilem non esse; at calefactam reddi potabilem*. Quod qua occasione dixisset Philosophus, nisi aliam etiam aquam calefacere potus caussa consuevissent. Sed omittimus hæc de quibus adhuc dubitari potest; & manet ea propria suo loco tractatio: hic autem validioribus argumentis decernemus. Galenus lib. *de consuetudine* narrat Aristotelem quendam Mitylenæum, cum frigidam Medicis consulentibus A potavisset, ex eo obiisse, *quoniam calidæ potioni adsueverat*. Non ergo satis caute Mercurialis negabat Galenum calidi potus mentionem facere nisi in ægrotis. Nisi forte eandem de his verbis opinionem conceperat, quam Masinius; nimirum morbum in caussa fuisse cur isti potioni adsuesceret: quod quidem non oppugnem: istud autem existimo, quamvis a frigido potu abstinere voluisset, non tamen statim arrepturum fuisse calide bibendi consuetudinem, nisi obvio more & exemplis invitantibus. Alias enim ad præcavenda quæ ex frigido potu metuebat potuisset uti non frigida, hoc est, aliquanto tepidiore solito, B quomodo faciunt hodie plerique qui simili de caussa frigus in potu vitant. Hoc etiam considerandum est, quod idem Aristoteles aliud quoque exemplum retulit, alterius nempe cujusdam, qui idem observaverit: in quibus eo tempore nihil miri fuit, quod calido potu usi, sed illud fortasse rarum, quod non alio usi sunt. Sed pergamus ad alia.

Eunapius pro re memorabili narrat, quod Proæresius totam vitam exegerit ἀπείρατος θερμοῦ γενόμενος πότου, *expers calidi potus*. Quo ex loco dubites etiam Gallos, certe Cæsaris aulam sequentes, C thermopotas fuisse: præmiserat enim miratos eos homines, quod Proæresius hibernis mensibus terrisque, frigidam, & Rhenum hunc nostrum tantum non glaciatum biberat.

At calidum potum etiam in deliciis fuisse apparet ex scommate Stratonici Rhodiis impacto, quos *albos Cyrenenses* appellavit, σπαταλῶνας αὐτοὺς καὶ θερμοπότας θεωρῶν, *delicatos ipsos & calidam bibentes cernens*. Unde simul discimus hos præcipue populos hoc instituto fuisse usos; & vero non spernendæ voluptatis id habitum, quando Stratonicus homo acutissimus id in ipsorum moribus maxime reprehendit. Agnoscit etiam has delicias Philo Judæus D *De Vita Contemplativa*, ubi calidam therapeutis suis non ministrari ait nisi senibus; & ne his quidem promiscue, sed τῶν πρεσβυτέρων τοῖς ἁβροδιαίτοις, *grandævorum delicatis*. Eodem tendit quod apud eundem *De plantatione Noe* est: Προσφέρειν τοῖς οἰνοχοουμένοις κελεύοντες, κἂν ὀλιγωρῶσιν ἀγανακτοῦντες ὅτι τὸ θερμὸν λεγόμενον παρ' αὐτοῖς ποτὸν περιψύχουσι. *Adferre pincernis jubentes; & si cessent illi, indignantes, quod calidum quem appellant potum frigescere sinant*. Quem locum ita reddidit Interpres: *Ultro pincernas urgentes, indignantesque illis cessantibus, dum caldam, quam vocant, frigefaciunt*. Nempe sensum Auctoris haud assecutus est; eoque etiam E Stuckio in *Conviv.* imposuit. Sed de nostra expositione dubitare non possis, si Senecam & Arrianum audias: illius hæc sint verba *De Ira* II. XXV. *Tardior est puer, aut tepidior aqua poturo data* (sic enim ibi legerim) *ad ista concitari insaniæ est*. Sed de his Senecæ verbis mox, ubi de Romanis agemus, ube-

rior ſermo nobis erit. Arrianus autem ſic habet in *Epict.* I. XIII. Ὅταν δὲ θερμὸν αἰτήσαντός σου μὴ ὑπακούσῃ ὁ παῖς· ἢ ὑπακούσας χλιαρότερον ἐνέγκῃ· ἢ μηδ' εὑρεθῇ ἐν τῇ οἰκίᾳ, τὸ μὴ χαλεπαίνειν, μηδὲ ῥήγνυσθαι, οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν τοῖς θεοῖς; *Cum vero te calidam poſcente puer non audierit; aut, ſi audierit, tepidiuſculam attulerit; aut plane in ædibus non fuerit, id non ferre graviter, nec diſrumpi iracundia, nonne Diis placet?* Vix enim dubitari poteſt quin omnino horum eadem mens fuerit; ſcilicet iraſci non oportere ſi calidam poſcenti parvula interjecta mora porrigatur tepidior. Idque vel hinc intelligas, quod etiam in cibis eadem feſtinatione præveniebant teporem. Seneca extremo lib. IV. *Natur. Quæſt.* Ardentes *boletos* & raptim *condimento ſuo merſatos demittunt* pæne fumantes. Idem *epiſt.* LXXIX. *Circa cœnationem ejus tumultus coquorum eſt, ipſos cum opſoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta eſt*, ne quis intepeſcat cibus, ne quid palato jam calloſo parum ferveat, *cœnam culina ſequitur*. Ejus rei cum plurima occurrant exempla, hoc inſigne viſum fuit quod ex Clearcho narrat Athenæus *lib.* I. Πίθυλλον τὸν Τένθην καλούμενον οὐ περιγλωττίδα μόνον ὑμενίνην φορεῖν, ἀλλὰ καὶ προστελυτροῦν τὴν γλῶσσαν πρὸς τὰς ἀπολαύσεις, καὶ τέλος ἰχθὺν τρίβων ἀποκαθαίρειν αὐτήν. μόνος δ' οὗτος τῶν ἀπολαυστικῶν καὶ δακτυλήθρας ἔχων ἐσθίειν λέγεται τὸ ὄψον, ἵν' ὡς θερμότατα ὁ τρισάθλιος ἀναδιδῷ τῇ γλώττῃ. *Pithyllum Catillonem cognomine non tantum linguæ operculum ac thecam e membrana circumvolviſſe, verum etiam tanquam e vagina linguam exeruiſſe, cibi voluptatem ut perciperet, & denique piſcis affrictu illam repurgaſſe. Solus is ex voluptariis iſtis ganeonibus manicas & digitalia indutus cibum cepiſſe dicitur, ut in os miſerrimus popino quam calidiſſima ingereret linguæque objiceret*.

§. II.

Calida Romanis in uſu: in deliciis.

ET hactenus quidem de Græcis. Sed & Romanos calidam bibiſſe Dio *lib.* LVII. tribus locis oſtendit. De Druſo primum Tiberii filio; qui incendio exorto cum aquam poſcentes audiret, θερμὸν ἐγχέαι, *calidam infundi*, juſſit: nempe convivii rem eſſe putans, non incendii. Sed exempla Caii & Claudii Cæſarum maxime conſideratu digna apud Dion. *lib.* LX. quorum hic cenſuræ imagine ſuſcepta, cum mores civitatis repurgare vellet, vetuit etiam inter alia calidam vendi; nempe luxus reperiendi cauſſa: quin nonnullos haud obtemperantes pœnis coercuit. Cajus autem (ut refert Dio *lib.* LIX.) cum, ſorore, quam ultra fas & morem dilexerat, mortua, civitati luctum indixiſſet, τὸν πωλήσαντα θερμὸν ὕδωρ ἀπέκτεινεν, ὡς ἀσεβήσαντα, *eum, qui calidam vendiderat, occidit, tanquam impietatis reum*; quaſi nimirum mœrorem principis ipſe voluptatis & lætitiæ miniſter impio contemptu violaſſet. Cenſorem Claudium etiam Ampelius Præfectus Urbi ſecutus eſt prohibendo *ne aquam vulgarium calefaceret quiſquam*: hiſque & ſimilibus interdictis ait Ammianus *lib.* XXVIII. correcturum fuiſſe *ex parte licet exigua irritamenta gulæ & ganeas terras*. Viden' quæ calidæ debuit eſſe dignatio? quam principes in luctu inviderent: cenſores inter labem publici moris, gulæque irritamenta & tetras ganeas numerarent.

Etiam Senecæ verba, quæ modo ad explicationem Philonis exſcripſimus, de hoc ritu loquuntur, quamvis id perneget Caſtalio. Cum enim *tepidiorem aquam* ibi nominat, idem vult, quod jam dixerat *De Ira* lib. I. cap. XII. *Iraſcuntur ſi calida non bene præbeatur*: nam iſta verba mihi valent, ſi non præbeatur bene calida, ſed jam tepeſcens, hanc enim aſpernabantur. Hinc eſt quod ille neſcio quis apud Plinium *lib.* VII. *cap.* LIII. ſollicite monebat M. Ofilium, qui calidam popoſcerat, niſi occuparet bibere, *tepeſcere potionem*. Tepor enim inter calorem & frigus medius ex neutro gratiam trahit, ſed ubi potui acceſſit, faſtidium ſtomacho, & perinde vomitum ciet. Noverunt id qui Æſopum triverunt: & Medici eam præcipiunt, quotiens vomitu levandus eſt ventriculus. Frigidus autem potus aut calidus haud eadem operantur: quod inſigni teſtimonio ipſius Veritatis confirmatur, cum ait *Apocalypſ.* III. XV. *evomere ſe velle* Epiſcopum *tepidum ex ore ſuo*: quem locum inter ambiguos latius tractabimus.

Ceterum ex hoc more eſt quod Ammianus *lib.* XXVIII. queritur de perverſitate hominum, qui immania ſcelera atque flagitia ſuorum ne leviſſima quidem caſtigatione perſequuntur: at *ſi aquam calidam tardius attulerit ſervus, trecentis adfligi vulneribus jubent*.

Non omittendus etiam Martialis *epigramm.* LXI. *lib.* XII. quo in parte curarum, quas natali ſuo convivator curaret, primo ſtatim loco ponit,

—— ne calda Sabello
Deſit.

Simul & illum pro delicato differens, & nos docens calidam etiam in celebrioribus conviviis locum & honorem habuiſſe: quod & ſupra tetigimus, cum Eupolidis teſtimonio uteremur. Porro non immerito curam vocat Poeta, operam dare ne calda deſit: nec enim ſuffecturum erat initio ſtatim ponere calidam; atque hoc ſolo officio cum conviva tranſigere: nec enim hac ratione in longum proviſum foret, nihilque præſidii relictum ſiti tracto diutius convivio poſt aliquot horas venturæ. Conſentaneum igitur eſt plures eos ſemper arytænas urceoſve miniſtratorios in promptu habuiſſe calida plenos, non eodem momento, ſed ſubinde ex aeno hauſta, ut ſecundum cujuſque convivæ palatum ſtatim miniſtrari poſſet qualis petebatur. Quæ res fabulæ nos admonet Plutarcho in *Antonio* narratæ. Antonii coquus cum octo apros aſſaret, de convivarum numero quæſitus, circiter duodecim adfuturos reſpondit; tot autem ſimul præparare, quoniam ignoraret, quando cœnaturus eſſet Antonius: Δεῖ δὲ ἀκμὴν ἔχειν, inquit, τῶν παρατιθεμένων ἕκαστον, ἣν ἀκαρὲς ὥρας μαραίνει. *Oportet autem in vigore & ſucco eſſe unumquodque appoſitorum, qui momento corrumpi ſolet.* Idem jam de calida dicere licet: ejus plura vaſa præſto fuiſſe, quorum aliud alio calidiorem quaſi per gradus continebat, ne, ſi miniſtraretur aut recens hauſta, fervore nimio, aut jam remiſſior, tepore offenderet: præſertim prompto quorumdam in his talibus faſtidio, quod non obſcure ex ipſo noſtro Martiali colligitur; id enim deprecatur eo verſu *lib.* XIV. *epigr.* CV.

Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

Nihil enim aliud eo loci moroſa ſitis eſt.

Et hæc quidem de Græcis Romaniſque veteribus ad hunc morem notata hactenus recenſuimus: quæ reſtant aliis capitibus pertractabimus, ut cuique pro materiæ conditione ſuus locus dabitur. Iſtud haudquaquam omiſerim, etiam hodie Canadenſibus barbaris calidam in deliciis eſſe. Fidem ejus rei facit Jeſuitæ cujuſdam iis ex locis *epiſtola*, quæ ante hos tres quatuorve annos prodiit: quam reperi inter libros ampliſſimi Mareſcoti, quem honoris & gratitudinis cauſſa nomino, cum ei comes in Gallia degerem.

§. III.

Calida vino mixta. Vinum calidum frigida temperatum.

HACTENUS de potu calidæ puræ dictum est; de eo enim citata superius testimonia explicanda videntur: sed cum etiam vino miscuerint, aut certe vinum calefactum frigida; quæ eo spectant in hanc libelli partem sepoſuimus. Vinum aqua miscere tamquam insigne commentum fuerit, magnique vel laboris vel ingenii; sic auctorem suum ad memoriam protulit: nisi quod hanc etiam palmam ambiguam faciunt: nam Staphylo Sileni filio hujus inventi gloriam Plinus *lib.* VII. *cap.* LVI. tribuit; alii Atheniensium regi Amphictyoni: quidam Melampum, aut Lycurgum, vel Cerasum nominant. Sed ea res in tantum adoluit, ut vix aliquando merum biberent: unde Plin. *lib.* XIV. *c.* XXII. recensitis aliis potionum generibus, *meros*, inquit, *hauriunt tales succos, nec diluendo ut vina mitigant*. Immo fuerunt qui nefas arbitrarentur etiam in S. Cœna mero uti, quorum Augustinus, Hieronymus, alii meminere: quos sequuti Armenii *Canone* XXXII. Concilii VI. in Trullo coercentur. Ex eo more verba *miscendi temperandique* adeo invaluerunt, ut etiam, cum merum infunditur, aliusve quicunque liquor, ea adhiberi promiscua consuetudo obtinuerit. Crateres etiam nuncupati ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος, ut ait Athenæus *lib.* III. Ea igitur mixtio frigida alias, alias calida hauriebatur. De calida hæc testimonia reperi: Ἐν Κραννῶνι (Athenæi verba sunt *lib.* II.) ἐστὶν ὕδωρ ἡσυχῇ θερμαῖνον, ὃ διατηρεῖ κραθέντα τὸν οἶνον ἐπὶ δύο καὶ τρεῖς ἡμέρας. Ex eodem fonte hæc videtur hausisse, quo Plinius, *lib.* XXXI. *c.* II. *Cranone est fons calidus citra summum fervorem, qui in vinum additus, triduo calorem potionis custodit in vasis.* Quo ex loco corrigendum putes in Athenæo θερμὸν pro θερμαῖνον, nisi forte hoc idem significet. Martialis *lib.* I. *epigr.* XII.

Jam defecisset potantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Ad mixtionem hanc etiam traham illud ejusdem Poetæ *lib.* XIV. *epigr.* CV.

Frigida non deerit, (sic scribo) *non deerit calda petenti.*

Nam inscriptio ejus *epigrammatis* est *Urceoli ministratorii*; quorum usum ad mixtionem fuisse infra declarabimus. Quanquam videri possent isti versus etiam de puræ calidæ potu non incommode explicari: quemadmodum & hic Juvenalis *satyra* V.

Quando vocatus adest calidæ gelidæq; minister?

Lucian. etiam *Asino*: Τράπεζα δὲ τῇ κλίνῃ παρεστήκει ποτήριον ἔχουσα καὶ ὕδωρ ἕτοιμον καὶ ψυχρὸν καὶ θερμόν. Atque in his quidem nonnulla ambiguitas est: quæ sequuntur nullam dubitationis ansam relinquunt. Tacit. XIII. XVII. *Innoxia adhuc & præcalida & libata gustu potio traditur Britannico: dein postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua adfunditur venenum*. Apulejus *lib.* II. *Arripit poculum, ac desuper aqua calida injecta porrigit bibam*. Iterum: *Et calices bini jam infuso latice semipleni solam temperiem sustinentes*. Alibi: *Calida cum œnophoris & calice*. Nec enim hæc alio fine illata quam ad mixtionem. Clem. Alexandrin. lib. II. c. III. *Pædag.* Εἴ τε γὰρ αὐτοῖς ἐγχέαι τις θερμοῦ κράματος, διαπυρουμένων τῶν σκευῶν ἐπώδυνος ἡ λῆψις. *Nam sive eis calidum mixtum liquorem infuderis, excalefactorum vasorum molesta est tractatio*. De pretiosis poculis loquitur: quomodo & Martialis *lib.* XIV, *epigr.* XCIV.

Non sumus audacis plebeja toreumata vitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua:

A Et *lib.* XII. *epigr.* LXXV.

Cum tibi Niliacus portet crystalla catastus,
Accipe de Circo pocula Flaminio.
Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt
Munera? Sed geminus vilibus usus inest.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem:
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Sic enim constituendi videntur isti versus: nam geminum usum vilibus poculis tribuit; quod neque furibus obnoxia sint; neque calidæ aquæ penetrabiles: unde tales calices *audaces* appellavit, quod nimirum caloris vim spernant: nam frustra est Do-
B mitius Interpres, qui aliter hæc explicat. Non abludunt ab hac re Lucretii versus *lib.* VI.

Frigus item transire per æs, calidumque saporem
Sentimus, sentimus item transire per aurum,
Atq; per argentum, quum pocula plena tenemus.

Aristænetus etiam *epist.* I. III. suggerit locum elegantissimæ lasciviæ: Ὁ γὰρ ἔμμετρος οἰνοχόος ἐξεπίτηδες τοσούτῳ θερμότερον τοῦ δέοντος τὸν οἶνον συνέμισγεν ὕδατι διαπύρῳ, ὅσον ἔμελλεν ὁ ψυχρότατος ὁλκὸς ἐπιπελάζων αὐτὸ τὸ κραθὲν ἐπιψύχειν. ὅπως αὖ μόνης γε τῆς ἀμέτρου θέρμης τῷ ψυχρῷ μειουμένης, τὸ σύμμετρον καταλήψοιτο. *Nam de industria temperandi prudens pincerna tanto calidius justo vinum præ-*
C *fervida aqua temperaverat, quantum frigidissimi tubuli rigor totum refrigerare posset poculum: ut nimio solum calore per aquæ frigus imminuto, maneret mixtum justo temperamine*. Nec absonum sit dicere, hunc morem in consilio habuisse Galenum, quando febricitantibus aliquando vinum præberi jubet calida temperatum. Non enim credibile est, eum in id cogitationis delapsurum fuisse, nisi obviis exemplis: quis enim hodie Medicorum tam ab usu remota imperat? nec sane sperari poterat, afflicta valetudine plures per dies, homines facile sumpturos fuisse potum, a quo per omnem vitam
D abhorruerant. Sed forsan inferius etiam huic disquisitioni locus erit: nunc res monet, ut de aliis etiam potibus, quos calidos exsorbebant, paucis agamus.

§. IV.

Thermopolia.

SATIS constat Antiquos non aqua tantum calida sive pura, sive vino adfusa gavisos fuisse; verum etiam aliis potibus calidis. Inter quos ipsa aqua non vino quidem, sed aliis speciebus aromatisque mixta fuerit. Sed ea de re nihil dum compe-
E ri, nisi quod Stuckius Aristotelis locum ex Athenæo citat: *Ollis Rhodianis aquam, qua vinum miscebatur, calefieri olim fuisse solitam, injecta in ea myrrha, mastiche, croco, balsamo, amomo, cinnamomo, & alii aromatibus, cum ebrietatis, tum Veneris coercendæ* (an *concitandæ* potius?) *gratia*. Quem ego tamen locum nec in Athenæi libris, nec in ipsius Aristotelis invenio. Sed Heliogabalum lego apud Lamprid. in *ejus Vita bibisse cum omnibus suis caldaria de nardo exhibentem*. Ubi loci notandum, ex ipsis aliquando thermis, atque adeo in ipsis bibi solitum. Ea enim caldaria non alia certe, quam in quibus lavarentur. Et ne cui hoc mirum
F sit, idem Heliogab. *ibid.* etiam in piscina bibit. Unde explices egregium locum Rutilii *Itinerar.* lib. I.

Nosse juvat Tauri dictas de nomine thermas,
Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic gustu latices vitiantur amaro,
Lymphaque fumifico sulphure tincta calet.
Purus odor, mollisque sapor dubitare lavantem
Cogit, qua melius parte petantur aquæ.

Similiter Josephus lib. XVII. cap. VIII. *Antiquit. Judaic.* Ποταμόν τε περάσας Ἰορδάνην, θερμοῖς τοῖς κατ'

Καλλιρρόην αὐτὸν παρεδίδε, ἅπερ σὺν τῇ ἐς πάντ' ἀρετῇ καὶ πότιμα ἐστιν. *Transmisso Ioardane fluvio, thermis ad Callirrhoen se commisit, quæ præter vim medicam potu quoque jucundæ sunt.* Porro ceterorum potuum qui calidi bibebantur, officinæ fuere atque *Thermopolia*, quorum in Plauto frequens mentio: cujus ex verbis liquet, quod eximio Turnebo visum est, ibi non aquam modo calidam, sed varias dulces potiones venum dari consuevisse: atque etiam, opinor, ipsum vinum calefactum. Ait enim Comicus in *Curcul.* Act. II. Sc. III. Græculos exagitans:

Quos semper videas bibentes in Thermopolio,
Ubi quid subripuere, operto capitulo calidum bibunt.
Tristes atque ebrioli incedunt.

Et in *Trinum*. Act. IV. Sc. III.

—— *Satin' in Thermopolio*
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?

Priore enim loco cum calidum bibisse dixit, addit *ebriolos* incedere, quod utique ad vinum referre pronum: idque ex alia ejusdem Poetæ Comœdia adstruxero, nempe ex *Mil. Glor.* Act. III. Sc. II.

Neque ille hic calidum exhibit in prandium.
P. *Neque tu bibisti?* L. *Dii me perdant, si bibi,*
Si bibere potui. P. *qui jam?* L. *quia enim obsorbui.*
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

Sed de dulcibus in Thermopolio venditis apertissime *Pseudolus* Plauti Act. II. Sc. IV.

Ecquid habet is homo aceti in pectore? Ch. *atque acidissimi.*
Ps. *Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet?* Ch. *Rogas?*
Murrhinam, tum passum, defrutum, melinam, mel quojusmodi.
Quin in corde instruere quondam cepit Thermopolium.

Atqui istas fere potiones inter dulcia recenset JCtus *l. fin. de tritico* &c. *leg.* vini dulcis quatuordecim genera Plinius *lib.* XIV. *cap.* IX. Ex prædictis intelligi facilis erit Plauti jocus in *Rudente* Act. II. Sc. IV. ubi qui naufragium cum periculo evaserat, ita Neptunum incessit:

Ne thermopolium quidem ullum ille instruit,
Ita salsam præbet potionem & frigidam.

Aque hoc quidem est Thermopolium, non, ut Stephanus explicat, *locus ubi calida cibaria venduntur*.

§. V.

Supellex Thermopotica.

NUNC etiam e supellectile thermopotica vasa nonnulla recensebo: quando pro nostra assertione etiam hinc argumenta peti possunt. Inter ea est,

Aenum. JCtus *l.* 18. §. 3. *de instruct. leg. Nec multum refert inter cacabos & aenum quod supra focum pendet: hic aqua ad potandum calefit; in illis pulmentarium coquitur.*

Arytæna. Vasculum, vel urceolus, quo ex aeno, sive majore caldario, hauriebant aquam; ut in supra *relato* Athenæi *loco*.

Caldarium. Hujus usus in balneis imprimis fuit: ejusque conficiendi rationem diligenter exsequitur Vitruvius. Aenum tamen, quo aquam ad potum calefaciebant, caldarii quoque nomine venire putem; sicut vice versa aeni nomine caldarium: utriusque enim eadem materia, nec officium dispar. Hinc appellationem habebat *æs caldarium*, quod tantum funditur, malleo non obsequitur, Plin. *lib.* XXXIV. *c.* VIII. & *calidaria maltha*, qua caldaria malthabant, Salmas. *in Solin.*

A *Caldariolæ*. Vetus Scholiastes ad illa Juvenalis *satyræ* V.

Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum, & rupto poscentem sulfura vitro.
Ut solent in urbe calices fractos, sive caldariolas componere.

Calix. Dictus videtur quasi Κύλιξ. Varro tamen lib. IV. *de Ling. Lat.* derivat *a caldo*, *quod calidum in eo bibebant; & in eo calida puls apponebatur*. Nescio quid sibi velit Turnebi vetus liber, qui præfert, *calida plus apponebatur*: nam fallor, aut istud alterum recte se habet, *puls apponebatur*; & B videtur inde dictus *pultarius*: exserte pro hoc sensu Plin. *lib.* II. *c.* LIII. *calidam potionem in pultario poposcit*. Et sane videntur huc referri posse verba JCti modo citata; quibus non multum referre dicit inter cacabos & aenum, nimirum ob cognatum usum, quod in hoc aqua ad potandum calefiat, in illis pulmentarium coquatur.

Celebe. Pamphilus apud Athenæum *lib.* II. asserit τὸ ποτήριον θερμοποτίδα καλέμενον τὴν κελέβην εἶναι. Hesych. Κελέβη ποτηρίου εἶδος θερμηρῦ.

Cucuma. Græce Κυκκύμιον. Arrianus in *Epicteto* lib. III. c. Δεῖ αὐτὸν κυκκύμιον ἔχειν, ὅπως τὸ θερμὸν ποιήσει. Petronius: *Incincta quadrato pallio*
C *cucumam ingentem foco apposuit*. Legitur etiam hæc vox in *l.* I. §. 3. *ad L. Corn. de sicar.*

Lebes. Athenæus: Ἦν γὰρ τὸ ἀρχαῖον δύο γένη τριπόδων, ὃς καλεῖσθαι λέβητας συνέβαινεν ἀμφοτέρους. ἐμπυριβήτης, ὃς καὶ λοετροχόος. Αἴσχυλος:

Τὸν μὲν τρίπους ἐδέξατ' οἰκεῖος λέβης,
Αἰεὶ φυλάσσων τὴν ὑπὲρ πυρὸς στάσιν.

Ὁ δ' ἕτερος ὁ κρατὴρ καλέμενος. Et mox: Οἵδε λοετροχόοι, ἐν οἷς τὸ ὕδωρ ἐθέρμαινον, καὶ ἐμπυριβῆται.

Militarium. Græcis Glossis θερμιτρὸν, aut θερμηρὸν, *quæ vox corrupta non est, ut docti putant,*
D *sed subaudiendum* ἄγγος *& ita accipiendum*, ut cum ait Hesych. Κελέβην esse ποτηρίου εἶδος θερμηρῦ: Casaub. *ad Athenæum lib.* III. *c.* XX. Luciano in *Lexiphane*, & Athenæo *lib.* III. irridentur οἱ τὸ μιλιάριον καλέμενον ὑπὸ Ῥωμαίων τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατασκευαζόμενον ἰπνολέβητα ὀνομάζοντες. Id vas describit Seneca his verbis *Nat. Quæst.* lib. IV. c. IX. *Facere solemus dracones, & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per declive circumdatas, ut sæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii quantum efficiendo calori sat est: frigida igitur intrat; effluit calida*. Iterum *ibid. Minora balnea-*
E *ria, & minora miliaria citius calefiunt*. Fuerit ergo & hoc in supellectili balneatoria: nam & Paulus JCtus *lib.* V. *sent. t.* 6. §. 65. *instrumento balneatorio legato, etiam miliaria legato cedere* ait. Sed quod supra de caldariis & aenis diximus, magnitudine tantum diversa fuisse, non usu, non forma, (utraque nempe calefaciendæ aquæ, sed balneatoria utique capaciora, quoniam ibi major aquæ modus requirebatur) id etiam dicemus de miliariis, alia fuisse balneatoria, eoque capaciora, minora alia, quæ culinæ & tricliniis inservirent. Certe id non obscure Ulpian. *l.* 19. §. 12. *de auro leg.* innuit,
F quando in usu fuisse miliaria argentea ostendit, eaque cocinatorio instrumento adnumerat; cum aliis ad escarium pertinere viderentur.

Scutra. In Glossariis: *Scutra* χαλκίον. Item: *Scutra* λέβης. Mentio ejus in Plauti fabula, cui *Persa* nomen est, Act. I. Sc. III.

Commisce mulsum: struthea colutheaque appara:
Bene ut in scutris concaleant; & calamum injice.

Urceoli ministratorii. Sic conceptum est apud Martialem lemma hujus distichi *lib.* XIV. *epigr.* CV.

Frigida non deerit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

De quo jam ante obiter dictum.

§. VI.

Ambigua quædam Auctorum loca examinata.

Exposita sunt Auctorum loca, quæ potum calidæ Veteribus usitatum fuisse claris testimoniis adstruunt: nunc videbimus de quibusdam ambiguis & obscuris, inter quæ primo loco versus ex Comico modo recitatos considerabimus; suspicionem enim mihi injiciunt de eodem hoc more intelligi velle: primum, quia scutræ, hoc est, lebetis, (quod vas est huic rei proprium) meminit: deinde, quia addit calefieri debere species istas qualescumque fuerint; hoc enim dissensu librorum anceps est; & quia Plinius, cum Plautinam hanc fabulam citat, vix alium locum in animo habere potuit. Sed ille non struthea, non coluthea nominat; calamum non omittit, sed nescio quid de myrrha adjicit, quasi ejus in his Plauti versibus præcipua mentio fuisset. Sic enim ait *lib.* XIV. *cap.* XIII. *Lautissima apud Priscos vina erant myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ* Persa *inscribitur, quanquam in ea & calamum addi jubet.* Unde proxime absum ut probem Palmerium rescribentem, *Myrrhina Bene ut scutris concaleant.* Certe ex eodem Poeta constat dulcia (in quibus & myrrhinum, teste Plinio *eodem capite*) calefieri solita ad potum: eaque ratio, cur officinæ ubi vænièbant, *thermopolia* nuncuparentur, de quibus supra dictum est. Eodem pertinet *epigramma* CXIII. *lib.* XIV. Martialis:

Si calidum potes, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior fit sapor inde mero.

Alius Plauti locus est in *Casina* Act. II. Sc. III.

—— ubi illi bene sit ligno, aqua calida, cibo,
Vestimentis.

Nam ibi merito ambigas; an ista calida de potu accipienda sit.

Vitruvius ait *lib.* VIII. *c.* III. *Sunt etiam nonnulli fontes calidi, ex quibus profluit aqua sapore optimo, quæ in potione ita est suavis, uti nec fontanalis ab Camœnis, nec Martia saliens desideretur.* Sed non exprimit calidam istam aquam biberint, an refrigeratam.

Contra Athenæus *lib.* II. de aquis calidis loquens: Τὰ γὰρ περὶ Βαΐας ἢ Βαῖον λιμένα παντελῶς ἄποτα. *Nam aquæ apud Bajas nullo modo sunt potabiles.* Ergo aliæ potabiles, ut supra quoque ostensum est.

Etiam qua mente Aristophanes calidam nominaverit, dubitavit Pollux *lib.* IX. *cap.* VI. Ἐγὼ δ᾽ ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις Ἀριστοφάνους εἰρημένον, Τὸ χαλκίον θερμαίνεται, οὕτω πως ἤκουον, ὡς εἰς πότον εὐτρεπιζομένων τῶν γυναικῶν. ταυτὸν δὲ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς Εὐπόλιδος Δήμοις ἐστὶν εἰρημένον. ἀλλ᾽ ὅτι οὐδὲ τοῦτο ἀποχρῶν ἐστὶν εἰς πίστιν τῆς τοῦ θερμοῦ πόσεως, ὑπεναντιοῦταί μοι τὸ ἐν τοῖς Ἀριστοφάνους Γεωργοῖς σαφῶς ἐπὶ λουτροῦ εἰρημένον. Ἐξ ἄστεως νῷν εἰς ἀγρὸν χωρῶμεν, ὡς πάλαι δι᾽ ἡμᾶς ἐκεῖ τῷ χαλκίῳ λουσάμενον κολάζειν. τουτὶ μέντοι τὸ παρὰ τῷ Φιλήμονι χαλκοῦ θερμοῦ ἦν συνταττόμενον τῷ πιεῖν ἄντικρυς δηλοῖ τὴν τοῦ θερμοῦ πόσιν. καὶ γὰρ τὸ λεπτὸν τοῦ νομίσματος οὐ λουτροῦ ἐστὶν, ἀλλὰ πότου μέτρον. *Ego vero illud in Thesmophoriazusis Aristophanis dictum*, Ahenus calescit, *de mulieribus potum præparantibus intellexi: idemque in Eupolidis Populis dictum est. Sed quod nec illud in argumentum calidæ potionis sufficiens sit; succurrit mihi illud in Aristophanis Georgis manifeste de lotione dictum;* Ex urbe nunc in agrum discedamus, ut dudum a nobis illic in solio æreo lotum puniamus. *Illud quidem apud Philemonem*, χαλ-

A κοῦ θερμοῦ ἦν, *positum ubi de bibendo agebatur, manifeste arguit calidæ potationem: nam exiguitas pretii potui magis quam lotioni congruit.* Verba autem Philemonis *eodem loco* referuntur. Καὶ μάλα τρία ἡμιωβόλια χαλκοῦ θερμοῦ ἦν. *Atque tres semioboli æris calidæ erant.*

Legitur & illud ex Alexidis *Locris* apud Athenæum *lib.* III.

—— αἱ δὲ παῖδες παρέχεον,
Ἡ μὲν τὸ θερμὸν, ἡ δ᾽ ἑτέρα μετάκερας.

Puellæ quidem infundebant, hæc calidam, alia tepidam. Quod plane ad potum retulissem, nisi obstaret illud μετάκερας: tepidam enim aspernatos
B fuisse supra dictum est; tum etiam geminus huic qui apud Deipnosophistam sequitur Amphidis locus, ἀνεβόησεν

Ὕδωρ ἐνεγκεῖν θερμὸν, ἄλλος μετάκερας,

Clamavit aquam importari calidam, alius tepidam, desumptus esset ex fabula, quæ *Balneum* inscribitur: ut ibi res gesta nec ad potum, sed lotioni fuisse credi debeat.

Dubitari etiam possit quo sensu Prudentius in *pugna luxuriæ*, hæc protulerit:

—— inde tepentia linquens
Pocula.

C Quamvis enim videatur egregie convenire descriptioni luxuriæ potus calidus, (nam hunc in deliciis habitum supra ostendimus) tamen *tepentia pocula* dicere non debuerat, quæ, ut modo repetitum est, aspernabantur: nisi forte per tepentia intellexit calida, quomodo Homerus *Iliad.* XXII. *vers.* 149. de altero fontium Scamandri:

Ἡ μὲν γὰρ ὕδατι λιαρῷ ῥέει.

Nam ibi λιαρὸν *calidum* significat, non *tepidum*, idque Straboni *lib.* XIII. olim, dein Athenæo *lib.* II. visum est: secundum quos eruditissimus Casaubonus dedit, rejecta Eustathii sententia. Et eodem modo Virgilius *Georg.* I. 398. *tepidum solem*, Mar-
D tialis *lib.* I. *epigr.* XLII. *tepidas popinas* dixere.

Sequuntur loca viris doctis disceptata Lipsio atque Josepho Castalioni: hic enim arguit Lipsium, non recte explicasse Martialem in his *lib.* II. *epigr.* I.

Te conviva leget misto quincunce, sed ante
Incipiat positus quam tepuisse calix.

Tum Senecæ verba *de Ira* lib. II. cap. XXV. *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua poturo data*, (sic velim) *aut turbatus thorus*, &c. *ad ista concitari insania est.* Item dicterium in Tib. Cæsarem jactum, quo pro Tiberio Claudio Nerone *Biberius Caldius Mero* vocabatur. In quibus ut fortasse studio explicandi moris fugitivi prolapsus est Lipsius;
E ita forte nec Castalionis in diversum explicatio certa est, qui omnia ad gelidæ potionis usum trahit. Atqui hæc aliquanto exactius discutienda sunt; par enim est eam referri gratiam homini, qui ingenio curaque rem literariam, si quis alius, enixe juvit, ornavit, extulit; ut a nota absurdi vindicetur, quam ei Castalio inurit. Primum itaque non negamus inveniri loca, in quibus tepescere sit *rigorem remittere*; nec tamen desunt ubi *refrigerari* significat, ut in ipso Seneca *epist.* LXXIV. *Ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat; cœnam culina sequitur.* Lucan. *lib.* IV. *v.* 284.

F *Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt.*

Igitur Martialis *epigramma* tam de gelido quam calido potu explicari possit: fortassis etiam de hoc magis, quia librum suum tam brevem esse inquit, ut minimo tempore possit perlegi. Constat autem citius intepescere calidam, quam gelidam: natura enim ita comparatum est, ut unaquæque res facilius revertatur ad qualitatem suam, a qua veluti per vim divulsa est, quam alienam sponte recipiat: quod in potione debuisse fieri eo verius est,

quod gelidi potus intentissimo rigore ponebantur; calidis modus requirebatur, ne fervore fauces, aut gutturem (ut Plautus ait) amburerent. Idem fere de Senecæ verbis judicium esse possit; quæ supra *c.* I. etiam explicavimus. Caldium autem Meronem quamvis recte videatur explicare Castalio, (nam & Victor: *Caldius Biberius Mero ob vinolentiam nominatus est*: & Plinius *lib.* XIV. *c.* XXII. *ad merum pronior fuerat*) tamen fieri potuit, ut etiam calidam non sperneret, quomodo filius ejus Drusus, ipse etiam meri tam avidus, ut *non alio magis regenerasse patrem ferretur*, ut ait Plin. *ibid.* nam hic a calida non abhorruit, ut ex Dionis *verbis* supra *citatis* suspicere. Nec valde efficax in diversum ratio est, quam Castalio urget, quod in eodem dicterio *Mero* appelletur: quod non debuerit fieri, si *Caldius* ab aquæ scilicet calidæ potu dici potuisset. Ut enim modo dictum est, eadem cupiditate & merum, & aliquando calidam sequi poterat: denique hoc etiam animadvertendum est, dicterium istud inversione nominis compositum fuisse, quod lusuum genus ita liberum non est, ut non sæpius imponat sententiam, quam accipiat: denique etiamsi merum semper bibisset Tiberius, nihil prohiberet quo minus *Caldius* diceretur; si nempe calidum hausisset, quod olim factum superius docuimus. Itaque hæc loca fortasse non injuria accensuimus iis de quibus non liquet. Ea quoque non omnino carent dubio, in quibus, ubi de aqua sermo est, *gelidæ* vocabulum additur: non enim injuria quis suspicetur id aliquando factum ad evitandam ambiguitatem, quia etiam calida bibebatur: ut apud Suetonium de Othone *c.* XI. *Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione*. Quin dicas id expresse additum ad vilitatem potus demonstrandum, quo tum contentus fuerit Otho, delicatus alioquin & luxuriæ deditus. Quod etiam fortius affirmes de promissione Domini nostri *Matth.* c. X. vers. 42. Καὶ ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον, &c. οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum*, &c. *non perdet mercedem suam*. Ubi Evangelista non contentus voce ψυχροῦ etiam particulam μόνον valde significanter addidit.

Etiam quæ in *Apocalypsi* c.III. vers.15. 16. leguntur ex hoc more videntur explicari posse. Οἶδά σου τὰ ἔργα, ὅτι οὔτε ψυχρὸς εἶς, οὔτε ζεστός· ὄφελον ψυχρὸς εἴης, ἢ ζεστός. Οὕτως ὅτι χλιαρὸς εἶ, καὶ οὔτε ζεστὸς, οὔτε ψυχρὸς, μέλλω σε ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματός μου. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam evomere te ex ore meo.* Apparet enim totam hanc loquendi figuram a potione desumpsisse, quæ tepida vomitum ciet, ut alibi dictum est, & postea repetetur: quin igitur τὸ χλιαρὸν de potu capiendum sit, pauci fortasse dubitabunt; nemo autem illa quoque duo, quibus opponitur, τὸ ψυχρὸν nempe καὶ τὸ ζεστὸν, eodem sensu accipienda esse, quo oppositum eorum acceperimus.

Postremo Pollux *lib.* IX. *c.* VI. adducit hæc Homeri: Ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, *Septem ignis expertes: quibus*, inquit, *si opposueris* τοὺς αἴθωνας λέβητας, *ignitos lebetes, putes hos esse qui adhibentur ad calefaciendam aquam.* Ostenditque non ideo concludi posse Homeri ævo calidæ potum in usu non fuisse; quando etiam elixas carnes, quibus tamen apud eum *Iliad.* XXI. *v.* 362. nemo vescitur, non ignorarit:

Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ,
Κνίσσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο.
Veluti lebes interius fervet, multo igne petitus
Pinguedinem coquens tenelli porci.

Quod argumentum addi possit superioribus, ubi dictum est, non sequi Auctores nescivisse ea omnia, quorum in scriptis suis mentionem nullam fecerint.

CAP. II.

DE ORIGINE CALIDI POTUS.

SUPERIORI *Capite* veteris hujus moris fides etiam incredulorum pervicacissimo cuique fieri potuit; nunc id agamus, ut si qua possumus, etiam monstri speciem detrahamus, nec sine ratione receptum fuisse commonstremus. Quo loco prima adversus magnum illum Musarum & Naturæ mystam Plinium pugna oritur: qui calidos potus naturales esse negat animalium argumento, quorum a nullo appetantur. Fefellit enim hominem eximium consideratio animalium, in quantum appetitu per consuetudinem edomito frigidam sectantur. Neminem enim latet primum potum, eumque utique naturalem, si quis alius, omnibus animantibus, quæ quidem viviparorum numero continentur, esse calidum: lac nimirum, quo demum depulsa frigidam non delectu, sed exstimulante siti per necessitatem appetunt: donec adulta consuetudine dediscunt naturam, primaque alimenta pari fastidio aspernantur, quam dolore mutaverant. Mirum enim dictu sit, quantum in cunctas universi partes consuetudini liceat: quam ego quidem naturæ tanquam parem componi putem: adeo eam ubique expellit, quoties in societatem paulatim recepta postremo prævaluit. Interdum enim præpotenti naturæ congressa, in universum statim, aut post infelicia experimenta profligatur. Ergo hujus vis non in singulis tantum, sed etiam nationatim conspicua est: quin & temporibus periodos constituit, & quoties mutat, sæculum fecit: sic enim plerumque appellamus id ævi mortalis spatium, quo iidem mores duraverint. Ergo iisdem etiam in gentibus nihil jam antiqui moris superat, sed quæ majores nostros usurpasse audimus, pro externis atque barbaris miramur? adeoque vix jam eruimus rationem atque formam quorumdam institutorum, quæ Veteribus usitatissima fuere. Exemplo nobis sit ex vulgatissimis balneorum usus; cujus & alibi in hoc libello mentionem fecimus, quia propositæ tractationi non alienus est: eum igitur tam frequentem olim fuisse, vix ipsi qui sciunt, credunt: & tamen hoc ex istis est, quæ etiam hodie apud Mahummedanos fiunt. Jam unctio & ipsa in partem olim quotidianæ curæ recepta, quotocuique non dicam usurpatur, sed cognoscitur? Nimirum exoleverunt hæc desuetudine, contraque exorta sunt priores, si viverent, eundem in stuporem datura, quo illorum instituta nostri aspiciunt. *Tabacum* herba est nautis fortasse, ceterisque qui humoribus abundant, si modus adsit, utilis: aliis non tam spe commodi, quam novitate, dein consuetudine placuit. Ejus nomen atque plantam paucos intra annos vulgavere, tanta facilitate & velut certamine, ut minimum temporis interfuerit inter notitiam ejus & profusissimum usum, si tamen usus appellandus est, quod herbæ peregrinæ folia in funis modum contorta siccamus; tum in tenues partes dissecta fictili vasculo indimus, quod ex ore capiendæ materiæ idoneo in oblongum tubulum angusto foramine desinit. Ibi *tabacum* admoto igne succendunt, & ne quis putet nihil agi, fumum, qui plurimus inde prorumpit, adducto spiritu retractum hauriunt, quem mox per os naresve remittant. Nec tamen totus efflatur, sed manet pretium haud irriti laboris parabilis ebrietas: nec enim magno constat, & haud multa temporis impensa

A pensa festinatur: quin & hinc commendari debet, quod ex magno contubernio uno tantum hauriente eadem pæne voluptas in omnes transfunditur: implet enim fumus iste quantumvis amplum cœnaculum, & permixtus aeri simul cum spiritu trahitur. Nec minus interea jucundo spectaculo pascuntur oculi, ne forte naribus invideant. Nam ista pestis ingenti violentia cerebrum corripit, commotisque usquequaque humoribus strenue screatur, spuitur, emungitur. Nec enim vel odoris teterrimi virulentia, nec illætabilis ille sapor, nec ipsa vis pharmaci tristibus experimentis cognita obstiterunt, quo minus ista consuetudo varias provincias late pervagata, nostræ quoque Germa- B niæ infensa incumberet, violaretque, quem postremum forte retinuimus, ingeniti pudoris reverentiam. Sic enim a parentibus nostris instituebamur, ut honestos etiam appetitus nostros, usque communi comprobatos condamus aut differamus, quoties adesse credimus qui illis offendi aut lædi possint. Sed jam nulla cujusquam verecundia, publica & privata, quæcumque ad uniuscujusque libitum isto fœtore inficiuntur. Nempe hanc etiam inter plures alias majoresque calamitates bello debemus, quos raro cujusquam boni caussa est, nisi quod malos, quod fecit, absumit.

C Sed longius ab instituto provehimur: redeundum est in viam; & ne frustra *tabaci* mentio exorta videatur, hoc exemplo docendum Mercurialem falli, dum putat nihil in consuetudinem abire, nisi quod voluptatem habet. Nam *tabaci* usus ejus adeo videtur expers, ut neminem umquam audiverim tentasse, quin naturæ suæ vim fecerit. A calido autem potu tantopere abhorrere non possumus, cum iste primam sitim nostram exceperit: sed & postea constanti consuetudine calida comedendi proxime absumus a potu calido: quid enim interest esu calida an potu deglutiantur: & certe D jusculа illa quæ cum cibum capimus ferculorum pompam fere ducunt, quantum distant a potu? Sane videor mihi videre quædam in illis antiqui moris vestigia, præsertim cum Hispani ipsum adhuc vocabulum *Caldo* conservent: quin & Galli nomen *Potage* jusculis istis a potando; nostrates a sorbendo *Suppen* dedere. Itaque nunc etiam per totam prope Germaniam alias cerevisia, alias vinum calida bibuntur, crebrius atque copiosius quam ut medicamenti caussa sumi credas. Sed redimus ad Plinium, ejusque sententiæ contrariam Platonis auctoritatem opponimus, qui non modo calidos potus agnoscit, sed eorum etiam natura- E lem caussam atque rationem reddit lib. IV. *de Repub.* Ἐὰν μὲν τὶς θερμότης τῷ δίψει προσείη, τὴν τοῦ ψυχροῦ ἐπιθυμίαν προσπαρέχοιτ' ἄν· ἐὰν δὲ ψυχρότης τὴν τοῦ θερμοῦ. *Siquidem calor siti insit, frigidi appetitum præbeat; sin frigiditas, calidi.* Constat igitur principium hujus moris indagantibus ex ipsa natura, adeoque ipsa mundi nascentis origine repetendum esse. Nam primo omnium, ut diximus, *Quisquis exit in lucem, jussus est lacte esse contentus*, Seneca *epist.* XX. quo deficiente quærendus fuit alius humor, quo sitim restinguerent. Et hodie quidem ablactandis pueris interdum calefaciunt F aquam, donec paulatim ad frigidæ communem usum deducantur. Tum autem inter istam orbis infantiam ne rationem quidem aquæ calefaciendæ suspicati sunt, ut quidem verisimile est, argumento ærariæ artis, cujus inventorem Thobelem Josephus *Antiquit. Judaic.* lib. I. cap. III. facit decimum ab Adamo: sed eam par est non multo posteriorem fuisse ignis ipsius invento. Naturalis enim ratio monstrat, cum primum ignis repeliretur, mortales novitate rei attonitos, durissima quæque injecisse, ut experimentum facerent, an ista quoque ejus violentiæ cessura essent. Atque ita metalla forte injecta cum liquefieri, dein cessante igni ad solitam duritiem redire cernerent; figuram autem retinere qualem fortuita soli inæqualitas superfusis impressisset; haud difficile fuit ad eam formam excogitare fusoriæ artis præcepta. Sed inter istam orbis infantiam ad frigidam statim decursum est. Nec enim arentes ad fauces quicquam reperiebatur præsentius: & quamquam frigore offenderet, sitis tamen vicit ut ingurgitaretur. Eoque tandem haud dubie effectum est, ut jam frigidam cum voluptate biberent; nec tamen exinde calidos potus abolitos fuisse persuadere mihi possim; quin inter primos statim homines frequentarentur. Videtur enim lactis usus non alia occasione repertus esse, quam urgente siti, dum incustoditas tum regiones pervagati greges pastorem in campos traxere, ubi aqua vel nulla erat, vel si qua erat latebat, aut denique reperta sordibus & illuvie inquinata erat. Cernebant interim passim agnos matrum uberibus hærentes, & agnoscebant exemplum depellendæ sitis: quin & se quondam ad eam formam lactatos fuisse, a parentibus didicisse poterant: fratrum etiam suorum atque sororum infantiam viderant. Lac igitur hoc modo bibere didicerunt: quod inter initia calidum absque dubio bibere: deinde & refrigeratum: nam butyrum, caseumque, & quicquid ciborum lacte conficitur, prima haud dubie necessitas admonuit; deinde causa adjuta ratio, & experimentis confirmata, corruptionis injuriam in artem & usum vertit. Quomodo Septemtrionalium quidam, quibus mirus apium proventus est, ceram primo abjicere solebant; donec externis navibus conquiri avehique cernerent: tunc intellectum, esse rem humanis usibus idoneam. Casui igitur, qui (ut ait Plin. *lib.* XXVII. *cap.* III.) *plurimum invenit in vita*, & ista tribuam, & quod aqua calida potari cœpit. Non eadem ubique quæ nobis aquarum abundantia est: multum terrarum, quas propior Auster urit, arentibus late campis squallet: non modo qua omnino deserta sunt, sed interdum loca cultu hominum frequentia, magna aquarum penuria conflictantur. In Soatris Lycaoniæ vendi aquam Strabo *lib.* XII. notat. Idem in Africæ Ægyptique partibus accidere JCti *l.* I. *l.* 14. *de aliment. leg.* Syria *egena aquarum regio* Tacito *lib.* XV. *cap.* III. dicitur: sed ibi primorum hominum sedem fuisse non ambigitur. Cujus de ariditate passim in Sacris etiam Literis occurrunt indicia: ut pastorum ob puteos, quos foderant aut repererant, frequentes rixæ, *Gen.* XXVI. 20. Josephus a fratribus in cisternam aqua carentem demissus, *Gen.* XXXVII. 22. In simili cisterna a Banaja leo interfectus, II. *Reg.* XXIII. 20. qui, ut verisimile est, potus causa eo descenderat. Id cum ita se haberet, cogebantur longinquum iter inituri secum ferre aquas, exemplo Agaris, *Gen.* XXI. 14. quas certe per regiones æstu nimias proficiscentibus necesse erat ardore solis excalescere; quod hodieque sæpenumero navigantibus usu venit. Imo multa exempla leguntur eorum qui siti perierint. Et inprimis memorabile est quod Leo Afer recenset *lib.* I. *cap.* XXVII. in deserto Azaod reperiri duo epitaphia marmorea, alterum divitis cujusdam mercatoris, alterum aurigæ, qui ambo siti extincti sunt: cum prius auriga mercatori cyathum aquæ ejusque ne naturalis quidem, sed e cameli intestinis expressæ, 10000. ducatorum vendidisset. Igitur accidere poterat, ut iter facientes, & siti confecti dum aquam quærunt, calidam reperirent: sicut Ana *Gen.* XXXVI. 24. asinas a grege aberrantes quærens, invenit את הימם quam vocem aliqui pro aquis calidis explicant, quod Punico idiomati convenire Hieronymus te-

statur, aliis diverse interpretantibus. Certe calidarum aquarum multis in locis magna vis scaturit: ut Hierapoli, quæ, ut asserit Strabo *lib.* XIII. tota fere plena erat τῶν αὐτοματων βαλανείων, *balneorum sua sponte scaturientium*: quin & agri ea rigabantur, ut Vitruvius VIII. III. & Ulpianus *lib.* I. *de aqua cottid.* asserunt. Eæ igitur necessitates effecerunt, ut calida biberetur: quo semel facto, nihil proclivius fuit, quam ut frigidam, etiam cum haberi poterat, sponte calefacerent, sive studio novitatis, sive ut adversus fortuita se firmarent: etiam qui experti erant, adsuetudine, & quod eo potu nihil triste senserant, retinuere. Nec dubito quin mitescentibus jam moribus ultra necessitatem etiam ratio accesserit, colligentibus, stomacho, qui crudis cibis atque frigidis offenderetur, potus etiam calidos magis convenire quam frigidos. Calor enim vitæ quoddam vinculum est, quæ frigore solvitur. Hinc Aristoteles *Problem.* XV. X. Τὸ θερμὸν καὶ ὑγρὸν σώζουσιν· ὁ γὰρ θάνατος ἡ τούτων φθορά. *Calida & humida conservant; nam horum corruptio mors est.* Denique non absurdum est opinari hunc quoque morem confirmatum fuisse *Medicorum* (Plinii verba sunt *lib.* XIV. *c.* XXII.) *placitis novitate aliqua sese commendantium*: cum jam successu temporis in honore Medicina haberi cœpisset. Quicquid id est, certe calidi potus nihilo plus incommodi habere possunt, quam cibi calidi; eoque videtur utriusque inventio iisdem caussis processisse: nec credendum est, quæ consuetudo in cibo tantum potuit, ut homines, qui primitus nisi cruda & frigida non comedebant, nunc coctis atque calidis vescantur, ei in potum non idem licuisse. Quid igitur caussæ est, ut mos tot Auctorum testimonio confirmatus pro fabula aut monstro haberi debeat?

CAP. III.

USUS CALIDI POTUS.

SUPERSUNT pauca Veterum de potu calidæ loca, quæ in finem hujus opusculi seposuimus, quando jam inde a principio de usu ejus paucis acturos spopondimus. Sunt quædam humani corporis partes, quæ frigore immensum læduntur, iis igitur calidus potus utilissimus est: bene ergo concludit Pollux *lib.* VI. *cap.* IX. Ὅταν Ἱπποκράτης εἴποι τὸ ψυχρὸν πολέμιον νεύροισιν, ὀστέοισιν, ὀδοῦσιν, ἐγκεφάλῳ, δῆλον ὡς οἶδε τὴν τοῦ θερμοῦ προσφορὰν τοῖς ὀδοῦσιν. *Cum Hippocrates dicat frigida inimica esse nervis, ossibus, dentibus, cerebro, perspicuum est eum non ignorasse calidos potus dentibus utiles esse.* Pleistonicus vetus Medicus concoctioni promptiorem aquam esse, quam vinum judicavit, quem sequuti bibebant ἐν μὲν χειμῶνι καὶ ἔαρι θερμὸν ὡς μάλιστα· ἐν δὲ τῷ θέρει ψυχρὸν, ut est apud Athenæum *lib.* II. *hieme quidem & vere calidam potissimum; æstate autem frigidam.* Et mox: Ἐὰν δέ τις ὑμῶν τοῦτο δυσκόλως ποιῇ, γλυκὺ ὕδωρ ἢ θερμὸν προλαμβανέτω. *Si quis autem vestrum difficulter hoc faciat, dulcem aquam aut calidam sumat.* Eoque referri possit quod ex Platonis lib. I. *de Repub.* Stuckius citat; aqua calida intestina refrigerari, & appetentiam concitari. Mercurialis ait Medicos Græcos ad reprimendum renum fervorem caldæ potum ante alios cibos commendasse. Plutarch. *de tuenda valet.* Καὶ γὰρ ἂν οὐ διψῶντες ἄλλως δὲ θερμὸν ὕδωρ πίωμεν μετὰ τοὺς κόπους, καὶ τὰς διαθέσεις, καὶ τὰ καύματα. χαλάσματος καὶ μαλακότητος αἰσθανόμεθα περὶ τὰ ἐντός. *Etenim si etiam non sitientes aquam bibamus calidam a defatigatione, contentione virium, & æstu; sentimus internas partes relaxari & leniri.* Certe plurimum ea confert ad emolliendam alvum, non modo quod subtilior est, eoque magis penetrat atque separat, (τὸ γὰρ ὂν, ut inquit Timæus *de anima mundi*, θερμὸν λεπτομερές τε καὶ διαστατικὸν τῶν σωμάτων δοκεῖ εἶναι· τὸ δὲ ψυχρὸν παχυμερέστερον πόρων καὶ συμπιλωτικόν ἐστι. *Calidum enim tenuissimarum est partium, & vim habet atque facultatem corporum disparandorum; frigidum vero crassiorum est partium, & meatus constringit*) sed & quod vim habet eluendi purgandique: Athenæus *lib.* III. διότι καὶ τὰς χεῖρας ταχέως τὸ θερμὸν ῥύπτει, *quia manus etiam sordidas aqua calida confestim purgat*: ideoque post ficuum esum adhiberi debere credebant, persuasi, καὶ ἐν κοιλίᾳ συντόμως αὐτὰ τῷ θερμῷ διαλύεσθαι. Καὶ ἐπὶ τῶν ἐκτὸς δὲ σύκων τὸ θερμὸν διαλύει τὴν συνέχειαν αὐτῶν, καὶ εἰς λεπτομερεῖς τόπους ἄγει. τὸ δὲ ψυχρὸν συνίστησιν. *Etiam in ventriculo ficus e vestigio dissolvi: præsertim cum extra corpus nostrum aqua calida ficuum continentes partes distrahat, & in tenues portiunculas liquatas dividat: contra vero frigida illas contrahat & cogat.* Hinc apud Athenæum *lib.* III. Anthiphanes in *Omphale*; Ἐν χύτρᾳ δέ μοι Ὅπως ὕδωρ ἕψοντα μηδέν' ὄψομαι. Οὐ γὰρ κακὸν ἔχω, μηδ' ἔχοιμ'. ἐὰν δ' ἄρα Στρέφῃ με περὶ τὴν γαστέρα ἢ τὸν ὀμφαλὸν, Παρὰ Φερτάτου δακτύλιός ἐστι μοι δραχμῆς. *In olla mihi qui coquat aquam neminem aspicere sustinebo: non enim male valeo, & dii faxint ne valeam: verum si tormina circa ventrem & umbilicum cruciarent, adest a Phertato mihi drachma emptus annulus.* Itaque ægrotis plerunque dabatur calida: quo sensu Seneca *epist.* LXXVIII. *Omnia ista facile perferemus, sorbitionem, aquam calidam, & quicquid intolerabile videtur delicatis & luxu fluentibus, magisque animo quam corpore morbidis.* Quem locum Castalio suæ sententiæ stabiliendæ advocat, ubi contendit calidam non fuisse in deliciis, quia palam hic dicitur *intolerabilem visam delicatis*. Sed considerandum est Senecam loqui de ægrotis, qui plerumque, iisque præcipue morbis, quibus calidam dabant Medici, æstu interno vexati, calorem non in potu modo, sed etiam in cibo odio habent. Itaque Martialis *lib.* VI. *epigr.* LXXXVI. votum,

Et potet calidam, qui mihi laudat, aquam,

sic exaudio; ut morbum imprecatus sit ei, qui calidæ potum importune suadebat: cum ille fortassis, ut vario ad appetitus ingenio sumus, frigidam amaret. Sed eadem vi fovendi purgandique vulneribus etiam prodest calida, eaque apud Homerum saucio Eurypylo adhibetur: quamvis enim ibi Poeta voce *tepidi* utatur, ostendit tamen Athenæus *lib.* II. eum ita vocare calidum. Ab eadem ratione est quod pleraque medicamentorum tam internorum quam externorum calida adplicantur. Inde & balnea commendabantur. Porro aquis a fonte calidis plerumque alia etiam vis accedit, quæ usum earum commendet: de Cutilia Plinius *lib.* XXXI. *c.* VI. *Aqua calida bituminata, aut nitrosa, qualis est Cutilia, utilis est bibendo atque purgationibus.* Inde etiam hodie valetudinis causa thermas bibimus. Ubi tamen vitandus est eidem Plinio notatus *error*, *quo quidam plurimo earum potu gloriantur*. In universum cum inter omnes constet frigidam plurimum obesse tum aliis partibus, tum præcipue stomacho, per eadem fere vitia, quæ per ignem excoquuntur, facile intellectu est calidæ usum non sane spernendum esse, quamvis crebra temporum morumque mutatione in desuetudinem abierit.

F I N I S.

ADRIANI TURNEBI
DE
VINO AC EJUS
USU ET ABUSU
LIBELLUS.

ADRIANI TURNEBI
DE
VINO AC EJUS
USU ET ABUSU
LIBELLUS.



EQUIDEM non dubito, quin hic meus liber, vino iniquior, multorum in me partim odia provocaturus sit, partim risum lacessiturus. Nam qui sine vino vitam degi non posse putant, & ipsi vivere recusant, plane pro generis humani parricida libri auctorem existimabunt, & pro vino libentius, quam pro aris & focis pugnabunt. Qui autem paulo æquiores erunt, tamen insolentia scriptionis perculsi, rem ludibrio habebunt, & inter ea ingeniorum prodigia numerabunt, quæ magno hominum malo ætas nostra tulit. Ac vereor, ne me non satis sanum esse censeant, qui id damnare instituam, notata prope orbis terrarum vita, cujus inventor a grata posteritate propter beneficium eximium olim consecratus sit.

Sed dum publice prosim, tanti mihi fuerit hominum in me vel odium, vel ludibrium, quæ nunquam apud me potiora veri conscientia erunt: nec si quis ad scribendum accedit, ut vitam juvet, assentationi potius, quam veritati servire debet. Qui patrocinari hominum voluptati cupit, fabulas doceat, ut in theatro spectatori plaudenti risum aut fletum moveat. Qui vitæ prodesse magis, quam placere cupit, hominum judicia nihil moretur, quæ in tanta morum pravitate corrigenda potius, quam emerenda sunt. Vereor etiam, ne quis me non ex animi sententia ista scribere, sed jocose ludere dicat: cum præsertim a vino sodales & gregales mei me calamo alieniorem, quam poculo prædicare possint. Non defuturos etiam reor, qui me non sobrium, sed madidum & temulentum ista scripsisse dicant, aut ex pridiana crapula languentem vini noxam hoc scripto vindicare jactent. Per me cuique fuerit tam liberum judicare, quam mihi scribere: neque recuso, quo minus me ex eo hominum genere existiment, qui meliora probant, deteriora sequuntur. Sic vita est hominum, præsertim hoc tempore, ut facilius, qui vitia accusent, reperias, quam qui virtutem sequantur.

Ego a tempestivis conviviis & vini compotationibus non perinde abhorreo, ex quibus hoc tamen boni mihi consecutus videor, ut quid vinum noceat imprudentium exemplo, meo potius, quam aliorum periculo didicerim. Alii suam forte vinolentiam semper amplexentur, neque ad sobrietatem unquam resipiscant, vinum in omni sermone in deliciis habentes, etiam extra convivium prope temulenti: ego ex eo hominum genere sim, qui vini illecebris capiantur, & ut humana sunt, insidioso hosti latus apertum præbeant: tandem tamen aliquando, quanquam sero, intelligant, quanta insint in vino incommoda.

Ac si quis, ut paulo ante dixi, me non eam ad scribendum religionem, quam ad testandum afferre putet: scio enim hominibus nostris vix probari posse, ullum in orbe terrarum vini osorem esse, is judi- A cium omittat meum, verum ipsum per se expendat, quod non testimoniis hominum, sed momentis rerum ponderandum est. Si quis autem hic auctoritatem potius eorum, qui valetudini tuendæ præsunt, quam nostram sententiam requirat, is sic habeat, me non ita rudem & imperitum hujus artis esse, ut non & ipse per me aliquid invenire, & de aliorum in hoc genere scriptis existimare possim: neque si quid ipse viderim, aut salutariter excogitarim, exspectandam aliorum potius mihi scripturam fuisse, quam meam primo quoque tempore prodendam, cum omnes in medium sua libenter conferre, & de B suis civibus & popularibus omni ope bene mereri velle debeant. Misera autem nobis vitæ conditio proponitur, si ita circumscribamur, ut cum sine Medico esse & bibere possimus, sine Medico nostram de cibo potuque sententiam declarare non ausimus: cum illic magis nostra intersit Medicum adhibere, hic res intra verba sine periculo consistat. Quid quod eam miseram & deploratam esse vitæ rationem ducimus, quæ ex Medicorum præscripto & formula degitur? Ergo ut ejus artificii sum indoctior, eam meis scriptis homines veniam quæso tribuant, quam suæ vitæ libenter indulgent, nec a scriptore medicinam magis, quam a potore flagi- C tent: quanquam nominare possim, si necesse sit, ex nobilissimo Medicorum collegio primarios homines & claros, hujus disputationis meæ approbatores, quorum nominibus parcam, fraudaboque potius me eorum testimonio, quam eos nonnullorum invidiæ objiciam. Facessat hinc ista insimulatio: Medicus non est: resque ipsa potius quam vocabula hominum putentur: cum præsertim soleant Medici servire locorum & hominum consuetudini (quo enim alio pacto curarent?) & alimenta usitata pro bonis habere: ipsi a consuetudine, ut philosophia postulat, aliquantum nos abducemus, & non quid fiat, sed quid fieri oporteat exquiremus: eaque præcepta D edemus, quæ si homines sequantur, non valetudinem solum tuebuntur, verum etiam diuturniorem vitam colent. Nam ut is sum, qui mortali corpori æternitatem adjici non posse putem, ita censeam alimenta quædam esse, quibus vitæ additur, quædam quibus demitur. Atque medicinæ munera esse credo, non solum, quæ plerique pollicentur valetudinem secundam conservare, adversam profligare: verum etiam hominum vitam propagare, & corporis dignitatem & formam hominibus parare.

Etenim cum viderem nonnullis in regionibus homines esse & procera corporis facie eminentes, & ævo vivaci fata prorogantes: in aliis, homines E brevitate staturæ pusillos, & angustis vitæ curriculis circumscriptos esse, mihi causam hujus rei quærendam putavi. Statuere enim non poteram, tantæ rei non aliquam esse magnam gravemque causam, cum sine causa nec Deus optimus maximus, nec parens rerum Natura, quicquam generare soleant. Nec mihi probari potest eorum hominum ratio, qui id omne cœli inclinationi acceptum esse ferendum putant, cum habitus cor-

poris insignia discrimina in pari cœli plaga tractuque videamus, ut id non ex cœlo, sed ex alia causa haurire videamur. Sed illi sic rem constituunt: immanes corporum proceritates gigni in distantibus mundi oris, exusta & glaciali, illic ex caloris nixu supera capessentis, hic ex alimento humoris corpora diffundentis: medio in tractu modicum corporis habitum gigni, humore & calore temperatis. Significari ab iis puto Æthiopes eos, qui *Macrobii* vocabantur, quos omnium mortalium celsissimos, & pulcerrimos fuisse historiæ tradunt, & Germanorum populos præstantia corporum excellentes. Attamen & in Æthiopum cœlo breves Pygmæi nascebantur, & multis gentibus eundem cœli, quem Germani, spiritum ducentibus parem staturam natura non largiebatur, ut cœlum aliquid, non tamen omnia posse videatur. Ac si cœli potissimum hoc loco ratio habenda sit, magis adolescere oporteat gentes medias incolentes plagas, quam extremas. Ut enim ad procreandum accommodatissima est caloris & humoris temperies, ita quoque ad incrementum promovendum calore efficaci, humore sequaci, cum ad septentrionem frigus, ad austrum siccitas impedire videatur: ita fieret, ut benignitate cœli mediæ inclinationes proceriora corpora hominum gignerent, quam ultimæ. Sed profecto ille nimis longe causas reperit, qui ex cœlo ducit, cum multæ sint citeriores & propinquiores, quarum prætermissio semper mendacii Astrologos condemnat, qui ut in mutis brutisque animantibus, quod tamen non concesserim, ex cœlo ista decernere possint, naturam semper eandem sine varietate obtinentibus, tamen in homine, cujus vita tanta victus cultusque varietate distincta est, tanta dissimilitudine legum, institutorum juris notata, tanto artificiorum & disciplinarum discrimine insignita, tanta voluntatis libertate donata, nihil ex cœlo, nisi temere & mendaciter, affirmari potest.

Ergo non magis extremis, quam mediis cœlum favet, cum alios immodico vapore, alios immani frigore urat, medios propitia utriusque moderatione foveat, ad procreationis & amplificationis commoditatem: illud potius exquiri debuit, quæ cujusque populi vita, quæ alimenta. Ex iis enim incrementi causas facile perspicere potuissent. Ut enim in mari majores belluas nasci videmus, quam in terra, propter ipsam elementi liquidi sedem, & humoris luxuriem, ita quoque in terra pro rata portione evenire judicandum est, ut ex alimento & sede corpora magis aut minus augescant. Non videtis prope perennes aquarum rivos, quam læta stirpe pubentes adolescant arbores, in arena soloque salso maligno proventu exiles & retorridæ plantæ vix exsurgant? Sic quoque nobis de hac, ut Plato ait, inversa arbore, id est, de homine, judicandum est, cui soli loco alimentum est. Ut enim e solo stirpes alimentum eliciunt, sic homines ex eo, unde pastum capessunt.

Quis igitur Æthiopum erat illorum cibus, quos Herodotus omnium hominum pulcerrimos & altissimos fuisse scribit, ex eodem scriptore scire possumus. Illis enim cibo fuisse carnem coctam narrat, potui lac & haustum aquæ, cujus tam tenuis esset liquor, ut in eo omnia, quamvis levia, siderent: censeas Herodotum a Gallicis scriptoribus fontem Juventutis celebratum cogitasse. Senectutis enim ad annos centum viginti vivacis causam in solo fonte prope putat: ego in omnibus, cum lac & carnem elixam alimenta naturæ jucundissima & accommodatissima intelligam. Itaque non dubito, quin si qui populi his præcipue vel solis uterentur, juventutem essent nobiliorem & generosiorem indole corpo-A rum summissuri, nec in sobole ea corporum detrimenta sensuri, quæ quotidie cernimus semper in diminutionem carpente liberos posteritate. Ac qui eum victum instituunt, si proceri sint, non dubito, quin paris staturæ liberos generaturi sint.

Quis autem Germanorum victus tum fuit? tota illa regio vitem ignorabat, potui erat humor ex hordeo aut frumento in quandam vini similitudinem corruptus, vino certe minus noxius: cibus simplex, agrestia poma, recens fera, lac concretum, pecus. Ab iis alimentis, ut Tacitus ait, in B eos artus & ea membra excrescebant, quæ omnes mirabantur. His causis etiam annumerarim, totam fere tum Germaniam, aut paludibus occupatam, aut sylvis opacam fuisse, ut humidiore solo auctiora quoque corpora evaderent. Scio istam vitæ rationem a præstantissimis scriptoribus, quod a Græcorum lautitia & munditia alienior esset, ita damnatam, ut se, quæ de valetudine tuenda scriberent, Germanis scribere negarent. Ego vero, quando elegantia potius hominum opinione, quam veritate constat, eaque non solum animi, sed etiam corpora effœminantur; ad meos traducere mallem illam vitæ rationem, quæ speciosissima & C firmissima corpora redderet, quam eam retinere, quæ turpia & imbecilla & propemodum morbis proxima, specimenque potius hominis optime temperati ex Germanorum corpore, quam Græcorum sumpsissem, apud quos tum vix temperatum hominem esse potuisse credo. Et tamen illi hominum magnitudini cœlum officere videtur, quod horridum & gelidum est.

Argumento esse possunt pecudes, quæ illic pusillæ & degeneres, ut Tacitus ait, nascebantur: multa vero animalia ne nasci quidem possunt, quæ in calidioribus locis facile proveniunt, & in nonnullis tanta magnitudine adolescunt, ut in India D dracones suis voluminibus facile vastos elephantos ambiant, & circumplicent: vermes ad LX. cubita crescant, elephantosque abstrahant: formicæ lupos æquent. Ergo illum corporis auctum alimento, non cœlo, acceptum ferre oportet.

Græci autem scriptores medicinæ, nec suorum corpora fingere, ne pro imperio, legislatorum more, aliam vitæ rationem præscribere potuerunt: in eo victu cultuque, quem apud suos obtinere viderent, acquievere, & quod boni artificis est, præstitere, ut pro conditione hominum, temporum, ciborum, medicinam exercerent lau-E datissimam. Quod si illam humanitatem convictus Græcorum, illam elegantiam, qua animi & corpora franguntur, commendabunt, simplicem autem & naturæ congruentem Germanorum illius temporis vivendi rationem, contumeliosis verbis barbariem & inhumanitatem appellabunt & damnabunt, nec a mea sententia plurimum discrepabunt. Quod si suorum corpora & illorum comparassent, quantum inter utriusque cibi elementa interesset, intellexissent, magisque rerum argumentis, quam receptæ opinioni fidem habuissent. Quod utinam suis commentariis homines doctissimi essent complexi, quo cibi po-F tusque genere amplissima corporum dignitas, præclaraque facies pararetur; equidem ista præcepta non in postremis putarem ducenda. Ita enim generosa juventute populi florerent, & corporibus ad pacis bellique artes idoneis & valentibus uterentur.

Nunc quotus quisque ita corpore constitutus est, ut illis muneribus par esse possit: cum plerique vix hærere videantur, parvis & defectis corporibus exsangues, abortivi prope partus, non solum macie extenuati, verum etiam brevitate de-

A formes? Ista corpora nobis sana quisquam persuadebit?

Homines nobiles venationis studiosos videmus, diligentissime & prope fastidiose deligere, quem admittant canem ad pulcram sobolem sufficiendam: eadem quoque atque adeo major est cura in admissura equorum, ut generosi tollantur pulli: quanto magis operam dare deberent Principes, ut præstantem haberent pubem, quæ ipsis & præsidio esset & ornamento, certa educatione constituenda, cibisque præscribendis, qui staturæ potius adderent, quam detraherent. Ex his igitur, quæ posui, satis esse perspicuum arbitror, in æstuosa & B gelida plaga, proceritatem corporum cibo potius, quam cœlo ascribendam esse, atque in utraque potius ad brevitatem adjumentum esse, quam ullum ad proceritatem commodum.

Sed & naturæ prudentissimus Hippocrates illis in locis, in quibus aeris status clemens est & temperatus, felicius augescere corpora scripsit, ut in Asia multo formosiores & celsiores nasci homines, quam in Europa: cum in illa modico tempore quæcumque nascuntur excepta, blandi aeris mollitie modice laxata evocentur: in Europa auræ frigore constricta & quodam stupore torpentia crescere prohibeantur. Quod si homo omnium animantium, ut C constare fere video, optime temperatus est; quis non censeat eum in optima & ipsius temperamento conveniente aeris constitutione, non solum commodissime conservari in suo statu, verum etiam ad incrementum egregie proficere? Nisi forte quis in sede contraria, ac loco repugnante, cujusque incolumitatem & salutem esse positam putat: quam Empedoclis sententiam fuisse animadverti, ex caloris copia pisces censentis in frigidum elementum demersos esse. Sed eam ab omnibus doctis merito explosam esse video, cum familiaris cuique sedes, quam contraria, salutaris magis esse videatur. Ac non dubito, quin olim illis in locis, quæ tanta mo D deratione caloris & frigoris prædita sunt, eximiæ staturæ provenerint, postea mutato victu sensim diminutæ decreverint in posteris: cum in Græcia, quæ Asiæ comparanda non est, heroicis temporibus egregia hominum altissimorum robora extiterint. Itaque literis mandatum est, heroas fere illius ætatis demum cubitum altitudinis fuisse. Refert Philostratus, cum bustum Ajacis æstu maris, quo alluebatur, vitium fecisset, in eo visa esse ossa herois duodecim cubitos longitudinis æquantia: effossa quoque e sepulcro Orestis ossa septem cubitorum fuisse narrantur: Hylli quoque Herculis filii immanis magnitudinis ossa reperta fuisse ajunt, multa- E que alia ejusdem generis memorare possem, quibus supersedere decrevi, fastidiq lectoris occurrens.

Certe illa tempestate eximia præstantium corporum robora fuisse, Hesiodus & Homerus, qui prope ab illa ætate fuerunt, in poematis canunt. Alia subinde decrescentium corporum a Philosophis quibusdam ratio refertur. Nam magni illius anni, qui conficitur, cum sidera longinquis temporum intervallis eandem descriptionem cœli comparationemque inter se retulerunt, hyemem esse quandam tradunt & æstatem, ut hujus nostri vertentis: hyemem autem illam aquarum diluvione omnia inundare, æstatem flammeo vapore omnia exurere: ergo cum in F illam æstatem, ut censent, nunc properet mundus humore decrescente, non injuria ubertatem seminum sensim exsugi & exarescere. Istud a Philosophis illis subtiliter & ingeniose magis excogitatum dixerim, quam vere. Nam si in vices illius æstatis mundus pergeret, tepidiores subinde sentiri hyemes oporteret, ardentiores æstates. Atqui illas non minus nivosas, quam majores nostri, experimur, nec has æstuosiores: ac ver non minus pluvia gravidum ad alenda semina videmus. Quod si consumeretur lenta quadam temporis tabe seminum humor; an non obsecro illorum seminum, quæ ita individua & minuta sunt, ut oculorum aciem prope effugiant, oporteret multis ante sæculis procreationem cessasse? Quantulum enim in illis humoris latet? Attamen in cupressi globulis delitescentia granula, quas arborum magnitudines hodie etiam pariunt? illæ ficuum κεγχραμίδες quæ vocantur, a milii, ut opinor, exilitate, quæ nucleo tantillum humoris continent, nonne jampridem exarescere debuerant, & genitali humore consumpto, effœtæ & steriles ad gignendum esse? Non est ea vis astrorum, ut exustionem & deflagrationem inducere possint: quandocunque ea eveniet, momento eveniet, Dei opt. max. numine. Unde enim sideribus tantum ardoris, ut hæc omnia exurere queant? quem si hodie non habent, unde mutuo sument? nisi quis in unum coitura dicat, ut partitum hodie calorem tum in unum incendium conferant. Salutaris & genitalis est iste siderum fulgor, nec tam rerum consumptor, quam auctor & procreator: proinde ne quis ea pro incendiariis habeat, mundum lustrantia, ad excitandam & fovendam rerum vitam. Tantum autem abest, ut de siderum injuria conqueramur eam in partem, ut sæpenumero nimio humore madentia & uda semina vitiari doleamus, non satis sicca æstate. Quid quod hyeme & primo vere, uligine soli redundantis ea videmus interdum enecari. Non igitur ab exustione commentitia accersi debet decrementi causa, sed alia verior & certior exquirenda est.

Stoicorum ratio refutata est, proxima Epicureorum sequitur. Ii enim mundum censent longo temporis situ confectum consenescere, effœtisque prope elementis, vix exigua gignere animalia, quæ ante maxima ediderit:

Jamque adeo (inquit Lucretius) *effœta est ætas, effœtaque tellus,*
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Additur veterum agricolarum querela, minus benigne suo voto terram respondere hodie quam olim prædicantium:

Jamque caput quassans grandis suspirat arator,
Crebrius incassum magnum cecidisse laborem,
Et cum tempora temporibus præsentia confert
Præteritis, laudat fortunas sæpe parentum.

Sed iniqua profecto conquestio est ista & existimatio censentium mundum consenuisse, quem quotannis revirescere & repubescere videmus. Ac si consenesceret vetustate mundus, non minora edere, sed nulla gignere deberet, cum senectus intelligatur potius ex procreandi sterilitate, quam sobolis parvitate.

Quod autem in animalibus evenire disputant, cur non etiam docent in stirpibus contigere? Se mundus senio & consumptione sui alit, partiumque aliquarum accessiones & decessiones vicissitudine quadam, Deo comperta, hominibus ignota, alias partes integrant, & mundum recreant ac renovant, mutuis ultro citroque dispendiis & compendiis semper renascentem. Sed Epicureorum de re quaque sententia nullam auctoritatem nullumque pondus habere debet, quos equidem fere in philosophia artem ludicram exercere video: ita ridiculæ ab iis afferuntur causæ, ut risum plerumque captare videantur.

Ego rem non tam alte repetendam, sed, ut ante dixi, a propiore causa ducendam esse censeo, ut a cibo & potu: quorum genera, quæ ad corporum amplificationem valeant, quæ officiant,

si cognoverimus, profecto intelligemus, unde ista hominum brevitas, quæ etiam fati corripuit, ut Flaccus ait, gradum, contracta sit: cum quæ integra natura prædita sunt, quam quæ imminuta aut vitiata, ad longam vitam accommodatiora sint. Ergo, qui cibus & potus suate vi humidus est, modiceque atque adeo intra modum calidus, qui dulcis & jucundus, auctiora hominum corpora & formosiora reddit: qui siccus, qui calidus, qui acris & amarus, aliisque saporibus imbutus est, sœculis volventibus staturam imminuit. Ac sapores omnes præter dulcem prope medicati sunt, medicamentaque aut condimenta censeri potius, quam alimenta debent. Ejus rei fidem facit sanguis, proprium & propinquum alimentum, qui dulcis est, alia omnia, quæ sapores acriores & vehementiores gustu significant, naturam immutant, nec antequam edomiti sint, alunt. Quod profecto quadam dimicatione efficitur, in qua victrix tandem natura, tamen non leviter ipsa tentatur. Dulcibus quidem ita natura gaudet, ut propemodum quicquid crescit, non aliunde pascatur. Ita fit, ut quo quicque remotius ab hoc sapore est, eo quoque magnitudini malignius indulgeat. Quæ res tam longe lateque patet, ut stirpes miti sapore solo prope tolerari sustinerique videantur. Nam, ut optimus poeta scribit:

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.

Itaque ex omni stirpium genere vix unum & alterum reperias, quod alio, quam mansueto sapore feliciter proveniat. Etiam genus omne natantum, quod in salso mari nascitur, tamen grato & dulci alimento, quod in illa salsedine latet, nutritur. Eam autem efficacitatem alimenti & incrementi in dulcibus esse, lactis suavitas ostendit, tacitis naturæ argumentis, quod ipsa animantibus recens natis cibu comparavit; ut si naturæ sectam sequamur, & admonitionem intelligere possimus, quæ sint hominibus alimenta maxime salutaria & salubria.

Itaque, quæ gentes nomadicam & pastoritiam vitam colunt, formosioribus hodieque corporibus visuntur, & quæ nationes plurimum lacte, butyro, caseo utuntur, corpora gignunt pulcriora: illique homines tam salubribus & vegetis utuntur corporibus, ut Medicis prope nihil egeant. Ferunt in Taprobana insula homines fuisse, qui reliquis omnium regionum magnitudine corporum antecellerent: quibus vel centesimo anno mors immatura esset & acerba. Eam autem insulam tum vites ignorasse, pomis abundasse. Nonnullæ quoque terræ earum, quas patrum nostrorum ætas aperuit, homines habent Giganteæ proceritatis, quos equidem non dubitem fructibus & lacte ac pecore vesci, vinum in usu non habere. Contra, quæ regiones vino abundant, exiliora & turpiora minoraque gignunt corpora. Nam cum sit vinum liquidum natura, vi tamen & potestate calidum & siccum, eo se homines horis prope omnibus ingurgitantes, nec alium potum adhibentes, intempestive ea siccant, quæ leni humore irriganda & diluenda erant. Eorum enim compage, quæ corpus fulciunt, statura summa constat, quæ si diutius humida serventur, sequacia & lenta promptam ad incrementum mollitudinem & facilitatem habent: sin cibo aut potu immature desiccata durentur, contumacia & rigida sursum erigenti nativo calori non parent. Interius igitur, quam oportet, insistit accretio, minusque corpora augescunt, cum rigor ossium & durities ultra extendi non possit. Posteaquam enim saxeam quandam adepta sunt soliditatem vi, caloris excitata prodire nequeunt.

A Igitur igneus quidam vini ardor ossa nimium siccat, neque quam vinum capitaliorem staturæ dignitati infestioremque pestem existimo. Nam ut eam alia quoque multa lædant, nihil tamen deterius de ea, quam vinum meretur, cum calore quodam præditum sit a natura alienissimo. Etenim animantium calor lenis est, mitis, blandus: vini calor ex putredine quadam natus sentitur asperior, acrior, ferventior, & humori inustus, ut calci suus ardor. Quæ cum ita sint, an quisquam mihi canet?

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub ulmo.

B Ego vero vinum esse nullum innocens puto, quod tanta diminutione corporum humanum genus notarit. Quid? quod haustum ita per omnes venas permanat, ut suam crapulam per totum corpus diffundat, minimum a ventriculo mitigatum. Nam si quid aliud aliquando nocentius sumpseris, in ventriculo plusculum hærens edomatur, noxamque amittit magna ex parte: vinum celeriter suum virus quoquoversum spargit pene integrum, cum in ventriculo prope non retineatur. Esse autem medicamentum potius, quam cibum, quis non ex immutatione sui eo exhausto sentit. Quod si damnantur mensis interdictæ escæ, illæ quæ medicatæ sunt, nisi immutanda potius natura sit, quam alenda, quis ingurgitandum semper vinum censebit, quod tantam affert mutationem, ut non eundem censeas? quis autem id jure non improbet, quod ad noxam tam efficax est, ut per nutricis corpus alumnos infantes non leviter afficiat? Et non putabimus vel legislatoris severitate, vel censoris animadversione opus esse, ut eo prohibeamur, quod quotidianis experimentis tam noxium sentimus! Quos enim nocturnos vapores anhelamus, ubi plusculum in cœna nos invitavimus? quam inquietam noctem traducimus, meritas voluptatis infaustæ pœnas luentes! postridie autem diffutis, ut cum Satyrico loquar, malis surgimus, ubi Falerni indomiti crapulam edormivimus, pendulis & fluentibus buccis marcentes, corpore languido & fracto vix incedentes, mirumque in modum nobis displicentes, & tamen nostrum amplectentes malum, ad eadem mox pocula redimus, languorem illum vino contractum vino pelli debere censentes.

Sic ætas nobis paulatim carpitur, corpusque causarium & putre in senium præcipitatur. Hinc morborum seminarium, & amplissima medicinæ seges, nihil tamen proficientis in corrupto & vitioso corpore. Pallor aliorum ora decolor inficit, velut vini sanie omnem veri sanguinis succum vel ebibente vel corrumpente: aliorum genas velut purpurisso fucatas videas, similes illi Pani, quem Virgilius scribit:

Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

Venas omnes meri medicata potio infecit, & ex eo turpi rubore ora hominum tinxit, ut locatione censorum miniatum Jovem esse censeas. Nervos autem, qui firmitatem corporis continent, ita vinum labefactat & tentat, ut, qui liberalius eo utuntur, in juventute tremulos senum artus habere videantur, enervato corpore. Sensus vero valde lædit, præsertim oculorum, quorum aciem tanquam suffusione quadam conturbat, eorumque, qui aquam potant, multo est acrior acies, quam vinum potantium, quod fumis crassis & turbulentis cerebrum totum opplet, cum tenuem auram & liquidam summittat aqua.

Mihi affinis est mulier septuagenaria major, quæ vino semper caruit: ea tamen nondum specillis utitur, nec minus facile, quam adolescentulæ, integris & vegetis oculis acum filo inserit. Ea si vinum potasset, languidiorem jam & morientem

aciem ſentiret. Hic ſi quis vini immoderationem reprehendi potius debere dicat, quam ejus moderatum uſum tolli; is reſponſum ſibi habeat, primum modum ſervari in vino non poſſe, ſi alio potu non utare. Ecquis enim non lineas tranſilit in eo, cujus quotidie cyathum guſtaſſe prope nimium ſit? Nunc quot trientibus in prandio & cœna, in jentaculo, merenda, comeſſatione, noſtram, ut Plautus loquitur, ætatem proluimus.

Noah ille, quem pietas mortali generi diluvione perituro exemit, qui reliquias animantium alveo natanti ſervavit, qui primus vini inventor fuit, qui primus vitem ſevit, qui primus ejus potor, quam fœdo ſtratus ſpectaculo, amiſſis ſenſibus, ſomno conſopitus profundo, nudatis, quæ honeſte nominari non poſſunt, filio ſuo ludibrio fuit. Deinde, ut vini uſum, quis modi item conſervationem mihi publicam perſuaſerit, in qua laborat ſapientia? Modum ſcilicet ſe ſervare oſtendunt decolores & pallidæ per urbis plateas reptantes larvæ, & vermiculati vultus, quorum color nonne viſcera intus corrupta indicat? Itaque integris ſaniſque interaneis, vix unum corpora diſſecantes & aperientes Medici reperiunt. Quid ego referam halitus fœtorem anima corrupta, & eam mephitim pulmonibus reddentibus, quam Averna & Charonia emittunt ſævi, ut Veteres putaverunt, ſpiracula Ditis? Hujus igitur peſtis, quæ vitalia exeſt, quis modus eſſe poteſt, ſi quotidie haurias? perniciem iſtam Veteres ſenſiſſe videntur, qui ſaccaro & nive vini vires frangebant, &, ut Plinius ait, caſtrabant, ut minus noceret: qui prima pocula non vino, ſed ne mulſo quidem niſi ex vino leni & molli, ducebant: ut lenitate præcordia & venas imbueret, & mulceret, & non acrimonia offenderet: ea propomata vocabant. Hinc illud Horatii:

Aufidius forti miſcebat vina Falerno
Mendoſe: quia nil vacuis committere venis,
Nil niſi lene decet, leni præcordia mulſo
Prolueris melius.

Multa quoque potionum genera dulciſſimarum inſtituerat, quas calidas educebant, ut tabernæ inde θερμοπόλια vocarentur. Ex quo Comicus dixit, *Murrhinam, paſſum, defrutum, mellinam, mel cujuſmodi, quin in corde inſtruere quondam cœpit thermopolium.* Cumque mulieres more Romano temeto carerent, aquam fere biberent, grandiores tamen natu dulcibus iſtis potionibus, in quibus temulentiæ nihil eſſet, uti poterant, ut Varro *de Vita patrum* ſcribit. Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram, aut ſapam, aut defrutum, aut paſſum, quam *murrhinam* Plautum quidam appellare putant, quo ex genere etiam moriola erat, paſſi ſcilicet lora. Varro, vino addito loram paſſi vocare cœpere moriolam: nominabant quod ex uvis expreſſum erat, paſſum: at folliculos reliquos & vinacia, eam dicebant ſapam.

At noſtrorum hominum palato nullus ſapor, niſi acer & mordax, placet: ut niſi puncti ſint, bibiſſe ſe neſciant. Et tamen dulcia iſta potionum genera, quæ retuli, ut ad ſalubritatem conducunt, calore tamen officerent proceritati: vinum & ſtaturæ juxta & valetudini officit. Illa autem, quæ ſibi ſeptentrionales populi ex frugibus humore maceratis in acorem vitiata conficiunt, minus utrique nocent. Argumento ſunt corpora illis in locis ſalubriora & auctiora. Nam ex habitu corporum certiſſima ducuntur hujus rei, ut opinor, argumenta: quanquam in eo potu putredine quæſita acrimonia, quæ mentem etiam ſauciat nonnihil, lædit minus tamen, quam vinum. Eſſe autem maximam in vino vim ad dignitatem ſtaturæ corrumpendam, docent illæ provinciæ, quæ multis jam ſæculis vites habent, quando longinquitate & vetuſtate detrimentum magis ſentitur, olim non habuere. Multis ſæculis Gallia vitis ignara fuit, primumque vino illecta juventus Gallorum, quæ nova illis voluptas erat, ſedibus excitata ſuis in Italiam profecta eſt. Multis poſtea annis Gallia Narbonenſis populi Romani provincia facta, vitem primum habere cœpit, Julioque Cæſare res in Gallia gerente, aliis in Galliæ regionibus nullus fere vitis palmes erat. Tremellius quidem, qui Cæſare res in Gallia gerente exercitum duxit, cum apud Varronem ait, aliquot regiones ſe intus ad Rhenum acceſſiſſe, ubi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur, ſignificat illic non modo vinum preſſum non eſſe, ſed ne ſtirpem quidem ullam vitis reperiri, quæ etiam ſine cultu naſci poſſet. Non multo poſt Julium Cæſarem in Arvernis & Sequanis conſitæ ſunt. Domitianus poſtea Imperator, ne quis in Italia novellaret, & ut in provinciis vineæ ſucciderentur, edixerat: quod ſalubre edictum non tamen exequi perſeveravit, partim adductus minacibus libellis, qui cum his verſibus ſparſi erant:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Οσσον ἐπὶ σπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

partim legatione Scopeliani Sophiſtæ, quem hac de re Aſia publice miſerat, partim cavillatione impoſtoris Thyanei, qui a Domitiano eunucham reddi tellurem cavillabatur. Exiſtimo tamen nonnullis provinciis non multo poſt vineas ademptas eſſe. Alioqui Aurelius Victor non ſcriberet, Probum Imperatorem Gallis & Pannoniis vineas habere permiſiſſe: quod etiam Vopiſcus ita ſcribit: *Gallis omnibus & Hiſpanis & Britannis hic permiſit, ut vites haberent, vinumque conficerent.* Imperante Juliano Parabate, cœlum Pariſinum jam vitem ferebat, ut ſcribit ipſe in *Miſopogone:* ſed, ut opinor, raram, nec ex qua vinum fieret: id intelligi ex eo poteſt, quod Ammianus, qui ſub eo militavit, Gallos vini quidem avidos eſſe ſcribit, multiplices tamen ad vini ſimilitudinem potus adulterare: ut conjectura ſit, tum quoque minus frequentem vini uſum in Gallia fuiſſe. Poſtea tandem per Gallias omnes, excepta parte Belgicæ, vitis vulgata eſt.

Nunc videamus, quæ ante vineas Gallorum ſtatura fuerit. Equidem non dubito, quin multi difficile factu exiſtimaturi ſint, modulum illorum corporum invenire, ſed nihil tamen facilius. Quæ enim Gallorum robora & corpora tum fuerint, facilis eſt ex Cæſare exiſtimatio. Is enim ita ſcribit, quibuſnam manibus, aut quibus viribus, præſertim homines tantulæ ſtaturæ (nam plerunque omnibus Gallis præ magnitudine corporum ſuorum brevitas noſtra contemptui eſt) tanti oneris turrim in muros ſeſe collocare confiderent? Nunc, ut opinor, nihil cauſæ eſt, cur ex magnitudine noſtrorum corporum aliorum brevitatem contemnamus, ut multis potius noſtra jam brevitas contemptui ſit. Idem quoque Livius confirmat, qui de Gallis ita ſcribit: *Gens eſt, cui natura corpora animoſque magna magis, quam firma dederit.* At Ammianus: *Celſiores,* inquit, *ſtaturæ, & candidi pene Galli ſunt omnes, & rutili.* Id ego aliorum quoque Auctorum teſtimoniis confirmarem, niſi ſatis eſſe teſtatum iſtorum auctoritate putarem. Ac nunc plerique omnes breves ſunt, multoque plures nigri, quam vel candidi, vel rutili, ut immutato victu, non ſolum corpora, verum etiam color degeneraverit: quam corporum imminutionem ſentiunt Germaniæ vitiferi tractus, in quibus malignius multo adoleſcunt corpora, quam in Saxonia, Friſia, Hollandia, vitem neſcientibus. Eandem quoque contractionem corporum multo ante ſenſerat Græcia, quæ tanto ante

ante vitem habuerat, ut Homerus non cesset queri subinde minores homines nasci. Itaque vastum molare facili nisu jactum a Diomede ait, quod vix suæ ætatis homines duo, ut narrat, terra moliri potuissent: quod ejus imitatione sic Virgilius cecinit, in majus etiam augens, velut æstimatione quadam decretionis ab Homeri ætate ad suam:

Nec plura effatus saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis:
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Idemque sequentem deinceps ætatem in ossium magnitudine effossis sepulcris perculsam fore scribit:

Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

Id utrisque Juvenalis credidit in eandem sententiam sic scribens:

—— nec hunc lapidem, quali se Turnus & Ajax,
Et quo Tydides percussit pondere coxam
Æneæ, sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, & nostro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero:
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

Homeri autem tempore, cum esset non admodum in Italia vitis, quanquam Virgilius ejus illic repertorem fuisse Saturnum tradit, eum vitisatorem vocans, stupendæ hominum staturæ erant, effosum ajunt Pallantis, Evandri filii, cadaver, æquasse longitudine altitudinem mœnium Romanorum. Hinc in Sicilia illa Cyclopum immania corpora, carne & lacte vescentium: etsi ait in Sicilia vitem fuisse, lac tamen, non vinum Cyclopes, cœlo capita alta ferentes, adhibere solitos. Ac ne in Græcia quidem tum plurima vitis fuisse videtur, cum in recensione exercitus Homerus tribus, ut opinor, tantum locis vineta tribuat, cum tamen videri possit ex sua etiam potius ætate id scribere, quam heroica: in Phrygia quidem jam frequens erat, quam ἀμπελόεσσαν appellat. Quanquam autem jam Romuli ætate vitis erat in Italia, rara tamen erat, nec Roma fere bonitatem vini intellexit sui ante DCXXXIII. annum ab Urbe condita, cum advectitio uteretur & transmarino, nec ulla esset vernaculo autoritas. Vitis autem a calidissimis profecta regionibus, paulatim quoquo versum serpere cœpit, & ex Asia in Europam transportata est: hominum genus, quacunque incessit, velut mutilans, & molem corporum imminuens.

Itaque non tantum in Italia Italorum corpora diminuit, verum etiam advenarum, Gothorum, & Longobardorum, quorum prægrandia corpora fuisse narrantur, & in Gallia Francorum ab Burgundionum, quos Sidonius *septipedes* (eo enim vocabulo utitur) appellat. Contra in regionibus, in quibus vitis staturam corruperat, postquam ex nefaria nefandi vatis religione hominibus vino interdictum est, minus jam decrescentibus corporibus, nostrorum corporum semper sublabentium comparatione, jam proceri & generosi nascuntur. Proceros enim hodie & amplos Africum cœlum generat, olim pusillos & exiles procreabat. Id ex Silio intelligi potest ita scribente:

Princeps signa tulit Tyria Carthagine pubes
Membra levis, celsique decus fraudata superbum
Corporis.

Ex quo perspici potest, quantum possit in utramque partem vinum, vel concessum, vel interdictum. Illam autem corporum brevitatem, quam affert, multa sequi incommoda neminem fallit. Ille sceleratus & capitalis veræ religionis hostis, qui suam impietatem armis longe lateque non pietate

A propagari volebat & sanciri, callide animadvertit quanta vis ad animos effœminandos in vino esset, ut sectatores haberet manu promptos & bellicosos, suis vinum perpetua lege ademit. Itaque quas de pio Christianorum genere victorias, quæ spolia nefarius & sacrilegus hostis retulit? Utinam non in totum damnato vino, sed circumscripto tamen, tandem aliquando ad veram virtutem Christiani expergiscantur, belloque justo & pio recuperent regna nobis adempta. Fortasse tamen importuna illa bellua, quæ ex impia omni fraude & B omnium scelerum colluvione concreverat, impietatemque pro sanctimonia amplectebatur, id non viderit, sed ex consuetudine patriæ edixerit. Diodorus enim in narrandis Demetrii rebus ait, Arabas illos ex omni prope ævo aquæ potores fuisse. Itaque multa ante nefandi vatis ætatem, cum milites Romani a Saracenis victi dicerent, *Vinum non accepimus, pugnare non possumus,* Niger eorum Imperator, *Erubescite*, inquit, *qui vos vincunt, aquam bibunt.* Lege quoque militari Romani vinum non bibebant olim, aut vernaculo utebantur, aut non advectitio. Indicat Metellus, qui, ut exercitum corruptum ad veterem disciplinam C in Africa corrigeret, mercatores vinarios omnes exegit, potusque Romanis in castris erat aqua, aut posca, si vinum deesset, aut mellina, ut apud Plautum dicit cacula militaris, nisi si in vidulo est, aut mellina.

Apud priscos Romanos ante XXXV. annum nemo vinum gustabat, cum, ut apud Platonem est, ignem igni addendum, ut arbitror, non existimarent. Zaleucus Locris Epizephyriis legem tulit, si quis in morbo merum sine Medici præcepto bibisset, ut capitale esset. Apud Massilienses, mulieres temeto carebant, & aquam bibebant: quæ D eadem etiam apud Milesios lex erat. Veteres autem Germani vinum ad se omnino importari non sinebant, quod ea re, ut Cæsar scribit, ad laborem ferendum remollescere homines atque effœminari arbitrarentur. Quæ eadem, tum quoque Nerviorum, qui omnium Belgarum longe fortissimi erant, sententia fuit. Nihil enim ad suos vini patiebantur inferri, quo relanguescere animos, virtutemque remitti putabant. Nec dubitem, quin Lycurgus ille, qui Baccho infestus vites succidit, eodem consilio id fecerit, cum fomentis ignaviæ virtutem diminui videret. Aliorum populorum potum in vini saporem ementitum,

E *—— qui pocula læti*
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.

sive pomarium, sive pirarium, sive illum ex frugibus olim Ægypto familiarem zythum, hodieque & olim magis septentrionalibus notum, ex putredine maceratarum frugum, & aliarum rerum adjectione, ad excitandum saporis acumen admixtum, & si nonnihil, illum quidem tamen crescentia lædere corpora minus censeam, quam vinum, quæ largo etiam humore aquæ perfundit. Id habitus corporum docet, ex quo certissima sumi fides potest.

F Nec vero conjicere possim, unde tanta nonnullis in provinciis decessio corporibus facta sit, quam ex vetusto & quotidiano vini potu: decessisse quidem aliis in locis, in quibus zythus bibitur, corporibus video, minus tamen multo, ut insalubrem eum hominibus censeam, minus tamen, quam vinum. Decrescunt etiam corpora siccorum assiduo usu, ut multi panis. Itaque illi apud Herodotum *Macrobii* Æthiopes eximia corporis proceritate eminentes panem ignorabant, & Cyclopes illi apud Homerum, prodigiosa corporis vastitate excellentes, pane non vescuntur: ac Po-

lyphemum ait non esse similem homini panem edenti, quod, ut opinor, existimaret tantæ moli attollendæ alio opus alimento fuisse. Sed illud incommodum magnis aliis opportunitatibus compensatur. Ut enim illam luxuriam corporibus non afferat, saluberrimum tamen & mitissimum est. Nec profecto assentiar Æthiopibus illis, qui tam brevem coli a nobis vitam dicebant, quod pane vesceremur, cum stercora potius fœdo vocabulo esse dicerent, quam alimenta.

Officit & staturæ locorum siccitas. Itaque locis humidis, quam siccis, si eodem alimenti genere cultores utantur, grandiores evadunt. Cujus rei B locupletissimus testis fuerit Hippocrates, naturæ solertissimus interpres, qui Phasianos in palustribus locis habitantes corporibus proceris extitisse scribit. Quod tamen habitus corporum in Asia, quam Europa, pulcriores & proceriores fuerint Hippocratis ætate, de Thracia, Macedonia, Thessalia, Græcia, quæ jam diuturno vini usu dignitatem corporum perdiderant, intelligendum est. Nec tam cœlo & aeri, quam cibo & potui, ejus rei causa tribuenda est. Quod si Hippocrates eo tempore Germanorum & Britannorum corpora vidisset, aut fando etiam accepisset, (erant enim tum celsissima) Europæos Asianis humiliores non C scripsisset; tunc cum Thessalis & Græcis eos comparabat. Res in Asia gerente Alexandro, altissimos Græci cognovere Chorasmios, quos, ut opinor, non noverat Hippocrates: neque dum enim arma illas gentes aperuerant, Dahæ, Saccæ, Indi, & ultra Tanain amnem in Europa colentes Scythæ, quorum nemo, ut historiæ loquuntur, ita humilis erat, ut non humeri ejus Macedonis militis verticem æquare possent, quorum magnitudinem corporum alimento potius, quam cœlo tribuerim, cum hi populi vite carerent.

Detrahunt etiam corporum magnitudini morbi in tenera ætate, qui corpus coquentes, solida D intempestive durant, alimentum corpori negant, utroque justam adolescentiam impediente. Itaque qui in pueritia crebro valetudine conflictantur, ad eam proceritatem non exsurgunt, quam attingerent nullis aut paucis morborum offensionibus tentati. Cura quoque & sollicitudo, quæ corpus macerat, labor præterea incrementum prohibet: eoque nomine olim pueritiam in omni indulgentia & animi remissione Germani habebant, nullis officiis nullisque disciplinis assuefactam, ad vires alendas & corporis magnitudinem. Itaque imperatæ pueris operæ atque functiones assiduæ, ut E plebeiis & proletariis, vires frangunt, magnitudinem carpunt, proceriorque multo nobilitas accrescit indulgenter habita.

Sunt & in parentibus causæ diminutionis, ut in mulierculis, quæ junceæ cupiunt esse, & succinctiores, arctiusque se vinculis adstringunt: in quo non tantum sibi, sed etiam fœtui nocent.

Est & aliis in rebus nonnullis noxa, quarum ego commemoratione abstinebo, quodque proximum est agam. Etenim cum viderem paucos, ac vix ullos esse, qui illud vitæ curriculum post diluvionem a DEO hominibus definitum ita decurrerent, ut ad flexum venirent, existimavi hujus rei F causam esse quærendam, ac mihi illud quærenti venit in mentem, suspicari ævum istud breve humanæ vitæ, de quo Deum prope accusantes queri solemus, nostro vitio nostraque culpa esse contractum. Nam quæ res corpora nostra debilitavit & fregit, eadem quoque de hominum vita semper aliquid decerpsit & amputavit: ac de ævi angustiis magis etiam, quam nos posteritas conqueretur, eandem vitæ victusque sectam si sequatur. Quis enim dubitare potest, quin corporum diminutio-

A nem vitæ brevitas consecuta sit? Etenim in eodem genere procera pumilis vivaciora videmus, ut bellatorem equum, quam parvulum mannum, grandem molossum, quam catellum Meliteum. Et pusillos hujus ætatis homunculos esse posse tam annosos credemus, quam præstantia majorum nostrorum corpora? Veteres scriptores tradidere, in quibusdam Indiæ locis homines quinum cubitorum & binum palmorum longitudinis existere, eosque CXXX. annis vivere: contra homines esse aliis in Indiæ tractibus brevitatis contractæ, eosque non ultra quadragenos annos vivere: nisi forte quis cubitalem nanum æquare posse fata proceri hominis putat, adhuc adolescentem prope senescere incipientem. Igitur reum hujus brevitatis vinum præcipue citaverim, quo corporum vita præcipitatur: cujus rei etiam causa apertissima. Nam cum suo ardore corpus accendat, pubertatem properat, qua festinata senectus acceleratur. Ut enim olitores radicibus, præcoques fructus accersentes, fimum & calcem subjiciunt, stirpesque mox effœtas & elanguescentes in crudum & immaturum senium impellunt: ita quoque vini calore celerius evocata pubertate senectus ipsa ocyus elicitur. Virgines quoque urbanæ, si quæ liberalius vino in tenera ætatula utuntur, celerius quam rusticæ viro maturæ sunt, statim, ut Veteres loquebantur, *sororiantibus mammis*: pueri quoque vesticipes citius redduntur, & Veneris avidi. Contra olim apud Germanos vini ignaros sera juvenum Venus erat, & inexhausta pubertas. Properata autem pubertate, reliquas ætates cessare putamus, ac non pari passu incedere? Quod si in uno homine vinum id efficere potest, tot sæculorum tabe quantum noxæ, quantum detrimenti, assiduo ejus haustu contractum putamus, vitio a parentibus in liberos abeunte, & ab iis deinceps propagato magisque porro inolescente, & subinde vetustate se corroborante?

Mihi quidem vini offensiones mecum reputanti mirari subit, qui fieri possit, ut sexagesimum hodie quisquam attingat annum. Atque ut in eo argumento commorer, quod cœpi, quod certe longe firmissimum esse arbitror, sic existimo hominum vitam, ut reliquorum animantium, veluti duobus contineri motibus, quos interjectus dirimat status. Nam a primo ortu ad ætatis vigorem & florem motus unus exigitur, quem excipit status consistentis ætatis. Inde succedit vergentis in senectutem inclinatio; ac quibus in animalibus celerior est perfectio, ea ævi brevioris esse videmus, ut equum & canem: in quibus tardior, vitæ longioris, ut hominem. Ergo cum animantium generi istam legem Natura dixerit; alimentorum genera, ut vinum, quæ motum priorem corripiunt, & in propinquo pubertatem sistunt, sine controversia vitæ detrahunt: quæ motum priorem remorantur, eam prorogant. Itaque juventus in vitiferis locis maturius genas lanugine opacat, contra aliis in locis juvenes diutius imberbes sunt. Quantum ergo illic efflorescentes adolescentum genæ temporis præcipiunt, tantum ætas ad senectutem celerat, quanto hic diutius sunt investes, tantum spatii quoque vitæ propagant proportione. Ac non dubito, quin, si crapulam & immoderatas intempestivasque epulas vitarent homines zythum potantes, diuturniore multo usura vitæ, quam qui quotidie vinum bibunt, fruituri essent: præsertim cum ea pocula multo sunt innocentiora, quam meraca. Itaque nonnulli in Britannia ad centum viginti annos vivere dicuntur eo potu utentes, quod cœli beneficio nonnulli attribuunt imprudenter. Nam etsi Britannia, ut scribit Cæsar, temperatior est, quam Gallia, remissioribus illic frigoribus, quod evenire arbitror, quod cœlum illic con-

cretius & pinguis, in Gallia liquidius & tenuius, & quod in Gallia brumali die ſeptentrio ex aura quadam nivalium montium magna ex parte naſcatur, in Britannia ex aperto & calido mari: tamen non eſt ea regionis illius temperies, ut tantam vivacitatem hominibus afferre poſſit, cumque Ariſtoteles ſcribit, in tepidioribus locis homines longioris eſſe vitæ, in iis profecto Britanniam nunquam ipſe numeraſſet. Britanni quoque, ut audio, zytho & vino miſcent ſaccarum, valdeque dulcibus potionibus delectantur, naturam delinientibus & jucunditate perfundentibus, ut utriuſque vitium, quod in aſperitate quadam putredinis & acrimoniæ hæret, non leviter emendetur. Itaque Livia Auguſta, quæ LXXXII. annos vino Pucino retulit acceptos, plures multo vel aquæ mulſæ vel zytho mulſo acceptos referre potuiſſet. Nec magno illi ſcriptori profecto unquam aſſentiar, qui cenſet aquæ potores juſtam ætatem conficere non poſſe, quod ſecus eſt. Multo enim illis, quam vini potoribus vita longior ageretur. Id rerum eventis confirmatur & exemplis, quæ in hoc genere plus auctoritatis & momenti habere debent, quam hominum ingenio rationes utcumque excogitatæ. Nam Æthiopes illi, quos ex vitæ diuturnitate *Macrobios* appellavere, aquam potabant. Seres quoque, qui ad trecentos annos interdum vivebant, aquam potabant. Athos in ſummo jugo oppidum habuit, in quo dimidio longior, quam aliis in locis, ætas habitantium fuit. Vivebant enim ad centum triginta annos, ut nonnulli ſcribunt, quod veſcerentur viperinis carnibus. Auſim affirmare, eos non multum vini bibere ſolitos eſſe.

Aquæ autem potus quam ſalubris ſit, quis ignorat? cum videat omnia propemodum quæ gignuntur, ejus alumna eſſe? Cum autem educare poſſit tam vaſtas altitudines quercuum, & alnorum immenſitates, quibus non tantum potui eſt, verum etiam cibo, dubitabimus ab illa homines nutriri? Nec vero hominis tantum alimentum eſt, quod rubore ſuffectum per venas manat, verum etiam liquidus quidam humor aquæ ſanguini immixtus, cujus rore totum corpus ſalubriter irrigatur. Itaque in magno calore & ſiccitate, cum æſtus ora & viſcera penitus urit, ut in agmine nonnunquam evenire ſolet, facile tum judicamus, quem potum natura nobis conciliaverit. Tum enim non vinum, ſed aquam deſideramus. Jumentorum quoque genus omne, quorum corpora a noſtris nihil differunt, in eo potu acquieſcunt. Quod ſi quid in aqua vitii eſſe quis contendat, quam facilis eſt ejus emendatio, ſi coquas, ſi momentum vel mellis, vel ſaccari addas, quam jucundum temperatur & ſalubre poculum? vinum quidem non tam poculum, quam medicamentum eſſe arbitror, cujus ſano & valenti unum & alterum obſorbuiſſe cyathum plus ſatis eſſe videatur, cardiacis, defectis, ſtomacho laborantibus, ſenibus propinandum eſt, plurimorumque morborum medicina eſſet, niſi quotidiano uſu ex medicamento venenum nobis reddidiſſemus. Bacchus ille quidem vitis inventor, ut profanus credidit populus, nonne, ut ipſe muliercul æ vultum gerit, ita viros hoc malo veneno, tanquam Circea potione, in fœminas immutavit? Nec vero ſine cauſa venenum mihi videor appellaſſe, quod tamen conſuetudine non putamus: ut qui quemadmodum ſolennia, ut Flaccus ait, inſanientes, tutoris a prætore dati non credimus egere. Sed ſi ebrios vulgo non videremus, quem illo hauſto ſic mente caligare cerneremus, an non obſecro a venefico potionatum putaremus? nos quidem etiam veneficum interficeremus, ut olim Attici ruſtici Icarum, qui ipſorum propinquis vinum propinarat.

Quid ego commemorem, quot modis hæc vitæ peſtis non tam condiatur, quam adulteretur? in quo dum palato ſervitur, quam valetudo profligatur? cæteris in ſaporibus rerum voluptuarius eſt guſtus, hic vero penitus inſanit, ac in vino quærit brevem tranſeuntis liquoris titillationem, diuturnam mentis alienationem, alius gypſo, alius calce, alius ſulfure, alius marmore, alius aqua marina, alius jumentorum ſtercore, ut honos præfandus ſit, ſaporem vini non tam excitat, quam vitiat: alius reſina corrumpit ad capitis dolorem & vertigines efficaci, ut ex eo nomen crapulæ ipſa meruerit. Et hominibus placet jucunde & ſuaviter bibere tanta mercede? Nunc miramur tam brevem eſſe hominum vitam, cum ſuapte vi noxia etiam cura nocentiora reddamus? Animadverterat Comicus vitio alimentorum vitæ detrahi, atque ideo ſcripſerat:

Et homines cœnas ſibi coquunt: cum condiunt,
Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus,
Vivis convivis inteſtina quæ exedunt:
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Cum haſce herbas hujuſmodi in ſuum alvum congerunt,
Formidoloſas dictu, non eſu modo:
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.

Quanto æquius vino, quam de herbulis & oleribus, de condimentis, iſtud queri potuit? præſertim cum hominibus venenum potius ſit, quam poculum. Jam vero quale illud tandem cenſendum eſt, in quo optimi nota argumentum ſit maximi vitii? Nam nobiliſſimæ quæque vini cellæ maxime corpora lædunt: ignobilia vina minori detrimento bibuntur, & ſalivam innocentiorem habent, ut quæ vino generoſiſſimo cenſentur regiones veneficio prope quodam venditentur. Quod autem nonnulli ajunt, vino vires ali, perſpicue falſum eſt, vel Homero teſte, qui in vinoſis tamen numeratur: apud quem Hector vinum recuſat, ne enervetur. Illud verius ab Antiquis ſcriptum, lactis potu oſſa & artus creſcere, frugum nervos convaleſcere, aquæ carnes augeri, his omnibus vires ali, corpuſque gliſcere. Niſi forte quis generis diminutione vires amplificari cenſeat, & pumilos proceris robuſtiores exiſtimet: vires ſtaturam fere ſequuntur, ut brevitatem infirmitas. Staturam autem vino contrahi Veteres non ignorarunt, qui ſimias & quadrupedes, quibus digiti ſunt, creſcere negaverunt aſſuetas meri potu. Quaſi vero in aliis ceſſet ejus virus, in ſimiis tantum & nonnullis quadrupedibus valeat: ac non ut mentem in hominibus ſollicitat, ſic quoque corpus afficiat. Itaque remollitis & languefactis corporibus vitiferarum regionum, bellicoſæ & fortes olim Scytharum & Gothorum nationes a provinciis profectæ vite carentibus, imperium Aſiaticum & Romanum evertere. Ac nunc quoque Turcæ populi Scythici, etiam Herodoto noti, in quo tamen *Jyrcæ*, pro *Turcæ*, vitioſe ſcribitur, rerum potiuntur: & ante Saraceni, non tam rei militaris ſtudiis colendis, quam abdicando vino, quo remoto, virtus inſtruitur, ſuppeditato frangitur. Ac quandocunque nationes illæ, quæ vinum non habent, examina ſua juventutis mittent in vitiferas regiones, veteribus colonis vel migrandum vel ſerviendum erit. Sic Gallia Francis victoribus paruit bello quæſita, agroſque omnes Franci poſſederunt beneficiarios & liberos, vectigales & clientelares Gallis attribuerunt, ut ſervis, quæ hodieque juris deſcriptio in Gallia durat. Noxam iſtam vini callide perſpexit Rebi Getarum Regulus, qui gentem illam undique oppreſſam & afflictam adeptus, ſuccilis vitibus ita liberavit & excitavit, ut longe lateque finitimis populis ſubactis ampliſſimum

imperium compararit, Romanisque formidabilis fuerit: sed tantum abest, ut ea persuaderi hominibus nostris possint, ut vinum cum ambrosia Deorum libenter commutaturi non sint: nec ut hanc sententiam obtinerem, idcirco hæc disserui, non sum ita ignarus nostri sensus, sed ut id, quod pro certo habent, esse saluberrimum, & hominum vitæ utilissimum, ostenderem controversia non omnino vacare, nec incaute eo & inconsiderate utendum esse.

Nam cum scirem divinum illum Platonem suis monitis longe æquissimis, & saluberrimis, qui pueris ante duodevicesimum annum vino interdicit, inde ad tricesimum moderatum ejus haustum concedit, liberaliorem postremo & largiorem senectuti indulget, apud surdam posteritatem usque adeo nihil profecisse, ut nonnullis in locis prope pro lacte nutricis ab infantibus bibatur, non ita insanio, ut postulata mea, multo duriora & iniquiora, in vulgus fidem impetratura putem. Maxima regum potestas est in terra, populusque noster obedientissimus, attamen id Rex si pro imperio jubeat, vix obtineat, & nostri homines unum hoc edictum recusaturi esse videantur. De capite & fama, de fortunis omnibus dimicare mallent, quam de vino nullam non jacturam leviorem duxerint, eoque res rediit, ut Cerere prope libentius, quam Libero carere velint. Satis mihi sit, si illud ipsum, quo tam avide fruuntur, cujusmodi sit aliqua ex parte cognoverint. Nam a vulgo non est postulandum, ut voluptati salutaria præferat, quam vitæ periculo pacisci optat, libidini semper potius, quam usui serviens, atque rationi. In potu autem ita rabide & intemperanter voluptatem sectatur, ut in aliis generibus, salva tamen & incolumi ratione, genio morem gerat: hic animi principatum de statu dejiciat, & mero victis sensibus, bruto nequior & posterior esse videatur. In quo ita sibi placent non tantum, qui e vulgo sunt, verum etiam boni, ut olim extiterint civitatis orbi terrarum imperantis principes, qui libros de ebrietate non tam scriberent, quam evomerent. Putamusne vulgi docilitatem defuisse tanto magistro, cui omnium libertas addicta erat in servitutem? hoc adhuc defuerat vitiis, ut tantis auctoribus vitam pessundarent, satis per se in mala propensam. Sed si, qui ebriosis pudendo scripto patrocinaretur, inventus est; qui abstemiis suffragetur inventum esse queremur? Sed homines querantur licet; hoc scio nemini, utcunque res cadet, ista parum sobria visum iri.

FINIS.

JOAN. HENRICI MEIBOMII
DE
CERVISIIS
VETERUM
POTIBUSQUE ET EBRIAMINIBUS
EXTRA VINUM ALIIS
COMMENTARIUS.

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMOQUE VIRO

DN. HENRICO LANGERBECIO JCto

SERENISS. BRUNRU. ET LYNEBURG. DUCIS

D. JOHANNIS FRIDERICI

CANCELLARIO ET CONSILIARIO INTIMO,

DOMINO SUO PL. OBSERVANDO

HENRICUS MEIBOMIUS

S. P. D.




IRCUMSPICIENTI mihi, quem posthumo huic Scripto solito more patronum eligerem, statim M. T. se ingessit. Cum enim hoc sæculo vivamus, quo periti imperitique de studiis promiscue judicant: quicunque tamen ultra vulgus sapere, & ad Antiquorum gloriam erigere se nituntur, censeri etiam sua ab iis maxime cupiunt, qui non tam auctoritate aliqua, quam judicio id facere possunt, quorumque in iis rebus nota est peritia. Non est autem temere aliquis in his regionibus, qui non Te ingenio promptissimo, maximo rerum usu, incomparabili prudentia, & præterea eruditione selectissima pollere nesciat; qui non fateatur, Te esse Cancellarium, similem antiquis, qualis ante Te vix unus aut alter: non sinit enim me verecundia Tua dicere, qualis nemo. Dum vero alii ex iis, quæ maxime sibi intelligere videntur, prudentia nimirum & rerum gestarum magnitudine Te æstimant, ego tamen Te in remissionibus quoque miror, eximiamque doctrinam Tuam suspicio, quæ cum inexhausta sit, augeri tamen semper desiderat: cumque nihil fere nescias, tanta tamen cura omnia, etiam in litterarum studiis, inquiris, ac si nil omnino scires. Et vero facilem mihi veniam spondeo, quod homo studiis deditus, & illarum rerum minus peritus, quæ Te terrarum Diis gratum, nobis idcirco reddunt venerabilem, doctrinam potissimum in Te mirer, cum forte idipsum fieri non detrectes. C. Plinius Secundus, Vir in Republ. Romana maximis auctus honoribus (cum eo enim libenter Te comparo, quia ut ille sui, sic Tu nostri sæculi TRAJANO proximus es) fatetur in *Epistola ad Maximum suum*, frequenter quidem se e Senatu famam, qualem maxime optaverat, retulisse, nunquam tamen majorem cepisse voluptatem, quam cum intellexisset, se inter primos eruditorum totius Urbis haberi, nomenque suum, quasi litterarum proprium, censeri. Qui Tibi quoque non placeat, Magnifice Vir, quod ex illis quoque studiis ubique notissimus, quibus in simili fastigio ignoti sunt alii? Præsertim, cum, si quis consideret actionum Tuarum & laborum catenam, nullam horam studiis impendendam reliquam esse videat: si variam scientiam, nihil aliud, quam litteras per totam vitam Te tractasse judicet. Tam est admirabilis Genius Tuus! tam in Te omnia, veluti singula, summa reperiuntur. Sed in Tuis laudibus frustra ero, sive eas extollere, quæ per se sunt amplissimæ, sive recensere tantum coner, cum sint innumeræ. Fatendum tamen iterum, hinc me impulsum ad librum hunc Tuo nomine exornandum, ut cui parvum a seipso pretium, a Tui nominis præscriptione esset maximum: &, cum publici saporis non sit, si tamen, (quod sperare forte invidiosum) Tibi placeat, reliquorum posset esse judiciorum securus. Hæc unica est, Magnifice Vir, ambitio mea, seu potius sollicita pro paterno libro cura. Illud enim dicere non audeo, quanquam verissimum sit, voluisse me hujus libelli inscriptione ostendere, quam grato animo maxima Tua erga me recolam beneficia, cum innumeri litterati alii sint, quorum dos ingenii major, qui Tuum favorem similiter experti, dignis præconiis, oblatis monumentis, grati prædicarint: ut serus nimis ego ad Tuæ virtutis admirationem accedam. Quin igitur rogo tantum, ut quia studia colis plerumque, amas semper, mihi etiam, meisque studiis porro faveas; qui cum devotione erga Te cedam nemini, tum ipse imposterum quotidie mecum novo erga Te observantiæ genere decertabo. Dabam in Academia Julia Idibus Jul. Anni MDCLXVIII.

LECTORI BENEVOLO

HENRICUS MEIBOMIVS

S. D.



VIDEBOR forte tibi rem actam egisse, quod libellum Parentis mei de Cervisiis imprimi curaverim, cum de illis omnique re potabili extent lucubrationes Cll. Virorum Antonii Gazii, Guilh. Grataroli, Thaddæi Hagecci, Martini Schoockii, aliorumque, lectu dignissimæ. Et certe erit mihi reddenda hujus mei instituti ratio, cum in me magis, quam Parentem redundet culpa. Non enim vitium est scribere, quæ scripta non placeant, sed emittere: nec fama scribentis agitur in eo, quod scribit, sed quod publicat. Male igitur & de Parente & de publico videbor mereri, quod crambem toties coctam apponam. Quod si quis tamen recte rem consideret, differre plurimum ab aliis ejus argumenti hunc librum deprehendet. Illi enim Medico scopo unice intenti Cervisiarum tantum, quæ in usu sunt, naturam examinarunt; Hic ex antiquitate, etiam remotissima, omnes potus & ebriamina, quibuscunque populis usitata, quorum nomina vix vulgo cognita, recenset, & dein cum nostris confert: de usu vero, ὡς ἐν τύπῳ tantum, disputat. Ut ita antiquitatis studiosis non possit non esse gratus hic labor. Quod si ex Medicis forte nonnulli hæc non habere usum putent, næ illi Artis, quam profitentur, amplitudinem non intelligunt, nec quantam utilitatem habeat, nosse victus rationem & olim & hodie aliis gentibus usitatam. Sunt tamen, scio, quibus hæc, ut omnis vetus doctrina, sordent; quorum & inertium & imperitorum delicias, desidiamque, quasi judicium, respicere non debemus. Nam hos quidem si in consilio habeas, postquam novitii Doctoris compendiolum jejunus devoraveris, præter Formulas medicamentorum quicquam scire necessum non est. Ego hujus farinæ homines non moror, nec in illorum gratiam supprimere hunc librum volui, qui inter maximos & continuos in arte facienda labores Parenti meo natus est, nec pluris a me venditur, quam illi constitit. Sed non omnibus eadem placere, nec convenire quidem, dudum observavit Plinius. Tu vale, Lector erudite, & fave.

INDEX CAPITUM.

SUMMARIA.

INDEX CAPITUM.

JOAN. HENRICI MEIBOMII
DE
CERVISIIS
VETERUM
POTIBUSQUE ET EBRIAMINIBUS
EXTRA VINUM ALIIS
COMMENTARIUS.

CAP. I.

SUMMARIA.

1. *Vita hominis in calido & humido*. 2. *Corpus in perpetuo fluxu*. 3. *Ex substantia constans humida & sicca*. 4. *Utramque refici necessum*. 5. *Fames cibi, sitis potus*. 6. *Cibi utilitas*. 7. *Potus necessitas*. 8. *Cibi hominum primi*. 9. *Potus, aquæ & fluvii*. 10. *Cibus ex frugibus*. 11. *Ador*. 12. *Vitium cultura*. 13. *Terræ maledictio*. 14. *Agriculturæ a Caino initium*. 15. *Vitium a Noacho*. 16. *Juxta Gentiles a Cerere & Baccho*. 17. *Et Osiride*. 18. *Ægyptiorum olim in cibo & potu temperantia*. 19. *Cui intemperantia successit*. 20. *Et ciborum vinorumque condimenta*. 21. *Opsonatricis artis scriptores*. 22. *Et vinorum condiendorum*. 23. *Vini in multis regionibus defectus*. 24. *Et penuria*. 25. *Aquarum alibi vitia*. 26. *Potus ex frugibus inventio*. 27. *Osiridi olim adscripta*. 28. *Et Baccho*. 29. *Ex aqua & fruge ebrietas*. 30. *Potus extra vinum & post fruges alii & varii*.

1. ITAM hominis in calido & humido consistere, pluribus nos docuit princeps Philosophorum Aristoteles lib. *de longit. & brevit. vitæ*. Calor. autem continuo in humidum agit, atque id indies exsiccat, & tanquam pabulum suum depascit.

2. Ex quo corpus nostrum, ut pluribus docet Galenus lib. III. *de Sanit. tuenda* cap. II. in perpetuo quasi est fluxu, & nisi subinde similis substantia in ejus, quod absumitur ac dissipatur, locum reponeretur, marcesseret id immature, homoque vita ante fatalem terminum defungeretur.

3. 4. Quia vero idem corpus nostrum partim ex solidiori, & tam illa, quam hæc, refectionis in-
A diget: necessum omnino fuit, ut illa cibo, velut sicciori, hæc potu, tanquam humidiori alimento instauraretur.

5. Et hanc ipsam ob caussam tum *fames* homini data est, tum *sitis*: fames, qua cibum, sitis, qua potum appeteret. Et τοῦ σίτου quidem ἐπιθυμία, seu *cibi desiderium*, est κατ' ἀμφότερα ἀναγκαία, καὶ ὑγιείαν καὶ εὐεξίαν, ἥτε ὠφέλιμος, ἥτε παῦσαι ζῶντα, *necessarium duplici ratione, & ad sanitatem & tuendum bonum corporis habitum, tum quod conducat, tum quod animalium famem sedet*, inquit
B Athenæus *lib.* XII

6. Unde cibo, seu *pane*, in Sacris *cor fulciri* dicitur: ut *Judicum* cap. XIX. vers. 5. & 8. Στήρισον τὴν καρδίαν σου ἄρτῳ, sive κλάσματι ἄρτου. *Fulci cor tuum pane*, aut *bucella panis*. Et *Psalmo* CIV. vers. 15. Καὶ ἄρτος καρδίαν ἀνθρώπου στηρίζει. *Et panis cor hominis fulcit*.

7. De potu vero Antisthenes apud eundem Athenæum ait: *Ut plantæ nocturnis diurnisve aquis irrigatæ crescunt atque florent, iis vero si destituantur, necesse est exsiccari ipsas & emori: sic ani-*
C *malium vita potione utili sustentatur, sine qua illam extingui oportet*.

8. Cæterum cibus primo mundi exordio simplex admodum fuit, & qualis a natura ipsa offerebatur. De eo Virgilius lib. III. *Georg.*

> *Victum infelicem, baccas, lapidosaque corna*
> *Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ*.

D Ovidius lib. I. *Metam.* fab. III.

> *Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,*
> *Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,*
> *Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes*.

Eoque nomine primos mortales felices prædicat Boethius lib. II. *de consolat. Philos.*

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

9. Similique modo & potus ab initio non alius primis mortalium fuit, quam simplex aqua: quam proinde non immerito φυσικὸν ποτὸν ϗ ἀναγκαῖον τοῖς διψῶσι, *naturalem & necessarium sitientibus potum*, vocat Clemens Alexandrinus lib. II. *Pædag.* cap. II. Quemadmodum nec alia re soliti fuere Veteres quam

Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo,

ut Virgilii versum usurpemus ex *Ecl.* v. Nec secus ad sedandam sitim ipsos

—— fluvii fontesque vocabant,
Quam nunc montibus e summis decursus aquai
Solicitat ad se sitientia secla ferarum,

ut loquitur Lucretius *lib.* v.

10. 11. Progressu temporis, quum victum simplicem potumque homines fastidirent, nec omnibus etiam is convenire aut salutaris esse videretur, primo *frugum omne genus* invenerunt mortales; unde

Mox ador atque adoris de polline pultificum far
Instruxit mensas,

ut Ausonius scripsit in *Monosyllabis* Eidyll. XII. eoque etiam longo adhuc tempore usos Romanos testatur Plinius *li.* XVIII. *cap.* VIII. & tangit Val. Maximus *lib.* II. *cap.* V. Potus vero loco post aquæ simplicis usum *lac animalium* primo omnium in subsidium vocatum, nullus ambigo. Videbant enim primi homines infantes, non nutricatus tantum, sed & sitis caussa, sæpius mamillas uxorum fellitare: videbant eandem ob caussam brutorum animantium fœtus a matrum uberibus subinde dependere. Igitur & ipsi, dum in agris locisque desertis cum gregibus suis commorarentur, ac siti forte premerentur, nec aquarum statim rivi aut fontes in promptu aut propinquo essent, necessitate primum coacti, lac mulsum bibere, eoque sitim extinguere cœperunt. Mox animadvertentes lac aqua dulcius esse, & plus palato arridere, idem in delicias adsumpsere, nec sitis tantum, sed jucunditatis etiam gratia, sæpius ora faucesque eo rigare distulere.

12. Accessit tamen ex intervallo *vitium cultura* & vini usus; *ceu non*, ut idem Plinius ait *lib.* XIV. *cap.* XXII. *saluberrimum ad potum aquæ liquorem natura dedisset* humano generi, *quo cætera omnia animantia utuntur.*

13. Ex quo nempe terra, si Sacris Literis consentanea loqui velimus, ob lapsum primorum parentum fulmine maledictionis a Deo Opt. Max. perculsa, spinas & tribulos germinavit, statim culturam agri ad se traxit, & arari serique in sudore vultus humani cœpit.

14. Primusque *agricolæ* nomen, seu ἐργαζόμενος τὴν γῆν, sortitus fuit *Cainus*, ut legimus *Genes.* cap. III. vers. 17. & 18. & cap. IV. vers. 2. & *primus aratrum invenit*, πρῶτος ἄροτρον εὗρε, inquit Cedrenus.

15. Vitium vero culturam primus *Noah* post universale Diluvium filios suos docuit, ἀμπελῶνα ἐφύτευσε, *vineam plantavit*, primusque inebriandi vim vino insitam expertus, filii *Chami* irrisionem, & hic illius maledictionem sensit, ut est *Genes.* cap. IX. vers. 20. 21. & 25.

16. Ethnici, seu Gentiles, ut vocamus, frugum hanc vinique inventionem DIs suis, *Cereri* & *Baccho*, adscripserunt. De Cerere & frugibus ita Ovidius lib. V. *Metam.* fab. V.

Prima Ceres unco terram dimovit aratro,
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.

Et lib. IV. *Fastor.*

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.

De Cerere & Libero simul Lucretius *loco* paullo ante *adducto*:

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.

Et Virgilius lib. I. *Georg.* in προσφωνήσει ad utrumque:

Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

17. Ægyptii utrumque munus uni *Osiridi* Regi suo attribuerunt, de quo Diodorus *lib.* I. *cap.* VII. *Osiris narratur, beneficentiæ & gloriæ studiosissimus quum esset, magnum contraxisse exercitum, quo totum orbem hominibus frequentatum peragrare, & plantationem vitis, & tritici hordeique sementem edocere constituit.*

18. Nec tamen frugibus, aut ex eis cibo, aut vino ab initio homines abutebantur, sed modice illis fruentes Ægyptiorum fere more vivebant, de quibus idem Diodorus *lib. eod. cap.* LXX. ait, in more ipsis positum fuisse, *ut simplici uterentur nutrimento, certamque mensuram vini biberent, quæ nec ad ebrietatem faceret, nec ad repletionem.*

19. 20. At crescente paullatim luxuria, quum cibus non tantum ad famem amplius, nec potus ad sitim quæreretur, potiusque hoc unum omni studio & opera agerent mortales, ut gulam irritarent, ac cibi sæpe non ad satietatem, sed nauseam, potus ad ebrietatem ingurgitarentur; varia ciborum & vinorum condimenta excogitari cœperunt. Verum de istis, tum ciborum, tum vinorum conditurіs nunc nihil dicemus.

21. De cibis tamen condiendis videri possunt Opsonatricis artis conditores: quorum ex veteribus Græcis Latinisque unus nobis integer remansit, qui libris suis *Apicii de Re Culinaria* titulum præscripsit: reliquorum qua Græcorum, qua Latinorum, tantum fragmenta hinc inde apud scriptores supersunt.

22. De vini conditurіs plurium habemus ex Græcis Collectanea apud Γεωπονικῶν Auctorem, & Dioscoridem, Medicosque post hunc alios: ex Latinis quoque multa nos docuerunt Cato, Varro, Columella, Palladius, aliique rei rusticæ & agrorum culturæ, ut & rei herbariæ & materiæ medicæ commentatores.

23. Licet vero vino jam invento omnes aquæ potum abominarentur; tellus tamen quævis, ob cæli solique asperitatem, vitium culturam non statim, nec ubivis admisit. Gentes etiam quasdam paupertas non sivit vinum bibere. Ut enim, dicente Seneca libr. III. *de Ira*, cap. XXI. *quædam gentes beneficio paupertatis luxuriam non movere*: ita multæ etiam, eidem Divæ litantes, vinum sibi comparare ac bibere nequiverunt. De Ægyptiis ait Herodotus *lib.* II. ὅτι οὐκ ἦσαν ἐν χώρᾳ ἄμπελοι, *quod vites in regione ea non essent.*

24. Gallos, sive Celtas, Julianus ὁ Παραβάτης in *Epigr.* quod suo loco totum dabimus, ait τῇ πενίῃ βοτρύων, *ob vitium inopiam*, vinum non bibisse: quos similiter tradit Diodorus *lib.* V. *cap.* XXVI. fuisse στερισκομένους οἴνου, *vini inopes*. Apud Hispanos potus ex frugibus factos, *quod ferax vini locus non esset*, scribit suo tempore Isidorus Hispalensis, *Orig.* lib. XX. cap. III. Dion Academicus apud Athenæum *lib.* I. refert multos Ægyptiorum fuisse διὰ πενίαν ἀπορῶντες τοῦ οἴνου, *vini indigos ob egestatem*: eandemque ob caussam Posidonius Stoicus apud eundem Athenæum *lib.* IV. meminit solos locupletiores Gallorum vinum bibisse, ex Italia & Massiliensium districtu allatum.

25. Accedebant aquarum multis in locis pravitates & vitia, ob quæ variis morborum casibus bibentium corpora objiciebantur.

26. Igitur necessitas hominum plurimos adegit, ut aut alium sibi a vino potum quærerent, aut quovis modo aquam emendare conarentur, & salubriorem reddere. Nec defuere, qui, quum viderent ex vino, quo ipsi destituebantur, hominibus hilaritatem obvenire & lætitiam, omnemque animi nubem dispelli,

Ac spem reduci mentibus anxiis,
Viresque, & addi cornua pauperi;

similem sibi potum optarent,

Qui curas abigens, & cum spe divite manans
In venas animumque hominis, qui verba ministrans,

in ærumnis esset & laboribus,

Ἐσθλὸν ἀλεξίκακον πάντη συνοπηδὸν ἀείη.
Cujusvis medicina mali, medicina dolorum:

ut de vino loquuntur Horatius *Epist.* lib. I. ep. XV. & Panyasis Poeta antiquus apud Athenæum *li.* II. Itaque reperti fuere, qui vino deficiente primum aquæ fruges, mox herbas amariusculas & alia injicerent, ac simul in potum vino æmulum, sive in vini similitudinem ac inebriantem coquerent, & βοήθημα, ut vocat Posidonius, sive *solatium*, aut subsidium, vini penuriæ adferrent. Iidemque hoc modo effecere, ut vix essent, qui felicitati gentium vino beatarum inviderent: sed similem illi potum bibentes, ita lætarentur, ὡς καὶ ᾄδειν, καὶ ὀρχεῖσθαι, καὶ πάντα ποιεῖν, ὅσα τοὺς ἐξοίνους γινομένους, *ut & canerent, & saltarent, & quæ ebrii solent, facerent omnia*, ut iterum ait Dio Academicus apud Athen. *l.* I.

27. Hoc inventum rursus Osiridi & Baccho ex Ægyptiorum mente adscribit Diodorus. Et de Osiride ait *lib.* I. *cap.* XX. *Totum denique orbem Osiris emensus mitissimorum fructuum communicatione de vita communi bene meritus est. Quod si qua tellus plantam vitis non admitteret, conficiendum ex hordeo potum docuit, vino fragrantia & efficacitate haut multo inferiorem.*

28. De Baccho refert *lib.* III. *cap.* LXXIII. & Græcos & barbaros ab ipso, *etiam qui intractabiles haberent fundos, & a cultura vitis prorsus alienos, ex hordeo potum, saporis bonitate vino paullo inferiorem, conficere didicisse.* Et *lib.* IV. *cap.* II. de eodem ita scribit: *Quin & potum ex hordeo conficiendum adinvenit: zythum aliqui vocant, sapore & fragrantia non multo inferiorem vino: cujus rationem eos edocuit, quorum tellus vitium plantandarum non erat capax.*

29. Quid veri falsive huic narrationi subsit, perinde est. Hoc certum, quod Plinius ait *lib.* XIV. *cap.* XXII. *Mira vitiorum solertia inventum esse, quemadmodum aqua quoque inebriaret, & non vitiferarum regionum populis sua esset ex fruge madida ebrietas, nullaque in mundi parte cessaret.*

30. Nec tamen hoc modo ex frugibus saltim potus extra vinum parari cœperunt, sed ex *fructibus* etiam *arborum*, ex *herbis* & *radicibus*, ex *melle* & *saccharo*; qui omnes inebriandi vi pollebant, & plerique hodie *cervisiæ*, *pyratii*, *pomatii*, *medonis*, aut barbaris certarum regionum hominibus appellantur: de quibus hoc in loco paullo accuratius rem dispiciemus.

CAP. II.

SUMMARIA.

1. *Lactis potus.* 2. *Lactatum.* 3. Γαλακτοπόται. 4. *Inter quos Æthiopes Macrobii.* 5. *Cyclopes.* 6. *Mycenæi.* 7. *Scythæ.* 8. *Nomades & Getæ.* 9. *Germani.* 10. *Cyrenæi.* 11. *Incolæ regni Turquestan.* 12. *Scoti.* 13. Ἱππημολγοί. 14. *Scythæ Nomades.* 15. *Cimmerii.* 16. *Geloni.* 17. *Sarmatæ.* 18. *Tartari.* 19. *Lac equarum albarum.* 20. *Lactis nigri salubritas.* 21. *Lactis camelini potio.* 22. *Ad bibendum præparatio.* 23. *Mel lacti immixtum.* 24. *Item sanguis, a Gelonis.* 25. *Massagetis.* 26. *Getis.* 27. *Borussis.* 28. *Concanis.* 29. *Chabotius & Lambinus dimissi.* 30. *Lac sublimatum.*

1 ANTE, quam ad cervisias, quod commune nunc potuum extra vinum nomen est, sive ad potus ex frugibus progrediamur, de *lacte* res nobis expedienda erit; quod primum omnium post aquam in potus usum venisse diximus. Quanquam autem tum vino invento, tum plurimis ex frugibus fructibusque potionibus aliis, vilescere lactis potus apud plerosque cœperit, adeo, ut Athenæus *lib.* II. ex Aristotele aut Theophrasto referat quasi pro miraculo, Philinum quendam toto vitæ cursu nec cibo nec potu alio fuisse usum quam lacte: plurimæ tamen gentes & olim in potu ejus usum retinuere, & retinent etiam hodie nonnullæ, & in deliciis habent, vinique & cervisiæ in modum illo inebriantur.

2. 3. Eum potum Latine *Lactatum* dici, auctor est Isidorus *Orig.* li. XX. cap. III. Eo utentes & se invitantes, peculiari nomine Græcis γαλακτοπόται dicebantur, Latine *lactibibos* aut *lactibibulos* diceres.

4. Inter hos olim fuere *Æthiopes Macrobii*, quorum Rex apud Herodotum *lib.* III. Cambysis Persarum Regis exploratoribus respondet, subditis suis σίτησιν εἶναι κρέα τ' ἑφθὰ, καὶ πόμα γάλα, *cibum esse carnem coctam, & potum lac.* Idem de iisdem tradit Scylax Caryandensis in *Periplo*, ubi de ipsis ait: εἰσὶ κρεοφάγοι καὶ γαλακτοπόται, *carnivori sunt & lactibibaces.*

5. Ex lactibibis etiam fuere *Cyclopes*, Siciliæ inhabitatores. Unde *Polyphemus* de seipso apud Theocritum *Eidyll.* XI.

Ἀλλ' ὠυτὸς, τοιοῦτος ἐὼν, βοτὰ χίλια βόσκω,
Κἠκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενον γάλα πίνω.
Verum ego, qui talis sum, ovium bene millia pasco,
Et, quod ab his mulctum reliquo præstat mage, poto.

Et apud Ovidium lib. XIII. *Metam.* fab. XIII.

Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda
Servatur; partem liquefacta coagula durant.

6. De *Mycenæis* Peloponnesi incolis ita Euripides *Electra*:

Ἔμολέ τις, ἔμολε γαλακτοπότας ἀνὴρ,
Μυκηναῖος, οὐρειβάτας.
Venit quispiam, venit vir lactibibus,
Mycenæus, montivagus.

7. Scythas Galenus noster lib. II. *ad Glauc. de curat.* cap. X. γαλακτοπότας vocat. De iisdem ita Maximus Tyrius *Serm.* XI. Σκυθῶν οἱ μὲν πολλοὶ γάλακτι βιοτεύουσιν, ὡς οἱ ἄλλοι οἴνῳ. *Scytharum maxima pars lacte, perinde atque alii vino, vitam sustentant.*

8. Horum pars fuere *Nomades* & *Getæ*, de quibus Columella li. VII. *de Re Rust.* cap. II. *Nomadum Getarumque plurimi* γαλακτοπόται *dicuntur.* Id nominis & *Massagetis* tribuit Herodotus *lib.* I.

9. De *Germanis* nostris ex Posidonio Stoico inquit Athenæus *lib.* IX. Γερμανοὶ, ὥς ἱστορεῖ Ποσειδώνιος ἐν τῇ τριακοστῇ, ἄριστον προσφέρονται κρέα μεληδὸν ὠπτημένα· καὶ ὑπιπίνουσι γάλα. *Germani, ut auctor est Posidonius libro tricesimo, in prandium afferunt carnes membratim assas; & lac superbibunt.*

10. De *Cyrenaicæ in Africa incolis* Strabo etiam *lib.* XVII. ait eos γαλακτοποτεῖν. De iisdem Pomp. Mela *li.* I. *cap.* IIX. *Potus est lac & baccarum succus.*

11. Haitho Armenus, *Hist. Orient.* cap. III. de incolis regni Turquestan: *Bibunt cursiam, & alia potulenta, & lac.* A

12. Etiam hodie *Scotorum* multos lactis potu uti, notat Jo. Bruyerinus *de Re Cibaria* lib. XIV. cap. I.

13. Plurimæ vero gentes præ cæteris lactis generibus palmam equino deferebant; atque inde peculiari nomine *ἱππημολγοὶ*, & *ἱππομολγοὶ*, Latinis *equimulgi* appellabantur.

14. Id de *Scythis Nomadibus* affirmat Hippocrates noster lib. *de aere, aq. & loc.* ubi de ipsis ait; B *Καὶ πίνουσι γάλα ἵππων, καὶ ἱππάκην τρώγουσι. τοῦτο δέ ἐστι τυρὸς ἵππων. Bibunt lac equinum, & hippacen edunt: id autem est caseus equinus.* De iisdem Anonymus in *Periplo Ponti Euxini* victitare ait *γάλακτι καὶ Σκυθικαῖς ἱππημολγίαις, lacte & Scythicis equarum mulctibus.*

15. Horum similes erant *Cimmerii*, populi ad Bosporum in Asia, de quibus Callimachus *hymno εἰς Ἄρτεμιν*:

—— ἐπὶ δὲ στρατὸν ἱππημολγῶν
Ἤγαγε Κιμμερίων, ψαμάθῳ ἴσον.
—— armatos mulsores duxit equarum
Cimmerios, pene innumeros atq; instar arenæ. C

16. Erant ex numero eo & *Geloni*, Scythiæ populi, ut est apud Sidonium Apollinarem *lib.* IV. *epist.* I. *Philosophaturus*, inquit, *aut ad paludicolas Sicambros, aut Caucasigenos Alanos, aut equimulgos Gelonos.* De *Scythis* in genere Dithmarus Merseburgius *l.* VII. Ibi *sunt Scythæ*, ait, *qui feris & lacte equino pascuntur.*

17. De Sarmatis idem innuit Martial. *l.* I. *epigr.* III.
Venit & epoto Sarmata pastus equo.

18. Maxime autem potu isto etiam hodie delectantur *Tartari*, quos Haitho loco adducto, *cap.* XLVIII. ait *de lacte equarum pocula sumere & carnibus vesci:* & Vincentius Belluacensis *Speculi Histor.* l. XXX. c. LXXVIII. eosdem scribit *lacte jumentino, quod ipsi Kamaus vocant, quotidie, sicut homines cæteros vino forti, se inebriare.* D

19. Plus tamen hi deferunt lacti equarum albarum, quam quæ alterius sint coloris. Istarum enim lac Tartarorum Regem bibere, & eodem DIs suis libare, testis est M. Paullus Venetus *Itiner.* l. I. cap. LVII. atque, ut in *Epistolis* legimus *Tartaricis*, idem Rex Tartarorum equarum candidissimarum alit decem millia, quarum lac cum primoribus suis potat. Quid caussæ vero sit, quod pluris faciant lac candidarum equarum, quam quæ alterius coloris, conjectari nequeo: nisi dixeris, albi coloris equas rariores esse aliis, ac proinde majoris æstimii. E

20. Medici sane nigra animalia saniora & puriora aliis adfirmarent. Certe Aristoteles lib. III. *Hist. Animal.* cap. XXI. lac fuscarum fœminarum, Rhases lib. ult. *contin.* cap. CLXXII. & Mesue *simplic.* cap. IX. caprarum nigrarum, Aetius vero *Tetrab.* I. serm. II. cap. LXXXVIII. universim brutorum animalium nigrorum lac quovis alio salubrius esse pronunciant: sed mittimus ista.

21. Fuere etiam, qui lac camelinum potarent. D. Hieronymus lib. II. *in Jovinian. Arabes & Saracenos* ait *camelorum lacte & carnibus vivere.* F Idem fit ab incolis Dargin, Novi Orbis insulæ, referente Jo. Bruyerino *lib.* II. *cap.* V.

22. Nec tamen simplex lac semper bibebant, quotquot erant *γαλακτοπόται*: sed varie id præparabant, & subinde alia atque alia ipsi addebant aut permiscebant. De *Tartaris* M. Paullus Venetus *adducto loco* sic scribit: *Bibunt lac equinum, quod taliter præparant, ut videatur esse vinum album; non admodum insipidus potus vocatur ab ipsis Chuinis.*

23. Græci mel lacti injiciebant, sive ne facile in ventriculo coagularetur, (cui fini nos hodie saccharum immiscemus) sive gratioris saporis caussa. Colligimus id ex Æliano lib. XV. *de Animal.* cap. VII. ubi refert, in India & Prasiorum cumprimis regione, mel liquidum decidere in herbas, & calamorum palustrium comas, & mirificas præstare bubus & ovibus pastiones; pastoresque pecus ad calamos illos deducere, & jucundis excipere epulis, quod deinde suavissimum reddat lac, ut non habeant opus mel ipsi permiscere, ut faciunt Græci.

24. Quidam eo feritatis etiam devenerunt, ut sanguinem quoque equorum lacti immiscerent, incertum, cui fini. De *Gelonis* id testatur Poetarum princeps lib. III. *Georg.* ubi ait;
Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus
Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

25. De *Massagetis* Statius *Achilleid.* lib. I.
Lactea Massagetæ veluti quum pocula fuscant
Sanguine puniceo.

Et Claudianus *in Ruffin.* lib. I.
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes.

Item Seneca Tragicus *Oedipo*:
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.

Et Dionysius *Periegesi* de iisdem:
Οὐ γάρ σφιν σίτοιο μελίφρονός ἐστιν ἐδωδή,
Οὐδὲ μὲν οὔτ' οἶνος μεταδήμιος. ἀλλὰ γὰρ ἵππων
Αἵματι μίσγοντες λευκὸν γάλα, δαῖτα τίχενται.

Quos versus ita Latine loqui fecit Andreas Papius:
Nam nec eis dat terra benignæ munera frugis,
Nec vini laticem niveo, sed lacte cruorem
Quadrupedum miscent, mensisque in fercula ponunt.

Vetus Interpres, seu Priscianus, seu Rhemnius Fannius, seu quis alius, his binis inclusit sententiam stichis:
Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt,
Sed lac concretum potant cum sanguine equino.

26. De Getis simpliciter idem asserit Sidonius Apollinaris, *Panegyrico*, quem Avito dixit:
Sauromatam taceo, ac Moscum, suetosque cruentum
Lac potare Getas, ac pocula tingere venis.

27. Veteres *Borussiæ incolas* idem fecisse, & carnibus ferinis pro cibo, lacteque pro potu victitasse: quandoque etiam, sanguine equino mixto, hoc bibisse ad ebrietatem, narrat Erasmus Stella *de Antiq. Boruss.* lib. I.

28. At Horatius *Carm.* lib. III. ode IV. licet de lacte taceat, equinum tamen sanguinem etiam a *Concanis*, Cantabriæ in Hispania populis, bibitum notat; quando ait:
Visam Britannos hospitibus feror,
Et lætum equino sanguine Concanum.

29. Gualtherus Chabotius quidem & Dionys. Lambinus, *comment. ad hunc locum*, nihil tale de Concanis aut universis Cantabris alibi legi, & Horatium id ita finxisse autumant. Verum legisse id poterant etiam apud Silium Italicum *lib.* III. cujus hi versus:
Nec qui Massageten monstrans feritate parentem,
Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena.

30. Hodie Tartari *lac* quoque *sublimatum* bibunt. Testis est Math. Miechovius, *Sarmat.* lib. I. cap. VI. *In conviviis*, inquit, *& cum hospitibus bibunt Araka, quod est lac sublimatum, quod mirabiliter & cito inebriat.* Repetit Scaliger *Exercit.* LXXXVII.

CAP. III.

SUMMARIA.

1. *Potus ex frugibus, rebusque aliis.* 2. *Et quidem diversi.* 3. *Sed præcipui ex hordeo.* 4. *Οἶνοι ἐκ κριθῆς dicti.* 5. *Triplicem ob caussam.* 6. *Οἶνοι ἀπὸ κριθῆς a præcipua materia.* 7. *Æschylo μέθυ ἐκ κριθῶν.* 8. *Οἶνος ἀμπέλινος.* 9. *Nomina potuum extra vinum peculiaria.* 10. *Hebræorum schechar.* 11. *Schicharon.* 12. *Schackar.* 13. *Sicera.* 14. *Potus vino contradistinctus.* 15. *Interpreti Chaldæo vinum vetus.* 16. *Quibusdam temetum.* 17. *Interpreti Græco μέθη.* 18. *Sicera quid.* 19. *Tertulliano ebriamen.* 20. *Hieronymo potus quivis inebrians.* 21. *Et Isidoro.* 22. *Et Zonaræ.* 23. *Et Hesychio.* 24. *Ejus mentio apud alios.* 25. *Siceratores.*

1. UT aquæ fastiditæ lac successit in potum mortalium, ita lac postmodum excepere potiones ex frugibus, iisque diversis, fructibus item arborum, & quævis extra vinum aliæ.

2. Harum licet plurimæ jam olim essent, *nominibus* quidem *diversis*, ut Plinius ait *lib.* XIV. *cap.* XXII. ab *ratione eadem*.

3. 4. Primæ tamen ac præcipuæ illæ fuere, quæ inter fruges *ex hordeo* parabantur. Unde & generali primum appellatione potus isti *οἶνοι ἐκ κριθῆς* dicti fuere.

5. Et *οἶνοι* sane dicebantur triplicem ob caussam. Primo quidem, quod vinum proprie sic dictum odore, sapore & facultate æmulabantur. Unde Diodorus zythum suum, qui fere ex hordeo fiebat, & de quo mox in specie dicemus, vocat potum *οὐ πολὺ λειπόμενον τ̃ περὶ τ̃ οἶνον εὐωδίας κ̀ δυνάμεως*, *non multum vino fragrantia & facultate inferiorem*, *l.* I. *c.* XX. *l.* III. *c.* LXXVII. & *l.* IV. *c.* II. *Potum in vini similitudinem corruptum* vocat Tacitus lib. *de mor German.* Deinde *οἶνοι* dicebantur, quod vini in locum succederent iis in locis, ubi vinum non nascebatur, nec tellus vitium capax erat, quod modo diximus. Tum denique, quod vini in modum inebriarent, quod & olim docuit, & hodie testatur experientia.

6. *Vina* vero *ἀπὸ κριθῆς*, seu *ex hordeo*, dicebantur, quod ex hac frumenti specie potissimum & primo omnium cœperint parari. Hinc Herodotus *l.* II. ait Ægyptios *οἴνῳ ἐκ κριθῶν διαχρῆσθαι*, *vino ex hordeo uti*. Athenæus *lib.* X. *brytum*, potionem itidem ex hordeo, vocat *οἶνον κρίθινον*, *vinum hordeaceum*. Theophrastus lib. VI. *de causs. plantar.* cap. XV. meminit *τ̃ οἴνους ποιούντων ἐκ τ̃ κριθῶν*, *eorum, qui vina ex hordeo conficiunt*. Hesychius & Suidas zythum definiunt *οἶνον ἀπὸ κριθῆς γινόμενον*, *vinum ex hordeo confectum*.

7. Æschylus in *Supplicibus* nominat *ἐκ κριθῶν μέθυ*, *ex hordeo temetum*, seu vinum forte. Rex enim ibi Argivorum, Supplicibus, bellum quasi denunciantibus respondens, ait:

Ἀλλ' ἄρσενας τοι τ̃ δε γῆς οἰκήτορας
Εὑρήσετ', οὐ πίνοντας ἐκ κριθῶν μέθυ.
Sed hujus haud telluris incolas viros
Vinum bibentes invenietis hordei.

Vult nempe Rex hoc dicere, si bellum velint Supplices, non inventuros ipsos regionis suæ subditos temeto ebrios ex hordeo.

8. Quin & vinum proprie dictum, ad differentiam vinorum ex hordeo, dicebatur *οἶνος ἀμπέλινος*, seu *vinum vineale*, sive ex vinea. Ita Herodotus *loco adducto*, de sacerdotibus Ægyptiis verba faciens: *Δίδοται δέ σφι κ̀ οἶνος ἀμπέλινος*, *Vinum quoque ipsis datur vineale*. In Sacris *Numer.* c. VI. vers. 4. vocatur *οἶνος ἐξ ἀμπέλων*. Hesychius: *Οἶνος ἀμπέλινος· τοῦτο δηλοῖ, κ̀ ἐξ ἑτέρων γίνεσθαι οἴνους.*

A Propterea nempe *οἶνον* cum adjectione vult dici *ἀμπέλινον*, quod non tantum ex vinea, sed aliis etiam rebus fieri possit aut soleat vinum.

9. Quemadmodum autem potus extra vinum reperti generali ista appellatione *vina* appellabantur *ex hordeo*: ita postmodum singulæ gentes peculiare suis extra vinum proprie dictum potibus indiderunt nomen.

10. 11. Et Hebræi quidem potiones omnes, quæ extra vinum erant, nominabant *Schechar*: quæ vox immoderatam potus ingurgitationem innuit. Hinc *schicharon*, *ebrietas*, *Ezechielis* cap. XXIII. vers. 33.

B 12. Et cognationem habet *τὸ schechar* cum verbo *schackar*, quod est, *scurriliter egit*, ut fere solent ebrii agere, & spectantium se exponere ludibrio.

13. Græci Latinique, paullum detorta voce *σίκερα*, *σικέραν* & *siceram* dixere. Mentio ejus in Sacris est plurima: *Levit.* cap. X. vers. 9. *Numer.* cap. VI. vers. 3. *Judic.* cap. XIII. vers. 4. *Proverb.* c. XXXI. vers. 6. *Jesaiæ* cap. XXIX. vers. 9. *Lucæ* cap. I. vers. 15.

14. Notandumque est, *τὸ schechar*, sive *siceram*, omnibus istis in locis *οἴνῳ*, sive *vino* proprie dicto,

C tanquam diversum quid contradistingui. Verbi gratia: *Οἶνον κ̀ σίκερα μὴ πίεσθε*, *Vinum & siceram non bibetis*. *ἀπὸ οἴνου κ̀ σίκερα ἁγνισθήσεται*, *a vino & sicera abstinebit*: *οὐκ ἀπὸ σίκερα, οὐδὲ ἀπὸ οἴνου*, *non ex sicera, nec ex vino*: *οἶνον κ̀ σίκερα μὴ πίῃ*, *vinum & siceram non bibes*.

15. 16. Interpres quidem Chaldaicus ad locum *Numer.* ex c. VI. adductum, *τὸ schechar* interpretatur *vinum vetus*: quem sequutus Sebastianus Castalio, & alii, reddidere Latine *temetum*, sive vinum forte. Verum & novum vinum, vinum est, æque ut vetus: ac proinde si proprie vinum esset *τὸ schechar*, non opus fuisset tam signanter illud *οἴνῳ*

D ubique contradistingui, & ab ipso separari.

17. Unde & Græcus Interpres semper *σίκερας* vocabulum retinet, loco saltem ex *Proverbiis* adducto *μέθην* pro ea reponit, seu *inebriantem potum*, quando ait: *Δότε μέθην τοῖς ἐν λύπαις, κ̀ οἶνον τοῖς ἐν ὀδύναις*. Latinus Interpres, qui Hieronymum mentitur, ita vertit: *Date siceram mœrentibus, & vinum iis, qui amaro sunt corde*. Quemadmodum idem etiam *Lucæ* c. I. *siceræ* nomen retinet: in locis vero cæteris *τὸ schechar* vocat *omne id, quod inebriare potest*.

18. Quo sensu & D. Basilius lib. *de ebriet.* per siceram intelligit *πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐκποιῆσαι*,

E *omne id, quod potis est ebrietatem inducere*.

19. Tertullianus eleganter una voce *ebriamen* vocat lib. *de Jejun.*

20. Explicatius vero, quid sit *sicera*, docet D. Hieron. *ad Nepotianum, de vita Clericorum*: *Sicera, Hebræo sermone omnis potio nominatur, quæ inebriare potest, sive illa, quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmularum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior colatur*.

21. Huic consentanea scribit Isidor. *Orig.* l. XX. c. II. *Sicera*, inquit, *est omnis potio, quæ extra vi-*

F *num inebriare potest. Cujus licet nomen Hebræum sit, tamen Latinum sonat, pro eo quod ex succo frumenti vel pomorum conficiatur, aut palmularum fructus in liquorem exprimantur; coctisque frugibus aqua pinguior quasi succus colatur, & ipsa potio Sicera nuncupatur*.

22. Sed audiamus & Zonaram *ad Canon. Apostol.* III. *Σίκερα δέ ἐστι πᾶν τὸ ἄνευ οἴνου ἐμποιοῦν μέθην, οἷα εἰσὶν ἃ ἐπιτηδεύουσιν ἄνθρωποι*. *Sicera est omne id, quod sine vino inebriat, & ab hominibus conficitur*.

23. Adde Hesychium: in *Lexico*: Σικέρα πᾶν πόμα ἐμποιοῦν μέθην, μὴ ἐξ ἀμπέλων δὲ σκευαστὸν, συνθετόν. *Sicera est omnis potius inebrians, non ex vitibus confectus, compositus.*

24. Meminit sìceræ etiam Hieronymus in *Vita S. Machulis*: *Tunc quid ageret ambigens, ad officinam, ubi sicera fiebat, abiit; petens a confectore sibi ignem præberi.* Et Gregorius Turonensis *l.* v. c. x. de S. Patroclo: *Vinum, siceram, vel omne quod inebriare potest, non bibebat.* Item S. Bonifacius in *Epist. ad Zachariam Papam*, in qua scribit, se in monasterio constituturum *viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sicera & servis; proprio manuum suarum labore contentos.*

25. Ab hac *sicera* sequior Latinitas *siceratores* dixit, non siceræ tantum, sed aliorum etiam potuum confectores. Carolus M. Imp. in *Capitulari de villis*, edito a clarissimo & amicissimo nobis Hermanno Conringio, num. xiv. *Siceratores, id est, qui cervisiam, vel pomatium, vel piratium, vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum facere sciant.*

CAP. IV.

SUMMARIA.

1. *Ægyptiorum potus*, ζύθος. 2. *Theophrasto* ζῦθος. 3. *Syris zitos*. 4. *Factus præcipue ex hordeo*. 5. *Vinum ex hordeo*. 6. Ζυθίον. 7. *Zythus ex tritico*. 8. *Peculiaris Ægypti potus*. 9. *Zythus Pelusiacus*. 10. *Jo. Bapt. Pius notatus*. 11. *Zythus Lusitanis in usu*. 12. *Et Gallis*. 13. *Sub quibus comprehenduntur Germani*. 14. *Zythus an Gallorum proprius potus & vox Gallica*. 15. *Zuthi*. 16. *Zuthelaers*. 17. *Jo. Isaacii opinio refellitur*. 18. *Zythi derivatio a* σῖτος. 19. *Vel* ζέω. 20. *Vel a Germanico* sieden. 21. *Zythus simplex, duplex*. 22. Δίζυθον. 23. Δίζυφα. 24. Ζίζυφα. 25. Δίζυθον, *periapti species*. 26. Ἠπίαλος, *rigor in febri*. 27. *Epiala febris*.

1. ÆGYPTIIS potus extra vinum inebrians, præcipue frumentaceus, ζύθος, ζῦθος & ζύθον vocabatur.

2. Theophrasto lib. vi. *de causs. plat.* cap. xv. ζῦθος est; *voce*, ut Scaliger pater inquit *Animadvers.* lib. vi. cap. xx. *minus usitata*. Daniel Heinsius tamen in textum reposuit pro ζήθῳ, ζῦθος, & in versione Latina vertit *zuthum*, qui communiter alias *zythus* dicitur.

3. Syri *zitum* vocant, notante eodem Scaligero l. *de Subtil.* exercit. xcvii. Poloni & Bohemi etiam hodie antiquum nomen retinent, & *zyto* appellant.

4. Parabatur autem præcipue ex hordeo. Dioscorides *lib.* ii. *cap.* LXXXI. Ζύθος σκευάζεται ἐκ κριθῆς, *Zythus ex hordeo paratur*.

5. Unde Hesychio & Suidæ est οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος, *vinum ex hordeo confectum*.

6. Diminutivum ejus est ζυθίον, quod πόσιν ἀλφίτων vocat Hesychius, seu *potionem ex farina*, nempe *hordacea*.

7. Aliquando etiam fiebat ex tritico, quod docet nos Posidonius Stoicus, qui apud Athenæum *l.* i. ζύθου πυρίνου, *zythi ex tritico*, meminit.

8. Docet idem Theophrastus *loco adducto*, ubi & *zythi* nomen potui isti primo omnium in Ægypto obvenisse testis est. Verba sunt: Οἶνον ποιοῦντες ἐκ τῶν κριθῶν καὶ ἐκ τῶν πυρῶν· καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ λεγόμενον ζῦθος. *Vina conficientes ex hordeo & tritico; & quod zythum in Ægypto appellatur.* Testis item Strabo, de Ægyptiis loquens *l.* xvii. Τὸ δὲ ζῦθος ἰδίως παρασκευάζεται παρ' ἐκείνοις. *Zythus peculiariter apud ipsos conficitur.* Et Diodorus *l.* i. *c.* xxiv.

A Σκευάζεται πόμα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐκ κριθῆς, ὃ ζῦθον καλοῦσι. *Conficitur potus Ægyptiis ex hordeo, quem zythum vocant.* Item *l.* iv. *c.* ii. ait Bacchum Ægyptium εὑρεῖν τὸ ἐκ κριθῆς κατασκευαζόμενον πόμα, τὸ προσαγορευόμενον μὲν ὑπό τινων ζῦθον, *invenisse potum ex hordeo conficiendum, quem zythum aliqui vocant.* Etiam Plinius *l.* xxii. *c.* xxv. *Ex iisdem (frugibus) fiunt & potus, ut zythum in Ægypto.*

9. Unde & Columella *lib.* x. *zythum* appellat *Pelusiacum*, a Pelusio, Ægypti urbe, ad primum Nili flum. ostium:

Ut Pelusiaci proritet pocula zythi.

Et Galenus lib. ii. *Aphor.* comm. xx. *zythum* ad A-
B lexandrinorum in Ægypto diætam refert.

10. Ex quibus manifestus est error Jo. Bapt. Pii, quem errat in *Annot. poster.* sylloge iii. cap. CLXI. ubi τὸ *zythi* apud Columellam transmutat in *githi*: aitque *githum Pelusiacum* esse compositionem factam ex herba *gith*, quam Plinius *l.* xx. *c.* xvii. a Græcis alias μελάνθιον, alias μελάσπερμον dicit appellari. Nobis *nigella* est, a seminis nigredine. Adr. Junius *Animadv.* lib. ii. c. xii. Pii hoc commentum vocat indoctum, & quod sine cachinno legere non potuerit.

11. Interim tamen & Lusitanis in Hispania zy-
C thi potum & usum tribuit Strabo *lib.* iii. Χρῶνται δὲ καὶ ζύθει, οἴνῳ δὲ σπανίζονται. *Zytho etiam utuntur, vini vero parum habent.*

12. Atque etiam Gallorum, sive Celtarum quosdam zythi potu usos meminit Posidonius *loco adducto*, ubi ait: Τὸ πινόμενον τοῖς ὑποδεεστέροις ζῦθος πύρινον μετὰ μέλιτος σκευαζόμενον· παρὰ δὲ τοῖς πολλοῖς καθ' αὐτό, καλεῖται δὲ κόρμα. *Inferioris conditionis homines zytho utuntur ex tritico cum melle præparato; vulgus vero id per se bibit, vocatur autem corma.* Et Diodorus *l.* v. *c.* xxvi. Διόπερ τῶν Γαλατῶν οἱ τούτων καρπῶν (οἴνου καὶ ἐλαίου) στερισκόμενοι, πόμα κατασκευάζουσιν ἐκ τῆς κριθῆς, τὸ προσαγορευόμενον ζύ-
D θον. *Galli horum fructuum (vini & olei) expertes, ex hordeo sibi potum conficiunt, qui zythus appellatur.*

13. Ubi tamen per *Gallos* etiam *Germanos* Diodorus intelligit. Nam *cap.* præcedenti dixerat per Gallorum regiones fluere Rhenum & Danubium.

14. 15. Cæterum ex Diodori *hoc loco* Jo. Isaacius Pontanus in *Glossar. Prisco-Gall.* in voce *zythus*, evincere conatur zythum proprium esse Gallorum potum, non Ægyptiorum, ut putavit Plinius, vocemque ipsam non Ægyptiam esse, sed Gallicæ
E originis. Ei sententiæ firmandæ in omissis *ad Glossar.* addit, in *Evangeliorum Otfridi* libro, veteri lingua Germanica conscripto, ante annos IƆcc. superesse rei vestigium, & extare vocem *zuthi*, non quidem pro solo potu sumptam, sed pro quavis alimonia: & *panem quotidianum* (quem ita in *Oratione Dominica* appellant Latini Interpretes) ibi vocari Germanice *dagalichun zuthi*.

16. Nec dubitat eandem vocem etiam hodie superesse in Belgarum illo *zuthelaers*; quo illud genus hominum indigitant, qui castris commeatum ac cibum potumque subvehere consueverunt.

17. Et originatio quidem illa ingeniosa est, nec
F inconcinna. In eo tamen frustra est Isaacius, quod Diodorum hoc vult dixisse: Gallos, quod vinum non haberent, coactos fuisse ex hordeo potum sibi parare, quem zythum appellaverint. Diodorus enim hoc tantum dicit: Gallos potum sibi parasse, qui zythus fuerit appellatus: non quem Galli ita primum vocaverint. Similiter vero & Strabo, & Posidonius, quos nos de Gallis adduximus, nihil aliud dixere, quam quod usi fuerint zytho triticeo: non quod ipsi eum ita appellaverint. Immo Posidonius addit, Gallos zytho usos, qui vocetur *corma*: qua de voce suo lo-

co pluribus dicturi sumus. Ægyptios interim suo potius *zythi* nomen indidisse, satis superque ex Theophrasto, Strabone, Plinio & Diodoro ipso jam patuit. Unde quum in Ægypto constet ortum zythum, zythique vocem, supervacaneum fuerit, originem ejus cum Isaacio ex prisco Gallorum idiomate, aut cum aliis ex Græca & hodierna Germaniæ inferioris lingua deducere conari.

18. Nam ἀπὸ τοῦ σίτου, quod *frumentum* est, zythum derivari posse, non obscure innuit Philippus Cluverius *German. Antiq.* lib. I. cap. XVII.

19. 20. At Matth. Martinius *Lexico Philolog.* & Abrahamus Wernerus *Orat. de Cervis.* mavult deduci a Græcorum ζέω, quod est *ebullio*, quia fit ζέμα quoddam, sive *decoctum*: vel etiam a Germanico *Sieden*, quod est, *coquere*. Sed mittimus ista.

21. 22. Quemadmodum vero hodie pluribus apud nos locis cervisiæ, sive potionis ex frumento unius ejusdemque, geminum habemus genus, alterum *simplex*, alterum *duplex* appellatum, sola minoris aut majoris efficaciæ ratione ab invicem distinctum: ita Veteres etiam δίζυθον, sive *zythum duplicem*, a simplici distinctum habuisse, ex Palladæ quodam epigrammate sunt qui nobis persuadere velint. Epigramma ita habet *Anthol.* lib. I. tit. εἰς ἰατρούς.

> Οὐκ ἀλόγως, ἐν διζύφοις δυνάμιν τινα θείαν,
> Εἶναι ἔφην. χθὲς γὰρ δίζυφον ἐν χρονίῳ
> Ηπιάλῳ κάμνοντι τεταρταίῳ περιῆψα,
> Καὶ γέγονεν ταχέως, οἷα Κρότων, ὑγιής.

Et potus quidem frumentacei duo olim apud quosdam fuisse genera, ex Simeone Sethi etiam patet; qui lib. *de aliment. facult. phucam* suum alium *simplicem* facit, alium *duplicem & compositum*, ut suo loco dicemus.

23. Quid vero δίζυφα, aut δίζυφον hoc in loco sit apud Palladam, viri docti fatentur se ignorare, mendumque in textu subesse arbitrantur.

24. Itaque Jo. Bapt. Pius *Annot. poster.* cap. XXXVI. Stephanus Niger in *Collectan.* ex Athenæo, & Jo. Bodæus *Comm. in Theophr. Hist. plant. lib.* IV. *cap.* IV. legunt, ἐν ζιζύφοις, & ζίζυφα interpretantur fructum illum hodie in vulgus notum, quo in decoctionibus pectori dicatis frequenter utimur. Erasmus in *Adagiis*, in proverbio, *Crotone salubrior*, habet ἐν διζύθοις, sive hæc in codice ejus fuerit lectio, sive ipse eam ita interpolarit.

25. Vult autem δίζυθον *duplicem* illum esse *zythum*, de quo jam dixi. Andr. Alciatus *Parerg.* lib. X. cap. XV. rem in medio relinquit. Mihi non minus aqua hic hæret. Zythum tamen duplicem hic non intelligi, aut zizypha, fructum pectori amicum, satis evincit vox περιῆψα. Neque enim Palladas ait, se *zizypha* febricitanti exhibuisse, aut *duplicem zythum* bibendum dedisse, (neque etiam alterutro febrem, de cujus antidoto agit, abigere potuisset) sed δίζυφον (quicquid etiam per hoc intelligat, aut quid monstri hæc vox alat) febricitanti *circumligasse*, tamquam περίαμμα aut περίαπτον aliquod febrifugum. Atque eam sententiam etiam placuisse Demetrio Chalcondyli, notat Alciatus *dicto loco*. Sed addo versionem epigrammatis Latio a nobis donatam:

> *Non ratione caret, dizyphis ego quod medicam vim*
> *Dixi esse, unde & heri dizypha in hepialo*
> *Quartana dudum oppresso circum ipse ligavi,*
> *Et subito sanus, ut Croto, convaluit.*

26. Ἐν ἠπιάλῳ autem in his versibus, est in primo insultu paroxysmi febrilis, sive in rigore. Docet enim Hesych. ἠπίαλον esse rigorem qui febrem præcedat. Verba sunt. Ηπίαλος, ῥῖγος πρὸ πυρετοῦ. Ηπιάλων, ῥίγων. τὸ γὰρ πρὸ τοῦ πυρετοῦ ῥῖγος ἠπίαλον φασίν.

27. Alia est *epiala*, ex pituitosarum genere *febris*: de qua Medicorum libri consulendi. Nos pergimus,

CAP. V.

SUMMARIA.

1. *Aristotelis liber* περὶ μέθης. 2. *Athenæus laudatus*. 3. Πῖνον, *potus ex hordeo*. 4. Ἀπὸ τοῦ πίνειν *dictus*. 5. *Vel* ἀπὸ τοῦ πίνων. 6. *Bieræ nomen an Veteribus notum aut notatum*. 7. *Barthii sententia*. 8. *Pro* πίνῳ *apud Aristotelem* πῖρον *legentis*. 9. *Pivvo Polonorum*. 10. Πίνῳ *ebrii supini in dorsum cadunt*. 11. *Aristoteles emendatur*. 12. *Vino poti in omnem partem prolabuntur*. 13. *Vinum* καρηβαρικὸν. 14. *Potus ex hordeo* καρωτικός. 15. *Sententia & laus Fr. Bonamici*. 16. *Etiam potus hordeaceus* καρηβαρικός. 17. *Et vinum* καρωτικόν. 18. *Polyphemi ex vino ebrii prolapsus*.

1. PRINCEPS Philosophorum Aristoteles librum inter alia conscripsit περὶ μέθης, sive *de Temulentia*, qui tamen injuria temporis ad nostram notitiam non pervenit.

2. Titulum tantum & fragmentum ex eo quoddam nobis conservavit Athenæus: quem quotiens in manus sumo, infelicitatem deploro tot elegantium scriptorum, quorum tantum reliquias ille habet, & velut ruta cæsa.

3. Refert autem *lib.* X. Aristotelem in jam *dicto libro* οἶνον ἀπὸ κριθῆς, sive *potum ex hordeo*, appellasse πῖνον. Locum integrum, & verba huc facientia mox adscribam & explicabo, de nomine ipso & ejus etymo primum visurus.

4. 5. Adrianus Junius *Animadvers.* lib. II. cap. XII. dictum putat πῖνον, vel a communi *bibendi* vocabulo, nempe ἀπὸ τοῦ πίνειν: in quo ipsi adstipulatur Phil. Cluverius *German. Antiq.* lib. I. cap. XVII. vel ἀπὸ τῶν πίνων, sive *sordibus fæculentis*: plurimas enim has hordeacei triticeive potus habent, & per subsidentiam ad fundum deponunt. Ut etiam Arnobium respexisse autumem, quando *lib.* III. *Semelcium*, sive Bacchum, *fæculentæ hilaritatis* vocat *datorem*.

6. 7. Barthius vero noster *Advers.* l. XI. c. XXXII. miratur, qui factum, quod Auctores veteres, quum potuum Germanicorum & Gallicorum sæpe meminerint, nomen tamen ejus proprium, *bieram*, non expresserint. Factum autem id credit sane; verum barbaram vocem describentium inscitia apud Græcos Latinosque scriptores fuisse depravatam.

8. Itaque eo se labi ait, ut pro πίνῳ apud Aristotelem πῖρον reponendum, & *bieram*, sive *biram*, per id intelligendum censeat: quod Abrah. Wernerus etiam facit *Orat. de Cervis.* Sed in medio hoc nunc relinquo, plura in progressu ea de re dicturus.

9. Anton. Sneebergerus in *Amethysto*, ab Aristotelis hoc πίνῳ Polonos autumat deduxisse suum *pivvo*, quo nomine cervisiam etiam hodie appellant: quod tamen Phil. Cluverius *German. Antiq.* lib. I. cap. XVII. potius deducit a *piti*, seu *picz*, quod iisdem Polonis *bibere* significat.

10. Cœterum Aristoteles peculiare hoc τοῦ πίνου, immo cujusvis potus hordeacei liguritoribus esse voluit, quod ipso inebriati non nisi εἰς τὰ νῶτα καταπίπτωσι, *in tergum & supini concidant*. Verba ex Ath. sunt ista: Πλὴν ἴδιόν τι συμβαίνει περὶ τοὺς τῶν κριθῶν, τὸ καλούμενον πῖνον· ὑπὸ μὲν γὰρ τῶν λοιπῶν τε καὶ μεθυστικῶν, οἱ μεθυσθέντες ἐπὶ πάντα τὰ μέρη πίπτουσι. καὶ γὰρ ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ καὶ δεξιὰ, καὶ πρηνεῖς, καὶ ὕπτιοι. μόνοι δὲ τῷ πίνῳ μεθυσθέντες εἰς τοὐπίσω ὕπτιοι κλίνονται. *At peculiare quippiam contingit vino ex hordeo confecto, quod* πῖνον *vocant. Reliquis enim potionum generibus*,

neribus, quæ inebriant, temulenti in omnem partem labuntur, dextram, ſiniſtram, proni ſupini: at pino poti, ſupini tantum, & in poſteriora inclinantur.

11. Ubi tamen in principio mendum occurrit in verbis Philoſophi, quod emacula, & lege: περὶ τῆ τῆ κειθῶν (ſcilicet οἶνον, de hoc enim loquutus fuit) τὸν καλέμενον πῖνον. Eadem vero ex Ariſtotele, paucis tantum mutatis, ac tacito Auctoris loco, additaque rei cauſſa, retulerat Breviator Athenæi *lib.* I. in fine: Ἀριστοτέλης δὲ φησὶ, inquit, ὅτι οἱ μὲν ἀπ' οἴνε μεθυσθέντες ἐπὶ πρόσωπον φέρονται. οἱ δὲ τὸ κρίθινον πεπωκότες ἐξυπτιάζονται τὴν κεφαλήν. Ὁ μὲν γὰρ οἶνος καρηβαρικός, ὁ δὲ κρίθινος καρωτικός. *Ariſtoteles ſcribit, eos, qui vino temulenti ſunt, in faciem pronos vergere; qui vero hordeaceum bibunt, in caput reſupinari, quia, ut nimio vino caput gravatur, ſic potu hordeaceo veternoſum fit & ſomnolentum.*

12. Videtur nempe hoc velle Philoſophus, eos, qui vino appoti ſunt probe, in omnem partem labi, dextram, ſiniſtram, pronos ſupinoſque: at vino ex hordeo ebrios tantum ſupinos concidere: vel vino madidos tantum pronos, hordeaceo potu largius invitatos in dorſum procumbere & ſupinos.

13. 14. Poſterioris aſſertionis cauſſam putat eſſe, quod vinum ſit καρηβαρικὸν, & caput vaporibus repleat, qui id gravent & veluti βάρει ſeu *pondere* deorſum impellant, ut proni concidant: *pinum* vero, ſive κρίθινον potum ſenſus potius ligare, & veterno aut caro quid ſimile inducere, quibus qui laborent, in dorſum & ſupini ſoleant procumbere Rem pluribus aliquanto diducit Levinus Lemnius *de Occult. Nat. Mirac.* lib. II. c. XIX. *Quum autem omnes,* inquit, *madidi vinoque perfuſi ridiculos Comicoſque mores exprimant, tum nulli magis moriones agunt, riſumque obviis excitant, quum vultum atque oculos geſtuſque ſpectamus, quam qui ex zytho, quæ nobis biria dicitur, temulenti ſunt. Illi ſiquidem non in omnem partem corruunt, ſed retrorſum duntaxat & ſupini. Qui vero ex vino ebrietatem contraxerunt, antrorſum proruunt, ac proni decumbunt. Sic ut iſti genas, frontem, faciem, nareſque lædant: illi ſcapulas & occipitium, ubi in terram devolvuntur. Quod ipſum etiam ſpectare licet, ubi inter pocula ſomno corripi ſolent. Ex cerviſia enim uvidi, capite in cervices devoluto, hiantique ore dormiunt, ex vino autem facie mentoque in pectus inclinato. Ratio eſt, quod fumi vaporeſque ex vino ſinciput, parteſque corporis anteriores occupant: ex cerviſia occiput, parteſque poſticas obſident. Quo fit, ut iſti oblivioſi ſint ac ſomnolenti, minimeque loquaces ac clamoſi.*

15. Paullo aliter, & ex propriis principiis rem expedire conatur magni olim nominis Philoſophus, Franc. Bonamicus lib. III. *de Alimento*, cap. XIX. & præter mentem Ariſtotelis præſupponit vini potores ad latera, zythi amatores antrorſum ferri. Verba ejus ſunt iſta: *Zythum* (potus ex hordeo quicumque) *craſſius eſt atque frigidius: quare in majori copia potandum eſt, ut inebriet; & difficilius coquitur; obtinet ergo multum materiæ: propterea pondus afferens thoraci, detrahit pronum. Hæc enim eſt gravium natura, ut perpetuo ſubſideant. Quod ſi quo modo vincatur, craſſos fumos exhalat ad caput, ubi ſunt commiſſuræ nervorum: proin ſicut mortui, diſſolutis compagibus univerſi corporis, ſupini jacent: ſic ebrii ex zytho. A vino autem non requiritur tanta materiæ copia, quæ pondere deprimat; neque tam craſſi vapores exhalantur, qui conjunctionem univerſi corporis revellant; ergo neque proni, neque ſupini. Prout autem materia delata eſt ad hepar, aut ulterius pervenit ad cor; ſic in ſiniſtram dextramve partem procumbunt, & pars oppreſſa delabitur. Nam fumi exhalati a vino prius tentant caput, quam corpus vini, totaque materies ſe contulerit in loca coctionis. Si ergo talis fuerit, ut prius digeratur, quam perveniat ad cor; ad dextram declinat, ubi reſidet hepar: ſi quid ulterius flagitet, tranſilit hepar; quare deflectit ad ſiniſtram. Hic namque materiæ rationem habemus, non autem principii, quod manifeſto vergit in dextram & in anticam partem, eſt etenim in mucrone principium & in ventriculo dextro; quod flectitur in eas partes. Namque hoc in ebrietate ſtatuendum eſt, eam fieri in ſecunda coctione, quæ miniſtratur ante, quam alimentum delatum fuerit ad caput, indeque tanquam poſtliminio redierit ad cor.* Hactenus Bonamicus. Obſcura vero ſunt ejus hæc verba, nec intelligi queunt, niſi tota ejus de nutritione doctrina prius explicetur: quod facere non hujus eſt loci, nec, ut fiat, neceſſum eſt. Fruſtra enim in ejus rei ratione reddenda laboramus, quæ non uno ſemper & eodem modo ſe habet.

16. Experientia ſiquidem teſtis eſt, & quidem omni exceptione major, non vinum tantum, ſed & hordeaceos potus caput gravare, & καρηβαρικὸς eſſe, ac καρηβαρίαν inducere, quam *capitis gravitatem* ex humorum & excrementorum repletione vocat Hippocrates lib. *de vict. rat. in morb. ac.*

17. Et viciſſim vinum etiam καρωτικὸν quid inducere valet, æque ac pinum, cæterique potus hoc genus. Et tam vino quam pino largius invitatos, nunc pronos, nunc ſupinos, concidere, nunc in latera ferri conſpicamur.

18. Ipſe Polyphemus Homericus *Odyſſ.* IX. ab Uti, ſeu Ulyſſe, non pino, ſed meraco Liberi flore ſauciatus, non pronus ſtatim, nec in latera, ſed ſupinus primum, tandem cervice obliquatus procubuit.

Η γὰρ ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος· αὐτὰρ ἔπειτα
Κεῖτ' ἀποδοχμώσας παχὺν αὐχένα.

Namque reclinatus cecidit reſupinus; & inde
Craſſa obliquatus jacuit cervice.

Ubi igitur experientia, & quæ in ſenſus incurrunt, fidem rei faciunt, εὐηθὲς fuerit rationum conquiſitis momentis, ut contrarium aut diverſum quid oſtendas, allaborare.

CAP. VI.

SUMMARIA.

1. Βρῦτον. 2. Βρυττίον, *diminutivum*. 3. *An a verbo* βρύω. 4. *Verſus de eo Sophoclis*. 5. *A Caſaubono emendatus*. 6. *Duo item verſus Æſchyli*. 7. *Archilochi verſus*. 8. *Similiter emendati*. 9. Αὐλός, κρωνός. 10. Βλύζειν. 11. Κυβάβδα. 12. *De bryto Hecatæi locus*. 13. Βρῦτον *Pæonum potus*. 14. *De bryto locus Hellanici*. 15. *Et Theophraſti*. 16. *Pro* Βρυττίον *Barthius legit* βυρύττιον. 17. *Et apud Heſychium*, βῦρ, ζῦθον. 18. *Item pro* βρυτῷ βύελον. 19. *Cluverius* βερυτόν. 20. *Ronſſeus*. βῦρ. 21. *De lectionibus omnibus dubitatum*.

SI Athenæum ſequi velimus, de βρύτῳ nunc porro nobis agendum erit. Is enim *dicto* jam *lib.* X. hoc potionis genus τῷ πίνῳ proxime ſubjungit, & ſimiliter οἶνον κρίθινον, ſeu *vinum hordeaceum* appellat.

2. Heſych. nominat βρυττίον, quod diminutivum eſt a bryto, ut ζυθίον a zytho. Βρυττίν, inquit, πόμα ἐκ κειθῆς. Βρυττὸν, πᾶν τὸ ἐκ τρυφῆς ποτόν.

3. Quas voces, haut ſcio, an non recte deducas a verbo βρύω, quod eſt *germino*: quod & Abrah. Wernerum monuiſſe video *Orat. de Cerviſ.* Coquebatur enim, ut in loco de potibus hordeaceis omnibus dicemus, ex hordeo madefacto, & poſt aliquam corruptionem germinante & ligulas emittente. Athenæus de *bryto* Auctorum aliquot, vetuſtiſſimorum ſane, adducit in teſtimonium loca, ſed admodum corrupta, quæ tamen ſubjungere libet.

4. Agmen eorum ducit Sophocles, cujus iste est versus in *Triptolemo*:

Βρότον δὲ τ̃ χερσαῖον ȣ̓ δυεῖν.

Jacobus Dalechampius Latine vertit:

Brytum terrestrem in alvum non dimittere.

5. If. Casaubonus, quod sensus sibi non constet, in *Animadvers.* ita legit, versumque complet:

Βρύτον δὲ τ̃ χερσαῖον ȣ̓ δυεῖν χαμαί.

quod Latine dices:

Humique terrestrem brytum profundere.

6. Auctorum alter est Æschylus, cujus isti versus in *Lycurgo*, prorsus obscuri:

Κἀκ τ̃ δ' ἔπινες Βρύτον ἰσχναίνων χρόνῳ,
Καὶ σεμνοκόπτει τȣ̃τ' ἐν ἀνδρείᾳ στέγῃ.

Dalechampius hæc pluribus περιφράζεται:

Jam inde brytum bibebat temporis spatio seipsum extenuans,
Ac sub virili tecto cum gravitate modestiaque sese tundens.

Alii in hunc modum transferunt:

Hinc brytum bibisti, ævo macilentus,
In ædibus quas fortes viri & generosi inhabitant.

Nos Davi sumus, non Oedipi, proinde Lectori judicium relinquimus.

7. Sequitur vero apud Athenæum auctor tertius Archilochus, qui Olympiade LXIV. floruisse creditur. Ejus versus sunt:

Ὥσπερ αὐλῷ βρύτον ἢ Θρᾶξ ἀνὴρ
Ἢ Φρὺξ ἔβρυζε, κύβδ' ἂν ἦν πονουμένη.

Vertit iterum Dalechampius:

Ad tibiam brytum, ut Thrax quispiam
Sorbebat, aut Phryx, prono bibens corpore.

8. Ego primum versum metri caussa sic legerim:

Ὥσπερ μὲν αὐλῷ βρύττιον ἢ Θρᾶξ ἀνήρ.

Alterum emendat Casaubonus, legitque:

Ἢ Φρὺξ ἔβλυζε κυβάβδ' ἦν πονουμένη.

9. Αὐλὸν autem in priori versu Casaubonus interpretatur κρȣνὸν, sive *scatebram*, quæ aquam fundit, ut Homerum ait sumsisse.

10. Pro βρύζειν reponit βλύζειν, quod est *scaturire*, & si active sumas, *effundere*.

11. Pro κύβδα, quod nullius est significationis, legit κυβάβδα, Hesychio Amathusiorum lingua *sanguinem* denotans. Unde versus ipsos Latine ita vertere licet:

Velut ex scatebra bryttium Thrax quispiam,
Aut Phryx: ita exspuebat ægra sanguinem.

Loquutus enim fuisse videtur Archilochus de muliere quadam sanguinis sputo laborante.

12. Pergit vero Athenæus & Poetis, qui bryti meminerint, addit Hecatæum ex Historicis, Archilocho coætaneum: ut quem eadem Olympiade LXIV. vixisse testatur Suidas. De eo autem ita scribit: Ἐν δὲ τ̃ Εὐρώπης Περιόδῳ Παίονας φησὶ πίνειν βρύτον ἀπὸ τ̃ κριθῶν, καὶ παραβίην ἀπὸ κέγχρȣ καὶ κονύζης. *In Europæ Periodo ait* (nempe Hecatæus) *Pæonas brytum ex hordeo bibere, & parabiam ex milio & conyza paratam.*

13. Unde discas *brytum* Pæonum fuisse potum, quæ gens eadem erat cum Illyribus: quem tamen Thracibus etiam & Phrygibus familiarem ex adducto Archilochi loco cognoveris.

14. Addit vero tandem Athenæus & Hellanicum, Herodoto contemporaneum, natum Olympiade LXX. adscribitque verba ex ejus libro, quem Κτίσεις inscripsit, sive *de urbium conditoribus*: Πίνȣσι δὲ βρύτον ἐκ ῥιζῶν, καθάπερ οἱ Θρᾶκες ἐκ τ̃ κριθῶν. *Brytum vero bibunt ex radicibus, ut Thraces ex hordeo.* Ubi iterum observabis βρύτον non tantum ex hordeo olim confici solitum, verum etiam ex radicibus. De *parabia* vero in *sabaia* dicturi sumus.

15. *Bryti* demum præter cæteros etiam mentionem facit Theophrast. *Histor. Plantar.* lib. IV. c. X. Ita enim de foliis malinathalla loquitur: Ταῦτα (φύλλα) συνάγοντες οἱ κατὰ τ̃ χώραν, ἕψȣντες ἐν βρύτῳ τῷ ἀπὸ τ̃ κριθῶν, καὶ γίνεται γλυκέα σφόδρα, χρῶνται δὲ πάντες ὥσπερ τραγήμασι. *Folia incolæ* (ad Nili flumen habitantes) *legentes, in bryto coquunt hordeaceo, quæ admodum dulcia evadunt, hisque pro bellariis utuntur.* Cœterum diiximus ex intervallo, quando de πίνῳ agebamus, τ̃ πάνυ Barthium ἀντὶ τȣ̃ πίνȣ legere πῖρον, ut *bira*, sive *biera* Germanorum & Gallorum potus intelligatur.

16. Idem hic etiam eo se labi scribit *Adversar.* lib. XI. cap. XXXII. ut pro voce Βρύττιον apud Hesychium legat Βυρύττιον, ut alludat appellationem *biræ* aut *bieræ*, vox detorta ad Græcam pronunciationem.

17. Dubitat insuper, an non byram nostram & zythum conjunxerit Hesychius, alteramque vocem ex altera explicaverit, scripseritque non Βυρύττιον, sed Βῦρ, ζύθον.

18. Mox etiam apud Athen. ubi Βρύτȣ vox occurrit, omnibus locis rescribendum conjicit Βύρειον.

19. Sed & Philippo Cluverio *German. Antiq.* lib. I. cap. XVII. & Abrah. Wernero, loco adducto video placuisse Βερυτὸν, ex quo *bieræ* Germanicæ origo deduci queat.

20. Et jam ante omnes istos Barthium, Cluverium & Wernerum, medicus doctissimus Balduinus Ronsseus *Epist. Medic.* XL. notavit, ex βρύτȣ vocabulo, parva literarum transpositione, & posterioris syllabæ ἀποκοπῇ, fieri βῦρ, & inde *bieram* nostratium. Verum ultima hæc originatio licentiæ nimium sibi sumit. Si namque ex voce disyllaba syllabam alteram prorsus tollas, alteram pro libitu transponas, facile cuivis voci, quamcumque velis, originem tribuere possis.

21. Derivationes cæteræ, licet ingeniosæ sint, & plausibiles, tamen vix verisimile fit, apud auctores illos omnes ac singulos, qui *bryti* meminere, Sophoclem, Æschylum, Archilochum, Hecatæum, Hellanicum, Theophrastum, Hesychium, textus ubique fuisse corruptos, nullumque eorum codicem repertum mendi ejuscemodi expertem. Igitur rem potius in medio relinquimus, & de emendationibus istis ex veteri JCtorum formula pronunciamus: *Non liquere.*

CAP. VII.

SUMMARIA.

1. *Curmi Dioscoridis.* 2. *Posidonio Stoico corma.* 3. *Apud quem male lectum dercoma.* 4. *Quod tamen retinet Jo. Isaacius.* 5. *Et Germanicæ vult esse originis.* 6. *Durcke, castigare, vox Danorum.* 7. *Jac. Dalechampii παρόραμα.* 8. *Posidonius explicatus.* 9. *Isaacius dimissus.* 10. *Curmen idem cum curmi.* 11. Krmen, *saginatio*, Krme, *cibus Bohemis*, 12. Krome, *Germanis mica panis.* 13. Τȣ̃ *curmi derivatio ex antiqua voce Britannica.* 14. *Curmi an camum Ulpiani.*

1. DIOSCORIDES lib. II. c. LXXXI. meminit potus ex hordeo, quem κȣ̃ρμι vocat. Καὶ τὸ καλȣ́μενον δὲ κȣ̃ρμι, inquit, σκευαζόμενον δὲ ἐκ κριθῆς, ᾧ ἀντὶ οἴνȣ πόματι πολλάκις χρῶνται. *Fit ex hordeo etiam potus, quem curmi vocant, eoque sæpe loco vini pro potu utuntur.*

2. Posidonius, Philosophus Stoicus, lib. *de Hist. Celtar.* agens de ipsorum conviviis & potu, apud Athen. *lib.* IV. *corma* appellat, & ex tritico parari notat. Locum adscribo integrum: Τὸ δὲ πινόμενόν ἐστι, παρὰ μὲν τοῖς πλȣτȣ̃σιν οἶνος ἐξ Ἰταλίας, καὶ τῆς Μασσαλιητῶν χώρας παρακομιζόμενος. ἄκρατος δὲ οὗτος. ἐνίοτε δὲ ὀλίγον ὕδωρ παραμίγνυται. παρὰ δὲ τοῖς ὑποδεεστέροις ζύθον πύρινον μετὰ μέλιτος ἐσκευασμένον· παρὰ δὲ τοῖς πολλοῖς καθ' αὑτό, καλεῖται δὲ κόρμα. Quem locum sic interpretor. *Locupletes vinum bibunt ex*

Italia advectum & Massiliensium regiones atque id meracum: interdum pauca aqua permixtum. Ab inferioris conditionis hominibus zythum triticeum bibitur, cum melle paratum: a vulgo autem per se, dicitur vero corma.

3. In ultimis his Posidonii verbis legebatur jam olim, καλεῖ δέρκομα, nullo sensu. Unde mendum loco subesse advertens primus Joan. Ruellius lib. II. *de nat. stirp.* cap. XIIX. felicissima conjectura legendum censuit, καλεῖται δὲ κόρμα. Nec aliter in codicibus MSS. legi postmodum observavit eruditissimus Casaubonus *Animadv. in Athen. ad hunc locum.*

4.5.6. At Joan. Isaacius Pontanus *Glossario Prisco. Gall.* in voce *dercoma*, retinet τὸ δέρκομα apud Posidonium, & Germanicæ vult esse originis, vestigiumque vocis superare putat in lingua Cimbrica sive Danica, in qua vox *dureke* (infinitivum ait esse) sit *coercere*, *castigare*. Atque ita δέρκομα ait esse, non zythum triticeum, sed *vinum aqua temperatum*, & quasi *castigatum*: idque contra mentem Posidonii, sive *corma*, sive *dercoma* apud ipsum legatur. Verum contextum Græcum inspicere insuper habuit vir eruditus, Latinæque tantummodo editioni fidens, deceptus est: Posidoniumque non de triticeo aliquo potu, sed tantum de vino seu mero, seu aqua temperato loquutum putavit.

7. Aut enim Interpres, Jacobus Dalechampius, vir alias undiquaque doctissimus, festinatione quadam, ut facile in tam magno opere fieri potest, aliqua inter vertendum omisit: aut exscriptor potius, sive editor, quæ versa erant, mutilate, omissaque integra periodo edidit hoc modo: *Locupletes vinum bibunt ex Italia petitum vel Massiliensium regione, & id merum: interdum aquæ paullulum affundentes; dercoma id vocant.*

8. Quæ si cum nostra versione, quæ integra est, quis conferat, manifeste cognoscet, non hoc voluisse Posidonium; Celtas locupletes ex Italia aut Massilia bibere vinum, nunc merum, nunc aqua pauca mixtum, & hoc vocari *dercoma*: sed hanc fuisse ejus sententiam; Celtas locupletes bibere vinum ex Italia & merum & mixtum, pauperiores zythum triticeum cum melle, vulgus infimum zythum per se, sine melle, & hunc vocari δέρκομα, seu potius κόρμα, ut esse diximus in MSS.

9. Atque ita derivatio nominis illa ex lingua Cimbrica, desumpta a vini temperatione & castigatione, cujus nulla apud Posidonium facta mentio, per se concidit. Retinemus igitur τὸ *corma*, quod aliis etiam *curmen* dictum fuit.

10. Lexicon Philoxeni: *Curmen* ζῦθος ἀπὸ σίτε. Ubi per σῖτον intelligitur *frumentum*, ex quo fit potus. Abr. Wernerus *Orat. de Cervis.* Hebræum esse censet vocabulum, & denotare *lutrem æneum*, in quo potus hic coqui solet.

11. Matth. Martinius *Lexico Philolog.* *curmi* a voce Slavonica esse conjicit: Bohemis enim, inquit, *Krmen* est *saginatio*, σιτισμὸς, a *Krme ferculum*, *cibus*; & *curmi* est πιαντήριον, & pinguefaciendi vim habet.

12. Ita Germanis *Krome medulla panis*; *Krumlen, in micas frangere*. Vicinum etiam ait esse Germanico *Korn, frumentum*.

13. At Guilelmus Cambdenus in *Descript. Britann.* ubi agit de Comitatu & oppido Darbiensi, cervisiæ optimæ coctione celebrato, ex eo, quod Dioscorides in *Curmi* descriptione subjungit, similes τῷ *curmi* potiones etiam in Occidentali *Hiberia* & *Britannia* ex tritico parari; pro *Hiberiæ* aut *Iberiæ* quidem vocabulo vocem *Hiberniæ* reponit: cervisiam vero, quam Angli hodie *alam* vocant, Britannos antiquo vocabulo *Kvvrvv* ait appellasse, & ex hoc corrupto hodie perperam apud Dioscoridem legi *curmi*.

14. Verum nos ea nunc in medio relinquimus. Gregorius Holoander *ad Ulpianum in L. si quis vinum. D. de trit. vino & ol.leg.* & Guidus Pancirollus *Var. Lect.* lib. II. cap. LXXXV. pro *camo*, quod habet Ulpianus, substituunt *curmi*. Verum ea de re in ipsa *cami* historia videbimus.

CAP. VIII.

SUMMARIA.

1. *Hispanorum potus celia & ceria.* 2. *De iis locus Plinii.* 3. *De celia Flori.* 4. *Vocis indigenæ apud Florum acceptio.* 5. *De celia locus Orosii.* 6. *De utraque locus Polibii.* 7. *Celia an a calefaciendo dicta.* 8. *An eadem cum oela Anglorum.* 9. *Ceria an a colore cereo.* 10. *Aut a Germanico* zehren, *epulari.* 11. *Aut* gehren, *fermentare.* 12. *Celia & ceria an idem potus.*

1. Hispanorum ex frumento potus *celia* & *ceria* erant.

2. Utriusque meminit Plinius *lib.* XXII. *cap.* XXV. *Et frugum quidem hæc*, inquit, *sunt in usu medico. Ex iisdem fiunt & potus, ut zythum in Ægypto, celia & ceria in Hispania.*

3. Meminit *celiæ* etiam Florus, qui sub Trajani principatu vixit sub initium secundi sæculi Æræ Christianæ, *l.* II. *c.* XIIX. ubi de Numantinis ait: *Eo necessitatum compulsi, ut destinata morte in periculum ruerent, quum sese prius epulis, quasi inferiis, implevissent, carnis crudæ & celiæ, sic vocant indigenæ ex frumento potionem.*

4. Ubi tamen vir clarissimus, Joan. Freinshemius ex MSS. Palatinis pro *indigenæ* legit *indigenam*, scilicet *potionem*, hoc est, ἐπιχώριον πόμα, ut explicat illustris Salmasius.

5. Floro adde Orosium, qui sub initium sæculi quarti floruit, & *lib* V. *c.* VII. de iisdem, & paullo plenius quidem, sic scribit: *Ultimo omnes duabus subito portis eruperunt, larga prius potione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum a calefaciendo celiam vocant.*

6. De potibus Hispanorum iisdem, licet nomen eorum non exprimat, capiendus est Polybius apud Athenæi Breviatorem *lib.* I. ubi tradit in ædibus Hispani cujusdam regis, qui Phæacum luxum æmulabatur, stetisse κρατῆρας ἐν μέσῳ τῆς οἰκίας, ἀργυρᾶς ὄντας καὶ χρυσᾶς, πλήρεις οἴνου κριθίνου, *crateras in medio atrii, argenteos aureosque, plenos vino hordaceo*: celia puta, & ceria.

7. Cæterum de *celiæ* originatione Orosium post duo fere sæcula sequitur Isidorus *Orig.* lib.XX. cap. III. & a *calefaciendo* deducit, quasi *caliam*: sed absurdius, ut videtur Hadr. Junio *Animadv.* l. II. c.XII. & Jo. Isaacio Pontano *Glossario Prisco-Gall.* eo quod vox non Latina sit, sed Celtica.

8. Isaacius vero eandem putat cum *oela* & *ala* Anglorum, qua de re suo loco dicemus.

9. *Ceriam* Jo. Ruellius lib. II. *de nat. stirp.* cap. XIIX. & Junius *loco adducto*, a *colore cereo* derivant.

10. At Ger. Jo. Vossius lib. I. *de vitiis sermon.* c. IV. & Matth. Martinius *Lexico Philolog.* dici malunt ceriam, non a Latina quapiam, sed Celtica voce *zehren*, quod Germanis etiam hodie est *vesci, epulari, concoquere*: nempe quod vim habeat alimoniæ, potusque sit alibilis.

11. Isaacius econtra originem vocis accersit a *gehren*, quod Belgis (quemadmodum Germanis etiam superioribus) ait esse, quando potus fermentatur, ut ita loquar, sive a recenti coctura in spumam elevatur.

12. Abrah. Wernerus *Orat. de Cervis.* utramque & ceriam & celiam per μεταθέσεις literarum a *beria* Germanica derivatas. Vossius vero & hoc addit, Hispanos, mutata litera R in L, fecisse ex *ceria celiam*: ut uterque ita potus unus sit idemque, nec diversus. Huic tamen hac in re assensum præbere nequimus. Licet enim tam *celia*, quam *ceria*, potus sit ex frumento, atque in hoc uno conveniant, diversum tamen a *celia ceriæ* esse nomen & *celiæ* a *ceria* non minus quam *zythi*, potuumque a nobis enumeratorum aliorum, vel ex Plinio docemur, quem diserte, ut *zythum* in Ægypto, ita in Hispania tum *celiam*, tum *ceriam* ex frugibus esse potus, adfirmare diximus, nomine tamen inter se differentes.

CAP. IX.

SUMMARIA.

1. *Camum*. 2. *Ulpiani ex Digestis locus*. 3. *Ejus sensus*. 4. *Zerzuphum*. 5. *Cicernum*. 6. *Lectio vulgata retenta*. 7. *Camum an cammarum Apicii*. 8. *An curmi Dioscoridis*. 9. *An lora*. 10. *Vinum* δεύτεριον. 11. *Vinum* ἀπὸ στεμφύλων. 12. Θαμῖνα 13. *Lora an defrutum*. 14. Οἶνος σίραιος 15. *Defrutum & sapa differunt*. 16. *Camum an cibus potabilis*. 17. *Camalis cibus Cœlii Aureliani*. 17. *Ejus lectio alia explicata*. 19 *Camum an vinum chamædrites*. 20. *Camum proprie quid*. 21. *De eo Prisci Panitis locus*. 22. *Et Simonis Januensis*. 23. *Camum ab Hebræo cham*.

1. ULPIANUS JCtus, qui sub Alexandro Severo Imp. maxime floruit, circa salutis nostræ annum CCXXIII. meminit potionis ex frugibus, quam *camum* vocat, in *L. si quis vinum*. 9. *D. de trit. vino & ol. leg.* ac sub vino legato eam contineri negat.

2. Verba legis omnia, quod de ipsis deinde plura dicenda sint, adscribam: *Si quis*, inquit, *vinum legaverit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permansit. Sed si mulsum sit factum, vini appellatione non continebitur proprie nisi forte paterfamilias etiam de hoc sensit. Certe zythum, quod in quibusdam provinciis ex tritico, vel ex hordeo, vel ex pane conficitur, non continebitur. Simili modo nec camum, nec cervisia continebitur, nec hydromeli. Quid conditum? nec hoc puto, nisi alia mens testantis fuit. Oenomeli plane, dulcissimum vinum continebitur. Et passum, nisi contraria sit mens, continebitur. Defrutum non continebitur, quod potius conditurae loco fuit. Acinaticum plane vino continebitur. Cydoneum, & si qua alia sunt, quæ non ex vinea fiunt, vini appellatione non continebuntur. Item acetum vini appellatione non continebitur. Hæc omnia ita demum vini nomine non continentur, si modo vini numero a testatore non sunt habita, alioquin Sabinus scribit, omnia vini appellatione contineri, quæ vini numero paterfamilias habuit. Igitur & acetum, quod vini numero paterfamilias habuit, & zythum, & camum, & cætera, quæ hominum affectione atque usu vini nomine habebuntur. Si acetum qui legaverit, non continebitur legato acetum, quod vini numero testator habuit. Embamma autem continebitur, quia aceti numero fuit.*

3. Vult nempe JCtus, zythum, camum, & cervisiam, & alia, quod ex vinea, ut loquitur, non fiant, vini appellatione, aut vino a testatore legato, non contineri, nisi alia fuerit mens testantis, atque hic ea pro vino habuerit: quemadmodum hominum affectione & usu pro vinis haberi possunt, quæ vina proprie non sunt. Quanquam vero hic loci sensus sit, nihilominus non pauca in eo a recentioribus JCtis, virisque doctissimis aliis in dubium vocari cœpere.

4.5. Et primo quidem, pro *certe zythum*, olim legebatur *zerzuphum*, vox nihili & nullius significatus: pro qua primum Alciatus l. I. *Prætermiss.* reposuit *cicernum*, ac si intelligeretur potus is, quem Julianus Imp. in *Epigrammate*, quod suo loco dabimus, τράγον, & πυρογενῆ, & βρόμον, seu *hircosum, frumentigenam, & siligineum*, vocet. At postmodum idem Alciatus pro *zerzupho zythum* substituit.

6. Hæc autem & verissima est lectio, & ab omnibus mox recepta. Deinde pro verbis, *ex pane*, Alciatus in *lege dicta* rescribit, *ex farre*: Jac. Cujacius l. II. *observat.* XXX. & lib. XXIV. *obs.* XXXIX. *ex panico*. Neuter enim persuadere sibi potuit, ex pane potionis quoddam genus olim fieri consuevisse. Ego vero vulgatam lectionem retineo, & ex pane tale quid fieri solitum, in progressu docebo. Pergo vero ad *cami* nomen. Hoc, quod nullibi apud Latinos id sibi lectum meminerit, observatione dignum censet Catellianus Cotta JCtus in *Memorabil.* Alii vero, quod nec ipsi id alibi legissent, spurium credidere & ὑπονοθεύειν.

7. Eruditissimus Cujacius, subdubitans quid esset *camum*, primo *loram* esse putavit, & rei probandæ Apicii locum adduxit ex l. II. *de Re Culin.* c. II. ubi is ait: *Cammarum, vel defrutum immittatur, quod Romani loram vocant*. Legit autem pro *cammaro camum*.

8. Mox tamen dubitat an *camum* non sit *curmi* Dioscoridis, quum apud Ulpianum proxime post zythum nominetur curmi, ut similiter fit apud Dioscoridem. Quemadmodum & Gregor. Holoander *ad dictam legem*, & Guidus Pancirollus *Variar. Lect.* l. III. c. LXXXV. pro *camo* τὸ *curmi* substituerunt.

9. Verum de *lora*, sive *lorea*, ut vocat Agellius *l.* X. *c.* XXIII. aut *loriola*, ut Varro l. I. *de Vita Pop. Rom.* primum fallitur Cujacius. Neque enim hæc ex hordeo fit aut frugibus, ex quibus zythum, & cervisiam, & camum fieri notat Ulpianus. Ac licet lora jure vinum dici nequeat, ut dicit Plinius *l.* XIV. *c.* IX. tamen nec potionibus ex frugibus addici potest.

10. Quin Veteribus ad vina potius refertur, & vocatur *vinum secundarium*, Græcis δευτέριον, Dioscoridi *l.* V. *c.* IX. οἶνος est δευτερίας: qui Hesychio ὁ μετὰ τὸ ὕδωρ ἐπιχυθῆναι εἰς τὰ στέμφυλα, οἶνος: quæ tamen verba vel corrupta vel mutilia sunt. Pollux *l.* VI. *c.* II. vocat οἶνον φαῦλον & τρυγηφανίον: *nullius pretii & quasi vini fæcem*, in comparatione ad vina proprie dicta.

11. Sacræ Literæ *Numeror.* c. VI. vers. 3. & Hippocrates noster l. *de vict. rat. in morb. acut.* nominant οἶνον, seu ποτὸν ἀπὸ στεμφύλων, *potum*, aut *vinum ex vinaceis*. Cato *de Re Rust.* c. XXV. & LVI. inter *familiæ potiones* recenset: Plinius *loco dicto* inter *vina operaria*.

12. Auctor *Geopon.* l. VI. ex Anatolio θαμίαν vocat & describit, ac πόμα esse ait οὐκ ἀηδὲς τοῖς ἀγροίκοις, *potionem rusticis non insuavem*. Præterea, licet sæpius *loræ* mentio fit apud Auctores, nemo tamen ex omni eorum numero *camum* appellavit, ut adversus Cujacium argumentabatur Hier. Mercurialis *Variar. Lect.* l. V. c. I. Apicii vero locum a Cujacio adductum quod attinet, haud liquet an de *camo* is ibi loquatur. Atque ut maxime de eo loquatur, & *cammarum* ibi sit *camum*; tamen non *camum*, sed, quod proxime sequitur, *defrutum*, *loram* esse Romanis, affirmare videtur.

13. 14. Et tamen ne sic quidem verum diceret. *Defrutum* enim non lora illa est, de qua loquuti sumus, sed *mustum decoctum*, & coctione imminutum, quemadmodum & *sapa*: quam οἶνον σίραιον vocat Hippocrates lib. I. & II. περὶ γυναικ. Græcis aliis est ἕψημα. Galenus in *Explic. voc. Hippocr.*

Εψημα, ὅπερ σίραιον. Hesychius: Εψημα, ὅπερ ἔνιοι σίραιον καλῦσι, ἄλλοι γλυκύ. Plinius *li.* XIV. *cap.* IX. *Siræum, quod alii hepſema, noſtri ſapam appellant.*

15. Hoc tamen, ſi proprie magis loqui velimus, defrutum & ſapa differunt, quod illud ſit muſtum decoctum ad tertiam, hæc ad mediam partem, ut docent Varro lib. I. *de Vita Pop. Rom.* apud Nonium, & Plinius *loco dicto*. Immo Celſus *lib.* II. *cap.* XIIX. defrutum eo firmius eſſe cenſet, quo magis ſit incoctum. Vide etiam Columellam *libr.* XII. *cap.* XX. & XXI.

16. Igitur Hier. Mercurialis *loco adducto camum* fuiſſe ait potionis genus ex variis rebus commixtum, quod *cibi potabilis* formam retulerit, & quia peculiare quid fuerit uni alicui nationi, non eſſe mirum putat, ſi a plurimis tacitum fuerit & ignoratum. Adducit opinioni ſuæ ſtabiliendæ verba Cœlii Aureliani, qui de pronis in catalepſin ita loquitur li. II. *Acut. Paſſ.* c. X. *Sciendum igitur, quod hæc paſſio ex iiſdem cauſſis antecedentibus fit, quibus aliæ quoque paſſiones efficiuntur, indigeſtione, vinolentia, camali cibo, & horum ſimilibus rebus.*

17. Verum quis per *camum* credat *cibum potabilem*, aut per *camalem cibum* intelligi *camum*? potionem nempe illam, quam Ulpianus tam arcte cum zytho & cerviſia conjungit, ut ſub idem genus concludat? Quam etiam cauſſam credemus Ulpianum habuiſſe, ut quæreret, an cibus potabilis ſub vino contineretur? Tale quid enim de cibo, utcunque liquido, vel cogitare abſurdum fuerit.

18. Adde quod in pleriſque Cœlii editionibus non legatur *camali cibo*, ſed *carnali cibo*; ut videatur intelligi multus eſus carnium. Hanc autem lectionem genuinam eſſe, vel illud probat, quod mox Cœlius addit, paſſionem eam infeſtare potiſſimum homines edaces; qui nempe carnivori ſunt, ac multum carnis ſolidioriſque cibi abſumunt.

19. Alia adhuc eſt opinio Andr. Alciati, qui lib. I. *Prætermiſſ.* in voce *chamum*, ex eo, quod Dioſcorides *lib.* V. *cap.* XXXVI. *vinum* nominat *chamædrites*, quoſdam inde putat extorſiſſe *chamum*. Verum non *chamum* eſt apud Ulpianum, ſed *camum*, & vino contineri negatur. *Vinum* vero *chamædrites* verum eſt vinum, *chamædryos* ſapore tantum imbutum, ut vinum *abſinthites* ſapore *abſinthii*: quæ vino legato contineri, non excludi debent.

20. Itaque *cami* vocem apud Ulpianum retinemus, atque id non *loram* eſſe adſeveramus, nec *cibum potabilem*, aut *camalem*, nec *vinum chamædrites*, ſed *potum ex hordeo*: qui tamen non ſoli Ulpiano, ſed aliis etiam iſto nomine appellatur.

21. Teſtem adduco Priſcum Paniten Sophiſtam, qui Theodoſii Junioris ætate floruit, cujus ex *Eclogis Hiſt. Goth.* hæc verba: Εκομίζοντο δὲ καὶ οἱ ἑπόμενοι ἡμῖν ὑπηρέται κέγχρον, καὶ τὸ ἐκ κριθῶν χορηγούμενον πόμα. κάμον οἱ βάρβαροι καλῦσιν αὐτό. *Miniſtri vero, qui nos ſequebantur, advehebant nobis cenchrum* ſeu *milium, potionemque ex hordeo, quam barbari camum vocant.*

22. Adde Simonem de Janua, ſive Genuenſem, quanquam recentiorem, & qui circa annum Servatoris CIϽ CC LXXXIIX floruit, Nicolai IV. Pont. Max. Capellanum, ut vocant, & Medicum. Ejus verba ſunt in *Clavi ſanationis*, ſive *Synonymis*: *Cerviſia, camum, foca*. Item: *Camum, ſicera, potus factus ex hordeo & aliis rebus calidis, ut zinziber & ſimilia.*

23. Cæterum Matth. Martinius *Lexico Philol.* & Jo. Ger. Voſſius lib. I. *de vitiis ſerm.* cap. IV. dictum putant *camum* ab Hebræo *cham*, hoc eſt, *calidum*: quod calefaciat, calidoſque vapores & inebriantes ad caput & mentis domicilium tranſmittat.

CAP. X.

SUMMARIA.

1. *Laus Ulpiani.* 2. *In ejus verbis apparens contradictio.* 3. *Oenomeli a mulſo an differat.* 4. *Cenomelle, vox nihili.* 5. *Mulſum vino non continetur.* 6. *Oenomeli an contineatur.* 7. *Oenomeli quid Cujacio.* 8. Οἶνος μελιηδής. 9. Οἶνος μελίχρος. 10. Μελίμηλα, γλυκύμηλα, *&c.* 11. Μηλόμελι, γλυκύμελι, *&c.* 12. *Oenomeli quid.* 13. *Ulpiani laus.* 14. *Oenomelitis genus duplex Alciato.* 15. *Mulſum potius cibus, quam potus Plinio.* 16. *Ejus ab oxymelite differentia ex Alciato.* 17. *Modicum non curat Prætor.* 18. *Conditi vox.* 19. *Alciati error.* 20. *Conditum quid hodie.* 21. *Quid Veteribus.* 22. *Simplex.* 23. *Compoſitum.* 24. *Conditum Palladæ.* 25. *Æginetæ, & aliorum.* 26. *Exemplum conditi ſimplicis.* 27. *Claretum.* 28. *Exempla conditi compoſiti.* 29. *Conditum vino non continetur.* 30. *Paſſum vino continetur.* 31. *Et ad dulcia pertinet.* 32. *Mulieribus, vino prohibito, bibere permiſſum.* 33. *A patiendo dictum.* 34. *Aliud primarium, aliud ſecundarium.* 35. *Acinaticum.* 36. *Acimaticium, aromaticium.* 37. *Acinaticum an lora.* 38. *Acinus.* 39. Στέμφυλον, γίγαρτον. 40. *Loræ* σκευασία. 41. Εκπίεσμα. 42. *Lora vino non continetur.* 43. *Acinaticum proprie quid.* 44. *Ulpiani de acinatico dubitatio unde.* 45. *Vinum protropum Plinii.* 46. *Lacryma, vinum Campaniæ.* 47. *Embammatis acceptio varia.* 48. *Ut Ulpianus acceperit.* 49. *Aceti genera varia.*

1 AD alias nunc potionum ex frugibus differentias ex inſtituti ratione pergendum nobis erat: ſed retinemur ab Ulpiano, quem Modeſtinus inter *Coryphæos legum prudentum*, ſive, ut Græca ejus verba habent, κορυφαίοις νομίμων, jure merito reponit in *L.* 13. *§. aliud. D. de excuſat.* Ejus nomini honorem hunc habebimus, ut præter ea, quæ de *camo*, *lora* & *defruto* diximus, cœtera etiam hac occaſione, quorum in contextu adductæ præcedenti capite Legis meminit, elucidemus. Neque enim plane ἀπροσδιόνυσα a tractatione hac noſtra fuerint.

2. Videtur autem in ipſo Legis principio quædam ſe prodere contradictio. *Mulſum* enim vino legato negat contineri, contineri autem vult *œnomeli*.

3. At *œnomeli* Dioſcoridis Græcorumque cæterorum, & *mulſum* Plinii ac Latinorum, plane una eademque res eſt; vinum nempe melle mixtum, quod pluribus probare operæ pretium non eſt. Idem vero vino contineri, & non contineri, manifeſtam implicat contradictionem.

4. Pius Andreas Bartolinus in *Auctario* notat in quibuſdam codicibus olim ſcriptum fuiſſe apud Ulpianum *cenomelle*: pro quo tamen, quod inepta & nihil ſignificans vox ſit, recte is repoſuit *œnomeli*. Lazarus Bayfius *Tract. de Vaſculis*, *ad L.* 19. *cum aurum. §. ſed cui vaſa. D. de auro & arg. leg.* mavult ſuſpicari locum eſſe mendoſum, quam Ulpianum contradictionis aut ignorantiæ accuſari. At ubi mendum latere putet, non indicat.

5. *Mulſum* ſane vino non contineri, certo ſibi perſuaſum habuit Ulpianus: idque extra præſentem locum colligi poteſt etiam ex *L. Idem Pomponius* 5. *§. idem ſcribit. D. de rei vindic.* ubi ait: *Mulſum ex melle & vino factum, ſuam ſpeciem priſtinam non continere.* Quod ſi ſpeciem priſtinam non continet, vini puta, utique nec vino continebitur.

6. At *œnomeli* vult contineri, tanquam vinum dulciſſimum. Tota igitur difficultas in eo poſita erit, ut explicetur, quid per mulſum, quod per œnomeli, quæ alias idem ſunt, Ulpianus intellexerit.

7. Jac. Cujacius, JCtus longe doctiſſimus, *libr.* XXIV. *obſerv.* XXXIX cenſet Ulpianum per *œnomeli*

A

intelligere *vinum dulcissimum*, quod tale sit *sine ulla mixtura mellis, vel corporis alterius, & œnomeli dicatur, ut melimela, poma dulcia*. Verum ea significatione œnomelitis vocem nemo unquam Veterum, sive Medicorum, sive scriptorum aliorum usurpavit, nec exemplo rem probare potuit Cujacius.

8. 9. Homerus *Iliad.* li. 11. xx. & sæpe alibi *vinum dulce* vocat οἶνον μελιηδέα. Idem facit Hippocrates li. περὶ παθῶν. alibi οἶνον μελιχρὸν & μελίχρον, *vinum mellea dulcedine præditum*. Nemo œnomeli vinum dulce aut esse voluit, aut interpretatus est.

B

10. Nec forte compositionis ratio eam interpretationem admittat. Μῆλος sane, si præponas in compositione τὸ μέλι, & μελίμηλα dicas, *mala* sunt *mellei saporis*: γλυκύμηλα, *mala dulcis saporis*: non secus ac χρυσόμηλα, *mala* sunt *aurei coloris*: ὑδρόμηλον potio est *ex aqua & malis* confecta. Ita μελίλωτος *lotus mellinus*, seu *mellei saporis*.

11. At si in compositione τὸ μέλι vocibus aliis postponas, alia & diversa orietur significatio, & μηλόμελι non erit *pomum mellei saporis*, sed *potus ex melle & pomis*; quemadmodum θαλασσόμελι, κυδωνόμελι, ὀμφακόμελι, ῥοδόμελι, ὑδρόμελι, sunt *potus* aut *conditura ex melle & aqua marina, malis cydoniis, uvis immaturis, rosis, & aqua* confectæ.

C

12. Eademque ratione & οἰνόμελι *potus* erit *ex melle & vino*, quem *mulsum* vocamus, non *vinum dulcissimum*.

13. Nec latere hoc potuit Ulpianum, *virum summi ingenii*, ut vocat Justinianus in *L. unica. §. ne autem. Cod. de ead. toll.*

14. Alciatus igitur *Parerg.* lib. IX. cap. II. aliam insistit viam, ut a contradictione liberet JCtum. Ait duplex œnomelitis genus apud Dioscoridem *lib.* I. *cap.* XII. inveniri: alterum ex vini austeri & veteris partibus duabus, & mellis una, quod proprie sit mulsum; alterum ex musti dulcis partibus sex & mellis una, tempore vindemiæ confectum, quod dulce permaneat: & hoc esse œnomeli Ulpiani. Addit Auctorem *Geopon* lib. IIX. hoc ultimum parare ex decem partibus musti & una mellis; priori vero addere costi aliquid, folii, malabathri, smyrnæ, cassiæ, nardi aut piperis: eaque ratione ultimum adhuc magis vinum manere, nec nomen perdere, vino autem contineri.

D

15. Cui opinioni firmandæ addere possis, mulsum ob plurimam mellis admixtionem Plinio *libr.* XXII. *cap.* XXIV. potius cibum, quam potum appellari. *Multi*, inquit, *senectam longam mulsi tantum nutricatu toleravere, neque ullo alio cibo*.

E

16. 17. Ut ita *mulsum* esset, quod multo mellis mixtum majorem crassitiem; *œnomeli*, quod minorem ac dilutiorem tantum acceperit. Verum nec hoc modo difficultas tollitur. Si namque id, quod ex vino & melle fit, speciem suam perdit, nec vinum manet, quod Ulpianum statuere *loco proxime adducto* docuimus: æque vinum id speciem perdet, quod parum, quam quod multum mellis receperit. Magis enim & minus non variant speciem: nec minus *œnomeli* perdet speciem, quod parum mellis, quam *mulsum*, quod multum dicitur recepisse. Nisi dicamus, Ulpianum non Medicorum more hic loquutum, sed JCtorum, apud quos *modicum non curat Prætor*.

F

18. Sed pergimus in Lege ad *conditi* vocem, de qua tamen ante quam dicamus quid sit, notabimus errorem Alciati *loco adducto*. Dixerat Ulpianus: *simili modo nec camum, nec cervisia vino continebitur, nec hydromeli*. Mox quærit: *Sed quid conditum?*

19. Hoc arripiens Alciatus, τὸ *conditum* refert ad *hydromeli*, & duplex illud facit, aliud *simplex* Plinio dictum, & *melicratum*, seu *aquam mulsam*; aliud, *conditum* ex aqua & melle vinum. Inepte. *Hydromel* quidem aliud *recens* est, aliud *inveteratum*, aliud *crudum*, aliud *coctum*, ut suo loco pluribus dicemus. Nullum vero est, quod *conditum* a scriptorum aliquo sit appellatum. Nec Ulpianus *conditum* cum *hydromelite* conjungit, sed hydromelite a vino legato excluso, quærit porro de condito, & mox hoc etiam excludit.

20. Neque etiam *conditum* est, ut quidem voluit Jo. Bapt. Pius *Annot. Poster.* cap. CXXXIII. *elegantia & suavitate excoctum cibarium*. De cibario enim dubitare aut quærere non poterat Ulpianus, an ad vinum legatum pertineret. Dico igitur: *Conditi* vox aliter olim apud Veteres accipiebatur, alio hodie significatu a τοῖς ἰατρῶν παισὶν usurpatur. Hodie *conditi* nomen primum tribuitur conservis & pulveribus, rebusque aliis, quæ mediante melle vel syrupo in formam electarii miscentur. Aliter sumitur pro medicamento, aut simplici aliquo, ut sunt radices, fructus, flores, caules, atque id genus alia, quæ diutioris conservationis gratia, melle vel saccharo integra condita, in usum reponuntur. Exempla habemus passim apud Geoponicon & rei rusticæ scriptores, & Medicorum plurimos.

21. At Veteribus *conditum* etiam potio erat, quæ bibi solebat. Isidorus lib. XX. *Orig.* cap. III. *conditum* ait vocari, *quod non sit simplex, sed commixtione pigmentorum* (aromata intelligit) *compositum*. Sed obscuriora hæc sunt verba, quam ut solide rem explicent. Nos cum Leonh. Fuchsio *Annot. ad Myreps.* sect. I. cap. XLV. Jo. Brodæo *Annot. ad Anthol. Græc.* lib. I. tit. εἰς ἰατρὸς, & Cl. Salmasio *Notis ad Simplicii Comm. in Enchir. Epicteti cap.* I. dicimus esse *vinum aromatis conditum*. Nomen Latinum est, Græcis posterioribus etiam usitatum.

22. Duum autem generum erat *conditum*; aliud *simplex*, aromatis infectum & melle aut saccharo dulceratum: quo fere ad stomachi frigidioris mala utebantur, & palati gratia, aut in eo, tanquam vehiculo, medicamenta solidiora exhibebant.

23. Alterum *compositum* erat, vel ad evacuandum corpus a peccantium humorum mole, vel certis in eo morbis occurrendum. De priori intelligendus Simplicius, quando *loco adducto*, de avibus humanum sermonem edoctis, ait, quod ignaræ quid dicant, dicant tamen, κονδῖτον πίω, *conditum bibo*.

24. Intelligendus de eodem Palladas in epigr. quod est *Anthol Græc.* loco dicto, in quo a Medico Romano conditum ad stomachi morbum, aut frigiditatem potius, ut puto, sibi confici rogat:

Κονδῖτα μοι δεῖ, τὸ δὲ κονδῖτον πόθεν ἔχει
　Τοὔνομα; τῆς φωνῆς ἐστὶ γὰρ ἀλλότριον
Τῆς τῶν Ἑλλήνων, εἰ Ῥωμαϊκῶς δὲ καλεῖται,
　Αὐτὸς ἂν εἰδείης, Ῥωμαϊκώτατος ὤν.
Σχεδίασον οὖν μοι τοῦτο. τὸ γὰρ κατέχον με νόσημα
　Τοῦ στομάχου χρήζειν τοῦδε λέγουσι ποτοῦ.

Id ita Latine loqui fecimus:

Condito mi opus est, sed conditum unde recepit
　Nomen? nam a lingua dissidet omnimode
Græcorum, quod si Romano ita dicitur ore,
　Tu, qui Romanus, noveris eximie.
Confice mi hoc igitur, nam qui mihi morbus inhæret
　Ventriculo, potus indiget hujus ope.

25. De eodem insuper condito capiendus est Paullus Ægineta *li.* III. *cap.* XLIV. ubi de coli dolore agit: *Porrum*, inquit, *his dandam, coctum cum condito: & ipsum conditum bibant, & panem in ipso accipiant*. Et Alex. Trallianus *lib.* XII. *cap.* V. tractans de cibi fastidio, ex frigiditate ventriculi: *His hydrogarum dandum, vinum vetus, conditum,*

decocta rutæ & anisi. Item Agathotychus lib. I. *Hippiatr*. cap II. Εγχυμάτιζε χειμῶνος δὶ οἴνυ παλαιῦ, ἢ κονδίτυ. *Infundito hyeme in vino veteri, aut condito*, Et Tiberius *Hippiatr*. lib. cap. XXX. Δίδοσον κοχλεάριον μεστὸν, κονδίτῳ κεκραμμένον. *Da cochlear plenum, condito temperatum*.

26. Exemplum simplicis hujus conditi habet Auctor *Geopon*. ex Democrito, *lib*. IIX. Πεπέρεως πεπλυμένυ (lego πεπλυνομένυ) ϰ ἐψυγμένυ, τριβομένυ ἐπιμελῶς, γράμματα ή. μέλιτος Αττικῦ ζεσ. ά. οἴνυ παλαιῦ ϰ λδυκῦ ξέστας δ'. ἢ έ. *Piperis loti & resiccati, accurate contusi scrupulos octo, mellis Attici sextarium unum, vini veteris & albi sextarios quatuor, aut quinque*.

27. Simile, sed pluribus ex aromatis compositum ad stomachos habet Myrepsus *sect*. XXVII. *cap*. XLI. & κλάρον id vocat, quod Fuchsius in *Annot*. interpretatur *claretum*. Et profecto nihil aliud fuit olim *conditum*, quam quod nos hodie *claretum* vocamus, & *vinum Hippocraticum*.

28. *Conditorum compositorum* magnum apud auctores invenire passim est numerum. *Conditi purgarii*, ad omnis generis humores educendos, exempla habet Aetius *Tetrab*. I. serm. III. cap LXVI. LXVII. LXIIX. *Tetrab*. IV. serm. IV. cap. CIIX. & Myrepsus sect. XXVII. cap. XXXIV. & XXXIIX. Exempla *conditi nephritici*, & ad lapidem in vesica frangendum, invenies apud Oribasium *Collect*. lib. I. cap. XXXII. Æginetam *lib*. VII. *cap*. XI. Myrepsum *loco citato* cap. XXIII. & XXXIX. Et solent ad eum modum etiam hodie medici parare *clareta purgantia, antinephritica, menses provocantia*, atque id genus alia.

28. Et de *simplici condito* quærit Ulpianus an vino legato contineatur, & negat contineri, nisi alia sit mens testantis: quemadmodum nec *defrutum* sive *sapam* contineri dicit, quod conditura loco sint potius, quam vini.

30. *Passum* contra vino contineri vult. Fit enim ex vinea, immo ex uva. Unde Isidorus *Orig*. lib. XX. cap. III. ait *passum esse, quidquid ex uva passa compressum effluit*.

31. Ad *dulcia* tamen magis pertinet. Onomasticon vetus. *Passum*, γλυκύ. Itaque etiam ad dulcia refert Plin. *l*. XXIV. *c*. IX. & Proculus JCtus *in L. qui vinum* 16. §. I. *de trit. vino & ol. leg*. cujus hæc verba: *Cui dulcia legata essent, si nihil aliud testamento significetur, omnia hæc esse legata, mulsum, passum, defrutum*. Meminit etiam *passi* inter alia dulcia Plautus *Pseudolo* Act. II. Sc. IV.

Murrhinam, passum, defrutum, melinam.

32. Et Varro lib. I. *de Vita Pop. Rom. Antiquæ mulieres, majores natu, bibebant loriolam, aut sapam, aut defrutum, aut passum, quam murrhinam quidam Plautum appellare putant*. Et iterum: *Tum murrhinam, vino addito, loram, passum, potare cœperunt*. Item Gellius *l*. X. *c*. XXIII. de mulieribus Romanis: *Bibere autem solitas ferunt loream, passum, murrhinam, potu dulcia*.

33. Servius *ad lib*. II. *Georg*. & Isidorus *loco adducto*, *passum* a *patiendo* deducunt, & volunt percuti uvam licciorem & decoqui, atque inde fieri passum. Verum hoc modo non passum fieret, sed defrutum, ut paullo ante docuimus. Unde vapulat Servius hoc nomine a Phil. Beroaldo in *Annot. ad Serv*. Fit potius *passum* ex uvis, sive Sole adustis, sive ferventi oleo, vel sole siccatis, donec paullo amplius dimidium pondus supersit, ut ait Plinius *loco dicto*. Immo ex Celsi mente, *l*. II. *c*. XIIX. *passum, quo ex licciore fit uva, eo valentius est*.

34. Modum parandi *passi*, tum *primarii*, tum *secundarii*, exacte ex Magone Carthaginensium Imperatore docet Columella *l*. XII. *cap*. XXXIII. Vide etiam Palladium *lib*. X. *cap*. XIX.

35. *Acinaticum*, cujus porro meminit Ulpianus, sive *acinatium*, aut *acinatitium*, ut alii legunt, dubium est, quid olim fuerit.

36. Alciatus lib. I. *Prætermiss*. in voce *chamum*, legit *acimaticium*, & pro eo reponit *aromatitium*: additque describere hoc Dioscoridem *lib*. V. *c*. LVI. Verum *aromatites vinum*, uti jam docuimus, ad condita pertinet, nec vino continetur.

37. *Acinaticum* vero, vinum vere est Ulpiano: tantum quale id sit, & quodnam, controvertitur. Plures volunt esse *loram*, quam fieri dicunt ex *acinis*, atque inde appellari *vinum acinaticum*, tanquam ex *acinis* factum. At hi toto errant cœlo, & quid acinus sit, & quomodo lora fiat, ignorant.

38. 39. *Acinus*, sive *acinum*, ut vocant Varro & Columella, *botrus* est, inquit Isidorus *Orig*. lib. XVII. cap. V. bacca nempe, totusque fructus cum partibus suis, *folliculo* nempe exteriori, seu cute ambiente, σέμφυλον Græci vocant, *carne, succo*, seu liquore vineo, & *nucleo*, qui Græcis γιγαρτον, Latinis quibusdam *vinaceum*, granulum puta lignosum, in acino.

40. 41. Non fit autem lora ex acinis; ita enim vinum esset: sed ut Varro lib. I. *de Re Rust*. c. LIV. Columella *lib*. XII. *cap*. XL. Dioscorides *lib*. V. *c*. IX. Galenus lib. XI. *de alim. facult*. Plinius *lib*. XIV. *c*. X. Non. Marcellus *cap*. XVII. aliique docent, quando musto ex acinis expresso, super solida uvarum in torculari expressarum retrimenta (Hesychius in voce σέμφυλα, vocat ἐκπιέσματα) aqua affunditur & maceratur. Differre autem acinum a nuclea aut vinaceo, ex Cicerone cognoscimus lib. *de Senectute*, apud Nonium *cap*. III. *Quæ ex fici tantulo grano, aut acini vinaceo*, &c. Palladius *Sept*. XI *vinacia, qua in acinis celantur*. Liquet idem ex D. Augusti Epist. ad Tiberium apud Suet. *Octavio* cap. LXXVII. ubi ait: *Panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi*. Intelligit enim baccas uvæ, non nucleos, quos absurdum erat cum pane comesse. Sed vide ad eum locum summum virorum Casaubonum in *Notis*. Vide etiam Jo. Ger. Vossium lib. I. *de vitiis serm*. cap. XXIIX. & Frid. Taubmannum *Notis ad lib*. II. *Georg*. & *ad Culicem Virg*.

42. Ex hoc vero liquido patet, *loram* non esse *vinum acinaticum*, quum ex acinis non fiat: nec sub vino etiam contineri, quum vinum non sit. Nam si acetum vini sub vino contineri non vult JCtus, nec defrutum ex musto decoctum: utique nec lora continebitur, ex aqua vinaceis tantum superfusa. Nec obstat quod lora οἶνος δευτερίας, & *vinum secundarium*, dicatur. Nam & potus ex frugibus οἴνυς κριθίνυς, & *vina hordeacea*, vocari diximus, quæ tamen diserte Ulpianus a vino excludit.

43. Quid igitur *Acinaticum*, quod vino continetur? Dico cum Cujacio & Mercuriali *locis jam dictis*, esse vinum illud, quod Cassiodorus lib. *Variar*. epist. IV. ab acinis denominatum ait & σκευασίαν ejus fusius describit, ac summopere a dulcedine ac suavitate exquisita commendat. Locus prolixior est, quam ut hic adscribi debeat: præsertim quum ad potiones extra vineam, de quibus proprie agere instituimus, non pertineat.

44. Verum quærat aliquis, cur Ulpianus de eo dubitarit, an sub vino contineretur, si ut vina cætera, ex acinis fit, seu baccis uvarum? Puto dubitationem inde natam, quod non ad eum modum fieret acinaticum, quo vina alia, *acinique non calbus injuriose tunderentur, nec aliqua sordium admixtione fuscarentur, sed uva in auctumno suspensa, hyeme rigescens ex se deflueret, & destillaret gemmis comparem liquorem*, ut verba sonant Cassiodori.

45. Putat autem Mercurialis *acinaticum* idem esse cum *vino protropo*, quod Plinius *loco dicto* ait esse *mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ.*

46. Prosper Reudella JCtus vinum acinaticum putat esse id, quod Neapoli & Romæ *Lachryma* vocatur. Vulgus *Lachrymam Christi* vocat, narratque venisse aliquando Romam Monachum quendam e locis vino bono carentibus, Lachrymaque bibita, & audito homine, cum gemitu dixisse: *O bone Christe, quare in mea etiam patria ejusmodi lachrymas non profudisti?* Sed vulgi hoc scomma est. Nascitur autem *Lachryma* in Campania felice, a Vesuvio, quem *monte Soma* nunc dicunt, Surrentum usque, & Salernum & Amalfitanum districtum, in uvis nigris, ex quibus sponte finitur fluere. Atque id *vinum* aliqui etiam vocant *virginium*. Sed vide Reudellam Tract. *de Vindemia*, part. I. cap. IIX. & Tract. *de Vinea*, sect. I. Cœterum in Mercurialis & Cujacii sententiam de acinatico tandem etiam inclinat Alciatus, sibi parum constans.

47. Porro *embamma*, cujus hic etiam meminit Ulpianus, idem in *l.* 9. *§.* 11. *D. de contrab. nupt.* per *intinctum* explicat. Nisi tamen τὸ *intinctus* ibi est a mala manu, quæ ad marginem notavit, quod deinde irrepsit in textum. Est autem ab ἐμβάπτω, *intingo*: dicitur & simpliciter βάμμα, a βάπτω. Sunt enim *embammata* liquores, in quos cibos intingimus ad saporis gratiam, & gulam irritandam, ut *garum*, *sapa*, *acetum*, & id genus alia. Columella etiam *sinapi* pro embammate commendat *l.* XII. *c.* LV. *Hoc sinapi*, inquit, *ad embammata non solum idoneo, sed etiam pretioso utere.* Apicius l. IIX. *de Re Culin.* c. II. *embammata* vocat condimenta, quæ carnibus sive elixis sive assis superfunduntur. Græci vocant ἀρτύματα.

48. 49. Ulpianus hoc loco *embamma* pro *aceto* sumpsit. Tale ὄξος σκευαστὸν dicitur, seu *acetum factitium*, ut est *scylliticum* Pythagoræ, *piperatum* Apuleii, & *coctioni sanitatique inserviens* Sotionis, apud Auctorem *Geopon.* l. IIX. Plura id genus videre est apud cœteros rei rusticæ & medicæ Commentatores.

CAP. XI.

SUMMARIA.

1. *Sabaja, Illyrum potus.* 2. *Sabajarius.* 3. *De sabaja locus Ammiani.* 4. *Et Hieronymi.* 5. *Sabajum.* 6. *An idem potus cum parabia Pæonum.* 7. *Illyres & Pæones gens una.* 8. *Sabaja unde dicta.* 9. Sauffen *Germanorum.* 10. *Saba, potare,* 11. Σαβὸς, *Bacchus.* 12. Σαβάζειν, *bacchari,* 13. *Sabazius, Sabadius, Bacchus.* 14. *Saufeja, sacerdos Bonæ Deæ.* 15. *Saufeii, apud Romanos.* 16. *Lex Saufeja.* 17. *Bibuli, Bibaculi.* 18. *Biberius.* 19. *Parabia.* 20. *Ejus originatio.* 21. *Potuum frumentaceorum, ut vini, effectus.*

1. 2. SED redimus in gradum, quod athletæ dicere solent. Illyriorum sive Illyrum ex frumento potus fuit *sabaja*, sive *sabajum*, a quo Valens Imp. aliquando *Sabajarius* per injuriam audiit.

3. Ammianus *l.* XXVI. *Valens*, inquit, *Nicomediam pergit, exindeque profectus, oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat: cujus e muris probra in eum jaciebantur & injuriose appellabatur Sabajarius. Est autem Sabaja ex bordeo vel frumento in liquorem conversus paupertinus potus.* Hæc ille.

4. Meminit post Ammianum *sabajæ* etiam D. Hieronymus l. VI. *in Esajam*, c. XIX. *Zythum*, inquit, *genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, & vulgo in Dalmatiæ Pannoniæque provinciis gentili barbaroque nomine appellatur sabajum.*

5. 6. Thomas Reinesius, vir doctissimus, *Var. Lect.* l. III. c. IX. dubitat de *sabaja*, annon sit idem potus cum *parabia* Pæonum, de qua ex Hecatæo in Εὐρώπης περιόδῳ Athenæus *l.* X. scribit: Παίονας φησὶ πίνειν βρύτον ἀπὸ τ̃ κριθῶν, καὶ παραβίην ἀπὸ κέγχρου καὶ κονύζης. *Pæonas brytum dicunt ex bordeo bibere, & parabiam ex milio & conyza.*

7. Pæonas enim & Illyrios Reinesius gentem ait esse unam eandemque. Et sunt sane, comprehenduntur que sub Illyriis Pæones: conveniuntque in eo & *sabaja* & *parabia*, quod potus sint frumentacei. Quum tamen tum Ammianus, tum Hieronymus *sabajam* potum dicant esse ex hordeo; Hecatæus vero *parabiam* diserte a bryto potuque ex hordeo separet, & potum ex milio & conyza faciat, uterque potus prorsus unus idemque esse non poterit.

8. 9. Quia vero Illyres inter Celtas, æque ac Hispani, Galli, & Germani, recensentur; Hieronymus etiam *sabajum* nomen barbarum esse ajat; iccirco viri docti id autumant esse a veteri & communi illarum gentium lingua Celtica, propiusque accedere ad nostrum *sauffen*, quod est *potare*.

10. Atque iidem porro Celticum hoc nostrum deducunt ex Hebræo *Saba*, *ingurgitavit se, mero se obruit.*

11. Hinc porro Σαβὸς, *Bacchus* apud Thraces & Phryges: & Σάββοι, *Bacchi sacerdotes*, ut notant Plutarchus lib. *Sympos.* probl. V. Harpocration & Hesychius in *Lexicis*, & Aristophanis Scholiastes.

12. 13. Hinc itidem est σαβάζειν, idem quod σαάζειν, βακχάζειν, *furere, bacchari*, ut ebrii solent: & *Sabazius*, vel *Bacchus* ipse, vel *Bacchi filius*, apud Orpheum in *Hymnis*, Strabonem *l.* X. & Diodorum *l.* IV. *c.* IV. qui Apulejo l. VIII. *Metam.* & Macrobio *Saturnal.* l. I. c. XVIII. leniori sono est *Sabadius*: atque ab his tandem *sabaja*, & nostrum *sauffen.* Puto etiam Romanis Celticum hoc nomen non fuisse prorsus incognitum.

14. Juvenalis certe sacerdoti Bonæ Deæ, mulieri bibaculæ, nomen dat *Saufejæ*, *sat.* IX. ubi de servis ait, quod soliti sint libentius dominorum secreta prodere, quam

——— surrepti potare Falerni
Pro populo faciens quantum Saufeja bibebat.

15. 16. Et quis scit, unde & ex qua occasione nomen apud Romanos originem traxerit *Saufejorum*: ex quibus *Cajum Saufejum* nominat Orosius *l.* V. *c.* XVII. & Eutropius *c.* V. *Lucium Saufejum*, Ciceronis familiarem Corn. Nepos in *Vita Attici*, & ipse Cicero l. I. *ad Attic.* epist. II. *Decium Saufejum* Plinius *l.* VII. *c.* LIII. a quibus & *Lex Saufeja* apud Gellium *lib.* XV. *cap.* X.

17. Quemadmodum & ex bibendi lubidine primum orta fuisse credam *Bibaculorum* & *Bibulorum* cognomina, Romanis olim frequentia: Bibaculorum quidem in Furiorum & Sextiorum; Bibulorum vero in Calpurniorum & Publiciorum familiis.

18. Etiam Tiberius Imp. apud Sueton. in *ejus Vita* c. XLII. ab eadem potus ingurgitatione pro *Claudio Tiberio Nerone* aliquando audiit *Caldius Biberius Mero.* Sed de *Saufejorum* cognomine & vocis *sauffen* origine, vide etiam Christ. Becmanum in *Orig. L. L.* in voce *Saba*, Matth. Martinium *Lexico Philol.* & Ger. Jo. Vossium l. I. *de Vitiis serm.* c. IV. Adde quæ his stabiliendis invenies apud Jo. Guil. Stuckium *Antiq. Convival.* lib. III. cap. VI.

19. De *parabia* Pæonum nihil alibi notatum invenio, præter ea, quæ modo ex Athenæo vidimus.

20. Nomen ipsum tamen Græcam videtur sapere originem. An quod potus ejus admodum accedit παρὰ τὴν βίην, & vim bibentibus infert, præsertim ubi accesserit *conyza*, quæ per se caput petit, & cerebrum invadit.

21. Com-

21. Commune enim frumentacei potus hoc habent cum vino, ut largius recepti sæpe *non lene tormentum ingenio inferant*, atque etiam pro tormento multi eo uti soleant, &

—— *multis urgere culullis,*
Et torquere bryto, quos perspexisse laborant,

ut Horatii ista huc accommodem ex *Carm.* lib. III. ode XXI. & *Arte Poet.* An quod bibentem πρὰ τὴν βίην accendat. &, ut idem Poeta ait, *in prælia trudat inermem*, faciatque, quod de vino dicit Diphilus Comicus apud Athenæum *lib.* II.

Τὸν ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν θρασύν.

Ignavum, ut audeat, & timidum, ut fortis fiet: sive, ut Plato ait lib. I. *de Legibus*; μεστὸν πάσης ἀφοβίας, ὥστε εἰπεῖν τε ἀόκνως ὁτιοῦν ὡς αὔτως ἢ καὶ πράξαι. *Plenum omni confidentia atque audacia, ut quidvis strenue atque impigre & dicat & pariter agat.*

CAP. XI.

SUMMARIA.

1. *Galli potus avidi.* 2. *Cervisia potuum apud eos generale nomen.* 3. *Re aliis etiam gentibus communi.* 4. *Quarum præcipuæ recensentur.* 5. *Jonas scotus emendatus.* 6. *Cervisa.* 7. *An a Cerere dicta.* 8. *Cerebibia.* 9. *Cerevisia.* 10. *An a ceria Hispanorum.* 11. *Vel colore cereo.* 12. *Aut cerebro.* 13. *Aut a Germanico* gehren, *fermentare.* 14. *Aut a* zerwe, *tritico.* 15. *Aut* zehren, *epulari.* *Cervisiæ originatio prorsus incognita.* 17. *Arvisia vina Virgilii.* 18. *Arvisia an cervisia.*

1. DE Gallis Ammianus ait *lib.* XV. *vini avidum genus, affectans ad vini similitudinem multiplices potus.*

2. Hos vero potus generali vocabulo *cervisiam* appellabant, nomine apud ipsos quidem nato, re tamen cum aliis etiam gentibus communi.

3. 4. Quarum quidem gentium præter eas, de quibus hactenus diximus, non paucas recenset Jonas Scotus, qui circa annum Servatoris nostri IDCLX. floruit, in *Vita Columbani*, c. XVI. Verba sunt: *Quum minister refectorii vellet promere cervisiam, quæ ex frumenti vel hordei succis decoquitur, quaque præ cæteris in orbe terrarum gentibus, præter Scoticas & Dardanas, quæ Oceanum incolunt, utuntur, nempe Gallia, Britannia, Hibernia, Germania, cæteræque, quæ ab earum moribus non discrepant, vas, quod typhrum nominat, in cellarium deportavit.*

5. Ubi pro *Dardanas* lege *Danas*, vel *Danicas* gentes, quæ peninsulam Cimbricam in Oceano inhabitant, Scoticis vicinæ, & oppositæ. Nulli enim in Oceano *Dardani*, nulla *Dardania*. Veterum vero *Dardania* Samothraciæ antiquum fuit nomen, ut Stephanus nos docet περὶ Πόλεων. Superat autem hodie etiam apud Gallos cervisiæ nomen, dum potus suos ex frugibus *cervoise* indigitant. Onomasticon vetus cervisiam interpretatur zythum: *Cervisia*, ζύθος.

6. Quibusdam non *cervisia*, sed *cervisa*, dicitur. Pœnitentiale Romanum *Tit.* I. *cap.* XI. *Vinum, & medonem, & mellitam, & cervisam nunquam bibat, nisi in prædictis diebus.* Nec aliter scribitur in Concilio Triburiensi, *cap.* LVI. & LVIII. Meminit *cervisiæ* Plinius *lib.* XXII. *cap.* XXV. *En iis frugibus fiunt & potus: zythum in Ægypto, celia & ceria in Hispania, cervisia & plura alia in Galliis.*

7. Christ. Becmannus in *Orig. Lat. Ling. originem nominis cervisiæ non caliginosam ait esse ei, qui* αἴτιον, καὶ ποιητικὸν, καὶ ὑλικὸν *perpenderit. Coqui enim ex frugibus; Cererem, veteri superstitione Deam, sumi pro frugibus. Inde esse cervisiam.* Et sane jam olim Isidorus *Orig.* lib. XX. cap. II. a *Cerere* frugum inventrice eam voluit dictam. Isidorum sequuti fuere Alb. Cranzius, *Wandaliæ* lib. I. cap. IV. Gregor. Holoander, *ad l. si quis* 9. *D. de trit. vino & ol. leg.* Joan. Placotomus lib. *de nat. cervis.* part. I. Abrah. Wernerus *Orat. de Cerv.* & nuperrime ὁ χαριέστατος ἰατρῶν Caspar Hofmannus *Inst. Med.* lib. V. cap. XXVII.

8. Sequuntur alii, qui dictam putant, quasi *Cerebibiam*, quod *Cereris* fructus in ea bibantur.

9. Vocabularium vetus vult esse *Cereris vim in aqua*: corrupto etiam vocabulo in *cerevisiam*, & interposita E litera. At Joan. Isaacius Pontanus *Glossario Prisco-Gallico* barbaris Gallis *Cereris* nomen ne per somnium quidem in mentem venisse ait: quemadmodum & Phil. Cluverius *German. Antiq.* lib. I. cap. XVII. etymologiam istam, clarorum quantumvis virorum, ineptam & absurdam, mirari se dicit.

10. Itaque alii *cervisiam* a *ceria* Hispanorum potu derivare voluerunt, a qua parum etiam distare ait idem Isaacius.

11. Io. Ruellius lib. II. *de nat. stirp.* cap. XVIII. & Hadr. Junius *Animadv.* lib. II. cap. XII. volunt esse a *cereo colore*.

Alii a *cerebro* deduci, sibi persuasere, ac si *visat* id sæpe, & bibita petat. Hinc distichon illud Jani Dusæ:

Quæritur unde suum ducat cerevisia nomen?
Quod cerebrum visat crebra, Sabelle, tuum.

Aut quod *cerebrum dividat*, vaporibus repleat, & quasi distendat. Hoc placuit Jano Kotteritio *Stromat.* lib. I. in his versibus:

Quærebam nuper, cerevisia duceret unde
Nomen, & inveni postmodo tale etymon.
Æquo si pluris bibitur, cere dividitur brum;
Nam cerebri findit helluo, quicquid habet.

Verum *& res & vocabulum*, inquit Barthius *Adversar.* lib. XLIX. cap. XXX. *sunt barbara, & nullo modo ad Helladem aut Latium spectant.*

13. Quare Isaacius, quem dixi, *ceriam* primum Hispanorum derivat a voce *gehren*, *fermentare*, ut vulgo loquimur: deinde *cervisiam* porro dictam vult, quasi *gehrWiis*: nempe *in modum*, aut *per modum fermentationis* factam, *Wisse* enim, & *Weisse*, *mos* est Germanorum lingua.

14. Melchior Goldastus *Notis ad Ekkehardi Junior. Casus Monasterii San-Gall.* cap. IX. & Phil. Cluverius *loco* jam *adducto*, Belgis, sive inferioris Rheni accolis in usu esse ajunt vocem *terWe*, ἀντὶ τοῦ *cerWe*; sive *zerWe*, mutato c, vel z, in t, quod *triticum* vel *frumentum* significat: variasque hujus esse species, scilicet *Wintertervve, Sommertervve, Turckischtervve, Romischtervve*, quasi dicas *frumentum hyemale, æstivale, Turcicum, Romanum*. Ab hac ergo voce *tervve*, sive *zervve*, *cervisiæ* contendunt esse originationem, seu nominis caussam.

15. Matth. Martinius *Lexico Philolog.* cum Ger. Joan. Vossio lib. I. *de vitiis serm.* cap. IV. & *ceriam*, & *cervsiam* accersunt a Germanico *zehren*, quod sit *vesci, epulari, concoquere*: qua de re etiam paullo ante diximus.

16. Verum enimvero, *cervisiæ etymologiam inquirere, Herculis fortasse labor sit*, inquit recte Isaacius; nec ideo adsequare. Hoc notandum, *cervisiæ nomen* ita invaluisse, ut eo solo per maximam Europe partem hodie quivis e frugibus potus Latine appelletur.

17. Præterire autem hic nequeo, quod Abrahamus Wernerus *Orat. de Cervis.* persuadere nobis conatus est, *vina Arvisia* & *novum nectar* apud principem Poetarum esse eundem potum quem cervisiam vocamus. Locus est *Ecloga* V.

Et multo inprimis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra
Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.

Ait autem Wernerus, *vina Arvisia*, interpretibus Servio & aliis, dici *Chia* ab *Arvisio* Chii insulæ promontorio. Addit ab hoc loco vites in Peloponnesum ad Epidaurum translatas, urbis nomen immutasse, ut *Monembasia* diceretur, vinumque ibi natum corrupte *Malvasiam* nobis appellari, Gallis propius *Malvoisiam*: quæ Guil. Budæi etiam est sententia. Hoc autem vinum putat Virgilii ætate toti Italiæ non novum fuisse, sed cognitissimum, ac propterea a Poeta *novum nectar* dici non potuisse. Itaque ipse per novum nectar intelligendam putat cervisiam, vini æmulam & ἀντιβαλλόμενον, quæ *arvisia* ab *arvo* fuerit dicta, ut cervisia a Cerere: quod fiat non ex uvis, sed frugibus in arvo natis.

18. Verum parum firma est hæc ariolatio, & multas patitur instantias. Primo enim variat admodum apud Virgilium lectio, codicesque alii habent *vina Arvisia*, alii *Ariusia*, alii *Aretusia*, alii etiam *Artysia*. Ut vero *Artysia* & *Aretusia* omnes rejiciunt, ita de *Arvisiis* & *Ariusiis* lis est, utra dixerit Virgilius. Et codices sane antiquiores & meliores habent *vina Ariusia*, & maxime eam amplectuntur lectionem eruditi. *Ariusium* autem Straboni locus est in insula Chio asper & importuosus, qui *vinum* tamen fert nobile *Ariusium* dictum. Plutarcho lib. κατ' Ἐπίκουρον est οἶνος Ἀριούσιος, Plinio aliisque per metathesin unius literæ *vinum Arvisium*. Deinde *vina Ariusia*, sive Chia, non sunt *Malvatica*, non enim ex Chio nobis, sed fere ex Creta apportantur. Præterea falsum est cervisiam a Cerere dici, ac propterea non simili modo *arvisiam* ab *arvis* fingere licet. Itaque apud Virgilium legendum censeo *vina Ariusia*, quæ a Poeta ob nobilitatem, & respectu nectaris Deorum, *novum nectar* vocantur.

CAP. XVIII.

SUMMARIA.

1. Φουκᾶς, *potus*. 2. *Arabibus foca, alfoca, alfuca*. 3. Φωκάδιον. 4. *Fucas potus simplex, compositus, duplex*. 5. *Ex frugibus confici solitus*. 6. *Modus ex Silvatico*. 7. *Arabibus ex pane factus*. 8. *Eoque diversi generis*. 9. *Modus Turcis usitatus*. 10. *Bellonii error*. 11. *Posca, pusca*. 12. *Posca quid*. 13. *Oxycratum*. 14. *Poscæ etymon*. 15. Φοῦσκα *quid*. 16. *Aquæ & aceti in posca quantitas varia*. 17. *Bellonii pro sua opinione argumentum*. 18. *Quod rejicitur*. 19. *Posca ex vino acido & aqua*.

1. EST & potionis quoddam genus, Græcis recentioribus & Arabum familiæ commemoratum; Φουκᾶν vocat Simeon Sethi, qui sub Michaele Duca Imp. floruit anno MLXX. & lib. περὶ τροφῶν δυνάμεως, sive *de alimentorum facultatibus*, omnes ipsi qualitates, quas Dioscorides zytho adscripserat, tribuit.

2. Cujacius *Observat.* lib. XXIV. cap. ult. Græcis etiam φωκάγον ait appellatum. Glossæ tamen Græco-barbaræ φωκάδιον interpretantur *myrothecam*: φωκάδιον, ἀλάβαστρον, μυροθήκη, καννίον.

3. Arabibus potus is *fuca* dicitur, & *foca*, & præfixo articulo *alfoca*.

4. Simeon Sethi *fucam* suum, sive φουκᾶν, duplicem facit: ἁπλῶς κατασκευαζόμενον, *simpliciter paratum*, & συνθετόν, *compositum*, quem & διπλοῦν, sive *duplicem*, vocat.

5. Fit autem ex frugibus, ut fere alia, quæ recensuimus. Unde Simoni Januensi in *Synonymis* pro iisdem habentur *cervisia, camum, foca*.

6. Matthæus Silvaticus in *Pandectis* c.CCLXXI. dicit esse *potum ex bordeo & aliis rebus calidis, ut zingiber & similia: quæ ponuntur in vasis terreis parvis bene obturatis, & cum aperiuntur, salit in altum, & vocatur cervisia*.

7. Arabibus tum ex *hordeo* fit, tum ex *pane*. Et frustra sunt viri doctissimi, Cujacius jam *dicto loco*, & Alciatus in *l. si quis vinum* 9. *D. de trit. vino & ol. leg.* quorum ille pro *ex pane*, e quo Ulpianus zythum confici dixerat, reposuit, *ex panico*: hic rescribendum maluit, *ex farre*. Neuter enim ex pane potum fieri credidit, quod jam ante etiam in *camo* monui. Fieri tamen, quemadmodum ex frugibus, ita etiam *ex pane* potum, non tantum Rhases notavit ex Arabum familia, lib. III. *ad Almans.* cap. V. & post ipsum Avicenna lib. *de regim. sanit.* tract. V. cap. XVIII. sed hic etiam pluribus rem explicat lib. II. *Canon.* tract. II. cap. CCLXXIX. atque aliquot ejuscemodi potuum differentias recenset.

8. Unam enim fieri scribit *de pane albavari cumumentha & apio*, alteram *de pane cocto*, tertiam *de massa azyma*, quibus deinde quartum addit *focæ* genus, *ex bordeo*. Ubi *panem alvahari* Andr. Alpagus in *Interpret. nomin. Arabic.* ad mentem expositorum Arabum vult esse eum, qui fit *ex farina frumenti in aqua loti & infusi, non adeo, ut in depurata a furfure, ex qua fit simila*. Etiam Indos & Æthiopes hodie ex farina & pane bis cocto cervisiam sibi parare, ex Joh. Bapt. Habasciano, Indorum Presbytero, refert Olaus Magnus *H. st. Septentr.* lib. XIII. cap. XXX. & XXXI.

9. Ejusdem præterea *phucæ* parandi modum etiam hodie superare apud Turcas, testis est rerum naturalium & quarumvis aliarum investigator curiosissimus, Petrus Bellonius, qui eum in Syriæ urbe *Haman*, quæ Veterum *Emissa* est, se didicisse scribit *Observat.* lib. II. cap. XCVIII. potumque ipsum *Posset*, vel *Chousset* incolis dictum notat. Ait autem parari *ex farina in massam coacta, quæ in capaci aheno coquatur, ex qua deinde orbiculi confecti in aquam demittantur, quæ illico sponte ebulliat & calefiat sine ignis adminiculo, atque in densam sorbitionem coeat*. Ei similem potus conficiendi rationem describi in fragmento inedito scriptoris anonymi περὶ ζυθῶν ποιήσεως, in volumine Chemicorum Græcorum MSS. testis est vir clarissimus Thomas Reinesius *Var. Lect.* lib. III. cap. IX.

10. Cæterum potum jam dictum, sive *phucam*, ad zythorum, sive potuum ex frumento, genera referri, recte judicat Bellonius; quod variæ sint eorum differentiæ, ut plurimum nominibus tantum differentes, aut parandi aliqua diversitate.

11. At quod eundem putat esse *phucam* cum *posca* sive *pusca* Veterum, & φοῦσκα, in eo falli videtur vir doctissimus.

12. Posca enim Veterum nihil aliud erat, quam quod ὀξύκρατον Græci dicunt; *potus* nempe *ex aceto & aqua* variis modis inter se permixtis.

13. Onomasticon vetus: *Posca*, ὀξύκρατον. Unde & Trallianus *lib.* VII. *c.* V. ait esse inter illa, ὅσα δ' ἔχει τὴν σκευασίαν, καὶ ποῦσκα καὶ ὀξύγαλα, *quæ cum aceto parantur, & puscam & oxygala*.

14. Dicitur autem *posca* a *potu*, ut *esca* ab *edo*. Unde iterum Onomasticum jam dictum: *Posculentum*, πότιλον. Meminit *poscæ* Plautus *Mil. glor.* Act. III. Sc. I.

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.

15. Neque aliud a posca potionis genus est recentiorum Græcorum φοῦσκα, sive φύσκη. Moschopulus: Φύσκη, ἢ κοινῶς φοῦσκα. *Physica, quæ communiter phusca dicitur*. Nam & hæc ex aqua & aceto constabat. Phæmon in *Cynosophio*, sive *de Canum cura*: Φοῦσκα δ' ἐστὶν ὄξος, καὶ ὕδωρ θερμὸν, καὶ ὠὰ δύο. *Phusca vero est acetum, & aqua calida, & ova duo*.

Similiter & Nicolaus Myrepsus *sect.* I. *cap.* CCCLXXXIII. φύσκαν nihil aliud esse ait, quam *sextarium aceti unum, & aquæ sextarium semis.*

16. Ubi tamen notandum, non semper acetum aut aquam eadem proportione, sed nunc alterutrius majorem aut minorem portionem adsumptam, nunc alia etiam adjuncta fuisse, ut de *ovis* additis jam ex Phæmone patuit.

17. Nec pro Bellonio quicquam facit Suetonii, quem adducit, locus. Est is in *Vitellio* cap. XII. de quo ita ait: *Adolescentem mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, quum Puteolis poscam vendentem deprehendisset, conjecit in compedes*, &c. Unum quidem hunc locum Bellonius ait sufficere sententiæ suæ probandæ: *Nisi enim*, inquit, *ea potio aliud quam oxycratum continuisset, frigida ejus taberna exiguum fecisset quæstum.*

18. Verum quæ hæc probatio? Satis profecto erat mancipio fugitivo & profligati pudoris, exiguum ex vilis potionis venditione facere quæstum, non ut pecuniam corraderet, sed vitam saltem sustentaret.

19. Et notat Mercurialis lib. III. *Var. Lect.* c. XXII. *vinum acidum, cum aqua* mixtum, vili plebeculæ olim vendi solitum, & *poscam* vocari. Vide etiam Jo. Brodæum *Miscellan.* lib. IV. cap. XI.

CAP. XIV.

SUMMARIA.

1. *Biera, bira, Germanorum ex frumento potus.* 2. La biere *Gallorum.* 3. *An a Latino bibere.* 4. *Biber, potus.* 5. *Biberes nonales.* 6. *Nona.* 7. *Cervisia nonalis.* 8. *Biera an ab Aetii βύνη.* 9. *Aut ceria Hispanorum.* 10. *Aut pyris.* 11. *Potus ex pyris an priores potibus e frumento.* 12. *Bieræ etymon Hebraicum.* 13. *Biera vocabulum Celticum.* 14. *Ex Hebræa tamen matrice.* 15. Πυρὸς *Græcis unde.*

1. 2. GERMANI suos e frumento potus communi vocabulo *bieram*, aut *biram* vocarunt, atque etiamnum ita appellant: nec ipsi tamen soli, sed & Galli, Germanorum fratres olim dicti, quibus *la biere* nominatur. Esse vero, qui bieræ nostræ nomen ex pini brytique corruptis vocabulis, tanquam sub ipsis lateat, deduci voluerint, jam ante monuimus. Eos quum non sine ratione tum dimiserimus, videamus nunc porro, unde alii caussam nominis accersierint.

3. 4. Itaque Ger. Jo. Vossius lib. I. *de vitiis serm.* cap. III. lib. II. cap. III. & lib. III. cap. II. *bieram* deducere mavult a Latino *bibere*: voce a Romanis militibus accepta, inquit, quibus illud in ore, *da bibere*: quod per ἀποκοπὴν dictum *biber*, id est, potus. Veterum enim Grammaticorum quidam ex hoc nomen faciunt, & neutri generis, ut videre est apud Sosipatrum Charisium lib. I. *Artis Gramm.* Sequioris tamen Latinitatis scriptores in masculino etiam genere, sed numero plurali, dixerunt *biberes.*

5. 6. Ekkehardus Junior lib. *de Casib. Monast. S. Galli*, c. XI. *Invitat tandem Abbas omnes pariter ad nonales fratrum biberes.* Intelligit enim potus qui fratribus in Monasteriis dabantur sub horam tertiam pomeridianam, quam *nonam* dicebant, qua sumebant merendam: *umb die none zeit.*

7. Ekkehardus idem *cap.* IX. dixerat *nonalem cervisiam.* Sed de voce *biber* vide porro jam dictum Vossium *Artis Gramm.* lib. III. cap. XXVI. Cæterum ex *biber* deinde, ait Vossius, factum est contracte *bier*, atque ita nomen *biræ* putat esse generale, ut τὸ πῖνον apud Aristotelem.

8. Anton. Sneebergerus in *Amethysto*, & Jac. Theodorus, quem vulgo Tabernæ-montanum a patria vocamus, in *Hist. stirp.* existimant *byram* alludere vocem βύνης apud Aetium *Tetrab.* III. serm. II. cap. XXIX. quæ hordeum significat maceratum & tostum, sive *maltum*, ut hodie vocamus, ex qua fit cervisia, ut suo loco dicemus. Atqui jam ante monuimus, vocem Germanicam male in Hellade & Latio quæri, frustraque inde caussam nominis peti.

9. Alii itaque *biriam*, sive *beriam*, unius literæ mutatione, dictam autumant a *ceria* Hispanorum potu, de quo paullo ante egimus: quæ conjectura etiam non displicuit Jo. Ruellio lib. II. *de nat. stirp.* cap. XVIII.

10. At Matth. Martinius *Lexico Philol.* in voce *cervisia*, nostrum *bier* deducit a *pyris*, quod potus nostrates prius e pyris quam frumento fuerint confecti. Verum diversæ prorsus fuerunt potiones ex frumento ab iis, quæ fiebant ex pyris, ut de his suo loco videbimus.

11. Et probare primum debebat Martinius, potum ex pyris antiquiorem esse potibus ex frumento, ante quam bieram, quæ ex frumento fit, a potu ex pyris denominatam adfereret. De hoc enim adhuc sub judice lis est.

12. Melchior Goldastus *Notis ad Ekkehardi Junioris*, cujus modo meminimus, cap. IX, distinguit inter *biram* & *bieram*. Et *biram* dicit esse a *piro*, *birn*, potum nempe pyraticum ex pyris: *bieram* vero, quæ ex frumento est, deducit ab Hebræo *beri*, quod est *frumentum*: indeque ait esse *biriah*, seu *pulmentum farinaceum* lib. II. *Reg.* cap. X.

13. Ego sane, ut *bieræ* nomen indigenum esse Celtarum nullus dubito: ita ejus originem frustra ex linguis aliis, nisi forte ex Hebræa, deduci posse autumno. De ea enim recte D. Hieronymus *Comm. in Sophoniæ cap.* III. ait, in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem, & linguam Hebræam omnium linguarum esse matricem.

14. Itaque præter Goldastum, qui bieram a *beri* Hebræorum derivat, etiam Phil. Cluverius *loco adducto* vocabulum *bier*, sive, ut Saxones loquuntur, *beer*, verisimiliter deducit ab Hebraico *bar*, *frumentum*, voce ex ipsa Asia, a primæva linguarum confusione, in Septentrionem propagata.

15. A qua radice insuper Græcorum πυρὸς derivat, quod itidem *frumentum* seu *triticum* significat.

CAP. XV.

SUMMARIA.

1. *Anglorum ex frumento potus ala.* 2. *Differt a biera.* 3. *Cernisia, cervisia.* 4. *Ala an ab alica.* 5. *Scotorum potus, hela.* 6. *Danorum, œlia.* 7. *Slavoniæ, oll.* 8. *Oelia an eadem cum celia.* 9. *Oelandia Danorum an ab oela dicta.* 10. *Oe, insula.* 11. *Buska Gothorum cervisia.*

1. ANGLORUM potus ex frumento & olim fuit & est hodie *ala*, vulgo *ale* & *ael*.

2. Differre tamen *alam* a *biera* & *cervisia* scribunt Adrianus Junius *Animadv.* lib. III. cap. XII. & Phil. Cluverius *Germ. Antiq.* lib. I. cap. XVII. Illam enim ætatem non æque ferre, ut has, caussam dicunt, quod *bieræ* & *cervisiæ* ἀντιτυπίαν quandam conciliant flores lupuli salictarii, qua senio renitatur: *alæ* contra suavitas insit major ob tritici copiam. Sed differentia hæc parvi est momenti. Nam & quæ *bieræ* nobis & *cervisiæ* dicuntur, aliæ ob lupulum in se receptum diutius durant, aliæ ex tritico suavitatem recipiunt, nec nominis tamen aliquam differentiam sortiuntur.

A 3. Addit Junius, Anglos, ad differentiam horum potuum, *alam* vocare *cernisiam* per N, *bieram* vero *cervisiam* per V literam. Sed abusus hic est vocabulorum. Nam & *ala* & *biera* est *cervisia*, non *cernisia*, quæ insolens vox est.

4. Jo. Ruellius lib. II. *de nat. stirp.* cap. XVIII. *alæ* vocabulum ab *alica* deducit. Sed vapulat hoc nomine a Junio. Nec enim ex alica conficitur ala, sed ex tritico.

5. Scoti Anglis proximi, voce parum immutata, potum suum *helam* vocant, sive *hel*.

B 6. Cimbricæ Chersonesi, ut & insularum circumjacentium incolæ, *oelam*, sive *oel*, frumentaceos potus nominant.

7. Gens ea, quæ nunc peculiari nomine Slavonica audit, Hungaris a meridie contermina, bieram vocat *oll*, veteri haud dubie Germanorum vocabulo, quos innumera alia in suum mancipasse sermonem notat Cluverius.

8. Ab *oela* Jo. Isaacius Pontanus *Glossario Prisco-Gall. celiam* Hispanorum derivat, ut sit quasi *oelia*, abjecta C litera, quod sæpe in aliis dictionibus ait fieri solere: ut ita *oela* sit primum *oelia*, deinde *coelia*, sive *celia*.

C 9. 10. Hadrianus Junius in *Hollandiæ descr. Oelandiam* Danorum insulam antiquitus dictam autumat a potus jam dicti hordeacei & lupulacei bonitate: qua in re tamen refellitur ab Isaacio, qui eam ab *oe* derivat, quod *insulam* Danis ait significare

11. Lingua Gothica vero cervisiam *buska* vocari, scribit Olaus Magnus *Hist. Septemtr.* lib. XIII. cap. XXVI. quod nominis non multum abit a *phusea*, de qua paullo ante vidimus.

CAP. XVI.

SUMMARIA.

D 1. *Potus ignotiores alii.* 2. *Collatum, Juritheum.* 3. *De istis locus Gregorii Pontificis.* 4. *De collato locus Isidori.* 5. *Id a vase, in quo continetur, nomen accepit.* 6. *Calpar, vinum a vase itidem dictum.* 7. *Balnea, vilis potus in Græcia.* 8. *De eo Luitprandi Cremonensis locus.* 9. *Quid sit, ex conjectura adsertum.* 10. *Paximacium obiter explicatum.* 11. *Cursia, potus olim Turcarum.*

1. SUNT vero & potuum nomina alia, incertum tamen, an ad vina pertineant, an ex frugibus fuerint parata, ac solo fere nomine nobis nota.

E 2. 3. Ex iis primo occurrunt *Collatum, Juritheum,* & *Congnidium*, a Gregorio Magno Pontifice ita appellata, qui anno Christi IϽXC. dignitatem suam fuit adeptus. Locus est *lib.* V. *epist.* XXXVII. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: *Quia Collatum,* inquit, *ac Juritheum non libenter bibo, præsumens Congnidium requiro: quod in hac urbe post multa tempora Vestra innotescere transacto anno Sanctitas fecit. Nam nos hic a negotiatoribus nomen Congnidii, & non substantiam comparamus.*

F 4. 5. Verum de *Collato* magis in eam propendeo sententiam, quod vinum, vel ex vinea fuerit potio, non frumentacea. Isidorus sane *Orig.* lib. XX. cap. III. inter vina recensuisse videtur, & *Colatum* vocat, atque a vase, in quo servabatur, nomen accepisse autumat: *Colatum*, inquit, *vas proprium nuncupavit, in quo defertur.*

6. Nec prorsus insolens fuit olim, vinum a vase, in quo continetur, nomen accipere. Testis Varro est lib. I. *de Vita Pop. Rom.* de vino, *Calpar* dicto, quod a vase cognominatum scribit: *Antequam*, inquit, *nomen dolii prolatum esset, quum id genus vasis calpar diceretur, id vinum calpar appellatum.* De *Juritheo* & *Congnidio* nihil habeo dicere, nec quo referam potus istos scio, solo nomine notos. *Congnidium* tamen potum Ægyptium, vel vinum fuisse conjicio, quam ab Episcopo Alexandrino illud innotuisse scribat Gregorius. Conjecturis aliis & longius petitis indulgere nolo.

7. Vilissimum vero & insuavem potum quendam, recentiori Græciæ quibusdam in locis usitatum invenio, quem Latino nomine *Balnea* vocarunt. Eum ex frumento, additis radicibus herbisque decoctum, ac propterea insuaviorem fuisse credo.

8. Etenim & hodie delicatiores ægroti & nauseabundi, decoctiones Medicorum, licet salutares, nec prorsus ingratas, si non ab ægro, sed sano biberentur, *balnearem potionem* vocare solent. *Es schmecket Wie Badekraut.*

9. Meminit potus ejus Luitprandus Cremonensis in *Legatione ad Nicephorum Phocam Imp. Constantinopolitanum*, quam nomine Ottonis I. seu Magni obiit, de Græcorum Episcopis scribens: *Soli*, inquit, *mensulæ assident nudæ, paximacium sibi apponentes, balneaque tunc vitro permodico non bibentes, sed sorbillantes.* Et paullo post: *Parcus, cupidus, allio, cæpe ac porris vescens, balnea bibens.* Atque iterum: *Non proderit tibi balneum, quo te assidue potas in amore beati Joannis præcursoris.*

10. Ubi obiter nota, *paximacium* esse panem sex unciarum, cujus duplici portione contenti quotidie esse jubebantur sacerdotes Ægyptii, ut docet Ger. Jo. Vossius lib. III. *de vitiis serm.* cap. XXXIII.

11. Vix alium fuisse potum crediderim, quem *Cursiam* vocat Haithonus, Monachus Armenus, & Regis Armeniæ consanguineus, qui anno Dominicæ Incarnationis CIϽCCC VII. *Historiam Orientalem* condidit. Verba ejus sunt cap. II. ubi de regno Turquestan agit: *Vino totaliter carent: bibunt Cursiam & alia potulenta quæ conficiunt, & lac. Risum & milium comedunt atque carnes, & vocantur Turcæ.* Hæc ille.

CAP. XVII.

SUMMARIA.

1. *Potus ex frumento alii.* 2. *Frumentacea quæ.* 3. *Σιτώδη, & σιτηρὰ Græcis.* 4. *Potus ex avena, sive βρόμῳ.* 5. *Bacchus Bromius.* 6. *Potus avenaceus apud Flandros.* 7. *Lithuanos, Moschos, Sarmatas.* 8. *Potus ex milio.* 9. *Parabia.* 10. *Apud Æthiopes.* 11. *Zauna, cana.* 12. *Apud Tartaros.* 13. *Buza, bracha.* 14. *Abatji, potus apud Brasilianos.* 15. *Potus ex Maiz apud Americanos.* 16. *Ex panico.* 17. *Ex oryza cum aromatibus coctus.* 18. *Acua, aracle.* 19. *Potus ex oryza, vi ignis destillatus.*

1. AD potus, quos ex *frumento* fieri diximus, alii etiam pertinent ex *frumentaceis* parati, ut *avena, milio, panico, oryza.*

2. 3. Hæc enim omnia Latinis *frumentacea* dicuntur: Theophrasto lib. VIII. *de Hist. plant.* & qui illum sequuntur, Græcis cæteris, *σιτώδη* & *σιτηρὰ* dicta. Atque horum potuum alii certum nomen invenere, ut illi, de quibus hactenus egimus, omnes: alii partim sine, partim cum nomine nobis innotuere.

4. 5. Et ex *avena* quidem, sive *βρόμῳ*, jam olim potum fieri consuevisse, scimus ex epigrammate Juliani Imp. Græco, quod ex intervallo integrum dabimus, in quo Bacchum *πυρογενῆ*, sive ex *frumento* aut *tritico genitum* confectumque, non amplius *Bromium* ait appellandum, quod celebre & peculiare ejus erat cognomen, sed a *βρόμῳ*, sive *avena*, *Bromum*.

6. Auctor *Geoponicon* lib. VII. idem notat: quemadmodum & apud Flandros *potum avenaceum* confici solitum testis est Guil. Brito, *Philippidos* lib. II.

7. Hodie idem fieri apud Lithuanos, Moscos, Sarmatas, scribit Matth. Miechovius *Sarmat.* lib. II. c. III. & Anton. Sneebergerus in *Amethysto*. Addit Miechovius c. IV. & repetit Hier. Cardanus lib. IIX. *de Subtil.* Moscos *ex avena sublimatum* facere, vehementer inebrians, quo in frigidis anni constitutionibus utantur.

8. 9. Ex *milio*, seu ἀπὸ τῆ κέγχρυ, potum confici, Hecatæus pridem in Europæ περιόδῳ memoriæ prodidit, eumque *parabiam* vocat apud Athenæum lib. x. De ea jam ante quædam notavimus.

10. Ejusdem modi ex *milio* potus apud Æthiopes, meminit Auctor *Geopon.* loco adducto, & Strabo *lib.* XVII. his verbis: Ζῶσι δὲ ἀπὸ κέγχρυ καὶ κριθῆς, ἀφ᾽ ὧν καὶ ποτὸν ποιῦσιν αὐτοῖς. *Victitant autem ex milio & hordeo, atque ex iis & potum sibi conficiunt*. De Pannoniis idem affirmat, ni fallor, Diodor. Τὰς κριθὰς, καὶ τὺς κέγχρυς ἐσθίυσιν ὁμοίως καὶ πίνυσι. *Hordeum ac milium edunt juxta ac bibunt.*

11. Et ab Æthiopibus Troglodytis illum ex hordeo *zauna* vocari, alterum ex milio *cana*, refert Scaliger pater *Exercit.* LXXXVII.

12. 13. Utuntur potu ex milio etiam hodie Tartari, ut ait Miechovius *loco dicto*, c. VI. & Sneebergerus: miliaremque istam cervisiam a Tartaris ajunt *buzam* vocari, a Ruthenis *bracha*.

14. 15. Brasiliani quoque potum ex eo sibi coquunt, *abatii* dictum, Lusitanis *vinum de milho*; ex *milio* nempe *grandi*, seu *Turcico*, quod quidam etiam *maiz* dicunt, referente Georg. Marcgravio *Rer. Natur. Brasil.* lib. IIX. c. VII. De eodem *maiz*, & ex eo potus confectione, ita scribit Hier. Benzo *Hist. Novi Orb.* lib. I. c. XXVII. *Fœminæ Indorum Occidentalium frugis ejus, quam maiz vocant, quantum visum, pro modo vini, quod facere instituerunt, capiunt. Id ubi trivere & pinsuere, in ampla quædam vasa aquæ plena demergunt: tum illæ, quæ potus faciendi curam habent, grana aliquot deponunt, & in ollam infusa aliquantulum macerant atque emolliunt: mox aliis fœminis, quibus id muneris commissum est, tradunt. Illæ ea grana in os accepta, paullatim conficiunt comminuuntque; deinde vi quadam, & veluti tussiendo excussa, follio ad id comparato, aut forte scutella, excipiunt: tum in amplum vas conjecta humori reliquo admiscent, nempe quod sine hoc velut fermento nulla illi potui vis insit, & tres quatuorve horas subfervefaciunt. Postremo inde sublatum liquorem, postquam deferbuit refrixitque, linteolo colatum in vasa infundunt. Inebriat non minus quam verum vinum.* Hæc Benzo. Vide de hoc potu etiam Jo. Lerium *Hist. Navigat. in Brasil.* ubi ab incolis eum ait vocari *Caou-in*: & haberi rubrum & album. Potum eundem in insula Mocha, quæ est e regione Chili, Americæ meridionalis parte, ita confici refert Auctor ἀνώνυμος *de Mirabilibus locorum Australium* lib. II. *Anus*, inquit, *edentulæ mayz suum gingivis comminuunt, & in aquam exspuunt, ubi a salivatione fermentari incipit, & tum in cupas infunditur, & cica nominatur. Quo anus sunt magis vetulæ, eo potus melior habetur. Hoc ad ebrietatem se invitant: saporis autem est boni & acidiusculi.*

16. Potum porro ἐξ ἐλύμυ, sive *panico*, nominat modo dictus *Geoponicon* Auctor.

17. Potum ex *oryza*, quam barbare *risum* appellant, inculcat Strab. *lib.* XV. ex Megasthene, & *vini* nomine dignatur. Loquitur autem de Indis, & refert eos οἶνον ὐ πίνειν, ἀλλ᾽ ἐν θυσίαις μόνον· πίνειν δ᾽ ἀπ᾽ ὀρύζης ἀντὶ κριθίνων συντιχέντες, *vinum non bibere nisi in sacrificiis, idque ex oryza loco hordei confectum*. Meminit ejusdem potus Rhases lib. III. *ad Almaſ.* c. IX. Fit etiam hodie ex oryza hic potus in Magni Chami regione Cathai in provincia Cangigu, Quinsai, insula Zanzibar, & provincia Aden. Hunc suo sapore etiam vini suavitatem excedere, ac citius inebriare, scribit M. Paullus Venetus lib. II. *Region. Orient.* c. XXV. XLI. XLVI. & LXV. lib. III. c. XLI. & XLVI. Tartari Dagesthani Persiæ confines potum ex oryza coquunt fæculentum, quem *bragga* vocant, teste Adamo Oleario *Itin. Persiæ* Part. III.

18. In Peru potum ex oriza, referente Jo. Bodæo *Comm. ad Theophrast. Hist. plant.* lib. IV. c. V. *acuam* vocant; in Japonia, factum ex ea vinum Javenses nuncupant *aracle*.

19. In insula Palaoam & in Pegu potum haberi ex oryza vi ignis destillatum, longe validiore vapore, quam quod ex palma fit vinum, quodque cum aqua vitæ dicta certet, testantur Scaliger & Bodæus *locis* jam *laudatis*.

Cap. XVIII.

Summaria.

1. *Potus ex arborum & fruticum fructibus*. 2. *Ex pomis*. 3. *Pomatium, pomata*. 4. *Glossæ Isidori explicatæ*. 5. *Mollis, pro leni*. 6. *Hydromelum*. 7. *Poma Matiana*. 8. Σκδασία ὑδρομήλυ. 9. Μηλίτης οἶνος. 10. *Vinum cydonium*. 11. Οἶνος μηλίτης, κατ᾽ ἐξοχὴν. 12. *Modus parandi*. 13. *Vinum mali punici*. 14. Ex ῥοιῆς. 15. Cidre. 16. *Potus ex pyris, pyratio*. 17. *Vinum apites*. 18. *Sidra*. 19. Du poire. 20. Apfelmost, Birnmost. 21. *Potus ex myrti baccis*. 22. *Vinum palmeum*. 23. *Ex loti arboris fructu*. 24. *Ea de re dubitatio ex Strabone*. 25. *Quæ diluitur*. 26. *Vinum ex mespilis, siliquis, sorbis, cornis, moris, pineis*. 27. *Ex ficubus*. 28. *Tamarindis*. 29. *Fructibus Brasilianis*. 30. *Ex aromatibus*.

1. 2. Præter jam recensitos inebriantes ex frumentaceis potus, fiebant & alii ex arborum fruticumque fructibus, cumprimis ex *pyris* & *pomis*, seu, ut Plin. ait *lib.* XIV. *cap.* XVI. *ex pyris malorumque omnium generibus*, tam hortensibus quam silvestribus, in aqua maceratis, & quasi in putredinem solutis, confecti. Hos Hebræi sub *siceræ* nomine complectebantur, ut *cap.* III. ostendimus.

3. Peculiariter tamen potus, qui ex pomis fiebat, *pomatium* dictus fuit, *Glossæ* Isidori: *Pomatium, mollis & liquidus potus ex pomis*. Joan. Matthæus *pomatam* vocat in *speculo sanit.* c. III. Adr. Turnebus *vinum pomarium* lib. *de Vino*. Meminit ejus Carol. M. in *Capitulari de villis*: *Siceratores, id est, qui cervisiam, vel pomatium, vel piratium, vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum fuerit, faciunt*.

4. Cæterum *potus mollis* in *Glossis* Isidori sumitur pro *leni*.

5. Molle enim *lene* est. Virgilius lib. I. *Georg.*

Tunc agni pingues, tunc sunt mollissima vina.

Et lib. IV. *Æn.*

——— *est mollis flamma medullas.*

Plinius Valerian. *lib.* IV. *c.* XLII. *Impones super carbones lenes*. Apicius *lib.* X. *c.* VI. *Igni mollissimo calefacies & coques.* Quemadmodum & Græci dicunt οἶνον σκληρὸν, οἶνον μαλακόν. Vide Barthium *Notis ad Itinerar. Rutilii Numatiani*, Jo. Chiffletium *Dædal.* lib. II. c. II. & amicum veterem nostrum, virum eruditissimum, Jo. Rhodium lib. *de Acia*, c. XV. Verum *pomatia* hæc jam olim Hippocrates noster lib. *de vict. rat. in ac.* ὕδωρ ἀπὸ μήλων nuncupavit, *liquorem ex malis*.

6. Græcorum aliis ὑδρόμηλον dicebatur, tanquam ex aqua & pomis confectus potus. Isidorus *Orig.* lib. XX. c. III. *Hydromelum*, inquit, *fit ex aqua & pomis Mattianis*.

7. Fuere autem *poma Matiana*, sive *Mattiana*, boni præ cæteris saporis. Ea Athenæus *lib.* I. Romam ab Aquilegiæ Alpibus devehi solita scribit. Plinius ab auctore nomen sortita indicat *lib.* XV. *c.* XIV. Apicius minutal ex iis conficere docet lib. IV. *de Re Culin.* c. III.

8. Modum parandi *hydromela* geminum habet Auctor *Geopon* lib. III. alium Dioscor. lib. V. *c.* XIX. Lithuani hodie addunt *brancam ursinam & fermenti* aliquid, teste Ant. Sneebergero in *Amethysto*.

9. Plutarchus *pomatia* ista μηλίτας οἴνους vocat, seu *vina ex pomis*, *Sympos.* lib. III. q. II. Φίλοινοι δὲ, inquit, μὴ παρόντος ἀμπελίνου, κριθίνῳ χρῶνται πόματι· καὶ μηλίτας τινὰς, οἱ δὲ φοινικίνους οἴνους ποιοῦσιν. *Vini potores, ubi vinum non habent, hordaceo utuntur potu, & ex pomis quædam aut palmis conficiunt vina.*

10. Pomatiorum species est *vinum cydoneum*, ex malis cydoneis paratum. Hoc inter ea recensuit Ulpianus, quæ ex vinea non fiunt, vinique appellatione inter testamento legata non continentur, *l. si quis vinum.* 9. *D. de trit. vino & ol. leg.*

11. Dioscoridi id οἶνος μηλίτης, seu *vinum pomaceum*, κατ' ἐξοχὴν, & generis nomine appellatur *lib.* V. *c.* XVIII. ubi & σκευασίαν ejus geminam docet, quarum tamen prior de vino sive musto aliquid, altera de melle, de vino nihil participat.

12. Modos parandi alios docent Plinius Valerianus *loco dicto*, *c.* XLIV. Aetius *Tetrab.* II. serm. I. c. XXXIIX. Oribasius *Collect.* lib. V. c. XX. & XXV. & Ægineta *lib.* VII. c. XV.

13. Pertinet huc etiam *vinum ex malo punico*, quod alii granorum multitudine *granatum* dixere. Salomon Rex *Cantici* c. VIII. vers. 2. vocat νᾶμα ῥοῶν, Interpres *mustum*. Ποτιῶ σε ἀπὸ οἴνου τοῦ μυρεψικοῦ, ἀπὸ νάματος ῥοῶν μου. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & musto granatorum meorum.*

14. Hippocrati *loco adducto* est potus ἐκ ῥοιῆς, Plinio *lib.* XIV. *c.* XXIII. *vinum* ῥοΐτης: quorum hic modum insuper ejus parandi docet.

15. Gallis pomatia vocantur *cidre*, quod ab Hebræo *secar* & *sicera* deducunt Guil. Stuckius *Antiq. Convival.* lib. III. c. VIII. & Melch. Goldast. *Notis ad Ekkehardi Jun. lib. de Casib. Monast. S. Galli c.* IX. & sub *sicera* contineri putant. Utuntur hoc potus genere non Germani tantum & Helvetii, sed & Vascones & Cantabri, ut testis est Jul. Cæs. Scaliger *Exerc.* LXXXVII. qui addit, Mysos Asiaticos *ficus* addere pomis, potumque inde parare, quem *Cherbeth* appellent. Etiam Hispaniolæ incolas potu ex pomis confecto uti scribit Hier. Benzo *Hist. Novi Orb.* lib. I. c. XXVII.

16. Potus ex pyris dicebantur *pyratia* & *pyratica*. Hieron. lib. II. *adversus Jovinianum: Paullus in navi panem frangit, non caricas: Timotheo dolenti stomachum vinum suadet bibere, non pyraticum.* Carolus M. Imp. in *Capitulari de villis: Qui cervisiam, vel piratium facere sciunt.*

17. Fortunatus *de Vita S. Randvvigis* lib. I. *Potum præter aquam mulsam & pyraticum non bibit.* Dioscoridi οἶνος ἀπίτης vocatur, Turnebo *vinum pyrarium*. Ejus modum conficiendi idem docet Dioscorides *lib.* V. *c.* XXI. de quo etiam vide Pallad. *lib.* III. *cap.* XXV. Melchior Goldastus, uti dixi, pyratia etiam *biram* vocat. Distinguit nempe, quod supra quoque tetigi, inter *bieram* & *biram*: atque illam ait esse ex hordeo, hanc ex pyris, quasi *piriam*, succum nempe ex pyris expressum. Ego vero supervacaneam distinctionem illam autumo, ut quæ nulla auctoritate aut testimonio aliorum nitatur aut firmetur. Et sive bieram dicas aut biram, nihil aliud dixeris, quam cervisiæ illud genus, quod Germani *bier* dicunt, ac nemo unquam piratiis tribuit.

18. De Francicis scriptoribus quod addit, pyratia ipsis *sidram* vocari, ex corrupto nomine *siceræ*, libens ipsi concessero. Est enim illis *sidra* vocabulum commune, sub quo & pyrateos potus comprehendunt & pomaceos, ut ex Stuckio jam dixi.

19. Normanni tamen pyraceos potus proprie *du poire* appellant.

20. Germanis potus uterque *most* in genere dicitur, quasi *mustum*, ob dulcedinem, qua mustum æmulatur. Distinctius vero vocant *apfelmost, birnmost, pomorum* aut *pyrorum mustum*. Pertinent ad potus ex fructibus plures etiam alii, quorum hinc inde apud auctores mentio.

21. Ita potus est *ex myrti baccis* apud Hyppocratem *loco* paullo ante *laudato*: quem parari docet Dioscorides *lib.* V. *c.* XXVII. & οἶνον μυρτίτην vocat.

22. Est apud eundem Hippocratem potus, sive ὕδωρ ἀπὸ φοινικοβαλάνων, *aqua*, seu potius *vinum ex palmulis*, seu *dactylis*, fructu palmæ elates. Οἶνον φοινίκινον, seu *vinum palmeum* Plutarch. nominat, Herodot. *lib.* III. vocat οἶνον φοινικήιον, sed Laur. Valla Latine male vertit *phœniceum*. Ejus meminit & Ephippus apud Athenæum *lib.* I. Rhases lib. III. *ad Almans.* c. V. Modum vero conficiendi describit Dioscorides. Plin. *lib.* XIV. *c.* XVI. ait parari *ex modio in aquæ congiis tribus macerato expressoque, quo Parthi & Indi utantur, & Oriens totus.* In provincia Aden dactylis addunt *oryzam* & *saccharum*, potumque ex iis faciunt optimum, ut refert M. Paullus Venetus lib. III. *Reg. Orient.* c. XLVI. Dioscorides vinum ex dactylis ait esse ἡδὺ μὲν, ἀλλὰ κεφαλαλγὲς, *potui quidem suave, at capiti grave*. Sed audiamus etiam Philostratum de viribus ejus lib. II. *de Vita Apoll.* c. III. *Ebrietas*, inquit, *non ab uvis tantum hominibus provenit, verum etiam a dactylis perinde atque ab uvis plerique bacchantur. Multos enim Indorum offendimus vini talis ebrietate correptos, quorum alii quidem saltantes cadunt, alii dormientes cantant, sicut apud nos faciunt, qui ad multam noctem a potione discedunt.*

23. Pertinet huc porro potus ille, sive οἶνος, pluribus Veterum laudatus, *ex fructu loti arboris*. De ea Scylax Caryandensis in *Periplo*, ubi de *Lotophagis* agens, Libyæ populis, a loti esu denominatis, sic scribit: Οὗτοι λωτῷ χρῶνται σίτῳ καὶ ποτῷ. *Hi loto utuntur pro cibo & potu.* Et addit *lotum duplicem* esse, ἕτερον, ὃ ἐσθίουσι, καὶ ἕτερον, ἐξ οὗ οἶνον ποιοῦσι, *alium, quem edunt, alium, ex quo vinum conficiunt.* Apertius post Scylacem rem explicat Herodot. *lib.* IV. de iisdem populis verba faciens: Τὸν καρπὸν μοῦνον τοῦ λωτοῦ τρώγοντες ζώουσι. Ὁ δὲ τοῦ λωτοῦ καρπός ἐστι μέγεθος ὅσον τε τῆς σχίνου, γλυκύτητα δὲ τοῦ φοίνικος τῷ καρπῷ προσείκελος. ποιεῦνται δὲ ἐκ τοῦ καρποῦ τούτου οἱ Λωτοφάγοι καὶ οἶνον. *E solo loti victu vivunt: qui est instar fructus lentisci, suavitate assimilis fructui palmarum. Ex hoc Lotophagi etiam vinum conficiunt.* Theophrastus de iisdem, deque loto lib. IV. *Hist. plant.* c. IV. Ποιοῦσι δὲ καὶ οἶνον ἐξ αὐτοῦ, *sed & vinum ex loto coficiunt.* Atgenæus *lib.* XIV. ex Polybii *Hist.* lib. XII. lotum accuratius describit, & addit: Γίνεται δὲ καὶ οἶνος ἐξ αὐτοῦ βρεχομένου καὶ θειβομένου δι' ὕδατος, κατὰ μὲν γεῦσιν ἡδὺς καὶ ἀπολαυστικὸς, οἰνομέλιτι χρηστῷ παραπλήσιος, ᾧ χρῶνται χωρὶς ὕδατος. *Fit etiam vinum ex eo in aqua macerato, & trito, saporis grati, & jucundi, qualis optimi mulsi. Merum id sane aqua bibunt.*

24. Strabo quidem vini ex loto non meminit, Artemidorum Ephesi tamen adducit *lib.* III. qui scripserit: Λωτοφάγοι καλοῦνται, σιτούμενοι λωτὸν, πόαν τινὰ καὶ ῥίζαν, οὐ δεόμενοι δὲ ποτοῦ, οὐδὲ ἔχοντες διὰ τὴν ἀνυδρίαν. *Lotophagi vocantur, qui herba quadam &*

radice, loto utuntur: nec iccirco potu indigent, quem nec habere ob aquæ penuriam possunt.

25. Id repetit Strabo *lib.* XVII. & pro fabula habet. Mox tamen, paucis interjectis, in Libya ait esse arborem, quam *μελίλωτον* vocent, ex qua incolæ vinum conficiant: *melilotus* autem dicitur lotus arbor, quæ mellei est saporis. Itaque constare hic sibi Strabo non videtur. Quicquid sit, nos potiorem fidem habemus tot aliorum auctoritatibus de loti vino, præsertim Polybio *αὐθόπτῃ*, ut vocat Athenæus, quam uni hac in re Straboni. Verum rum de vino hoc ex loti fructu Theophrast. adddit, *οὐ διαμένειν, ἀλλ᾽ ἢ δύο ἢ τρεῖς ἡμέρας· εἶτ᾽ ὀξύνειν, non perdurare, nisi biduum aut triduum; deinde acescere.* Polyb. ad diem decimum nec ultra durare voluit: idque ex Corn. Nepote, & Plin. notavit *lib.* XIII. *cap.* XVII.

26. Cæterum Hippocrates *loco* sæpius jam *prolato* porro meminit *ὕδατος ἐκ μεσπίλων καὶ ὄνων*, *liquoris* seu *potus ex mespilis & sorbis*; Dioscorides *lib.* V *cap.* XXI. vini *ἀπὸ κερατίων, καὶ τῶν μεσπίλων, καὶ τῶν ὄνων, ex siliquis, mespilis, & sorbis*: Plinius ex *siliqua Syriaca, cornis, mespilis, moris siccis*. Et de *sorbis* etiam Virgil. meminit lib. IV. *Georg.* quando de Scythis scribit:

Hic noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.

Servius *ad hunc locum* potus hoc generali *cervisiæ* nomine comprehendit. Glossæ veteres: *Sorbium, cervisia vel potus ex fructu sorbi.*

27. Sed refer huc etiam potum *ex ficubus*, sive potum *συκίτην*, a Dioscoride descriptum *lib.* V. *c.* XXXI. cujus & Plinius meminit *lib.* XIV. *c.* XVI. & Rhases lib. III. *ad Almanf.* c. V.

28. Potum Æthiopum *ex tamarindis* acidiusculum, quem *arach* appellant, notat Scaliger *Exercit.* LXXXVIII. Javanorum ex *tamarindis & pomis citriis* habet Jac. Bontius *Dial.* III. *de conserv. valet. Indorum*. Turcarum potionem, quæ huc pertineat, describit Augerius Busbequius *Legat. Turcicæ* Epist. I. *Capiunt*, inquit, *uvam passam, eam mola subigendam curant, ita subactam & contritam injiciunt in vas ligneum; deinde superfundunt certam portionem calentis aquæ, miscentque, & tecto diligenter vase patiuntur fervere uno atque altero die, quod si remissius ferveat quam opus sit, adjiciunt vini fæcem. Primo, ubi fervere cœperit, si gustes, insipidum quiddam & nimia dulcedine odiosum videatur; postea accedit nonnihil acidi saporis, quod dulci mixtum vehementer palato blanditur. Itaque tribus aut quatuor diebus ea potio est gravissima, præsertim ubi multa nive fuerit refrigerata.* Addit vocari potum illum *Arab sorbet*, seu potionem *Arabicam*, & tentare caput pedesque non minus quam vinum, non diu tamen servari posse, sed mox plane acescere. Sed forte hic potus vino prior fuerit.

29. Adde his potus ex fructibus Brasilianorum, ut ex *Acaibæ* vel *Acajabæ* arboris fructu maturo, quem vocant *Catii*: ex fructibus arboris *Pacobete* & *Pacobucu*, dictum *Pacobi*: & ex fructu *Nana*, appellatum *Nanai*, de quibus agit Georg. Marcgravius *Rer. Natural. Brasil.* lib. III. c. II. & lib. IIX. c. VII. Denique huc spectant potus ex *nucleis pineis* apud Plinium *loco* proxime *adducto*: item potus ille, qui in Nicaragua Americæ provincia fit ex fructu *cacao*, quem amygdali specie arbor profert *Cacavate* dicta. Eum fructum incolæ in testa fictili exsiccatum, lapidibus contusum & commolitum, fusumque in pateras aqua temperant, addito interdum pauco pipere, ut refert Hieron. Benzo *Hist. Novi Orb.* lib. II. c. XVI. Sed addit, *porcorum* hunc potius esse *potum* & colluviem, quam hominum potionem. Repetit hæc ex Benzone Carolus Clusius in *Descript. peregrin. stirp.* cap. *de Cacao*.

30. Veteres ex *aromatibus* insuper sibi potum concinnasse, auctor est Jo. Guil. Stuckius *Antiq. Convival.* lib. III. c. VI. sententiæque probandæ sequentem adducit Aristotelis ex Athenæi *lib.* XI. locum: *Ollis Rhodianis aqua, qua vinum miscebatur, calefieri olim solita fuit, injecta in eam myrrha, mastiche, croco, balsamo, amomo, cinamomo, & aliis aromatibus, cum ebrietatis, tum Veneris coercendæ gratia.* Verum hic potus huc proprie non pertinet. Et præterea recte advertit vir eruditissimus, Jo. Freinshemius Differt. *de Calidæ potu*, locum hunc nec in Aristotele, nec Athenæo inveniri. Interim pro *coercendæ* mavult legere *concitandæ*. Nec enim aromata ista coercent, sed stimulant concitantque Venerem, quod omnes norunt.

Cap. XIX.

Summaria.

1. *Potus ἀπὸ χλοιῆς Hippocratis.* 2. *Ex bellidis specie Chinensium.* 1. *Ex herbarum succo Floridæ incolarum.* 4. *Potus ex radicibus.* 5. *De eo locus ex Hellanico.* 6. *Brasilianorum ex radicibus potus.* 7. *Parandi hujus modus.* 8. *Potus ex arboribus.* 9. *In insulis Fortunatis.* 10. *Ex palma Indica.* 11. *Sura.* 12. *Fula.* 13. *Orraca.* 14. *Palmæ Indicæ multiplex usus.* 15. *Potus ex arbore in regno Senegæ.* 16. *In insula Samara.* 17. *Ex arbore Thal.* 18. *Ex Hobo.* 19. *Ex betula.* 20. *Lachrymæ potabiles.*

1. Ante, quam a potibus frumentaceis abeamus, atque iis, qui ex fructibus fiunt, notandi sunt & alii, ex quibus est, quem Hippocrates lib. *de vict. rat. in morb. ac.* *ἀπὸ χλοιῆς* vocat, sive *ex virente herba*. Ad hunc referri potest Troglodytarum ex *paliuro* in aqua macerato potus, de quo Strabo *lib.* XVI. *Ποτὸν δὲ τοῖς μὲν πολλοῖς ἀπόβρεγμα παλιούρου. Vulgus aquam bibit, in qua paliurus sit maceratus.*

2. Referri potest Chinensium ille potus, *The* dictus, ex herbulæ foliis, bellidi seu consolidæ minori similibus, cum parvis per ambitum incisuris, apud Jac. Bontium lib. *de conserv. sanit. Indor.* Dial. VI.

3. Quemadmodum & alter, aut idem, eorundem potus, qui ex succo herbæ cujusdam expressus, *Chia* dicitur, calidusque hauritur & salutaris. Nam & medicamentosus simul est, ut beneficio ejus pituitam, gravedinem, lippitudinem fere nesciant, vitamque bene longam sine ullo quasi languore traducant, ut narrat Jo. Petrus Maffejus *Hist. Ind.* lib. VI. de Sinensibus, & lib. XII. de Japoniæ incolis, quos tamen potum illum non ex succo herbæ, sed pulvere parare scribit. Huc retulerim etiam Floridanorum potum ex multiplici herbarum succo, quem *Cassinet* vocant: cervisiæ colorem præ se ferentem, gustu non abominando, ut refert Auctor *Expeditionis in Floridam*, Benzonius *Historiæ Novi Orbis* adjunctus c. III. Persæ pro potu utuntur aqua, cui herbam incoquunt, *Tza* dictam, quam ex Chami Tartariæ parte adferri curant, adjiciuntque semen fœniculi, quod apud eos nascitur, magnitudine seminis secalis nostratis. Potum prædicant a sanitate, & qualitate ventriculum, pulmones & hepar roborante, ut refert Adamus Olearius *Itin. Persici* Part. II.

4. 5. Pertinent huc etiam potus ex radicibus confecti. De iis Hellanicus, in libro quem *Κτίσεις* inscripsit, apud Athenæum *lib.* X. de *bryto* agens, *Πίνουσι δὲ βρύτον*, inquit, *ἐκ ῥιζῶν, καθάπερ οἱ Θρᾷκες ἐκ τῶν κριθῶν. Brytum ex radicibus bibunt, ut Thraces ex hordeo.*

6. Hodie Brasiliani potus sibi parant ex radicibus *aipima caxera*, quem nominant *Aipii*: ex radice *batatæ*, cui nomen *jetici*: & ex farina radicis *mandiocæ*, sive e *beja* & *tepioja*, dictum *bentingui* & *tipiaci*, ut est apud Georg. Marcgravium *Rer. natural. Brasil.* lib. I. c. IX. & lib. IIX. c. VII.

7. Modum conficiendi potus in Brasilia describit Jo. Lerius *Navigat. in Brasil.* c. XII. *Radices Aypi & Maniot*, inquit, *mulieres minutatim concidunt, & in vasis luteis supercalefaciunt, quoad mollescant, emollitas ab igne removent ac defervefacere sinunt. Hinc circa vasa illa sedentes, frusta remollita mandendo comminuunt; dein singula manu ab ore excipientes, in aliud vas igni impositum dejiciunt, ut ibi rursus fervescant, baculo autem continuo agitant, donec satis ferbuisse judicent: tum secundo a flammis ablatum in alia vasa e cannis minime colata reponunt: ubi rursus ferbuerit, despumatumque fuerit, cannas illas operiunt & servant.*

8. Venerunt etiam porro in bibendi usu potus *ex aboribus*, sive earum succis parati. Ea de re Juba Mauritaniæ rex apud Plinium *lib.* VI. *c.* XXXIII. meminit.

9. Agens enim de insulis Fortunatis, earum *primam* ait *vocari Ombrion, nullis ædificiorum vestigiis, habereque in montibus stagnum arbores similes ferulæ, ex quibus aquæ exprimantur, ex nigris amaræ, ex candidioribus potui jucundæ*. Joan. Bodæus *Comm. ad Teophr. Hist. plant. lib.* IV. *c.* XII & Salmasius arbores eas censet fuisse *arundines saccharinas*, ex quibus saccharum exprimatur. Sed quid arundini, si formam spectes, commune cum ferula. Verum & alios habent ex arboribus potus gentes aliæ, quos tamen ex iis non exprimunt; sed ramis aut caudicibus incisis arbores ipsæ per se succum potulentum fundunt.

10. De palma Indica, quæ hodie in regno Malabar, Calicuto, insulis Maldivis, locisque aliis provenit, referunt scriptores, eam inter cæteros usus incolis etiam potum præstare, quem *suram* alii, alii *tuacam* vocent.

11. Incidunt arboris ramos aliquot ex altioribus, atque ad eos vascula alligant ampla, sed angustioris orificii, in quibus succum exstillantem, sive *suram* collignt, vini musti instar dulcem.

12. Ejus partem vitreis deinde organis destillant, & *fulam* vocant, sive *florem*, quam promptius ajunt incendi, quam nostram aquam vitæ, seu ardentem.

13. Partem aliquam decoctam *orracam* vocant, cui interdum de destillata aliquid addunt, ut sit fortior. Si *sura*, ut primum ex arbore excipitur, soli exponatur, acetum ex ea fit satis acre. Quod post exceptam suram secundo loco exstillat, ignis vel solis calore inspissatur in *saccharum*, quod *jagra* appellatur. Adi de arbore ea Lud. Vartomannum, seu Romanum, *Navigat. suæ* lib. V. c. XVI. Jo. Maffejum *Hist. Ind.* lib. V. & VII. Garsiam ab Horto *Hist. Arom.* lib. I. c. XXVI. Christoph. Acostam *Aromat.* lib. I. c. *de palma Ind.* Josephum Indum *cap.* CXXVII. & CXXXIIX. Levinum Hulsium *Navigat. l.* II. c. III. pluresque alios. Est autem hæc arbor ea quæ *Nucem Indicam* nobis dictam profert, incolis *cocos* nominatam.

14. Arbor sane pulcherrima omniumque utilissima: ut quæ una hominibus sui loci *cibum* ex se præbeat, *potum*, *oleum*, *acetum*, *mel*, *lac*, *butyrum*, *linum*, *pannum*, *patinas*, *pocula*, *ligna ad focum*, *ad naves*, & *carbones*, si vera sunt, quæ de ea hodie affirmantur.

15. Sunt vero & aliæ arbores partim huic affines ac similes, partim dissimiles ac diversæ, gentibus alii potum proferentes. Aloysius Cadamustus *Navigat. suæ* c. XXVI. de quadam in regno Senegæ Nigritarum in Africa sic scribit: *Alia est arbor, quæ ibi minime frequens est: hæ arbores uno anno continuo succos emittunt, lacrymarum instar. Succus appellatur mignol. Et ut ubriorem habeant succi proventum, arbores sauciant, & statim prosilit succus, qui vase aliquo excipitur. Huic liquori color inest subcinericius, & serum lactis præsentat, nec major est proventus, quam binæ vel ternæ mensuræ die noctuque. Hujus est incredibilis suavitas, & ut vinum inebriat, ni aqua immixta fuerit. Qui prima die provenit ex sauciata arbore, is est dulcior, & omni vino perquam dulci præstat, sed indies suavitatem amittit, fitque acidus & acris, tamen tertio die aut quarto magis homini conducit, id ego expertus sum pluries*, &c.

16. In regno & insula Samare (an Sumatra?) M. Paullus Venetus ait *Intinerar.* lib. III. c. XVI. potum ex arborum ramis colligi in sequentem ab incolis modum: *Sunt in ea insula*, inquit, *arbores multæ & parvæ, hbentes singulæ ramos quatuor, quos certo tempore anni incidentes, colligunt stillantem liquorem, qui tam largiter ex incisura profluit, ut per diem & noctem urceum colligant ex uno ramo. Quo evacuato, rursum adhibent ramo urceum, & id tam diu frequentant, donec stillicidium illud desierit. Et hæc est vindemia illorum. Provocant quoque arborem ad largiora fluenta per aquarum rigationes, quas fundunt ad arborum radices, quando tardius inceperit emittere lachrymam. Sed is liquor non est tam sapidus, ut ille qui suapte natura effluit*. Atque eadem sibi ratione potum parare incolas regni Faufur, & insulæ Seilam, idem tradit auctor *c.* XIX. & XXII.

17. In Taprobana præterea insula, ait Scaliger pater *Exerc.* CXXXVII. arborem esse *Thal* vocatam, cujus e ramo cæso stillet succus ad bibendum. Arborem item aliam *Exercit.* CL. scribit esse, e palmarum numero, a vulgari tamen palma differentem: cædi hanc ad imum trunci, atque inde oriri liquorem, quem incolæ aqua temperent, alioquin ebrii futuri: servatum acescere, sapore non ingrato.

18. *Hobus*, sive *Hovus*, procera & pulchra arbor est Hispaniolæ, umbræ salubritate commendata. In aquarum penuria, qui sitiunt, hujus arboris pede illaqueato, e radicibus ejus taleam exscindunt. Mox alterum taleæ caput ori inferentes, velut gutti aut ampullæ epistomium, altero manu elato, tantam inde humoris vim exsugunt, ut facillime sitim restinguant. Guttatim videlicet primo stillante aqua, mox tractim & continuo velut filo defluente, ut quamvis sitibundos expleat. Testes rei Oviedus *Hist. Ind.* lib. IIX. c. II. & Urbanus Calveto *Notis ad Hier. Benzonis Hist. Nov. Orb. lib.* I. *cap.* XXVII.

19. Apud nos in vulgus fere notum est, *betulæ* caudicem & ramos, ubi in veris initio, antequam folia prodeant, perforantur, ingentem liquoris limpidissimi copiam fundere; insipidam quidem & fere aqueam ex caudice prope terram, non ingratam vero & subacidulam ex ramis. Effluunt autem sæpe ex ramo trium digitorum spissitudinis ad semidiametrum vulnerato, liquoris libræ octo aut decem. Hujus usum magnæ efficaciæ esse credunt ad renum & vesicæ calculum & saburram tophaceam evacuandam.

20. Succum ipsum, sive liquorem, *lachrymas potabiles* vocat Olaus Magnus *Hist. Septemtr.* lib. XII. c. IV. Vide Hieron. Tragum in *descript. betulæ*.

CAP.

CAP. XX.

SUMMARIA.

1. *Potus ex melle*. 2. *Ejus usus antiquissimus*. 3. *Noctis consilium Jovi datum*. 4. *Potus mellei, Aristæi inventum*. 5. *Aristæi cum Baccho certamen de viteo & melleo potu*. 6. *Deorum examen utriusque potus*. 7. *Jovis decisio*. 8. *Potus ex melle varii*. 9. *Hydromel, melicratum, aqua mulsa, medo*. 10. *Mellina*. 11. *Hydromelitis duo genera*. 12. *Aqua melle linita*. 13. *Parandi modus*. 14. Χιονόμελι. 15. *Hydromeli sub vino legato non continetur*. 16. Μελίκρατον. 17. *Duplex*. 18. Μελίκρητον ὑδαρές. 19. *Parandi modus*. 20. *Error Eustathii*. 21. *Pollucis & Isidori*. 22. *Et Cyrilli in Glossario*. 23. *Hydromelitis & melicrati differentiæ*. 24. Ὀξυγλυκές. 25. *Oxymel*.

1. PRÆTER hactenus recensitos omnes ex frumentaceis, fructibusque arboreis & plantis arboribusque potus, parabantur & olim, & nunc etiam alii *ex melle*: quod non minus id suavitate pollere, caput tentare & ebrietatem inducere animadversum esset.

2. Quid vero mel proprie sit, & unde generetur, dubitat Plinius *l.* XI. *cap.* XII. *Nam liquor ille*, hæc verba ejus, *sit cæli sudor, aut siderum saliva, aut purgantis se aeris succus.* Parum certe philosophice, nisi per metaphoram omnia explices, atque in bonum sensum trahas. Nos speciem roris esse putamus, & cum Aristotele l. v. *Hist. Anim.* c. XXIII. dicimus esse *humorem dulcem & roridum, herbis floribusque insidentem, quem apes deinde colligunt & comportant.* Ex hoc autem melle confectos potus inebriantes, vetustissimi inventi esse Gentiles crediderunt.

3. In fabulis enim ipsorum est, Noctem Jovi (qui Saturnum patrem capere & regno exuere atque eunuchum facere parabat) id consilii dedisse, ut senem, mellis poculo invitatum largius, soporaret primum, ac deinde vi sua in ipsum uteretur. Verba Noctis sunt ista apud Orpheum, seu potius Onomacritum:

Εὖ τ' ἂν δή μιν ἴδηαι ὑπὸ δρυσὶν ὑψικόμοισιν,
Εργοισι μεθύοντα μελισσάων ἐριβόμβων,
Δῆσον.
Postquam igitur cernes ipsum sub quercubus altis,
Depositum succo ex apibus, mox vincula membris
Injice.

4. Plinius *lib.* XIV. *cap.* IV. *Aristæum*, Phœbi filium creditum, Arcadum regem, potiones ex melle invenisse scribit.

5. Hinc est, quod is apud Nonnum *Dionys.* l. II. cum Baccho, quorum hic vinum, ipse mel, & ex hoc paratos potus invenisse gloriabatur, Diis suum uterque potum offerunt, atque ipsorum super alterutrius præstantia judicium exposcunt.

6. Quid vero Dii? audiamus Nonnum:

Οἱ δὲ θεοὶ παχὺ χεῦμα φιλοπτόρθοιο μελίσσης
Δεξάμενοι, κόρον ὀξὺν ἀτερπέος εἶχεν ἐέρσης.
Καὶ κόρος ἦν μακάρων τρίτατον δέπας' οὐδὲ τετάρτου
Κιρναμένου γεύσαντο παλινιόστοιο κυπέλλου,
Καὶ μάλα διψῶντες, ἀρυομένοιο δὲ Βάκχου,
Ομβρῳ εὐρραθάμιγγι νόον τέρποντες ἐέρσης,
Εἰς ὅλον ἦμαρ ἔπινον ἀλωοφύτου πόσιν οἴνου.

Quos versus ita utcunque Latine loqui fecimus:

Crassum at Dii laticem ramis gaudentis apiolæ
Gustantes, satias ingrati humoris acuta
Cœpit eos, terno saturos cyatho; neque quartum
Curarunt gustare reducto poculo in orbem,
Pressi utcunque siti, verum fundente Lyæo,
Perculsi mentem bene roranti imbre, liquorem
Perdius hauserunt terra nascentis Iacchi.

A 7. Jupiter vero ipse, miratus quidem mel & favos, apiumque labores & opera, pro vino tamen sententiam tulit,

—— —— καὶ οἰνοχόῳ Διονύσῳ
Ὤπασε λυσιπόνοιο φέρων πρωτάγρια νίκης.
—— —— & fundenti vina Lyæo
Præbuit ærumnas solventis præmia palmæ.

8. Nos de antiquitate non laboramus: hoc vero certum est, in magno & olim fuisse pretio, & etiamnum esse apud gentes plurimas potus ex melle paratos; nec unius illi generis, sed varii, varieque simul præparationis: unde varia porro nomina.

B 9. Græci enim suos *ex melle potus* ὑδρομέλιτος nomine indigitarunt & μελικράτου, quod Jones μελίκρητον dixere, Nicander in *Theriacis* μελίζωρον, Latini *aquam mulsam*, recentiores *medum*, sive *medonem*. Sophocles in *Oedip. Colon.* vocat ὕδωρ μελίσσης. Oedipus enim Erynnias placaturus, & sacra ipsis facturus, jubetur a Choro implere hydriam, non vino, sed ὕδατι μελίσσης. Vocat autem ὕδωρ μελίσσης, seu *aquam apis*, quam dicere debebat *aquam mellis*, seu ὕδωρ μέλιτος, aut ὑδρόμελι. Nominat nempe ἀπὸ τοῦ ποιοῦντος τὸ ποιούμενον, *a faciente, id quod fit*, ut ait Scholiastes Sophoclis.

C Meminit *hydromellis* Plinius *l.* XIV. *cap.* XVII. & fieri ait *ex aqua & melle, ac vetustate saporem vini acquirere, nec nullibi laudatius olim fuisse quam in Phrygia*.

10. Plautus *mellinam* putatur vocare *Pseudolo* Act. II. Sc. IV.

Murrhinam, passum, defrutum, mellinam.

11. Duo autem ejus genera facit idem Plinius *lib.* XXII. *c.* XXIV. alterum *subitum*, *recens & repentinum*; alterum *inveteratum*. Est & aliud *crudum*, aliud *coctum*. Crudum puto id esse, quod Dioscorides *l.* v. *c.* IX. ait fieri ἀπὸ μέλιτος, ἐκπλυνομένων τῶν κηρίων ὕδατι. *Ex melle, elutis aqua favis*. De eo intelligendus Diodorus *l.* v. *c.* XXIV. ubi de Gallis

D ait: Καὶ τὰ κηρία πλύνοντες, τῷ τούτων ἀποπλύματι χρῶνται. *Favos etiam aqua abluunt, dilutumque hoc potum illis præstat*. Neque aliam ex melle potionem in usu fuisse Scythis ex Maximo Tyrio colligo *serm.* XI Postquam enim dixerat, Scytharum plurimos ita lacte, ut alii vino, vitam sustentare, addit: Τοῖς δὲ αἱ μέλιτται κατὰ δίνουσι τὸ πόμα, ἐπὶ πετρῶν καὶ δρυῶν διαπλάττουσαι τοὺς σίμβλους. *Aliis vero Scythis apes, quæ vel in saxis, vel in quercubus construunt favos, potus condiunt*. Latinis *aqua mellita* dicitur, aut *melle mixta*. Pœnitentiale Romanum simpliciter *mellitam* videtur appellare tit. I. *de homicidio*, cap XI. *Vinum & medionem &*

E *mellitam & cervisiam nunquam bibas*.

12. Gregorius Turonensis *aquam parumper melle linitam* vocat *l.* v. *c.* X. ubi de S. Patroclo ait: *Vinum, siceram, vel omne quod inebriare potest, non bibebat, præter aquam parumper melle linitam.* Plinius *loco* proxime *adducto* hydromel ait esse *minus innocens aqua, minusque firmum vino, longa tamen vetustate transire in vinum*.

13. 14. Parandi modos præter Plinium diversos habent Columella *lib.* XII. *cap.* XII. Dioscorides *loco dicto*, Palladius *lib.* IIX. *cap.* VII. & Auctor

F *Geopon.* lib. IIX. qui tamen subdit, a quibusdam olim pro aqua *nivem* sumptam, χιόνα & cum melle conjunctam, potumque inde confectum χιονόμελι appellatum.

15. Meminit etiam *hydromelitis*, & vino legato contineri negat Ulpianus *l. si quis vinum* 9. *D. de trit. vino & ol. leg.*

16. *Melicratum* idem est cum hydromelle, *aqua* nempe *melle mixta*, seu *mellita*. Græcis alias ὕδωρ κεκραμένον μέλιτι. Utitur voce Homerus *Odyss.* κ. ubi Circen introducit Ulyssi suadentem, ut ad inferos iturus mortuos placet:

Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέι οἴνῳ.
Tum mellicreto, & dulcis mox flore Lyæi.

17. Utitur post Homerum Hippocrates l. *de vict. rat. in morb. acut.* & æque ac *hydromel*, duplex facit μελίκρητον, *crudum* aliud, aliud *coctum*. Ait autem coctum crudo longe pulchrius aspectu esse, tenue nimirum, album, pellucidum, nec ideo melius. Probat tamen coctum, si mel sit pravum, ut decoctione ejus malitiam emendare necessum sit.

18. Est etiam melicratum aliud alio dilutius, pro modo mellis, & quantitate aquæ admixtæ. Unde & Hippocrates l. II. *de morbis*, non una vice meminit μελικρήτυ ὑδαρέως, seu *melicrati aquosi* aut *diluti*.

19. Parandi modum describit Paulus Ægineta *l.* I. Troglodytarum primores apud Strabonem *lib.* XVI. id bibebant ἀπ' ἄνθυς τινὸς ἐκπιεζομένυ τῦ μέλιτος, *melle ex flore quodam expresso*.

20. Errat autem Eustathius *Odyss.* κ. ubi *melicratum* vult esse *mixturam mellis & lactis*: nisi peculiare id forte fuerit uni alicui regioni, quæ pro aqua lac melli miscuerit in potum. Videas Cl. Heinsium *Not. in* XIII. *Silii*, ubi acriter hanc sententiam defendit. Græcos tale quid fecisse colligimus ex Æliano lib. xv. *de Animal.* cap. VII. quemadmodum etiam ex Posidonio Stoico apud Athenæum *lib.* IV. discimus, Græcorum quosdam zythum cum melle miscuisse. In quem modum & Æthiopes atque Indos cervisiæ suæ ex hordeo & pane biscocto, simul & favos cum melle & cera incoquere, scribit Olaus Magnus *Hist. Septemtr.* lib XIII. cap. XXXI. Priorem mixtionem Plinius *lib.* x. *cap.* XXII. videtur *lac mulsum* appellare, eoque jecur anserinum augeri scribit.

21. Errat etiam Pollux *Onom.* lib. VI. cap II. & Isidorus *Orig.* lib. XX. cap. II. quorum ille melicratum vult esse οἰνόμελι, hic *ex melle & vino mixtum*, quod idem est. Ita enim non *hydromel* esset, ex aqua & melle, sed *mulsum* ex melle & vino, de quo supra egimus.

22. Eundem errorem errat Cyrillus in *Glossario* & Auctor *Onomastici* veteris, qui *mulsum* interpretantur *melicratum*. Utrumque vero & melicratum & hydromel Latinis est *aqua mulsa*.

23. Joan. Gorrhæus tamen in *Definit.* in voce μελίκρατον, Ant. Sneebergerus in *Amethysto*, & Jac. Silvius in *Annot. ad Mesuen de medic. comp.* distinct. VI. melicratum & hydromel vetustate differre volunt; ita ut *melicratum* sit, quod ex Plinio *subitum & recens* diximus, sive ex tempore paratum: *hydromel* vero, quod *reconditum & inveteratum*: sed confunduntur inter se.

24. Ad hos vero potus referendum quodammodo & ὀξυγλυκὲς videtur, Hippocrati ita dictum l. II. *Epidem.* sect. III. & alibi; estque favorum decoctum cum aqua, addito pauco aceto. Ex una siquidem fit parte aceti, duabus mellis, & quatuor aquæ.

25. Aliud est *oxymel* ex aceto & melle, quod huc non pertinet.

CAP. XXI.

SUMMARIA.

XXI. 1. *Medonis & mulsæ differentia*. 2. *Medo, meda, medus, medum*. 3. *Medum, quasi melum*. 4. *Vel a* μέθυ. 5. Mede, Meth. 6. *De medone locus Prisci Sophistæ*. 7. *Bedæ Presbyteri*. 8. *Caroli M.* 9. *Et aliorum*. 10. Οἶνος ἐκ μέλιτος. 11. Μελίτειον. 12. Μελίτιον. 13. Χυμέλυ. 14. *Medonis apud varias gentes usus*. 15. *Ejusdem duo genera*. 16. *Modus parandi ex Mesue*. 17. *Sarmatarum & Moscorum*. 18. *Metegla Anglorum*. 19. *Theriaca Septemtrionalis*.

1. HYDROMELIS, sive *melicrati*, aut *mulsæ* plura genera esse jam diximus, seu plures potius differentias, præparatione tantum inter se diversas. Ad eas & *medonem*, ita dictum, tulimus, quemadmodum & revera eo pertinet. Quia tamen *mulsa*, ut a Veteribus parabatur, non tam potus gratia, quam medicamenti in morbis nomine, in usum veniebat: *medo* vero, cui plura hodie adduntur, quique aliter conficitur, raro ut medicamentum, sæpius pro potu, ac hilaritatis, immo & ebrietatis caussa bibi solet: ideo ulterius quædam de eo & in particulari dicenda nobis restant.

2. Dicitur *meda*, *medo*, *medus*, & *medum*; Græcis μέδος; Septemtrionalibus potissimum populis in magno usu.

3. Isidorus *Orig.* lib. XX. cap. III. *medum* a *melle*, quasi *melum*, dici opinatus est, mutato L. in D. quod & in aliis vocibus sæpe factum observatur. Ita olim dictum *melitari*, pro *meditari*, *lacrumæ*, pro *dacrumæ*, notat Melch. Goldastus *Notis ad Conradum de Fabaria* cap. XX.

4. 5. At Matth. Martinus *Lexico Philolog. medonem* derivat a Græco μέθυ, quod *vinum* est Græcis: nec displicere id videtur Ger. Jo. Vossio lib. II. *de vitiis serm.* cap. XII. quanquam deinde malit Græcum μέλι, unde Latinum *mel*, & Saxonicum *Meth*, sive *mede*, ex communi deducere origine, Hebræa nimirum.

6. Meminere *medonis* ex Veteribus Priscus Sophista, qui circa annum CCCCXL. floruit, in *Eclogis Histor. Goth.* his verbis: Ἐχορηγῦντο δὲ ἡμῖν κατὰ κώμας (τῶν Σκυθῶν) τροφαὶ, ἀντὶ μὲν σίτυ κέγχρος, ἀντὶ δὲ οἴνυ ὁ μέδος ἐπιχώριος. *Advehebantur autem nobis per vicos (Scytharum) pro cibo quidem milium, pro vino medus, quem indigenæ ita vocant.*

7. Beda Presbyter, qui anno IↃCCXXXVII. decessit, lib. *de Remed. peccator.* cap. VII. *In unaquaque*, inquit, *septimana tres dies sine vino & medone & carne jejunet ad vesperam*.

8. Quos sequitur sub annum IↃCCC. Carolus M. Imp. in *Capitulari de villis*, num XXXIV. *Cervisias, medum, mel*, &c. & num. LXII. *De morato, vino cocto, medo, aceto*, &c.

9. Meminere deinceps alii plures: Tageno in *Expedit. Friderici* I. *Imp. in Turcas*, Concilium Triburiense, Pœnitentiale Romanum, Andreas Presbyter *Chronico Bavarico*, Dithmarus Mersebургius, &c. Et quamquam nomen *medonis* ante Prisci Sophistæ tempora in auctorum monumentis usurpatum non inveniatur, res tamen ipsa sub aliis nominibus etiam prioribus seculis incognita non fuit.

10. Nec enim alium a medone fuisse potum autumo, quem Aristoteles, sive quis alius auctor vetustus, οἶνον ἐκ μέλιτος, *vinum ex melle*, vocat l. *de Mirab. auscultat.* in hæc verba: Ἰλλυριοῖς φασὶ, τοῖς Ταλαντίοις καλυμένοις, ἐκ τῦ μέλιτος ποιεῖν οἶνον. Ὅταν δὲ τὰ κηρία ἐκθλίβωσιν, ὕδωρ ἐπιχέοντες ἕψυσιν ἐν λέβητι, ἕως ἂν ἐκλίπη τὸ ἥμισυ, ἔπειτα εἰς κεράμια ἐκχέαντες, καὶ ἥδιστα ποιήσαντες, τιθέασιν εἰς σανίδας. Ἐν ταύταις δὲ φασὶν ἔχειν πολυχρόνιον, καὶ γίνεσθαι οἰνῶδες, καὶ ἄλλως ἡδὺ καὶ εὔτονον. *Illyrios ferunt, quos Talantios vocant, ex melle vinum conficere. Favos enim in aqua superfusa exprimunt, ac simul in aheno ad mediam usque partem decoquunt, & fictilibus infundunt jam tum dulcissimam. Dehinc vasis ligneis reservant in multa tempora, donec per omnia vini saporem contrahat.* Quanquam enim potus hic, ut σχεδασία ejus describitur, simplex mulsa esse videatur; tamen ex eo, quod auctor addit, similem potum olim & in Græcia parari consuevisse, verum ζητῦντας ὕστερον τὴν κρᾶσιν, μὴ δύνασθαι εὑρεῖν, *mistionem postea perquisitam non potuisse inveniri*; colligi potest non simplicem

mulsam fuisse, quæ hydromelitis nomine in Græcia notissima erat, sed potum paullo aliter & ex pluribus paratum, & peculiari modo mixtum & confectum.

11. Nec alium potum fuisse conjicio, quem Plutarchus lib. IV. *Sympos.* probl. v. *μελίτειον* vocat, aitque barbaros, qui vino careant, eum bibere, dulcedinem mellis radicibus austeris, & vini saporem æmulantibus, medicantes.

12. Hesychius nominat *μελίτιον*, dicitque esse *πόμα τι Σκυθικὸν, μέλιτος ἑψομένου σὺν ὕδατι καὶ πόᾳ τινι*, *potum Scythicum, melle cum aqua & herba quadam decocto*. Horsum pertinet, quem *potum ex melle* vocat Rhases lib. III. *ad Almans.* cap. v. *Mellei speciem saporis* vocat Saxo Sialandicus *lib.* VI. & distinguit a cervisia:

Mellei temnens speciem saporis,
Combibit tostum Cereris liquorem.

D. Hieronymo *ad Nepotianum de vita Clericorum*, est *dulcis & barbara potio ex decoctis favis*.

13. Neque alium a medone potum fuisse *χουμέλην* illustris censet Jos. Scaliger, & *ἀπὸ τῆς χύσεως τοῦ μέλιτος* sic appellatum vult *l.* III. *epist.* CCVIII. De eo Zonaras sub annum salutis CIↃ CXX. *Notis ad Canonem Apostol.* III. *Σικέρα δέ ἐστι πᾶν τὸ ἄνευ οἴνου μέθην ἐμποιοῦν, οἷά εἰσιν ἃ ἐπιτηδεύουσιν ἄνθρωποι, ὡς λεγομένη χουμέλη, καὶ ὅσα ὁμῶς σκευάζονται.* *Sicera autem est omne id, quod citra vinum inebriat, qualia sunt quæ magno studio homines conficiunt, ut quam chumelam vocant, quæque alia ad eundem modum parantur.*

14. Cæterum vina ex melle imitatos jam olim & Gallos, paullo ante ex Diodoro didicimus. Idem facere hodie Scythas & Æthiopas Troglodytas, testis est Scaliger pater *Exerc.* LXXXVII. & de Hispaniolæ incolis in America affirmant Hieron. Benzo *Hist. Novi Orb.* l. I. c. XXVII. De regione Machiakies audi Levinum Hulsium *Navigat.* l. IV. c. XLIX. *Quoties Indus in silvam prodit, perforat arborem quamvis obviam, effluunt quinque aut sex mensuræ mellis tam clari, quam est mustum. Apes valde sunt exiguæ, sine aculeo. Mel cum pane & reliquis sumitur escis: potum etiam inde faciunt, musto similem, sed meliorem ac sapidiorem.* Hodie Sarmatæ, Lithuani, Mosci, Borussi familiarissime medone suo utuntur, & abutuntur, dum eo sæpius liberalissime se invitant. Optimus in Lithuania paratur.

15. Est vero *duplex*, *spissus*, & *tenuis*, ut Matth. Miechovius testatur *Sarmatiæ* lib. II. c. III. Fit & alibi, ut in Dania, & apud nos Lubecæ, sed qui Lithuanico palmam libenter deferat.

16. Modus parandi non abludit ab eo, quo *aquam mulsam*, secundo loco descriptam, parari docuit Mesue Tract. *de medic. compos.* distinct. v. *Secundus modus*, inquit, *operationis ejus est: Recipe mellis partem unam, aquæ fontium claræ libras octo, fermenti in his dissoluti in centum libras uncias tres, & musti modo effervescenda in ligneum cadum conjiciantur, ita ut relinquatur in vase vacuum, quasi mensura trium digitorum. Ubi deferbuerint, obturato vase asserventur vini modo ad potandum. Non tamen bibatur nisi tertio mense exacto. Immitti possunt aromata in linteo ligata.* Hæc Mesue.

17. Sarmatæ tamen & Mosci *flores lupuli* medoni suo incoquunt, & loco fermenti *fæcem cervisiæ* liquori fermentando adjiciunt. Vide Olaum Magnum *Hist. Septemtr.* l. XIII. c. XXII. XXIII. & XXIV. qui pro lupulo etiam *myrti semina* medoni incoqui interdum ait: addi & zinziber in linteo ligatum. Est autem *myrtus* frutex humilis, in locis paludosis crescens ulnæ longitudine, & fructum profert ad baccarum juniperi similitudinem. Mosci vero, ut Adamus Olearius refert *Itiner. Pers.* Part. I. *baccas* sumunt maturas *rubi Idæi*, aut *chamærubi*, aut etiam *cerasa*, & infundunt aquæ, & ita relinquunt, donec aqua colore & sapore baccarum sufficienter fuerit saturata. Hujus aquæ sumunt quantum volunt, & affundunt tertiam aut quartam partem mellis puri, a favis separati, eique injiciunt aliquid panis tosti, fæce cervisiæ circumliti, & simul cooperta per dies quatuor aut quinque fermentari sinunt. Quidam, ut potui aromaticum odorem ac saporem concilient, aliquid *cinamomi* aut *caryophyllorum*, aut *cardamomi* in linteo liquori immittunt, & simul fermentari sinunt.

18. Ex pluribus constat Anglorum, qui Cambriam incolunt, familiaris potus, quem *Metegla* sive *Meteglaro* vocat Matth. Lobelius in *Adversar.* pag. 22. non patrio nomine, ut vult, sed Græco sic dictam: a *μέθυ*, ni fallor.

19. Eum *theriacam* nominat *Septemtrionis*, & constare ait ex melle & aqua, quibus despumatis indantur herbæ quamplurimæ, numero fere sexagenæ, diutissimeque bulliant ad tertias aut dimidias, donec coctione ista herbacei viroris & saporis exuat fastidium, adipiscaturque novam vim alendi, & gratiam vini malvatici.

CAP. XXII.

SUMMARIA.

1. *Potus ex saccharo.* 2. *Σάκχαρ, σάκχαρον, σάκταρον.* 3. *An Veterum saccharum diversum a nostro.* 4. *Sacchari Veterum duo genera.* 5. *Prius ex arundinibus arboreis.* 6. *Mellis species creditum Arriano.* 7. *Dioscoridi.* 8. *Straboni.* 9. *Plinio.* 10. *Æliano.* 11. *Aphrodisæo.* 12. *Isidoro.* 13. *Item Galeno, Oribasio, Æginetæ.* 14. *Charitoni manna dictum.* 15. *Hesychio gummi.* 16. *Archigeni sal Indicus.* 17. *An sit ex rore, aut ipsis arundinibus.* 18. *Senecæ dubitatio.* 19. *Ex rore esse, opinio Æliani & Aphrodisæi.* 20. *Ex ipsa arundine, sententia Strabonis.* 21. *An magnarum arundinum radices dulces.* 22. *Diodori Siculi de ea re locus.* 23. *Caussa dulcedinis in radicibus.* 24. *Alterum sacchari Veterum genus ex arundinibus parvis.* 25. *De eo locus Varronis Atacini.* 26. *Solini.* 27. *Papinii.* 28. *Hujus versus aliter lectus.* 29. *Saccharum nostrum itidem duplex.* 30. *Saccharum de Mambu ex arundinibus magnis.* 31. *De eo Garsias ab Horto.* 32. *Et Christophorus a Costa.* 33. *Salmasio idem cum manna Xiraquest.* 34. *Saccharum nostrum alterum ex arundinibus parvis.* 35. *An utrumque a Veteribus bibi solitum.* 36. *Plinii sententia.* 37. *Alia ex Strabone adserta.* 38. *An saccharo magnarum arundinum vis μεθυστική.* 39. *Strabonis locus obscurus.* 40. *Ab Eustathio aliter lectus.* 41. *A Salmasio emendatus.* 42. *Vocabuli, fructus, acceptio duplex.* Καρπὸς ἄρουρας. 44. Καρπὸς ἀμπέλινος. 45. *Fructus, proprie quid.* 46. *Fructus calami.* 47. *Posterius sacchari genus in potu usurpatum.* 48. *De eo Lucanus.* 49. *Isidorus.* 50. *Æ. hmes.* 51. *Vis μεθυστική in saccharo posteriori.* 52. *Sacchari originatio.* 53. *Potus Veterum ex saccharo duplex.* 54. *Hydrosaccharum.* 55. *Aqua saccharata.* 56 *Nectar ex saccharo.* 57. *Incolarum in Insulis Moluccis ex saccharo potus.*

1. QUAM inebriandi vim mel habere ostendimus, eam & *saccharo* inesse certum est: Veteresque non tantum potibus ex melle, verum etiam ex saccharo usos constat.

2. Dicitur id Græcis *σάκχαρ, σάκχαρι, σάκχαρον, σάκταρον*: Latinis, peregrinum nomen retinentibus, *saccharum*: nostratibus *zucker*.

3. Quæritur autem hic statim in limine, an saccharum Antiquorum idem sit cum nostro quo hodie utimur, an diversum. Differre omnino & res diversas prorsus esse credidere, & magna conten-

tione adsertum ivere Joan. Manardus *Epist. Medic.* lib. XI. ep. IX. lib. IX. ep. V. & lib. XIV. ep. V. Leon. Fuchsius lib. I. *de Compos. Medic.* cap. X. & lib. I. *Paradox. Med.* cap. XXXV. Jac. Theodorus Tabernæ-montanus *Herbarii* sect. VI. cap. XLI. quos sequutus est Henr. Salmuthus *Comm. in Nova Reperta Pancir.* lib. II. tit. V. Non differre ab invicem statuerunt Scaliger pater *Exercit.* CLXIV. Val. Cordus *Comm. in Dioscor. lib.* II. *cap.* CIV. Andr. Matthiolus *Comm. in Diosc. lib.* II. *cap.* LXXXV. & *Epist.* lib. I. ep. IV. & VI. Matth. Lobelius in *Advers.* pag. 21. Jo. Langius *Epist. Medic.* lib. I. c. LXIV. & Conimbricenses *Comm. in libros Meteorologicos Arist. tract.* VII. *cap.* X. Non opus autem fuerat tam acri concertatione, quæ facili negotio sopiri poterat.

4. Habebant Veteres duo sacchari genera, inter se diversa; utrumque ex arundinibus quidem, sed specie differentibus, diverso etiam modo collectum aut paratum. Alterum proprie *saccharum* vocabant; alterum vero *succum* potius quendam *ex arundinibus* expressum aut excoctum.

5. Saccharum, quod proprie ita dicebant, proveniebat in India potissimum & Arabia felici in arundinibus magnis & arboreis, quas propterea *saccharinas* appellabant. Hæ nempe erant, ex quarum singulis internodiis navigia fieri scribit Plinius *l.* XVI. *c.* XXXVII. Intelligit autem navigia parva, quæ ternos ferebant homines, quod jam ante notarat *lib.* VII. *c.* II. sive navitas binos aut ternos, ut habet Pomp. Mela *l.* III. *c.* VII. & quibus tantum lembi vice vectitabant navigantes, ut ait Solinus *c.* LII. Ex his arundinibus Indorum regem adversus Semiramidem pugnaturum quatuor millia navigiorum construxisse narrat Diodorus Siculus *l.* II. *c.* XVI. addicque crassitiem earum arundinum non facile ab hominis complexu circumdari. Reperiebatur autem saccharum jam dictum in his arundinibus concretum instar mellis siccioris & friabilis, aut instar gummium, aut salis coagulati. Ea caussa mellis speciem putarunt, & mel appellarunt. Unde Theophrastus in fragmento de melle, quod est apud Photium *Cod.* CCLXXXIX. tres mellis species facit, quarum prima sit ab apibus, altera ex rore, tertia ἐν καλάμοις, seu *arundinibus*. Et hanc ultimam cum additione vocarunt μέλι καλάμινον.

6. Arrianus in *Periplo*: Καὶ μέλι τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάκχαρ. *Mel arundineum, quod vocatur saccharum.*

7. De eo ita Dioscorides *lib.* II. *cap.* LXXIV. Καλεῖται δέ τι καὶ σάκχαρον, εἶδος μέλιτος, ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότος καὶ τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ, εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων. *Vocatur & quoddam saccharum, quod mellis species est, in India felicique Arabia concreti, & in arundinibus invenitur.*

8. Strabo *lib.* XV. in descriptione Indiæ, ex Nearcho: Εἴρηκε δὲ καὶ περὶ καλάμων, ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν. *Tradidit etiam arundines mel facere sine apibus.*

9. Plinius *lib.* XII. *cap.* IIX. *Saccharum & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel ex arundinibus collectum.*

10. Ælianus lib. XV. *de Animal.* cap. VII. in India, & maxime Prasiorum regione, ait μέλι ἐμπίπτειν ταῖς πόαις, καὶ ταῖς ἑλείων καλάμων κόμαις, νομὰς τοῖς βουσὶ καὶ τοῖς προβάτοις παρέχον θαυμαστάς, *mel liquidum incidere in herbas, ac palustrium arundinum comas, bubus & ovibus mirificas præstans pastiones.* Addit pastores ad calamos illos pecus agere, & jucundis excipere epulis, quod deinde illis vicissim lac reddat suavissimum, ut non opus habeant ipsi immiscere mel, ut faciunt Græci.

11. Alexander Aphrodisæus *l.* II. *probl.* LXXIV. *Quod sacchar Indi appellant, mellis in arundinibus coagulum est, sole cogente rores ad mellis dulcedinem.* Tertullianus lib. de *Judicio Dei*:

Mella viridanti confragrant pinguia canna.

12. Isidorus *lib.* XX. *cap.* II. *Antea mella de rore erant, inveniebanturque in arundinum foliis, siquidem hucusque in India & Arabia collectum reperitur.*

13. Similiter ad mellis etiam species referunt saccharum Galenus lib. VII. *simplic. med. med. fac.* c. *de melle*, Oribasius *Collect.* lib. XV. & Paullus Ægineta *lib.* VII. uterque in voce Μέλι.

14. At Charito lib. περὶ ἀποβρεγμάτων, in decoctione ἑψήματος, sive *sapæ*, vocat μάννα καλάμου Ἰνδικοῦ, *mannam arundinis Indicæ*, & distinguit a vera manna, quam neutro genere appellat μάννα ἁπλοῦν, *mannam simplicem*, sive communem. Cæterum *saccharum* hoc Veteres *mel* primum nominarunt ob dulcedinem, qua mel æmulatur & fere superat: deinde quia instar *mannæ*, quam *mel aerium* dicebant, id concrevisse sibi imaginabantur. Advehebatur enim ad ipsos, arundinibus adhærens & concretum, *gummium instar* tamen, *candidum, & dentibus friabile*, ut Plinius ait *laudato loco*.

15. Hesychius *gummi* appellare videtur: Σάκταρον, τοῦτο ἐμφερές ἐστι κώμη ἐν τῇ Ἰνδικῇ, διαλυτικόν. Phavorinus, qui sua ex Hesychio transscribere solet, pro κώμη, quod nihil hic significat, rescribit κόμη, Salmasius κόμμει, ut *gummi* intelligatur: & pro διαλυτικὸν reponit κοιλίας λυτικόν, ut sensus sit: *Saccharum, hoc gummi simile est in India alvum solvens*, quomodo & Simeon Sethi testatur τὸ σάχαρ τὴν γαστέρα προτρέπειν. Jo. Bodæus *Comm. in Theophr. Hist. plant.* l. IV. c. XII. ex Dioscoride pro διαλυτικὸν substituit εὐκοίλιον, quod *alvo* sit *utile*.

16. Archigenes apud Æginetam *l.* II. *c.* LIV. saccharum *salis speciem* esse voluit, & ἅλα Ἰνδικόν, *salem Indicum* nominavit, qui sit χροιᾷ μὲν καὶ συστάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλί, γεύσει δὲ μελιτώδης, *colore quidem & consistentia sali communi similis, gustu mellis æmulus.* In quem modum etiam Dioscorides scribit *arundineum mel* esse ὅμοιον τῇ συστάσει ἁλί, καὶ θραυόμενον ὑπὸ τοῖς ὀδοῦσι καθάπερ ἅλας, *concretione sua sali simile, & dentibus subditum salis modo friabile.* Alexander Aphrodisæus ait *fieri proximum salis glebulis, candidum, fragile.* Isidoro est *ramis inhærens in similitudinem salis.*

17. Dubii vero erant Veteres de ratione, qua saccharum hoc in arundinibus proveniret. Alii enim, si forte vulneratæ essent, exsudare ex ipsis succum & concrescere putabant: alii ob succi in arundididibus copiam, accedente æstu & calore solis sponte ex ipsis prodire & indurari: alii vero non ex cannis, sed rore aerio ipsis illapso concretum esse volebant.

18. Seneca philosophus *epist.* LXXXIV. *Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cæli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguis gignat.*

19. Ælianus *loco adducto* credidit esse ex rore, & ἐμπίπτειν ταῖς καλάμων κόμαις, *incidere in comas arundinum*: ut & Aphrodisæus, qui *sole cogente rores ad melleam dulcedinem* provenire scripsit. Etiam Isidorus *de rore esse* putavit.

20. At Strabo cannas ipsas ait ποιεῖν μέλι, ac proinde ex ipsis id esse & prodire. Addit vero Strabo de radicibus harum arundinum: τὰς ῥίζας τῶν μεγάλων καλάμων γλυκείας εἶναι φύσει καὶ ἑψήσει, χλιαινομένου τοῦ ὕδατος τοῖς ἡλίοις, τοῦ τ' ἐκπίπτοντος ἐκ Διὸς καὶ τοῦ ποταμίου, *radices magnarum arundinum dulces esse natura & coctione, aqua a sole calefacta, tam cœlesti, quam fluviali.*

21. Cl. Salmasius, vir doctrinæ in omni eruditione consummatissimæ, dubitat hic, an non a Strabone magnarum arundinum radices cum ra-

dicibus parvarum confundantur: quas dulces esse mox dicemus.

22. Verum Straboni consentanea scribere videtur Diodorus Siculus *lib.* II. cap. LXXVI. ubi de India agit, & ejus arundinibus: *In palustribus*, inquit, *enatæ radices* (intelligo hoc de parvarum arundinum radicibus) *dulcedine eximia sui copiam mortalibus præbent: radices vero in paludibus, maxime magnarum arborum, æstus solis percoquit.*

23. Et vero simile est, quum arundines magnæ succo dulci totæ turgeant, eumque exsudent, etiam radices earum dulcedinis non prorsus expertes esse, accedente præsertim solis æstu, succum in ipsis percoquente. Solinus *cap.* LII. etiam exprimi ex radicibus istis succum dulcem tradit. Sed huic sine aliis non multum est fidei. Interim radicum harum dulcedines, succive dulces in iis, ad saccharum jam dictum nihil faciunt, nec id constituunt.

24. Itaque progredimur ad alterum sacchari genus. Id vero Veteribus non sub sacchari nomine cognitum fuit, sed sub nomine *succi* aut *humoris dulcis ex arundinibus parvis* earumque radicibus excocti aut expressi.

25. Expressionis hujus meminit Varro, non Marcus ille, Romanorum doctissimus, quod putavit Matthiolus *loco adducto*, sed *P. Terentius Varro*, qui Olymp. CLXXVII. anno ante natum Salvatorem LXXXI. in *Atace*, Galliæ Narbonensis oppido, natus, *Atacini* & *Narbonensis* inde nomen obtinuit. Versus sunt isti.

Indica non magna nimis arbore crescit arundo;
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

26. Meminit expressionis & Solinus: *E radicibus arundinis* (parvam intellige) *exprimitur humor dulcis ad melleam suavitatem*. Et Isidorus: *In Indicis stagnis nasci arundines calamique dicuntur, ex quorum radicibus expressum succum bibunt.*

27. Decoctionem inculcat Statius Papinius *Silvar.* lib. I. carm. ult. ubi inter munerum Domitiani delitias enumerat:

Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quos præcoquit Ebosia cannas.

28. Ubi tamen alii legunt *Ebusita*: & intelligunt incolam *Ebusi*, insulæ in mari Balearico, quæ Pityusarum altera Plinio *lib.* II. *cap.* V. Quia vero in ea arundinum succum, sive saccharum colligi solitum, nullibi lectum aut traditum reperitur, Hermolaus Barbarus *Comm. ad Plinii lib.* II. *cap.* CCCVI. legit *Hypasita*. Est enim *Hypasis* Indiæ fluvius, a quo fit *Hypasita*, ut ab *Hypani*, itidem Indiæ fluvio, *Hypanita*, apud Stephanum lib. περὶ Πόλεων. Atque hoc duplex fuit Veterum saccharum.

29. Utrumque vero hodie etiam habemus, quanquam altero tantum nostris in regionibus utamur.

30. Prius saccharum hodie *Sacar*, sive *saccharum de Mambu* appellatur. *Mambu* autem arundo Indis est magna & ampla, ut ex ea non secus ac olim cymbas hodie faciant, quæ binos homines ferant.

31. Audiamus hac de re Garsiam ab Horto *Histor. Arom.* lib. I. cap. XII. Ait is autem *Tabaxir* esse vocabulum Persicum, & nihil aliud sonare quam lacteum humorem aut succum liquoremque concretum. Addit vocari ab Indis *Sacar Mambu*, quasi dicas *saccharum de Mambu*, quoniam Indi arundines sive ramos arboris id proferentis *Mambu* vocent. Hodie tamen etiam Indos *Tabaxir* illud vocare, quod eo nomine petatur ab Arabibus, Persis & Turcis. Arborem esse interdum magnam, interdum minorem, ramis erectis, frequentibus nodis distinctam. Inter internodia generari liquorem dulcem, crassum, veluti amylum, & simili colore: interdum multum, interdum perpaucum: non ubivis in omnibus arundinibus, sed tantum in Birnagar, Batecala & Malavar.

32. Christophorus a Costa cap. *de Tabaxir*, ait arbores sive arundines *Mambu*, in quibus innascitur *Tabaxir*, tantæ amplitudinis esse & crassitiei, ut ex ea cymbas faciant, quæ binos Indos capere possint: non excavantes eas, sed relictis solum duobus internodiis excidentes.

33. Magnus Salmasius saccharum hoc *mannæ speciem* esse pluribus docet in *Exercit. Plinianis ad Solin. c.* LII. nec differre vult ab ea mannæ specie, quæ *Xiraquest*, aut *Xircast* Indis dicitur, de qua vide Garsiam *loco adducto*, cap. XI.

34. Alterum sacchari nostri genus, & quo communiter utimur, ex parvis itidem, ut Veterum illud alterum, fit arundinibus, sive calamis aut cannis: aliter saltim, quam olim conficitur. Non enim succus tantum hodie exprimitur, sed cannæ primum mola franguntur, succi deinde ex iis expressi coquuntur, ac beneficio caloris indurantur, & in panes formantur, & pro modo depurationis in varias species abeunt. Ex quibus omnibus jam liquet, duplex Veteres habuisse, duplex nos habere saccharum, aliud ex majoribus, aliud ex minoribus calamis vel collectum, vel expressum, vel coctum.

35. 36. Nunc quæritur quodnam illud fuerit, quo Veteres in potu fuerint usi. De priori, quod ex magnis arundinibus colligebatur, Plinius testis est *lib.* XII. *cap.* IIX. id usurpatum *ad medicinæ tantum usum*. Unde Dioscorides εὐκοίλιον vocat & εὐστόμαχον, *alvo stomachoque utile*, renibus etiam & vesicæ conferens. Addit tamen ὕδατι διαθὲν καὶ ποθὲν, *aqua dilutum & bibitum*. Ex quo etiam bibi solitum tanquam medicamentum ad εὐκοιλίαν, εὐστομαχίαν. In utrumque enim finem, & ut potulentum quid, & medicamentum bibi potuit. Nam & cervisias habemus, quæ itidem εὐστόμαχοι sunt, & ventriculum confortant, & suo calore calorem innatum ejus augent; sunt etiam quæ εὐκοίλιοι sunt, sunt quæ alvum laxam servant, atque interim tamen non ad saturitatem tantum, sed & ebrietatem a plurimis bibuntur. Tales potus etiam sunt, quos apud Indos ex herba *Chia*, & ex melle alibi parari diximus, potulenti simul & medicamentosi.

37. Strabo certe vim μεθυστικὴν in magnis arundinibus agnoscit.

38. Locus obscurus esse videtur & difficilis, sed adscribam totum: Εἴρηκε δὲ καὶ περὶ καλάμων, ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν, οὐ γὰρ δένδρον εἶναι καρποφόρον, ἐκ δὲ τοῦ καρποῦ μεθύειν. *Dixit etiam* (Nearchus) *de arundinibus, quod mel faciant sine apibus: non enim arborem esse fructiferam, fructu tamen inebriare.*

39. Casaubono τῷ πάνυ, *Comm. in Strabon.* (quanquam Codices veteres omnes in lectione non variare testetur) locus de mendo suspectus est. Medicinam tamen ipsi facere non audet. Medicorum tantum filiis disquirendam relinquit, an saccharum inebriet.

40. Eustathius Strabonis verba adducens, interserit quædam, quæ in editis exemplaribus non habentur, de arundinum vi μεθυστικῇ tamen testentur, & legit: ὅτι καλάμοι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν, τοὺς δὲ φαγόντες ὠμοῦ τούτου μεθύειν, *quod calami mel producant sine apibus, quo crudo qui vescantur, inebrientur.*

41. At Salmasius ubi hæc adducit, sub voculis illis, οὐ γὰρ, latere autumat nomen arboris, quæ fructifera sit, & cujus fructus inebriet: aut legendum existimat, οὗ καὶ, *ubi etiam*, arbor nempe fructifera sit, cujus fructus ebrietatem inducat. Quod si vulgatæ lectioni sit inhærendum, quæri posset, quo-

modo δένδρον ὐ καρποφόρον ἐκ καρπῦ queat *μεθύειν*. Quo enim fructum non fert, fructu inebriare nequit.

42. Quid vero si conciliari hæc possint? Καρπὸς *fructus*, ἀπὸ τῦ καρπῦσθαι Græcis dicitur, quod est *frui*: quemadmodum *fructus* Latinis etiam est a *fruendo*. Hinc in genere omne id καρπὸς sive *fructus* appellatur, quod in usum & fruitionem humanam natura profert. Ita *fructum fundi* Varro lib. I. *de R. R.* cap. XXIII. vocat, *qui ex eo satus nascitur, utilis in aliquam rem*.

43. Ita Homero & Hesiodo passim καρπὸς ἀρύρης dicitur, quid e terra provenit.

44. Herodotus *lib.* I. non longe a fine *vinum* nominat καρπὸν ἀμπέλινον *fructum viteum*: similique modo Varro etiam *cap.* XIII. *vinum* & *oleum* vocavit *fructum*, illud nempe *vitis*, hoc *oleæ*. Immo Strabo ipse *lib.* XI. de Massagetis agens, *fructum arborum* vocat id, quod ex eo exprimitur, quod arbores ferunt: πίνυσι δὲ τὸν ἐκ τῶν δένδρων καρπὸν ἐκθλίβοντες, *bibunt arborum fructum, exprimentes ipsum*.

45. Proprie vero καρπὸς & *fructus* in plantis esse docetur τὸ σπέρμα μετὰ τῆς περικαρπίυ, *semen cum carne*, ut definit Theophr. *Hist. Plant.* lib. I. cap. III. Hoc modo in arboribus *pomum* fructus est; semen granula interiora: in leguminibus *siliquæ* fructus sunt; semina id quod in siliquis continetur.

46. Posteriori hoc significatu calami, sive cannæ, non sunt καρποφόροι, nec fructum ferunt: at priori acceptione *fructus calami* est id quod ex ipso provenit, quo frui possumus, nempe *saccharum* quod ex ipsis exsudat.

47. Posterius porro sacchari genus, sive succum ex arundinibus parvis expressum aut excoctum, a Veteribus bibi solitum, extra controversiam est, & docent passim auctores.

48. Lucanus *lib.* III. de Indis agens:

Quirue bibunt tenera dulces ab arundine succos.

49. Isidorus: *In Indicis stagnis nasci arundines calamique dicuntur, ex quorum radicibus expressum succum bibunt.*

50. Æchmes in *Oneirocrit.* potum hunc vocat οἶνον ἐκ σακχάρεως, *vinum ex saccharo*. Εἴ τις ἴδῃ, ὅτι οἶνον ἔπιεν ἐκ τῦ σακχάρεως, *si quis in somnis videat vinum se bibisse ex saccharo*, &c.

51. Vim quoque μεθυςικὴν huic succo sive saccharo inesse, non negabit, qui non secus ex ipso, quam ex frumento, pomis, pyris, aut melle *spiritum ardentem* beneficio fermentationis & destillationis noverit elici. Modum, quo id fiat, describit candidissimus Chemicorum, amicus olim noster, Angelus Sala, *Saccharologiæ* part. II. cap. V.

92. Et sunt, qui τὸ σάκχαρ derivent ab Hebræo *schecar*, quod est a *schacar*, *inebriari*.

53. 54. Veteribus autem potum ex saccharo duplicem, ut ex melle, fuisse autumo: alium *simplicem*, ex succo aqua diluto, aut saccharo cum aqua permixto, quem *hydrosaccharon* vocat Actuarius *Meth. Med.* lib. V. cap. II. alium *compositum*, & additis quibusdam instar medonis coctum.

55. 56. *Aquam saccharatam* pro potu conficiendi modum habes apud Tabernæ-montanum *loco adducto*, Σχεδιασίαν *hydrosacchari* optimi & *nectaris ex saccharo* dulcissimi exhibet Sala *cap.* VI. & VII.

57. Hodie in Indiæ regno, *Ceilum* dicto, incolas loco vini potum ex saccharo parare refert Marcus Paullus Venetus *Itiner.* lib. III. cap. XXXI. *Moluccarum incolæ* sumunt vas ligneum ferreis vinculis cinctum, capax amphorarum triginta: addunt sacchari Javanici libras duas, tamarindorum uncias quatuor, poma citria dissecta tria. Reponunt omnia bene obturata loco frigidiore & a solis radiis libero, ubi fermentari statim incipiunt sine igne, ut sonus eminus audiri possit, ac si cervisia coquatur. Relinquuntur sic per viginti quatuor horas, & fæces interim, quæ ejiciuntur, despumantur. Potum ita indipiscuntur gratissimum, qui gratior evadit, si caryophyllorum manipulus vasi injiciatur. Vide Jacobum Bontium *de Medicina Indor.* lib. II. Dial. III.

CAP. XXIII.

SUMMARIA.

1. *Ebrietas in herbis rebusque aliis quæsita.* 2. *Ad eas digressio.* 3. *Nepenthes Helenæ.* 4. *Buglossum.* 5. *Ambra cinerea.* 6. *Cannabis semen.* 7. *Heiran luc, pulvis Turcarum ex cannabi.* 8. *Helenium.* 9. *Syssitietæris.* 10. *Sthrychnon.* 11. *Duncani regis Scotiæ dolus in hostem.* 12. *Gelotophyllis.* 13. *Bryonia.* 14. *Lolium* 15. *De eo Camerarii exemplum.* 16. *Fausel.* 17. *Datura.* 18. *Dutroa.* 19. *Bangue.* 20. *Coca.* 21. *Opii apud Turcas usus.*

1. RECENSUIMUS fere omnium potuum genera, quorum quidem memoria apud scriptores exstat, sive siti post aquam sedandæ, aut gulæ irritandæ, ac ebrietatis eo promptius inducendæ, in vini defectu eas invenerit luxuria hominum. Nunc de nostratium ex frumento potuum confectione ac qualitatibus quædam dicenda nobis restant.

2. Ante vero, quam id aggrediamur, non ingratum lectori futurum spero, si quædam de earum gentium consuetudine præmittamus, quæ vel in medicamentis, aut herbis sive commanducatis, sive in potu aut cibo assumptis, aut etiam in fumo mentis exhilarationem, ac quasi ebrietatis speciem, aut potius dementiæ, quærere non distulerunt.

3 In rerum earum censum loco principe non inepte referas medicamentum Helenæ illud, *nepenthes nobile, oblivionem tristitiæ veniamque* afferens, ut vocat Plin. *lib.* XXV. *c.* II. De ejus viribus multa καθ᾽ ὑπερβολὴν jactat Homer. *Odyss.* δ. his versibus:

Αὐτίκ᾽ ἄρ εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθές τ᾽ ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων,
Ὃς τὸ καταβρώξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
Οὐκ ἂν ἐφημέριος γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,
Οὐδ᾽ εἴ οἱ κατατεθναίη μήτηρ τε πατήρ τε,
Οὐδ᾽ εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν, ἢ φίλον υἱὸν,
Χαλκῷ δηϊόωεν, ὃ δ᾽ ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο.

Quos Latine sic vertas:

Nepenthesque statim injecit medicamen Iaccho,
Iræ cunctorumque malorum oblivia ducens.
Hoc si quis mixtum cyatho præsumpserit, ille
Luce ista nunquam lacrymas effundet obortas,
Non si vel fato genitor decedat uterque,
Nec fratrem natumque rigentis cuspide ferri
Ante oculos si transadigat truculentior hostis.

Et quanquam, quid nepenthes illud fuerit, ignoretur, Diodorus Siculus tamen *lib.* I. *cap.* XCVII. refert etiamnum suo tempore mulieres Diospolitanas in Ægypto efficaci illo remedio uti consuevisse, atque apud ipsas solas iræ tristitiæque remedium potuisse inveniri. Galenus radicem ait fuisse *œnoptæ* herbæ, lib. *quod animi mores seq. temper. corp.* cap. III.

4. Referre huc etiam possis *buglossum* Dioscoridis, quod in vinum injectum ait animi voluptates augere, *lib.* IV. *cap.* CXXIII.

5. De *ambra cineritia* auctor est Simeon Sethi lib. *de Aliment. facult.* lit. A. 13. si quis eam odoretur in convivio, vel ebrium fieri: sin vino injiciat, maxime inebriari.

6. In eundem usum potentius est *cannabis semen*, de quo Galenus lib. I. *de Alim. facult. Sunt qui eo cum aliis tragematibus vescuntur, multum autem calefacit, ideoque sumptum largius ferit caput, vaporem sursum ad ipsum mittens, calidum simul & medicamentosum*.

7. Ex cannabis hoc semine Turcis in usu esse pulverem, quem *beiram luc* vocent, cujus circiter cochlear unum in vino sumentes, continuo rideant & gesticulentur, ingentemque spectatoribus risum moveant, testis est Jo. Wierus lib. III. *de Præstig. Dæm.* cap. x. Etiam *folia cannabis*, in farinam versa, quod caput feriant, potum suaviter inebriantem efficere, notat Hier. Cardanus lib. IIX. *de Subtilit.*

8. Pertinet huc herba, *helenium* dicta, de qua audiemus Plin. *lib.* XXI. *cap.* XXI. *cap.* XXI. *Attribuunt etiam*, inquit, *hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque, quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero, quo tristitia omnis aboleatur*.

9. Pertinet herba *syssitietæris*, a convictu in Persia nominata, quoniam hilarentur illa, ut idem habet Plinius *lib.* XXIV. *cap.* XVII.

10. Est in eodem censu *strychnon*, sive *manicum*, sive *halicacabum*, quæ interdum confundunt auctores. De eo Teophrastus lib. IX. *Hist. plant.* cap. XII. ait drachmæ pondere potum efficere, *ὥστε παίζειν τινά, καὶ δοκεῖν ἑαυτῷ κάλλιστον, ut lasciviat qui sumpsit, & sibi ipsi bellissimus videatur*. Plin *lib. adducto c.* XXXI. *ex eo lusum gigni, speciesque vanas imaginesque conspicuas observari affirmat*. Dioscorides *l.* IV. *cap.* LXXII. ait eadem herba pota *φαντασίας ἀποτελεῖν οὐκ ἀηδεῖς, non illepidas rerum species & imagines vanas animo repræsentari*.

11. Et norat hanc plantæ vim Duncanus ille Scotus, cui postea regnum obtigit. Hic enim, ut refert Georg. Buchananus *Hist. Scot.* lib. VII. quum Sueno Norwegiæ rex Scotiæ urbem Bertham obsideret, de urbis deditione simulanter cum Suenone agens, magnam interim panis vim & vini, herbæ solani somniferi succo infectam, sub specie amicitiæ in castra obsidentium submisit, militesque deinde somno vinoque gravatos ad internecionem delevit.

12. *Gelotophyllide*, herba in Bactris & circa Borysthenem nascente, pota cum myrrha & vino, varias obversari species, ridendique finem non fieri, nisi potis nucleis pineæ nucis & melle in vino palmeo, auctor est Plin. *lib.* XXIV. *cap.* XVII.

13. Auctor *Kyranydum* de *vite alba*, seu *bryonia* refert, eam hominibus delectationem adferre, ac gaudium & exultationem, præsertim succum ex ea bibitum.

14. Panis quoque, qui *lolii* multum admisit, inebriat, maximeque caput afficit, adeo ut qui ejus plurimum ederint, somno quodam gravi opprimantur, & vertiginosi fiant, testante id Matthiolo *Comm. in Diosc. lib.* II. *cap.* XCIII.

15. Exemplum JCtus Clarissimus, Phil. Camerarius (quem anno ætatis LXXX. animo & corpore sanum adhuc vegetumque, In Italiam ituri, Noribergæ salutavimus) adducit *Horar. subcis.* lib. I. cap. XCIII. de villico suo. Hic ignarus rei, ex lolio panem conficiens, se cum tota familia ex ejus esu in talem temulentiam & veluti amentiam conjecit, qualem in vita ante non senserat, quæ tamen in somno rursus discussa fuit, relicta saltem per dies aliquot capitis gravedine. Serapio junior *Simplic. medic.* c CLXXIII. ex mente Rhasis de croco scribit, quod *crocus inebriat ebrietate forti, & quando ponitur in vino, lætificat adeo, donec faciat insaniam in excellenti lætitia*.

16. Garsias ab Horto *Hist. Arom.* lib. I. c. XXV. refert Indos *fausel* arboris fructum immaturum, qui nucis moschatæ formam obtineat, ac vim stupefaciendi habeat & inebriandi, commanducare, eoque comesto velut inebriatos, dolorum cruciatus non sentire.

17. Meminit idem Garsias *Hist. plant. Novi Orb.* lib. II. cap. XXIV. floris & seminis herbæ, quam *daturam* vocant, colorem roris marini æmulantis. Eum ait potui ciboque injectum & assumptum homines quodammodo alienare & in risum solvere, atque amentes veluti & ebrios facere.

18. Henricus Salmuthus *Comm. in Nova reperta Pancirollu lib.* I. *tit.* I. eam appellat *dutroam*, & ex floribus ait bulbi quandam speciem oriri, in quo nuclei sint, melonum semini similes, qui cibo potionique permixti, utentis cerebrum pervadunt, ac stultitiam quandam cum risu continuo, absque alio sensu, aut ulla rerum notitia excitent, tandemque somnum inducant. Addit, ex Christophori a Costa lib. *de Aromat.* cap. *de Datura*, Indorum Lusitanorumque uxores nucleos eos subinde ignaris maritis exhibere, ac deinde ipsis inspectantibus ac ridentibus secure adulteris sui copiam facere: ex somno vero excitatos nullius rei meminisse, sed sopore tantum levi se correptos fuisse sibi imaginari. *Semen dutrit* vocat Joan. Albertus Mandelslovius in *Epist. de Itinere suo ad Adamum Olearium*.

19. Sed & de alia scribit planta Garsias *loco adducto cap.* XXV. *bangue* dicta, cannabi non absimili, cujus folia, & interdum semen, Indi contundant, succumque exprimant, cui interdum de fructu *fausel* virenti, aut nuce moschata, aut maci, aut caryophyllis, aut camphora, aut ambra, aut moscho, etiam opio aliquid addant, eoque assumpto quasi ebrii omni solicitudine liberentur, tenue quiddam ridentes, & in ecstasin quasi abrepti. Subjungit, imperatoribus exercitus & militibus hoc primum excogitatum, ut eo comesto velut ebrii ferrentur in pericula, omnis solicitudine & timore soluti. Repetit hæc de *bangue* ex Garsia Nic. Monardus lib. III. cap. *de Tabaco*. De ea etiam vide Christoph. a Costa, lib. *de Arom.* cap. *de Bangue*.

20. Auctor etiam est idem Monardus cap. *de Coca*, Indos herbam *cocam*, foliis & fructu myrtum æmulantem, admixtis tabaci foliorum pauxillo mandere, eaque ratione extra se ferri ebriorum instar, magnamque inde voluptatem capere.

21. Turcis præter pulverem superius dictum in usu quotidiano esse *opium*, quod corrupte *aphion* vocent & *maslach*, refert Petrus Bellonius *Observat.* lib. III. cap. XV. idque ipsis innoxium esse scribit, cerebrum tantum nonnihil perturbare, temulentos vero ipsos apparere, & animosiores fieri, nec belli proinde pericula formidare, in somnum vero delapsos somnia experiri turbulentiora. Addit vulgare apud ipsos esse, ut convitii loco sibi invicem opii usum objiciant mutuo, *Tu opium bibisti*: eum in modum quo apud alias gentes alter alteri temulentiam improperat. Repetit hæc Jo. Wierus lib. III. *de Præstig. Dæm.* cap. X.

CAP. XXIV.

SUMMARIA.

1. *Ebrietas ex fumo quæsita*. 2. *A Scythis*. 3. *Massagetis*. 4. *Thracibus*. 5. *Cobobba, fumo inebrians herba*. 6. *Tabacum*. 7. *Ejus nomina varia*. 8. *Usus salutaris*. 9. *Abusus*. 10. *Primum apud sacerdotes Indos*. 11. *Deinde apud vulgus*. 12. *Hodie per totam fere Europam*. 13. *Modus bibendi*. 14. *In eum lusus Barclaji*.

1. FUISSE, qui ex *fumo* etiam ebrietatem quærerent, animique hilaritatem, paullo ante monui.

2. De Scythis quibusdam id affirmat Maximus Tyrius *serm.* XI. Ἐν δέ τι, οἶμαι, Σκυθῶν γένος πίνουσι μὲν ὕδωρ, ἐπειδὰν δὲ αὐτοῖς δέῃ τῆς κατὰ μέθην ἡδονῆς, νήσαντες πυρὰν, καίοντες εὐώδεις βοτάνας, περικαθίσαντες ἐν κύκλῳ τῇ πυρᾷ, ὥσπερ κρατῆρος, εὐωχοῦνται τῆς ὀδμῆς, καθάπερ οἱ ἄλλοι τοῦ ποτοῦ. καὶ μεθύσκονταί γε ὑπ' αὐτῆς, καὶ ἀναπηδῶσι, καὶ ᾄδουσι, καὶ ὀρχοῦνται. *Scytarum natio est, ut reor, una, quæ quum aqua utatur ad potum, si quando tamen ebrietatis voluptatem requirat, construit pyram, in quam conjectis odoriferis herbis, eam circumsidet corona, cujus odorem veluti crateris haurientes, haud secus quam alii epoto vino. in ebrietatem vertuntur, quamobrem saliunt, canunt, saltantque.*

3. Massagetis idem scribit Herodot. *lib.* I. Ἄλλα δέ σφι ἐξευρῆσθαι (λέγεται) δένδρεα καρποὺς τοιούσδε τινας φέροντα, τοὺς, ἐπεί τε ἂν ἐς τωυτὸ συνέλθωσι καθ' εἴλος, καὶ πῦρ ἀνακαύσωνται, κύκλῳ περιιζομένους ἐπιβάλλειν ἐπὶ τὸ πῦρ. ὀσφραινομένους δὲ καταγιζομένου τοῦ καρποῦ τοῦ ἐπιβαλλομένου, μεθύσκεσθαι τῇ ὀδμῇ, καθάπερ Ἕλληνας τῷ οἴνῳ. πλεῦνος δὲ ἐπιβαλλομένου τοῦ καρποῦ, μᾶλλον μεθύσκεσθαι. ἐς ὃ ἐς ὄρχησίν τε ἀνίστασθαι, καὶ ἐς ἀοιδὴν ἀπικνέεσθαι. *Ab illis inventas etiam dicitur esse arbores, talem fructum ferentes, qui jactus ab illis in ignem, quem turmatim collecti accenderint, odore suo eos circumquaque considentes, perinde inebriat, ut vinum Græcos: & eo vehementius, quo plus ejus fructus fuerit injectum, donec ad tripudiandum cantandumque consurgant.*

4. Petrus Martyr *de rebus Oceanicis* Dec. I. lib. I. meminit herbæ, similiter fumo inebriantis, quam *cohobbam* vocari ait, qua Insulani per nares absorpta in furorem quasi agantur, ac domum illico & tecta sursum deorsum moveri, & homines versis vestigiis ambulare sibi imaginentur.

5. 6. Nemini nostrum hodie non notus est fumus inebrians ex herba, quam vulgo cum Hispanis *tabaco* vocamus, Floridæ Virginieque incolis, unde primum est delata, ab insula vicina id nominis nacta: Brasilianis *petum* dicta: Galli *nicotianam* vocarunt, a *Joanne Nicoto*, Catharinæ Mediceæ Galliarum reginæ viduæ in Portugalliam Legato, qui inde eam primus deferens, reginæ obtulit. Unde mox aliud nomen invenit, ut *herbe de la Reyne mere*, sive *Reginæ matris herba* diceretur. Alii *sanam sanctam* appellarunt, a sanandi ulcera & vulnera vi magna, qua pollet.

7. Planta est salutaris, maximique ad multas in medicina ægritudines usus: quod pluribus peculiari opere nos docuit Ægidius Everardus Antuerp.

8. Bonum vero factum si intra usus istos stitisset. Hodie enim ob ejus abusum pluribus abominationi esse cœpit.

9. Apud Indos primum ipsorum Sacerdotes ea utebantur ad responsa danda. Ea de re ita Monardes lib. *de simpl. med. Novi Orb.* cap. *de Tabaco: Apud Indos moris erat Sacerdotes de bellorum eventu, aliisque magni negotiis momenti consulere. Consultus sacerdos istius plantæ folia sicca urebat, & eorum fumum tubulo seu cannula quadam in os excipiebat: deinde quasi in ecstasin quandam raptus cadebat omni motu privatus: sicque permanebat aliquandiu. Discussa ejus fumi facultate ad se redibat, referebatque negotium cum Dæmone contulisse, & responsa dabat ambigua, ut, utcumque eventus succederent, illis facile persuadere, sic se prædixisse: eoque modo barbaros illos homines misere decipiebat.*

10. Deinde vero *vulgus etiam Indorum* (ita pergit Monardes) *cum fumum per os & nares recepit animi gratia, quando insomnia videre interdum, & extra se rapi voluere, aut etiam de suorum negotiorum eventu, ex insomniis, quæ illis apparebant, judicaturi.*

11. Nunc temporis per potiorem sane Europæ partem vix tabernam invenias, aut popinam, in qua non plures continuo desideant, ac *fumum* istum *tartareum* & *Diabolicum*, ut vocat Hier. Benzo *Hist. Novi Orb.* l. I. c. XXVI. indesinenter ad ebrietatem usque hauriant, hilariterque se ipso invitent.

12. Modus sumendi aut bibendi hic est. Qui uti ea vult, sumit tubulum teretem non admodum longum ac perforatum ex argilla coctum, qui in fine desinit in calycem parvum & excavatum. Huic calyci particulam plantæ exsiccatæ, & in frusta concisæ imponit, lucernæque admovet, ut ignem concipiat, fumumque emittat. Mox tubuli orificium ori inserit, fumumque accensæ herbæ per tubulum ad se trahit, atque ore & faucibus tam diu premit, dum cerebri latebras pervadat, omnemque in iis humorem concitet. Tum vero, ut de Caco Virgilius canit *Æn.* lib. IIX.

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis: glomeratque sub auras
Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.

Succedit fœtor pestilens, & insuetis abominandus, rivusque commoti humoris per palatum, nares, os, immo & oculos fœdissimo adstantium prorumpit spectaculo. Evenit etiam, quod non minus mireris, ut qui primum fumo huic hauriendo se addixerit, abstinere illo deinceps difficulter queat. Unde fit ut subinde id genus homines tanta contentione, ac velut maligni sideris afflatu perciti, tam furenter fumum illum hauriant, mutuisque sorbitionibus se invicem eousque invitent,

—— dum jam vertigine tectum
Ambulet, & geminis exurgat mensa lucernis:

ipsique fumo inebriati, ac sæpe velut mente capti, stupefactis sensibus, oculis conniveant tandem in somnum, hujusque beneficio crapulam & vim cerebro receptam in novas sorbitiones destertant.

13. Itaque non immerito in istum plantæ hujus, alias minus noxiæ, abusum invehit Joan. Barclaji Euphormio, *Satyrici* Part. II.

Planta nocens, o lethifero planta horrida fumo,
Quam bona diversis natura removerat oris.
Quis te, planta nocens, tristi vectare carina
Instituit demens, nostrisque ostendere terris?
Scilicet infelix raperet quum sæcula Mavors,
Deformisque fames, morbique cadensque senectus,
Proh dolor! & sævæ legerent aconita novercæ;
Heu etiam in nostras deerant hæc fata ruinas?
Quis sordes, facinusque tuum, dirosque vapores
Explicet, & fœdo surgentia nubila fumo?
Talis Avernali corrumpit spiritus auras
Missus in astra lacu, morituraque germina solvit,
Vicinumque pecus, volucrumque intercipit alas.
Talis & inferni subter mala limina mundi
Urget odor manes, quum lampada tristis Erynnis
Solvit, & extinctæ fumant post prælia tædæ.
Planta nocens, o lethifero planta horrida fumo.
Te si semifero Cacus jactasset ab ore,
Alcidem vicisset odor, te sæcula prisca
Si nossent, poterant vacuis præferre cicutis,
Et de Cerberea natam te dicere spuma,
Tunc si quis patriam violasset cæde senectam,
Huic mites nimium flammas, huic lenta putassent
Flumina: fumiferi potasset nubila peti.

Vide in eundem abusum perorantem virum clarissimum Joan. Freinshemium Dissertat. *de Potu Calidæ*.

Cap. XXV.

Summaria.

1. *Potiones ex frumento pro pessimis habitæ.* 2. *In eas epigramma Juliani Imp. Græcum.* 3. *Latine redditum ab Erasmo.* 4. *Rhodomanno.* 5. *Et Colero.* 6. *Abrincensis in alam Britanniæ scomma.* 7. *In zythum, Eobani.* 8. *De cervisiarum vitiis Dioscorides.* 9. *Galenus.* 10. *Aetius.* 11. *Oribasius.* 12. *Ægineta.* 13. *Simeon Sethi.* 14. *Avicenna.* 15. *Quos hodie refellit experientia.* 16. *Cervisiæ Veterum an a nostris diversæ.*

1. Sed revertimur ad potus extra vinum inebriantes, qui magis proprie ita vocantur, & ex aqua & frumento ac frumentaceis parantur. Hi autem fere omnes sine discrimine, quocunque etiam nomine vocentur, male apud Veteres, immo & recentiores quosdam audiunt, & pro potibus habentur pessimis.

2. Extat salsum in eas epigramma Juliani Imp. τοῦ Παραβάτε, *Anthol. Græc.* lib. 1. tit. εἰς οἶνον.

Τίς; πόθεν εἶ, Διόνυσε, μὰ γὰρ τ᾽ ἀληθέα Βάκχον,
Οὔ σ᾽ ἐπιγνώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε· σὺ δὲ τράγον. ἦ ῥά σε Κελτοὶ
Τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ᾽ ἀσυχέων·
Τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτειον, οὐ Διόνυσον,
Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον.

3. Quod ita Latine vertit olim Erasmus ex Roterodamo:

Bacche quis? unde venis? verum tibi dejero Bacchum:
Te haud novi; tantum est cognitus ille Jovis.
Is nectar redolet, hircum tu: dic, age, num te
E spicis finxit Gallia vitis inops.
Non igitur Bacchum te dixero, sed Cerealem,
Et frumentigenam, nec Bromium, immo Bromum.

4. Paullo aliter reddidit Laurentius Rhodomannus:

Bacche quis? unde venis? ita amet me verus Jacchus,
Non ego, te natum sed modo nosco Jovis.
Namque hic nectar olet, tu hircum, num forsitan uvæ
Indigus e spicis te sibi Celta coquit?
Ergo non Bacchi, Cereris sed nomine gaude:
Culmigena esto Bromus; vitigena haut Bromius.

5. Licentius & pluribus versiculis, sed non inelegantibus circumloquutus est Christoph. Colerus *Parerg.* cap. x.

Bacche quis? unde domo? per verum denique Bacchum
Te rogo & obtestor, dic mihi, Bacche, quis es?
Dic mihi, Bacche, quis es? nam te non hercule novi:
Unicus est notus filius ille Jovis.
Nectaris ille meri fragrantes spirat odores:
Alarum pestem tu gravis hircus oles.
Dic mihi, Bacche, quis es? num te sub imagine Bacchi
Celta suo finxit vitis egenus agro?
Non equidem mihi Bacchus eris, quum sis Cerere ortus:
Teque ego non Bromium dico, quid ergo? Bromum,

6. Extat etiam scomma in *alam* Brittanniæ potum Henrici Abrincensis Normanni, Henrici III. Angliæ regis poetæ, apud Guil. Camdenum in *descript. Britann.*

Nescio quod Stygiæ monstrum conforme paludi,
Cervisiam plerunque vocant: nil spissius illa
Dum bibitur, nil clarius est dum mingitur, unde
Constat, quod multas fæces in ventre relinquat.

7. Quibus adde poetæ Germani, Eobani Hessi, versus ex libello, quem *de Valetudine conservanda* conscripsit:

Qui docuit crasso Cererem confundere succo,
Huic iratus erat Bacchus & alma Ceres.
Nam Pelusiaci qui laudat pocula zythi,
Illi nec cerebrum, nec caput esse puto.
Renibus & nervis cerebroque hic noxius humor;
Sæpe etiam lepræ semina fœda jacit.

8. Sed lusum jocumque poetarum ista dices. Igitur, ad Medicos eamus, visuri quid illi senserint. Ex his agmen ducit Dioscorides, quem cæteri omnes videntur quasi exscripsisse. Is de cervisia, sive zytho suo, aut curmi, ita sentit, *lib.* 1. *cap.* LXXX. *Zythus ex hordeo paratur: movet urinam, renes & nervos lædit, & præcipue cerebri membranis noxius: gignit flatus; mali succi est, & elephantiasin facit, atque ebur zytho madens in omne opus tractabile redditur.* Quod postremum de eboris per zythum mollificatione etiam notatum video a Plutarcho Comment. *An ad infelicitatem satis vitium sit.* Sed pergit Dioscorides & *cap. seq.* de curmi ait: *Quod curmi vocatur, ex eodem hordeo fit, capitis dolores & malos corporis succos facit, nervisque nocet.*

9. Dioscoridem sequitur Galenus l. VI. *de simpl. medic. facult. Zythus acrior est*, inquit, *& succi pravi, utpote qui ex putredine proveniat; est & flatulentus, tum partim acris & calidus, parte vero plurima frigidus, aqueus, acidus.*

10. Post Galenum Aetius *Tetrab.* 1. serm. 1. ita censet: *Zythus acrior est quam hordeum, ex quo fit & mali succi, nimirum ex putrefactione factus: est autem flatuosus.*

11. Et Oribasius *Collect.* lib. XV. *Zythus acrior est non parum, quam hordeum, & pravi succi, utpote qui ex putredine proveniens, flatus quoque excitat: estque partim acer & calidus, parte vero plurima frigidus, acidus & aqueus.*

12. Item Paullus Ægineta *l.* VII. *Zythus & acris est, velut ex putredine factus, medium obtinens inter caliditatem ac frigiditatem, & frigidus ex acida qualitate: quare etiam mali humoris.*

13. Adde Simeonem Sethi, qui lib. *de cibor. facult. Phucas*, inquit, *simplex quidem præparatus frigidus est, compositus vero siccans & calidus. Ac quidem Antiqui omnes existimant mali esse succi & nervis noxium capitisque dolorem efficere.* Et mox: *Et satius est hujus usu abstinere, quod facile corrumpitur qui ex eo fit succus, & nervis nocumentum affert. Ferunt etiam, quod ebur in eo ad tempus immersum maceratur mollescitque ut cera.* Et tandem: *Iis, qui stomacho udo sunt, & qui temperaturas frigidiores habent, valde nocet.*

14. Græcis demum accedat ex Arabum gente princeps eorum, ut vocant, Avicenna l. *de remov. nocum. in regim. sanit.* tract. V. c. XIIX. *Potus foca*, inquit, *corrumpit hepar, & cor, & stomachum, & splenem, & intestina, & renes, & vesicam, & debilitat ipsa: deinde generat tremorem, paralysin & lepram, & baras, & mictum urinæ involuntarium, & lapidem vesicæ & renum, & hydropisin, & est ex rebus quæ magis nocent nervis, & contrariatur coitui, quoniam infrigidat & humectat, & spargit humiditates, quæ sunt in facie nervorum, & facit accidere catarrhos malos & scrophulas.* Et *l.* II. *tract.* II. *c.* CCLXXIX. *Adhuc generat humorem malum, & est mali nutrimenti, & nocumentum ejus membris animalis est ita, quod si in ipso infunditur os elephantis, lenit ipsum, & fit artificiale operari in ipso. Nocet nervis valde, nocet velamini cerebri, nocet renibus & vesicæ.*

15. Verum hos experientia hodie omnes refellit, quæ tale quid in zytho aut cervisia inveniri negat, ut ea potius constet Germanos, Anglos, Belgas, totiusque Septemtrionis incolas alios, cervisiæ potores, saluberrimos fere, robustissimos & pulcherrimos esse, ac bene habitos, & in annosam senectutem incolumes, nullis uspiam gentibus vino utentibus colore, forma, aut valitudine cessuros, privatim vero fœminas fœcundiores aliis reperiri. Idem testimonio confirmant auctores Medicique undiquaque doctissimi, Franc. Valleriola in *Loc. comm. med.* Jo. Manardus *Epist. Med.* l. v. ep. II. & lib. XXVII. ep. v. Olaus Magnus *Hist. Septemtr.* l. XIII. c. XXVII. Ant. Niger l. *de tuenda valet.* Jo. Guil. Stuckius *Antiquit. Conviv.* l. III. c. IX. Phil. Hechstetterus *Obs. Med.* Part. II. Dec. v. casu IX. in schol. quibus adde eruditissimum Herm. Conringium, amicum nostrum singularem, l. *de German. corp. habitu antiquo*, & qui præ cæteris idem latissime ostendit in elegantissimo libello, quem *de Vino* inscripsit, nitidissimus ille Galliæ ocellus, Adrianus Turnebus.

16. Operæ pretium igitur fuerit inquirere, an aliud genus cervisiæ fuerint Veterum illæ ex frumento potiones, an vero ex malo præparandi modo, aut materiæ diversitate, illarum vitia & incommoda provenerint. Prius autem videndum erit, quis noster hodie sit, quis Veterum fuerit cervisiarum conficiendi modus, & uterque inter se conferendus.

CAP. XXVI.

SUMMARIA.

1. *Cervisiam hodie parandi modus varius.* 2. *Unde variæ cervisiarum differentiæ.* 3. *Modus parandi in genere qualis.* 4. *Tharra.* 5. *Maltum.* 6. Βύνη, *& ejus* ἔτυμον. 7. *Bratium, bratiare, braxator.* 8. *Brasiatorium & braxatorium differunt.* 9. *Brassinum.* 10. *Cupa.* 11. Βράζω, βράσσω. 12. Ζέω, ζέμα. 13. *Polenta.* 14. *Cinnus, cyceon.* 15. *Veterum parandi modus itidem varius.* 16. Καταλέειν, καταλεαίνειν. 17. *Dodonæus refellitur.* 18. *Fermentatio cervisiæ Veteribus nota.* 19. *Auctor* περὶ ζύθων ποιήσεως. 20. *Lupulus, planta ipsis incognita.* 21. *Pro ea usi sunt conyza.* 22. *Item mentha & apio.* 23 *Tum ruta & origano.* 24. *Pro lupulo quid hodie nonnulli substituant.*

1. CERVISIARUM nostrarum modo quod attinet, is tam varie variat, ut vix urbs sit, aut oppidum, aut pagus, in quo non parte aliqua ab aliis is sit diversus.

2. Unde & tam variæ illarum bibentibus se offerunt differentiæ, ut de his vere usurpare possis Virgilii illos versiculos, quos lib. II. *Georg.* de vinis profert:

Sed neque quam multæ species, nec nomine quæ sunt
Est numerus: neque enim numero comprehendere fas est.
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Jonii veniant litora fluctus.

Interim tamen in genere & communi quadam ratione confectiones cervisiarum conveniunt, nec multum ab invicem discrepant.

3. Fit nempe *cervisia* ex frumento, & potissimum ex hordeo & tritico. Maceratur primo frumentum in aqua donec intumescat, dein aqua exemptum in acervum componitur, & leviter quasi putrefieri aut corrumpi permittitur, donec enatis ligulis germinare incipiat, mox resiccatur & torretur.

4. Hoc fit interdum solo aeris æstivi calore, interdum supra tabulatum, subjecto igne: quod *tharram* vocant, sive *tarram*. Ekkehardus Junior lib. *de Casib. Monast. S. Galli*, c. I. *Tarra avenis centum maltarum commoda.* Superioribus Germanis dicitur *eine Tharre*, Saxonibus *eine Dabre*.

5. Hoc modo præparatum frumentum appellatur *maltum*, sive *malta*: Germanis superioribus *Malts*, nostratibus *Malt*, Belgis *Mout*.

6. Aetius *Tetrab.* III. serm. III. c. XXIX. βύνην vocat, & ait esse κριθὴν βεβρεγμένην καὶ βλαστήσασαν, καὶ πεφρυγμένην μετὰ τῶν γλωττιδίων, *hordeum madefactum, quod germen emisit, deinde cum enatis ligulis tostum est.* Hesychius *Lexico*: Βύνη (ita legerim, non βυνεύς) σκευασμάτιον κρίθινον, *byne apparatio hordacea*, sive hordeum præparatum. Matth. Martinius *Lexico Philolog.* deducere conatur ex Hebræo, voce, quæ *ebullire, intumescere* significat. Esse enim hordeum, quod madefactum intumuit aut ebullit. Mox tamen deducit a βύω, quod madefaciendi significationem habeat in *imbuo*: additque affinem voce esse *bier*, pro cervisia, quæ ex βύνῃ coquitur. Tandem tamen mavult derivari τὴν βύνην a τῷ πίνῳ Aristotelis, quod jam ante diximus potum esse hordaceum, cujus materia sit βύνη.

7. Sequior Latinitas *bratium* dixit, sive *brasium*; hordeum nempe aqua maceratum, tostum & molitum; vide Brovver *Antiq. Fuldens.* l. III c. XII. p. 216. Hinc *brasire, bratiare, brasiare*, & horridiore sono *braxare*; cervisiam coquere, quod Gallis adhuc hodie est *brasser*: quemadmodum & *braxator* ipsis est *brasseur*, qui cervisiam coquit, *zythepsa*.

8. Hinc itidem *bratiatorium*, domus sive locus in quo cervisia coquitur, Gallis *brasserie*. Monachi Fuldenses in libello supplici ad Carolum M. Imp. ad annum, ni fallor, IↃCCCIII. §. XVI. *Ut ipsa monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est, pistrinum, hortus, bratiatorium, coquina.* Dicitur & *brasiatorium* & *braxatorium*. Vocabularius tamen antiquus, ut barbara habet inscriptio, Lipsiæ editus anno CIↃ. IↃI. inter ista distinguit, & *brasiatorium* vult esse domum seu locum, in quo maltum præparatur; *braxatorium*, locum coquendæ cervisiæ.

9. Jo. Gerh. Vossius l. II. *de vitiis serm.* c. III bratium sive maltum, etiam *brassinum* putat dici, & adducit locum, ex dicto Philippi Galliarum regis: *Duas cupas de uno brassino.* Verum ibi brassinum non sumitur pro bratio aut malto; sed pro una aliqua cervisiæ coctura, quantum nempe una vice ejus solet coqui. Galli adhuc hodie vocant *un brassin*, Germani *ein gebrevvels*. Intelligit igitur Philippus non *duas cupas* de uno bratio sive malto, sed de unoquoque brassino, sive coctura.

10. *Cupa* autem hic est vas cervisiæ, ut Varroni in *fragm. Sat.* περὶ μέθης, & in *sesqui-Ulysse*, dicuntur *cupæ vinariæ* & *cupæ aceti*. Videntur autem *bratium* sive *brasium*, & quicquid ab iis descendit, voces esse priscæ Celtarum: nisi a Græco malis deducere.

11. Græcis enim βράζω, & βράσσω, & βράττω est *ferveo, ebullio*.

12. Hesychius in *Lexico* τὸ βράζειν explicat per ζεῖν, quod itidem est *fervere, ebullire*: unde ζέμα *decoctum*. Proprie tamen *maltum* Latine dixeris *polentam*, cui, nisi sit eadem, admodum est affine.

13. Hæc enim, non secus ac maltum, erat hordeum madefactum, mox tostum & mola fractum; sive farina hordei tosti fractique. Ex hac etiam non cibum tantum coquebant veteres Romani, sed & potum. Ejus meminit Ovidius lib. v. *Metam.* fab. VII. in qua Baubo anum introducit, quæ Cereri sitienti,

——— *lymphamque roganti,*
Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta.

Cæterum hunc Baubus potum Cereri oblatum Arnobius *lib.* v. vocat *cinnum*, Græcisque dici ait *cyceonem*: de quo etiam Orphei adducit versus Latio donatos, quos Græce legere est apud Clemen-

tem Alexandrinum. Verum cinni & cyceonis non semper eadem est significatio. Arnobius quidem cinnum hoc in loco vocat *adoris potionem*, atque ita idem sentire videtur cum Ovidio. Uterque enim potum ex frumento intelligit: Arnobius ex adore, farris ex frumento specie, Ovidius ex hordeo & polenta, sive hordei macerati, tosti & moliti farina coctum. At Nonius, in *Concinnari*, *cinnum* vocat *potionis genus ex multis liquoribus confectum*: quod huc non pertinet.

14. Similiter *cyceon* Veteribus *duplex* fuit, *simplex* & *compositus*. De *simplici* Hipp. lib. II. *de Diæta* agit, & parari solitum ait ex farina cum aqua, aut vino, aut melle. Cum aqua paratum scribit refrigerare & nutrire, cum vino nutrire & calefacere, cum melle nutrire & alvum lenire. Ex his cum aqua paratus & coctus cinnus, cum Ovidiano potu idem esse potuit, cæteri aliorsum pertinent. Atque hunc potum eum aqua coctum Hippocrates l. II. *de Morbis* videtur *κυκεῶνα λεπτὸν*, *cyceonem tenuem* vocare. Erotianus definit *πόμα μετ' ἀλφίτων τεταραγμένον*, seu *potum polenta* aut *farina permixtum*. *Compsitus cyceon* est apud Hom. *Il.* λ. quem ex vino Pramnio, melle, aqua, farina & caprino caseo paratum Nestori & Patroclo exhibuit Hecamede. Eustathius *ad eum Homeri locum* dicit esse *πόμα ἐξ οἴνου, καὶ μέλιτος: καὶ ὕδατος, καὶ τυροῦ μεμιγμένον*. Eadem habet Hesychius, nisi quod caseum omittat. Suidæ simpliciter est *πόμα ἐκ διαφόρων μιγμάτων*. Alii enim alia addebant aut subtrahebant, eratque instar pultis sorbilis, aut liquidioris alimenti. Hipp. lib. *de Nat. mul.* & lib. I *περὶ γυναικείων* est *κυκεὼν παχὺς*, *cyceon crassus*, & cum Ovidiano potu nihil commune habet. Sed redimus ad *βύνην*, sive maltum, aut bratium, de quo intelligendus est Orosius, quando de cervisiæ confectione *l.* V. *c.* VII. ait: *Suscitatur illa ignea vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adjicitur*. Hæc totidem verbis repetit Isidorus *Orig.* l. XX. c. II. Maltum enim hoc mola fractum in farinam crassiorem redigitur, quæ primum cum aqua seorsim certo temporis spatio in pultem coquitur, vel etiam aqua ferventi, quasi ebullitione quadam irrigatur, idque semel atque iterum, donec omnis pinguedo aquæ inhæreat. Colaturæ flores lupuli injiciuntur, cum quibus deinde perfecte coquitur. Colatur tum denuo, & colato ad teporem refrigerato flores sive fæces cervisiæ, aut aliquid fermenti admiscetur, ut spumescat & fermentetur instar vini. Hæc hodie est fere cervisiæ parandæ ratio.

15. Veteres quod attinet, mirum certe videtur, quum tam sæpe potuum ex frumento & frugibus faciant mentionem, qui factum, ut nemo conficiendi modum nobis integre consignarit. Equidem id inde esse crediderim, quod & apud ipsos, ut apud nos hodie, pro gentium locorumque diversitate modi conficiendi admodum variarint, nec una omnes ratione potus suos sibi confecerint. De variis istis parandi modis testis est Strabo *l.* XVII. ubi postquam dixisset, zythum peculiariter apud Ægyptios fieri, addit: *Παρ' ἑκάστοις δὲ αἱ σκευασίαι διάφοροι*. Nihilominus tamen, si in genere, ut Recentiorum, ita & Veterum parandæ cervisiæ modum consideres, non deprehendes eum a nostro multum discrepantem. Primo enim, non secus ac hodie, ex frumento parabatur cervisia sive potus. Frumentum id æque, ut nunc, madefaciebant. Id tangit Plinius *l.* XIV. *c.* XXII. *Est*, inquit, *& Occidentis populis sua ebrietas ex fruge madida*. Nec tamen simplex erat illa madefactio, sed tanta, ut frumento quasi putredo quædam induceretur, & germinatio succederet. Docuit id jam olim Theophrastus l. VI. *de causs.*

A *plant.* c. XV. ubi scribit: *Τοὺς δὲ (χυλοὺς) ἐξιστῶντες τῆς φύσεως, καὶ ὑποσήποντες, εἰς χυλοὺς ἄγουσι ποτίμους· οἷον, ὡς οἱ τοὺς οἴνους ποιοῦντες ἐκ τῶν κριθῶν, καὶ τῶν πυρῶν, καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον ζῦθος*. Fatentur idem Galenus l. VI. *de simpl. medic. facult.* Oribasius *Collect.* l. XV. aliique, qui zythum ex putredine fieri scribunt. Ita vero madefactum & quasi corruptum frumentum, mola frangebant in farinam. Hoc autem ut commode fieret, necessum erat, ut primum resiccaretur, ac post mola frangeretur. Mola vero fregisse Veteres frumenta testis est Athenæus *l.* X. ex Hecatæo: *Ἑκαταῖος δὲ*, inquit, *ἐν δευτέρῳ Περιηγήσεως, εἰπὼν περὶ Αἰγυπτίων, ὡς ἀρτοφάγοι εἰσὶν, ἐπιφέρει,* B *ὡς τὰς κριθὰς εἰς τὸ πόμα καταλέουσι*. Et in principio *libri* ex eodem Hecatæo dixerat Athen. Ægyptios *κυλλήστιας ἐσθίειν, τάς τε κριθὰς εἰς ποτὸν καταλεαίνειν*.

16. *Καταλέειν* enim est, *mola frangere*, ab *ἀλέω molo*: *καταλεαίνειν* est, *conterere*, a *λεαίνω*, *tero*, *molo*, *pinso*: unde *καταλεαίνοντες* apud Hesychium sunt *κατατρίψαντες*: qui proinde etiam *ζυθίων*, quod diminutivum est a zytho, vocat *πόμα ἐξ ἀλφίτων*, seu *potionem ex farina*, sive ex hordeo in farinam contrito & commolito. Madefaciebant itaque primum Veteres frumentum, sive macerabant, mox leniter putrefieri sinebant, resiccabant deinde rursus, seu torrebant, ac tandem mola frangebant, atque ita habe- C bant *maltum*, quo nos hodie uti diximus. Cæterum post hanc mistionem malti cum aqua, ante fermentationem, puto a Veteribus etiam institutam coctionem, atque omnia simul perfecte eos coxisse.

17. Rembertus Dodonæus quidem in *epist.* quæ est XXXIX. inter *Epist. Medicinales* Balduini Ronssei, quemadmodum & Matth. Lobelius in *Adversf.* putant zythum fuisse potum ex hordeo tantisper in aqua macerato, donec id resolutum fuisset in liquorem: & hoc ait Dodonæus differre zythum a cervisia nostrate, quod hæc ex hordeo cocta sit, ille crudus ex hordeo in aquam tantum resolutus hu- D mor. Sed vapulat hoc nomine a Ronsseo *epist.* XL. Licet enim de zytho Dioscorides non addiderit, eum coctum fuisse; tamen nec in aquam tantum resolutum affirmavit, nec quisquam Veterum alius. Omnes vero Veterum, ubi de frumentaceis potionibus agunt, inculcant eorum *σκευασίαν* & zythum, cervisiasque cæteras vocant *πόμα ἐσκευασμένον* & *κατεσκευασμένον*. Quæ autem potest esse *σκευασία*, ubi saltim frumentum in aqua cruda maceratur ad dissolutionem, & sic bibitur? Et quomodo zythus sola frumenti in aqua maceratione paratus, parum concedere potuit vino, tum odore & fragrantia, saporisque bonitate, tum facultate; quod de E zytho non vice simplici affirmat Diodorus Sic. ut supra ostendimus? Hieronymus certe *ad Nepotianum de vita Clericorum*, ubi de siceræ, omnisque potionis extra vinum inebriantis confectione agit, ait *coctis frugibus aquam pinguiorem colorari*: sive, ut Isidorus habet loco adducto, *coctis frugibus aquam pinguiorem quasi succum colari*. Igitur & coquebatur olim cervisia.

18. Tandem vero post coctionem hanc & colaturam, decoctum sinebatur fermentari. Hæc fermentatio ut eo promptior fiat, hodie addi consueverunt, ut ante dixi, fæces cervisiæ aut fermenti aliquid. Sed nec hoc latuit Veteres. De fermento me- F minit Virgilius lib. IV. *Georg.* id usurpatum in confectione potus ex sorbis:

Hic noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.

De fæce cervisiæ aut spuma testis est Plin. *l.* XXIX. *c.* VII. *Galliæ*, inquit, *& Hispaniæ frumento in potum resoluto, quibus diximus generibus, spuma ita concreta pro fermento utuntur? qua de caussa levior illis quam cæteris panis est*. *Ζυμοῦται* nempe hoc modo, *καὶ μετεωρίζεται* decoctum, sive fermentatur,

elevaturque & levius redditur, ut Hippocrates loquitur in melancholiæ ex acidis fermentatione.

19. Quæ omnia confirmat anonymus Auctor fragmenti περὶ ζύθων ποιήσεως, nondum editus, *Chemicorum Græcorum* volumini subjunctus, cujus sententiam de zythi Veterum paratione adducit eruditissimus Reinesius *Var. Lect.* lib. III. cap. IX. Scribit ille, e molito hordeo & addito fermento fieri panes, eosque in ahenum conjectos affusa aqua coqui, tum colari liquorem, hunc contectum incalescere, & separata fæculentia potabilem reddi. Et hanc *zythi* olim in Ægypto parationem fuisse, recte ex eo colligit Reinesius, quod Chemici illi, licet Græci, quorum codici MS. Auctor jam dictus subjungitur, omnes apud Ægyptios vixerint.

20. *Lupulum* quidem quod attinet, Veteres cervisiis suis incoxisse non invenimus, cujus beneficio putredini a madore frumenti contractæ mederentur, potum ab acore tuerentur, condirent & facultate calidiorem; qui simul aperiret & abstergeret, sanguinemque defæcaret, & sal quasi esset potus. Plane enim incognita illis planta hæc fuit, nulli memorata, nisi forte uni Plinio, qui *lib.* XXI. *cap.* XV. *lupum salictarium* appellat, & inter oblectamenta potius, quam alium usum refert. Interim habuere alia, quæ vicem lupuli supplerent, atque idem cervisiis addita præstarent.

21. Athen. *lib.* X. ex Hecatæo nos docuit quosdam *parabiæ*, ex milio paratæ, addidisse *conyzam*. Est autem *conyza* calida & sicca, ut lupulus, amara & ad gustum acris, nec minus quam iste aperit, incidit & absterget: odore etiam præstantior est & validior, idemque in potibus præstans, quod lupulus.

22. 23. Arabes, ut ex Avicenna liquet *lib.* II. *tract.* II. *c.* CCLXXIX addidere *mentham* & *apium*: interdum, ut idem lib. *de remov. nocum. in regim. sanit.* tract. V. cap. XIX. ait, *rutam*, & *origanum*. Hæc vero omnia similiter calida sunt secundo, quædam etiam tertio excessu, & vim conservandi, incidendi, aperiendi, extenuandi, abstergendi & flatus discutiendi obtinent, ut videre est apud Galenum lib. VI. & IIX. *de simpl. medic. facult.*

24. Nec nostri hodie semper lupulum, aut hunc solum cervisiis suis incoquunt: sed interdum *absinthium*, quod Septentrionales facere Olaus Magnus testis est lib. XIII. *Hist. Septentr.* cap. XXVII. interdum *chamæpeucen Cordi*, quæ *myrica* est, vulgo *Post* Germanis dicta, indunt; alii *serpilli silvestris speciem*, quam Poloni *szmer* appellant. Alii aliquid *scarleæ* injiciunt, quæ vaporosa admodum est: alii alia addunt, lupuloque substituunt, potusque iis condiunt. Quorundam, inquit An. Sneebergerus in Amethysto, flagitiosa temeritas etiam *hyosciamum* in usum trahit. Ex quibus omnibus liquido apparet, Veterum potiones frumentaceas parandi modum vix alium fuisse a nostro, nec quidquam in ipsis conficiendis eos latuisse, quod nos sciamus: quanquam facile concedamus, non ubivis locorum, nec apud omnes æque accurate omnia observata, quum nec apud nos idem ubivis fieri soleat.

CAP. XXVII.

SUMMARIA.

1. *Potuum frumentaceorum nocumenta.* 2. *Ad potus illos parandos quæ requirantur.* 3. *Aqua salubris.* 4. *Frumentum bonum.* 5. *Justa ejus germinatio & tostio.* 6. *Lupuli flores.* 7. *Coctura sufficiens.* 8. *Fermentatio.* 9. *Nihil fit sine fermentatione.* 10. *Modus fermentationis in cervisia.* 11. *Cervisia mediæ naturæ inter aquam & vinum.* 12. *Caliditas ejus unde.* 13. *Ejus qualitates.* 14. *Nocumenta unde.* 15. *Vini commoda.* 16. *Incommoda.* 17. *Cervisia an elephanticos faciat.* 18. *Elephantiasis Ægypto familiaris.* 19. *Ejus rei caussa reddita.* 20. *A Scaligero dissensum.* 21. *In Germania pauci elephantici.* 22. *Cervisia a Simeone Sethi laudata.* 23. *Et ab Avicenna.* 24. *Carmen de cervisia Hugonis Grotii.* 25. *Et de cervisia Gardelebiensi Henrici Meibomii.*

1. VIDIMUS cervisiarum, seu potuum frumentaceorum, confectionem hodiernam: vidimus & Veterum modice ab ista discrepantem. Videamus nunc porro an a potu, eum in modum parato, talia nocumenta sanitatisque incommoda, quæ Dioscorides, & qui ipsum sequuntur, illi adscripsere, provenire possint.

2. Tria autem maxime in σκευασίᾳ horum potuum veniunt consideranda, *materia*, *coctura*, & *fermentatio*. Materia est *aqua*; *frumentum*, sive ex hoc paratum maltum; & *lupulus*, sive hujus flores.

3. *Aquam*, si potus salubris esse debet, optimam oportet eligere, visu nempe, gustu, & olfactu puram & sinceram. Nisi enim ea talis sit, cervisia ipsa, que nihil aliud est quam aqua, frumenti & lupuli florum viribus impregnata, malæ aquæ malas qualitates plurimas retinebit, nec omnes coctura aut fermentatio emendabit.

4. *Frumentum* item bonum esse convenit & selectum, sive hordeum sit, aut triticum, sive etiam frumentaceorum quid aliud. Hoc enim est quod Corn. Celsus dicebat *lib.* II. *cap.* XIIX. *Firmior ex frumento potio, quo firmius fuit ipsum frumentum.*

5. Multum vero situm etiam est in ipsa *frumenti macerati germinatione* & *tostione*; nam si plurimum progerminaverit, minus qualitatum in aquam aut virium, dum coquitur, deponet. Si in sole torrebitur, plus humoris excrementitii retinebit: sin ab igne, cavendum erit, ne nimium torreatur, & usturam recipiat.

6. *Lupuli flores* itidem selectos esse, & in quantitate debita adjici necessum est. Plus justo enim additi calefacient nimium, & caput fortius petent, potusque amariores reddent.

7. Post materiam requiritur *coctura*, quæ sufficiens esse debet; ne, si minor sit, quam fas fuerit, cervisia relinquatur crudior; quod sæpe fit illis in locis, ubi ligna cariora sunt, & coctores cervisiarum parcius ea in cocturam adhibent.

8. Tandem requiritur *fermentatio*, qua cervisia ita cocta bene fermentetur & defæcetur.

9. Non loquor autem nunc de fermentatione illa, qua frumentum madefactum germinare incipit. Est enim & hæc fermentatio quædam. Nihil siquidem sine fermentatione producitur, nihil nutritur, & quod cibum concoquimus, quod sanguinem conficimus, quod simile nobis progeneramus, non fit sine fermentatione, nec quicquam aliud sine illa in hoc orbe sublunari sub aspectum prodit, ut pluribus, si instituti ratio id ferret, deducere in proclivi esset. Sed loquor de ea nunc fermentatione, qua post frumentum, aut ex eo maltum, cum aqua decoctum, cervisia ex se fermentari incipit, eaque fermentatio ut sufficienter fiat, porro promovetur alterius cervisiæ fermentantis addita fæce, aut floribus, ut vocant, aut modico fermenti.

10. Incipiente enim ex se fermentatione, si fæces jam dictæ, aut fermenti aliquid decoctioni fuerit additum, jam coctis id incubat & magno corpori vim suam miscet, omnesque ejus partes pervadit, unde mox homogenea congregantur, heterogenea separantur, aliaque ad superficiem propelluntur, & *flores* constituunt, (qui deinde aliis frumentaceis decoctionibus rursus sint pro fermento)

alia in fundum detruduntur, eoque facto reliquus liquor depuratus cervisiæ essentiam constituit.

11. Hoc autem modo & ex arte confecta cervisia mediam naturam inter aquam & vinum indipiscitur, nec tam frigida manet quam illa, nec tam calida evadit, ut hoc.

12. Licet enim & aqua sit frigida, coctione tantum attenuata & levior facta, hordeum etiam sit frigidum in primo gradu: (triticum enim calorem quendam obtinet) tamen frumentum omne in prima illa fermentatione, qua incalescit & germinat, calorem aliquem acquirit. Nihil enim hujus sine calore fit, sed protruduntur germina omnia a vivifico calore, qui est in granis, in quibus idem porro tostione quodammodo figitur, quem deinde maltum, in cervisiam dum coquitur, deponit. Accedit deinde malto calor extraneus a tostione ipsa, quæ empyreuma addit. Cumprimis vero ex lupulo (qui calidus est & siccus secundo excessu) calor intenditur, eoque magis, pro majori ipsius quantitate. Nec nihil demum facit fermentatio ultima, qua potio aerescit, ut ita loquar, & μετεωρίζεται, seu spiritualscit.

13. Atque hæc caussa est, ob quam cervisia mediam inter aquam naturam sortitur, atque ita contemperatur, ut potus fiat saluberrimus, omni ætati, sexui, regioni, & tempori conveniens. Bene etenim nutrit, & corpora reddit pinguiora & robustiora, cutim efficit lævem ac nitidam beneque coloratam, vino melius humectat, paucos facit arthriticos, vitamque longius producit.

14. Quod si interdum nocere videatur, eaque inducere incommoda, quæ Dioscorides cæterique illi tribuunt Auctores, accidit id vel ratione quantitatis, si immodice assumatur, vel ratione ætatis, si recentior sit, aut turbidior, ac minus defæcata, aut ob errorem in coctura commissum, aut si acescat, aut ex aquæ vitio, aliaque aliqua ex peculiari caussa. Ita *recens cervisia*, vel turbida, aut male cocta in ventriculo flatus excitat, & dolores colicos, aut renum cruciatus, & stranguriæ molestiam. *Si acescat*, ventriculum vellicat, refrigerat, tussim concitat, capitis dolores producit. Si plus lupuli receperit, aut vice lupuli calida alia ipsi fuerint incocta plus caput petet & aggravabit. Hoc vero cervisia commune habet cum vino. Etenim & hoc tum ratione loci in quo nascitur, tum ratione caloris quem obtinet, saporis, odoris, substantiæ, maturitatis & ætatis immane quantum variat, & multa sæpe bibentibus creat incommoda.

15. *Optima* quidem sunt *vina*, quæ quæ celeriter nutriunt & reficiunt, vires corporis instaurant, concoctionem juvant, sudorem & urinam provocant, senectutis frigiditatem contemperant, spiritus & nativum calorem excitant, putredini resistunt, stomachumque debilem emendant.

16. Vicissim vero *vina dulcia & crassa* lienem & hepar in tumorem attollunt, & picrocholis obsunt, apud Galenum *Comm. in Aph. Hipp.* lib. III. aph. II. & *lib. de vict. rat. in acutis*. *Vina minus cocta*, præcipue mustum, inflat, conturbat & in ventre effervescit, teste Hippocrate lib. II. *de diæta*, & Galeno lib. I. *de alim. facult.* cap. IIX. *Nova* eidem Galeno lib. V. *de sanit. tuenda*, cap. V. & lib. *de malo bonoque succo*, in ventre fluctuantia permanent, & difficilis sunt coctionis. *Vino veteri* nervos lædi scribit iterum Dioscorides *lib. dicto*, *cap.* VII. Regionis ratione *vinum Asiaticum* ex monte Tmolo capitis dolores ciebat; *Coum & Clazomenium* facile corrumpebatur, flatus gignebat, alvum turbabat, nervisque oberat, teste eodem Dioscoride *cap.* X. Et quis omnes differentias, omnia nocumenta recenseat?

17. Quod vero Dioscorides, & ipsum sequutus A Avicenna, cervisiam Ægyptiam, sive zythum, volunt *elephantiasin* progignere, in eo prorsus falsi fuere, aut fallunt. Potuit quidem Dioscorides in Ægypto vixisse, atque etiam militasse; quum βίον στρατιωτικὸν egerit, ut in *præfat.* ipse testatur: potuit etiam multos ibi vidisse elephanticos: at male in zythum ejus rei caussam referre, & non caussam, ut caussam, obtrudere nobis conatus est.

18. Licet enim elephantiasis in Ægypto sit endemia, atque adeo frequens, ut etiam in ipsa sola eam vigere crediderit Lucretius, qui ita de ea scribit *lib.* VI.

Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
B *Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.*

19. Caussa tamen non tam zythus est, quam aeris intemperies & ciborum ratio. Audiamus Galenum lib. II. *de curat. ad Galuc.* cap. X. Κατὰ γοῦν τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐλεφαντιῶσι πάμπολλοι, διά τε τὴν δίαιταν, καὶ τὴν θερμότητα τῆς χώρας. Κατὰ δὲ τὴν Γερμανίας τε καὶ Μυσίας σπανιώτατα τοῦτο τὸ πάθος ὦπται γινόμενον, καὶ παρὰ τοῖς γαλακτοπόταις Σκύθαις σχεδὸν οὐδέποτε φαίνεται γινόμενον. Ἀλλ' ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παμπόλλη ἡ γένεσις αὐτοῦ, διὰ τὴν δίαιταν ἐστιν. ἀθάραν γὰρ ἐσθίουσι, καὶ φακῆν, καὶ κοχλίας, καὶ ταρίχη πολλά. τινὲς δὲ καὶ ὄνεια κρέα, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, παχὺν καὶ μελαγχολικὸν
C γεννῶντα χυμόν. ἅτε δὲ θερμοῦ τοῦ περιέχοντος ὄντος, καὶ ἡ ῥοπὴ τῆς φορᾶς αὐτῶν πρὸς τὸ δέρμα γίνεται. Etiam Lucretius ipse caussam elephantiasis in Ægypto in aerem retulit, dum versibus adductis mox subjicit:

—— —— *varius concinnat id aer.*

Cumprimis tamen in victu Ægyptiorum ad elephantiasin multum contulit lentium esus: qui tam familiaris & frequens Ægyptiis fuit, ut lentem propterea Virgil. lib. I. *Georg.* vocarit *Pelusiacam*, a Pelusio Nili ostio: Martialis in *Xeniis Niliacam*. Sunt autem lentes cibus admodum noxius, frigidus & siccus, mali, si quisquam alius, crassi & vitiosi
D succi, & qui in melancholicis morbis generandis & promovendis immane quantum possit. Simeon Sethi de alimentis in V. φακοὶ ita scribit; *Qui crebrius huic edulio indulgent, incidunt in elephantiasin, quam vocant, carcinomata, scirrhos, nervorum dolores affectusque videlicet melancholicos.*

20. Itaque non opus est cum Scaligero *Exercit.* LXXXVII. ad excusandum Dioscoridem recurrere ad acorem zythi, cui emendando hodie lupulus cervisiæ addatur. Nescimus enim an non Ægyptii etiam illum conyza, aut re alia emendarint. Hoc enim alibi ab aliis factum jam docuimus, & quidem longe ante Dioscoridis tempora, ejusque opinionis
E sequacium.

21. Hoc interim hic notandum, quod Galenus ait, elephantiasin raram esse apud Germanos. Et tamen Germani Galeni tempestate vinum fere, nisi ad Rheni forte ripas, prorsus ignorabant, & zytho tantum utebantur, sive, ut ait Tacitus lib. *de mor. Germ.* c. XXII. *humore ex hordeo aut frumento in vini similitudinem corrupto*. Certe & hodie in Germania Septemtrionali, ubi non multum vini, a vulgo præsertim, bibitur, vix ullos elephantiacos reperire est, quorum tamen plures iis in locis invenias, ubi vino homines abundant, & liberius se eo invitant.

F 22. Cæterum salubritatem potus frumentacei etiam Veterum nonnulli paullatim cœperunt advertere & laudare. Testis est Simeon Sethi, qui lib. *de cibor. facult.* *Recentiorum quidam*, inquit, *Priscorum redarguunt rationes, ajuntque phucam in multis esse utilem, incolumitatemque ac sanitatem efficere. Et revera quidem prodest iis, qui calidiore sunt temperamento, & inprimis ventriculo: quique per excessum caloris æstuosa afficiuntur siti; maxime vero ubi simplex fuerit. Sedat enim & sitim, & ap-*

petentiam excitat, & ventrem movet, est & quando lotium. Etiam ante dixerat: *Utilis est adversus sacrum morbum, & ex vino conceptam crapulam, sanguinisque acuitatem sedat.* Per sacrum morbum autem intelligere videtur epilepsiam, quæ ab acri humore aut vapore cerebrum vellicante & ad expulsionem stimulante originem ducit. Acrimoniam enim cervisia temperat; vinum contra calore suo & siccitate, quæ caloris lima est, auget & asperat.

23. Similiter vero & Avicenna *lib.* II. *tract.* II. *cap.* CCLXXIX. non omnem cervisiam, sive phucam damnat, sed laudat potius factam *de pane albavari, cum mentha & apio*, & commendat ad stomachum calidiorem. Et lib. *de remov. nocum. in regim. sanit.* tract. V. c. XIIX. cæteris potibus præfert eum, qui fit *ex pane cum ruta, origano & cinamomo.* Pro modo nempe præparandi, & materia, variavit & olim cervisia, & variat hodie, variantque ejus qualitates. In universum tamen verum manet firmumque, cervisiam omnem, si ex convenienti materia debitoque modo paretur, potionem esse saluberrimam, & humano generi minime omnium nocivam.

24. Poetarum autem in cervisiam jocis & cavillis reponimus viri magni, *Hugonis Grotii*, *pro Cervisia Carmen*, quod in *Poematiis* quidem ejus, ut puto, non extat, mihi vero ab ejus olim familiari, nunc mihi amicissimo, Christiano Cassio JCto, & Lubecensium Episcopi & Holsatiæ Ducis Consiliario intimo, communicatum est. Scripsit id autem Auctor in Galliis:

Humor dulcis aquæ, sed igne coctæ,
Quam succo Ceres imbuit salubri,
Qui corpus vegetat, nec impotente
Commotam furiat vapore mentem.
Qua potu fruitur Batava tellus,
Neptuni domus, horreumque mundi:
Et quotquot populos mares ab alto
Cæli culmine conspicatur Arctos:
Ipsæ te sitiunt novem Sorores;
Nec Permesside proluuntur unda,
Ex quo Græcia Barbaro sub hoste est:
Nec Bacchi cyathos amant puellæ;
Sed Rheni Vahalisque temperatos
Almis pastibus hauriunt liquores.
Duræ mentis, iners, merumque rus est,
Si quem basia non movent Secundi:
Et quæ Dusa canit parente major
Cælo siderios rotante currus:
Et quæ spicula Baudio vibrante,
Non unum sibi destinant Lycamben:
Et quos dat numeros nihil vetustis
Cedens vatibus Heinsi Thalia.
At me, sentio, larga cum sequatur
Vini copia, frigidique fontes,
Heu! Musæ fugiunt. Venite quondam
Dilecti latices: nec esse crudum,
Nec contra decet ebrium Poetam.

25. Huic addo aliud parentis mei, *Henrici Meibomii*. Id ut rectius intelligatur, sciendum est, in Serenissimorum Ducum Brunsvicensium, in oppido Helmestadiensi, Academia, quam a conditore *Juliam* dicimus, ab ipsa ejus fundatione vix aliam in deliciis fuisse cervisiam, quam quæ in vicino Marchiæ Brandenburgicæ oppido *Gardelegia* coquitur. Quum vero aliquando Serenissimus Princeps Fridericus Ulricus una cum Statibus Provincialibus Academiam suam de more visitatum veniret, reperti fuere, qui Principi suaderent, ut in gratiam & emolumentum oppidi Helmestadiensis cervisiam peregrinam venum amplius haberi vetaret. Id quum male haberent Academiæ Professores, conatuique suasorum intercederent: parens meus, quod Principem a poeticis lusibus non abhorrere sciret, Car-

A men ei, quod subjungo, sub prosopopœja ipsius cervisiæ obtulit, versibusque jocosis plus, quam Professores cæteri intercessionibus seriis, impetrasse creditus fuit. Vox autem CLEPIT in carmine alludit ad nomen cervisiæ Helmestadiensis, quæ tenuior est:

SERENISSIMO PRINCIPI
FRIDERICO ULRICO,
Duci Brunsvicensium ac Lyneburgensium,
CERVISIA GARDELEGIENSIS
S. P. D.

Illa ego Garlebiæ soboles spectabilis urbis,
B *A dulci nomen cui genitrice datum est:*
Hei mihi! nunc viridi discedere cogor ab Elmo
Exul, & antiquos deseruisse lares:
Principis offensi jubet hoc sententia, quamvis
Me sceleris possit dicere nemo ream.
Plus satis affligor, dum coctor prodigus undæ
Subtrahit immodice debita farra mihi,
Accedit violens auriga, mala alite mutans
Viles fontis aquas in geniale merum.
Tristior exilii tantis infamia damnis
Additur, & vulgi fabula fio nocens.
C *Parce precor miseræ, Princeps generose, nec audi*
Illos, invidiam qui mihi forte parant.
Non sum ignota tibi; memini me sæpe rigasse
Labra, & grato rore levasse sitim.
Adde, quod est tellus isthæc mihi patria, cunas
Quæ dedit uxori & grata alimenta tuæ.
Hæc si d fuerint, poterint tamen esse, favorem
Quæ mihi non dubium conciliare queant.
Me pariter laudant docti indoctique, nec ullus
Gratior illorum proluit ora liquor.
Si Bacchum terris negat inclementia cæli,
Esse loco vini testibus hisce queo.
Excitat in Venerem tardos eruca maritos,
D *Ut medicus pleno prædicat ore chorus:*
Est eadem virtus in me quoque: potaque large
Efficio fortes prolificosque mares.
Hanc mihi matronæ laudem dant jure, negantque
Se zytho aut posse aut velle carere meo.
Exule me sobolis tota proventus in urbe
Postmodum erit multo, quam fuit ante, minor.
Sentiet id Sæpe rum clamosus in æde minister,
Infantes sacro rarius amne levans.
Quod facitis, dicet, cives? ego pignora vestra
Frustra aveo sacri tingere fontis aqua.
E *Semiviros video & jucundo in munere segnes,*
Qualis plebs olim Northusiana fuit.
Sit procul, o Superi, labes tam tristis ab Elmo,
Nec sterilis dici mœreat iste locus.
Non gravat hæc illos infamia, qui mea large
Pocula nativo plena calore bibunt.
Noxius est tenuis labens in viscera potus.
Corporis is vires, robur & omne CLEPIT.
Hinc olidi ructus, & flaccescentia membra:
Turgidus hinc hydrops, & luis omne genus.
Consule vernanti, Princeps animose, juventæ:
Nec patere ut tantis corruat illa malis.
Cedere me hinc jussa multos discedere cernes:
F *Tantus amor nostri, gratia tanta mihi.*
Exule me vates frigentia carmina pangent.
Nequaquam damni res erit ista levis.
Plura loqui vellem: digiti mœrore vacillant,
Hei mihi! si frustra fata inimica querar!
Ordo sacer Procerum, tibi qui deservit in aula
Guelfide, me novit non nisi vera loqui.
Ut Gosam laudent & pocula Cervestana,
Non tamen elogio deteriore feror.
In bonitate tua spes una atque unica nobis:
Illam hodie præstes, Dux generose, mihi.
Hinc tibi surget honos, hinc crescet adorea vivax:
Quam nulla ut lædat sors malefida, Vale.

Sed de potibus hæc frumentaceis, aliisque extra vinum in usum venientibus, dixisse sufficiat.

F I N I S.

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS.

DE

MEDICIS ET BALNEIS ANTIQUORUM

SCHEDIASMA.

AD JAC. GADDIUM PATRITIUM FLOR.

INDEX CAPITUM.

JOSEPHI LAURENTII
LUCENSIS
DE
MEDICIS ET BALNEIS
ANTIQUORUM
SCHEDIASMA.
AD JAC. GADDIUM PATRITIUM FLOR.

CAP. I.

Medici an olim servi, & Medicina servilis? Medici amici Principum. Medicina Deorum inventum. Medici divinos honores assequuti. Iidem Reges. Parabolani *quinam, & unde dicti?* Parabolare *quid olim denotabat? Medici quibus privilegiis ab Augusto donati? Iidem cur ignobiles olim habiti? Babyloniorum mos circa ægrotos. Depositi qui? Ægroti apud Veteres cur ante januam locati? Medicina unde creverit? Medici Clinici quales? Iidem unde medicinas petebant? Obstetrices non habuerunt Antiqui. Non homines tantum, sed & canes ægroti Dianæ sistebantur. Faces cur Dianæ latæ? Catarrhis quomodo mederentur Pœni & Græci? Æsculapii simulacrum qualis typus?*



EDICOS olim omnes ex genere servili fuisse, & Medicinam artem servilem, in ore omnium percrebuit: quod colligunt I. ex Seneca l. III. *de Benefic.* c. XXIV. dicente: *Tenebatur inclusus Domitius, imperavit Medico eidemque servo suo, ut sibi venenum traderet.* Tum ex Suetonio in *Caligula* c. VIII. *Mitto præterea cum eo ex servis meis Medicum*, &c. Deinde ex Cicerone *pro Dejotaro*: *Philippum Medicum, servum Regium, qui cum Legatis missus esset, ab ipso adolescente esse corruptum.* Et ex eodem Suetonio in *Nerone* cap. II. *Ut haustum venenum pœnitentia evomuerit, Medicumque manu miserit, qui idem sibi prudens, ac sciens, minus noxium temperasset.*

Medicina quidem diu Romæ, ut ingenuo homine indigna, neglecta, & ad servos libertinosque ablegata est: eos certe solos Medicinam exercuisse Brisson. lib. II. cap. III. *Select.* pluribus exemplis demonstrat. Jul. Cæsar primus decus addidit, & civitate eos donavit.

Contra vero video potius Medicos in amicitiam Principum adscitos, & summa familiaritate Dynastarum usos, eisque conjunctos; quod noto potissimum circa Augusti tempora, cum etiam in interiorem Principum cultum & amicitiam admitterentur, ut percipio ex Tacito *Annal.* IV. *Sumitur in conscientiam Eudemus amicus & Medicus Liviæ.* Seneca lib. VI. *de Benef.* cap. XIV. *Quare Medico & præceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor, quia ex Medico & præceptore in amicitiam transeunt, & non arte, quam vendunt, obligant; sed benigna & familiari voluntate.* Legendus totus locus pulcherrimus Valer. Max. *lib.* III. *cap.* VIII. *Qui cum ad unam potionem sententiam direxissent, atque eam Philippus Medicus suis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipsius amicus & comes) porrexisset*, &c.

Falsum igitur est omnes Medicos servos fuisse Romæ Augusti tempore, multi enim excellentes in ea arte e Græcia illuc quæstus sui gratia, partim ingenui, partim manu pridem emissi, Romam itabant: hi sunt, quos narrat Suetonius civitate donatos ab Julio Cæsare, nam in servos id beneficium collatum non est verosimile.

An quia mercede conducti corpora curant, ideo sordidi & illiberales? vix in animum induxerim, cum Hippocrates, in *Epistola ad Abderitas*, medicam facultatem Deorum dicat inventum, & vaticinio propinquam, quod utriusque artis Apollo sit parens. Ad hæc, hujus artis inventores

divinos honores assecutos legimus, delubris excitatis, ut Chironem, Machaona, Podalirium, Hippocratem: quin, & principes magnos, & reges medicinam fuisse professos; ut Saborem, & Gigem Medorum Regem, Sabielem Arabum, Mitridatem Persarum, Mesuem Damasceni Regis nepotem. Ego crediderim servos illos Medicos fuisse, quos Parabolanos dicunt, a παρὰ & βῶλος, quasi *juxta glebam*; & ut interpretatur Alciatus, *ascriptitios glebæ*; quibus scilicet in omni vita ab agricultura recedere non licebat.

Parabolus homo audaciæ projectæ, & ad pericula adeunda præceps, ex Turnebo.

Parabolani plebeii quidam famulitio Ecclesiarum vel hospitalium deputati, sicut ascriptitii glebæ; ut enim his vita tota in cultura, ita illis in nosocomiis, Alciatus. Parabolanos dicemus Medicos, quos tempore pestis vocamus *expostí*.

Parabolare olim, ut notat Sirmondus *ad Capitula Caroli Calvi*, erat ratiocinari, unde parabolani, qui bene & multum ratiocinabantur;ita Medici debent esse. Parabolani etiam dicti audaces, qui ad bestias depugnandas & conficiendas operas locabant. Confectores dicti Salmas. *ad Trebell. Poll.*

Ridicula sane est interpretatio Accursii, dicentis parabolanos dici Medicos, quod multas habeant parabolas, quod videlicet, ut quisque loquacior est, ita doctior Medicus censetur, & nos Etrusci vocamus *Parabolanos*, viros linguaces, nugaces. Plebeii potius erant Medici parabolani, qui servitio nosocomiorum sunt addicti, & quasi ascriptitii glebæ, quibus a nosocomiis recedere non licebat, ut his ab agrorum cultura. Ita censeo.

Vel dictos Parabolanos (quod magis ad rem) quasi παράβολα, quæ Græcis sunt summis periculis objecta, hinc dictos Parabolanos, mendicabula ægrotis assidentia servitii causa. Interpres tamen *Digestorum* XXVII. parabolanos intelligi Medicos ait, qui a Modestino circumitores vocantur; quoniam civitatem obeant ægris opem laturi. Parabolani itaque contempta vita id muneris suscipiebant, ut ægrotos Alexandrina in civitate curarent in nosocomiis omni periculo se exponentes, quos ex servili genere fuisse ut credam, facile induci possum.

Plurimi vero factos Medicos bonos apud Antiquos, vel ex his intelligere possumus, quod jus anuli datum, & alia Medicis sub Augusto, refert Dionysius Halicarn. his verbis: *Antonius vero Musa, cum nihil Augustus eorum, quæ maxime ad sanationem opus erant, posset facere, lavacris frigidisque potionibus sanitati restituit: quam ob rem etiam pecunia ei ab Augusto & Senatu multa, usisque anuli aurei (libertus enim erat) datus est, immunitasque non ipsi modo, sed omnibus eandem artem exercentibus, in posterum quoque tempus concessa.* Medicos Romani & Græci habebant, qui nudis quibusdam experimentis peculiares corporis humani partes curare profitebantur, ut oculos, aures, caput, &c. sed major erat copia ophthalmicorum, qui oculos curabant: hic mos ab Ægyptiis ad Græcos, ab his ad Romanos emanavit, ex Catone, Plinio, Mercuriale.

Mantissam addo de Medicis. Olim Medici ignobiles habiti, quam etiam chirurgiam exercebant; quem morem aperte indicat Cic. *in Pison. Medico, quem tecum duxeras, imperasti, ut venas hominis incideret,* ideo III. *de orat.* dividit Medicos in eos, qui morbis medentur, & qui vulneribus. Plinius *lib.* XXIX. *cap.* I. ait Artagathum Medicum a sævitia secandi urendique in carnificem transiisse. Cerda *ad* III. *Georg.* & *in* XII. *Æneid.* ad illa Virgilii verba,

Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes,

A ait, intelligi hic de empirica, quæ solo usu & exercitatione constat, non clinica disputatrice, ideo illa dicta muta, quæ caret literis, de qua ii intelligendi, qui hanc artem dicunt servilem: & Medici olim chirurgi fuere. Seneca, *nunquid æger laudat Medicum secantem?* & Virgilius vocat manum medicam Medici chirurgi:quare Lipsius meus *Saturn.* lib. I. cap. XIV. ait Medicos adhibitos singulis ludis, qui erant chirurgo-Medici, ii enim opus certe gladiatoribus læsis & luxatis, ut salvi esse sine Medico non possent, ut & qui large edebant & bibebant ad saginam duntaxat.

B Babyloniorum morem similem Gonelliano lego in Herodoti *Clio*, exponendi ægrotos in foro, his verbis: *Alteram item sapienter condiderunt legem, languentes efferendi in forum, (neque enim Medicis utuntur) ut de eorum languore consulant, qui eos adeunt; si quis, & ipse passus est morbum, aut alium vidit patientem. Hæc viri, qui illos adeunt, consulunt, hortanturque ad ea, quæ ipsi faciendo effugerint similem morbum, aut alium noverint effugisse. Nec fas est cuiquam languentes præterire silentio, nec antequam exploraverit quoniam laboret ille languore.* Depositi dicebantur, salus quorum desperata jam prope est, unde Cicero in II. *Actione in Verrem*, *Ægram & depositam Remp.* vocat.

C Seneca in *Oedipo*: *Ite, ferte depositis opem*: hoc refertur, inquam, ad morem Veterum, quibus in usu erat, ut qui laborabant periculoso morbo, desperata jam salute, ante januas domorum reponerentur; vel, ut spiritum redderent terræ; vel, ut a transeuntibus forte curarentur, si qui jam simili morbo laboravissent. Plutarch. hunc morem firmat, in lib. λάθε βιώσας, ubi ait: *Prisci ægrotos suos in publico ponebant, ut prætereuntium quivis, si quid, vel ipse eodem morbo conflictatus, vel similiter laboranti opitulatus, medelæ nosset, id ægrotanti significarent, ajuntque artem hoc modo experientia adjuvante crevisse.* Neque abhorrent, quæ

D Plinius *c.* I. *l.* XIX. *Solitos*, inquit, *olim liberatos morbis scribere in templo Æsculapii, quæ auxilium attulissent, ut postea similitudo aliis proficeret, atque inde (ut auctor est Varro) excerpsisse Hippocratem medicinam illam, quæ vocatur Clinice*,&c. Clinicus æger lecto decumbens,nec se movere potens. Clinici Medici lectulis ægrorum assidebant. Clinici quoque dicti tempore Cypriani, qui in lecto morti proximi baptizabantur, Herib. Empirica vero optima,quæ experientia constat, ut verbi ratio innuit. Clinicus Medicus, qui decumbentes invisit.

E Veteres ergo Medici tum ex templo medicinas petebant,puta Æsculapii,ut dictum est,tum ex triviis, quando aliunde pharmaca & remedia,ut ex herbis, lapidibus,& hujusmodi facile parabilibus, & in medio positis, assumebant: utrumque genus exagitat Tertull. hoc vocans *de trivio & margine*; illud *de templo & ara*,cum dicit mederi in *Apol.*& *de Pallio*.

Quæ Hyginus in *Poetico* refert cognitu perjucunda: Antiqui obstetrices non habuere, unde mulieres verecundia ductæ interibant. Nam Athenis caverant, ne quis servus aut fœmina artem medicam disceret. Agnodice quædam puella virgo, ut disceret, sibi capillos amputavit, habituque virili ab Herophilo didicit. Itaque mulieres curabat,

F quæ accusata a Medicis tandem absoluta fuit. Tunc Athenienses legem emendarunt, ut ingenuæ artem medicam discerent, ex Hygino.

Non homines tantum ægroti curæ Diis, canes quoque qui ægroti, scabieque laborantes, infulis velati Dianæ a venatoribus sistebantur, omneque instrumentum venatorium ante eam collocabant venatores. Gratius *de Venatione*:

Spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore,

Ipſaque per flores medio in diſcrimine luci
Stravere arma, ſacris & pace vacantia feſta.

Hinc Diana venatrix feriis Iduum Auguſti emeritos canes quietos immuneſque habere credebatur. Papinius *Sylvar.* II.

———— ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,
Et tutas ſinit ire feras.

Huic Deæ tandem mulieres voti damnatæ, & compotes, ab urbe ardentes faces in Aricinum nemus, ubi Dea colebatur, ferebant illius Deæ feriis. Propertius *lib.* II. *eleg.* XXXII.

Cum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.

Adr. Turn. *lib.* VIII. *cap.* XXVI.

Ne vero genuinum aliquis meis deliramentis figat, mercenariaque loquacitate verba effutire dicar, neve nugarum promercalium inſtitor habear, ſilentium mihi indico. Grande operæ pretium tuliſſe opinor, quod Genio meo pauciſſimis horis ſubſecivis litavi. Auctarium addo de meo, id eſt de me acturus; veſtram opem imploraturus, o Machaones noſtri temporis, quorum calamus, virga illa Mercurii ab inferis revocans, eoque compellens; nullam vero aliam puto virgam nos peculio Proſerpinæ adſcribere præter pituitam, ſeu catarrhos, quibus plerique, & potiſſimum Phœbo operantes, mactantur; expertus loquor. Unde Hor. da ſe ſapienter fatetur, *lib.* I. *epiſt.* I.

———— ſapiens Jove minor uno, dives,
Liber, pulcher, honoratus, Rex denique Regum,
Præcipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

Cui ne Salutem quidem ſaluti poſſe eſſe omnes cenſent; lego tamen huic capitis fluxui aliquando conſultum apud Pœnos, referente Herodoto, *lib.* IV. his verbis: *Ad occaſum vero Tritonidis lacus jam non ſunt paſcuales Pœni, neque eiſdem moribus utentes, neque idem circa infantes, quod paſcuales ſolent, factitantes; nam Pœnorum, qui paſtorales ſunt, an omnes, non queo pro certo dicere, ſed plerique hoc faciunt, ubi filii ipſorum quadrimi effecti ſunt, venas verticis illorum lana ſuccida inurunt, nonnulli venas temporum, eam videlicet ob cauſam, ne ullo unquam tempore phlegma, id eſt, pituita, defluens a capite officiat, eaque de re ſe ajunt eſſe optima valetudine. Et ſunt revera Pœni inter omnes, quos nos novimus, homines ſaluberrimo corpore. Incertum mihi, an ob hanc cauſam, certe optima valetudine ſunt. Quod ſi pueris inurendis ſpaſmus exiſtat, inventa eſt ab eis medicina. Urina enim hirci aſperſa eos liberant*, &c.

Catarrhum novum morbi genus Græcorum, ætate Socratis, ait, Plato III. *de Rep.* hunc Scythæ cauterio prohibent. Æthiopes ipſo die natalium infantum eos in fronte inurunt, & ſtigmate notant, quo capitis & oculorum humor exſiccetur, hodie quoque occipitium infantum carbone ignito incendunt, quod dicunt incendere, ad epilepſiam arcendam.

Æſculapii ſimulacrum relatum a Pauſania in *Corinth.* typus eſt Medici: ſedens in ſolio, ſcipionem tenens, quo imperium in ægrotos notatur, altera manu draconis caput premens innuit ejus vigilantiam, canis ad pedem decumbens fidelem cuſtodiam. In Æſculapii fano fons olei aurea fornice conſpicuus, quem Heraclides conſtituit, innuit e Medicis fontes ſalutis manare:

Omnes humanos ſanat medicina dolores.

CAP. II.

Nemo ſibi contingit *quid apud Senecam? Verbi* contingit *variæ ſignificationes. Servi aliquo ſcelere convicti quomodo abluti? Priſci quando loti? Balnea quando frequentata? Manus & pedes ante cœnam loti. Antiqui ante cœnam balneis uſi. Iidem an aqua calida aut frigida loti? Hora & utenſilia balneorum. Eorumdem partes quot? Judæi ante cibum quid lavarent? Hoſpites antiquitus loti in convivatoris ædibus. Plebs & Patricii ubi loti, Heroes autem quomodo? Viri ſimul cum mulieribus olim lavabantur. Balneorum uſus quamdiu duravit? Thermarum inſtitutio. Balneæ cum palæſtra conjunctæ. Earumdem ordo, & in iis aqua triplex. Balneatorum merces. Balneæ quando interdictæ? Thermæ quando deſiere?*

SCOPUM Senecæ, fateor, non contingo, *epiſt.* III. dicentis, *Nemo ſibi contingit*; alii legunt *contigit*. Doctus Interpres explicat, *Nemo naſcitur ſibi*; Lipſius eruditiſſimus legit, *ſibi contigit*; hoc ſenſu, Nemo apud ſe eſt, & ſe uno contentus, quod facit ſapiens, qui ſibi ſufficit; a quo non longe in diverſum eo; libere tamen meum repono calculum, quia a te juſſus. Vis tota ſenſus in ſignificatione verbi, *contingo*, quod aliquando ſignificat *contiguus ſum*. Cæſar *lib.* I. *Ita ut radices montis ex utraque parte ripæ fluminis contingant*, id eſt, ſint contiguæ. Hoc ſenſu Seneca noſter: *Vis ſcire*, inquit, *quid ſit, quod facit homines avidos futuri? Nemo ſibi contingit*; hoc eſt, nemo proximus eſt ſibi, nemo bona animi, quæ ſibi contigua ſunt & pene continua, reſpicit; ſed bona externa & fortunæ; quæ quia extra nos, nec in noſtra manu ſita, quotidie illis inhiantes, animis pendere cogimur; angimur, dum illis agimur miſelli; hinc animi angor, ſolicitudo, mœror, timor, nos curioſos efficiunt. Euripides aureo illo dicto ſubſcribit: Ἀπροσδόκητον οὐδὲν ἀνθρώποις πάθος, ἐφημέρους γὰρ τὰς τύχας κεκτήμεθα. *Nulla perturbatio præter expectationem hominibus evenit, fortunam enim habemus in dies mutabilem.* Menander: Τὰ προσπεσόντα προσδοκᾶν ἅπαντα δεῖ ἄνθρωπον ὄντα, παραμένει γὰρ οὐδέν. *Futuros eventus expectare oportet unumquemque hominem, nihil enim ſtabile permanet.* Quæ vero præcedunt, quæque ſequuntur, meam confirmant ſententiam. *O quando* (præit) *videbis illud tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placiduſque eris, & craſtini negligens, & in ſumma tui ſatietate.* Subdit: *Opto tibi tui facultatem, ut vagis cogitationibus agitata mens tandem reſiſtat, & certa ſit*; quod eſt proprie ſibi contingere. Sed ſoli admoveo facem & noctuas Athenas.

Alium locum reperio, qui mihi ſcrupulum injicit non parvum, ex Seneca *epiſt.* LXXXVI. cum de ſuis balneis loquitur: *Adeo* (inquit) *erant calida, ut convictum in aliquo ſcelere ſervum vivum lavari oportet.* An quia aqua ferventi aliquando ſervum vivum nequam lotum? conjectare licet.

Reperio tamen purgationis genus quoddam fuiſſe aqua ferventi. Caſellius eruditiſſimus in *Variis* ait: Purgationum duo genera, *Canonicum*, & *Vulgare*. *Canonicum*, cum ſociis adhibitis manu ſublata adhibito juramento ſe aliqui purgabant, qui dicti *Compurgatores*, ante divorum corpora. *Vulgare*, cum ſe in ferventem ſeu frigidam aquam immittebant, & membris ſuis candens ferrum applicabant, ex quibus ſi illæſi & intacti eſſent, purgati his criminibus credebantur, quorum rei eſſent: quod genus purgationis ſacris canonibus interdictum.

Redeo ad Senecam in *eadem epiſt. Nam priſco more* (ſcilicet urbis) *tradiderunt, brachia & crura quotidie abluere, quæ ſcilicet ſordes ope collegerant.* Cæterum toti raro lavabantur, quare priſcam frugalitatem admiremur, non totos ſe quotidie lavantes delectationis & voluptatis gratia, ſed manus & brachia neceſſitatis & munditiæ ergo.

De ſervorum educatione & diſciplina Plutarchus in *Vita Catonis Cenſorii* plura. Ego alibi.

Totos autem fuisse lotos aliquando conjicio, cum videlicet ab exercitiis gymnasticis recedebant, quod sudorem aqua abluere salubre judicaretur, ideo milites in campo decurrebant exercebanturque, tum in Tiberi vicino natabant, (ut notissimum) cives vero delicatiores aqua calida sæpe in balneis se abluebant. Plautus *Sticho*, Act. IV. Sc. I.

Postea ibo lavatum a pila.

Quare, deinde luxu Romæ crescente, semper epulas adituri balnea prius petebant. Apul. lib. V. *Met. Probinc cubiculo te refert, & lectulo lassitudinem refove, & ex arbitrio lavacrum pete.* Persius:

—— jam nunc in balnea salva
Fronte licet vadas.

Olim cum toti non lavabantur, lavabant manus aut pedes. Petronius: *Tandem discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes.* Lavatio quoque sacra erat, & manuum quoque χέρνιψ, & totius corporis περιῤῥάνσις vocabatur, fiebatque θαλλῷ, id est, (ut Virg. ait) *ramo felicis olivæ.*

Ast de lavatione, seu de balneorum usu Priscorum quædam hic notanda pono.

Fuit Antiquorum mos, ut ante cœnam in balneis lavarentur toti, de quibus crebra mentio apud Homerum, Athenæum, Apulejum, & alios, ad sordes corporis detergendas, ad lassitudinem levandam, ad animum recreandum; quia calefaciendi & humectandi vim habent. Aquæ, vel frigidæ, ex marinæ; vel calidæ, & hæ vel sua sponte, dictæ thermæ: vel arte, dictæ balneæ, si publicæ; balnea, si privata. De balneis Symposii Ænigma:

Per totas ædes innoxius introit ignis.
Est calor in medio magnus, quem nemo veretur;
Non est nuda domus, sed nudus convenit hostis.

Hora balnei hyeme IX. estate VIII. Mart. *lib.* X.

Nunciat octavam Phariæ sua turba juventæ.

Utensilia balneorum erant strigiles, ampulla olearia, lintea. Unctores dicti aliptæ. Partes balneorum quinque. I. Erat conclave, ubi aer calidior; in quo vestes ponebantur, hoc dictum *apodyterium*, seu *spoliatorium*. II. Testudinis instar constructa, aerem calidum igne accenso sine fumo continens, dicta ὑπόκαυστον, id est, *calidarium sudatorium*. III. Cella caldaria, quæ *lavacrum* dicta; in ea homines considentes lavabantur, unde & labrum, seu lavacrum dictum. IV. Frigidarium, seu frigidaria cella, ubi aqua frigida, piscina. V. Ubi sudor detergebatur, ungebaturque, dicta *detersorium*, ἀλειπτήριον, *unctuarium*. Tria vasa ad lavandum; Calidarium, ubi calida; Tepidarium, ubi tepida; Frigidarium, ubi frigida aqua. Apparantur in balneis solium, seu labrum, aut lavacrum e ligno, vel e marmore, in quo residentes lavabantur. Guttus, vas guttatim oleum fundens. Strigilis, a stringendo, instrumentum, quo utebantur ad sudorem corporis, & sordes abradendas. Strigil dicabatur Jovi, Sen. *Epist.* Lintea, sudariave, quibus corpora detergebantur.

Balnearum instrumenta recenset hæc Pollux *lib.* X. *cap.* XVII. pelvis, labrum, urna, fons manu factus, cyathus, situla, aspergillum. Balneis & sui Dii & Genii insculpti balneorum ostiis. Tertul. *de Idololatria: Nam & alia ostia in balneis adorare videmus.*

Præterea erant Pilicrepi, pilos avellentes. Aliptæ, ungentes. Alipili, pilos ex aliis auferentes. His balneis usi partim sanitatis, partim munditiæ, partim denique voluptatis gratia. Judæi ante cibi sumptionem manus & pedes lavabant. Romani non omnes, de quo alibi; & licet balneorum alia communia, alia privata, attamen lego convivas

A seu hospites in convivatoris ædibus, a quo invitati & excepti fuerant, lavari atque ungi solitos, balneis a convivatore paulo ante convivium paratis. Hinc Thales in convivio Plutarchi, cum ad cœnaculum venisset, lavare se recusavit, quod se unctum diceret, & Christus accumbens in domo Pharisæi de D. Magdalena loquens, ait *Tu non dedisti aquam pedibus meis, non oleum capiti meo*: innuens morem Judæorum lavandi (ut dictum) pedes & manus, & caput ungendi. Sed de his Mercurialis in *Gymnastica* eruditissime, aliique legendi. Itaque, ut rem totam in pauca conferam: Post varia exercitationum genera sive in xysto, sive in stadio, sive in sphæristerio, quibus VIII. hora tributa, lavabantur; deinde a servis unctoribus ungebantur in unctorio loco balnearum, tum valetudinis, tum voluptatis gratia; lotione enim eliciebant sudorem, & ablutis sordibus hilaritas revocabatur. An vero toti, an partibus corporis loti, an semper, a me alibi explicatum. In thermis publicis plebs, in privatis & propriis balneis lautiores & patritii loti. Heroum temporibus, aqua marina frigida, tum aqua dulci calida, aliquando etiam frigida pro libitu. Ad tergendas sordes ænea strigili usi, seu spongiis, deinde linteis ad id paratis. Lego simul lotos viros cum mulieribus; Adrianum tamen mulieres a viri secrevisse in balneis. Balneorum usus duravit ad Justiniani tempora ab orbe asserto DXXI. circiter. Balneatoribus balneorum præsidibus quadrans pretio vulgo persolutus, exceptis pueris ante ann. XV. Hæ balneæ arte factæ, aliæ enim natura constant. Thermarum usum vel Homeri tempore receptum colligitur ex ejus lucubrationibus, & Platonis, Athenæi, Strabonis, Thucididis. Dion hunc morem tribuit Laconibus, qui ab Asiaticis didicerunt nudi, oleo pulvereque conspersi in luctam descendere, ac postea lavari: ideo Romæ campus Martius Tiberi vicinus, ut a ludis ad lavationem Romana juventus progrederetur. Inde piscina publicia ad clivum Capitolinum constituta juxta Tiberim: tum thermæ constructæ juxta palæstras ad munditiem & sanitatem. Thermæ in principio publicæ, tum privatæ, quæ plurimæ Romæ, & extra, ad Bajas præcipue, & per totam Italiam, & extra. Hinc aquæ ductus, & aquarum receptacula multa, quorum, adhuc vestigia extant passim. Balnearum loca atque exercitationum conjuncta fuere, ad juventutis disciplinam viribus confirmandæ, ad sanitatem tuendam, atque ad voluptatem. Exercitationes variæ variis in locis, aliæ in palæstris, aliæ in xystis, aliæ in hexedris, sub dio aliæ. Robustiores in palæstris quinquertio, lucta, disco, saltu, pugilatu, & cursu. In sphæristeriis pila, folle, harpasto. Seniores ambulationibus, lectionibus, & disputationibus in hemicyclis. Exercitationum plura loca, quam balnearum. Primum ergo exercitium erat, deinde balneum, ubi frictio & detersio facta, mox statim frigida lavatio, postea cibus & potus, ultimo somnus. Aqua vel erat calida, vel tepida, vel frigida, in caldario, tepidario, aut frigidario ad libitum. Erat & cella olearia, ubi unguenta & odores, unctio enim necessaria. Quisque lotus, saltem simplici unctus oleo, tum ut sudores inhiberet, tum ut se ab extrinsecus ambientis aeris injuria vindicare posset. Ad hunc usum oleum, uti congiarium, & recta cœna, de publico in lætitia datum. Unguentis etiam usos in conviviis alibi doceo. Loca in thermis communia: merces balneatorum quadrans. Tintinnabulis hora innuebatur. Thermæ licet nec ante auroram, neque post solis occasum paterent, hora tamen communis a meridie ad vesperam, octava com-

muniſſima: erant & lychni æneí penſiles, de quibus Athenæus. Jure publico nunquam interdictæ balneæ, niſi in communi luctu, ac Reip. calamitatibus, aut Juſtitio. Thermarum uſus, Imperio declinante, abolevit, graſſantibus in Italia tot Barbaris, veſtigia modo tantum extant, ſtuphæ ſcilicet, ut dicunt, & hypocauſta. De quibus erudite ac pluribus Baccius, Mercurialis, & alii, & ego alibi.

C A P. III.

Carmina in balneis recitata, & cur? Balneatores quare verboſi dicti? Quid cani & balneo quale proverbium? Bibliothecæ apud Veteres juxta balnea collocatæ. In conviviis & lectis dormitoriis recitari ſolitum. Balnea quando clauſa & aperta? Tempus lavandi. Balnea ab Antiquis ſacra habita.

NON difficile perſpectu quantum non ſolum ſcribendi, ſed etiam legendi ſua ſcripta morbus penitiſſime Auctore occuparit priſcos, & potiſſimum Poetas, qui clamoſi adeo, ut cerebrum ſit illis in lingua, qui in circulis ubivis convocatis pruriant ſua recitare, aut recitari. Hinc Satyricus Venuſinus urbane hos perſtringit, *Serm.* lib. I. ſat. IV.

Non recito cuiquam, niſi amicis, idque coactus;
Non ubivis, coramve quibuslibet, in medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi, quique lavantes.

Ita feſtiviſſimus Martialis *lib.* III. *epigr.* XLIV. importunum inſectatur Poetam:

Et ſtanti legis, & legis ſedenti:
In thermas fugio, ſonas ad aures.

Ex quibus præcipue colligo, ſolitum in balneis, tanquam incude recudi, quicquid in Palladis aut Apollinis officina eſſet cuſum. Illo enim omnes confluebant, tam patricii, quam plebeii litterati, ubi omnia adamuſſim & Ariſtarchica cenſura examinata, probata aut improbata, vel ad judicium eruendum, vel ad aures deliniendas, vel ad horas fallendas, vel ad populi auram captandam. Subſcribit mihi locus Petronii *Satyr.* hæc dicentis: *Relicto que Eumolpo; nam in balneo carmen recitabat,* & quæ ſequuntur. Horatius in *Arte*:

—— bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, ſecreta petit loca, balnea vitat.

Etſi Lambinus hunc locum, non ad loci celebritatem, ſed ad Poetæ illuviem ſordeſque referat. Ego tamen cenſeo in balneis pleraque ſcripta, recitata, & meditata aliquando. Suetonius in *Auguſto* cap. LXXXV. *Extat alter æque modicus* (liber ſcilicet) *Epigrammatum, quæ fere tempore balnei meditabatur.*

Hinc Balneatores dicti novarum rerum curioſi, verboſi, famoſi, uti tonſores, apud quos multa leguntur, dicuntur multa a linguacibus, dicacibus. Sed Luciani fax clariſſima mihi in hoc prælucet, qui proverbialiter hac forma utitur, *τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ, quid cani & balneo?* Si enim canes in balneo nulli uſui, quid Sycophantæ in Muſarum Athenæo? Canini Sycophantæ balnearium Athenæum non ingrediuntor.

Quare Priſci Bibliothecas juxta balnea collocabant. Seneca *de Tranquillitate* c. x. *Jam enim balnearia & thermas Bibliotheca quoque neceſſarium domus ornamentum expolitur. Ignoſcerem plane, ſi e ſtudiorum nimia cupidine oriretur,* &c.

In ruſticis quoque fundis Bibliothecæ ſtructæ, quod ex Martialis *l.* VII. *epig.* XVI. colligitur:

Ruris Bibliotheca delicati, &c.

Seneca *de Tranquillitate*, Plinio, Sidonio, &c.

Non poſſum non *φιλόπατρις*, de Lucenſibus balneis quædam ſubtexere, quaſi fimbriam texto ab eruditiſſ. Ant. Minutolio Medico excell. & aliis. Ad pagum Corſeni, qui eſt mons XV. mil. paſſ. a Luca, quatuor balnea viſuntur, ego quoque teſtis oculatus. Primum dicitur de Corſena: Alterum Rubeum, olim dirutum: Tertium S. Joannis: Quartum de Ducciis; de quibus nil diſſero, quod Medicorum eſt. Præter hæc aliud mille paſſibus diſtans nuncupatum de Villa, Villa enim nomen pago amœniſſ. XVI. mill. paſſ. ab urbe Luca diſtanti. Hunc locum olim obſoletum, modo ſumma induſtria reſtauratum, nitorique reſtitutum Reſp. Lucenſis quam maxime fovet, magnificis villis exornatum, atque viridariis amœniſſimis, ob aeris aquarumque clementiam atque ſalubritatem. Inſcriptionem ibi marmoream hanc legi: *Confert ægris corporis membris, curat omnes ſtomachi morbos, appetitum excitat, digeſtionem conciliat, vomitum reſtringit. Sanat cuncta hepatis vitia. Hepatis atque venarum opilationes aperit, colorem optimum facit, confert paſſionibus ſplenis. Sanat ulcera pulmonis, mundat venas, lapidem comminuit, arenulas prohibet. Macros impinguat. Lepram curat non confirmatam. Bibita antiquas febres expellit. Matricis vitia clyſterizata juvat, toto corpore ulcera ſanat. Triginta lavantur diebus, qui ea utuntur. Octo vel decem bibitur, purgatione præmiſſa.* Hæc breviter deſcripta continet tabula. Vide Minutolium, Baccium, & alios. Ad rem.

Non ſolum autem balnea, ſed & triclinia & cænacula ornata Bibliothecis. In conviviis clientes famulique ſemper aliud legere aut recitare ſolebant. Seneca in *citato loco*: *Sicut pleriſque ignaris, etiam ſervilium litterarum libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* Non ſolum igitur poetabantur in balneis, verum etiam in conviviis. Perſius *ſat.* I.

—— quidquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Et in lectis etiam dormitoriis. Hinc ſolebant habere parietes ceratos, ut ſi quid forte noctu in mentem veniret, ſtatim in eo ſcriberent. Horatius *lib.* II. *ſat.* III.

—— —— immerituſque laborat,
Iratis natus paries Diis, atque Poetis.

Sed quia de Balneis memini, illa lego clauſa ante ſolis occaſum, & aperta non ante auroram. Lampridius in *Alex. Severo*: *Addidit & oleum luminibus Thermarum, cum non ante auroram paterent, & ante ſolis occaſum clauderentur.* Et quamvis ſub cœnam hora eſſet lavandi in Thermis; attamen Pollio Vitruvius *lib.* V. *cap.* X. ait: *Tempus lavandi a meridiano ad veſperum conſtitutum eſt.* Aliter tamen alio tempore. Octava nempe hora, propria, & deſtinata. Martialis *lib.* X. *epigr.* VIII.

Nunciat octavam Phariæ tua turba juventæ,
Et pileata redit, jamque ſubitque choros.
Temperat hæc Thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico ſexta Nerone calet.

Neronianæ thermæ, ut Herculanæ, ob intentiſſimum calorem proverbio locum dedere, ideo Ariſtophanis Interpres in *Nebulis* ait, Vulcanum muneris vice ſubmiſiſſe Herculi fervida balnea. Quid fervidius noſtris Lucenſibus thermis? quæ niſi longo per tubulos tractu producerentur, non ſanarent, ſed elixarent. Ego ipſe teſtis oculatus. Ariſt. in *Probl.* ait balnea apud Veteres habita ſacra, propterea quod ex ſulphure ac fulmine rebus natura ſacris promanent. Piſandrus vero tradit, Minervam Herculi feſſo calidum balneum ſuppeditaſſe, nam, ut ait Pindarus in *Nemeis*, ode IV. nec calida quidem aqua æque mollit ac refocillat membra, quantum laudatio citharæ aptata.

F I N I S.

JOH. BAPTISTÆ CASALII,

ROMANI,

DE

THERMIS ET BALNEIS VETERUM

TRACTATIO.

JOH. BAPTISTÆ CASALII,

ROMANI,


DE

THERMIS ET BALNEIS VETERUM

TRACTATIO.

SUMMARIA.

Thermæ unde dictæ? Variæ recensentur. Earundem divisio ac usus. Ante cœnam eas adibant Veteres. Christus iis usu. Post exercitia etiam frequentatæ. Balnea antiquitus mixta quis discrevit? Eadem quando patebant? Balnea qui diminuta? Consideratio.



ADEO studiosi fuere prisci Romani Thermarum, aut in præcipua Urbis ornamenta censerentur: de quibus nunc institutus nobis sermo est. Porro Thermæ calida dicuntur loca, in quibus non solum aqua, sed etiam vapore halituque corpora incalescunt: θερμὸν enim *calor* est. Plinius enim saltum Thermopylarum in Græcia inter duo altissima juga cum describeret, inquit: *Ideo Pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatus: nobilis Lacedemoniorum adversus Persas morte magis memorabili, quam pugna.* Thermæ igitur Romanis BALNEA fuere calidarum aquarum, unde ædificiis adhæsit nomen, quamquam in his frigida etiam perfunderentur. Admiranda autem erat earum amplitudo & luxus, de quibus plura retulimus alio in loco. At numerus vero sine numero: supra octingentas P. Victor, Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XV. de prædictis inquit: *Quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum.* Itaque præter lavacra Principum, quæ gratuita Populo prædebant, & alia quæ conducebantur, sua quisque balnea domi fere habebat, præsertim nobiles cives ad privatos usus. De modo ædificandi Vitruvius *lib.* V. *cap.* X. & apud illum Interpretes. Hic autem de Thermis Principum solum est sermo.

Fuere in finibus Campi Martii Thermæ Agrippæ, quas excitavit Agrippa prope Pantheon. Dio *lib.* LIII. *Agrippa Vaporarium Latonicum fecit: Laconicum autem vocatur id genus Balnei, quoniam hic tum nudari corpora, tum inungi oleo præcipue videbantur.* Et infra: *Moriens Agrippa Populo hortos & balneum a se denominatum legavit, ut gratis lavarentur.* Ad ornatos Thermarum præter statuas, de quibus idem Dio, pertinent etiam picturæ: de quibus Plin. *lib.* XXXV. *cap.* IV. *In Thermarum quoque calidissima parte marmoribus incluserat Agrippa parvas tabellas, paulo ante cum reficerentur sublatas.* Idem *lib.* XXXVI. *c.* XXX. *Agrippa in Thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit, in reliquis altaria adornavit: non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum id fuisset.*

Nero suas etiam in Campo extruit eximii operis. Martial. *lib.* VII. *epigr.* XXXIII.


—— —— quid Nerone pejus?
Quid Thermis melius Neronianis?

Statius lib. I. *Sylvar.* laudans Balneum Etrusci:

—— (fas sit componere magnis
Parva) Neronea nec qui modo lotus in unda
Hic iterum sudare neget.

Euseb. in *Chronico* inquit: *Hæ nono Imperii anno ædificatæ a Nerone, quas Neronianas appellavit.* Sed P. Victor inquit: *Thermæ Neronianæ postea Alexandrinæ dictæ.* Et Cassiodor. in *Chronico*: *Thermæ a Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellavit; cujus odio mutato vocabulo; nunc Alexandrinæ nominantur.* Et Lampridius in *Vita Alexandri*: inquit: *Opera veterum Principum instauravit, ipse nova multa instituit. In his Thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur. Nemus Thermis suis de privatis ædibus suis, quas emerat, dirutis ædificiis fecit.* Dicendus ergo Alexander veterum operum instaurator, atque ornasse Neronis Thermas, illiusque nomen Thermas desumpsisse; quoniam semper in novos Principes prona adulatio est: cum præsertim ille Neronianis circumcirca lucos & sylvas addiderit: neque his tantum, sed etiam aliis lumina adjecerit, ut nocte etiam usui essent, ut inquit Lampridius: *Artium vectigal pulcherrimum instituit. Ex eoque jussit Thermas, & quas ipse fundaverat, & superiores populi usibus exhiberi: sylvas etiam in Thermis publicis deputavit. Addidit & oleum luminibus Thermarum, cum antea non ante auroram paterent & ante solis occasum clauderentur.* Sed Tacitus Cæsar, auctore Vopisco, *denuo Thermas omnes ante lucernam claudi jussit, ne quid per noctem seditionis oriretur.* Apparent harum vestigia prope templum S. Ludovici nationis Gallicanæ in ædibus Mediceis ad Circum ejusdem Alexandri, hodie Navonium.

Erant Thermæ Domitianæ, seu Trajanæ, sed in Palatio, de quibus Plutarch. in *Poplic.* his verbis: *Si in Domitiani domo videant Porticum, vel Basilicam, vel Balneum,* &c. Verum Ecclesiasticæ Historiæ de Sancto Sylvestro tradunt: *Eum*


BALNEVM
LABRVM

Ecclesiam fecisse & constituisse juxta Thermas Trajanas, alias ajunt Domitianas. Rursus de eodem: *Titulum suum constituisse juxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ*. Rursus: *Concilium celebrasse juxta Thermas Domitianas*. Titulus autem ille Equitii dictus est, quo ædes Sancti Martini in Montibus hodie insignitur, certisque vestigiis sancti Pontificis memoriam designat, & in Templum conditum juxta Thermas Trajani, ex Anastasio.

Thermæ Antoninianæ sunt omnium, quæ Romæ essent, nobilissimæ in Regione decima Piscinæ publicæ, inter Aventinum & Cœlium. Spartianus in *Severo* inquit: *Vixit diu in odio Populi Antoninus, quamvis & vestimenta Populo dederit, unde Caracallus est dictus, & Thermas magnificentissimas fecerit*. Et idem Spartianus in *Vita Antonini Caracallæ* inquit: *Thermas nominis sui eximias, quarum cellam solearem Architecti negant posse ulla imitatione, qua facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est, & tantum est spatii, ut id ipsum fieri negent potuisse docti Mechanici. Idem viam novam munivit, quæ est sub ejus Thermis, Antoninianis scilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias*. Refert de prædictis Thermis Olympiodorus: *Habebant in usum lavantium sellas mille sexcentas e polito marmore factas*. Has postea ornatas ab Heliogabalo etiam Alexander, quod refert Lampridius, perfecit & ornavit. Earum Ichnographiam ex his, quæ supersunt, parietinis pervestigatam Serlius Architectus descripsit: asseruitque symmetria partiumque dimensionibus esse omnium, quæ extant, pulcherrimas. Ubi sane multo major inspicitur ambitus, quam stantes reliquiæ demonstrant.

In Viminali Thermas Diocletianas omnium maxime integras religio servavit, ut verterentur in templum, quod præter cæteros pie eruditeque observavit Card. Baron. Tom. II. *Annal.* an. Ch. CCXCVIII. Diocletiani XV. Nam Diocletianus hostis Christiani nominis infestissimus aliquot militum Christianorum millia, quos cum ignominia exauctoraverat, mancipiorum instar ædificationi destinavit: perfectoque ædificio trucidari jussit, quorum corpora in templo ad Aquas Salvias condita sunt. Superfuit ergo post tot sæcula illa moles, ut demum Pio IV. Pont. Max. Virgini Angelorum Dominæ consecraretur; jam ante tanto Sanctorum sudore ac sanguine consecrata. Verum illa, quamvis hodie magna, quantula pars Thermarum fuit? Fuerunt ibi in usum lavantium solia sellæque plusquam tria millia, altissimi fornices, camerationes, hemisphæria, testudines, porticus, latissimæ areæ subdiales, aliaque admirabilia, quæ in earum Ichnographia proponuntur: & nunc hortos, horrea publica, duo Cœnobia Carthusiensium, & Cisterciensium strictioris disciplinæ, item vineta, plateas amplissimas capiunt.

Erant præterea hic Romæ aliæ Thermæ insignes & spatiosæ, nempe Adriani, Philippi, Heliogabali, Aureliani & Taciti Imperatorum, de quibus late Scriptores retulere. Præter Balnea publica & privata erant quoque Piscinæ publicæ privatæque in domibus ad natandum. Quarum una dedit nomen Regioni.

Recensebantur Thermæ seu Balnea inter publica ædificia, quæ ex publico ærario ad ornatum civitatum construebantur. Plinius Junior *epist.* XXV. *lib.* X. *Prusienses, Domine, Balneum habent, & sordidum & vetus; id itaque indulgentia tua restituere desiderant*. Et infra: *Deinde quam ipsi pecuniam erogare in oleum soliti parati sunt in opus Balnei conferre, quod alioquin & dignitas civitatis, & sæculi tui nitor expostulat*. Et idem *epist.* XLI. meminit Balnei Claudiopolitani, quod minus apto loco construeretur, sibique tanquam Provinciæ Proconsuli Architectum mitti a Trajano postulat, ut de loco aptiori consulat.

Usos etiam Principes ipsos fuisse hujusmodi Balneis notum est, quod de Adriano Imp. refert Spartianus in *ejus Vita*: *Publice & frequenter cum omnibus lavit; nam cum quodam tempore veteranum quemdam notum sibi in militia dorsum & cæteram partem corporis vidisset atterere; percunctans, cur se marmoribus distringendum daret? ubi audivit hoc idcirco fieri, quod servum non haberet; & servis eum donavit, & sumptibus: verum alia die cum plures senes ad provocandam liberalitatem Principis pariter & se attererent; evocari jussit, & alium ab alio defricari*.

Balnea habebant tres domos, sive cellas, ex Plinio Jun. lib. II. *ad Gallum*. Quarum superior aeris erat calidi, & *Calidarium*, sive *Sudatorium*, quod in eo sudorem sicco calore provocabant, & *Laconicum* dicebant. Mediam ex aqua tepida *Tepidarium* appellabant; in qua labrum; ubi considentes lavabantur. Tullius *ad Terentiam suam* sic scribit: *Labrum si in Balneo non est, fac ut sit*. Cujus Labri & Balnei hic apposui Iconem. Infirma ex aqua frigida, *Frigidaria* dicta. Galenus lib. III. *de Sanit. tuenda* addit quartam cellam, in qua loti ungerentur, & ob id *Unctorium* dicta. Et de iis Cornelius Celsus *l.* I. *c.* IV. Fulvius Ursinus in *Appendice ad Ciacconium de Triclinio* fol. mihi 71.

Inserviebant Balnea primo ad sanitatem, & lassitudinem tollendam. Et præter Athen. lib. I *cap.* XIX. Plato Dialogo VI. *de Legibus*: *Ubique autem in iis Gymnasia juvenes, tam sibi commoda, quam senibus præparent; calidis Balneis constitutis, & copiose siccis appositis lignis, ut & remedium ægrotantibus & lenimen labore defessis agricolis afferantur: quæ sane curatio longe melior est, quam Medici parum periti medela*. Et Plaut. in *Mercat.* Act. I. Sc. II.

Ac. *Numquam ædepol omnia Balnea mihi hanc lassitudinem adimerent*.

Quamvis sobrie etiam sumenda; refert Athenæus *lib.* I. *cap.* XV. & non immerito in antiquo lapide incisum a vetere Poeta:

Balnea, Vina, Venus conservant corpora nostra:
Corrumpunt vitam Balnea, Vina, Venus,

Secundo inserviebant Balnea ad abstergendum sudorem: hinc Magnum Alexandrum ex pugna lassum illico ad Balneum Darii jam fugati perrexisse, sic scribit Plutarchus: *Confestim armis exutis ad Balneum processit, dicens, eamus ad abluendum Darii Balneo ex pugna sudorem*.

Tertio voluptatis quoque causa multi utebantur Balneis, quos voluptuarios irridet Plutarch. *de curanda Valet. Alii gulæ & delitiarum causa projiciunt se ipsos in Balnea, festinantque ad escas*. Ac in iisdem Balneis partem diei insumebant, carmina & historias recitando & audiendo. Juvenalis *satyra* VII.

Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tamquam ungues digitosque suos; ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, &c.

Veteres lotione cœnam præveniebant. Apulejus lib. IV. *Metamorph.* ubi anula quosdam sicarios, mensa jam instructa, sic alloquitur: *At vobis fortissimi fidelissimique mei hospitatores juvenes, affatim cuncta suavi sapore percocta pulmenta præsto sunt: panis numerosus, vinum probe calcibus effricatis affluenter immissum, & ex more calida tumul-*

tuario lavacro vestro præparata. Et statim ingressum eorum, qui cœnaturi erant, in Balneum sic prosequitur: *In fine sermonis hujus, statim sese devestiunt, nudatique, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti mensas dapibus largiter instructas accumbunt*. Quotidie enim lavabant ante cœnam hora octava, Martialis *lib.* IV. *epigr.* VIII. quæ respondet horæ vigesimæ Italicæ in æstate, & vigesimæ primæ in hieme.

Fuere aliqui, qui Balneis utebantur non solum ante cibum, verum etiam postquam comedissent, ut digererent cibum, quem comederant. Hos damnat Persius *satyra* III.

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur:
Gutture sulphureas late exhalante Mephites.

Horatius quoque *lib.* I. *epist.* VI.

—— crudi, tumidique lavemur.

Crudi dixit pro non digesto vel inconcocto cibo; ut propterea Balneum repeterent capti voluptate escarum, & convivia iterum sumerent.

Clemens Alexandrinus indicans, quomodo Balneis uti debeant, maxime Christiani, l. III. c. IX. *Pædag.* inquit: *Balnei quatuor sunt causæ, per quas ad ipsum accedimus: vel enim causa munditiei, vel caloris, vel sanitatis, vel postremo voluptatis: se ergo voluptatis causa lavare rejiciendum est; sumendum est lavacrum mulieribus quidem mundationis causa & sanitatis; solius autem sanitatis viris*.

Quam ob rem aliquando Christum in terris domestica Balnea quoque frequentasse legimus: reprehenditur enim ab ipso Christo Pharisæus, *Lucæ* VII. *Intravi domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.* Et alias cum ipse Christus illotus aliquando accubuisset, scandalo fuit Pharisæo, qui illum invitaverat, ut dicitur *Lucæ* XI. *Rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se, & ingressus recubuit; Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium?* Et erat hic sermo de ablutione totius corporis, cujus tunc erat consuetudo, ut etiam in lib. II. *Reg.* cap. XII. sanctus Rex David, deposito mœrore ob mortem filii Bersabeæ, non prius mensam petere ausus est, quam de more ablueretur, ubi sic legitur: *Surrexit ergo David de terra, & lotus unctusque est; petivitque, ut ponerent ei panem, & comedit*. Et quamvis Christus nequaquam frequens lavacrum petierit, quoties sibi accumbendum fuisset, ut de corrupto regionis & sæculi more sic refertur *Marci* VII. *Pharisæi enim, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum, & a foro nisi baptizentur non comedunt*. Negari tamen non potest aliquando eum animarum lucrandarum causa Balnea petiisse, *Ut omnia omnibus factus omnes lucrifaceret.* Et propterea Balneorum voluptuarium usum redarguerit, necessarium vel sanitatis vel munditiei causa tantum permiserit.

Hinc advertendum, quod Hebræi duplici cœna sacrum Paschatis festum celebrare consueverunt; in priori enim cœna agnum manducabant: posteriorem autem cœnam instituebant, ut Azyma ex Mosaicæ Legis institutis inchoarent: quam ob rem cum de more Balneo & pedum ablutione illi cœnam prævenire solerent, ita Christus in ultimo accubitu cum Discipulis, ut duplici cœnæ duplex responderet pedum ablutio: consumpto jam agno in priori cœna; cum posterior cœna inchoanda, & aqua pedibus porrigenda fuisset a Ministris, Christus R. N. *surgit a cœna, Joan.* XIII. nimirum a priori cœna, *præcinxit se linteo, & lavit pedes Discipulorum*. Hoc autem mystice factum, ut doceret Christus, quanta cum puritate & animi candore accedere debeamus ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Consuevere Veteres exercitiis & corporis agitatione sudorem excitare. Clemens Alexand. lib. III. *Pædag.* cap. X. *E viris autem alii quidem nudi luctantur, alii vero parvo quoque globo ludunt, qui Phenis dicitur, maxime in sole.* Et paulo post: *Est enim honestior & virilior, quæ cum decoro robore fit hoc modo exercitatio, quæ utilis & conducibilis sanitatis gratia assumitur*. Unde exercitationis causa sudandique gratia Balnea instituta fuere. Cornelius Celsus *lib.* I. *c.* II. *Exercitationem optime sequitur modo unctio, modo balneum.* Quia non solum balneo sudorem compescebant, ut vidimus supra de Alexandro Magno, sed etiam oleo. Seneca teste præfat. lib. I. *Controvers. Nulla unquam illi cura vocis exercendæ fuit, illum fortem agrestem*. Et paulo post: *Non sudorem olei unctione discutere, non latus ambulatione reparare*: Ad hoc semper in Balneis destinata erant oleum & unguenta. Sidon. lib. II. *epist.* II. de Balneo ait: *Hic aquarum surgit cella coctilium, quæ unguentariæ spatii parilitate conquadrat.* Ac etiam de unguentis ad perfectam Balnei rationem, Leontii epigr. in *Florilegio Epigr.* lib. IV. n. XXXII.

Ædificavit me communi in vestibulo lavacri
Civis vir, virtutis causa, non contentionis.
Illud curæ sit multis, ego vero paucisque & amicis
Exhibeo lavacra, & unguentum, & gratias.

Lubet hic referre de unguento illo allato a Magdalena ad ungendum Christum; sicuti refert Matth. *c.* XXVI. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ejus recumbentis.* Quod tale alabastrum non aliter sit lapis; sed juxta opinionem Epiphanii in lib. *de Mensuris*, dum inquit: *Alabastrum unguenti vasculum est vitreum, capiens libram olei, alabastrum vero dictum propter fragilitatem*. Altera difficultas est de unguento nardi pistici: de quo Joan. *c.* XII. *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti*. Quod verbum *pistici* intelligatur de unguento nardi non adulterati, vitiati, sed puri ac fidelis: ita Jansenius, Ribera, Toletus, Baronius, & alii: at vero Cornel. a Lapide in eum locum credidit *nardum pisticum* idem esse ac *nardum spicatum*: hoc est, ut tale nardi unguentum processerit ex spica, non autem ex folio ejusdem, quod minus est pretiosum & vilius.

Præterea etiam certatores, & luctatores, nisi uncti in arenam non descendebant. Virg. III. *Æneid.*

Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii.

Et V. *Æneid.*

Cætera populea velatur fronde inventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.

Etiam mos fuit ungendi post varias corporis agitationes; sicuti Lampridius de Alexandro Severo in *ejus Vita* inquit: *Post lectionem, operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat: atque inde unctus lavabatur*. Ungendi autem officio fungebantur in Balneis servi, qui ab eo Unctores dicti sunt. Sen. lib. VII. *Epist. Supra ipsum balneum habito; cum in aliquem plebeia unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris.*

Unctores gutto utebantur, ut inquit Varro, oleum lavantibus se in Balneo guttatim fundebant. Juven. *satyra* III.

—— pleno componit lintea gutto.

Et ad hoc in usu erant ampullæ. Apul. lib. II. *Floridorum* inquit: *Strigilem, & ampullam, cæteraque Balnei utensilia nundinis mercari.* Nam rhinocerote potentiores tantum utebantur. Juvenal. *sat.* VII.

—— magno cum rhinocerote lavari
Qui solet.

Ure-

Utebantur etiam in Balneis tum ad fricandum corpus, sudoremque eliciendum, tum ad abstergendas sordes ænea strigili, cujusmodi multæ reperiuntur in antiquis ruderibus Thermarum, cujus iconem hic delineandam curavimus, sicuti etiam supra apposuimus aliam figuram pueri cum strigili & gutto præ manibus: unde Persius *satyra* v.

I puer & strigiles Crispini ad balnea defer.

Et Juvenalis *satyra* III.

—— & sonat unctis
Strigilibus.

Nam uncti oleo strigilibus radebantur sudantes; deinde linteis ad id paratis tergebantur. Plinius *lib.* XXVIII. *cap.* IV. solum quoque remediorum maximum ab ipso sibi præstari potest, sicut linteorum strigilumque vehementia. Martialis *lib.* XIV. *epigram.* LI.

Pergamus has misit, curvo distringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Distringere eleganter est sudorem strigilibus siccare & detergere apud Senecam *epist.* CXXIII. *Ut sudorem, quem moverunt potionibus crebris & ferventibus, subinde distringat.*

Offendebantur aliquando corpora nimio strigilis usu, ut scribit Sueton. in *Augusto* cap. LXXX. *Cum nimio strigilis usu cutem læsisse.* Delicatiores homines, & eos præcipue, qui mala erant valetudine, spongiis & linteis interdum uti solitos fuisse, tradit Plinius *lib.* XXXI. *c. ult. Prestant & strigilum vicem linteorumque affectis corporibus.*

Non prætermittam hic recensere formam strigilis, ac etiam gutti, seu ampullæ ad effundendum oleum in Balneis: hæc graphice delineata ab Apulejo lib. II. *Florid.* dicente: *Magno in cœtu prædicavit fabricatam sibi semet ampullam quoque oleariam, quam gestabat lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate, juxtaque honestam strigileculam recta fastigiatione clausulæ, flexa tabulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Et de puero inserviente in Balneis domino cum strigili & gutto apposui iconem.

Locus vero in Balneis, in quo ungebantur, Unctorium vocabatur: Plin. Jun. lib. II. ep. *ad Gallum* ait: *Adjacet Unctorium.* De variis unguentorum generibus in Balneis, & hujusmodi materia late Fulvius Ursinus in *Appendice ad Ciacconium de Triclinio*, ac etiam Guillelmus Choul in tractatu *de Balneis.*

Qui Balneis præerant, Balneatores dicebantur, ut in marmore antiquo: *Anteros Balneator*: Capitolinus in *Claudio secundo*: *Balneatorum unum, & ad Balnea*, &c. Hi quadrantem exigebant ab iis, qui lavabantur. Juvenalis *satyra* II.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Et Horatius lib. I. *Serm.* satyra III.

—— dum te quadrante lavatum
Rex ibis.

Balnea olim erant mixta, in quibus lavabantur viri & mulieres: Adrianus autem Imperator in primis viros a mulieribus discretos lavari edixit, ut scribit Spartianus in *Adriano*: *Lavacra pro sexibus separavit.* Et Capitolinus in *M. Aurelio*: *Lavacra mixta submovit.* Et Lampridius in *Alex. Severo* ait: *Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit*, Vitruvius *lib.* V. *cap.* X. aperte ostendit Balnea virorum disjuncta a Balneis mulierum fuisse; ita tamen, ut in iisdem regionibus collocata essent; sic ait: *Uti caldaria muliebria viriliaque conjuncta, & in iisdem Regionibus sint collocata; sic enim efficietur uti vasaria ex hypocausto communis sit eorum utrisque.*

Lampridius in *Alexandro* scribit Eunuchos Balneis fœminarum ab Alexandro præpositos fuisse.

Tempus autem, quo Balnea paterent, indicant Lampridius in *Alexandro*, cum ait: *Addidi & oleum luminibus thermarum, cum non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.* Vopiscus in *Tacito*: *Thermas omnes ante lucernam claudi jussit.*

Lavationi tamen hora eadem erat assignata, quæ exercitationi, & hanc fuisse octavam in nonam ex Martiale *lib.* IV. *epigr.* VIII.

Sufficit in nonam nitidis octava palæstris.

Nam exercitationes & palæstram statim consequebatur lavatio. Cicero lib. XIII. epist. *ad Atticum* dicit: *Post horam octavam in Balneum*: Itaque Spartianus in *Adriano* inquit: *Ante octavam horam in publico neminem nisi ægrotum lavari passus est.* Plin. Junior *lib.* III. *epist.* I. *Ubi hora Balnei nuntiata est: est autem hieme nona, æstate octava.* Ipsa autem lavandi hora indicabatur sonitu tintinnabuli, ex Martiale *lib.* XIV. *epigr.* CLXIII.

Redde pilam; sonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Plinius dicta *epist. lib.* III. *Ubi ora Balnei inuntiata est, lotus accumbat, & paulisper cibum differat.* Nam data lavationi opera, & loto unctoque corpore, ut ex figura seq. pag. apposita, cœnas inibant. Cicero epist. *ad Atticum*: *post horam octavam in Balneum; & unctus accumbit.* Et Apulejus lib. IV. *de Asino* inquit: *In fine sermonis hujus statim sese devestiunt, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.*

Tandem ubi Balnea exivissent, soleas & soccos accipere consueverant, ut a soli contactu & sordibus pedes a Balneo nudos contegerent atque defenderent: hinc Martialis *libr.* XII. *epigram.* LXXXIV.

Et si jam lotus, jam soleatus erit.

Verum ingressi cœnaculum, ne stragula atque strata luto fœdarent, antequam recumberent, deponebant soleas ministerio servorum & puerorum: Plautus in *Truculento* Act. II. Sc. IV.

Jam rediit animus, deme soleas, cedo vinum.

Et Plutarch. lib. VII. *Sympos.* quæst. VIII. *ut ne a puerulis quidem, qui dominis modestis calceos portant, spectari ea deceat.* Ut videre est in figura seq. pag. apposita, ex lapide in viridario Card. Montalti ad montem exquilinum.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO CARDINALI

BARBERINO

PETRUS SERVIUS F.



ACIO, quod apud Scriptorum vulgus in more poſitum eſt, E. P. ut exili & minuto Commentario, nullaque ex ſe aut dignitate prædito, aut commendatione digno, ſplendorem, & amplitudinem Inclyto Tuo Nomini inſcripto comparare ſtudeam. Vix, fateor, ac ne vix quidem effugere poſſe videor temeritatis, impudentiæve notam; qui Te, aſſiduis operoſis maximiſque univerſi Chriſtiani Orbis occupationibus diſtentum, hiſce nugis interpellare audeam. Ceterum non tam impudentia vicit, quam ſtudium, cupiditaſque non quidem tua in me teſtandi merita, quæ cum vix animo comprehendere poſſim, plane impudens eſſem, ſi infirmiſſimo teſtimonio profiteri vellem: ſed exiguo hic tenuique libello gratiam ac dignitatem a ſumma amplitudine tua conciliandi. Itaque non vetera ſolutum tua in me merita, E. P. ſed nova rogatum beneficia Te convenio: quem ſupplex imploro, atque obteſtor, ut hunc Commentariolum re ex ſe ἐφήμερον, & quaſi Herbam ſolſtitialem, æternum eſſe velis, Æterno Tuo Nomini conſecratum.

L E C T O R I

SALUTEM DICO, VELITATIONEM INTERDICO.



UID iſtuc eſt? inquies Lector, An falcem tu in alienam meſſem injicere audes? Minime vero, inquam, in alienam; ſed in propriam atque domeſticam. Quid enim mihi magis proprium, quam ſuaviſſimum Balſami Odorem velut a populatione multorum ſartum tectum tueri? [1] Segetes autem nullius incidam, nullius invadam horrea: ſolum in communi agro, ubi meſſem alii fecere divitem, paupertinum ingrediar facere ſpicilegium. *Importune (objicies) in campum deſcendis, &* [2] Myconiorum more non invitatus intervenis. *Imo coactus interſum, adſumque* Pro aris, & focis; *atque adeo, cum uſus veniet,* [3] Præſto ero ad præſidium, ad aciem, ad periculum. *Neque enim videar unquam, ut* [4] Iſocrates, paleſtræ, quam pugnæ, magis accommodatus. *Tu vero cave,* [5] Patrium morem Academiæ *imitatus*, adverſari ſemper omnibus in diſputando *hoſtiliter contendas. Nam etſi* [6] Nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidi, *aut certe* [7] Nunquam acies, nunquam arma libens in prælia movi, *tamen (nihil jacto)* [8] Novi equidem clypeum dextra, lævaque movere; *immo* [9] Novi probe & ipſe & petere probris, inimicaque dicere dicta. *Itaque, ſi contumelioſe inſolenterque laceſſes,*

[10] Muto pacatum in prælia vultum,

[11] Parata tollo cornua, *ac* [12] Reciproca tendo Condita tela. [13] *Ceterum* Illud te, *ſi quis eris*, Atratine, eſſe admonitum volo primum qualis es, talem te eſſe exiſtimes: ut quantum a rerum turpitudine abes, tantum te a verborum libertate ſejungas, deinde, ut ea in alterum ne dicas, quæ cum tibi falſo reſponſa ſint, erubeſcas. *Vale, ac vive, meque amantem ama, vere ſerioque amantem: nihil enim id vetat:* [14] Nam opinionum diſſimilitudo tantum abeſt a ſimultate, ut non ſolum qui ſententia diſcrepant, in amore conſentiant; ſed etiam, qui judicio congruunt, ſimultates exerceant.

1 Acidalius *ad Vellejum*. 2 Athenæus 1. *Dipnoſ.* 3 Cicero *pro Dejot.* 4 Quinctilianus *lib. x. cap.* 1. 5 Cicero 1. *de Orat.* 6 Idem 2. *de Orat.* 7 Virgil. *Æneid.* 8 Homer. *Iliad.* VIII. 9 Æneas apud Homerum. 10 Petronius Arb. in *Satyr.* 11 Horat. in *Epod.* 12 L. Attius in *Philoct.* 13 Cicero *pro Cœlio*. 14 P. Manutius in *Epiſt.*

PETRI SERVII, *SPOLETINI,* DE
ODORIBUS
DISSERTATIO PHILOLOGICA.

SUMMARIA.

Balsami Odor, Cinnamomi, Stactes, cæterorum. Veterum & Recentiorum Unguenta. Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, Galenus illustrati. Ciceronis locus restitutus, Lucilii correctus, Pomponii JC. emendatus. Plinius qua explanatus, qua defensus, qua notatus. Multa Recentiorum animadversa, Antiquorum perpensa multa.



SÆPE consultus, quid sentiam de Balsami Odore, deque Veterum & Recentiorum Odoramentis; sæpiusque ab amicis hortatus, ut ea, quæ in otio & laxamento a medicina facienda commentatus essem, litteris consignarem; hæsitavi semper, & multis de causis me ipse a scribendo hactenus revocavi. Et primo quidem illud mihi negotium exhibebat non mediocre, quod ea de re ageretur, quæ sensu potius, quam ratione æstimanda, longe tamen esset a sensibus dissita: neque enim balsamum, aut Antiquorum unguenta nobis præsto sunt, quæ sensu expendere, atque diligentius explorare possimus. Deinde vero difficultatem rei mirum in modum augebant eæ, quibus distineor, occupationes. Totus enim sum in medicina facienda exercendaque, ac nihil meum jucundius oblectat animum, suaviusque demulcet, quam πρακτικὴ, καὶ ποιητικὴ, ipsa nempe exercitatio, curatioque morborum. Ad illam vero medicinam theoricam, quæ vere ἀκροαματικὴ, atque subtilior, penitusque a sensu sejuncta, intenta solum mentis acie comprehenditur, quæque mihi adolescenti ac juveni mel ac deliciæ fuit, animum referre vix possum, nihil fere amans, (vide genii vicissitudinem) nisi quod morbos, quod ægros, quod horum hospitia non sapiat. Quem amorem, laude profecto & commendatione dignum, inserere studiose contendo in omnium eorum animos, qui me, & in Nosocomio S. Spiritus practicam medicinam exercentem, & in Romano Gymnasio theoricam, ut vocant, ordinariam profitentem, frequentes conveniunt. Demum urgebat me, vel tardabat potius ac fere impediebat vix ferenda imperitorum inscitia, malitiaque improborum vere insidiosa: quibus illud unum summæ & anxiæ curæ est, ut eos, qui aliquid ultra crepidam sciunt, quique otium gravioribus curis subreptum in litteris honeste transigunt, carpant, sugillent, & per speciem laudis callida obtrectatione lacerent. Nimirum, quidvis aliud, cui detrahere vehementer student, honorifice tribuunt, quam practicæ medicinæ scientiam. Optimos ejus mores imprimis vafre & malitiose commendant, summum ingenium, industriam singularem, omnisque generis litteraturam laudant, exornant, amplificant, &, si Diis placet, etiam ad cœlum extollunt. Sed unum C illud, inquiunt, (en venenum, simulatis laudibus & ad nocendum compositis tectum) in eo viro dolendum esse, genium nempe, & ingenium litteris addictum & involutum, atque a medicina facienda animum proinde alienatum. Mehercule hi longe nequiores sunt Pompeii Magni obtrectatoribus, qui cum in purissima ejus vita nullam reperirent labem, qua culparent eum atque perstringerent, eo tantum nomine accusarunt, quod *digito caput scalperet*, Ammianus *lib.* XVII. Sed hos, similesque nebulones *Dii monerint meliora atque amentiam averruncassint*, Pacuvius *in Chrys.* Qui vero fortes & cupidi sumus *Amici*, D *quod factum est futile, nos feramus fortiter*, Ennius in *Phœnice*: neque enim separandum est, ut eorum corrigatur natura:

> *Ante*, opinor, *lupos rapient hœdi, vituli ante leones;*
> *Delphini fugient pisces, aquilæ ante columbas.*

Valerius Cato in *Diris*.

Feramus igitur, & factum infectum putemus. Hæc sunt, Lector, quæ me a scribendo deterrebant ac plane dehortabantur: sed multorum suasionibus victus, Philolo- E gica de Odoribus exploratum præmittere decrevi, ut his, quid improbi, quid probi censeant, renunciantibus, de Physico Odorum Commentario, cum ab assiduis medicinæ faciendæ occupationibus aliquid otii impetrare potero, arctissimumque illud vinculum, (heu Medicorum conditio!) quo curandis ægrotis adstringimur, paululum laxare per salubritatem, annique tempus licebit, statuere possim.

Triplex autem de Balsamo hic philologice potius, quam physice tractanda quæstio est: F prima, *An bene jucundeque oleat:* altera, *An ture, myrrha, cæterisque similibus suaviorem spiret odorem*: tertia, *An jucundius oleat ambra, moscho, zibetho*.

De prima ita censeo: Qui negat (negat autem non unus) Balsamum bene suaviterque olere, profecto meridie

Ostendi solem postulat ille sibi.

Nam Antiqui omnes, omnesque Recentio-

Balsami odor eximius ex Antiquis

res, qui Balsamum tractarunt, odorem ejus maxime commendant. Alexander Magnus in epistola *ad Aristotelem* scribit se vidisse *Balsamum cum optimo odore*. Andromachus apud Galenum lib. I. *de Antidot.* c. VI. *Odoribus*, ait, *inclyta semper Balsama*. Theophrastus lib. IX. *Hist.* cap. VI. Balsamum *odorem infert eximium & copiosum*. Solinus *Polyhist.* cap. XXXVIII. *E plaga eximiæ suavitatis gutta manat*. Flavius Josephus *lib.* XV. *cap.* V. *Balsamum unguentorum omnium longe præstantissimum*. Plinius *lib.* XII. *cap.* XXV. *Omnibus odoribus præfertur Balsamum, & succus e plaga manat suavitatis eximiæ*. Quibus omnibus assentitur Galenus, Pausanias, Dioscorides, Strabo, & si quid hoc ad rem pertinet, Martialis, Virgilius, cæterique sexcenti, quos brevitatis causa prætermitto.

An fortasse Antiquis tantum bene olebat? qui nostra unguenta, ex ambra, moscho, & zibetho ad summam suavitatem condita; nusquam odorari, acuti solum olentia (quæ Rondeletii multorumque est opinio) ignaviterque fragrantia jucundissima putabant. Minime gentium: nam etiam nostratibus, sive Philosophis, sive Unguentariis, quorum nares unguento ambraceo delibutæ sunt, Balsamum suavissime olet. Alpinus oculatus, imo nasutus, testis, (nam succum vel ex ipsa planta manantem odoratus est) *suavi odore, eximiaque fragrantia* præditum testatur *Jo. Dialogo, & Med. Ægypt.* Veslingius *ad Alpinum* & ipse *testis, & spectator vivus, & præsens*, balsamum esse profitetur *odoris suavitate gratum*. Stephanus Mantegaza in *Relatione itineris Hierosolymitani* vernaculo sermone conscripta, lib. I. cap. XXIV. *E plaga gutta manat admodum lucida, & odorata, quæ verum balsamum est*. Kornmannus: *Gutta mire fragrans scaturit ex ruptura*. Sebastianus Munsterus, Pausaniæ verbis usus, lib. VI. *Geograph. Viperæ*, inquit, *vescuntur succo Balsami suavissimo*. Jovius lib. XVII. *Histor. Ex arbusculis liquor omnium odoratissimus resudat*. Quare non minus alienum est de suavi præstantique odore Balsami dubitare quam *In scirpo nodum quærere*, aut *Maculam in sole*. Adversus tamen eos, qui dubitant, illudque, tot tantisque auctoribus minime credentes, de odoris ignavia, aut insuavitate postulant, haud importune occurrit illud M. Scauri: qui a Vario accusatus interrogavit Quirites: *Varius Sucronentis ait, M. Æmilium Scaurorum, mercede conductum, Populum Rom. prodidisse: M. Æmilius Scaurus huic culpæ se affinem esse negat. Vos utri creditis, Quirites?* Nominato tantum actore & reo, populus accusationem repulit. Tu, Lector, conferto sodes Balsami suavitatis auctores & vindices cum oppugnatoribus, & de tota re statue, ac plane decerne. Ergo, inquies, sunt, qui in Balsamum male animati, vi omni ac facultate id exuere contendant? Sunt profecto: quos si audias, nobilissimus hic loquor, eximius, ac preciosus, & ab omnibus populis, scriptoribus omnibus, omnisque generis hominibus perpetua prædicatione commendatus,

Terentius in Andr.

Veteris famæ vix tibi signa dabit.

C. Laberius in Athen.

Sed de re perspicua satis, immo plus satis; ac bono facilique homini vere nimis. Itaque, *An balsamum suavius thure & myrrha oleat*, secundo loco propositam quæstionem accuratius pluribusque tractare aggredior. Thus odorem suavitate balsamo præstare, atque adeo myrrham, non balsamum primas ferre, censent viri docti, litterisque mandarunt. Qua de re etiam atque etiam ipse consultus, anxieque percunctatus, illud candide & sine fuco primo respondere consuevi, mirari me, (obiter id quidem, non tamen inutiliter, præmittebam) cur cinnamomum etiam balsamo non præferant: siquidem *odore hoc omnia vincit*, ut est apud auctorem libri *simpl. Med.* Odore nempe grato suavique: nam sexcenta pene sunt, quæ gravius acutiusque olent. Imo *omnium rerum est odoratissimum*, ut *ibidem* scriptum est. Neque Galenus dissentit lib. *de Ther. ad Pis.* ubi cinnamomum habere ait *odorem vehementer redolentem, odoratuque suavissimum esse*. Et lib. I. *de Antid.* cap. XII. *inexplicabilem præ cæteris bonum quendam odorem spirare*. Neque dicas odoratissimum esse non omnium odoratorum, sed aromatum tantum, quia etiam balsamum fere inter aromata censetur lib. VII. *Meth.* cap. IV. Dicerem in re, difficili nodo implicata, cinnamomum olere suavissime omnium, in Arabia patrio fere solo nascentium, aromatum: non suavius balsamo, quod Galeno in Arabia forte non nascitur. Dicerem, cinnamomum Galeno non aliis melius redolere, nam ut *diversus est convivarum palatus*, ita olfactus diversus. *Non enim idem odor gratus omnibus*, ut ait Theophrastus lib. VI. *de caus. Plantar.* cap. V. Et aliis quidem alia jucundius odorant: ambra nonnullis, aliis moschus, zibethum aliis, rosa, citrum, jeseminum, cætera. Imo aliqua sunt, quæ nonnullis bene quidem, aliis graviter oleant. Novi pedissequum, qui a rosarum odore adeo abhorrebat, ut iis animo deficeret. Jurisconsultum, qui fragis æstuaret exsudaretque: Barbitonsorem, malis aranciis: Auctor est Cromerus Vladislaum Jajel. Poloniæ Regem pomorum odores ferre non potuisse: idem de Joanne a Querceto Francisci I. Regis Galliarum a Secretis narrat Bruyerius. Hostius Comitem quendam olei communis odore in syncopen agi. Scaliger muscas sulphurem, serpentes galbanum, ungulæ mulinæ nidorem mures maxime odisse. Theophrastus a rosis cantharum, vultures ab unguentis lædi, atque perimi. Vere igitur

—— Non omnibus unum est

Quod placet: hic spinas colligit, ille rosas.

Dicerem tertio cinnamomum lignum balsami ligno, non succo suavius olere, nam hic *omnibus odoribus præfertur*, Plinio teste. Dicerem demum, vel dico potius, optimum cinnamomum *inexplicabilem præ cæteris* suis speciebus, quarum sex meminit Galenus, *bonum quendam odorem spirare*. Quod si obiter dicta, indicta velis, libenter te dicentem audirem, neque enim *Narrabis asello fabellam surdo*.

De thure autem, quod *prora & puppis est*, quid censendum? An balsamo suavius olere? Profecto, si oleret suavius, in condiendis unguentis passim & vulgo fuisset usurpatum, cum magna vis ejus ubique semper præsto fuerit. At apud Plinium, Theophrastum, Dioscoridem, Galenum, & alios, qui unguenta condierunt, vel condita meminerunt, nunquam thus video aut adhibitum, aut nominatum. Tempore, inquies, Athenæi in unguentum usurpatum. Vel ex hoc igitur conjectare licet, imo aperte intelligere, ut

An balsamum suavius thure & myrrha?

Cinnamomi præstantia.

Balsamum aromata est

Galenus explicatus.

Plautus.

Miranda olfactus diversitas

Fragorum, aranciorum. Pomorum odium. Olei odium, & aliorum

Petronius Arb.

Cinnamomi species sex.

Horatius.

Thus non suavius balsamo

Thus in unguentis non usurpatum.

Quando primum usurpatum?

nobis, ita etiam Antiquis tus odore non fuisse nobile, neque enim tot sæculis ad Athenæum usque vile jacuisset, & nunquam operarium.

Resina cur unguentis addita?

Neque vero ab unguentariis neglectum fuit, quippe gummi, aut resina, quia & *Resina & gummi adjiciuntur ad continendum odorem in corpore unguenti*, ut est apud Plinium *lib.* XIII. *cap.* I.

Cicero *n. d. o.* restitutus, cap. v.

Unde firmare quis posset Brodæi conjecturam lib. IV. *Miscellan.* cap. V. ubi Ciceronis loco, Unguenta *magis laudari, quæ terram, quam quæ crocum olere videantur*; pro *terra ceram* restituit: *Cera*, inquiens, *unguentis addita, ne penitus diffluerent*. Sed hæc ut *παρέργως* hoc in loco, ita in alio fortasse diligentius, ac dedita opera, cum alterum Plinii locum e *lib.* XVII. *cap.* V. examinabimus.

Tus odorem non laudatum Turis epitheta.

Accedit autem eo, quod Plinius *lib.* XII. *cap.* XIV. accurate tus describens, ac præcipuas omnes ejus qualitates sedulo enarrans, nullam odoris mentionem facit: Balsami vero cum meminit, *suavitatis eximiæ* esse ait. Imo vero Antiqui omnes, ac præsertim Poetæ, qui in epithetis multi esse solent, eaque morose indagant, adhibentque ad fastidium usque, quidvis aliud, quam odorem, turi tribuunt. Tibullus *pia tura* appellat, Statius *Eoum tus*, Virgilius *mascula tura*, & *tus Panchaicum*, Ovidius *flavum tus*, & *votiva tura*, Propertius *blandum tus*, Martialis *pinguia tura*, & *exta tura* (*exta cruda* recte emendat noster Gronovius) Horatius, Cornel. Severus, Lucanus, Statius, & Seneca *tura* sine epitheto. Propertium fortasse objicies, qui *lib.* II. *eleg.* XIX. tus *rari* cognomento decorat:

Atque ibi rara feres inculto tura sacello.

Tus cur *rarum* dictum Eruditis?

An *rara*, quia quot mensibus adhiberetur? Tibullus,

At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.

An potius, quia quotannis? ut est apud eundem,

Hic ego, patremque meum lustrare quotannis.

Ita profecto: nam *rarum* Propertio non designat aut præstantiam aut nobilitatem, cum tus apud eum omnino vilescat *lib.* II. *eleg.* X.

Vilia tura damus.

Tus cur vile?

Vile autem, quia vere apud Priscos vilesceret, aut certe quia copiosum, & unicuique promptum, vel maxime inopi, ut *vilia poma*, & *vilis phaselus* apud Virgilium, utrumque sane turi maxime detrahit. Scaligerum fortasse objicies, qui in *Commentario in Ætnam Cornelii Severi* ad illud

Vile quid Virgilio?

Cornelius Severus emendatus. Scaligeri laus.

Surgit adoratis sublimis fumus ab aris:

Melius, inquit, *odoratis, propter turis incensum*. Probo sane emendationem, veneror auctoritatem tanti viri, *Quo nostra ætas* (sunt Bulengeri verba) *neminem majori ad literas genio, ingenioque tulit: & forte anteacta sæcula parem omni doctrinarum genere non habuerunt*, cujusque doctrina adeo varia & multiplex fuit, (cum de Scaligero loquor, non possum me temperare) ut Casaubonus scripserit, *Nihil esse, quod discere quisquam velit, quod Josephus Scaliger docere non possit*: quem demum ut *δαίμονα* & numen aliquod omnium disciplinarum colunt omnes, atque

Scaligero quantum tribuat Casaubonus.

A suspiciunt, qui de litteris bene sentiunt. At non vereor ut Josephus a Julio patre dissentiat, qui de *Subtilitate* scribit, Diis bonos malosque odores fuisse gratos; adhibitosque suffitus tam bene, quam mediocriter, & male olentes, ut paulo post scribam.

Turis etymologia.

Tus, inquies (quod sane multoties mihi objectum fuit) ἀπὸ τοῦ θύειν derivatum est, quod propter summam odoris suavitatem in sacris adhiberetur. Ego quidem in derivatione satius esse puto Varronem sequi, Latinitatis summum & probatissimum auctorem, Servium, Isidorum, Priscianum, Carisium nobiles Grammaticos, qui a *tundendo* illud

Turis orthographia.

B derivant; quod tunderetur, & veluti a scobe atque appluda, & quibus ex arbore exsudans adhærescit, legeretur prius, quam adhiberetur: ac propterea sine adspiratione scribendum aperte jubet Carisi. lib. I. *Inst.* cui assentitur perantiquus Tibulli Vaticanus codex, & celebratus ille Virgilii Carpensis, atque Scaliger *De Causis*, & Christianus Becmannus *de Orig. Ling. Latinæ*. Jam si ἀπὸ τοῦ θύειν deductum pervicaciter contendas, ego sane *Non contendam nugis armatus*, neque *Rixabor de lana caprina*: sed tria mo-

Horatius.

C neam: primum, vel eos, qui libentissime Ἑλληνίζουσι, in hac derivatione animo trepidare, & quasi incertos hæsitare, nam Xystus Betulejus *ad Lactantium Firm. Tus*, inquit, *nisi barbara vox sit, a θύω deducere malim*. Alterum temerarium pene esse, a tot tantisque Latinitatis auctoribus de Latinitate dissentire: præsertim a Varrone, cui Cicero summa in *Academicis*, amplissimaque tribuit, quem πολυγραφώτατον in *Epist.* appellat, ac *diligentissimum investigatorem antiquitatis* in *Bruto*: quem *omnium facile acutissimum*, & *sine ulla dubitatione doctissimum*, ex Cicerone Lactantius lib. I. cap. VI. *Instit. in litteris atque vita hominem fide multa*, A. Gellius *lib.* XVII. *cap.* XVIII. *Romanorum eruditissimum* Quintilianus *lib.* X. *cap.* I. Tertium esto a θύω, hoc est, a *sacrifico*, tus derivare: nego tamen suavius propterea balsamo redolere: nam, ut dicitur, *Nihil graculo cum fidibus*. In sacrificiis autem adhibitum, non *idcirco, quod odoratus habeat suaves, & narium commulceat sensum, reliqua vero sint aspera, & ob causam offensionis exclusa? Habent enim Dii nares, quibus ducant aereos spiritus? ut penetrare illos* (*illas* lego, licet Ursinus, Helmenhorstius, & Galenius aliter sentiant, unius litterulæ commutatione sententia clariore reddita) *possint nidorum differentium qualitates*? Sed quia præ cæteris fumificum: nam etiam exiguum incensum in copiosum exhalat fumum, sursumque una cum precibus ad cœlum liberrime efferri videtur: ut propterea in *Psalmo* CXL. scriptum sit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: & a Tibullo *lib.* III. *eleg.* III.

Varronis elogia.

D

Tus in sacris cur adhibitum? Arnobius lib. VII.

E

Arnobius emendatus.

Tus maxime fumificum.

Quid prodest cœlum votis implesse Neæra?
Blandaque cum multa tura dedisse prece?

F ab Ovidio lib. VI. *Metamorph.*

Turaque dant sanctis, & verba precantia flammis.

& lib. IX.

Tura dabat primis, & verba precantia flammis.

atque IV. *de Ponto*:

His ego do toties cum ture precantia verba.

ac tandem a Dione lib. XLI. *Ture accepto, pre-*

cibusque ejus rei ergo factis, ipsum tus, ut secum eas preces deferat, (ad ignem) projiciunt. Itaque tus Magorum apud Evangelistam aptius interpretatur a Riccardo Montagutio Tomo I. *de Originibus Eccles. ardens oratio*, quam ab Augustino, Ambrosio, & Petro Chrysostomo ipse Deus. Jam vero haud temere negare possem, quia tus a θύειν deductum est, a sacrificare proinde derivasse: *θύειν enim Græce idem atque θυμιᾶν. Veteres Græce θύειν non pro sacrificare, sed ἀντὶ τοῦ θυμιᾶν ponebant.* Quare *φύων Græci vocant genus ligni odorati, a ture diversum,* ut ex Dionysio docet Salmasius *ad Solinum*. Et Eustathius *ad Homerum* eandem significationem probans ait, *Apud Poetam θύω idem est ac θυμιάω*, hoc est, *suffitum facio*, fumum edo gratum, ingratumve, ut θυμιομένου κέρατος cornu facto incensu, cornuve suffitu, apud Lucianum. Quavis igitur ratione turis etymologiam spectemus, intelligere non possumus, nec ullo suspicari modo, id suavitate odorum balsamum æquare. Quibus si addantur, quæ a Scaligero *Exercit.* CCIII. scripta sunt, res omnino palam erit: *Ipsi vero Dii tam placantur odoribus, quam nidoribus:* & *Exercit.* CIV. *At odor divina res est. Tam bonum, quam malum intelligo. Suffitibus Veteres profitebantur aeris locorumque naturam aptam reddi ad numina suscipienda.*

Θύω quid significet?

Θύω quid Homero?

Odores in sacris ... adhibiti.

Arabiæ cognomina non ex thure.

Arabia cur Beata & Felix dicta? Plinius.

Neque vero Arabia, ut aliqui opinantur viri docti, litterisque mandarunt, turis præstantia eximioque eius odore dicta est *Felix*, *Beata*, *Odorifera*, *Dives*: nam *Beata* quidem & *Felix* appellata tum comparatione cum *Deserta*, tum aliorum maxime aromatum copia, atque odoribus, *quos creat plurimos*, quosque sola fert uberrime, Beate, ac Feliciter: ut propterea scriptum sit ab Andromacho apud Galenum *de Antidot. Divite felix rure Sabæus*: Aut certe *Illo situ felix*, nam quasi *Peninsula inter duo maria, Rubrum, Persicumque, procurrens quodam naturæ artificio ad similitudinem Italiæ mari circumfusa*, cæli, terræ, maris ingenti beneficio Beata & Felix est, vere εὐδαίμων, atque ὄλβιος, ut a Solino & Dionysio dicitur. *Felix* etiam *appellatur Arabia falsa, & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum superis ferat, cum plus ex eo inferis debeat.* At vero *Beatam illam fecit hominum in morte luxuria, quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis.* Imo Seneca beatitudinem cinnamomo acceptam refert: ts enim *Cinnamis sylvas Arabum Beatas vidit* in *Oedipo*. *Odoriferam* autem appellatam esse non aut solo, aut præcipuo ture, sed sexcentis aliis, ture magis suaviusque redolentibus, quis dubitat? *Pastor odoris Arabs*, ait Propertius *lib.* III. & Tibul. *lib.* II.

Plin. lib. VI. cap. XXVIII.

Idem lib. XII. cap. XVII.

Arabia cur dicta odorifera?

Verantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra Divite mittit Arabs.

Arabia odorum ferax. Sabæi odoribus stupefacti. Plin. lib. XII. cap. XVIII.

Adeo ferax est Arabia diversarum rerum odoratarum, ut Strabo scripserit Sabæos odoribus stupefieri; ut feratur adagio, Ἀραβικῶς ὄζειν, *Arabice olere*; utque Plinius maxime miretur, *Peregrinos ipsam* (Arabiam) *mire odores, & ad exteros petere. Tanta mortalibus suarum rerum satietas est, alienarumque aviditas.* Unde lucem non mediocrem haurire possumus, qua tenebras, Aristotelis loco ab Septalio obductas, expellamus. Ad secundum Problema *lib.* XII. hæc habet, alioqui doctissimus, mihique eximia doctrina animo meo carissimus Ludovicus Septalius: *Sic Arabiam & Libyam ob excessum siccitatis vix odorata hoc in loco producere scribit* Aristoteles. Profecto præstantissimus Commentator & a veritate aliena scribit, & Aristotelis sententiæ, quam explicandam suscepit, contraria. Aliena quidem a veritate, quia Arabiam odoratissima gignere, satis inter omnes constat, vel a nobis mox productis testimoniis. Contraria vero Aristotelis sententiæ, quia hoc revera sibi vult ibi Philosophus, Ad odorem creandum calido humidoque opus esse; calore quidem non exiguo, humido vero exiguo ac moderato, ut enim plantæ humor in odorem temperetur, necesse est, ut & calor præpolleat, & humor vinci, subigi, & coqui commode possit. Ex quo fit, ut in regione septentrionali, ubi languet calor, humoreque abundat & affluit, innodora sint omnia, quæ ex terra nascuntur. Neque vero existimandum propterea est, humorem esse debere omnino exiguum, quia si talis sit, exsucca erit terra, ab eaque nata arida, exsiccataque, ac plane inepta, ut vaporem fundant odore suavem: neque enim a calore coquitur exiguus ille humor, sed potius exuritur. Quare in Africa, sicca exsuccaque meridionali regione, quæ ex terra nascuntur, inodora sunt. Contra vero accidit in Arabia, quæ ad orientem solem vergit: succosa enim magis est & humecta: nam calor præpollens terram, moderato humore perfusam, bene coquit & subigit, ex eaque nata in suavem odorem condit ac temperat. Ne pigeat ergo, ut omnia tibi apertiora sint, ipsum loquentem Philosophum audire: *Etenim quæ parce humida quendam in modum recaluerint, odorata redduntur: humor enim coqui calore nimirum potest. Qua de causa totius quoque orbis terrarum quæ ad solem orientem spectant, odoratiora exsurgunt, quam quæ ad septentrionem, & eorum ipsorum, quæ ad ortum plus vergunt, quam quæ ad meridiem, eo quod loca Syriæ & Arabiæ pleniora sunt, atque terrenosiora. Africæ vero arenosa siticulosaque. Nec enim humorem nimium inesse oportet (concoqui namque nimius non potest) nec nullum, sic enim nullus vapor inde gigni potest.* Aristoteles igitur sejungit, quod ad odores spectat, Arabiam a Libya, quam Septalius conjungit; eamque *odoriferam* esse ille scribit, quam hic innodoratam profitetur. Sed videor abripi ex philologicis ad physica, explicandæ causa Aristotelis sententiæ. Hactenus igitur hæc; ad Arabiam revertamur: quæ nuncupata demum *Dives* est, quia Arabes *commerciis student, aliena non emunt, vendunt sua*: non enim merces mercibus, sed auro commutant. Peculiariter vero *silvis divites* sunt Arabes, ut Solinus *cap.* XXXVI. scribit; quod confirmare videtur Tibullus, *Odoratæ dives Arabs segetis*; & Apulejus, *Odorum divites Arabas*: imo odoribus: ut propterea inter eos Plinius *lib.* VI. *cap.* XXVIII. merito scribat, *Sabæos esse ditissimos silvarum fertilitate odorifera*, & Auctor *Herculis furentis* (quisquis is sit, Seneca, aliusve)

Septalius reprehensus.

Aristoteles explicatus.

Ad odorem quæ requirantur. Cur in Septentrione odores non gignantur? Africa cur odorata non gignat?

Arabia cur odorata gignat?

Aristotelis sententia de regionibus odoriferis.

Septalius in quo dissentiat ab Aristotele.

Arabia cur dives nuncupata.

Dives Sabæis colligit truncis Arabs.

Trunci autem Sabæi maxime sunt balsami plantæ. Martialis:

Lapsa quod externis spirant opobalsama truncis.

Martialis a Gronovio lux data.

sic enim legendum est ex doctissimi *Gronovii* emendatione: alioquin sententia inextri-

tricabilis esset, ut Gruterus fatetur. *Mare* etiam *divites* sunt Arabes, eodem Solino *cap.* XXXVI. teste: *Ex illo namque margaritas mittit* ad cæteras omnes regiones, quæ *præcipue laudantur*, ut auctor est Plinius, *lib.* XXII. *cap.* XVIII. nam sicut

Horatius.

Non omne mare generosæ fertile testæ,

ita non cujusvis preciosæ gemmæ. Demum *auro*, *metallis*, *agrorum riguis*, *mellis ceræque proventu* maxime locupletes & opulenti habentur Arabes, si Plinio credimus.

Cæsius reprehenditur.

Cum igitur Arabia neque ex ture solo, neque præcipue ex ture ea, ut Cæsius ait, sibi nomina asciscat, plane alienum est, quod inde intelligi posse nonnulli viri docti arbitrantur, balsamo tus odoris suavitate præstare.

Quæstio de turis natale solo.

Antequam vero a ture discedamus, illud haud importune de ejus natale solo in quæstionem vocamus, *An in sola nascatus Arabia?* res est profecto difficillimo implicata nodo, quam nullus, quod ego sciam, explicare tentavit. Et quidem, si Solino *cap.* XXXVI. credimus, *Arabia sola tus mittit*: quod ipsum Plinius antea testatus fuerat his verbis: *Tura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ* natura largita est, sed ei solum regioni, quam Sabæi incolunt, ut est apud Virgil. lib. II. *Georg.*

Tus ubi nascatur?

—— India sola nigrum
Fert ebenum: solis est turea virga Sabæis

Quis, obsecro, non crederet tantis viris, verbis tam apertis loquentibus? Sed opportune mihi hæc perpendenti in mentem venit Επιχαρμεῖον illud apud Ciceronem *de Petitione Consulatus*, *nervos atque artus esse sapientiæ, non temere credere*: nam Dioscorides, Strabo, & Statius (pares enim paribus oppono) contrarium profitentur, & Dioscorides quidem *lib.* I. *cap.* XXX. *Indicum* tus, inquit, *silvescit, & colore livet*: & Strabo *tus optimum apud Persiam nasci* scribit *lib.* XVI. prope finem: Statius IV. *Silvarum* I.

Aut tus Niliacum, piperque servant.

Niliacum quid? In eleg. in Mæcenatis obitum. In Tumulo Pompejorum. Tus in India nascitur.

Niliacum autem Ægyptium potius intelligit, quam natum in Provincia illa Isidi contermina: ut idem *Pecus Niliacum*, Lucanus *Urbs Niliaca*, C. Pedo Albinovanus *Niliacæ Carinæ*, P. Varro Atacinus *Niliacus Tumulus*, Martialis *Ora Niliaca*, *Acetum Niliacum*, *Feræ Niliacæ*, *Lens Niliaca*. Iis vero accedunt recentiorum geographorum testimonia, præsertim Magini *Tab.* XXXII. *Ebenum quoque arborem & ipsa* (India) *habet, & in præruptis petris arbores quædam tus exsudant*. Cardanus etiam lib. VIII. *de Subtil.* tus in Æthiopia quoque nasci scribit.

Tus in Æthiopia nascitur. Alexander gladio solvit nodum.

Magna profecto auctorum discrepantia, ut jure diceres, hi omnes velut *Sabini*, *quod volunt, sibi somniant*. Ut vero natus inde solvatur nodus, altero opus est Alexandro. Itaque ingenuus quisque hunc imitatus, affirmare posse videtur, eos, qui scribunt, in sola Arabia tus nasci, falso scribere. Neque puderet candidum ingenuumque id asserere: nam

Horatius.

Non unus aliquis scire natus omnia est:
&, ut ait Poeta,

Quandoque bonus dormitat Homerus.
& sane (de Plinio hoc dictum volo)
Opere in longo fas est obrepere somnum.

Quæstionis dissolutio.

Sed mitius agamus cum viris de re litteraria optime meritis. Arabia sola tus *abunde* mittit, quod suppetat universo pene orbi, (apud Sabæos enim turiferam silvam esse ferunt, quæ in longitudinem C. milliaria, in latitudinem L. pateat) cæteræ regiones, quæ turiferæ dicuntur a Strabone, Statio, & aliis, exiguum aliquod gignunt, quod vel non exportetur in exteras regiones, vel ne ipsis quidem abunde sufficiat. Exemplo rem persuadeo: *Vivit in Italia piperis arbor*, ut Plinius ait; & in Italia, Romæque zibethum habemus: utrumque tamen solam Asiam mittere, nemo est, qui negare audeat. Imo vero *vixit in Lydia turis* ipsa arbor, eodem Plinio auctore: quia tamen exigua & fere nulla ibi copia, & in exteras regiones minime exportanda, ideo jure vel ab ipso Plinio dictum, *tura præter Arabiam nullis* a natura dono data fuisse. Sed de turis natale solo hæc παρέργως dicta sint.

Plinius. Piper in Italia, item zibethum. Tus in Lydia.

Myrrha balsamo non præstat.

Jam de myrrha dicendum aliquid: vere aliquid: nam plurima quid opus? Nullus enim ex Antiquis, ex Recentioribus nullus myrrham suavitate odorum æquavit balsamo, ne dum præposuit. Qui vero ajunt esse præponendam, nulla sive ratione, sive auctoritate fulcti, audiant illud Ciceronis *lib.* II. *de Orat. Diogenes ait, Antipater negat. Non enim tam auctoris in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt*, idem lib. I. *de Nat. Deor.*

Ars unguentaria unde dicatur? Μυρεψικὴ unde dicta?

Μυρεψικὴ, *Unguentaria*, e μύῤῥα derivata, a viris doctis mihi non semel objecta est: nam si myrrha nomen posuit arti, odoramenta condienti, eam esse omnium odoratissimam, aut certe odoratiorem balsamo, necesse putant. Sed μυρεψικῇ μύρον potius, quam μύῤῥα, nomen videtur imposuisse. Μύρον autem ita dictum, tradit Chrysippus apud Athenæum *lib.* XV. *quia* μετὰ πολλῆς μογῆς καὶ πόνου ματαίου γίνεται, *multo labore & inani studio paretur*. Quod si Chrysippum, ut bonum Stoicum, ita malum Grammaticum cum Casaubono esse velis, ac μύρον etiam a μύῤῥα derivari contendas, pervicacius non recuso; nego tamen, myrrham propterea jucundius olere quovis balsamo. Neque enim μυρεψικὴ ideo a myrrha deducitur, quod præ cæteris hæc suaviter oleat, sed *quia multa unguenta conficiuntur ex myrrha*, ut est apud Athenæum *lib.* XV. Quod sane magis copiam aptamque materiam, quam odoris præstantiam attestatur. Sic βάλανος μυρεψικὴ *glans unguentaria* dicta est, non quia odoris suavitate præstet, (nihil enim olet ignavius) sed quia materia est nata, apta, facta ad pleraque unguenta condienda. Quare myrrha sicuti non propter odoris præstantiam nomen posuit unguentariæ; ita non propter nomen positum balsamo suavius olere censenda est. Revera autem balsamum odoris suavitate myrrham antecellere, ex eo palam est, quod ipsam stacten, quæ purissimus ac pinguissimus est myrrhæ flos, longe præstet, ut mox probabo.

Chrysippus reprehenditur. Glans unguentaria. Balsamum myrrha suavius.

De stacte.

De stacte igitur differendum: differendum autem paulo accuratius, tum quia pauci, iique exiliter de ea scripserunt; tum quia apud eos,

a quibus ſcriptum eſt, ſummis difficillimiſque nodis impedita videtur. Hæc igitur de ſtacte examinare conſilium eſt, primum, *An ex myrrha lacryma fiat, an potius ex arbore ſponte fluat*: alterum, *Num etiam ex cinnamomo ſtillare poſſit*: tertium, *An bene oleat*: poſtremum, *An melius balſamo*. Ordine brevique ſingula percurramus.

Stacte unde fiat Plinio?

Plinius *lib.* XII. *cap.* XV. ſtacten ex arbore ſponte naſci, aperte ſcriptum reliquit; *Sudant autem ſponte* (arbores) *prius, quam incidantur, ſtacten*. Plinium ſequutus eſt Mercurialis *Var. Lect.* lib. V. cap. XXIV. Beroaldus *ad Propertium lib.* I. *ſect.* IX. *cap.* IV. & Renodæus lib. I. *de Materia Medica*; cujus hæc ſunt verba: *Sed ante corticem ferro ſolutum* (arbor) *ſponte, & ſine plaga veluti cutis hiantibus poris, quaſi ſalivam quandam exſudat, & ſtillaticium rorem, quem ſtacten nominant*. E contra vero Dioſcoridi *ſtacte vocatur pinguedo recentis myrrhæ, cum exigua aqua tuſæ, organo expreſſa*, ut eſt *lib.* I. *cap.* LXII. quod ipſum Thophraſtus antea lib. *de Odor*. poſtea Serapion, & plerique alii ſcripſerunt. Qua quidem in re, eorum aliqui (præſertim vero Brodæus in *Miſcellaneis lib.* V. *cap.* XII. & Salmaſius *in Plinianis Exercitationibus*) Theophraſto, & Dioſcoridi aſſentientes, Plinium erroris inſimulant. Ut vero hujus erroris culpam aliqua ex parte eluere poſſim, illud aſſerere non dubito, ſtacten arte quidem fieri, ac ſimul natura naſci: ſive natura natam arte perfici: fieri, inquam, ex ea myrrha, quæ ſponte, non plaga, ex arbore manavit; tuſa tamen aqua, aut (quod Theophraſtus addit) oleo perfuſa, inſtrumentoque expreſſa. Neque inepe id mihi videor commentari: nam cum ſtacte puriſſimus ſit ac pinguiſſimus myrrhæ flos, ſuavitate præditus eximia, ex ea myrrha fiat, neceſſe eſt, quæ pinguior, odoratior, præſtantiorque ſit, quæque proinde ſponte manet bene cocta ſubactaque; non vero plaga & vi præpropere evocetur, ut Dioſcorides haud obſcure docet *lib.* I. *cap.* LXVII. Etenim ea, quæ ex vulnerata arbore fluunt, aquea magis ſunt, minus cocta, & odorata minus: ea vero quæ ſponte ſudat arbor, ſupervacaneo alimento, probe tamen cocto, turgeſcens, longe odoratiora ſunt: quippe e mirabili illa naturæ officina non præmature, ac intempeſtive vulnere evocata, ſed certo conſtitutoque a natura tempore prodeuntia. Itaque ſtacte vere ex arbore, ut ait Plinius, ſponte exſudat, extillatque: vere, quod Dioſcorides addit, arte elaboratur, hoc eſt, perficitur. Quod ſi quis, Scachum in *Myrot.* ſequutus, duplicem eſſe ſtactem aſſeverare voluerit, alteram Dioſcoridis, e myrrha expreſſam; Plinii alteram, ſponte fluentem; per me licet, non moroſus recuſo: ſee vix crediderim, imo ne vix quidem, alterum alteram vel non cognoviſſe, vel cognitæ non meminiſſe: præſertim cum multas eſſe myrrhæ ſpecies pluribus tradiderint, & in recenſendis aliorum de myrrha ſtacteque opinionibus multi prolixique fuerint.

Stacte quid et unde Dioſcoridi?

Plinius accuſatus defenditur.

Stacte unde revera naſcatur, et quid?

E plaga fluentia minus odorata.

Sponte fluentia magis odorata.

Plinius, et Dioſcorides illuſtrati.

Stacte an duplex?

Sed longe magis implicata eſt ſtactis natura atque ortus: nam Taubmannus in *Curculione*, Act. I. Sc. II. Lambinus in *Moſtellaria*, Brodæus in *Miſcellaneis* rem magis magiſque miſcent ac turbant: illius hæc ſunt verba: *State latex oleumve, e cinnamomo, & myrrha inciſa ſudans*. Sed, (ejus pace dixerim) *manifeſta phrenitis*: nam e cinnamomo naſci ſtacten, non minus alienum eſt, quam, *ex bove agnum*, aut *e locuſta ducam bovem*; adeo enim aridum eſt cinnamomum, ut *ſucco careat, atque petra pumex*: aut certe, ut laticem illum pinguem & ſuccoſum exſudare non poſſit. Ex ejus, inquies, radice aliqua laticis guttula extillare poteſt, Plinio auctore, qui *lib.* XII. *cap.* XIX. ſcribit in Templo, Divo Auguſto a conjuge in Palatio facto, cinnamomi radicem aſſervatam fuiſſe, quæ quotannis aliquid humoris exſudaret. Sane, præterquam quod id utpote rarum a Plinio ſcriptum eſt, de radice, non de caudice, dictum videtur: nam illa humo diu obruta humeſcit longe facilius, quam truncus natura multo ſiccior, & maxime exſuccus, atque ſolis ardoribus in regione calidiſſima perpetuo obnoxius. Sed eſto ſuccoſus ac pinguis ſit, ſtilletque ex eo latex oleumve: nego tamen ſtacten, de qua loquimur, id eſſe; quam e ſola myrrha naſci, ſcribunt auctores veteres. Lambinus in *Moſtellaria* teſtem in hanc rem citat Theophraſtum περὶ Οσμῶν: Ἐκ κιναμώμου, ϗ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. στακτὴ δὲ καλεῖται; διὰ τὸ κατὰ μικρὸν στάζειν. Id eſt, *Ex cinnamomo, & ex ſmyrna contuſa, ſeu dum contunditur, oleum manat; ſtacte autem appellatur, quia paulatim & guttatim fluit*: hæc Lambinus: qui exiſtimaſſe videtur, ex hoc Theophraſti loco intelligi poſſe, ſtacten e cinnamomo etiam ſtillare. Sed (non mentior) *ſunt apinæ tricæque*; nam quidvis aliud Theophraſtus ibi tradit: cujus mens, ut palam ſit, paulo altius ejus verba ſunt repetenda, ex emendato ab Heinſio ac Turnebo exemplari: Τὸ δ' Αἰγύπτιον ἐκ πλειόνων, ἔκ τε τοῦ κιναμώμου, ϗ ἐκ (τῆς) σμύρνης, ϗ ἐξ ἄλλων. Ἔτι δ' ἐκ πλειόνων τούτου τὸ μεγαλεῖον. ϗ γὰρ ἐκ κιναμώμου, ϗ ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης γὰρ ἔλαιον ῥεῖ, στακτὴ γὰρ καλεῖται διὰ τὸ μικρὸν στάζειν: quæ ita vertuntur a Turnebo & Heinſio: *Et ex multis Ægyptium, cinnamomo, myrrha, aliis & porro pluribus megalion. Nam & e cinnamomo. E lacryma, ſtacte: nam e myrrha tuſa fluit oleum, quod, quia minutatim ſtillat, ſtacte vocatur*. Profecto nihil obſcurius Latino hoc Theophraſto: vix, ac ne vix quidem, ſententiam ullam hinc poſſum elicere, ſic igitur vertendum cenſeo: *Ægyptium autem ex pluribus, (fit) ex cinnamomo, & ex myrrha, & ex aliis. Adhuc ex pluribus quam hoc megalium; namque ex cinnamomo, & ex myrrha; etenim ea tuſa oleum fluit; ſtacte enim vocatur, quod parum ſtillat*. Quæ verſio, ut ipſis Græcis verbis examuſſim reſpondet, eiſque magis accommodata, ac plane perſpicua eſt; ita Lambinum, Taubmannum, alioſque de ſtacte hallucinatos eſſe, aperte declarat: neque enim e cinnamomo ſtacten fluere, ait Theophraſtus, ſed e myrrha: e cinnamomo autem Ægyptium unguentum, megaliumque componi. Sed hæc viderit, qui omnia videt, politiſſimus Heinſius, cæterique criticæ familiæ: locus quidem mendoſus ſſe omnino videtur: id quod tum ex aliis ſuſpicari licet, tum ex eo aperte intelligere, quod habeat, megalium ex pluribus, quam Ægyptium componi, pauciora tamen adjungat, unam myrrham, & cinnamomum; *Aliis* relicto, quod Ægyptio adſcribitur, quodque inferius ipſo etiam megalio.

Altera quæſtio.

Stacte ubi fiat Taubmanno?

Horatius, Nævius ex Turnebo.

Lambini ſententia refellitur.

Martialis.

Theophraſtus expenſus.

Lambinus et Taubmannus reprehenſi.

Nos vero, ulterius provecti, perpendamus obscurum alium Theophrasti locum *lib.* IX. *cap.* IV. in quo vel Lynceum jure diceres incurrere & offendere posse: τῆς σμύρνης ἡ μὲν στακτή. ἡ δὲ πλαστή. Salmasius *ad Solinum* hæc habet verba: *Illustris plane locus, sed cujus mentem doctissimos Interpretes non vidisse palam est. Vertunt enim, Myrrha alia stillaticia, alia ficticia est: nugæ sunt; dicit omne tus* ἀργὸν *advehi, nativum scilicet, & quale ex arbore fluxit: e contra myrrham, ficticiam, nec, ut ex arbore manavit, importari: etiam hujus myrrhæ, quæ affertur, aliam esse* στακτὴν, *aliam* πλαστήν: *utramque nempe curatione & arte sic factam. Locus Theophrasti sic verti debuit; Tus omne iners advehitur, & aspectu cortici simile est. Myrrhæ vero ficticiæ alia liquida affertur, alia dura. Ex myrrha contusa pars liquidior, quæ exprimebatur arte, vocata est* στακτή: *pars altera, quæ remanserat, unde* στακτὴ *expressione liquata fuerat, dicta est* πλαστὴ, *quod in offas convolveretur*. Cæterum, ut libere dicam quod sentio, nec Salmasius, *Quem Minerva omnes artes edocuit*, cujusque πολυμαθίαν admiratus semper fui, rem explicare videtur, sed longe potius implicare. Etenim illud primo quidem gratis, & sine ullo auctore veteri dictum est, Ficticiam solum myrrham ex Arabia exportari, si enim ἀργὸς λιβανωτὸς, ut auctore Theophrasto *lib.* IX. *cap.* IV. Salmasius fatetur, (nam is ait, ἀργὸς δὲ κομίζεται πᾶς ὁ λιβανωτὸς) cæteraque aromata, artificio minime elaborata, sed qualia manant ex arbore ad nos advehuntur; cur non etiam myrrha? Profecto Theophrastus id nusquam scripsit: nosque videmus eam, quæ inde advehitur, myrrham vere ἀργὸν, nullaque pene arte elaboratam. Deinde vis quædam videtur Theophrasti verbis inferri, cum vertuntur, *Myrrhæ vero ficticiæ alia liquida affertur, alia dura*: non enim τὸ *ficticiæ* est in textu Græco, quæ myrrhæ copuletur, neque auctor solam ficticiam ait ad nos advehi, sed duplicem tantum esse myrrham, duplicemque exportari, τὴν μὲν στακτὴν, τὴν δὲ πλαστήν. Demum nihil erat, quod ad nos adveheretur residua pars expressæ myrrhæ, viribus jam effœta, & unguentariis æque, ac medicis, aliisque inutilis. Non ergo id sibi voluit Theophrastus. Rem igitur obscuram sic illustrari posse existimo. Tus ἀργὸν ad nos advehi, tradit quidem Theophrastus: non ita tamen ἀργὸν, ut omnem id artem respuerit: nam etsi *sola* turis *arbor omnem penitus culturam aspernari*, eodem auctore, *apta est*, tamen accommodatam certamque incisionem admittit, atque adeo postulat, ut uberius faciliusque inde lacryma effluere possit. Ex incisione autem fit, ut manans gummeus humor formam quandam qua oblongam, qua rotundam induat, & in globulos fingatur formeturque: id quod haud obscure traditum est, etiam a Theophrasto proximis his verbis: *Siquidem pro incisura figura turis sequatur, necesse est*. Imo vero *figurari in arbore potest, qua forma volueris*, eodem auctore *lib.* IX. *cap.* IV. Itaque hac arte, aptæ nimirum incisionis beneficio, tus partim in oblongos, partim in vere rotundos globulos, aliterque, ut libuit, efformatum atque confictum, vere πλαστὸ, licet ἀργὸς, advehitur. At vero myrrha non solum (ait Theophrastus) hac eadem arte in globos ficta, ut passim videmus, sed etiam stacten non mediocri artificio liquata expressaque importatur. Duplex igitur est Theophrasto myrrhæ species, una στακτὴ, quæ stillat expressione, alioque artificio; altera πλαστή, quæ nulla pene arte, sed una fere corticis incisione in eam formam, ut tus, ficta est. Itaque Theophrasti locus sic vertendus, si sententiam attendamus, *Myrrhæ autem alia quidem liquida, alia vero dura*. Dura quidem non, ut Salmasius censet, residua expressæ stactis pars, in pastillos convoluta: quia hæc pingue suave, utileque humore in stacten liquato plane effœta, nullo fuisset usui, nullopue ad nos exportanda modo: sed ἀργὸς, & qualis ex arbore fluxerat. Jam si verba simul sententiamque spectemus, aptius fortasse sic Theophrasti locum vertemus: *Myrrhæ autem alia quidem stacte, alia vero plaste*: hujus nominis significatione ex nostra explicatione sumpta. Audeo vero πλαστὴν civitate Rom. donare, στακτῆς ductus exemplo: nam ut olim huic verbo, aut aptitudine congruentiaque majori, aut Latinæ vocis caritate jus Latii datum fuit, ita πλαστῇ iisdem de causis dare possumus: præsertim cum nonnisi verborum circuitu utriusque significationem Latine reddere possumus.

Ejusdem locus expenditur a Salmasio. — Ab eodem Latine tactus. — ἡ πλαστὰ Στακτὴ quid Salmasio? — Salmasii opinio examinatur. — Theoph. locus expenditur. — Duplex tantum myrrhæ species. — Theoph. illustratur. — Turis natura. — Turis et myrrhæ forma ex incisione. — Veræ species myrrhæ duæ. — Theoph. locus illustratus.

Sed longius prætervecti videmur, quam instituta de Odoribus disceptatio postulet: ergo.

Horatius

— *Nunc retrorsum*
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos.

Quæstio III.

An stacte bene oleat, tertio loco positum in quæstione a nobis est. Nonnulli viri docti eam graviter olere censent, aut certe suavem nullum spirare odorem: idque ex eo, quod Serapion, Brasavolus, & Mathiolus idem esse stacten, ac styracem liquidum, scriptum reliquerint: quem profecto suaviter non olere, imo olere graviter acuteque, ab olfactu testimonium sumunt. Sed satis mirari non possum doctorum hominum ingenium, adeo promptum facileque, ut rem, a veritate alienam, tanquam veram exploratamque asseverare non dubitent. Neque possum non laudare Jo. Renodæum, qui *stacten styracem liquidum non dici*, imo *styracem liquidum dari nullum, aut, si detur, stacten non esse*, *fusissime demonstrasse* profitetur *lib.* I. *sect.* IX. *cap.* III. & IV. An, inquies, unus Renodæus novitius auctor Brasavolo, & aliis antiquioribus præponendus? Quidni? Nonne *Posteriores curæ sapientiores*? Nonne *Quod postremum Populus Romanus jussit id jus ratumque*? Nempe, si Livio *lib.* VII. credimus. Sed illud oppido de Renodæo affirmare non dubito, eum in gummi & resinarum natura per se obscura illustranda, in explicanda specie per se implicata, mirificum fuisse; nam quod inchoaverat Silvius, & veluti levidensam texere cœperat, perfecit Renodæus atque expolivit. At missum facio Renodæum, rem ipsam attendamus: in qua illud satis inter omnes constat, Stacten purissimam esse myrrhæ partem, & florem pinguissimum, artificio e cœnosis partibus exceptum: ac proinde longe pluris, quam myrrha, væneat necesse est. At styrax liquidus multo minoris vænit, quam myrrha, ut quivis apud mercatores

Stacte et styrax idem Brasavolo. — Renodæus laudatur. — Stacten non esse styracem liquidum.

exploratum habet. Non igitur fieri potest, ut styrax liquidus idem sit, ac stactea myrrha. Cæterum stacte (quæcunque tandem ea sit, nihil enim id moror) odorata est, immo *odoratissima*, Serapione ipso teste: odore quidem grato ac suavi, non gravi & acuto: cum enim fiat ex myrrha, liquore perfusa, macerataque, ut acutissime oleat, fieri non potest: acutie, si quæ inerat, ablutione, maceratione, expressioneque retusa, & in suavem odorem temperata. Vere itaque stacta bene suaviterque olet. Imo adeo suaviter, ut Plautus in *Curcul.* per antonomasiam eam usurpaverit:

Stacte odoratissima.

Nam omnium unguentorum odor præ tuo nausea est.
Tu mihi stacte.

Et in *Mostell.*

Vin' unguenta? Quid opus est?
Cum stacta accumbo.

Qui vero putant, stactam idem esse, ac styrax liquidus, velim ut cum hoc in conviviis accumberent: profecto impransi incœnatique discederent, & a gravi ejus odore victi faterentur omnes, longe aliam esse styracis stactæque naturam.

Item (ut tandem ultimam de stacte quæstionem definiam) hanc balsamo suavius non redolere, quanquam ex iis, quæ scripta sunt, liquido constat, tamen illud meo quidem judicio argumento est firmissimo gravissimoque, ac plane expedito, quod auctores omnes tum antiqui, tum recentiores, qui balsamum stactemque tractarunt, primas balsami odori tribuant; a quorum sententia hac in re ne transversum quidem unguem nobis recedere licet, quod cum neque balsamum neque stacte nobis præsto sit odoranda, in eorum verba jurare cogimur, qui utrumque tractarunt.

Eos vero in testimonium non cito, non solum quod omnibus sunt obviam, & a me superius plerique producti; *Sed etiam quod exemplis referta narratio dignitatem non habet; putidæ potius cujusdam diligentiæ ineptæque ambitionis speciem quandam præsefert*, ut inquit P. Manutius lib. *de legibus Rom.*

Quæstio, vel potius Paradoxum.

An vero longe difficilior, utiliorque, atque jucundior nos manet tractanda quæstio, *An balsamum suavius oleat nostri temporis odoribus ambra, moscho, zibetho*. Quæ sane quæstio Antiquorum unguenta postliminio, unguentarios ab inferis revocare videtur: nam difficillimum est, de iis jam præteritis conjicere, quæ sensu potius, quam ratione æstimantur. Nos vero etsi paradoxa loquuturi videmur, tamen ingenua quadam, &, ni fallor, ingeniosa conjectura ducti, veritatem ipsam fortasse loquemur. Dupliciter autem balsamum, & ambra in quæstionem veniunt, (quod de ambra dico, de moscho & zibetho fere dictum volo) vel pura simpliciaque, vel mista & in unguentum redacta. Solitariis inter sese collatis, balsamum jucundiorem quavis ambra odorem spirare, nullus dubito, sensu ductus, si non meo, certe Antiquorum, Recentiorumque, qui *non obesæ*, sed *emunctæ naris sunt*, qui ambram simplicem haud suaviter olere testantur apertissime.

Comparatio balsami & ambræ.

Balsamum vero purum, ac solitarium *eximii odoris esse*, tum sexcenti alii, tum maxime Alpinus, multorum dux, & auctor probatus, atque adeo non oculatus modo, sed nasutus etiam testis ubique profitetur in *dialogo de bals.* nam is opobalsamum nascens vidit, natum adultumque contrectavit, olfecit, penitusque exploravit, atque *suavi fragrantia* præditum, ut dixi, profitetur. Itaque solitarium balsamum ambræ solitariæ suavitate odorum omnino præstat: quod ipsum inferius palam erit, & clarius in luce omnium.

Balsamum suavius ambra.

Conferamus modo balsamum cum ambra, moscho, & zibetho, in unguentum compositis. Quodnam, inquies, melius olet, balsamum, an ambraceum unguentum? Sane unguento lubens primas defero. Sed longe impar utriusque ratio est: compositum composito conferendum, simplex simplici, non simplex composito. In quo sane peccant plerique, qui simplex solitariumque balsamum cum ambra composita conferentes, tragœdias excitant de suavitate ambræ, & ignavo, ut ajunt, balsami odore.

Balsamum cum ambra comparatum.

Recentiores reprehensi.

Itaque pervestigandum est & accuratius subodorandum, *An ambra composita composito balsamo oleat suavius*. Profecto unguentaria, apud Priscos diligentissime culta ac perfecta, obsolevit: nec artem callemus balsami, cinnamomi, stactes, aliusve bene olentis miscendi, non callemus δόσιν, quæ caput est in unguento componendo: neque præsto nobis sunt ea germana ac sincera. Si vero licet ex simplicibus (quid enim id prohibet) compositum conjicere, incertus non hæreo, cuinam magis tribuam, e balsamo, an ex ambra condito unguento. Cum enim simplex balsamum, ut probatum est, melius oleat simplici ambra, compositum ex arte olere suavius, vero simile est. Neque enim unquam crediderim, balsami suavitatem cum suavitate cinnamomi similiumque mistam obsolescere & interire, cum odor mistione fiat a natura, auctore Theophr. *lib.* VI. *cap.* III. & XXI. & ab arte suavius mixtione condiatur, eodem *cap.* XXV. experimentoque testibus: ars enim eo spectat, ut odores perficiat, totaque est in suavitate simplicium temperanda, augendaque. Ergo ut ignavus ambræ odor acuitur a zibetho, & suavissimus excitatur; ita balsami perficitur a cinnamomo, & in suaviorem temperatur fragrantiam. Illud tamen monuerim, veteres peritissimos unguentarios cinnamomum verbi causa non rude, ut rudes fortasse aliqui, & qui *mentem & jecur habent anseris*, existimant, sed varia multiplicique arte elaboratum, in unguentum condiendum usurpasse: qua ratione suavissime redolere, quivis intelligere potest, qui vel simplici ebullitione in æneo vase, quod *Tamborlanum* appellant, vulgare cinnamomum, quod multo minus suave est, elaborandum committat: latex enim inde (sicuti etiam e quovis alio citro, aniso, caryophyllo) olei speciem referens, adeo suavis elicitur, ut saccharo conditus formatusque in globulos quamlibet ambram & moschum suavitate vel æquet, vel præstet. Bone Deus! Mansus oreque mollitus quam suavem spirat halitum? quam jucundum & cordi amicum? quam gratum naribus & palato? Itaque verendum non est, quin ex optimo balsamo, cinnamomo vero & exquisito, cæterisque talibus suavi odore

Altera quæstio de ambra.

Δόσις quantum conducat?

Unguentum ex balsamo suavius ambraceo.

Odor mistione fit. Artis finis in unguentorum compositione.

Athenæus.

Oleum cinnamomi suavissimum.

Pastilli ex oleo cinnamomi et sacchar°

A præditis conditum ex arte odoramentum, æquæ suaviter oleat, atque ex ambra, moſcho, zibetho. Imo vero ſi hæc in unguentum compoſita bene olent, quamvis neutrum ſimplex bene oleat, non eſt, cur dubitemus, quin ex cypero etiam, calamo, junco, citro, ireo, nedum ex balſamo, & cinnamomo, ſtacte, ac ſimilibus igne aliove artificio unguentum non condiatur ſuaviſſimum. Sola, credo, nos deficit aut germanorum aromatum copia, aut vetus unguentaria, quæ odoramenta ad ſummam uſque ſuavitatem condiebat. Revera enim arte opus eſt accurata varia, & recondita, appoſita δόσει, certave ſingulorum

B portione, aut caſu, aut longa annorum ſerie inventa, & ſexcentis experimentis comprobata. Id aperte intelligimus non ſolum ex Theophraſto & Amaraco illo, Regio unguentario, *Qui caſu lapſus, dum ferret unguenta, majorem ex confuſione creavit odorem*; ſed etiam ex noſtratibus unguentariis, quorum ii cenſentur præſtantiores, qui non plus ambræ in unguentis adhibeant, ſed qui aptius eam cum cæteris miſceant. Sic ſenſu indice intelligimus, pelles Hiſpanas, ſaturatas illas quidem umbra, odoris tamen ſuavitate noſtratibus non præſtare pauciori am-

Servius *ad Virgilium Æneid.*

C bra, præſtantiori arte infectis. Quid enim (obſecro) jucundius odorari poteſt noſtris pellibus, jeſemino & unguento ambraceo oblitis? Quid ſuavius odoramento, ex ambra, zibetho & ſucco limonis certa quadam ratione condito? Quid æque fragrans, atque moſchus, roſarum aqua mollitus, & vini laticis, qui aqua vitis vulgo appellatur, momento ex arte perfuſus? Ex arte, inquam, quia revera nihil eſt, quod ad odoramenta condienda magis conducat, quam certa ſimplicium portio. Etenim ut

Odoratę pelles ex ambra et jeſemino.

Ad odoramenta quid neceſſarium?

D *Humor alit ſegetem, ſegeti contrarius humor;*

Virgilius in *Catalect.*

ita latex hic vini, & mire acuit temperatque moſchum, certa quadam portione miſtus; & maxime obeſt, ejus ſuavitati immodicus atque intemperatus.

Sed heus tu? inquies: cave longius ab Lyceo & Academia in Unguentariam aberres, vel potius erres. *Totum*, inquit Ariſtoteles,

Objectio.

E *quippiam eſt a partibus diverſum*: non ergo ex ſuavitate balſami, cinnamomi, ac ſimilium conjectare licet compoſiti ex iis unguenti ſuavitatem. Imo vero licet: ſic enim ſcimus, ex ambra & zibetho, minime ex ſe ſuaviter olentibus, unguentum compoſitum jucundiſſime olere: quod ſane comprobat, *Totum quippiam eſſe a partibus diverſum*. At vero non dubito, quin ex ſuavibus partibus ſuavius unguentum condiatur, quam ex partibus multo minus ſuavibus. Ergo vero ſimilius eſt, unguentum, ex balſamo com-

F poſitum, ex cinnamomo, aut ſimilibus, igne ſedulaque arte elaboratis, jucundius eſſe unguento ex ambra & zibetho: cum ea ſolitaria his ſimplicibus ac puris jucundius oleant.

Comparatio unguenti e balſamo et ex ambra.

Cæterum inſtituta de Odoribus quæſtio non ſola ratiocinarione, non ſyllogiſmis, aut ſolis auctorum placitis tractanda eſt. Odores ſenſui patent: æquiſſimo acerrimoque eorum cenſori, ergo ſenſu judice, ac duce experimento de iis diſſerendum jure cenſeo: neque enim *mihi neutiquam cor conſentit cum oculis*, cum naribus, cum cæteris ſenſibus, cum ſciam, neque rationem a ſenſibus abhorrere,

Quæſtio de odoribus ad ſenſum refertur.

Ennius.

—— neque ſenſus poſſe refelli
Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa ſit omnis.

Lucretius.

Et ego quidem ea, qua maxima potui, diligentia præſtantiſſimos noſtri temporis odoris, ambram, moſchum, zibethum examinavi, contrectavi, ſincera miſtaque inter ſe contuli, atque tandem peritiſſimis unguentariis in conſilium adhibitis, experimento comperi, zibethum acutiſſimum quidem eſſe, nareſque ferire ac percellere; inſuave tamen, graveque, ac *fricatione* tantum bene odoratum, ex iis enim videtur eſſe, quæ *confricata ſolum & permota reddunt odorem* ſuavem, ut ſcribit Theophraſt. lib. VI. *de cauſ. plant.* cap. XII. non enim quodlibet odoratum qualibet ratione olet: nam aliqua, ut tus, igne olent; aliqua, ut flores, igne odorem amittunt; aliqua manſa dentibuſque contrita, ut rancida caro; alia alio modo, ut Cardanus ait *de Rerum Varietate*. Illud vero de zibetho ſatis inter peritos unguentarios conſtat, quo purius id eſt atque ſincerius, eo acutius ingratiuſque olere, at vero fricatum acutiſſimum quidem odorem ſpirare, non tamen aut gratum aut ſuavem, niſi multo tranſacto tempore, aut lota illita manu: nam acutiſſimi illi ſpiritus, vehemenſque ejus qualitas vel tempore, vel loci intervallo, vel aqua demum abſtergente opus habet, ut ad gratam mediocritatem retundantur ac temperentur. Ex quibus vel obiter intelligere poſſumus, non ex eo zibethum, longe diſſitum, ſuavius olere, *Quod odor*, ut ait Ariſt. & Theophr. *ad locum remotiorem purus ſinceruſque deferatur*: ſed potius e contrario, quod minus ſincerus aerique magis permiſtus effundatur: diffuſus enim longe lateque obtunditur zibethi odor, & abolita vehementia, diſſipatiſque ſpiritibus, qui acerrimo impetu ſenſum feriebant, ſuavis temperatur. Nec exiſtimandum eſt, ad locum remotiorem ideo purum ſincerumque deferri, quod loci intervallo fœdas quaſdam exuat partes, quibus indutus graviter oleret: quas enim partes comminiſci in zibetho poſſumus, quibus ingratum expiret odorem? Hebetatur potius, ac reſtinguitur, aut certe diffunditur diſſipaturque ejus ſpiritus interjecto loci ſpatio, qui coactus antea atque conglobatus odoratum inſuaviter feriebat. Immo ſi quid injucundum deponit in aere odor zibethi, per quod jucundus longe diſſitus ſentiatur; neceſſe eſt, ut putreſcentis canis odor, qui prope ignavus ac fere nullus eſt, diſtans vero graviſſimus ac teterrimus, partes exuat ſuaves ac bene olentes, quibus, e putrido cane expirans, miſtus ac temperatus, hebes, & ignavus ſit. At quas partes ſuaves, inſuaves fœdaſque demulcentes, in teterrimo canis odore fingere audemus? Quare neque in zibetho ingratæ, neque gratæ in cane putrido partes inſunt, quæ intervallo aboleantur: ſed hæ pingues nimis & graſſæ ſpatio extenuantur: illæ coactæ & coglobatæ effunduntur & diſſipantur: omnes redduntur aptiores, ut ſua quæque vi ſenſum afficiant.

Ambra, moſchus, zibethum examinantur.

Zibethi natura.

Odoratorum diverſa natura.

Zibethum puriſſ. ingratum.

Theophraſtus et Ariſt. examinantur, lib. VI. *de cauſ. plant* c. XXV. lib. XII *Probl.* I.

Objectio.

Canis Putridi odor examinatur.

Cur zibethi et canis odor e longinquo ſentiatur, ille ſuavis, hic teterrimus.

Zibethum accurate describitur.

Mihi vero hæc scribenti peropportune adfuit ipsi zibethi felis, Bononia Romam ab Eminentiss. Cardinali Sacchetto Eminentiss. Cardin. Antonio dono adsportata. Huic duo insunt inter anum & vulvam, castaneæ, & figuræ & magnitudinis, tubercula, (testes, an glandulas dixeris, nihil moror, quæ invicem adhærescunt: & introrsum recedentia latent, ea vero parte, qua vulvam & anum pertingunt, digitis apprehensa, ac leviter pressa, prompte foris extuberant, & explicantur, pilis nudata. Mox subalbum crassiusculum, ac pinguem exsudant humorem, in nigrum jam vergentem: acutissimum illum quidem, & nares (nisi omnino obesas, & mucosas) graviter insuaviterque ferientem. Mihi sane, qui odoratu sagacissimo (vitio ne dicam, an beneficio, incertus) præditus sum, omnino insuavis est, gravis, acutieque molestus, fricatus vero atque identidem refricatus processu temporis suaviter olet. Sane manus, quam nudius tertius illitam, ipsisque testibus humore madidis affricatam, graviter odoratus sui, suaviter nunc olet. Ergo vere *sunt quæ in posterum diem melius olent*, ut est apud Theophrastum. Cæterum.

Zibethi color varius. *Ut & odor.*

Petronius Arbit.

> *Fallunt*, inquies, *nos oculi, vagique sensus,*
> *Oppressa ratione, mentiuntur.*

Fallunt mehercule, & mentiuntur, non inficior:

> *Nam turris prope, qua quadrata surgit,*
> *Attritis procul angulis rotatur:*

atque odoratus æger maleolentibus non fastidit.

Idem.

> *Et marcens casiam frequenter.*

At nullus dubito, quin sano olfactui zibethum ita prorsus redoleat. Neque vero putes, quod vulgo omnibus persuasum est, hunc humorem animal ira incensum exsudare: (licet iratum uberius exsudet) nam sponte is, in testibus turgescens, plerunque manat, ipse quidem vidi, ab humoris acrimonia vellicatam felem affricare humo testes, eximiumque, sibi tamen vellicatu molestum, abstergere zibethum.

Zibethum unde, & quomodo fluat?

Narravit etiam mihi tum is, qui eam felem curat, tum alius, qui alteras quinque ex Oriente Romam asportavit, sibique tum eorum unicuique pecuniam solventi facta videndi copia; tum emuncto e testibus zibetho victum multos jam menses Romæ quærit: retulit, inquam, uterque animal, nisi certis quibusdam ac definitis diebus e testibus abradatur humor, nates exertosque ipsos testes, titillante sensum humoris acrimonia, septis ligneis, in quibus conclusum est, affricare, eaque copioso inficere zibetho, quod quidem collectum, licet admistis tenuissimis pilis, magis vergat ad nigrum, eadem tamen odoris insuavitate acutieque vix ferenda nares ferit ac vellicat.

Romæ frequentes zibethi feles.

Moschus examinatur.

De moscho autem illud experimento compertum habeo, simplicem, atque sincerum, exquisitumque vehementer quidem, sed male, aut certe non bene suaviterque olere: si enim in pixide asservatum moschum olfeceris, ingratam molestamque acutiem senties: si vero ejus partem inde sumptam odoraberis, vix quicquam senties, quod nares oblectet: si demum liquore mollitum frices, bene olere percipies, non tamen suavissime. At vero ambra ignava plane est pura ac solitaria: quam cum optimam odoratus fueris, vix dicere audeas, quid vere spiret: certe affirmare vel juratus quisque poterit, summam fragrantiam, quam aliqui prædicant, non spirare.

Ambra examinatur.

Hinc factum esse opinor, ut Veteres eam, atque adeo zibethum, & moschum neglexerint. Neque enim existimandum est, ut aliqui falso existimasse videntur, hæc pura sinceraque antiquitus non fuisse, sed non secus ac opere aliquo & artificio facta, nostris temporibus in universitatem rerum emanasse. Etenim ambra, sive sit balenæ semen, ut nonnulli arbitrati sunt, sive stercus quarundam avium, odoriferis herbis educatarum, in scopulis agglutinatum, sive fungi cujusdam marini species, e fundo, ubi nascitur, agitatione maris eruta, sive, quod Renodæo placet, sit bituminis quoddam genus, e maris alveo procellarum vi in littus ejectum, nunquam profecto non fuit: alienum enim est existimare, hanc speciem nuper in rerum universitate natam esse, & e naturæ gremio productam, & balena quidem naturæ vi ducitur, evomitque naturæ impetu. Aves illæ naturali necessitati obedientes, egerunt non ex consilio, sed naturæ ipsius habitu. Fungus demum ac bitumen, si tale quidpiam ambra est, orbis primordio una cum cæteris rerum speciebus genita fuisse, nemo est adeo peregrinus & advena in philosophia, qui nesciat. Itaque quicquid tandem ambra sit, semper fuerit necesse est. Idem de moscho, de zibetho idem censendum est: ea namque animantia nunquam non fuerunt in universitate rerum. Et moscho quidem animali fuit semper a natura insitum, ut, cum ageretur Venere, ac libidine turgeret, ejus abdomini adnasceretur vomica, quæ pressa, diuque lapidibus affricata, rumperetur, saniemque ex se promeret odoratam, quam moschum appellamus. Catus demum zibethi, orbis primordio natus una cum cæteris animantium speciebus, suaveolentem humorem, præsertim iratus ac percitus, natura exsudavit. Itaque verendum non est, quin hæc omnia odoramenta semper fuerint in universitate rerum: in usu autem non posita, sola artis ignoratione. *Non enim omnia possumus omnes*: atque, ut ait Comicus, *Usus, res, ætas semper aliquid apportant novi*. Enim vero quemadmodum Bombardam, Tubum opticum, Horologium, aliaque non pauca nostra patrumque ætas invenit, ita etiam artem ea, per se minime suavia, in suave unguentum condiendi. Exempli causa, duodecim partes ambræ, quatuor moschi optimi, & una circiter selectissimi zibethi: vel decem partes ambræ, tres zibethi, & succi limonis exiguum, (e peritioribus id promo unguentariæ secretis) unguentum sane condies, quod pellibus affricatum, incredibilem spiret odorum suavitatem. *Sunt namque*, ait Theophrast. lib. VI. *de Caus. Plant.* cap. XXV. *quæ misturam desiderant ad acquirendam suavitatem.*

Cur Veteres ambram bonam usurparint in unguenta *Ambra, moschus zibethum, antiquitus [illegible]* *Ambra unde nascatur?* *Ambram semper fuisse probatur.* *Ut et moschum, zibethum.* *Cur moschus et zibethum antiquitus non adhibita?* *Odoramenta recentiorum componendi ratio.*

Quorsum, inquies, tam multa? Ut intelligas, vulgum non bene agere cum balsa-

Recentiores reprehensi. mo, cæterisque antiquis odoramentis, quæ ideo flocci facit tanquam non suaviter olentia, quod vel simplicia, vel non ex arte composita, non æque suaviter oleant, atque unguentum est ambra, moscho, & zibetho conditum. Ut intelligas, nec falsa de balsamo, nec pugnantia (quod omnes opinantur) Veteres, & maxime Plinium, loquutos, cum scripserunt, illud esse *suavissimum*, *in fricando odoratum*, *acutissimum*, *austerum*. Idem namque zibethum *acutissimum* est, *austerum* quodammodo; ac propterea fere etiam grave, ingratumque. *Suave* tamen, si optime *fricetur*. Etenim vis illa, qua præditum est, vehemens & acutissima unita quidem compactaque, *austera* est, & ingrata, gravisque; *fricatione* vero diffusis dissipatisque spiritibus, in *suavem* temperatur odorem. Ut demum intelligas, balsamum dignum esse, quod non solum conferatur, sed longe præferatur ambræ. Intelliges profecto, si animum ad ea, quæ hactenus a me dicta sunt, posteaque dicenda, experimento duce, diligenter advertas.

Plinius defensus, & explicatus.

Balsami natura enucleatur.

Balsamum præferendum ambræ.

Sed, obsecro te Lector, secedamus paulo interius in Antiquorum Unguentariam, (nam in Recentiorum alias secedemus, eaque præcipue afferemus in medium, quæ ab Illustrissimo omni rerum naturalium scientia, omnique eruditione, Cassiano Equite a Puteo mihi suppeditata fuerunt) ac ne grave sit non graves ejus odores animo saltem subodorare. Spero fore, ut te non pœniteat tantisper iis operam locasse. *Rhodinum Phaseli*, *quam gloriam abstulerat Præneste*, *Neapolis*, *Capua*, statim offendemus, unguentum suave Plinio teste: deinde *Cyprium* in Cypro, & mox in Ægypto non vulgari artificio compositum: *Crocinum* Ciliciæ, *Telinum* Syriæ, *Liliaceum* Æginæ, *Amaracinum* & *Melinum* in Coo, *Oenanthium* Adramyttei, *Panathenaicum* Athenis, *Pardalium* in Tarso: præterea *Anthinum*, *Barbarium*, *Cedrinum*, *Foliatum* Galeni, *Telinum* Isidori, *Pisticum* Anastasii Bibliot. *Crocinum* Dioscoridis, *Acanapum* Luciani, *Brenthium* Clementis Alexand. *Metalleum* Hesychii, *Baccharim* Sophoclis, *Regium* Cratis, *Psagden* Aristophanis, *Pangonium* Palomenis, aut certe Plangonis, *Nardinum* Menandri, *Sagdam* Epilici, *Ægyptium* Achæi, cæteraque sexcenta adeo suavia, *Ut transeunte fœmina, odor invitet etiam aliud agentes*. Adeo suavia acutaque, ut *L. Plotium*, *L. Planci bis Consulis Censorisve fratrem proscriptum a Triumviris in Salernitana latebra unguenti odore proditum constet*. Adeo demum suavia, ut

Antiquorum unguenta afferuntur.

Peculiaria populorum.

Prænestini olim nobilissimi unguentarii.

Unguenta peculiaria auctorum.

Plin. lib. XIII. c. III. Valerius lib VI. c. VIII. Solinus cap. III.

> *Terras odor simul atque cœlum pervaderet;*

utque ea

> *—— cum olfacies, Deos rogabis,*
> *Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.*

Catullus.

Sed video te hærentem, Lector; aut certe hæsurum prævideo, an hæc unguenta tam grata fuerint, ut cum nostris ambraceis comparari possint: nam eorum compositio suspicionem facit non mediocrem: aliqua enim adhibentur vel inodora, vel etiam graviter olentia.

Cæterum ut rem, quæ multorum torsit ingenia, quæque plurimis persuasit, vilia fuisse & gravia Antiquorum unguenta, exploratam habeamus, multa sunt animadvertenda. Multa digna quæ animadvertuntur.

Primo non omnia unguentorum genera ad delicias tantum & luxus composita fuisse, sed pleraque etiam ad sanitatem: quod vel ex Pomponio Jureconsulto, non minus antiquitate quam doctrina clarissimo, liquido constat: is enim lib. XXXIV. titulo II. *Pandect.* hæc habet: *Unguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis causa, sed etiam valetudinis: qualia sunt Comagena, Glaucina, Crina, Rosa, Mura, Colum, Nardum purum*: ubi libet adnotare, male Guid. Pancirolum in *Thesauro Var. Lect.* pro *Mura*, *Myrrha* restituere: nam aliud est mura, aut murra, seu, ut verius dicam, murrha; aliud myrrha. Ex ambobus quidem odoramentum componitur, sed tamen diversum ex ambobus: ex myrrha liquidum, ex murrha siccum longe facilius: nam hæc lapis est, odoris præstantia nobilis, apud Parthos ex humore natus, calore solis sub terra concreto: ex quo contrito odoramentum componitur διάπασμα nuncupatum. Neque vero quispiam suspicetur, idem esse murrham, ac myrrham, mutua persuasus vocalium V, & Y, apud Latinos commutatione, ut est apud Ciceronem in *Oratore*, ubi *Purrhus*, & *Pyrrhus* legitur: seu, ut emendat Victorius XIV. *Variarum* III. Burrhus, & Byrrhus; non solum V, pro Y, sed B, pro P, usurpato, (quam emendationem firmatam observo ab antiquo lapide, apud Castilioneum lib. *Gallorum Insubrum antiquæ sedes*, ubi incisum est, P. PLINIUS BURRUS) non, inquam, sibi quisquam persuadeat, ex earum vocalium vicissitudine, idem esse murrham, & myrrham; quia etsi non raro diversa scribendi ratio diversam rem non designat; tamen in myrrha, & murrha rem plane aliam, imo vero contrariam significat: cum illa lapis sit, hæc gummeus humor. Itaque apud Pomponium murrham lapidem, non myrrham gummeum succum, puto intelligendam; tum quia, ut Criticos monet Lipsius, Malaspina, & Schottus, in emendandis libris quo minus recedimus a vulgata lectione, eo præstantior est emendatio; tum quia Florentini codices, omnium nobilissimi, murrham potius, quam myrrham innuere videntur, cum aperte *Mura* habeant. Jam (eo redeo, unde discessi) quæ valetudinis, non odoris ac deliciarum causa condita fuerunt unguenta, suavem spirasse odorem, necesse non fuit.

Primo animad.

Non omnia unguenta ad delitias.

Pancirolus notatur.

Murrha quid?

Diapasma quid?

Critica animad.

Victorii emendatio inducitur.

Pomponius J. C. emendatus.

Deinde & illud animadversione dignum est, unguenta omnis generis hominibus usurpata, nobilibus, ac plebeiis, divitibus, & pauperibus, ergo non omnia eximia ac præstantissima. Secundo animad.

Præterea diversis partibus adhibita, naribus, capillis, manibus, pedibus, cæterisque. Non igitur verisimile est, omnia fuisse uniusmodi, sed alia aliis magis minusve suavia. Tertio.

Quarto perpendendum est, in condiendis odoramentis adhibita fuisse aliqua, vel inodora, vel ingrate acuteque olentia, ut cætera suavitate prædita quasi torpescentia Quarto.

ac sepulta excitent atque acuant: est enim longo experimento, aut casu compertum, ut quædam etiam jucunde olentia odoratis gratiam concilient. Sic aquis florum arranciorum, & rosarum myrti aqua addi solet ab iis, qui suave illud odoramentum, *Acqua d' Angeli* vulgo appellatum, condiunt. Sic moscho & aquæ rosaceæ vini latex igne extractus.

Putida etiam conciliant suavem odorem.

Imo vero interdum adduntur aliqua vere putida graviterque olentia, quæ miram concilient fragrantiam. Quis enim crederet, effœtum jam moschum, ac temporis diuturnitate confectum, aut situ etiam & mucore inquinatum, graviterque proinde redolentem, ab fœtido excremento acui, excitari, & in pristinum suavemque odorem vindicari? Panno urina leviter perfuso exceptus moschus, jam effœtus mucidusve, ita nativum resumit recuperatque odorem, ut vel emunctæ, vel mucosæ naris quisque fateretur præstantissimum eum esse, nuper ex ipsa animalis vomica promptum.

Quinto.

Unde quinto loco animadvertendum est, nonnulla apud Antiquos suavia dicta esse, non quia ex se suavia sint, sed quia aliis mista suavitatem pariant. Qua quidem in re illud animadvertendum est, (lumen id quidem omnibus præfert, qui in libris Antiquorum de rebus odoratis versantur) εὔοσμος, καὶ εὔοδμος, καὶ εὐώδος, & εὐοσμία, καὶ εὐοδμία, ἡ εὐωδία, hoc est, ut interpretantur, *bene olens*, *fragrans*, *suavis*, & *bonus odor*, *fragrantia*, *suavitas*, non semper dicuntur comparatione cum bene odorato bonoque odore, ut εὔοσμος sit, quod inter bene odorata optimo odore fragrantiaque excellit; sed multoties distinctione a grave olente, & fœtore.

Notatu digna.

Itaque εὔοσμος & εὐοσμία non addunt odori præstantiam, nec suavitatis & fragrantiæ, ut vocant, gradum præseferunt; sed intentionem solum, & acutiem. Aperte intelligere id possumus ex Dioscoride *lib.* I. LXXI. qui turi nullam tribuit odoris suavitatem, cortici vero, qui multo minus suavis est, defert εὐοσμίαν: *Cæteri*, inquit, *cortices suffiti non ardent, sed sine odore fumum exhalant: turis vero cortex accenditur*, & μετ' εὐωδίας ἐκθυμιᾶται: ubi animum advertere oportet, etsi Ruellius vertit, *cum odoris fragrantia vaporem ejaculatur*; & Marcellus Virgilius, *cum suavitate odoris ardet*; tamen cave putes, Dioscoridem scripsisse, turis corticem incensum, suavem, ac sensui perjucundum, vereque fragrantem odorem spirare. Non enim εὐωδία idem est apud Græcos, quod apud Latinos fragrantia. Apud hos quidem fragrantia & suavitas præstantiam odoris excellentiamque significat, atque adeo absolutam generis perfectionem. Εὐωδία vero apud illos, etsi non raro fragrantiam, sæpe tamen, aut solum bonum odorem, aut odoris intentionem & vehementiam designat.

Εὐοσμία quid revera?

Tus non suave.

Theophrasto lux data.

Theophrastus id ipsum declarat lib. I. *de Hist. Plant.* cap. XIX. ubi loquens de succorum, odorumque differentia, ait apium & anethum εὐωδίαν præstare: quæ non fragrantiam aut suaveolentiam significat, ut male Interpretes arbitrantur, sed solum odorem (bonum) aut acutiem vehementiamque odoris. Quotus enim quisque est, cui in mentem venire possit, Veteres eo præditos fuisse odoratu, ut apio & anetho, tanquam fragranti suavique odoramento, oblectarentur? An Theophrastum & Dioscoridem obesæ omnino & mucosæ naris fuisse censendum est? Itaque longe aptius, & auctoris sententiæ accommodatius, ea verba superius scripta, διαφέρουσι δὲ καὶ ταῖς εὐωδίαις, οἷον ἀνήθου, κέδελδος, vertuntur ab eodem Interprete, *Odore præterea distant* (succi) *ut anethi, cedrulæ*, odore, non fragrantia.

Idem male interpretatus.

Aptius Latine factus.

Hæc ideo meum Lectorem monui, ut ne vulgo hominum assentiatur, qui existimant, apud Veteres suavia, & fragrantia, vel ea habita fuisse, quæ nobis acute solum vehementiusque oleant. Sapientissimi enim Antiquorum Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, emunctissimæque naris homines probe norunt, *Quid distent æra lupinis*: quæque *Oboleant allium, hæram, suem, capram commixtam*.

Vulgus hominum reprehenditur.

Demum notare oportet, odoramentorum eam esse conditionem, ut a simplicium dosi, atque etiam ab alio interdum minus odorato vim accipiant ac suavitatem. Sic odoramentum, Romanum vulgo appellatum, a quadam herbula, ex se minime olente, in arcanis tamen a peritissimo unguentario habita, suavitatem mutuatur non mediocrem.

Sexto animadvertendum.

Odoramentum Romanum.

Hæc, Lector, si diligenter animadvertas, tibi, ut aliquibus, mirum non videbitur, si aliqua Antiquorum unguenta suavissimum non spiraverint odorem: si alia nonnulla galbanum, terebinthum, melilotum, fœnum-græcum, & alia hujusmodi non respuant, quæ aut nihil, aut non bene oleant.

Jam ea odoramenta, quæ ex suavissimis condita fuerunt, suavissima fuisse, non solum intelligere possumus ex partibus componentibus, odorum suavitate præditis; sed etiam ex eo, quod unguentaria, a priscis usque temporibus ad collapsam Romanam potentiam perenne summoque studio exculta & aucta, ad summum atque omni genere perfectum pervenerit. Nam licet Plinius Iliacis temporibus eam non fuisse, circa Darii Regis ætatem innotuisse scribat; tamen longe antiquiorem esse, multa sunt quæ convincunt.

Antiquorum unguentorum suavitas iterum probatur.

Plinius reprehensus.

Et primo quidem mitto Hippocratem, qui Dario ætate major (natus enim Hippocrates fuit Olympiade LXXX. Urbis Cond. ann. CCXCII. Darius vero, bello victus ab Alexandro, occubuit Olymp. CXII. V. C. anno circiter CCCCL.) libro, *Medicus* inscripto, odorum meminit. Mitto Anacreontem Hippocrate vetustiorem, in suis *Epigramm.* unguenta commemorantem. Mitto Xenophanem & Hippocrate & Anacreonte ætate majorem, qui sæpe apud Athenæum *lib.* XI. eorundem meminit. Mitto Ennium, qui de Tarquinio Rege loquens ait,

Hippocrates quando natus?

Unguentorum antiquitas.

Tarquinii corpus bona fœmina lavit
& unxit.

Mitto Archilochum, qui Romuli ætate floruit, *primusque omnium voce* μύρον *usus est*, auctore Athenæo *lib.* XV. Mitto Solonem, qui Athe-

Solon lege unguenta prohibuit.

Athenienfibus unguenta lege interdixit. Mitto demum Alcæum; qui Tullii Regis ætate vixit; Ariftippum, qui Artaxerxis Perfarum Regis; Ariftophanem, Hefychium, Empedoclem, cæterofque hujus & antiquioris ætatis, Rege Dario longe majores, qui odoramentorum meminerunt: e Sacris Libris intelligimus: *Afam Regem mortuum, in lecto, unguentis meretriciis pleno, collocatum esse*. Atque adeo *Judith, facie unguento delibuta, perrexisse ad Olofernem*. Imo vero *Aaron unguentum capiti affundere folitus erat, quod in barbam defcenderet*. Quinimo ipfis Iliacis temporibus unguenta odorata in ufu fuiffe pofita, liquet ex Homero *Iliad.* VIII. loquens enim de Jafone, *Unxerunt*, inquit, *pingui oleo, divino, fuavi, quod ei odorem fpirabat*. Olei autem nomine *μύρον* intelligit, quæ vox ab Archilocho, Homero juniore, inventa fuit. Unde Athenæus *lib.* XV. Ελαια, *oleo adjecto epitheto ut rofaceo, inunxit oleo divino, parato e floribus*, &c. appellata ab Homero fuerunt unguenta odorata. Immo *Rofaceum Homero fuiffe cognitum, ex eo conjicimus argumento, quod* ῥοδινῷ ἐλαίῳ *Venus Hectoris cadaver obunxerat*, ut fcribit Pierius Valer. libro LV. *Hieroglyph.* Atque tandem multo ante Regis Darii fcrinium ab Alexandro in expugnatis caftris repertum, *Cambyfes Perfarum Rex mifit ad Regem Æthiopiæ alabaftrum unguenti*. Cum igitur, ut eo, unde aberravi, quafi e longo diverticulo redeam, ab antiquiffimis ufque temporibus Unguentaria coli diligentius cœperit, verifimile eft ad poftremam Imperatorum luxuriofam ætatem perductam, plane excelluiffe, unguentaque proinde ex fuaviffimis aromatibus fuaviffima compofuiffe.

Unguentorum antiquitas. Olei nomine quid? Rofaceum Homero cognitum. Pifulus.

Id ipfum conjectare licet ex vario ufu, partibufque variis, quibus ea affricabantur: etenim capillos obliniri confueviffe, liquet ex Juvenali, Perfio, Ovidio, Propertio, Horatio, lib. III. *Carminum* ode XIV.

Varius unguentorum ufus. Omnibus partibus unguenta adhibita.

Dic & argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem.

Et *lib.* I. *ode* XXIX.

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ftatuetur unctis?

Martiali, *lib.* III. *epigr.* LXV.

Quod madidis nardo fparfa corona comis.

Et *lib.* VIII. *epigr.* LXXVII.

Si fapis, Affyrio femper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea ferta caput.

Tibullo, Petronio, Archeftrato, & Seneca in *Tyefte*:

Vernæ capiti fluxere rofæ,
Pingui madidus crinis amomo.

atque ex Cicerone *pro Sex. Rofcio*. De Chryfogono Syllæ liberto: *Ipfe vero quemadmodum compofito & delibuto capillo paffim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis, Judices*. Quid? eo perductus eft unguentorum luxus, ut non folum capilli, facies, nares, manus, cæteræque nobiles partes, quas, patientiæ lectoris confulens, Veterum teftimoniis non comprobo, unguentis oblinirentur: fed ipfi etiam pedes, ut auctor eft Athenæus lib. XII. *Dipnofoph.* Quid? non folum veftes, lecti, domus, parietes, folia, militaria figna unguentis inficiebantur; fed ipfæ fere matulæ, ut fcriptum eft a Clemente Alexand. lib. II. *Pædag.* Non folum ex-

Unguentorum luxus.

terno luxui ufurpata fuerunt unguenta, fed cibis etiam potionibufque mifta, ut ex Ariftotele conftat lib. *de fenfu & fenfili*, Plauto in *Milite*, Horatio lib. II. *Carm.* ode XI.

Cur non fub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes fic temere, & rofa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Affyriaque nardo,
Potamus uncti?

Et *lib. eod. ode* III.

Huc vina, & unguenta, & nimium breves.
Flores amœnæ ferre jube rofæ.

Martiali, Athenæo, cæteris. Non folum tot fæculis a tot populis, Lydis, Pergamenis, Ephefiis, Ionibus, Cilicibus, Rhodiis, Cypriis, Phœnicibus, Syris, Perfis, Ægyptiis, Tarfis, Sidoniis, Capuanis, Præneftinis, aliifque multis, qui unguentorum arte laudeque floruerunt: fœminæ præfertim contentæ non fuerunt unguentis ad fummam fuavitatem conditis; fed etiam *in dies ab eis nova excogitata fuerunt, ut inexplebilem cupiditatem boni odoris infatiabilitate explerent*, ut eft apud Clementem Alex. *loco* nuper *laudato*.

Qui populi unguentariam excoluerint. Fœminarum luxus.

Non folum vivis, fed mortuis etiam affricabantur unguenta, ut auctor eft Alexander ab Alexand. *Genial. Dierum* lib. III. cap. VII. Gutherius *De Manium Jure*, Kirchmannus *De Funeribus Roman.* Rævardus, Colvius, cæteri. Non folum homines, fed Dii etiam videntur quodammodo unguenta ufurpaffe: nam *Sophocles poeta in Cretenfibus Venerem Deam unguento perfufam fingit: Palladem vero, cujus nomine mentem prudentiamque intelligimus, oleo perungi, & exerceri*, Apud Athenæum *lib.* XV. Sed quid multis opus eft? non modo rebus quibufvis, non vivis modo, non modo mortuis, neque Diis tantum adhibita *unguenta*, fed etiam *inftar aquæ affundebantur, omniaque irrigabantur*, ut auctor eft Plutar. in *Problem.* Itaque mirum non eft, *P. Licinium Craffum & L. Julium Cæfarem Cenfores* immoderatum unguentorum ufum coercentes, *edixiffe, ne quis venderet unguenta exotica*. Exotica autem funt preciofa, ut ex Plauto liquet in *Moftell.*

Mortuis adhibita unguenta. Unguenta Romæ prohibita.

Non omnes poffunt olere unguenta exotica.

ac propterea *nonnifi diffolutis, & amatoribus convenire*, jure fcribit Jo. Saresberienfis *lib.* VIII. Ex quibus emendare licet Lucilii locum apud Nonium: *Unguentum excoctum attuli: exoticum* legendum, vix dubito: hoc eft, peregrinum, ac preciofum. Nec mirum eft, Lycurgum (redeo enim eo, unde eruditionis caufa paululum diverti) atque Lacedæmonios urbe unguentarios expuliffe; Athenienfes, Solonis legem obfervantes, unguenta vetaffe; Socratem demum acriter invectum in fui temporis lafciviam, unguentorumque luxum deteftatum, dixiffe, *Viros folum probitatem olere debuiffe*.

Lucilius emendatus. Spartæ et Athenis unguenta prohibita.

Si ergo ars unguentaria tanto luxui, tot fæculis, a tot tantifque populis ufurpata fuit, plane excultam perfectamque fuiffe, neceffe eft: adeo ut verendum non fit, quin vere fuavia jucundaque condita fuerint unguenta, abunde ex Arabia & aliunde fuppeditatis Balfamo bene odoratorum principe, (nam,

Propertius. *Natura hic posuit, quidquid ubique fuit)*

Casia, Citro, Stacte, Cinnamomo, Styrace, Jesemino, Rosa, Cipero, Junco, cæteris sexcentis.

Rutilius Itiner. lib. II. His paucis, Lector, prolusisse libuit (nec enim

A

Jure suo poterat longior esse liber)

& quasi ludicra, e philologico penu deprompta, nunc præmisisse:

Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus. Virgilius in Culice.

FINIS.



LAZARI BAYFII
DE
VASCULIS
LIBELLUS
SIVE
ANIMADVERSIONES IN TRACTATUM DE AURO ET ARGENTO LEGATO.

CLARISSIMO VIRO,

ANTONIO A BURGO,

GALLIARUM CANCELLARIO,

LAZARUS BAYFIUS

S. D.



HAs noſtras vigilias pridem edideramus ſine tutore, ſine vindice, Antoni clariſſime: propterea quod id temporis Venetiis eramus a Rege legati: nihilque a quoquam, juris Gentium authoritate fulti, timeremus, qui ab omnibus propemodum ſancti haberemur. Nunc ipſi ad privatam fortunam rejecti, te potiſſimum noſtrorum ſtudiorum aſſertorem fore idoneum cognovimus; qui in altiſſimo dignitatis gradu conſtitutus, ſummiſque occupationibus diſtrictus, tuam tamen dignitatem ad hæc humaniora ſtudia, ut ita dicam, excolenda, demittere non gravaris. Quorum ſtudioſis ut prodeſſe poſſes quantum velles, Regis Franciſci judicio factum eſt, qui te nihil tale cogitantem, ne dicam non ambientem, ad hoc munus ſponte ſua delegit, quod & eſt & habetur in noſtra Gallia eximium. In quo obeundo te ita geris, ut plus tua comitate comite prudentique conſilio negotiorum expedias, quam quantum jure & poteſtate, moroſaque ſeveritate, qui ante te fuerunt, potuerint omnes. Et nimium expediendis conficiendiſque rebus vincit facilitas ſeveritatem, prudentia authoritatem, conſilium poteſtatem. Sed hæc fortaſſe nimium multa. Accipies igitur hoc parvum opuſculum tua (ut ſoles) ab omnibus prædicata humanitate: in quo videbis explicatam, ut potuimus, Romanorum ſupellectilem, vaſa omnia aurea, argentea, & in his (ſi diis placet) nonnulla gemmea: quæ tibi (ut ſpes eſt) tam grata erunt, quam antiquariis hominibus eſſe ſolent numiſmata e terra eruta, quæ in amoribus propter antiquitatem & deliciis habent. Vale. Kalend. Auguſti, Ann. M. D. XXXVI.

LAZARI BAYFII DE VASCULIS LIBELLUS SIVE

ANIMADVERSIONES IN TRACTATUM DE AURO ET ARGENTO LEGATO.



IN capite, *Uxori quis legavit: quæsitum est, an carruca dormitoria.*) Carruca vehiculi genus est a carro deductum; quam & rhedam vocat Martialis *lib.* III. *epigr.* XLVII. ubi de Basso:

Faustine plena Bassus ibat in rheda. C

Subdit enim:

Nec feriatus ibat ante carrucam.

Plinius *lib.* XXXIII. conqueritur, quod sua ætas carrucas ex argento cælare invenerit: quas & aureas fuisse testatur Martialis *cit. lib. epigr.* LXII.

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Antoninus Heliogabalus ut author est Ælius Lampridius, quum privatus esset, iter nunquam minus sexaginta vehiculis fecit: Imperator vero etiam sexcenta vehicula dicitur duxisse: asserens decem millibus camelorum, Persarum reges iter facere: & Neronem quingentis carrucis iter iniisse. Surenas autem Persarum regis præfectus, D ἐξήλαυνε καθ' ἑαυτὸν ἀεὶ χιλίαις σκευοφορούμενος καμήλοις, καὶ διακοσίας ἀπήνας ἐπήγετο παλλακίδων. Plutarchus in *Crasso*: Δημοσθένης περὶ τῶν συμμοριῶν, de eodem rege Persarum inquit, καὶ τί τοῦτ' ἐστι πρὸς διακοσίας καὶ χιλίας καμήλους, ἃς βασιλεῖ τὰ χρήματα ἄγειν φασὶν οὗτοι; Plutarchus etiam in *Alexandro*, τῆς δ' ἄλλης κατασκευῆς καὶ τοῦ πλούτου ἐκκομισθῆναι φασὶ μυρίοις ὀρικοῖς ζεύγεσι καὶ πεντακισχιλίαις καμήλοις. A carruca dicuntur mulæ carrucariæ, trahendis carrucis assignatæ. Sic & asinus machinarius dicitur ab Ulpiano in *l. Quum quæreretur, supra De leg. tertio*, & in *l. Quæsitum, De fundo instructo*. E Et asina molendinaria a Paulo dicitur in I. *Quum de lanionis, supra De fundo instructo*. Neque enim Jureconsultorum tempore adinventæ erant machinæ, quæ defluentis atque adeo præcipitantis aquæ impetu rotantur: quibus hodie passim nostri molitores utuntur. Dicitur & meta molendinaria, quæ est molæ pars inferior, catillus vero superior. Quam metam Græci ὄνον vocant, & μύλος ὀνικός dicitur apud *Matthæum* c. XVIII. Quæ & meta molendinaria dicitur a Jureconsulto Paulo, *supra De fundo instructo, instrumentoque leg.* Quod vero hic Scævola carrucæ dormitoriæ meminerit, addit fidem his, quæ de cubiculo viatorio F Neronis Principis ex Plinio diximus in *l. Vestis, infra eodem*. Dormitoriam autem dixit, ut Julius Pollux refert *lib.* X. a Comicis dici χιτὼν, ἐνδυτὴρ, quam nos verbum e verbo, si volumus, *tunicam dormitoriam* dicemus, vulgo *camisiam* nocturnam. Quin & Horatius *Sermonum* lib. I. sat. v. nocturnam dixit illo versiculo:

Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.

Plutarchus in *Themistocle* hujuscemodi carrucas dormitorias σκηνὰς videtur appellate, quum ait: Ἀλλὰ καὶ τὰς ἀργυρωνήτους καὶ παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν, ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτὸς, ἀλλ' οἴκοι μὲν διαιτᾶσθαι κατακεκλεισμένας, ἐν δὲ ταῖς ὁδοιπορίαις ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαξῶν ὀχεῖσθαι.

In *l. Quum aurum & argentum*, &c. *an replumbari debeant.*) Plin. Secundus libro *Nat. Histor.* XXXIV. *cap.* XVII. docet duo plumbi esse genera, nigrum & candidum: *Album nulli rei sine mixtura utile est; neque argentum ex eo plumbatur*, (hoc est, ut ipse interpretor, jungitur & solidatur) *quoniam prius liquescit argentum*. Quibus Plinii verbis planum fit, quid sit argentum replumbari: replumbatur enim, si plumbum avellitur, & argentum purum relinquitur. Applumbare vero argentum, est plumbo addito curare ut argentum argento, vel massa massæ cohæreat: cujus meminit Paulus in *l. In rem actio, supra De rei vendicatione*, in hæc verba: *Non idem in eo quod applumbatum est, quia ferruminatio per eandem materiam facit confusionem, plumbatura vero non idem efficit*. Plumbatura igitur est, quando plumbo massa massæ jungitur, ita ut junctura plumbea cohæreat. Ferruminatio vero fit, si per eandem materiam massa massæ confunditur. Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* V. ubi de glutinandis perficiendisque metallis, dicit aurum stagno ferruminari, his verbis: *Chrysocollam aurifices sibi vendicant agglutinando auro, & inde omnes similiter utentes appellatam dicunt. Temperatur autem ea Cypria ærugine, & pueri impubis urina, addito nitro: teritur Cyprio ære, in Cypriis mortariis. Ita ferruminatur aurum. Ferruminatur* dixit, id est, alicui rei jungitur. Sic & idem Plinius *ferruminat* dixit, pro conjungit. Et *lib.* XVI. *cap.* XXXVI. ubi de calamis & arundine: *Aut enim pro pluma, strata cauponarum replet: aut ubi limosiore callo induruit, sicut in Belgis, contusa & interjecta navium commissuris, ferruminat textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice*.

In eadem *l. §. Si cui vascula argentea, ut puta lances quadratæ sint legatæ.*) Lanx a latitudine dicitur, ut quidam putavere, & est vas escarium. Horatius, *lib.* I. *epist.* V.

—— ne non & cantharus & lanx
Ostendat tibi te.

Et erat non solum lata, sed etiam cava: & ob id *cavas lances* dixit Martialis *lib.* XI. *epigr.* XXXII.

Sic implet gabatas, paropsidasque,
Et læves scutulas, cavasque lances.
Hoc lautum vocat, hoc putat venustum,
Unum ponere ferculis tot assem.

Erant autem lances maximæ, mediæ, & minimæ, ut inquit Jureconsultus, in *l. Cui lancem*, hoc ipso tractatu. Et erant non solum quadratæ quædam, ut hic, sed & rotundæ aliæ: quod vel

Horatii versibus probari potest *Sermonum* lib. II. satyr. IV.

Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem.

Planum fit etiam ex verbis Pauli in *l. Si in rem, supra De rei vendic.* in hæc verba: *Quamvis & in vasis occurrat difficultas, utrum lancem dumtaxat dici oporteat, an etiam quadratam vel rotundam.* Nos rotundis utimur, & vulgo *platum* a latitudine dicimus, ut opinor. Quod autem lanx vas sit escarium, adducor ut credam ex Juvenale *sat.* V.

Aspice quam magno distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino, squilla, & quibus undique septa
Asparagis.

At vereor ne cui videar in re non dubia testimoniis uti minime necessariis. Ad alia pergam, si modo prius dixero, lances chrysendetas dici a Martiale, & etiam chrysendeta, lances aureis crustis illigatas & exornatas, *lib.* II. *epig.* XLIII.

Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli.

De quibus crustis copiosius infra dicemus. Catinum quoque vas escarium dicimus, a capiendo dictum: & per diminutionem catillum deducunt. Horatius *Sermonum* lib. I. sat. III.

—— *mensave catillum*
Evandri manibus tritum ejecit: ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens: minus hoc jucundus amicus
Sit mihi?

Quibus Horatii verbis vides Romanos illos solitos catinis uti ad reponendos pullos, & alia opsonia, ut hodie *platis* utimur. Pisces quoque catinis reponebant: quod vel Horatii versu planum fit *Sermonum* lib. II. sat. IV.

Angustoque vagos pisces urgere catino.

Catino autem utebantur pauperiores: quod conjicio ex eodem *ibidem* lib. I. sat. VI.

—— *affixo divinis, inde domum me*
Ad porri & ciceris refero laganique catinum.
Cæna ministratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: astat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.

Eo enim fictili utebantur Antiqui. Juvenalis *sat.* VI.

—— *aut quis*
Sympullum ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat?

Est autem sympullum (ut id obiter intelligas) vas fictile, quo in sacris prolibabant sacrificuli. Plin. *lib.* XXXV. *cap.* XII. ubi de plastice: *In sacris quidem etiam inter has opes non murrhinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur sympullis.* Nec me fallit quosdam viros, & eos doctissimos, legere apud Plinium *sympiniis*, ἀπὸ τ̃ συμπίνειν: quod haud scio an cuiquam probare possint. Et fortasse dictum sympullum, ut ampullam dicimus. Tullius III. *de Legibus*: *Excitabat enim fluctus in sympullo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius ejus Marius in Ægeo excitavit mari.*

Sympullum in antiquo marmore cum lituo sic descriptum: (TAB. I. *fig.* I.) Romæ vidimus: Marcus sane Tullius, qui ista ignorare non potuit, vasa illa, quibus in sacris Numam usum fuisse constat, capedines ac fictiles urnulas vocat in eo libello qui Παράδοξα inscribitur. Verba autem Tullii hæc sunt, si quis forte requirat: *Quid autem Numa Pompilius? minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam Deliacas aliorum pateras arbitramur?* Hactenus Tullius, qui in tertio *de Natura Deorum* capedunculas eas vocat: *Docebo, meliora me didicisse de colendis diis immortalibus jure pontificio & more majorum, capedunculis quas Numa nobis reliquit.* Magida etiamnum inter escaria vasa ascribunt, cujus mentio apud Paulum in *l. Servus, supra de condic. indeb.* & a magnitudine dictam putant, quum a maza deducatur, ut quidam autumant: a qua & mazonomum dictum rentur, cujus meminit Horatius *Sermonum* lib. II. sat. ult.

—— *deinde secuti*
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes.

Μάγις Græcum vocabulum est, quo significantur mensæ quæ apponuntur & removentur, authore Julio Polluce. Fenestella quoque, ut inquit Plinius, tympana se juvene dicit appellata patinas & lances, quas Antiqui magidas appellaverant. Est autem patina ab eo, quod pateat dicta, quam Jureconsultus in *l. Quum de lanionis, supra De fundo instructo*, inter culinaria videtur adscribere, quum inquit: *Patinæ & cacabi ad coquendum pulmentarium.* Patinis utique, nisi in authorum observatione falsus sum, utebantur non solum ad coquendum pisces, & id genus, (quod authore Plinio probatur libro XXIII. ubi de fæce sapæ: *Decoquitur*, inquit, *in patinis cum sale & adipe, ad tumorem quoque maxillarum & cervicum*) sed etiam ferculi vice: quum ferculum dico, vas ad ferendum opsonium vel pulmentarium intelligo. Et nisi me & lectorem decipio, eadem patina utebantur & ad coquendum & ferendum opsonium, elixum præsertim. Horatius *Serm.* lib. I. sat. III.

Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus,
Semesos pisces tepidumque ligurierit jus.

Idem *ibid.* lib. II. sat. ult.

Affertur squillas inter muræna natantes,
In patina porrecta.

Quibus certe locis patinam pro ferculo posuit Horatius. Juvenalis autem *sat.* IV. patinam rhombo coquendo extructam taxat his verbis:

Quidnam igitur censes, conciditur? absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait: testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus:
Argillam atque rotam citius properate: sed ex hoc
Tempore jam Cæsar figuli tua castra sequantur.

Notatur & a Plinio in X. *Nat. Hist.* Æsopi patina, in qua posuit aves cantu aliquo aut sermone vocales, nummis sex singulas coemptas. Vitellii quoq; patinam scribit Tranquillus ab eo dedicatam, ac propter ejus immensam magnitudinem, clypeum Minervæ, αἰγίδα πολιούχου nuncupatam: in qua scarorum jocinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, a Carpathio usque fretoque Hispaniæ per navarchos ac triremes petitarum. Huic autem patinæ faciendæ fornax in campis exædificata erat: quando eo pervenit luxuria, inquit Plinius *libr.* XXXV. ut etiam fictilia pluris constent quam murrhina. Hanc patinam Vitellius in principatu suo condidit CC. sestertiis. Murrhini vero prætium ab eodem Plinio ponitur *lib.* XXXVII. *Excrescit in dies ejus rei luxus, murrhino* LXXX. *sestertiis empto, capaci plane ad sestarios tres calice.* Vides ut vas murrhinum prægrande LXXX. H-S. emptum, sitque summa multo inferior ea quam in patina statuimus, quanto videlicet numerus CC. octogenarium superat. Nec te moveat quod apud Plinium *libro* XXXV. *cap.* XII. in vulgatis codicibus sic legitur: *Nam nos quum unam Æsopi tragœdiarum histrionis in natura avium diceremus sestertiis* DC. *stetisse, non dubito indignaturos legentes.* Nam in an-


TAB. I.
Fig 1
Fig 2
Fig. 3.
Fig. 4.

tiquo codice legimus non *sestertiis* DC. sed *sestertiis centum*. Et *lib.* X. ubi de Æsopi patina, non legendum, *sexcentis sestertiis taxata*, sed *sestertiis centum*. Qui loci Plinium corrupti in causa fuere, ut viri alioqui doctissimi ista non satis percepisse videantur: quibus non danda est venia: nihil enim peccarunt, qui divinare non potuerunt: sed habenda est gratia, quod nos incautos loci præcipitis admonuerint, & quasi digito commonstrarint, ne cum vulgo temere istac prætervecti collaberemur. Propter illam porro Vitellii patinam, Mutianus altero consulatu suo in conquestione exprobravit patinarum paludes, alludens opinor ad Pontinas paludes. A B

Cæterum a patina dicitur tripatinum, summa cœnarum lautitia, una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis: inclinatis jam scilicet moribus, ut tamen eos præferre Græciæ etiam philosophis possimus: siquidem in Aristotelis hæredum auctione, LXX. patinas vænisse traditur, authore Plinio.

Patella quoque vas escarium ad olera & pulmenta ponenda, quam Græci λεκανίδα vocant. Julius Pollux *lib.* VI. τὰς δὲ καλυμένας πατέλλας, λεκανίδας ὀνομαστέον. Sic enim legendum apud Pollucem. Quod autem in patellis olera ponerentur, vel Horatii versibus *Epistolarum* lib. I. epist. V. *ad Torquatum* probatur; C

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella.

Et Martialis *lib.* V. *epigr.* LXXIX.

Ponetur digitis tenendus ustis
Nigra coliculus virens patella.

Et Juvenalis *sat.* V.

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Quorum omnium testimoniis clarum est, credo, patellam, parvam esse patinam, quæ ab istis tum modica tum exigua dicitur. Julius Pollux recensens vasa escaria, τεύχη & σκεύματα vocat, quæ nos *vasa* & *vascula*: κύκλοι, quos *orbes* & *quadras* dicimus: πίνακες, quas *lances* vocat Jureconsultus. D

Quod autem πίνακες sint vasa escaria, ex Athenæo videre est in *lib.* IV. quum ait, καὶ γὰρ τοὺς πίνακας, ἐφ' ὧν τὰς τροφὰς προτίθενται, τοιούτους ἔχουσιν. *Patinas* & *patellas*, λεκάνας & λεκανίδας dicunt, nisi fallimur, ut notum ex proverbio, οὐδὲ λεκάνη δελφῖνα χωροίη, cujus meminit Plutarchus in *Lucullo*.

Ad calcem istius legis vel capitis, si lubet ita vocare, *Quemadmodum clavi aurei & purpuræ*.) Legendum *purpurei*, ex vetusti exemplaris fide. Sic enim & ipsi hunc locum citavimus in libello *De Re Vestiaria*. Clavi enim purpurei insuebantur vestibus, & maxime tunicis, ad eam fere partem qua pectus tegebatur. Horatius *sat.* VI. *lib.* I. E

Et latum demisit pectore clavum.

Non quod revera essent clavi, sed quod viderentur clavorum purpurea capita supereminentia in tunicæ superficie. Et ut huic nostræ conjecturæ fidem habeamus, facit quod apud Athenæum *lib.* XI. legimus, ubi interpretatur hos Homeri versiculos: F

Πὰρ δὲ δέπας περικαλλὲς, ὃ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιὸς,
Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον.

Ait enim, poetam dicere poculum illud, quam *Nestorida* vocat, fuisse aurei clavis suffixum: non quod in poculo clavi infixi fuerint, sed quod ἐξοχὴν ὀλίγην καὶ οἱονεὶ κεφαλίδας ἥλων ἀποτελοῦσα. πεπάρθαι δὲ λέγεται τοὺς ἥλους ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ, οὐχ ὅτι ἔξωθε πρόσκεινται καὶ πεπαρμένοι εἰσὶν, ἀλλ' ὅτι ἐμπεπαρμένοις ἐοίκασιν, ἔξω τε ὀλίγῳ προὔχουσι, μετέωροι τῆς ἄλλης ἐπιφανείας ὄντες. Nostri vascularii ejusmodi pocula *martellata* vocant.

In capite, *Etsi non sunt clavi, nec aurea emblemata, quæ in parapsidibus argenteis essent*.) Legendum censeo *paropsidibus*, quæ vasa sunt escaria in Juvenale *sat.* XI.

—— *quam multa magnaque paropside cœnat.*

Tranquillus in *Galba*: *Et ordinario quidem dispensatori breviarium rationum offerenti, paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse*. In vulgatis codicibus legitur *parapsis*, quum vocabulum Græcum sit: παροψὶς enim a Græcis non solum pro vili opsonio & jure, & etiam maza, sed pro escario; quod docet Julius Pollux, his verbis: Τὰς δὲ παροψίδας, ἡ μὲν πλείστη χρῆσις ἐλέγχει τοὔνομα ἐπὶ μάζης, ἢ ζωμοῦ τινος, ἢ ἐπὶ ἐδέσματος ἁπλοῦς, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ ἀγγεῖον λεκτέον. Et mox subdit: Ἐν δὲ τῇ Ἀντιφάνους Βοιωτίᾳ σαφέστατα ἐπὶ τοῦ ἀγγείου ἐστὶν εἰρημένον, Καλέσασα παρατίθησιν ἐν παροψίσι βολβούς. Athenæus quoque *lib.* IX. ad principium quærit apud quem authorem παροψὶς ponatur pro vase, ut de re minime trivali addubitans. Quod vero ἐπὶ παροψήματος ponatur, id est, pro opsonio, citat Aristophanem in *Dædalo*:

Πάσαις γυναιξὶν ἐξ ἑνός γε τοῦ τρόπου,
Ὥσπερ παροψὶς, μοιχὸς ἐσκευασμένος.

Ἐπὶ δὲ τοῦ σκεύους, citat eundem locum citatum a Julio Polluce, ex cujus collatione legendum duxi apud Pollucem, καλέσασα, non καλέσασθαι, ut passim legere est in vulgatis codicibus: & in altero Βοιωτίᾳ, non Βοιωτίῳ. Citat Alexim in *Hesione*:

Ὡς εἶδε τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο
Φέροντας εἴσω, ποικίλων παροψίδων
Κόσμου βρύουσαν, οὐκέτ' εἰς ἐμὲ βλέπων.

Argenteis autem addidit Jureconsultus, quandoquidem fiebant & fictiles: quod vel e Martialis versibus intelligere est, quum paropsidem rubram vocet *lib.* XI. *epigr.* XXXVIII.

Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem, sed quam protinus illa voret.

In eadem lege, *Vel sigilla argentea*.) Sigilla sunt parva signa: quæ sunt simulachra ad effigiem alicujus vel dei vel herois facta. Cicero in sexta *in Verrem*: *Nego ullam gemmam, aut margaritam, aut quicquam ex auro aut ex ebore factum, signum ullum æneum, marmoreum, eburneum: nego ullam picturam neque in tabulis neque textilibus fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit*. Et in *eadem*: *Patella grandis, cum sigillis ac simulachris deorum: patera*, &c. Et paulo post: *Apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia: iste continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne penatium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere. Sed tamen quod antea de istius abstinentia dixeram, sigillis avulsis reliquum argentum sine ulla avaritia reddidit*. Vides ut quæ prius dixerat *sigilla*, vocet *illud insigne penatium*. Et in *eadem*, ubi de simulachro Herculis Agrigentini: *Postea*, inquit, *convulsis repagulis effractisque valvis, demoliri signum ac vectibus labefactare conantur*. Ubi Tullius *signum* vocat Herculis simulachrum: & sic accipiendum est in *l. Titia*, ad finem, in eodem, quum ait: *Jubeoque signum dei ex libris centum in illa sacra æde & in patria statui*. Quo in loco recte pro simulachro intellexit Accursius, non ut Hug. nescio quis, qui ridicule satis, signum dei pro cruce interpretatur. Illis igitur Ciceronis verbis planum fit, ut opinor, signa & sigilla, simulachra vel deorum vel alicujus alterius rei esse. Quæ sigilla vasis & scyphis illigabantur cælatorum & vasculariorum artificio: qui scypi ob id dicuntur sigillati a Marco Tullio in ea-

dem oratione *in Verrem*: *Quum federem*, inquit, A *domi tristis, accurrit Venerius, jubet me scyphos sigillatos ad prætorem statim afferre*. Sigillatos dixit, hoc est, sigillis ornatos: Græci ἀγάλματα & ἀγαλμάτια dicunt, & εἴδη θεῶν, quæ nos *signa* & *sigilla* dicimus, nisi fallor.

Vasis aurei vel argentei sigillati & emblematis ornati formam, qualis apud Antiquos fuit, habes TAB. I. *fig.* 2.

Ornabantur etiam vasa emblematis, dictis ἀπὸ τοῦ ἐμβεβλῆσθαι, quod vasis adjicerentur & revellerentur quum libitum erat: de quibus dicere supersedeo, quando de his copiose tractavit G. Budæus in *Annotationibus*. Illigabantur & aureis crustis B vasa, & est apud Paulum in *leg. Pediculis*, infra eodem, in hæc verba: *Cymbia argentea crustis aureis illigata*. Quarum crustarum meminit Tullius in sexta *in Verrem*, his verbis: *Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant: quæ probarant, iis crustæ aut emblemata detrahebantur: sic Haluntini excussis deliciis, cum argento puro domum reverterunt*. Hactenus Tullius. Vasa pura dixit Jureconsultus non cælata in *l. Si in rem*, supra *De rei vendicat.* A crustis autem istiusmodi dicti crustarii, quorum artificio vasa crustis illigabantur. Plinius *lib.* XXXIII. *Habuit & Teucer crustarius famam*. Incrustare quoque dicimus. Horat. *Serm.* C *lib.* I. *sat.* III.

Sincerum cupimus vas incrustare.

Hujusmodi vero crustarum mentio apud Juvenalem *sat.* V.

—— ipse capaces
Heliadum crustas & inæquales beryllo
Virro tenet phialas.

Cæterum vasa aureis crustis illigata (quod & supra diximus) dicuntur a Martiale chrysendeta *lib.* VI. *epigr. ult.* D

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano,
Sive foris, seu quum cœnat in urbe domi.

Dicuntur & *lances chrysendetæ* ab eodem in *Apophoretis*, epigr. XCVII.

Vasis aureis crustis illigati ac cælati, sive chrysendetæ forma, TAB. I. *fig.* 3. ex antiquis monimentis.

In eadem, *Nec speculum parieti affixum.*) Quod intellige etiamsi argenteum fuerit. Fiebant enim specula ex argento, ut ait Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* IX. *Laminas duci & specula fieri non nisi ex optimo* E *posse creditum fuerat: id quoque jam fraude corrumpitur. Sed natura mira est imagines reddendi, quod repercusso aere atque in oculos regesto fieri convenit*. Fiebant quoque specula ex stanno laudatissima, & Brundusii temperabantur, donec argenteis uti cœpere & ancillæ, author Plin. *lib.* XXXIV.

In eadem *l.* §. *Argento facto, trullas & pelves*, &c.) Trua vas vinarium, sic dictum quod usu teratur: vel, ut alii putavere, a transvolando dicta, quod per eam aqua transvolet: tamen falluntur qui vas aquarium dixerunt: erat enim vas vinarium, ut ex Horatio intelligere est, his versibus, F lib. II. *Serm.* sat. III.

Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Et Juvenalis *sat.* III.

Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

Dicitur & trulleum, vas quo manus perluuntur, author Nonius. Quod vero sit vas vinarium, probatur ex Tullio in sexta *in Verrem*, ubi agit de trulla gemmea Antiochi regis, his verbis: *Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata cum manubrio aureo*. Quibus sane verbis luce clarius patet, eos nihil vidisse qui eam vas tantum aquarium confirmarint. Plinius quoque author est *lib.* XXXVII. Titum Petronium consularem moriturum invidia Neronis Principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam nescio quot sestertiorum millibus emptam fregisse. Et mox subdit idem Plinius: *Sed vero, ut par erat Principem, vicit omnes, quadringentis sestertiorum millibus capedinem unam parando*. Capedinem posuit pro vase vinario, quæ dicta videtur a capiendo, ut & capis & calpar. Hujus autem capedinis meminisse videtur Plutarchus in libello *De cohibenda iracundia*, quo loco corrupta sunt exemplaria. Supradictorum autem vasculorum mentio est apud Nonium, quem vide: neque enim hoc tempore sententia est, omnia vasorum genera persequi: sed in aliud tempus, quo liberiore otio perfruemur, ista rejicimus: tantum Lectorem admonitum volo, ut discat ex Ciceronis verbis & Jureconsulti, scriptis ad finem istius capitis, Antiquos gemmeis vasis usos: ut regum nostrorum luxus cum Antiquorum elegantia & lautitia comparatus, summa parsimonia, ne dicam frugalitas, esse videatur.

Sed ad reliqua hujusce tractatus vocabula explananda properemus. *Pelves.*) Nonnulli pelvim a pelluendo dictam affirmant: alii a pedum lotione; inde pelluvium, vas in quo pedes lavantur: sic & malluvium vas in quo manus lavantur. Varro *de lingua Latina*: *Pelvis quasi pede lavis, a pedum lavatione*. Ego vero me memini legisse apud Julium Pollucem *lib.* X. ubi tractat de vasis in quibus abluuntur pedes, πέλυν dici a tragœdis τὴν λεκάνην. Οἱ δὲ Αἰολεῖς, inquit, vocant πέλυκα μάλιστα τὴν ξυλίνην: nos vulgo *gede* dicimus. Sic & *raniot* vas in quo pocula lavantur, quod Græci ὀλκαῖον & λουτήριον eodem authore vocant. Vide igitur, Lector optime, ne pelvis Græcum sit, aut certe a Græca origine deductum: quia Græci dicunt & πέλυν & πέλυκα, nos *pelvim*.

Repositoria quoque continebuntur.) Repositoria a reponendo dicta videntur, in quibus reponebantur mensæ: quæ fortasse inde *trapezophora* dicuntur. Reponere enim collocare est. Tullius in sexta *in Verrem*: *Erant ænea præterea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant: Canephoræ ipsæ vocabantur*. Reposita dixit, hoc est, ut ego interpretor, collocata: & inde repositoria dicta, quibus vel mensæ vel opsonia collocarentur. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* XI. *Jam vero & mensas repositoriis imponimus, & ad sustinenda opsonia interradimus latera*, mensarum intellige. Et subdit: *Cornelius Nepos tradit ante Syllæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuisse argentea. Repositoriis argentum addi sua memoria cœptum Fenestella dicit, qui obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu: sed & testudinea tum in usum venisse. Ante se autem paulo, lignea rotunda solida, nec multo majora quam mensas fuisse. Se quidem puero, quadrata & compacta, aut acere operta aut cedro cœpisse. Mox additum argentum in angulos lineasque per commissuras*. Quum vero Plinius *solida* dicat repositoria, damnantur inscitiæ ii, qui pro loculis & reconditoriis interpretati sunt: quos in præsentia nominare non est necesse. Illud vero in præsenti non omiserim, θύβλην dici ab Athenæo *l.* IV. repositorium in quo lux cum opsonio reponeretur. Verba autem apud Athenæum hæc sunt: Πίναξ δίπηχύς που τὴν διάμετρον, ἐν θύβλῃ κατακείμενος ἀργυρᾷ, πλήρης ἰσχύων ὀπτῶν παντο- [illegible]

γένη συνηθροισμένων. Hoc est, *Lanx dimetientis magnitudine bicubitalis in repositorio collocata argenteo, piscium assatorum referta ex omni genere congregatorum*. Id genus repositoria vulgo *chapeletz* vocamus, eisque utimur ad sustinendas lances & discos. Plinius *lib.* XVIII. ad finem: *Necnon & in conviviis mensisque nostris, vasa quibus esculentum additur, sudorem repositoriis relinquentia, diras tempestates prænuntiant*. Idem *lib.* XXVIII. *c.* II. *Recedente aliquo ab epulis, simul verri solum: aut bibente conviva, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur*.

In l. *Etsi non sunt clavi*. §. *Argento facto*. *Et ideo scutellas vel promulsidiaria contineri*.) Vasa promulsidiaria dicuntur ea quibus promulsidem apponebant. Est autem promulsis quod vice mulsi dabatur convivis ad provocandam aviditatem cibi. Hujusmodi fortassis erant artolagani, oleæ, & lucanica. Mulsum enim ex vetere vino factum non implet stomachum, sed appetentiam revocat, & aviditatem cibi, ut docet Plinius *libro* XXII. ubi de natura mellis. Sic enim promulsidem dici puto, ut proconsulem & proprætorem dicimus. Proarietem quoque dixit Cæsar in quarto *Commentariorum*, pro eo instrumento quo vice arietis utimur, ad adigendam materiam, his verbis: *Et ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, quæ proariete subactæ, & communi opere conjunctæ, vim fluminis exciperent*. Quo loco *obliquæ* substantive positum credo. M. Tullius ad Papirium Pætum: *At quem virum? non eum quem tu solitus es promulside conficere*. Et paulo post subdit: *Dediscendæ tibi sunt sportellæ, & artolagani tui*. Artolagani confectionem docet Athenæus *lib.* III. his verbis; Εἰς δὲ τὸ καλούμενον ἀρτολάγανον ἐμβάλλεται οἰνάριον ὀλίγον καὶ πέπερι, γάλα τε καὶ ἔλαιον ὀλίγον ἢ στέαρ. Est autem panis genus quod & vulgo nomen retinet. M. Tullius ad eundem Papirum Pætum, oleas & lucanica promulsidis loco numerasse videtur, in hæc verba: *Neque est quod in promulside spei ponas aliquid, quam totam sustuli: solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis*. Hactenus Tullius. Mulsum autem an sit id quod Græci οἰνόμελι dicunt, dubitari potest, propterea quod JC. Ulpianus in *l. Si quis vinum legaverit, supra De tritico, vino, vel oleo legato*, aliud mulsum esse, aliud œnomeli posuisse videatur, quum ait: *Sed si mulsum sit factum, vini appellatione non continebitur proprie*. Subdit enim, *Oenomeli plane*, id est, dulcissimum vinum, *continebitur*. Idem etiam Ulpianus in *l. Idem Pomponius* scribit, *supra D. rei vendicatione*, asseverare videtur, mulsum esse speciem diversam a vino, quum ait: *Idem scribit si ex melle meo & ex vino tuo factum sit mulsum, quosdam existimasse id quoque communicari. Sed puto verius, ut & ipse significat, ejus potius esse qui fecit: quoniam speciem pristinam non retinet*. Quod & Justiniano probari videtur, in §. *Quum ex aliena, De rerum divisione*. Quin & Plinius *l.* XXII. ubi de natura mellis, mulsum pro cibi genere videtur posuisse, quum ait: *Multi senectam longam mulsi tantum nutricatu toleravere*. Subdit enim: *Neque ullo alio cibo, celebri Pollionis Romuli exemplo: quem centesimum annum excedentem, quum divus Augustus hospes interrogaret, quanam ratione maxime vigorem illum animi corporisque custodisset: ille respondit, Intus mulso, foris oleo*. Proculus quoque in *l. Qui vinum Surrentinum*. §. *Cui dulcia*, annumerat mulsum, uvas, ficus & palmas, itemque passum & defrutum, inter ea quæ dulcium legato cedunt, ac potius condituræ loco sunt, quam vini. Hujus sententiæ Paulus etiam fuisse videtur in libro *Responsorum & sententiarum receptarum*. Οἰνόμελι, authore Dioscoride, σκευάζεται πρὸς δύο μετρητὰς οἴνου αὐστηροῦ ἐκ παλαιοῦ ὡς τὸ πολὺ, ἑνὸς μετρητοῦ μέλιτος μιγνυμένου. Et differt a melitite, quod fit e musto, cum quinque congiis austeri musti, & mellis congio, & salis cyatho. Plinius de vinis factitiis, quæ sumpsisse videtur ex Dioscoride περὶ μελιτίτου οἴνου fere ad verbum. Quibus verbis planum fit οἰνόμελι dici mulsum a Plinio: quum ait, *Distat a mulso*, quod dicit Dioscorides, διαφέρει δὲ τοῦ οἰνομέλιτος. Quod si verum est, malim suspicari locum mendosum apud Ulpianum, quam virum doctissimum simul & ὀνοματοθήραν, ut inquit Athenæus *lib.* III. ignorationis coarguere.

In eadem. §. *Interdicti, ad finem, Certe si caccabos argenteos*.) Hisce Jureconsulti verbis probatur, caccabos & sartaginem esse vasa culinaria. Caccabus autem Græcum est. Athenæus *lib.* IV. ex Antiphanis *Parasito*;

Εἶτ' οὐκ ἂν εἴποις ὕπαγε, κάκκαβον λέγω.
Σὺ δ' ἴσως ἂν εἴποις λοπάδ'. ἐμοὶ δὲ τοὔνομα
Οἴει διαφέρειν, εἴτε κάκκαβόν τινες
Χαίροντες ὀνομάζουσιν, εἴτε σίττυβον.
Πλὴν ὅτι λέγεις ἀγγεῖον οἶδα.

Caccabos & patinas inter culinaria vasa adscribit Paulus in *l. Quum de lanionis, supra De fundo instructo*. Sunt & alia ejus generis vasa apud Latinos, aula sive olla, ad pultem & olera coquenda: quod vel proverbio manifestum fit, celebrato Catullo, *Ipsa olera olla legit*: tum etiam ex Juvenalis versiculo *sat.* XIV.

—— *& grandes fumabant pultibus ollæ*.

Annumerantur & ista, lebes, ahenum, tripus, patella, frixorium, craticula, mortarium, & pistillum. Vasa etiam coquinaria apud Julium Pollucem hæc didicimus, χύτρας, χυτρίδια, χυτρίδας, λοπάδας, λοπάδια, ἐχίνους, ἐχινίσκους, χαλκία, χαλκίδια, ἐσχάρας, ἐσχαρίδας, λέβητας, λεβήτια, λεβητάρια, καὶ ὀβελοὺς, καὶ ὀβελίσκους. Quæ verucula dicere possumus ex Plinio *l.* XXXIII. his verbis: *Ex eo sublata veruculis ferreis, atque in ipsa flamma convolvitur veruculo, ut sit modici ponderis*. Ubi Plinius *veruculum* dixit, ut Græci ὀβελίσκον. λοπάδα vero & λοπάδιον *sartaginem* dicimus, ut opinor: nos vulgo Galli *la poele*, ut vocabuli Græci non leviter pressa vestigia retinere videamur: usque adeo Galli sunt φιλέλληνες. Illam vero quam *chauferettam* dicimus, Julius Pollux (quem potissimum in his sequimur authorem) πύραυνον dicit & πυρφόρον: apud nos dicta videtur ἀπὸ τοῦ καῦμα φέρειν, *chauferette*. Sed de his satis. Ridebunt enim, ut video, istum meum Gallicarum dictionum ἑλληνισμὸν Germani simul & Itali: sed rideant, modo valeamus.

Cæterum quod hic miliarii Jureconsultus meminerit, torquere potuit vel mediocriter doctos, non solum Accursio tenebras offundere: cujus interpretationem non sine risu fateor me legisse. Sed illi viro ut temporibus illis non imperito juris ac legum, illorum temporum infœlicitas obfuit, quibus omnia barbaries Gotthica occuparat. Miliarium igitur vas erat ad parandam aquam calidam, quam & *caldam* vocat Martialis, *lib.* VIII. *epigr.* LXVII.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.

Quod vero hic miliarium vocat Pomponius, Paulus in *l. Quum de lanionis*, *æneum* appellat, *quod supra focum pendet, in quo aqua ad potandum calefit*. Quo in loco puto legendum *ahenum*, ex Horatii *Epistolarum* lib. II. epist. II.

—— *empti*
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.

Quod autem sit vas ad parandum aquæ caldæ potum, docet Athen. *l.* III. his verbis: Τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ Ῥωμαίων, τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατασκευαζόμενον. Quod vas nonnulli Græcorum

verborum artifices ἰπνολεβήτιον appellarunt, authore Julio Polluce *lib.* x. ubi tractat de his vaſis in quibus calefit aqua, ſic ait: Ινα μὲν τὸ ὕδωρ θερμαίνεται, θερμαντῆρες, θερμαυστὶς, θερμαστὶς, χαλκία, θερμαντήρια, ἐσχαρίδες, λέβητες, λεβητάρια, ἰπνολεβήτια. Nos hoc ultimum *miliaria* vertere poſſumus, ut opinor. Miliarii etiam mentio eſt in Επιγραμμάτων lib. II. cap. XXXV. epigr. I. cujus extat haud inconditum epigramma: ipſi Latinum fecimus, incondite fortaſſe, ſed tamen ut poſſit intelligi:

Ex ære emiſti miliarion Heliodore,
Qui perflat Thracas, frigidius Borea.
Ne ſuffles ignes, tu fumum ſtulte laceſſis:
Tempus in æſtivum baucalin hanc habeas.

Ηγόρασας χαλκοῦν μιλιάριον Ηλιόδωρε,
Τοῦ περὶ τὴν Θρᾴκην ψυχρότερον Βορέου.
Μὴ φύσα, μὴ κάμνε, μάτην τὸν καπνὸν ἐγείρεις,
Εἰς τὸ θέρος χαλκῆν βαύκαλιν ἠγόρασας.

Miliarii etiamnum meminit Palladius.

In eadem ∬. *Perveniamus ad gemmas. Cedant igitur gemmæ phialis vel lancibus, incluſæ auro argentove.*) Phiala eſt quam Græci φιάλην vocant: dictam putant quaſi πιάλην, κατ' ἀντιστοιχείαν, ut ſit ἡ τὸ πιεῖν ἅλις παρέχουσα. μείζων γὰρ τοῦ ποτηρίου. Apud Athenæum legimus & phialium, φιάλιον χρυσοῦν *lib.* VI. his verbis: Διὸ καὶ Φίλιππον τὸν τοῦ μεγάλου βασιλέως Αλεξάνδρου πατέρα φησὶ Δοῦρις ὁ Σάμιος φιάλιον χρυσῆν κεκτημένον, ἀεὶ τοῦτ' ἔχειν κείμενον ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον. Hoc eſt, *Quocirca Philippum quoque illum, qui regem magnum Alexandrum progenuit, refert Duris Samius, quum auream phialam haberet, ſemper illam ſub pulvino tenuiſſe repoſitam.* Quam tamen ipſam phialam Plinius *libro* XXXIII. poculum aureum vocat: verba ipſa Plinii adſcribam, ut obiter locus ille mendoſus emaculetur: *Summæ apud exteros licentiæ fuerat, poculo aureo, pulvino ſubdito, Philippum regem dormire ſolitum: Agonem Tejum Alexandi Magni præfectum aureis clavis ſuffigere crepidas.* Sic enim legendum apud Plinium, non *Agonentium*, ut in quibuſdam, & in aliis *Agonem Tejum.* Quod vel doctiſſimi Plutarchi authoritate confirmari poteſt, quum ait in *Alexandri M. Vita*, ὥστε Αγνωνα τὸν Τήϊον ἀργυροῦς ἐν ταῖς κρηπῖσιν ἥλους φορεῖν. Quo in loco advertendum eſt, Plutarchum dixiſſe clavos illos fuiſſe argenteos, quum Plinius dicat eos aureos: & ſententiæ Plinii adſtipulatur Athenæus *l.* XII. his verbis, ὧν εἷς ὢν καὶ Αγνων χρυσοῦς ἥλους ἐν ταῖς κρηπῖσι καὶ τοῖς ὑποδήμασιν ἐφόρει. *Quorum unus Agnon quum eſſet, aureos clavos in ſoleis & calceamentis geſtabat.* Vides ut *aureos clavos* dicat χρυσοῦς ἥλους, quos Plutarchus dixit ἀργυροῦς, *argenteos*. Quocirca vel diverſos a Plinio & Athenæo authores ſecutus eſt Plutarchus, vel etiam, quod doctiſſimis viris interdum conceditur, μνημονικὸν ἁμάρτημα fuit, quod ἀργυροῦς conſcriſerit pro χρυσοῦς. Utcunque ſit, cette conſtat inter ipſos authoees illum Alexandri Magni præfectum, Agnonem fuiſſe appellatum, patria Tejum: ut nihil amplius de Plinii lectione dubitari poſſit. Illud quoque adjiciam ex Plutarcho in *Artoxerxe*: Καθ' ὁδὸν αὐτουργὸς ἄνθρωπος οὐδὲν ἐπὶ καιροῦ φθάσας εὑρεῖν, τῷ ποταμῷ προσέφερε, καὶ ταῖν χεροῖν ὑπολαβὼν τοῦ ὕδατος προσήνεγκεν, ἡσθεὶς ὁ Αρταξέρξης φιάλην ἔπεμψεν αὐτῷ χρυσῆν καὶ χιλίους Δαρεικούς. Idem Plutarchus Alexandri Magni liberalitatem demonſtrat in *ipſius Vita*, his verbis: Alexander κοινὸν τῶν προγεγαμηκότων Μακεδόνων γάμον ἑστιάσας, ἐν ᾧ φασὶν ἐννεακισχιλίων τῶν παρακεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὄντων ἑκάστῳ χρυσῆν φιάλην πρὸς τὰς σπονδὰς δοθῆναι.

In eadem, *In margaritis.*) Margarita a Græcis ὁ μαργαρίτης dicitur. Theophraſtus apud Athen. *l.* III. τῶν θαυμαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος, διαφανὴς μὲν τῇ φύσει. *Eorum lapillorum qui in admiratione habentur, eſt & margarita dicta, natura quidem pellucida.* Cætera quoque ad margaritarum originem ſpectantia perſequitur Athenæus, diverſis authoribus citandis: quam melius noſcere eſt ex Plin. *l.* IX. Cujus verba adſcribam, ſimul ut intelligantur ea quæ ſcripta ſunt a Jureconſulto in *l. Pediculis*, ad finem, infra eodem, ubi de elenchis, cylindris & tympanis, vocabulis Accurſio incognitis, agitur: ſimul vero etiam, ut interim nonnulli Plinii loci a nobis illo capite veræ ac germanæ lectioni reſtituantur; ea ſunt c. XXXV. *Principium ergo columenque omnium rerum pretii, margaritæ tenent: Indicus maxime has mittit oceanus inter illas belluas tales tantaſque quas diximus, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, e tantis ſolis ardoribus, atque Indicis quoque inſulis petuntur, & admodum paucas. Fertiliſſima eſt Taprobane & Toidis, ut diximus in circuitu mundi: item Perimula promontorium Indiæ. Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Perſico ſinu maris rubri. Origo autem atque genitura conchæ eſt haud multum oſtrearum conchis differens. Has ubi genitalis anni ſtimularit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu tradunt: gravidas poſtea eniti, partumque concharum eſſe margaritas pro qualitate roris accepti: ſi purus influxerit, candorem conſpici; ſi vero turbidus, & fœtum ſordeſcere: eundem pallere, cœlo minante conceptum: ex eo quippe conſtare, cœlique eis majorem ſocietatem eſſe quam maris: inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum. Si tempeſtive ſatientur, grandeſcere & partus. Si fulguret, comprimi conchas, ac pro jejunii modo minui. Si vero & tonuerit, pavidas ac repente compreſſas, quæ vocant phyſemata, efficere, ſpeciem modo inani inflatam ſine corpore: hos eſſe concharum abortus. Sani quidem partus multiplici conſtant cute, non improprie callum ut exiſtimari corporis poſſit: itaque & purgantur a peritis. Miror ipſo tantum eas cœlo gaudere, ſole rufeſcere, candoremque perdere ut corpus humanum. Quare præcipuum cuſtodiunt; pelago altius merſæ quam ut penetrent radii. Flaveſcunt tamen & illæ ſenecta rugiſque torpeſcunt; nec niſi juventa conſtat ille qui quæritur vigor. Craſſeſcunt etiam in ſenecta, conchiſque adhæreſcunt, nec iis avelli queunt niſi lima: quibus una tantum eſt facies, & ab ea rotunditas, averſis planities: ob id tympana nominantur. Cohærentes videmus in conchis hac dote unguenta circunferentibus. Cæterum in aqua mollis unio, exemptus protinus dureſcit. Concha ipſa quum manum videt comprimit ſeſe, operitque opes ſuas, gnara propter illas ſe peti: manumque ſi præveniat, acie ſua abſcindit, nulla juſtiore pœna, & aliis munita ſuppliciis; quippe inter ſcopulos pars major invenitur: ſed in alto quoque comitantur marinis canibus; nec tamen aures fœminarum arcentur. Quidam tradunt, ſicut apibus, ita concharum examinibus ſingulas magnitudine & vetuſtate præcipuas eſſe veluti duces, miræ ad cavendum ſolertiæ: has urinantium cura peti, illis captis, facile cæteras palantes retibus includi: multo deinde obrutas ſale in vaſis fictilibus, eroſa carne omni, nucleos quoſdam corporum, hoc eſt, uniones, decidere in ima. Uſu atteri non dubium eſt, coloremque indiligentia mutari. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiſcreti: unde nomen unionum Romanæ ſcilicet impoſuere deliciæ. Nam id apud Græcos non eſt, ne apud barbaros quidem inventores ejus aliud quam margaritæ. Eſt in candore ipſo magna differentia. Clarior in rubro mari repertus. Indicus ſpecularium lapidum ſquamas aſſimulat, alias*

magnitudine præcellens. Summa laus coloris est exaluminatos vocari. Et procerioribus sua gratia est. Elenchos appellant fastigiata longitudine, alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes. Hactenus Plinius. Nostri *poyrettem* vocant. Et elenchorum meminit Jureconsultus in *l. Pediculis. §. finali*, hoc tractatu. Quum autem ait Plinius: *Et procerioribus sua gratia est*: de illis fortasse sentire videtur, quos cylindros Paulus vocat in *l. Pediculis* ad finem, in eodem: siquidem cylindri lapilli sunt teretes & oblongi atque volubiles, instar ejus columnæ qua utimur æquandis areis. Qui cylindri fiebant & ex aliis lapillis. Plinius *l.* XXXVII. ubi de beryllis: *Indi mire gaudent longitudine eorum*. Et mox subdit: *Ideo cylindros ex iis facere malunt quam gemmas; quoniam est summa commendatio in longitudine.* Hactenus Plinius. Quibus Plinii verbis intelligere est, cylindros & elenchos in eo differre, quod elenchi sint fastigiatæ longitudinis: cylindri vero proceritatis æqualiter orbiculatæ. Quod si verum est, noster Sipontinus ista non satis percepisse videtur. Cylindrorum meminit & Juvenalis *sat.* II.

Tu nube, atque tace; donant arcana cylindros.

Cylindros, hoc est, lapillos teretes & oblongos. Habes etiam ex supra scriptis Plinii verbis de tympanis, quorum meminit Paulus in *l. Pediculis*. Cæterum quod Plinius dicit fieri concharum abortus, si tonuerit, efficereque ea quæ physemata appellant, contra sentit Athenæus *l.* III. his verbis: *Φασὶ δ' ὅταν βρονταὶ συνεχεῖς ὦσι ϗ ὄμβρων ἐκχύσεις, τότε μᾶλλον τὴν πίνναν κύειν, ϗ πλείστην γίνεσθαι μαργαρῖτιν ϗ εὐμεγέθη, Ajunt autem siquando tonitrua continua fuerint pluviarumque effusiones, tunc maxime conchas concipere gravidasque fieri, & eo ipso tempore multas atque adeo permagnas fieri margaritas*. Quo loco videntur duo isti, Plinius & Athenæus, diversos authores sequuti,

In eadem, *Quia concha apud rubrum mare & crescit & coalescit.*) Concham pro quadam specie margaritarum accipit Accursius. Nos vero cum Plinio dicimus margaritas in concha nasci, quarum clariores inveniuntur in rubro mari, eodem Plinio authore.

In eadem, *§. Murrhina autem vasa.*) Oriens murrhina mittit: inveniuntur enim ibi in pluribus locis nec insignibus, Parthici regni, præcipua tamen in Carmania: humorem putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam parvos excedunt abacos, crassitudine rara, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorque verius quam splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremque, & tertium ex utroque ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente. Quas maculas videre est in illo pisce qui muræna dicitur, ut nos vir illustrissimus simul & doctissimus docuit Janus Lascaris, quem qui digne laudare volet, omnes omnium qui sunt, quique fuere, laudes colligat, & in eum congerat: sic tamen ut fateatur illius ipsius virtutes verbis assequi non potuisse. Aliqua & in odore commendatio est, author Plinius. Primus Pompejus Magnus, Mithridate victo, sex pocula murrhina Jovi Capitolino dicavit, si Plinio credimus. Augustus ex Alexandria capta nihil sibi præter unum myrrhinum calicem ex instrumento regio retinuit, author Tranquillus. Sunt & crystallina, quorum meminit Jureconsultus in *l. tertia De suppellectili legata*. Crystallum fieri ajunt gelu vehementiore concreto: argumento esse, non aliubi reperiri, quam ubi hyberni nives maxime rigent: glaciemque esse, unde nomen Græci dederunt. Ex crystallo vas amphorale visum est, authore Xenocrate. Plinius etiam author est asyntheta vocari vasa crystallina, pura, sine ulla macula & vitio: vitia enim artifices cælatura occultant. Crystallinorum simul & myrrhinorum meminit Juvenalis *sat.* VI. quo loco pro vasis potoriis posuisse videtur:

Grandia ponuntur crystallina, maxima rursus
Myrrhina, deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior.

Martialis *lib.* III. *epigr.* LXXXII. utrorumque meminit, his verbis:

Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque myrrhinisque propinat.


Idem *lib.* X. *epigr.* XIII. crystalla pro crystallina dixit:

Candida Setini rumpant crystalla trientes.

Quo loco Martialis trientem posuit non pro vase, ut quidam putavere, sed pro vini modo & mensura in calice positi. Trientem enim dixit pro quatuor vini cyathis. Sic & sextantem pro duobus, & deuncem pro undecim cyathis posuit in illo versiculo *lib.* XII. *epigr.* XXVIII.

Poto ego sextantes, tu potas, Cinna, deunces.

Sic & quincuncem pro quinque. Nos hodie ad Antiquorum morem vinum miscemus in calicibus vitreis, non ad cyathorum numerum, sed ad quatuor vel quinque digitorum crassitudinem: quorum pollex pedis justi mensura est, ut minimum quantum a majorum observatione deflexisse videamur. Decussem etiamnum dicebant Romani, non solum pro decem assibus, sed etiam pro numero denario, ut ex Vitruvio intelligere est: a qua decusse *decussare* dixere, rem aliquam dividere in eam notam, quæ decem apud Latinos significat: ea autem est fere similis illi, quæ apud Græcos χ dicitur. Quod ut verum esse credam, facit quod a nobis studiose observatum est ex Platonis & Ciceronis collatione. Plato enim in *Timæo* sic ait: *Ταύτην οὖν τὴν ξύστασιν πᾶσαν, διπλῆν κατὰ μῆκος σχίσας, μέσην πρὸς μέσην ἑκατέραν ἀλλήλαις, οἷον χ προσβαλὼν, κατέκαμψεν εἰς κύκλον*. Quæ fere ad verbum ita vertit Marcus Tullius in libello *de Universitate*, si tamen est germanus Ciceronis; sunt enim viri doctissimi qui addubitent. Ille porro quisquis est qui libellum *de Universitate* conscripsit, ita ex Platone vertit: *Hanc igitur omnem conjunctionem duplicem in longitudinem diffidit, mediæque accommodans mediam quasi decussavit.* Quo sane loco author ille, quicunque fuit is, *decussavit* dixit, hoc est, in figuram X composuit, quæ figura apud Latinos decem significat. Cujus figuræ dimidiata pars V quinarium atque adeo quincuncem notat: quod nonnulli pro instrumento fabrorum positum asseverant, quam vulgo *schierram* Galli vocant, ut nos admonuit Victor Faustus quinqueremis instaurator. Et sic quoque videtur intelligendus Plinii locus *libro* XVIII. *c.* XXXIV. ubi de limitatione agrorum, his verbis: *Diximus ut in media linea designaretur umbilicus. Per hunc medium transversa currat alia: hæc erit ab exortu æquinoctiali ad occasum æquinoctialem. Et limes, qui ita secabit agrum, decumanus vocabitur. Ducantur deinde aliæ duæ lineæ in decusses obliquæ, ita ut a Septentrionis dextra lævaque ad Austri dextram lævamque descendant. Omnes per eundem currant umbilicum.* Et ut ponatur aliquid quod pateat latius, sit linea A, in medio cujus sit umbilicus B, per quem ducatur linea C transversa ad rectos angulos in crucis figu-



ram, quæ linea vocetur decumanus: deinde a dextera lævaque ducantur duæ lineæ D, E in figuram crucis Burgundiæ: quæ a Plinio dicuntur decuſſes obliquæ, propterea quod eam formam obtineant quæ decem ſignat, ut liquet iſta figura X. Quod ſi quis ex illa figura X. quæ decem notat, mediam partem tollat, manebit iſta figura V. quæ quinarium numerum atque adeo quincuncem demonſtrat.

Et niſi fallor, arborum ordines dicuntur in quincuncem digeſti, quando ſecundi ordinis arbores ad primas paribus intervallis ſic diſponuntur, ut figuram quincuncialem ſervare ad invicem videantur.

Sit ergo primus arborum ordo A B C D: in ſecundo ordine ſic arbores collocandæ ſunt, ut E F G eodem intervallo diſtent a proximis quibuſque. Verbi cauſa, E eodem intervallo diſtet ab A & B, quo diſtant inter ſe. Quod fieri non poteſt, niſi æqualium laterum trianguli ſervata ratione, quod & in cunctis ordinibus ſervandum eſt: & ſi quis diligenter inſpiciat figuram quincuncialem, ubique videbit: quod fieri nequit, niſi obliqui ſint ordines: directe tamen current. Cæſar *Commentariorum* l. VII. *Ante hos obliquis ordinibus in quincuncem diſpoſitis, ſcrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur*.

Quare falli videntur qui id directis ordinibus fieri putarint. Quintilianus *l.* VIII. *c.* III. *Quid enim illo quincunce ſpecioſius, quid, in quamcunque partem ſpectaveris, rectius? ſed protinus in id quoque prodeſt, ut terra ſuccum æqualem trahat*. Virgilius lib. II. *Georgicorum*:

Non animum modo uti paſcat proſpectus inanem,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, nec in vacuum poterunt ſe extendere rami.

Fiebant & deltaria cryſtallina & onychina, ex cryſtallo & eo lapide qui onyx dicitur. Quo in genere epiſtolæ amatoriæ conſcribebantur a Cleopatra Ægypti regina ad Antonium Imperatorem, ut aſſeverat Plutarchus in *Antonio*, his verbis: *Δικάζοντα δὲ πολλάκις τετράρχαις καὶ βασιλεῦσιν ἐπὶ βήματος, δελτάρια τῶν ἐρωτικῶν ὀνύχινα καὶ κρυστάλλινα δέχεσθαι παρ᾽ αὐτῆς, καὶ ἀναγινώσκειν.*

In *l. In argento, veluti columna & urceoli.*) Quid, malum, ſit columnarium, neſcire me fateor: neque vero pro vaſe memini me alicubi legiſſe: quin ſuſpicor mendum eſſe, legendumque *colum nivarium*, ex Martiale in *Apophoretis*, in illo diſticho, cui lemma CIII. *Colum nivarium*:

Setinos moneo noſtra nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Colum igitur nivarium, vas erat quo aqua ex nivibus colari ſolebat. Nos hodie colo utimur ad lac colandum: & eſt vas ligneum quod fundum linteum habet ei annexum, & *coulouoir* vulgo dicitur. Utebantur autem Romani & ſacco nivario, quo liquidius merum potarent, & erat lineus. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* CIV.

Attenuare nives norunt & lintea noſtra:
Frigidior colo non ſalit unda tuo.

Idem Martialis *lib.* XII. *epigr.* LXI.

—— & ut liquidum potet Alauda merum,
Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba ſacco,
Atque inter menſas ire redire ſuas.

Plinius *libro* XXIV. *Nitroſæ aut amaræ aquæ polenta addita mitigantur, ut intra duas horas bibi poſſint. Qua de cauſa & in ſaccos vinarios additur polenta.* A ſacco ſacculus, numorum repoſitorium. Ulpianus in *l. Sed etſi quid, ſupra De uſufructu*; *Si vero ſimul in ſacculo ſolvit, nihil fecit accipientis.* Juvenalis *ſat.* XIV.

Interea pleno quum turget ſacculus ore.

Et Catullus *epigr.* XIII.

Plenus ſacculus eſt aranearum.

A ſacculo ſaccularii dicti, quorum mentio apud Jureconſultos in tractatu *De extraordinariis criminibus*. Quo ſane vocabulo quidam ſignificari cenſuere eos, qui a Græcis *βαλαντιοτόμοι* dicuntur: id haud ſcio quam recte: homines utique ſic dicti, qui e ſacculo partem ſubducebant, & partem auferebant, quantum ex contextu verborum Jureconſulti deprehendere potuimus. Quid ſi ii notantur, qui mirifica digitorum agilitate atque adeo dexteritate quadam oculos ſpectantium perſtringunt, quos *gobeletarios* dicimus? Et fortaſſe ſunt ii, quos Græci *βαλαντιοκλέπτας* dicunt. Quod autem aqua ex nive Antiqui uterentur, vel Martialis diſticho probari poteſt, *lib.* XIV. *epigr.* CXVII.

Non potare nivem, ſed aquam potare rigentem,
De nive commenta eſt ingenioſa ſitis.

Quam *aquam* ob id *niveam* vocat idem Martialis *lib.* XII. *epigr.* XVII.

Nec niſi poſt niveam Cæcuba potat aquam.

Athenæus quoque *lib.* III. citat verſus Alexis *ἐν Μανδραγοριζομένῃ*, qui quoniam viſi ſunt lepidiſſimi, mihi temperare non potui quin adſcriberem:

Εἶτ᾽ οὐ περίεργόν ἐστιν ἄνθρωπος φυτὸν,
Ὑπεναντιωτάτοις τε πλείστοις χρώμενον·
Ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παρορῶμεν συγγενεῖς,
Ἔχοντες οὐδὲν, εὐποροῦμεν τοῖς πέλας.
Ἐράνους φέροντες, οὐ φέρομεν ἀλλ᾽ ἢ κακῶς.
Κἀκ τῆς τροφῆς δὲ ταῖς καθ᾽ ἡμέραν πάλιν
Γλιχόμεθα τῆς μάζαν, ἵνα λευκὴ παρῇ,
Ζωμὸν δὲ ταύτῃ μέλανα μηχανώμεθα.
Τὸ καλὸν δὲ χρῶμα δευσοποιῷ χρώζομεν.
Καὶ χιόνα μὲν πίνειν παρασκευάζομεν,
Τὸ δ᾽ ὄλον ἐὰν μὴ θερμὸν ᾖ, διασύρομεν.
Καὶ τὸν μὲν ὀξίνην οἶνον ἐκπιτίζομεν,
Ἐπὶ ταῖς ἀβυρτάκαισι δ᾽ ἐκβακχεύομεν.
Οὐκοῦν τὸ πολλοῖς τῶν σοφῶν εἰρημένον,
Τὸ μὴ γενέσθαι μὲν κράτιστον ἐστ᾽ ἀεὶ,
Ἐπὰν γένηται δ᾽, ὡς τάχιστ᾽ ἔχειν τέλος.

Urceoli.) Urceus, cujus diminutivum urceolus, vas aquarium, ut tamen urceus eſſet vas ad frigidam, urceoli ad caldam. Inde *nrceoli miniſtratorii* apud Martialem *lib.* XIV. *epig.* CV.


Frigida non deſit, non deerit calda petenti:
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.


Urceoli miniſtratorii forma TAB. I. *fig.* IV. ex antiquis marmoribus deſumpta.

Urcei figura TAB. II. *fig.* I. quo aqua in æneum infundebatur.

Urcei meminit Jureconſultus in *l. Quum de lanionis*, ſæpe citata, his verbis: *Urcei quoque, quibus aqua in æneum infunditur, in idem genus rediguntur*. Erat & nimbus vitreus, cujus mentio multa apud Martialem, quem vide, ſi animus eſt tibi iſta pernoſcere. Illi autem, qui ab eodem *calices vitrei* dicuntur, a Græcis *κύλικες ὑάλινοι* verbum e verbo ſcilicet nuncupantur, authore Julio Polluce. Fiebant & calices ex terebintho, quia nomine authoris Θηρίκλειοι appellabantur: quem-

TAB. II.







admodum Antigonides & Seleucides, quibus Antigonus Seleucuſque nomina indiderunt, author Plutarch. in *Æmilio*. Plin. quoque *l.* XVI. ex Theophraſto, quod de Thericle ſcripſit, ſumpſiſſe videtur, dum ait: *Celebratur & Thericles nomine, calices ex terebintho ſolitus facere torno.* Athen. enim *lib.* XI. Theophraſtum citat in hæc verba: Ὅτι δὲ κύλιξ ἐστὶν ἡ Θηρίκλειος, σαφῶς παρίστησι Θεόφραστος ἐν τῇ περὶ φυτῶν ἱστορίᾳ. διηγούμενος γὰρ περὶ τῆς τερμίνθου, φησὶ τορνεύεσθαι ἐξ αὐτῆς κύλικας Θηρικλείους, ὥστε μηδένα διαγνῶναι πρὸς τὰς κεραμέας. κατασκευάσαι δὲ λέγεται τὴν κύλικα ταύτην Θηρικλῆς ὁ Κορίνθιος κεραμεύς, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα ἔχει. Et paulo poſt: Ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι Θηρίκλειον ὀνομασθῆναι τὸ ποτήριον, διὰ τὸ δορὰς θηρίων αὐτῷ ἐντετυπῶσθαι. Illud porro ſciendum eſt, calicem a probatiſſimis authoribus poni non ſolum pro vaſe, ſed pro ea tantum vaſis parte quæ humoris capax eſt. Plin. *lib.* XXXVII. ſupra a nobis *citato*, ubi de vaſis murrhini pretio agit: *Excreſcit*, inquit, *in dies ejus rei luxus, murrhino* LXXX. *ſeſtertiis empto, capaci plane ad ſeſtarios tres calice*. Vides ut calicem murrhini dixerit eam partem quæ humorem continere queat. Sic & roſæ calicem dixit Plinius eam partem, quæ roſæ luteos apices in ſe recipiat & contineat. Plin. *cap.* IV. *lib.* XXI. *Quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigiato, paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſeſe pandit in calicis medio ſui ſtantis complexa luteos apices.* Eſt & hydria vas aquarium. Plutarch. in *Mario*: Οἱ μὲν ἀξίνας, οἱ δὲ πελέκεις, ἔνιοι δὲ καὶ ξίφη καὶ λόγχας ἅμα ταῖς ὑδρίαις ἀναλαβόντες, ὡς καὶ διὰ μάχης ὑδρευσόμενοι. Utebantur & hydria ad ferenda ſuffragia, eodem Plutarcho authore in *Tiberio*, his verbis: Καὶ τὸν δῆμον αὐτοῦ καλοῦντος ἐπὶ τὴν ψῆφον, ἡρπάσθησαν ὑπὸ τῶν πλουσίων αἱ ὑδρίαι. Erat & calpis, qua uterentur vaſe aquario. Herodianus *lib.* VI. ubi de Rheno & Iſtro loquitur: Ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀρύσασθαι θέλοντας, μὴ κάλπεις ἐπ' αὐτῷ μηδὲ κοῖλα σκεύη φέρειν, πελέκεις δὲ καὶ δικέλλας, ἵν' ἐκκόψαντες, γυμνόν τε σκεύους ἀράμενοι τὸ ὕδωρ φέρωσιν ὥσπερ λίθον. Utebantur etiamnum ὑδρίᾳ ad colligendos continendoſque mortuorum cineres, quam & calpin vocaſſe videtur Plutarch. in *Marcello*.

In eadem *l.* §. *Unguentis legatis*.] Quando hic §. ſcatet mendis, ſic Lector optime, me authore, ac potius conſultore, leges, ac emendabis: *Unguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis cauſa, ſed & valetudinis: qualia ſunt Comagena, gleucina, irina, rhodina: e myrrha quoque, tum nardinum purum*. Hactenus Jureconſultus. Comagenum unguentum, quod κομμακινὸν vocat Galenus *lib.* III. ὑγιεινῶν, a Comagene Syriæ parte dictum, authore Plinio, ubi de anſeribus: *Aliud*, inquit, *reperit Syriæ pars, quæ Comagene vocatur, adipem eorum in vaſe æreo, cum cinnamo, nive multa obrutum, ac rigore gelido maceratum, ad uſum præclari medicaminis, quod ab gente dicitur Comagenum*. Hæc Plinius. Quod autem ſequitur, *gleucinum, irinum*, &c. de gleucini, irini, nardini, rhodini, & aliorum unguentorum confectione, vide apud Dioſcoridem. Neque enim illa hic tranſcribere eſt animus: quin potius cum Plinio conqueri, unguentorum luxum e cunctis maxime ſupervacuum. Margaritæ enim gemmæque ad hæredem tamen tranſeunt, veſtes prolongant tempus: unguenta illico expirant, ac ſuis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut tranſeuntem fœminam odor invitet, etiam aliud agentem: exceduntque quadragenos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena: etenim odorem qui gerit, ipſe non ſentit. Sed tamen & hæc aliqua differentia ſignanda ſunt. In Marci Ciceronis monumentis invenitur: *unguenta gratiora eſſe quæ ceram, quam quæ crocum ſapiant*. Sic enim legendum, non *terram*, ut paſſim ſcriptum eſt in vulgatis codicibus. Verba autem Marci Tulii ea ſunt in tertio *de Oratore*, ubi ait: *Licet hoc videre in reliquis ſenſibus, unguentis minus diu nos delectari, ſumma & acerrima ſuavitate conditis, quam his moderatis: & magis laudari quod ceram, quam quod crocum olere videatur*. Hactenus Tullius. Plin. tamen *cap.* V. *lib.* XVII. apud Tullium *terram* legiſſe videtur, qui multa de terræ odore refert, quæ haud ſcio an in alio authore invenias. Unguentis cognomina dedere, aliis patriæ, ut Comagenum, Mendeſium: aliis ſucci, ut irinum, rhodinum, crocinum, amaracinum, melinum, quod & Cyprinum dicebatur, quia fiebat in Cypro. Panathenaicum ſuum Athenæ perſeveranter retinuere. Melinum fit e malis cotoneis. Singuli quoque ſucci nobilia unguenta faciunt, in primis malabathrum, cujus mentio apud Jureconſultos in *l. Interdum. §. Species pertinentes ad vectigal, in tractatu De publican. & vectigal.* Iris Illyrica herba eſt, a qua irinum unguentum dictum. Nardinum ſive foliatum conſtat omphacino, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo. Omnia autem acutiora fiunt coſto, amomo, quæ maxime nares feriunt. Hæc ex Plinio authore, quandoquidem ea facere duximus ad iſtorum vocabulorum intellectum. Ex ſampſuco fit oleum quod ſampſucinum vocatur aut amaracinum: Plin. *lib.* XXI. *c.* XXII. Quod ſi tibi non eſt grave & nimis moleſtum, candide Lector, infundam & nonnihil hedyſmatis in hunc libellum ex Athenæi myrothecio, qui ubi de Antiochi pompa tractat, ſic ait: Πέντε μὲν τὰς πρώτας ἡμέρας ἐν τῷ γυμνασίῳ πάντες ἐκ χρυσῶν ὁλκίων ἠλείφοντο κροκίνῳ μύρῳ· ἦν δὲ ταῦτα πεντεκαίδεκα, καὶ κινναμωμίνου τὰ ἴσα καὶ ναρδίνου, παραπλησίως δὲ καὶ τῶν ἑξῆς εἰσεφέρετο τήλινον, ἀμαράκινον, ἴρινον, πάντα διαφέροντα ταῖς εὐωδίαις. Quo loco apud Athenæum legendum putavi ἴρινον, non autem ἄρινον, ut in vulgatis. Quid ſi quis legat λείρινον, cujus meminit Dioſcorides & Plinius *cap.* V. *lib.* XXI. Quod vero τήλινον dixit Athenæus, hoc ipſum fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, fœno-græco, melle, & quibuſdam aliis, ut docet Plinius, vir omnium rerum curioſus. Alteram tamen τηλίνου compoſitionem docet Dioſcorides. Solebant Antiqui non ſolum in conviviis unguentis uti, quod docet Martialis *lib.* III. *epigr.* XII.

Unguentum fateor bonum dediſti
Convivis, here, ſed nihil ſcidiſti:
Res ſalſa eſt, bene olere, & eſurire.
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle,
Hic vero mihi mortuus videtur.

Ludit in illum, qui unguentum dederat, atque id ipſum bonum, nihil vero, aut certe paucula quædam ad epulandum appararat. Non ſolum igitur in conviviis ungebantur, ſed etiam in ſpectaculis; quod docet Athen. *lib.* I. ubi de Antiocho, quem inquit omnes fere Græcos convocaſſe ad ſpectaculum: quos omnes ἐκ χρυσείων ὁλκίων ἤλειφε κροκίνῳ μύρῳ καὶ κινναμωμίνῳ καὶ ναρδίνῳ καὶ κρινίνῳ. Quo in loco haud ſcio an legendum ſit ἰρίνῳ vel λειρίνῳ, ex Dioſcoride, qui tamen etiam κρινίνου meminit. Crocum autem collyrio uni nomen dedit, ex eoque expreſſo unguento crocino, quod crocomagma appellant, author Plin. *lib.* XXI. Plutar. in *Bruto*: Καὶ τῶν ταξιάρχων τινὸς ἀπ' αὐτομάτου τὸν βραχίονα μύρον ῥόδινον ἐξανθεῖν, καὶ πολλάκις ἐξαλείφοντας καὶ ἀπομάττοντας, μηδὲν περαίνειν.

In lege, *Argumento ſunt. Sed ſtragulas & bubolonicas, quæ equis inſterni ſolent.*] Sunt qui mihi dixerint, hoc in loco legendum, *bubalinas*, ut ſubintelligatur pelles, non eſſe veſtis. Bubali hodie noti in Italia, quos vulgo *buffalo* vocant, e quorum pellibus fiebant ſtragula ad equos. Ego

vero puto legendum *Babylonicas*, ut sit Jureconsulti mens, quam jam subjicio: tametsi vestes Babylonicæ vestimentorum appellatione contineantur: tamen stragulæ Babylonicæ, quæ equis insterni solent, non veniunt appellatione vestis: quandoquidem in alium usum paratæ videntur. Babylonicarum meminit Jureconſ. in *l. Interdum*, §. *Species ad vectigal pertinentes, infra De publicanis*. Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & inde nomen Babylonicis imposuit, a doctissimis usurpatum, non solum Latinis, ut apud Plinium & hic, sed etiam a Græcis. Plutarch. in *Marco Catone* refert illum, quum ex hæreditate Babylonicum stragulum ei obvenisset, statim vendidisse, ἐπίβλημα ῃ̃ τ̃ ποικίλων Βαβυλώνιον ἐκ κληρονομίας κτησάμενος, εὐθὺς ἀποδόσθαι.

In eadem, *Alia causa est odonum*.] Accursio condonandum, quod corruptum vocabulum assequi nequiverit: legendum enim est *œdorum*, non *odonum*, e quorum œdorum pellibus fiebant calciamenta, ut ex antiquis marmoribus Romæ conjecimus. Neque vero postulo, Lector optime, ut mihi fidem habeas, nisi id ita esse convicero, ex festivissimo poeta Martiale *l.* XII. *epigr.* XLV. *ad Phœbum*. Versiculos autem ipsos Martialis ascribam, simul ut & rideas non solum Phœbum, sed & Accursium, si ita tibi videbitur: simul vero etiam ut hanc nostram conjecturam non absimilem vero cognoscas:

Oedina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemque calvæ,
Festive tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit caput esse calciatum.

Festive autem dixit, propterea quod Romani temporibus illis in calciamentis uterentur pellibus œdinis, & sane facilis fuit lapsus *œdonum* ac *œdorum*, sola *r* litera in *n* mutata.

In eadem, *Vasa unguentaria, & si quasimilia dici possunt, veluti labaciorifius*.] In antiquo codice ipsi legimus *lavatio riscus*. Tull. *Epistolarum* l. IX. *ad Varronem*: *Ut lavatio parata sit*. Lavatio enim pro vase posuisse videtur. In aliis, *alabacoristus*: quo fit ut in animum inducam, fortasse legendum *alabaster*: est enim vas unguentarium, ut docet Julius Pollux *lib.* VI. his verbis: τὰ ῃ̃ ἀγγεῖα τ̃ μύρων, λήκυθος μυρηρὰ, καὶ ἀλάβαστρον. ὄλκιον etiam ascribit Athenæus in *locis* a nobis *citatis*, supra ubi de unguentis. Recensentur etiamnum inter unguentaria vasa, pyxides & ampullæ, quarum mentio apud Martialem *Epigram.* lib. III. epigr. LXXXII.

Et Cosmianis ipse fusus ampullis.

Quarum formam intelligere est ex Plinio *lib.* IV. *epist. ult. Aut decessit expulsus, quod in ampullis cæterisque generis ejusdem videmus accidere, quibus non bians nec statim patens exitus*. Recensetur etiam onyx. Martialis *lib.* XI. *epigr.* LI.

Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.

Plutarch. in *Aristide*, κρωσσοὺς pro vasis unguentariis dixisse videtur: ἐλαίου τε καὶ μύρου κρωσσοὺς νεανίσκοι κομίζοντες ἐλεύθεροι. Hoc est, *olei quoque ac unguenti crossos liberi adolescentes deferunt*. In *Alexandro* recenset vasa quædam unguentaria, his verbis: Ως ῃ̃ εἶδε μὲν ὄλκια, καὶ κρωσσοὺς, καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους, πάντα χρυσοῦ ἠσκημένα περιττῶς, ὠδώδει δὲ θεσπέσιον οἷον ὑπὸ ἀρωμάτων καὶ μύρων ὁ οἶκος.

Fortassis hæc erit ampullæ forma, quam ex antiquis marmoribus desumpsimus: quæ, ut vides, amphotis etiam dici potest, quod utrinque ansata sit:

A cujus vasis efformandi rationem lineis circumscriptam vides TAB. II. *fig.* 2.

Anademata.] Alciatus vir eximiæ eruditionis censuit legendum ἀναδέσματα. Ego vero (quod pace tanti viri dixerim) puto legendum, ut vulgo scriptum est, ἀναδήματα, *anademata* scilicet. Siquidem Julius Pollux *lib.* V. ἀναδήματα inter ornamenta ac mundum muliebrem adscribit, his verbis: Καὶ στρόφιον, καὶ ὀπισθοσφενδόνην, παρ' Ἀριστοφάνει. καὶ σφενδόνη ἐκαλεῖτο, καὶ ἀναδήματα, καὶ κάλαμος.

In eadem *l. Quamvis*.] De mitra diximus in li-B bello *De Re Vestiaria*, etiamsi mitræ vestis appellatione non veniant, ut inquit Paulus hic. Ulpianus vero in *l. Vestis*, mitras & semimitras inter vestimenta annumerat, quare periculum fortasse subest antinomiæ: nisi si quis dicat Ulpianum de illis mitris sentire, quæ magis capitis tegendi quam ornandi causa comparatæ sunt: Paulum vero de his, quæ magis ornatus gratia gestantur, quam ut caput tegant.

In §. *Si autem*. *Quod ejus aliqua forma est expressum*.] *Ejus scilicet testatoris existens*, inquit C Accursius: in quo fallitur, nec Latinæ locutionis elegantiam percepisse videtur. Intelligendum enim argento signato vel auro legato patremf. id legasse, quod ejus auri scilicet vel argenti, vel id aurum legatum, quod aurum aliqua forma est expressum. Simili loquendi formula usus est Marcus Tullius, tum alibi non semel, tum *Officiorum* primo: Ex cæteris similibus facile judicamus, quid apte eorum fiat, quid ab officio naturaque discrepet. Quum autem subdit Jureconsultus, *Veluti qui Philippi sunt*: & appellantur stateres Philippei, quemadmodum & Darici & Alexandrei, a Philippo, Dario & Alexandro. Julius Pollux lib. IX. καὶ οἱ μὲν Δαρεικοὶ ἐκα-D λοῦντο στατῆρες, οἱ δὲ Φιλίππειοι, οἱ δὲ Ἀλεξάνδρειοι, χρυσοῖ πάντες ὄντες. De quibus copiose simul & erudite G. Budæus in libris *de Asse & partibus ejus*, quibus sane pereleganter rem numariam, temporis injuria sic jactatam, ut nemo scire aut certe Latine enuntiare posset quid haberet, suo ut dicitur Marte, nullis adminiculis constituit: quo sane nomine, illi potius, quam olim Gratidiano, statuæ omnibus vicis statuendæ sunt, & ad eas thus & cerei.

Scaphia.] Scaphiis igitur argenteis Antiqui utebantur, ut & hodie viri Galliarum primarii: E quin & aureis vasis ventris onus excipiebant: inde jocus Martialis *in Bassam*, *lib.* I. *epigr.* XXXVIII.

Ventris onus misero (nec te pudet) excipis auro,
Bassa, bibis vitro.

Heliogabalus onus ventris auro excepit, in murrhinis & onychinis minxit, authore Lampridio. Soliis quoque argenteis Rom. fœminæ in balneis utebantur: & hoc est quod ait Plin. *lib.* XXXIII. *Argento fœminæ laventur, & nisi argentea solia fastidiant, eadem materia & cibis & probris serviat*

Videtur & a Græcis mutuo sumptum scaphium; F σκάφιον enim dicunt, authore Julio Polluce *lib.* X. ubi agit de necessariis ad secessum: & mulierum erat, quemadmodum lasana & ἀμὶς virorum erat, & οὐρλών, quam nos *urinal*; ἐνουρήτραν vocat idem Julius Pollux. Matella virorum erat, cujus meminit Martialis in disticho, cui lemma *Matella fictilis*, *lib.* XIV. *epigr.* CXIX. & illo versiculo:

Dispeream si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es.

Et *lib.* XII. *epigr.* XXXII.

Matellæ curto rupta latere meiebat.

Quod autem scaphium mulierum fuisse diximus, Plutarchus in *Arato* scaphium athletarum fuisse videtur asseverare: quod & conjicere est e Juvenale *sat.* VI.

Et ride, schaphium positis quum sumitur armis.

Scaphidas inter culinaria vasa annumerat Anaxippus ad Athen. *lib.* IV. Idem Athen. *ibid.* scaphium inter vasa vel potoria vel escaria adscribit, nisi me fallit memoria. Matellam autem crepitu digitorum poscebant Veteres. Inde ortus jocus Martialis *in Panaretum*, *lib.* VI. *epigr.* LXXXIX.

Quum peteret seram media jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus,
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse:
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus,
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Ruffe, merum biberat.

Quibus sane versiculis adducor ut credam eandem fere fuisse formam matellæ, quæ lagenæ erat. Est autem lagena vas vinarium, quam Martialis hic *œnophorum* vocat, quorum utrumque Græcum est. Laguncula per diminutionem usus est Plinius Junior in *Epistolarum* primo. Id in præsentia non omiserim, quod apud Plin. *lib.* XVI. *c.* XXXI. legimus, quando memorabile visum est, lagenas fieri e radicum filis tum fici, tum etiam sylvestrium. Verba Plinii sic habent: *E quibus montani prætenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas & alia vasa nectunt.* Matellionis quoque vasis meminit Tullius in libello Παράδοξα inscripto: *Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, quum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum civem excellentem, an atriensem servum diligentem putaret?* Matellionem Corinthium dixit Tullius ære Corinthio factum. Quod æs ex S. C. deleta a L. Mummio Corintho, factum & conflatum est. Nam æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria: quia incendio perustis plurimis statuis atque simulachris, æris, auri argentique venæ in commune fluxere. Signa quoque fictorum nobilium Corinthia appellabant Antiqui. Fuit etiamnum antiquissima gloria æris Deliaci, mercatus in Delo concelebrante toto orbe: ex quo fiebant & vasa, Deliaca dicta, Tullius *pro Sexto Amerino*: *Domus referta vasis Corinthiis & Deliacis: in quibus est authespa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut qui prætereuntes pretium enumerare audiebant, fundum venire arbitrarentur.* Inde Deliaca supellex a Cicerone dicta, in qua erant triclinia & lecti, cum pedibus & fulcris ex ære Deliaco factis. Cicero IV. *in Verrem*: *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam Syracusis exportasse.* Hactenus Tullius. Quoniam vero in Conrinthiorum & Verris mentionem incidimus, illud haud ἀπροσδιόνυσον in præsentia, ut mihi persuadeo, adjiciam: fuisse scilicet traditum, Verrem, quem Cicero damnaverat, non alia de causa proscriptum fuisse ab Antonio, quam quod Corinthium æs se ei cessurum negavisset. Strabo *lib.* VIII. aliorum Corinthiorum meminisse videtur, ubi de Corintho restituta a Divo Cæsare mentionem facit, missisque ab eo libertini generis incolis, qui τὰ ἐρείπια κινοῦντες, καὶ τοὺς τάφους συνανασκάπτοντες, εὕρισκον ὀστρακίνων τορευμάτων πλήθη, πολλὰ δὲ καὶ χαλκώματα. θαυμάζοντες δὲ τὴν κατασκευὴν, οὐδένα τάφον ἀσκευώρητον εἴασαν. ὥστε εὐπορήσαντες τῶν τοιούτων, καὶ διατιθέμενοι πολλοῦ, νεκροκορινθίων ἐπλήρωσαν τὴν Ῥώμην· οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὰ ἐκ τῶν τάφων ληφθέντα. Ea sane quæ vasa Corinthia diximus, χαλκώματα Κορινθιουργῆ appellare videtur.

Vasis ænei Corinthiaci cælati forma TAB II. *fig.* 3. ex antiquis monimentis.

In l. *Quum in testamento, An etsi eas mensas argenteas.*) Antoninus Heliogabalus primus mensas & capsas argenteas habuit, primus etiam & caccabos argenteos, si Ælio Lampridio credimus: quos tamen intelligo privato usui habuisse. Nam publico Romæ fuisse antea, constat ex Plutarcho in *Vitis*, in hæc verbis: Ὁμοίως δὲ καὶ τοῦ βασιλέως τῶν Ἰβήρων κλίνην τε καὶ τράπεζαν καὶ θρόνον, ἅπαντα χρυσᾶ, πέμψαντος αὐτῷ, καὶ δεηθέντος λαβεῖν, καὶ ταῦτα τοῖς ταμίαις παρέδωκεν εἰς τὸ δημόσιον. Est autem mensa escaria a cibo *cibila* dicta, authore M. Varrone. Mensa vero vinaria cylibantum dicebatur, a poculo cylice, id est, calice, dicta, eodem authore. Mensas dicimus primas, secundas, & tertias, inquit Julius Pollux. Mensas quoque vocabant cibos mensis impositos, τραπέζας δὲ ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ᾽ αὐτῶν τιθέμενα, author Julius Pollux. Et hoc est quod inquit Athenæus *lib.* II. πάντων τραπέζας καλούντων τὰς παραθέσεις ταύτας. Et sic accipiendum puto quod ait Martialie *lib.* I. *epigr.* CIV.

Explicat & cœnas unica mensa duas.

Mensæ porro dicebantur illæ, quæ auferuntur, quas & magidas dixerunt, αἱ δὲ ἐπιτιθέμεναι καὶ αἰρόμεναι τράπεζαι, ἃς νῦν μαγίδας καλοῦσιν. Quos enim discos vocant, Pollux *lib.* VI. censet eos κύκλους ἀργυροῦς, *orbes argenteos*, ἢ χεύματα ἀργυρᾶ, ἢ πίνακας appellandos. Mensæ autem secundæ erant, quibus bellaria, tragemata, & cætera id genus dulcia, quæ & dulciaria sunt, apponebantur, a Græcis δεύτεραι τράπεζαι dicuntur. Dicæarchus apud Athen. *lib.* XIV. Ἡγε τὴν πολλὴν δαπάνην ἐν τοῖς δείπνοις παρέχουσα δευτέρα τράπεζα προσεγένετο, καὶ στέφανοι, καὶ μύρα, καὶ θυμιάματα, καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα πάντα. Quibus secundis mensis non solum apponebantur tragemata, quæ Græcorum antiqui vocarunt τρωγάλια & μεταδόρπια: sed & ova, & lepores, & turdi, cum dulciariis omnibus, si Athenæo fides habenda est. Quare quum Cornelius Celsus dicat, *secundam mensam bono stomacho nihil nocere, imbecillo coacescere*, accipiendam puto secundam mensam pro conditis, & cæteris id genus bellariis, cujusmodi sunt ea quæ recensentur a Jureconsultis, *l. fin.* §. *Dulcia, in tractatu De vino, tritico, & oleo legato.* Dicebantur denique mensæ, quibus reponebantur vasa escaria & fercula, quas sic opsoniis onustas convivis apponebant duo servi. Neque enim singuli servi singula fercula ferebant, ut hodie factitare solemus: sed mensam ferculis onustam adferebant, atque adeo accumbentibus convivis apponebant, mediam inter duos, ut conjicere est ex Luciano, in *Dialogo*, qui ὄνειρος ἢ ἀλεκτρυὼν inscribitur, in hæc verba, εἶτα μηδενὸς ἀνεχομένου πλησίον κατακεῖσθαι αὐτῷ, [illegible] φέροντες, ὡς ὁμοτράπεζοι εἴημεν. Quare non ab re conqueritur Martialis de Annio, qui ut lautior videretur, ministrantes servos habebat, qui singula gestarent fercula. Verba autem Martialis sunt *lib.* VII. *epigr.* XLVII.

Quum mensas habeat fere ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros,
Transcurrunt gabatæ, volantque lances,
Has vobis epulas habete lauti:
Nos offendimur ambulante cœna.

Quem morem etiam antiquum fuisse conjicio ex versiculis citatis ab Athenæo *lib.* IX.

Ὡς εἶδε τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο
Φέροντας εἴσω, ποικίλων παροψίδων
Κόσμου βρύουσαν.

Quos verſiculos ſupra citavimus. Quod vero multis menſis uterentur, docet Plutarch. in *Lucullo*: Ἐπεὶ δὲ μόνου δειπνοῦντος αὐτοῦ, μία τράπεζα καὶ μέτριον παρεσκευάσθη δεῖπνον, ἠγανάκτει, καλέσας τὸν ἐπὶ τούτων τεταγμένον οἰκέτην. τοῦ δὲ φήσαντος, ὡς οὐκ ᾤετο, μηδενὸς κεκλημένου, πολυτελοῦς τινὸς αὐτὸν δεήσεσθαι, τί λέγεις, εἶπεν, οὐκ ᾔδεις ὅτι σήμερον παρὰ Λουκούλλῳ δειπνεῖ Λούκουλλος; Multis vero menſis uſos Antiquos docet apertius, idem Plutarch. in *Pelopida*: Καὶ φερόμενοι διὰ τῶν τραπεζῶν ἐπὶ τὸν Ἀρχίαν καὶ Φίλιππον ἐφάνησαν, οἵπερ ἦσαν. Conjicio etiam ex eodem Plutarcho in *Numa*: Λέγεται γοῦν ποτε καλέσας ἐπὶ τὴν τράπεζαν οὐκ ὀλίγους τῶν πολιτῶν, σκεύη τε φαῦλα καὶ δεῖπνον εὐτελὲς πάνυ προθέσθαι καὶ δημοτικόν. ἀρξαμένων δὲ δειπνεῖν, ἐμβαλὼν λόγον, ὡς ἡ θεὸς ἣ συνεστι, ἥκοι πρὸς αὐτὸν, αἰφνίδιον ἐπέδειξε τόν τε οἶκον ἐκπωμάτων πλήρη πολυτελῶν, καὶ τὰς τραπέζας ὄψων τε παντοδαπῶν καὶ παρασκευῆς δαψιλοῦς γεμούσας. Iſtis autem menſis primum quadratis, mox rotundis uſi ſunt, author Varro: & ob id orbes dicuntur a Martiale *lib.* IX. *epigr.* XXIII.

Ut Mauri Libycis centum ſtent dentibus orbes.

Orbes Mauri dicuntur menſæ citreæ, circulari forma, e Mauritania advectæ, ut docet Plin. *lib.* XIII *cap.* XV. his verbis: *Confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri, & menſarum inſania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt.* Fiebant & ex acere, quæ ob id acernæ dicuntur. Horatius *Sermonum* lib II. ſat. VIII.

His ubi ſublatis puer alte cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit.

Quæ menſæ ornabantur coronis aureis vel argenteis, gemmis diſtinctis. Quarum coronarum meminit Pomponius in *l. Etſi non ut clavi.* §. *Perveniamus, iſto titulo.* Menſæ quoque citreæ meminit Tull. *in Verrem*, his verbis: *Tu maximam & pulcherrimam menſam citream a Q. Luctatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sylla civis Romanus factus eſt, omnibus ſcientibus Lilybei abſtuliſti.* Et Paulus Jureconſultus in *l. Si ſterilis, ſupra De act. empti.* Quid vero in cauſa fuerit, ut Antiqui menſas circulari forma compararint, docet Athen. *lib.* XI. Διὸ τὰς τραπέζας κυκλοειδεῖς κατεσκευάσαντο οἱ παλαιοὶ, καὶ τὰ περὶ τὴν ἥμερον τροφὴν πρῶτοι διαταξάμενοι τοῖς ἀνθρώποις, πειθόμενοι τὸν κόσμον εἶναι σφαιροειδῆ, λαμβάνοντες ἔκ τε τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης σχήματος ἐναργεῖς τὰς φαντασίας. Græci menſam τράπεζαν dicunt, inde trapezophora dicta ea quæ menſam ſuſtinent. Tullius *Epiſtolarum Familiarium* lib. VII. *Quod tibi deſtinaras trapezophoron, ſi te delectat, habebis: ſin autem ſententiam mutaſti, ego habeo.* Quæ repoſitoria ex Plinio ſupra diximus. & ſic legendum puto in *l. tertia, ſupra De ſupell. legat.* A τράπεζα dicitur & τραπεζοκόμενος, quem Latini *ſtructorem* dicunt. Martialis *lib.* X. *epigr.* XLVII.

Et quæ non egeant ferro ſtructoris ofellæ.

Græci quoque ἐκτραπεζώματα vocant opſonia menſis impoſita. Qui vero iis comparandis præerat, dicebatur opſonator, ut eſt apud Marcellum in *l. Legatis ſervis, ſupra De legatis tertio.* Græci illum ἀγοραστὴν vocant, eodem authore Athenæo. Quin & opſonator Græcum vocabulum videri poteſt, quaſi ὄψου ὠνήτωρ, qui & ὀψώνης dicitur: ὄψον enim dicunt omne quod igne paratur ad epulandum.

A Οὐκ ἀγνοῶ δὲ, inquit Athen. ὅτι ὄψον κυρίως καλεῖται πᾶν τὸ πυρὶ κατασκευαζόμενον εἰς ἐδωδήν. Menſæ interdum uno tantum pede ſuſtinebantur, quæ dicebantur monopodia. Plin. *lib.* XXXIV. *Nam triclinia ærata, abacoſque & monopodia Cneum Manlium Aſia devicta primum invexiſſe triumpho ſuo.* Quorum mentio eſt in *l. In rem actio, ſupra De rei vendicatione.* Neque vero menſa bipede utebantur, etiamſi apud Martial. dicatur *lib.* XII. *epigr.* XXXII.

Ibat tripes grabatus, & bipes menſa,
Et cum lucerna, corneoque cratere, &c.

At vero tribus pedibus ſuſtinebatur, & dicebatur
B menſa tripes. Horatius *Sermonum* lib. I. ſat. III.

—— modo ſit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri.

Vide Plinium in tertio *Epiſtolarum*. Non alienum hic fore arbitror, ſi ex antiquorum authorum obſervatione aperuerim morem in accubatione epulari Romanorum majoribus uſurpatum: qui hora fere nona, hoc eſt, tertia vel quarta a meridie, ut nunc computamus, cœnabant: quod vel Martialis verſiculo *lib.* IV. *epigr.* VIII. probatur, quum ait:

C *Imperat extructos frangere nona toros.*

Toris enim recumbebant: quini interdum in lectis, ſæpe plures: μικροῦ δεῖν ὕπτιοι κατακείμενοι, ut inquit Lucian. in *Convivio Lapitharum.* Tull. *in Piſonem: Græci ſtipati, quini in lectulis, ſæpe plures: ipſe ſolus bibiturus quæ eodem de ſolio miniſtrentur.* Neque enim ſedebant, ſed accumbebant: & ideo Cato poſt prælii Pharſalici offenſionem, hoc inter cætera ſibi luctus imperavit, ut nunquam poſt illa cœnando recumberet, ſed ſolum ſederet. Plutarch. in *Catone*: Ἐδείπνει δὲ καθήμενος ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας τὴν κατὰ Φάρσαλον ἔγνω ἧτταν, καὶ τοῦτο τῷ λοιπῷ
D προσέθηκε πένθει, τὸ μὴ κατακλιθῆναι πλὴν καθεύδων. Græci τρικλίνιον vocant. Plutarch. in *Agide & Cleomene*: Τῶν δὲ δείπνων αὐτοῦ τὸ μὲν καθημερινὸν ἦν ἐν τρικλινίῳ, σφόδρα συνεσταλμένον καὶ Λακωνικόν. εἰ δὲ πρέσβεις ἢ ξένους δέχοιτο, δύο μὲν ἄλλαι προσπαρεβάλλοντο κλίναι. Qui lecti dicebantur, & lecti triclinares dicuntur ab Ælio Lampridio, ad differentiam cubicularium. Triclinia autem dicebantur a tribus lectis, & ſic intelligo quod ſcriptum eſt a Juvenale *ſat.* V.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto.

E Et ne toralia (ſic enim vocant lecti ſtragulas) pedibus fœdarent, ſoleas deponebant, cœnabantque excalceati: & ſic accipienda puto, quæ ſcripta ſunt a Martiale *lib.* III. *epigr.* L.

Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens,
Inter lactucas oxygarumque, liber,

Inde ejuſdem poetæ jocus *in Cottam*, qui ſoleas amiſit pueri negligentia, dum cœnaret:

Bis Cotta ſoleas perdidiſſe ſe quæſtus
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

F Servorum enim miniſterio utebantur ad ſumendas & deponendas ſoleas. Martialis in diſticho, cui lemma *Soleæ lavatæ*, *lib.* XIV. *epigr.* LXV.

Defuerit ſi forte puer, ſoleaſque libebit
Sumere, pro puero proderit ipſe ſibi.

Habebant & pulvinos, quibus hinc inde ſeſe fulcirent: & etiam cervicalia ad cervicem. Martialis *lib.* III. *epigr.* LXXXII.

Cubitis

Cubitis trudit hinc & inde convivas,
Effultus ostro sericisque pulvinis.

Philarchus apud Athen. *lib.* IV. ubi de Lacedæmoniis: Καὶ πάλιν αὐτοῖς στρωμναί τε τοῖς μεγέθεσιν οὕτως διεσκευασμέναι πολυτελῶς, καὶ τῇ ποικιλίᾳ διαφόρως, ὥστε τῶν ξένων ἐνίους τῶν παραληφθέντων ὀκνεῖν τὸν ἀγκῶνα ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια ἐρείδειν. Quos tamen pulvinos, ut mihi quidem videtur, Ælius Lampridius *subalares culcitras* vocat in *Heliogabalo*; quibus, ita ut diximus, recumbentibus mensæ cum ferculis per unum & alterum servum apponebantur, collocabanturque in repositoriis ad hoc paratis, quæ & *trapezophora* dicuntur, nisi fallimur. Cibum autem incipiebant a lactucis & oxygaro, ut *versiculo* Martialis supra *citato* probatur; & in disticho, *lib.* XIII. *epigr.* XIV.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Cœnam vero claudebant bellaria & dulcia. Illi vero lecti triclinares dicti, nonnunquam facti erant ad effigiem literæ Græcæ quæ sigma dicitur, ista *C* puto figura, & ita inter unum & alterum convivam mensa collocata: & ob id fortasse mesa dicta a Marco Varrone, hoc est quod ait Martialis *lib.* X. *epigr.* XLVIII.

Septem sigma capit, sex sumus: adde Lupum.

Illud etiam non est omittendum, mensas Antiquorum (de Romanis loquor, quorum extant monumenta literarum) non fuisse mappis opertas. Siquidem pro se quisque conviva mappam secum ad convivium adferebat: quod ipsum ita esse convincitur ex eodem Martiale *lib.* XII. *epigr.* XXIX.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile e mensa sustulit Hermogenes.

Quod vero mensas opertas non ponerent, ait Martialis *lib.* X. *epigr.* LV. qui id ridiculum putat:

Mensas, Ole, bonas ponis, sed ponis opertas:
Ridiculum est: possum sic ego habere bonas.

Mantilibus autem utebantur ad manus abstergendas post lotionem. At vero lectorum fulcra a lautioribus vestiebantur testudinum laminis: cujus rei luxum taxat Juvenalis *sat.* XI.

Nemo inter curas & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum.

Quorum etiam meminit Jureconsultus in *l. Labeo, in tractatu De supellectili legata*, & in *l. Hæres ad finem, supra De legatis tertio*. Meminit & Martialis *lib.* XII. *epigr.* LXVII.

Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri:
Argentum atque aurum non simplex Delphica portat.
Stant pueri, dominos quos precer esse meos.

Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria iis vestire, Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii, author Plinius *lib.* IX. Plutarchus in eo libro, qui αἰτιῶν Ῥωμαϊκῶν inscribitur, quærit quidnam in causa fuerit, quod Romani non sinerent mensam auferri vacuam, his verbis: Διὰ τί τὴν τράπεζαν οὐκ εἴων ἀναιρεῖσθαι κενήν, ἀλλὰ πάντως τινὸς ἐπόντος; πότερον αἰνιττόμενοι τὸ δεῖν ἀεί τι τοῦ παρόντος εἰς τὸ μέλλον ὑπολιπεῖν, καὶ τῆς αὔριον ἐν τῇ σήμερον μνημονεύειν; ἢ νομίζοντες ἀστεῖον εἶναι τὸ συστέλλειν καὶ ἀνέχειν τὴν ὄρεξιν, ἔτι παρούσης τῆς ἀπολαύσεως. Hic autem non absurdum fuerit nonnihil ex eodem Plutarcho de conviviorum apparatu & magnificentia referre.

A Crassus igitur Ἡρακλεῖ μεγάλην θυσίαν ποιησάμενος, εἱστίασε τὸν δῆμον ἀπὸ μυρίων τραπεζῶν, καὶ σῖτον ἐμέτρησεν εἰς τρίμηνον. Cæsar autem τὸν δῆμον ἀνελάμβανεν ἑστιάσεσι καὶ θέαις, ἑστιάσας μετὰ ἐν δισμυρίοις καὶ δισχιλίοις τρικλίνοις ὁμοῦ σύμπαντας. Quod si in triclinio collocati sint septem, ut admitterentur solum ii quorum capita censebantur, invenitur numerus is civium qui recensetur Plutarcho, XV. myriades scilicet, ἐξετασθεῖσαι γὰρ αἱ πᾶσαι πέντε καὶ δέκα μυριάδες. Si quis enim numerum 150. dividat per numerum 22. mille, vel numerum 22. mille, multiplicet per 7. resultabit numerus plus minus 150. mille.

B In *l. Seiæ dulcissimæ, scyphi, modioli.*) Scyphum quem scypphum nonnulli scribunt, Græci σκύφον dicunt & σκύφον, ut docet Athenæus *lib.* XI. Est autem vasculum potorium, ut cuique notum est. Plutarchus tamen in *Antonio*, in ipso statim principio, scyphum posuisse videtur pro eo vase quod *bassin* dicimus: Ἐπεί τις ἀφίκετο τῶν συνήθων πρὸς αὐτὸν ἀργυρίου δεόμενος, ἀργύριον μὲν οὐκ εἶχε, παιδαρίῳ δὲ προσέταξεν εἰς ἀργυροῦν σκύφον ὕδωρ ἐμβαλόντι κομίσαι. καὶ κομίσαντος, ὡς ξύρεσθαι μέλλων, κατέβρεχε τὰ γένεια. τοῦ δὲ παιδαρίου καθ' ἑτέραν πρόφασιν ἐκ ποδῶν γενομένου, τὸν μὲν σκύφον ἔδωκε τῷ φίλῳ χρῆσθαι κελεύσας, &c. Martialis *lib.*

C VII. *epigr.* LXXI. *scyphos avorum* vocat vasa potoria, quæ & *archetypa* dicuntur ab eodem:

Nec thuris veniant leves selibræ:
Sed lances ferat, aut scyphos avorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus.

Illi vero versus sunt *lib.* VIII. *epigr.* XXXIV. quibus *scyphos avorum* vocat pocula *archetypa*:

Archetypum Myos argentum te dicis habere:
Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.

D Inde jocus ejusdem *in Charinum*, *lib.* IV. *epigr.* XXXIX.

Argenti genus omne comparasti,
Et solus veteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus Scopæque,
Solus Phidiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores.

Pocula Mentoris manu facta, Marcus Tullius in sexta *in Verrem*, *toreumata* vocat, his verbis: *De hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata, in his pocula duo quædam, quæ Heraclea nominantur, Mentoris manu summo artificio facta.*

E Quæ pocula archetypa Martialis numismata vocare videtur quum ait, *lib.* I. *epigr.* XXVII.

Non confessorum vicina numismata tantum,
Æra sed a cuneis ulteriora petis.

Æra vetera Tullius *in Verrem* vocat prima stipendia hominis militaris.

L. Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu cælatos habuit, emptos sestertiis centum: confessus tamen est, nunquam se iis uti propter verecundiam ausum, author Plinius. Illud adjiciam, quod nec alienum a proposito videtur, nec parum prodesse ad retundendam nostrorum se-

F veritatem possit, D. Claudium Cæsarem convivæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, revocato in diem posterum calicem fictilem apposuisse, author Plutarchus in libello *De cohibenda iracundia*.

Modiolus, vas parvum, factum ad modii similitudinem, cujusmodi fere sunt ea quæ *gobeletta* dicimus. Et Venetiis Latini vocabuli vestigia vulgo retinent: vocant enim *mozol*, quasi *modiol*, propter affinitatem d cum z, ut nos admo-

nuit vir egregie triplici lingua doctus Hieronymus Aleander Archiepiscopus Brundusinus. Vitruvius: *Ita cum rota a calcantibus versabitur, modioli pleni ad summum elati, & rursus ad imum revertentes infundent in castellum.*

In *l. Medico, ad finem, Viriolas ex smaragdis.*) Viriolas designare videtur Juvenalis *sat.* VI. quum ait:

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Quum virides gemmas collo circundedit, & quum
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Viriolæ enim, ut opinor, fiebant e gemmis viridibus, ad colli ornamentum. Ista vero, ne te decipiam, Lector optime, mea est conjectura: nihil enim quicquam istarum viriolarum apud quenquam authorum, de his qui probantur, conscriptum invenimus: etiamsi sint qui apud Plinium *l.* XXXIII. *cap.* III. *viriolæ* legant: quo in loco, *uxoriæ* lego, ex vetustissimo & emendatissimo codice. Fibularum enim mentionem facit Plinius, tam virilium quam uxoriarum. Verba autem Plinii sic habent: *Sed in militia quoque in tantum adolevit hæc luxuria, ut M. Bruti in Philippicis campis epistolæ reperiantur frementes, fibulas tribunitias ex auro geri. At Hercules, idem tu Brute mulierum pedibus aurum gestari tacuisti: cujus sceleris nos coarguimus illum primum, qui auro dignitatem per annulos fecit, ut habeant in lacertis jampridem & viri: quod e Dardanis venit, itaque & Dardanium vocabatur. Uxoriæ Celticæ dicuntur, viriles Celtibericæ.* Quo loco sunt qui legant *viriæ*, alii *viriolæ*. Viriolarum meminit & Paulus Jureconsultus in *l. Si tibi electio, supra De optione vel electione leg.* Quod quid fuerit, mihi incompertum est.

F I N I S.



ANTONII THYLESII,

CONSENTINI,

DE

COLORIBUS

LIBELLUS.

AD LECTOREM.



QUUM permulta, Lector, a Bayſio in Libello DE RE VESTIARIA potuiſſent dici, quæ ad colorum varietatem cognoſcendam viderentur apprime eſſe neceſſaria; ne tamen etiam id a ſua diligentia requireres, quod ab alio tractatum jam fuerat & elegantiſſime explicatum: maluit vir prudens & tuæ utilitatis amantiſſimus, authorem ipſum, a quo hæc copioſe deſumas, ſeorſim edere, quam ipſemet deſumpſiſſe, & ſuis ſcriptis inſeruiſse: ne videretur bonum authorem propria dignitate ac laude ſpoliare velle. Qui animus utinam permultis idem eſset, a quibus quotidie novi neſcio quid prodit: ſcirent certe omnes quarum rerum quiſque verus eſset inventor: quis honor, quæque gloria iis eſset tribuenda, qui ſuis ſcriptis ſtudioſorum laborem magnopere ſublevarent. Vale.

INDEX CAPITUM.

ANTONII THYLESII, CONSENTINI, DE COLORIBUS LIBELLUS.



DICAM aliquid de Coloribus in hoc Libello, non quidem unde conficiantur, aut quæ sit eorum natura: neque enim pictoribus hæc traduntur, aut philosophis, sed tantum philologis, qui Latini sermonis elegantiam studiose inquirunt. Scribam omnia breviter & accurate: ac rerum ipsarum nomina, quo statim colores intelligantur, singulis apponam.

CAP. I.

COERULEUS.

EXORDIAR primum a cœruleo: quo nisi natura ipsa maxime gauderet, numquam profecto deorum hoc domicilium

Continuo circum complexu cuncta coercens,

specie tam læta universum exhilarasset: reliquos deinde contextam. Cœruleus igitur, dictus quasi cœluleus, ut ex voce ipsa apparet, proprie color est cœli, sed sereni: id quod Ennius respiciens, *Cœli*, inquit, *cœrula templa*: atque inde ab omnibus mare appellatur cœruleum: refert enim illud eundem, quem ab ipso superne accipit, cœli nitorem. Quare ex Antiquis nonnulli, ut alterum Homeri opus, propter cædes, de quibus illic poeta loquitur, colore exornabant sanguineo. sic *Odysseam*, ubi Ulyssis idem maritimos scribit errores, membrana contegebant cœrulea. Sed quoniam cœrulei quædam species est pene nigra, ut quod Indicum dicitur, eoque olim vestitu Græcæ mulieres amictæ producebant eorum funera, quorum in cœlum animas migrasse cœruleum existimabant: idcirco pro tristi nonnunquam capitur, ut apud Virgilium *puppis cœrulea Charontis*, *imberque* & *sol cœruleus*. Cucumis autem *cœruleus* (nam id quoque legitur) melopeponem significat, qui inter cucumeres (multa enim sunt eorum genera) pulcherrimus est. Nec tantum cœrulei videtur participes: sed ipsius quoque mundi gradus, introrsum versus, attenuatos ostendit, ut hoc olim de eo lusimus,

Quis neget e cœlo missum? formamque, coloremque,
Atque gradus cœli, nectaris atque refert.

Est enim sapore suavissimo. Sine ulla dubitatione, quod nos cœruleum, Græci dicunt *cyaneum*, A in quorum etiam commentariis *lazurion* invenio. Ascribitur huic generi, qui Venetus olim, nunc vulgo *blavus* nuncupatur color, ex factione Circensi valde nobilitatus. Fuerunt autem colores in Circo, præter hunc Venetum, roseus, albus & prasinus: quibus auratus postea, purpureus & luteus additi sunt. De iis suo loco dicemus.

CAP. II.

CAESIUS.

B CAESIUS vero si dictus esset (ut doctissimi viri monumentis olim tradiderunt) quasi *cœlius* a cœlo, eadem foret in cœlo & cæsio diphthongus: constat autem esse in iis vocibus diversam. Nihil præterea differret a cœruleo, quando id, ut ostendimus, a cœlo deductum est: differt autem sine dubio, vel ex ipsius M. Tullii authoritate, cujus hæc sunt verba in primo *De Natura Deorum* libro: *Cæsios oculos Minervæ, cœruleos esse Neptuni*. Ad hæc, non quemadmodum legimus cœlum, mare, vestem florem cœruleum, ita legimus cœlum, mare, vestem, florem cæsium: sed C oculos tantum cæsios Veteres dixerunt, quibus inest fulgor quidam visu horrendus. Unde existimo, sicut Cæsar & Cæso dicuntur a cædendo; ita cæsium a cæde nominatum esse: ut qui cæsius sit, cædem quodammodo oculis minari videatur: qualis prælio gaudens & cæde dicitur fuisse Minerva, ex quo illa ab Antiquis vocata fuit, ut ego arbitror, *cæsia*. Significat hoc M. Cicero, ubi de Catilina ait: *Notat & designat oculis ad cædem unumquemque nostrum*. Hic, qui oculis ad cædem Senatores designabat, cæsius erat: cujus etiam oculos Salustius, insignis historicus, fuisse tradidit fœdos, id est, cæsios. Cujusmodi memoriæ proditum est D Neronis quoque oculos fuisse: quod ipsum non leve fuit argumentum tyrannicæ crudelitatis. Quin a Terentio cæsii hominis facies dicitur *cadaverosa*, hoc est, immanis, & sævitiam arguens, qualem sicarii præ se ferunt & carnifices: quamvis alii parum erudite *cadaverosam* pro sublivida exposuerint. Enimvero leonis oculos si quis inspexit, qualis sit hic color, intelligit: micant illi (ut studiose ipsi prope consideravimus) velut ignis penitus flagrans. Dicitur color hic Græce ab omnibus *glaucus*, quod verbum longo jam usu Latini poetæ suum fecerunt. Latius tamen patet glaucus: nam præter oculos noctuinos, quos, ut avis ipsius Græ- E cum nomen declarat, omnes glaucos esse confirmant: multa quoque dicuntur glauca, ut ulva, palustris herba: ut salix, cujus cum frondes, tum multo magis cortex in ramis, præsertim anniculis, nitet hoc colore: quem laudat Virgilius in equis, eosque noto carmine glaucos appellat, com-

A muni Italorum lingua *bajos* nominatos. Nam ſpadices, honeſti ab eodem poeta ibidem vocati, illuſtriores ſunt aliquanto, baii & ipſi, ſed *clari* vulgo nuncupati: atque ii duo aliorum omnium maxime probantur colores in equis. Ulva igitur & ſalix, quas idem Virgilius glaucas dixit, equi item ſpecies optima, caſtaneæ etiam nucis tunica, aliaque multa, præter leonis ac noctuæ oculos, colorem glaucum oſtendunt. Sed ut, unde diſceſſi, redeam: quando cæſius color tantum eſt oculorum, videndum eſt ne is ſit potius quem Ariſtoteles *charopon* vocat. Sic enim ab illo dicitur leo ab oculorum ſævitia, quem Catullus poeta doctiſſimus *cæſium* appellat. B Unde Hercules cognomento dictus fuit *charops*, quaſi *iracunde intuens*. Nam *chara* Græce, *ira* quoque dicitur Latine: & ex eodem, ut puto, horrore Charybdis nominata eſt, & Charon: de quo quum inquit Virgilius,

Stant lumina flamma,

cæſium voluit ſenem illum horribilem ac dirum ſignificare. Quanvis non neſciam, charopon ab aliis aliter quoque exponi.

C

CAP. III.

ATER.

HORRIBILIS etiam color eſt ater dictus, omnino velut anthrax, id eſt, carbo: nam proprie eſt carbonis extincti. Quare ſcite, ut omnia, Terentius,

Tam excoctam, inquit, *reddam atque atram*,
quam eſt carbo.

D Et inde a Virgilio cinis dictus eſt ater, & favilla atra. Sanguis præterea caloris atque coloris ignei particeps, effuſus ac frigefactus amiſſo rubore, tanquam in carbonem mutatus, ater ab omnibus vocatur. Dicitur & mors atra, quia cadaver, extincto calore illo vitali quo corpus alitur, atrum relinquitur, ut eſt carbo: quæ mihi perquam elegans videtur ſimilitudo. Quid quod dies atri eadem de cauſa dicti fuerunt? Qui enim luctum afferebant, carbonibus, ut contra dies læti ſcrupis ſignabantur gypſeis: ex quo Horatius *lib.* II. *ſat.* III ait,

E *—— creta, an carbone notandi?*

Differt in hoc a colore nigro, quod ut omnis ater eſt niger, ſic non omnis niger eſt ater: horrendus eſt hic, triſtis, viſu injucundus, lugentibus accomodatus: ille contra nonnunquam lepidus ac venuſtus: ut humani oculi ſunt complures, quos nemo atros diceret, ſed nigros, iiſque tamen nihil majori cum voluptate ſpectamus. Vocabatur autem ater ab Antiquis etiam *anthracinus*, idemque *furvus*: quibus longe minus ſunt nigri, lividus & fuſcus. F Alter ex gravi corporis ictu proveniens deformitatem habet: unde invidi aliorum bonis, velut verberibus laniati, & idcirco exſangues, lividi nuncupantur. Alter non inſuavis, & in homine perſæpe laudatur: qui tamen ſi modum excedit, ac maxime fuſcus eſt, & quaſi nigreſcit, *preſſus* dicitur: ut quæ aliquandiu ſub prælo veſtis preſſa nimium coloratur. Legimus etiam equi colorem preſſum. Secus vero faſciolæ *coloriſcæ* dictæ fuerunt, quæ non ſaturatæ, ſed vix colore aliquo illitæ e coronis dependebant. Eſt autem forma diminutiva, ut Lyciſca, Syriſca.

Aquilum Veteres hunc fuſcum a colore aquilæ vocarunt, qui inter nigrum eſt & album, id quod Plato etiam docet.

CAP. IV.

ALBUS.

EST autem albus color puriſſimus, quocirca ad animum translatus, pro ſyncero capitur: is nullibi quam in nive clarior eſt: quam tamen atram eſſe Anaxagoras affirmabat. Sumitur pro pallido, unde *Timor albus* legitur, &, *Metu exalbuit*. Quam ob rem Romanæ mulieres quondam funera ſequebantur in veſte alba, tanquam mortui, quem efferebant, colorem referrent. Elucet candidus, atque oculos delectat. At candens non hoc tantum eſt, ſed pro ignito accipitur. Itaque Veneris humeros recte dixeris candidos, vel candentes: ferrum, quod a marito tunditur, non candidum eſt, ſed candens. Ejuſdem generis eſt canus, qui etti ad alia transfertur, proprie tamen eſt capilli & barbæ ſenilis. Naſcitur equus nonnunquam canus atque albineus, non idem qui & candidus aut albus, ſed hujus non expers. Eſt & color albi nigrique particeps, a Græcis inde *leucophæos*, voce jam a noſtris uſurpata, vocatus: Genus eſt id coloris nativi: non enim inficitur, ſed ovis ipſa ſic natura quaſi pingitur. Hunc ſibi ſecta ſacerdotum ſumpſit ſanctiſſima, qui nulla tunica linea penitus induti, pro cingulo reſte ſe vinciunt nodoſa, ac ligneis tantum calciamentis uſi, precario victum quæritant.

CAP. V.

PULLUS.

QUALIS vero ſit pullus, oſtendit terræ ipſius color: major enim illius pars pulla eſt. Itaque quoniam ea mortuis injicitur, voluerunt Veteres, ut qui lugerent, pullis pallis, terræ ſimilibus, eſſent amicti. Doſum etiam leporinum proprie eſt pullum: quam ob rem, naturæ ipſius doctus magiſterio, terram recentem ab aratro metu pavidus quærit ille, ibique nonnunquam ſtratus, nullaque re abditus, venatores, caneſque ipſos prætereuntes, ac ſagaciter prope omnia perquirentes, coloris tantum beneficio ſæpiſſime latet: &, ut in quodam epigrammate de lepore diximus,

Quem fuga non rapit ore canum, non occulit umbra:
Concolor immotum ſub Jove terra tegit.

Nulla arte aut impenſa color hic paratur; natura enim ſic provenit: unde nativus quoque vocatus eſt, diverſus ab eo de quo loquuti ſumus. Jamque nos Conſentini, apud quos multa antiquitatis veſtigia apparent, (ſiquidem & præficæ, ut quondam, mortuos laudant, & ſilicernium in uſu eſt, ac nemo ſine ſuorum oſculo ſepelitur) utriuſque ſexus veſtimentum funebre, nativum dicimus[: quanvis atrum ſit illud, & in mulieribus matrimonio junctis cyaneum, quo Græcæ, ut dictum eſt, olim in funere utebantur. Idem quoque Hiſpanus vocatus eſt & Bæticus, etiam Mutinenſis: in iis enim locis id genus lanæ videtur. Eſt autem *pullus*, nomen, ut reor, diminutivum a *puro*: velut a *rara* veſtimenti genere fit *ralla*, ab *opera opella*, a *terra* etiam *tellus*: ut lana pulla ſit

pura, nullo alio colore infecta, sed suo tantum & ingenuo contenta. *Colorias* hujusmodi vestes per se coloratas aliqui dixerunt. Posuit hanc vocem Augustus in suo testamento, ubi hæc verba legebantur: *Gausapes, lodices purpureas & colorias meas*. Atque indidem, ut sentio, dicti sunt pulli equorum, aliarumque pecudum, quasi pueri, nulla adhuc libidine aut labore violati. Sunt huic pullo simillimi, color impluviatus, dictus velut fumato stillicidio implutus: & suasus qui insuasus quoque vocatus, lutum refert. Est autem suasus e stillicidio etiam factus fumoso, in vestimento albo. Quare haud dubitanter non alius est quam impluviatus: quamvis aliqui tradiderint, colorem omnem qui fiat inficiendo, suasum dici, quod illi quodammodo sit persuasum, in alium quemvis colorem ex albo transire.

CAP. VI.

FERRUGINEUS.

FERRUM longo situ rubiginosum, facile ostendit colorem ab ipso appellatum ferrugineum: agit enim is, id est, refert, colorem ferri Quin & filamenta, quibus sæpe conopeum, & multæ præterea vestes lineæ circunsuuntur, ferruginem dicunt infectores. Tunica etiam nuclei pinei lanugine quadam pulverulenta, ferruginea est. Erat is quoque lugentium color: itaque capitur nonnunquam & ipse pro funesto, atque ea de causa hyacinthi dicti fuerunt a Virgilio ferruginei, quasi lugubres: quia puerum, ut est in Fabulis, casu interfectum Apollo diu luxit: atque in ejus foliis velut epitaphium, in sui doloris perpetuum monumentum, inscripsit, non quia vere floris color sit ferrugineus: est enim is, in quem mutatum ferunt adulescentulum, purpureus. De hyacintho in literatum flosculum transformato fecimus hoc:

Nil opus elogio redimire aut flore sepulchrum:
Ipse sibi flos est elogiumque puer.

Eodem modo cœlum vocatur ferrugineum, hoc est, nubilum & triste: atque apud eundem Virgilium, sol caput suum nitidum in morte Cæsaris texit ferrugine, quasi colorem se induit lugenti aptum: ut tanti viri cædem sol ipse lamentari videretur. Nec alia ratione Charontis naviculam dixit ferrugineam, quam quoniam ea una loco sandapilæ, mortuos omnes vespillo indefessus transvectat.

CAP. VII.

RUFUS.

NON eundem esse rufum atque rubrum, ex hoc intelligi potest, quod recte dicitur sanguis ruber: rufus, non recte. Rursus barbam & capillum Ænobarbi rubrum Veteres non dixerunt: sed modo rufum, rutilum modo, quidem est. Quin & canes immolabant Romani sacerdotes, numquam rubras vocatas, sed quas nunc rufas, nunc rutilas appellabant, ad placandum caniculæ sydus, frugibus inimicum. Ex quo manifestum est, rufum rutilumque eundem esse, id quod ex Antiquis etiam aliqui docent. E canis igitur colore satis noto, atque e multorum barba & capillo, cujusmodi sit color rufus, apparet. Hunc rustici in armentis *robum*, *gilvumque* olim dixerunt, atque etiam *beluum*: ut vini genus est quod- dam inter ruffum albumque, nulli non cognitum: quod quoniam cerasi colorem refert duracini, *cerasorum* aliqui dicunt Italiæ populi. Sed & *burrham* iidem appellabant vitulam quæ rostro esset rufo. At homo *burrhus* est, qui pransus, cibo & potione rubet: hunc aliqui etiam rubidum vocant. Invenitur & rubeus, etsi aliqui non indocti vocem non esse Latinam monuerint: quum tamen apud authores non malos, ex uvis nigris fieri vinum forte, legatur, e rubeis autem suave: necnon bos rubeus probetur.

Verbum est omnino rusticum, nec prorsus idem color est qui & ruber, sed ad eum proxime accedit. Quid quod russeus etiam legitur? negat quidam e vetustis grammaticis dici posse: rursum jubet, ex quo pannus est russatus. Utrunque certe Latinum est, sed aratoris magis quam oratoris: habent enim & sua verba qui ruri vivunt, urbanis nonnullis inaudita. Russeum equum dicunt illi, qui non plane russus est, sed aliquanto minus ruboris habens, idem fere videtur. Hic autem, quoniam quasi cruentato similis est, hodie saginatus, quasi sanguinatus, vulgo nominatur: quanvis hujus nominis nonnunquam equi albescant.

CAP. VIII.

RUBER.

RUBRUM maxime indicat animantium sanguis, & quo lana inficitur, coccus: granum id a nostris vocatur, unde vestis est coccina, nulli ignota. Ostentat tamen hunc colorem præ cæteris rebus liquor purpuræ, cujus adeo gratus est color, ut si quid paululum habeat ruboris, modo visu sit illud non injucundum, purpureum sæpe dicatur: ut sunt violæ, & varia florum genera; quin & candidus (is enim quoque oculos remoratur) a poetis vocatur nonnunquam purpureus. Nam & olores purpureos dixit Horatius, & nivem ipsam purpuream Albinovanus. Invenitur & blatteus positus pro purpureo. Non prætereundus est color viteis frondibus arefactis simillimus, & idcirco *xerampelinus* Græce dictus. Usurpant hanc vocem Latini: certum enim vitis genus adulto jam autumno pampinis rubet velut cruentatis, unde nomen colori inditum est. Rosa ab omnibus nunc dicitur sicca. Atrabapticas vestes eo colore infectas, quoniam in eo purpura nigresceret, aliqui appellaverunt. De ea re fabellam excogitatam his versiculis sui complexus:

Cæderet immeritæ vitis dum crura, cecidit
Ipse sua, & dira cæde Lycurgus obit.
Unde prius viridis, rubet hostis sparsa cruore,
Illæso vitis stipite, & ulta nefas.

CAP. IX.

ROSEUS.

JUCUNDISSIMUS omnium est color roseus, atque humano corpori, si id formosum est, quam simillimus. Itaque os, cervicem, papillas, digitos roseos poetæ dicunt: id est, candidos, rubore sanguinis penitus diffuso cum venustate: isque color proprie est, quem communis sermo *incarnatum* vocat. Refert enim maxime omnium pueri nitorem ac virginis rosa: non Milesiam intelligo, quæ nimis purpurea ardere quodammodo videtur: nec rursus albam, sed

quæ utrinque decorem accepit. Et quia corpus hominis imitatur, quod lingua vernacula *carnem* appellat, eadem id genus rosarum *incarnatum* nominavit. Cicero colorem hunc suavem dixit.

CAP. X.

PUNICEUS.

A PHOENICIBUS color Phœniceus, puniceus quoque dictus, flagrat velut viola flammea: atque ita a multis olim purpura vocata fuit violacea, hodie pene nomen servat: nam *paonacius*, quasi puniceus, dicitur: etsi aliqui vocem hanc vernaculam a pavonis colore factam volunt. Phœniceum vero alium ab hoc palma (quæ *phœnix* Græce est) a se nominavit. Color hic in equo, ut jam diximus, maxime laudatur, qui modo spadiceus, bajus modo, badius etiam & balius, variis nominibus vocatus est. Termites enim palmarum cum fructu, *spadices* & *baja* Græci dicunt: unde equus ab equisonibus appellatur bajus.

CAP. XI.

FULVUS.

Ex omnibus maxime lucet fulvus, quem multa jactant, orichalcum in primis, aurum, ipsæque etiam stellæ:

Quas non extinguunt venti, non nimbus aquosa
Nube cadens: celsa semper sed luce coruscant.

Quare Tibullus proprie sydera fulva appellavit. Est & aureolæ species arenæ, quam fulvam dixit Virgilius: & genus quoddam aquilæ ab Aristotele maxime celebratum, colore etiam fulvo. Qui si obtusus quodammodo est, atque obscuratus, vocatur *ravus*. Jamque sic Horatius lupam appellavit, cujus colorem noto magis verbo plerique omnes fulvum dixerunt. Tradunt aliqui, ravos oculos, quos in cane & ariete laudat M. Varro, inter cæsios esse & flavos.

Ornat sæpe color hic flavus virginum ac puerorum capita: atque in maturis frugibus semper elucet: nec non pro pulchro frequenter positum videmus.

At luteum nihil æque ostentat, ac flos calthæ & genistæ, ovique etiam vitellus. Croceo est hic perquam similis, sed lucidior aliquanto: ab Antiquis flammeus quoque dictus, quoniam eo flaminis uxor flaminica utebatur. Potest hoc loco pallidus poni ac luridus: mortui color est hic horribilis, ipsiusque mortis, ut poetæ dicunt, & Plutonis: ille nonnunquam vel gratus in homine atque amabilis.

CAP. XII.

VIRIDIS.

CUJUSMODI sit color viridis, suppeditat exemplum herbarum multitudo, quarum tanta est varietas, ut quum earum vis sit infinita, nulla tamen æque atque ex iis aliqua prorsus vireat: sed omnes inter se discolores videantur, id quod in reliquis omnibus coloribus apparet. Quare si minus est hic albus aut niger, quam ille: non idcirco nomen albi amittit, aut nigri. Ex avibus A autem insignis est hoc colore psittacus, avis inde a quibusdam viridis appellata, & quo nihil lætius est, smaragdus. Maxime quoque lucet viriditas in genere quodam scarabei, cujus ipse meminit Aristoteles: is quoniam dorsum habet nota quadam aureola sic litum atque illustratum, ut lunæ speciem exiguæ sustinere videatur, non invenuste a nobis Consentinis *equus lunæ* nuncupatur. Fecimus hoc jampridem de scarabeis jocosum epigramma:

Parvula Sisyphio gens condemnata labori,
B *Quas figula ipsa facit, fertque refertque pilas.*
Pars nigra, ut Æthiopum manus usta caloribus, horret,
Regia pars viridi picta colore nitet.
Parva micat cujus dorso nota (magna minutis
Si conferre licet) luna pusilla velut.
Dixit equum lunæ hinc cognomine Brutia tellus.
Quod si bellator sic nituisset equus,
Illo capta foret non una Semiramis: essent
Centauri & plures, quam genus est hominum.

C Egregius est inter colores qui virent, prasinus, multorum carminibus collaudatus: nunc viride porrum ab infectoribus vocatur.

CAP. XIII.

EPILOGUS.

LIBET epilogum addere, varietatem proprie de coloribus dici, ex quo vestis varia, discolor est diversisque coloribus consuta: divisam D nunc omnes vocant: & equus varius, non totus vel candidus vel niger, sed iis, aliisve coloribus distinctus: sic & cœlum varium, cujus partes serenæ interlucent, partes nubilæ tristantur. Atque alium sæpe pro alio, si inter eos affinitas est, colorem usurpant poetæ: ut lumen Minervæ flavum dixit Virgilius pro glauco, quo venustatem quoque esse in oculis deæ ostenderet: quemadmodum amictum Tiberis, cujus aquam alibi flavam appellavit, glaucum idem esse cecinit: est enim inter hos colores similitudo & quasi vicinitas. Sic, ut jam dictum est, albus pro pallido, ac cœruleus pro subviridi poetice ponitur, proque etiam subnigro: multi- E que præterea invicem cedunt. Ex omnibus vero maxime contrarii sunt albus & niger, quare nihil æque apparet, atque in alba papyro atramentum. Utebantur Veteres (quod nunc etiam servatur) quum librorum titulos notarent, colore puniceo, in honorem memoriamque Phœnicum, quos literarum tradunt fuisse inventores. Sunt etiam e coloribus aliqui incerti, qui intuentium oculos fallunt, ut est cœli nitor, quod quum tenebrosum quidam autument, illustratum radiis solaribus, cyaneum videtur: ut iris, ut quas suspicimus nubes nonnunquam ignescere, ut mare ipsum quod præter cœruleum, modo atrum horret, modo vi- F rescit: interdum etiam flavum ravumque se ostendit, aut specie quadam purpurascit violacea. Non idem quoque decor in collo cernitur columbæ & pavonis, unde aves sæpe dicuntur versicolores: quale est serici genus satis notum, quod e diversis partibus spectanti non eundem offert coloris leporem.

Discolor autem non modo pro vario sumitur, sed si quid eundem colorem, velut radios quosdam, diffundit: ut,

Dis-

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

At decolor is dicitur, ex cujus ore color defluxit, & exsanguis relictus est: atque idcirco pro deformi capitur & nigro, ut decolor Indus: nam concolorem ejusdem esse coloris nemo ignorat. Ad hæc colores bifariam dividuntur: nam austeri vocabantur reliqui omnes, præter minium, purpurissum, cinnabarim, Armenium, chrysocollam, Indicum, quos floridos dixerunt. Sed hæc pictores videant, quibus olim in usu tantum erat melinus color, candidus, silaceus, qui inter cœruleos nominatur, sinopis genus rubricæ, & atramentum. Quidam etiam suaves dicti sunt, ut flavus, purpureus, candidus, in primis roseus: humanis autem oculis nihil venusti hominis colore suavius videtur. Inesse vero coloribus suavitatem, præterquem quod sensus ipsi judicant, egregii Latinitatis authores ostendunt, M. Cicero & Virgilius Maro: quorum alter *suavem hominis colorem* dixit, ab altero *suave rubens hyacinthus* vocatus est. Alii tristes sunt & lugubres, velut atrum esse diximus, pullum, ferrugineum, & cœrulei speciem. Quin ut videntur, sic sordidi etiam aliqui dicti sunt, ut, de quibus locuti sumus, suasus & impluviatus: iis enim rei, ut misericordiam apud judices captarent, se deturpabant. Talem quoque fuisse vestitum Charontis ostendit, quum inquit Virgilius,

Sordidus ex humeris nodo pendebat amictus.

Jam vero colores partim nominati sunt a locis, ut Puniceus, Tyrius idemque Sarranus. Purpurei sunt hi, Indicum, Sinopis, Melinus, Hispanus, Bæticus, Mutinensis, de quibus dictum est. Colossinus a Colosso urbe in Troade, ubi lana inficitur, florem referens cyclamini, quod tum rapum, tum terræ malum, ac tuber vocatur, a nobis Consentinis *terrigena*: fulget flos ille inter candorem & purpuram.

Partim a metallis nuncupati sunt, ut plumbeus, ferrugineus, argenteus, aureus. Sed a plantis nomen acceperunt complures, ut præter phœniceum, id est, palmeum, ac xerampelinum, buxeus est; qui pro pallido sumitur: pallet enim præ cæteris buxea materia. Roseus præterea: hyacinthinus, in quo purpura lucet subnigra: hysginus ab hysge herba: coccinus, & utrique similis sandycinus: violaceus, qui & janthinus: ex quo tyrianthinus, e purpura (ut nomen indicat) factus, & viola. Additur his croceus: unde crocotula vestis genus, ut a calta caltula: a bysso lini genere tenuissimo byssina: erantque hæ omnes luteæ, sed byssina pene ut aurum fulgebat. Fuit in usu vestis a citri similitudine, citrosa dicta: & quædam coloris candidi, *papaverata* a Lucilio Satyrico, quum ea, ut probrum, Torquato objecisset, nominata. Invenitur quoque galbina vestis alba a galbano. A malvæ item flosculo color est molochinus, ut a punicæ etiam flore balaustinus. Virentis quoque porri folia nomen ex se, ut jam diximus, fecerunt prasinum. Multi præterea ab animalibus vocati sunt, ut cervinus, murinus. Atque hi colores sunt in equo notissimi. Mustellinus, de quo Terentius. Ictericus, qui regio morbo laborat, a colore galguli, quam Græci avem icteron dicunt. Luteus est hic admodum. Cygneus, idemque Latine olorinus, id est, candidus: ut contra coracinus, niger. Ascribuntur & his ostrinus, conchyliatus, muriceus, purpureus, ab Herculе, ut fabulantur, primum inventus. Feci paucos de ea re choriambos, quos visum est hic ponere:

Errat dum bibulis Herculeus littoribus canis,
Nantem forte videt spumifero gurgite purpuram,
Aggressusque ferox corripuit viscera mordicus:
Mox pastus rediit, commaculans gramina sanguine.
Quem Tyro simul ac pulchra videt (namque erat hæc comes)
Prolutum roseis candida sic ora coloribus,
Alcidem alloquitur, Non alio munere te sequar,
Quam si picta mihi palla rubens huic similis datur.
Quod nunc per spolium terrificæ te rogo belluæ,
Invictæque manus robora, per tela sonantia,
Non ignota avibus nubila translata fugacibus,
Da ferre hæc, (poteris nam omnia) nec te tenuit maris
Circumfusa palus, Hesperidum quo minus aurea
Ferres munera. Sic brachiolis fata revinciens
Robusta implicuit Nympha procax colla tenaciter.
Paret victus amans blanditiis Amphitryonius:
Nactusque exanimen, quam expuerat jam mare, purpuram,
Infecit Tyrio primus ovem murice candidam.

A rebus denique diversis nonnulli colores dicti sunt, ut igneus, flammeus. Sic orbis nitorque solis ab Attio & Catullo appellatus est. Quare color solis, & quia ita apparet, & ex illorum authoritate, flammeus proprie potest vocari. A cœlo, ut jam principio dixi, cœruleus est. Marinus & thalassinus a mari: ab unda cymatilis & cymatius: idemque est in iis omnibus color. Quinetiam ab arcu pluviarum nuntio arquatus est nominatus. Hyalinus, qui & vitreus, niveus, marmoreus, lacteus, eburneus, quo dictus fuit cognomento, propter candorem corporis, Fabius quidam. Amethystinus præterea, ex quo tyriamethystus in usu fuit olim. Sandaracinus, flammeus est is: quibus etiam impluviatus, sanguineus atque herbidus adduntur. Cereus item, piceus, cinereus, ut cardui genus esculenti a colore cinara vocatum. In hoc autem carduo esse etiam aliquod ipsius virtutis simulachrum, pauci, quos hic subjeci, declarant versiculi:

Ut vallatus acutis
Circum frondibus horret,
Intus sed tamen abdit
Dulcem carduus escam:
Cœlo missa sereno
Sic virtus: puer aspris
Ambit sentibus ipsam
Jucundam ambrosiam diis.

A spumis quoque & maculis, spumeus est & maculosus: atque ii equorum sunt etiam colores; ut a guttis guttatus: cujusmodi præter equos, canes videntur nonnulli sagaces, quos a muscarum similitudine muscatos dicunt, velut equus scutulatus a scutulis: quem ab exiguorum pomorum specie, pomulatum vocant equisones: & si orbes sunt latiusculi, rotatum. Videtur ad extre-

mum natura amare cæruleum: eo enim, ut initio diximus, mare collustravit, ac cœlum ipsum: quod nunquam stellis fulgentibus ornasset, nisi eadem qooque fulvo maxime delectaretur. Sed quia vicissim videmus terram aut viriditate convestiri, aut eo ornatu spoliatam, pullam esse, aut etiam candore niveo contegi: viridem, pullum, atque A album naturæ gratum esse nemo pcrest dubitare. Nigra insuper est nox: nigri sunt Indi atque Æthiopes: gaudet igitur rerum mater colore nigro, quam a rubro nihil abhorrere hominum ac cæterarum animantium sanguis facile declarat.

FINIS.



POMPONII GAURICI,

NEAPOLITANI,

DE

SCULPTURA,

SIVE

STATUARIA,

LIBER.

AD HERCULEM FERRARIÆ PRINCIPEM.

VERE NOBILI ET ERUDITO VIRO

JOANNI JARDANO AB HIRTZAIM,

EQUITI GERMANO,

JAC. CURIO HOFEMIANUS

S. D.



EDIT ad me Lucas Gauricus Pomponii fratris sui hunc *de Symmetria & Statuaria* librum, omnium sane quos videre hac de re unquam contigit præstantissimum. Et eo quidem nomine dedit, ut si probaretur mihi, quem hactenus nemo Italorum non egregie probat, novis eum formulis darem in Germania excudendum. Agnovi donantis humanitatem, mirumque in modum ardore incendebar legendi aliquid *de Statuaria*, quæ nullos adhuc, quantum quidem ipse memini, scriptores invenit. Nosse cupiebam avide quanta verborum dignitate vim ac potestatem artis exequeretur, maxime vero, quidnam commodi ipsa aut voluptatis cognitori adferret, quæ esset explicatio, quæ gratia. Dici autem vix potest, quanta animum meum admiratione impleverat, dum singulas artis viderem species tam apposite, tam dico & scite eleganterque pro varietate materiæ tractatas. Jures ad id artificii genus exercendum se vertisse totum, quando quod optimi cujusque artificis est, affabrefactionem ex eo contendit omnem hic esse, quo singulæ inter se Operis partes sibi quam aptissime respondeant, nihilque omnino aut productum habeant, aut subductum magis, quam ratio, quam natura, quam res denique ipsa exposcat. Attingit pleraque minime plebeja, sed artis plena & seposita, quæque non nisi ab ingeniosissimis, quos natura scilicet ad hæc ipsa formavit, cognoscantur. Physiognomiam, cujus quam maxime peritum vult esse Statuarium, non prætermisit. Neque his contentus, laudes artis quoque, & artificum eorum, præsertim quos novit insignes, addit. Atque omnia mehercle venuste hæc & graviter, unde rem me facturum literatis quibusdam apud nos non ingratam putavi, si Gaurici obsecutus consilio, tam impense a multis laudatam Disputationem prælo demandarem. Adeoque tuo illam ipsam etiam Jardane nomini renatam inscriberem. Quem enim idoneum magis judicem & patronum dari huic, quam te postulem? Qui non modo rerum harum, quas liber hic tractat, valde es studiosus, verum alias tantum etiam ad fortunæ & ad summa ingenii ornamenta adjungis diligentiæ, quantum in tuo hoc ordine vix quisquam alius. Nam & historia unquam tibi cadit e manibus, & philosophiam ita amplexaris, ut dubium sit, utrum discendo cognitione, aut agendo, quæ præcipit, virtute & moribus plus jam profeceris. Neque vero illud etiam non magnopere in te laudandum venit, quod in his temporum anxietatibus & tædiis pacem ac tranquillitatem mentis salutarium librorum lectione tuearis. Consueveras id quoque facere, dum esses adhuc Alberti Cardinalis & Archiepiscopi Moguntini Principis nostri, cum generis antiquitate, tum summis & heroicis animi dotibus illustrissimi, Cubicularius, ministrorumque adeo omnium proximus & intimus, ubi persæpe animadverti, qua assiduitate, non jam in uno quodam liberalis doctrinæ genere, sed multiplici, versaberis: qua gratia etiam & favore prudentissimus Princeps te complectebatur ob hoc, quod videret te, quicquid ocii suppeteret, consumere in studiis utilibus & amœnis, non indulgere vanis & inanibus oblectamentis, quemadmodum soliti tum fuerant tuæ conditionis juvenes quidam alii, qui dum potitarent, luderentque alea, tu animi causa lustrabas Bibliothecam, quam nunquam absque honoris præfatione nominandus Princeps noster locupletissimam instruxit. Vel etiam delassatum negotiis animum recreaturus spaciosam illam ingrediebaris Aulam, quam idem ille ornavit, tot quasi spirantibus simulachrorum figmentis, Statuis, Automatis, Toreumatis, auro radiantibus aulæis & peristromatis. Inter quæ omnia partim ipsa novitate, partim magnificentia & raritate visenda opera & spectacula, dum nobis tu (qui non semel in penetralia te comitabamur) perite ostenderes, quid quaque in re excellens esset, quid naturale, quid pulchrum ac decens, quid item instruat ad componendos mores, quidve faciat ad pascendos solum oculos. Multorum etiam opificum trascendere judicium mihi videbare. Quare merito hunc in multa jam denuo propagatum exemplaria librum, Joannes Jardane, accipies, non ut munus tamen aliquod a me te putes accipere, (Pomponii enim est, non meum) sed ut tuam, quod dixi, sententiam de eo feras. Bene vale, ac Pomponium ingenii nobilitate præcellentem hunc tuo patrocinio apud nostros defende. Moguntiæ octavo Idus Aprilis, Anno M. D. XLII.

M. ANTONIUS PLACIDUS

LAURENTIO STROZÆ FLORENTINO

S.



U M ad noſtras manus perveniſſet hic Pomponii Gaurici de Sculptura *non jam libellus, ſed, qualem Domitius Piſo oportere eſſe ajebat, theſaurus, quod & ipſe Romanæ urbis inſtaurator Bernhardus Oricellarius ſocer tuus judicavit: exiſtimavi non parvam apud omneis homines aliquando me gratiam pomeriturum, ſi per me commrnis omnibus in publico locaretur; atque ea diligentia, ut ne litera quidem aliter reponeretur, quam ejus ipſius manu mihi ſcripta conſtaret. Verumenimvero, cum ille de me peculiarem ſibi patronum aliquem expoſceret, cujus tutela in vulgum illæſus prodiret, patronum ego ei te dedi, ſcilicet quem maxime is optare videbatur; uti Regia domo cæteros in toto terrarum orbe mortales antecellentem, ita & cæteros in hac tua florentiſſima urbe juvenes & morum & ingenii nobilitate præſtantem. Nam quid, rogo, potuit fieri convenientius? quam elegantiſſimus libellus juveni dicaretur elegantiſſimo, quam nova ars ipſis addita liberalibus octava, novam adiret domum, & quæ quaſi octavum haberetur in mundo miraculum, decoratam ſtatuis, decoratam & picturis. Tu igitur munus hoc noſtr um patrocinio tuo complectere, & quod te facturum ſcio, ne de tuis, ne de Philippi fratris tui optimarum literarum ſtudioſiſſimi, manibus unquam temere cadat. Nam præterquam quod hæc ſæpius legendo Latinam linguam, quod ego in me expertus ſum, efficietis exornatiorem, & veſtram pulchritudinem relegetis, & vehementius multo veſtri Palatii ornamenta diligetis.* Vale.

INDEX CAPITUM·

POMPONII GAURICI,

NEAPOLITANI,

DE

SCULPTURA,

SIVE

STATUARIA,

LIBER.

AD HERCULEM FERRARIÆ PRINCIPEM.

CAP. I.

Artis Statuariæ commendatio. Statuarii defcriptio. De Statuarum materia. De Statuariæ fpeciebus.



UM fæpe mecum, Princeps Invictiffime, peregregias laudes tuas animo confiderarem, atque ad clariffimum rerum tuarum fplendorem nominis quoque rationem accommodatam effe intelligerem; & Platonis noftri Cratylum deamavi, & te unum ex omnibus cognovi, quem vere noftris temporibus Heroa vocare poffimus, & in quem divinos conferre honores una certatim omnes debeamus. Etenim fi cum comparatione caufam expenderimus, multo id quidem rationabilius nos quam Veteres olim feciffe dijudicabimur. Nam quis erit ufque adeo rerum omnium imprudens ac ftolidus, qui fateri audeat, non hunc Herculem Hercule tanto majorem quanto animam corpore excellentiorem? nifi forte vipereos angueis elidere, feras quas ipfi nos interdum venatu perfequimur, apros, cervos, leones vincere, equos edomare, obfcœnis fubinde libidinibus emancipari, tantum non quinquaginta (ut feftive Græcus ait) mulierculis admifceri, ac poftremo etiam in furorem adigi, præftabilius cuiquam videri poterit, quam civitates conftituere, urbes amplificare, populos regere, virtutes complexari, libidinem, iracundiam, fuperbiam, avaritiam frenare, ac nullis omnino denique vitiis obnoxium effe. Hoc erat Herculem agere, hoc erat Jove nafci, & jam tandem cœlum mereri. Quocirca factum eft, dive Hercules, ut non minori ego te veneratione femper habuerim, quam Prifci illi Jovis filium. Quod ipfum tibi fignificare cum voluiffem, nihil mihi quidem venire in mentem potuit, quod dignius putarem, ut ad te mitteretur, quam hic *de Sculptura* libellus, tum quod nulli ante hoc tempus inventi funt, qui de ea re perfcribere potuerint: tum etiam, quod nihil ea arte vifum nobilius, atque ad hanc immortalitatem tuam accommodatius.

A Cogitabam igitur perpetua dictione Sculptoriam tibi omnem artem explicare, fed quo minus id ita fecerim, cafus quidem ipfe impedimento fuit. Nam cum fuperioribus diebus proxima æftate Patavii effem, divertiffetque apud me Raphael Regius, Græce & Latine Rhetor exercitatiff. poft multorum falutationes, ubi in varios (quod fieri inter familiares affolet) fermones exivimus, libuit Ciceronianum illud declamandi genus, multis jam feculis intermiffum, paulifper retractare, certis quibufdam horis, quibus ille ab negotiis, ego a philofophiæ ftudiis vacare B foliti eramus. Quodam vero die, cum in ἀγαλματυργίῳ (id enim domefticæ officinæ nomen) me conveniffet, ibique nefcio quas expreffas ære ac marmore effigies contemplatus effet, de Sculptura mox loqui occepimus. Qui fermo, quoniam varius ac multiplex fuit, fperavi operæ precium, fi a me tibi recenferetur. Ille igitur, nihil te inquit uno mirius. Aft ego putabam tantummodo literis te operam dare, nunc minimum video tempus id effe, quod ftudiis impertitur. Equidem fi quid erit alibi impendendum, laudo: heic potius C confumas; nimirum ars eft, & inter cæteras nobilis & libero, mihi ut videtur, homine digna. Ego vero tum inquam, ufque adeo nobiliffimam digniffimamque Regi femper hanc artem exiftimavi, ut ne ab liberalibus ipfis difciplinis feparari poffe crediderim. Quid ergo? inquit ille, ὄγδοον σοφόν? An non fatis vifæ tibi funt Sorores feptem, nifi & octavam adoptaveris? Non ita, tum ego inquam, verum fi, poftquam in hunc fermonem devenimus, quanta fit hujus dignitas artis, confiderare paululum libuerit, ingentiffima certe vel ex hoc ipfo patebit, quod apud oD mneis omnium gentium ac feculorum populos, tanti femper habita fuerit, ut nihilo plus majore apud eos admiratione, quivis optimi Scriptores fuiffe inveniantur, quam optimi Sculptores. Nam quid, rogo, Praxitelia illa, quam Gnidiis fecit, Venere decantatius? Quid Phidiaca illa, quam Athenis in arce locavit, Minerva, & Olympio Jove dignatius? Quid Lindiis, Sicyoniifque coloffis, Apelleifque tabulis, in toto jam terrarum orbe, ut nunc loquuntur, famigeratius? Illi quidem agunt verbis, at vero hi rebus: Illi narrant, hi vero exprimunt, explicant: Illi faftidiofiffimos aurium fenfus non fem-

Sculpturæ Laus

per trahunt,at vero hi & oculis ſatisfaciunt, ac tanquam pulcherrimo ſpectaculo captos omneis homines tenent. Equidem ipſe ſic exiſtimo, tanta inter ſeſe & ſimilitudine & propinquitate conjunctos, ut ſejungi ſe nullo modo patiantur. Et quid nos præterea? ſeparabimus eos ſcilicet qui nec ipſo nomine diſcerni poſſunt? Redeant,age, paululum priſca Demoſthenis ſæcula, cum ille γραφέας diceret: quos? Scriptores ne, an Pictores potius, Sculptoreſve intelligemus? Cum rurſus Ἀγαθάρχου γραφὴν, nunquid *Agatharchi ſcripturam* potius, quam *picturam Agatharchi?* Γράφειν quidem verbum commune hiſce omnibus eſſe & antiquiſſima Ægyptiorum ratio docet. Pingere ac ſculpere eos oportebat, cum quid vel ſignificare, vel monimentis demandare volebant. Et apud nos Poeta ipſe noſter comprobat, qui Dædali cælaturam perlegiſſe Æneam facit. Alii aliter: Ego vero ita ſentio, eam eſſe adjectam utreiſque neceſſitudinem,ut vix ſinee alteris alteri conſtare ſatis poſſint. Quam rem, ſi paulo diligentius perſcrutari libuerit, vel in primis ipſa nobis natura ſignificare videtur, quæ nos ſemper, cum quid ἐνεργητικώτερον volumus, impellit cogitque ad eam ipſam rem deſcribendam. Tale quid erit e Trojano bello revertentis:

Hac ibat Simois, hæc eſt Sigeia tellus.
Hic ſteterat Priami regia celſa ſenis.

Ac rurſus apud eundem, eloquens vir ille:

Hæc, inquit, *Troja eſt* (*muros in littore fecit*)
Heic tibi ſit Simois,hæc mea caſtra puta.

Nam quorſum hæc? niſi ut intelligatur, parum recte,humana eos ratione disjungi,quos natura tantopere conjunctos eſſe voluerit, ac quodam, ut diximus, neceſſitudinis vinculo fecerit eſſe cognatos.

Quin etiam viros eſſe nunquam eos cenſuerim,quos Sculptoria hæc ars non oblectarit.Nam cum ex animo & corpore conſtemus omnes, ſi qua modo ſpes eſt immortalitatis,ac non partim vivere, partim & emori optamus, quid rogo ad utriuſque memoriam conſervandam, hac arte convenientius? quid & in hominum vita præſtabilius, poſtquam ad aliquid peragendum nati omnes ſumus, quam & diſciplinis animum, & corpus hujuſcemodi præclaris artibus exercere, quando toga nos, & laurea nos, jam pridem deſeruerunt? Equidem ſic ego vitam a puero inſtitui meam, ut nulla, quantum in me erit, ejus unquam pars ſit ocio deperitura. Atque id temporis, quod vel teſſellis ludendo, vel urbem totam pervagando conteritur ab aliis adoleſcentibus,decrevi ad hæc ſculpendi munera transferre, quæ mihi cæteris aliis artibus honeſtiora videntur, & his noſtris (ni fallor) ſtudiis accommodatiora. Nam quid rogo artem attracturo mihi aliquam, poterit honeſtius eſſe, ea illa, quam & Socrates, & ipſi etiam cum Socrate noſtri Imperatores, non approbarunt modo, verum etiam diligentiſſime perexercuerunt? Nec vero cenſenda hæc Regi, qua cæteræ iſtæ Sellulariolæ, ut ſic loquar, artulæ, ſed qua potius deorumque hominumque, ac totius naturæ ſapientiſſima imitatrix; quam qui non amat, quam qui non complectitur, ut Philoſtrati verbis utar,veritatem non amat: ſapientiam, quantacunque in Poetas cadere ſolet, omnem propulſat, ipſamque ab ſe rejicit Sym-

A metriam, ſine qua nullum quidem dictum aut factum conſtare unquam poteſt.

Hæc ergo cum dixiſſem, valde, inquit Regius, inſtitutum hoc tuum probo, tibique gratulor, nimirum ad ſexcentos annos dicere primus Sculpturam cum literis conjunxiſſe. Sed perge: Valde quidem iſtæc me tua delectant,& jam dudum artem ipſam vehementius admiror. Quod ſi mea hoc ætas pateretur, profecto ei me totum dederem, longe enim inde mihi melius ſperarem fore, quam ex Cicerone ac Quintiliano. Age igitur Statuariam mihi amabo omnem ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι

B τέλους explica, ut cum Venetias poſtridie rediero, habeam quæ Pyrgoteli reſpondere poſſim promptius. Hic cum ſubridere me animadvertiſſet Regius, Quid, inquit, rides. Rideo inquam ὑπὸ βαρβαρικὸν τρόπον,ut iſtis videtur, te Venetias pronunciaſſe. Aſt cave, ne dum Græcitatem in omnibus ſectandam putes, parum etiam Latinus videare noſtris Epirotis. Tum ille, Antiquum eſt inquit T literam ſuo ipſius ſono proferri. Sed perge, ſatis quidem de hac re diſputatum heri a nobis fuit.

Literam T ſuo ipſius ſono proferri.

C Vix hæc dixeramus,ecce tibi pulſatæ concrepuerunt fores: nunciatum veniſſe Nicolaum Leonicum, virum ſine controverſia doctiſſimum, ſimul etiam Statuariæ juxtaque noſtri amantiſſimum, Peripateticæ is ſcholæ magiſter, nec tamen ab Academia noſtra diſſentiens, Græce philoſophiam eam quæ eſt de rerum natura edocebat, tanta omnium mortalium exiſtimatione, ut cum quolibet Græcorum Philoſophorum comparandus merito videretur. Poſtquam igitur ei repente occurſum a me eſt,Opportune inquam Magiſter, nam ad quod veneris ſcio, putoque id

D me tibi jam perfeciſſe.

LEO. Beliſſime: ſed qui ſermones erant, cum ego adveniſſem, veſtri?

De Sculptura, ego inquam, loquebamur.

LEO. Pergite, nihil equidem mihi poterit eſſe jucundius, quam de hac ipſa re vos diſſerentes audire.

REG. Id ita hodie eveniſſe vehementer gaudeo: nam & ego in partem beneficii liberior accedam, & tu tibi ſemel duos perſtringes. Hoc autem qui pernegare audeas? Nunquid ergo, tum inquam, Regi, jam dudum commutaſti animum,& velis forſitan Rheto-

E rica illa tua derelinquere, atque ad Sculptoriam pertranſire? Ille autem, Negabis igitur tu occaſionem ſequendam, ac ſi quod forte bonum acciderit, minime id captari oportere? At vero, ſi ita (ego inquam) perſuaſum habes, mi Regi, ab aliquo iſtorum, qui exercitent, venditentque, exquirenda tibi artis præcepta ſunt, non a me, qui nullum unquam magiſtrum audierim, qui relaxare animos in ea ſim ſolitus,ac non defatigare. Quomodo igitur, inquit ille, tantum in hac arte profectum es conſecutus, nullo doctore?

F Quod ſi tute tibimet πόμπος fueris, atque αὐτοδίδακτος, quemadmodum? id ſcire cupio. Ego vero, tum inquam, nihil tam arduum tamque admirabile in humanis rebus eſſe exiſtimo, quod hominum non poſſit induſtria confici. Illud idem heic mihi uſu venit, Leonicæ,quod in cunctis evenire artibus ſcripſit Ariſtoteles tuus, experientia ut adjutus ad id ſola fuerim. Præclare quidem Polus hanc artis experientiam fortuiti eventus dixit eſſe magiſtram.

A LEON. Agnosco jam verba Græca, Scilicet inquam meo auspicatu, meo & ductu, ita enim in arcanis custoditur ars, ut non intimi modo ac familiares, sed ne germani quidem fratres, iutro admittantur.

REG. Sic sane se res habeat, aggredere tu eam, & qualem ipse tibi confeceris explica: neque enim te istorum esse similem putamus, qui sibi solis se natos existimant, invidentque bona cæteris. Ego vero inquam lubentissime, nisi quid fortasse Leonicus.

LEO. Istuc ipsum. Quei postquam consedere, ita ego exorsus sum. Et si hæc mihi potius a vobis intelligenda essent, non dubitabo
B tamen quoniam sic vos velle video, potius quodcunque ineptitudinis obire periculum, quam ullius ingratitudinis accusari. Equidem nihil vobis placere nunc ambigam, liberius vobiscum agam, agam & familiariter. Ne autem ab nemore Pelio repetamus, satis quidem constare debet hoc omnibus, Sculptoriam artem, sicut & cæteras, variis ac diversis naturæ principiis originem habuisse. Nam sive casu aliquo, sive solertia cœperint homines, creta, truncisve, aut lapidibus, ex umbra similitudines imitando, naturam ipsam æmulari,
C disquisitione haud opus est, dum natura artificioque profecta ac perfecta omnia intelligantur. (Statuarum usus.) Statuarum quidem usum priscis omnibus sæculis fuisse, tum Græcorum, tum etiam Barbarorum historiis manifestissimum. Earum autem fingendarum rationem hinc plerique natam arbitrantur, uti scilicet eorum, qui præclarum aliquod facinus peregissent, aut in vita quid utile adinvenissent, memoria perduraret, cæterique ad eos æmulandos, ejusdem honoris, quo majus dari nihil posse videbatur, spe raperentur: quæ causa
D Ciceroni fuit, ut Octavio Lepidoque statuas in foro decerneret: nonnulli vero ex mortuorum, aut eorum qui absfuturi erant desideriis, ut pleraque omnia, apud Ægyptios id primum cœpisse tradiderunt, utcunque sive virtus, sive amor in causa fuerit, sive potius utrumque, certe nihil ab homine majus excogitari potuit adversus mortalitatem suam, & adversus invidiam Deorum. Atqui, quod egregiam civium virtutem significare potest, tantus Romæ Statuarum, & privatarum, & publicarum, numerus, ut non minor fictus quam verus populus fuisse tradatur. Princi-
E pes ipsi longo ordine suorum imagines, tanquam insigne nobilitatis unicum, pompa & atriis præferebant. Docti vero atque eruditi non minus & ipsi Statuis signisque refertas Bibliothecas suas esse studebant, quam libris. Mihi pol quidem Cicero ipse videtur non tam Verrem accusare, quam præclaram illam tot egregiorum, artificum & signorum rapinam invidere. Sed nunquid priusquam de re ipsa dicere incipiamus, qualem velimus esse Sculptorem, breviter ac summatim recensebimus?

LEO. Ut libet.

F LEG. Perge igitur, ac Sculptoris tui qualem velis imaginem nobis effinge. (Sculptorem qualem esse oporteat.) Tum ego sic. Primum quidem, (ut ab summo capite incipiamus) supremo ne an humili quis ortus loco recte agat, modo ille traditam dignitatem tueri studeat, & hic Spartam adipisci, minime laborarim: omnibus eum artibus, quantum fieri poterit, instructum, ac plane literosum cuperem, (Literosum.) qui scilicet quam plurimarum rerum, & fabularum, & historiarum notitiam habeat. Laudis deinde ac gloriæ studiosissimum; nihil enim video quid possit eruditio sine laudum cupiditate, laudum ipsa cupiditas sine eruditione, ita alterum alterius præsidio semper innititur. (Laudis cupidum. Liberalem.) Liberalem præterea ac minime sordidum, qualem superioribus annis Donatellum Florentnum fuisse accepimus. Fertur enim ab iis, qui eum noverunt, pecuniolam omnem in cistella semper habuisse, ita ex officinæ tigno suspensam, ut quando vellet, & quantam quisque vellet accipere, atque uti frui suo jure potuisset. Præclarum facinus, atque ipso Donatello dignum. (Prudentem.) Prudentem etiam minimeque ineptum, qui scilicet certam quandam in omnibus rebus rationem esse intelligat: nam cum omnes, verbi gratia, Statuæ pedestres fiant, aut equestres, aut stantes, aut sedentes, aut incumbentes, publicis in locis, aut privatis, togatorum hominum, aut laureatorum, erit diligens in singulis adhibenda ratio, qui ornatus, quidve rem quamque deceat. Etenim accommodanda sunt omnia ad personarum, locorum, temporum, ac rei naturam. Nam quod in Græcorum proverbio est, *Non omnia eodem modo omnibus*, cum in eisdem plerumque rebus diversissima esse ratio soleat. Alia enim, verbi gratia, in C. Cæsare Imperatore, alia in Cons. alia in eodem ipso Dictatore convenient. Nec Herculem ipsum semper eadem decebunt, vel cum Antæo luctantem, vel cœlum humeris sustinentem, vel Dejaniræ amplexus petentem, vel Hylam quæritantem. Nam veluti hæc fieri eodem uno tempore non potuerunt, ita nec semel eidem poterunt convenire. Non tamen quin singulæ interdum Statuæ effici non possint, ita variis insignibus distinctæ, ut pleraque semel intelligantur. P. Scipio ante ætatem Cons. cum imperio Carthaginem missus, Hasdrubalem prælio superavit, Carthaginem vicit, devicta Carthagine triumphavit, pacem P.R. attulit. P. Scipionis Statuam ita effingemus, ut & juvenis, & Cons. & Imperator, & Bellator, & Victor, & Triumphator, atque etiam Pacificator dignosci manifestissime valeat; cujusmodi fuisse Domitiani Statuam ex Papinii *Sylva* contemplamur, & Paridem ab illo factum, Pastorem, Judicem & Amatorem. (Antiquarium.) Antiquarium quoque, qui sciat, cur, verbi gratia, Mars apud Romanos duplex, Gradivus & Quirinus, alter in campo olim extra, alter in foro intra urbem colebatur. Cur & Venus apud Lacedæmonios armata, apud Arcadas nigra, apud Cyprios barbata virili sceptro, muliebrique ornatu. Cur in Ægyra pone Fortunam Amalthiæ cornu præferentem alatus Amor? Ac mille ejusmodi, quorum omnium causas Sculptor tenere debebit; ut cum quæratur, quid sibi velit ille in Thessalia tres oculos habens Jupiter. Respondeat sic: Fertur id signum Laomedontis fuisse, mox & Priami Regis in medio aulæ, sub divo sacratum; quod & noster Maro innuit:

Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit.

Ad hoc ipsum, cum a Græcis Troja caperetur, cum Hecuba uxore ac natis frustra confugerat: nam a Pyrrho interfectus illic tamen est: mox deinde id signum a Sthenelo Capanei Larissam translatum. Quod autem, quisquis ille fuerit artifex, tertium in fronte oculum fecerit, puto ob hanc causam, ut triplicem Jovis potestatem significaret, duobus

A duobus terram & mare, altero cœlum ſpectat. Itidem rogatus, quid faciant in Lyſimachi Regis fronte cornua: quid in C. Cæſaris vertice ſtella: in M. Bruti pileolus, ac duo pugiunculi. Rationem reddens dicat, Illum de Alexandri ſacrificio, ſolutis vinculis elapſum, taurum ambabus manibus comprehenſum tenuiſſe. In alterius cæde Cometem apparuiſſe. In hujus autem præclaro facinore pileatam plebem (libertatis enim ſignum pileus) per urbem excurſitaſſe, viſamque Bruti & Caſſii pugionibus libertatem reſtitutam fuiſſe.

B Sed enim cum Equeſtres potiſſimum ponantur Statuæ, (ſi modo ruſticano equitatu Equitem deformare noluerit) nonne optimum inſeſſorem eum eſſe oportebit? aut ſaltem equitandi rationem ipſam tenere? Ea autem quando vix eſt & noſtris militibus cognita duplex, utinam hæc mihi contigiſſet interpretari potius quam edocere. Nam Sarmonis olim nihil, & ſi qua e Polluce tradita præcepta ſunt, ad rem noſtram nihil: Altera quidem qua Velites vehimur, cujus ratio & cæteris qui equo vehuntur communis: Altera qua Scutati in prælium ducimur: C In illa aſſidentis ſpecies eſt, in hac vero aſtantis: curvabuntur illeic poplites, heic intendentur: pedes illeic plenam habebunt firmitudinem, heic digitorum extremitatem deflexam, qualis eſſe ſolet contra innitentium, ad equi aures directam, ne ſtimuli ſemper ilibus admoveantur. Quod quidem facilius fiet, ſi illeic ad equitis ſeſquicubitum, heic ad bicubitum protenſis ſtationibus obſirmati pedes fuerint: illeic molliter ſupina cervice pectus oſtentatur, heic fortiter declinato vertice ſiniſter humerus præfertur: illeic levem interD dum virgam habere dextra ſolet, heic haſtam, enſem, aut clavam geſtare,

Lævaque flectendis nunquam ceſſabit habenis.

Nam qua moderandus ſit arte equus, quum jaculatur, quid quum punctim cæſimve feritur obſervandum, ut ſit clogmo ad curſum ſonipes excitandus, interdum & poppyſmo inhibendus, paulo remotiora: nec plus id doctrina quam exercitatione comparabitur. Nos vero ad noſtrum Sculptorem. Scilicet quam maxime ἀφαντασίωτος eſſe debebit, qui videlicet dolentis, ridentis, ægrotantis, E morientis, periclitantis, & ejuſmodi infinitas animo ſpecies imaginetur, quod etiam Poetis ipſis & Oratoribus quam maxime neceſſarium. Nec tamen niſi quatenus ipſa rei natura patietur:

—— ne velut ægri ſomnia vanæ
Fingantur ſpecies.

Dolentis illud:

Excuſſi manibus radii, revolutaq; penſa.

Morientis hoc:

Sternitur infelix alieno vulnere, cælumq;
Aſpicit, & dulceis moriens reminiſcitur Argos.

F ut reliqua omittamus, quorum exemplis refertiſſimus eſt idem Poeta. Quid? Nonne ipſos ante oculos veſtros habere videmini conſternatam audita morte filii mulierem, atque ipſam peregrini hominis moribundi mentem? Quid vero & illud?

—— pulchroſque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapſa recumbit.

Item:

—— atque ille in partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Corruit in vulnus, gemitum ſuper arma dedere:
Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum, expirans.

ac mille ejuſmodi, quæ apud hunc Poetam invenias. Præterea & καταληπτικὸς, hoc eſt, qui omnium quas exprimere voluerit rerum conceptas animo ſpecies contineat, reddatque. Sed nunquid rerum omnium concipiendæ Sculptoris animo ſpecies? Plane omnium. Sed ut philoſopho rerum cunctarum cognitio datur, ut hominem, ſeque cognoſcat: Medico ſuccorum vires, ut hominem ſanet: civili legum atque actionum ſcientia, ut hominem in officio contineat: ita Sculptori rerum omnium ſpecies comprehendendæ, ut hominem ponat, quo tanquam ad ſcopum tota ejus & mens & manus dirigenda, quanquam Satyriſcis, hydris, chimæris, monſtris denique quæ nuſquam unquam viderint, fingendis ita præoccupantur, ut nihil præterea reliquum eſſe videatur. Dii Deæque omnes, neminem unum eſſe, qui, quo ſibi proficiſcendum ſit, videat? qui ad finem reſpiciat? Supreme parens Jupiter! ita ne nos miſeros mortales in Cebetis Tabulam relegaſſe, ut qui ſanus inveniatur, ſit nemo? ut qui ab Apate ebriacus factus, huc illuc non rapiatur, ſit nemo? & tamen ſibi quiſq; ſapimus omnes. Nec vero ſolum noſtri Sculptores, quibus jam ob ignaviam ignoſcendum, ſpumantem ab illa pateram hauſere: verum & iſti, quos tu feſtive gregarios appellare ſoles, Piloſophi tui, Leonice, ita ſeſe madidos proluere, ut nulli mortalium deerrent magis. Nam quum omnia ἐπὶ τὸ τέλος dicant, illum tamen quem ſequantur ipſi finem non vident. Sed eſto jam hoc noſtrum in parergis inſectandis parergon: nos ad Sculptorem noſtrum revertamur.

Abeſſe quidem ab eo omnis debet κολακεία, hoc eſt, ne quid formæ ſupra veritatem adjiciatur. Quæ quum cæteris in rebus improbe fiat, tum vero in Sculptura improbiſſime, ut quæ non unum ſemel eblandiens fallat, ſed fruſtretur perpetuo cunctos. Ad ſummam, niſi quis præter dexteritatem ingenioſiſſimus ſit, ad Sculpturam venire neminem permittemus. Nihil autem (ut ſæpius eodem revolvamur) ſine literis, ſine eruditione: Literas vero atque eruditionem quum dicimus, illarum potiſſimum diſciplinarum cognitionem intelligi volumus, quæ a Græcis μαθήματα dicuntur, Arithmeticam, Muſicen, & Geometriam, ſine queis perfecti quidem eſſe nihil poteſt. Non tamen prorſus ego inficias ire audem, non inveniri atque extare quamplurimos, qui etſi illiteratis, excellenter tamen multa: neque enim idcirco quemquam vituperamus, hortamur potius omneis, commonefacimus omneis, id quod certiſſimum, id quod & optimum ſit, ſequantur. Novi equidem pleroſque, quibus ſi qua ſuper adceſſiſſet doctrina, haberemus ſane nunc quos cum antiquiorib. ipſis comparare poſſemus, ita ad eam, de qua nunc agitur, rem aptiſſimi ſunt viſi. Neque vero ferenda hoc loco nonnullorum ignavia, qui quum in hunc ſermonem mecum incidiſſent, non veriti ſunt dicere, conferre quidem ſi adſint, ſed non omnino

Catalepticon.

Exclamat in ineptos artifices.

Alienum ab omni aſſentationis fuco.

necessarias Sculptori literas, satis ei esse (ut ajunt) artificium, & quatenus licebit naturam sequi. Recte id quidem, sed ubi rogo istuc invenietur artificium? Num quotidie in templis, in porticibus, in plateis, in foro stupescentes astare, in privatis cerdonum ædibus versari, refertas omnibus signis cellulas habere, gypso plenas arcas custodire, mirari rursus spectare, inhiare, quid belli apparuerit imitari, in vestrum opus transferre, dicemus id esse artificium? naturam sequi? Atque id quidem non multo secius est, quam si quis Poeta aut Orator foris futurus, hinc atque inde ex Vergilio Ciceroneque verba suffuretur, ignarus quoque quid tum agat. Sed non possum equidem non mirari, cur tamen ipsi sua ratione nequeant, quod olim Phidias, Polycletus, Lysippus, Cares, quodque nuper Donatellus. Nempe quia, quibus illi excellebant, doctrina omni & eruditione carent: quia & Donatelli abacum non habent.

Donatelli abacus.

Scitum quidem est, quod fertur de Donatelli abaco. Is quum rogaretur a M. Balbo nobili viro, inspiciundi sui abaci copiam faceret: Respondit, postridie mane domum ad se veniret, idque se quam lubentissime facturum. Ille ubi venit, prandioque susceptus est, præter hunc quem heic vides, (inquit Donatellus) nullus est mihi Balbe alius abacus, nisi quem soli mihi contueri licet, quem nullis impedimentis, nulla sarcina mecum ipse semper porto. Si tamen videre quid cupias, afferte huc, pusiones, cum stilo papyrum: Ilicet depromptam abaco quamcunque Historiam demirabere, sive polliatos, sive togatos, sive & nudos spectare libuerit.

Sed prorsus jam valeant, qui non censent oportere Sculptores litteratos, hoc est, ingeniosos esse. Etenim quum nihil plane quicquam effici possit, quod notione prius atque id ea cognitum non fuerit, quo me melius feram, si quis a me Colossus effabricaretur, quam ad Vergilii Polyphemum, illum quem mecum ipse vehementer mirari soleo, *Monstrum, horrendum, informe, ingens?* aut ad Homeri hunc;

Καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον, οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
Ὑψηλῶν ὀρέων, ὅτε φαίνεται οἶον ἀπ' ἄλλων.

Amabo vos, nunquid vivaciorem intelligetis ipsum Donatelli equum, quo nihil quidam perfectius esse volunt, an hunc qui conterranei mei Poetæ versibus sic exprimitur?

At sonipes habitusque animosque imitatus equestres
Acrius attollit vultus, cursumque minatur
Cui rigidis stant colla jubis, vivitque per armos
Impetus, & tantis calcaribus ilia late
Suffectura patent, vacuæ pro cespite terræ
Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Age si quempiam fabricari equum velletis, propositis hisce duobus tanquam modulis, utrum potius imitandum Pomponio juberetis? Scilicet videbunt plus isti, quam deus ille Statuariorum Phidias, qui quum Olympicum Jovem perfecisset, fassus est, se non alio illeic magistro usum, quam his Homeri versibus:

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Annuit & totum nutu tremefecit Olympum.

Quid majus vel dici, vel intelligi potuit? Nonne ipsum prope Jovis imperium majestatemque verbis ipsis effinxisse videtur? Habetis igitur, qualis esse debeat is, qui optimi Sculptoris nomen sit consecuturus, non quidem Platonis nostri civitatem, aut Ciceronis oratorem: sed qui facillime & inveniri & extare possit. Si vero haud satis probabiliter a me dictum esse videbitur, expecto quid & vos sentiatis: nihil etenim mihi certius videri poterit, quam quod vobis placuisse cognovero.

REG. Recte mihi quidem omnia: & profecto simul tantum dignitatis atque auctoritatis adjecisti, ut qu e antea diligere videbar, nunc deamem. Sane quidem sic res se habet, & tecum jam sentio, non modo Sculpturam sine literis, sed ne literas quidem sine Sculptura consistere posse: atque ut necessariam oratori Juris Civilis scientiam Fabius, ita & ego cæteris scriptoribus necessariam γραφικὴν existimabo. Sed amabo te, inquit, quandoquidem multum ocii nobis hodie datur, atque hujus novæ artis avidi facti sumus, prosequere. Satis quidem & laudata a te Sculptura est, & optimum Sculptorem effinxisti, qualem te esse & verbis (ut inquiunt) & rebus significasti: aggredere igitur & reliqua, ut, quum artem ipsam demonstraveris, nihil plane huic sermoni nostro defuisse videatur. Tum ego, libenter inquam, ac postquam ultro non invitati ad prandium nostrum venistis, faciam qualitercunque, ut nunquam hodie a me, nisi ad plenum exsatiati, recesseritis. Itaque tum id illis expectantibus jamque ad audiendum apparatioribus, cœpi ego sic:

Statuarum materia.

EIERI quidem statuas ex diversa, uti & nunc, materia, semper consuevisse, notissimum: Ex ligno

Gens primum truncis ac duro robore nata:

Ex ebore, ex argilla, ex gypso, ex lapidibus, & ex metallis. Quei ligno eboreve statuas conficient, defectores vocentur: quei argilla, Græco vocabulo πλάσται a nobis *fictores* nominabuntur: quei gypso, si placeat, γυψοχόοι: quei lapidibus, quos video a quibusdam λιθοξόους appellari, quoniam præcipuum ac peculiare magis marmor, Marmorarii; itemq; a scalpendo scalptores: qui metallis, γλύπται a nobis sculptores: excussores enim ærarios, quos Græci χαλκέας vocant, eos dicemus quicumque vasa, aut quid tale fabricantur. Statuariorum vero appellatione, quos ἀγαλματοποιοὺς illi appellent, generaliter omnes continebuntur, qui quovis pacto statuas effingunt.

Statuariorum appellationes.

Statuariæ species 5.

Statuaria igitur omnis in quinque distincta species est: Quum ligno eboreve tractabitur, ab abscindendo τομικὴ dicetur. Quum argilla, (quoniam figulorum est) πλαστικὴ nominabitur. Quum gypso, (quod eo typos imitamur) παραδειγματικὴν, nos *exemplariam* appellare poterimus. Quum lapidibus, ubi scalpello utimur, a percussione κολαπτικὴν sive *Sculpturam*. Quum vero metallis, γλυφικὴν, hoc est, *Sculpturam*: cujus quidem ratio duplex; nam aut cera fabricantur, & a deducendo ἀγωγικὴν: aut informantur, & a fundendo χημικὴν nuncupabimus. Hæ autem ita inter sese omnes junctæ connexæque sunt, ut cunctas novisse videri poterit, qui unam earum aliquam noverit.

Partes glyphices.

Sola enim circa quam verſantur materia differunt, arte vero ipſa atque intentione conveniunt. Ex quibus quoniam γλυφικὴ uti ſubjecta materia, ita & artificio multiplicior eſt, eam expediamus: ac primum περὶ ἀγωγικῆς.

Neque vero expectetis a me, ut dicam quo in cera, quove in creta ſit temperamento utendum, aut quam in omnibus diligentiam adhibendam. Non enim nunc τὰ πρὸς τὴν πρακτικήν. Quum voletis autem ego vos ad officinam vocabo. Cera tamen ad id quod volumus medicabitur quam commodiſſime πισσασφάλτῳ, quam vulgo alii ex vocabulo Græcam, alii ex loco Hiſpanam picem vocant: ſi prius oleo aut pauculo ſevo colliquata fuerit, quarta portione. Medicabitur & cæteris reſinis, præcipue terebinthi, piceæ, ac lentiſci: nonnulli eam quæ deraditur e navibus picem probant, & qua ferrum vermicatur. Sed hoc non niſi in iis quos manere voluerimus typis. Terebinthina autem piceque & armenio rectius, uſos eo plurimum in ſignis Veteres animadverti, quod ſi duricies expetatur, in ſigillis, cera Punica ubi delicuerit, ceruſſæ pulviſculum bibat, ferme ad æquale pondus: ea ſic & niveum candorem æmulabitur, & marmoreum nitorem præſtabit. Sed hoc non erat propoſitum.

Partes agogices.

Ἀγωγικὴ igitur, quam nos *Ductoriam* vocemus, duabus hiſce conſumitur rebus γραφικῇ & ψυχικῇ. Graphicem vero, quam noſtri in Scriptore deſcriptionem, in Pictore & Scultore deſignationem vocaverunt, (nam lineationem, quæ γραμμικὴ dicitur, Architecto damus) uſque adeo neceſſariam Sculptori judicavit Donatellus, (ſic enim accepimus) ut plerumque diſcipulis dicere ſolitus fuerit, uno ſe verbo Sculptoriam artem eis omnem traditurum, quum dicebat *Deſignate*. Et profecto id eſt totius Sculpturæ caput ac fundamentum.

Partes graphices.

Ea vero duabus etiam hiſce rebus maxime conſtat, συμμετρίᾳ quæ nondum ſibi Romanum nomen invenit, niſi fortaſſe Latinam Linguam augentes (ut Cicero ait) *commenſurationem* dixerint, & ὀπτικῇ, quam *Perſpectivam* appellant.

Cap. II.

De Symmetria, ſeu commenſuratione. De totius hominis, per ſingula membra menſura & proportione. De quatuor Statuarum ordinibus. De Statuarum diverſitate.

De Symmetria igitur nunc pauca dicamu: qua in re, illud a tua philoſophia non alienum, Leonice, conſiderandum. Hominem ipſum, quem præcipue dimetiendum ſuſcepimus, materia conſtare & forma. Formam autem heic nunc eam intelligamus ſpeciem, qua hunc ab illo diſcernimus: Materiam vero corpus ipſum. Corpus autem omne in treis dimenſiones partiri, in longitudinem, amplitudinem, profunditatemque: Formam vero ipſam lineamentis comprehendi. Quare de corporis ſymmetria primum, mox de lineamentis.

Menſura hominis nobiliſſima.

Menſuram igitur, hoc enim nomine Symmetriam intelligamus, cum in cæteris omnibus quas natura progenuit rebus, tum vero in homine ipſo admirabiliſſimam & contemplari & amare debebimus. Ita enim undique exactiſſime dimetatis partibus compoſitum eſt noſtrum hoc corpus, ut nihil plane aliud quam harmonicum quoddam omnibus abſolutiſſimum numeris inſtrumentum eſſe videatur. Sed age, non enim de *Timæo* Platonis, qui & a Cicerone Latinis explicatus eſt literis, hominem ego vobis referam, quod ad noſtrum hunc inſtitutum ſermonem attinet: eum longe aliter quam Architectus vivum ſtantemque dimetiamur: ſcilicet in novem de longitudine portiones. Ita etenim hominem ipſum ſolers natura formavit, ut faciem hanc ſummo loco ſpectandam proponeret, cæteræque totius corporis partes commenſum inde ſuſciperent: conſtat autem ipſa tribus pariter dimenſionibus.

Faciei dimenſiones tres.

Una erit ab ſumma fronte qua capilli naſcuntur, heic ad intercilia. Altera heinc ad imas nares. Ultima ab naribus heic ad mentum. Prima ſapientiæ, Secunda pulchritudinis, Tertia bonitatis ſedes. Hæ autem ipſæ per ſe (ut ajunt) multiplicatæ, integram, quanta erit, humani corporis ſtaturam reddent, novem portionibus. Prima erit facies ipſa. Secundam faciet portionem pectus. Ab ſummo ſtomacho ad umbilicum tertia. Ab hoc ad imum femur quarta. Duas continebunt coxendices ad poplitem. Totidemque ab hoc ad nodum crura. Pars autem hæc infima quæ eſt a nodo ad imam plantam, gutturque hoc, quod eſt ab ſummo pectoris ad ſummum gulæ, atque hic ſemicirculi arcus, qui fit ab ſumma fronte ad ſummum verticem, unam aliam conficient portionem: nam horum juncturæ, nodi, poplitesque, tanquam interſinia, nullis ſuam cedunt proprietatem. Conſtabit igitur humanæ ſtaturæ longitudo portionibus (ut dictum eſt) novem, quanquam alii octo, alii, quod rarius eſt, (eſt enim tanquam in Muſice diſſonum) ferme ſeptem, alii (quod & rarum etiam eſt) decem fecerint. Nos medium, & quod in pleriſque omnibus mortalibus frequentius erat, ſecuti ſumus. Ac de adulto loquimur viro, non de puſtis infantibus, quorum in longitudinem menſura omnis niſi quatuor conſtat faciebus: nam de humana per ſingulas ætates ſymmetria, quæ in prima, media, atque ultima pueritia, item adoleſcentia, juventute, & ſenectute deprehendatur, certi nihil nunc afferre poſſemus. Et jam cogitamus in puero, ſi quis mihi nepos ex ſorore naſcetur, eam omnem obſervare, atque obſervatam literarum monimentis demandare, ut aut beneficio mihi gratam poſteritatem devinciam, aut certe ad aliquid ſemper quod expediat excogitandum exemplo excitem. Nonne ſumma ſtultitia eſt, hominem

Staturæ humanæ portiones novem.

Hominis infantis longitudo ex 4. portionibus.

Terraſque tractuſque maris cœlumque profundum.

demetiri, & ſuam menſuram ignorare? Brachiorum autem alterutri pariter lacerti ſeſquialteram continebunt portionem: Manus unam aliam, quanquam ſint qui metiantur ſic: Ab humeris extrinſecus ad juncturas articulorum, ab axillis vero intrinſecus ad confinia palmæ ac digitorum facies tres, alterutri autem articuli, una. Quomodocumque, id parum refert, modo brachiorum tota longitudo ſeptem contineatur faciebus, ut diſpeſſæ manus rectam ipſam corporis longitudinem definire inveniantur. Pedes autem ita ab extremis talis ad extremum unguem producuntur, ut eandem bis ter & uno altero tribus fere minus digitis, commetiantur. Non enim hoc loco

Brachiorum ac manuum menſura.

A obſceni dei ſemipedalem fuſcinam, aut deformem illum unde egreſſi omnes ſumus hiatum (ut nonnulli) dimitiendum curabimus, quum præſertim latere ſemper, niſi in pueris, honeſtiſſime ſoleant.

Analogia ſingulorum membrorum corporis humani in longitudinem.

Conſideranda vero & ipſa inter ſe partium ἀναλογία, quam alibi *proportionem*, heic ni fallor proprie *commenſum* dixerimus. Quanta eſt longitudo ab interciliis ad ſummas nares, tanta erit productio menti ab jugulo. Quantaque eſt ab ſummis naribus ad mentum, tanta ab jugulo ad imam gulam, hoc eſt, ſemiportione. Quantum eſt ſuperioris labri intervallum ab ore heinc ad naris B ima, tantundem erit ſummarum narium prominentia ab labro, tantundem & oculorum ab interciliis ad interiores angulos concavitas. Præterea in manibus, quod eſt extrinſecus ab ſummo ungue indice ad juncturam hanc imam, continebitur ſemiportione. Ac rurſus hinc ad eam qua brachio colligatur manus alia. Sic & intrinſecus ab ſummo ungue medio, primus autem hic indicis articulus major, correſpondebit fronti. Secundus hic cum onychio ad extremum unguis, naſo. Primus item medii, huic quod eſt ab naribus C ad mentum. Ejuſdem ſecundus, huic quod eſt ab imo mento ad inferioris labii ſupremum. Ejuſdem onychius huic quod eſt ab ore ad inferiora narium. Indicis eodem ab ſupremo labri ſuperioris. Major pollicis articulus coæquabitur huic, quod eſt ab mento ad ſummum labii inferioris. Minor huic quod eſt ad nares ab eodem. Onychiorum autem articulorum omnium dimidiatam ſibi partem occupabunt ungues.

In latitudinem

In latitudinem vero frons, ab ac media, quam & diſcriminatricem appellare poſſimus, linea, heinc inde ad prima heic tempora definietur ſua bis longitudine ab interci- D liis ad extremos oculorum angulos, atque hehinc ad primas aureis, harumque longitudo tantundem. Id vero ſpatium, quod eſt inter utramque extremitatem oculorum, ex duabus iiſdem dimenſionibus, in treis partes diſtinctum, duas oculi, unam ſibi intermedius naſus vendicavit. Oris latitudo, ſi per ſummum labii metiamur, reſpondebit fronti, naſove; ſin circino illi ſpacio, quod eſt pollicis articulo majore definitum, ab labro ſuperiore ad mentum. Pectoris latitudo faciebus continebitur duabus. Spacium inter utramque E mammillam una, earumque certus ſitus ab inferiore gula, ejuſdem dimenſus circino deprehendetur. Palmaris autem plantariſque latitudo definiri ſemper invenietur ſemiportione.

In altitudinem

In altitudinem vero, quæ ſola circunlatione comprehenditur, ex ſupradictis menſura captabitur, hoc modo: Capitis per mediam frontem altitudo, portionum eſt trium, item & ſummæ coxendicis. Per occipitium a ſumma fronte ad cervicem, duarum, itemque & infimæ coxendicis colli, duarum. Pectoris per F alas ad tergum, quinque. Ventris per medidium, quatuor. Lacertorum, coxarum, crurum, pollicis, cæterorumque articulorum ſumma circumferentia, nunquam plus eorundem longitudine membrorum. Extremum brachii propter juncturas manuum, portione (propter nodum tibiæ) etiam quarta. Altitudo autem hæc, quæ eſt ab imo talorum ad ſummum pedis, reſpondebit longitudini quæ eſt iſteinc ab ſummo pedis ad extremum unguem. Colli circumlatio, ei parti quæ eſt ab ſummo pectoris ad umbilicum.

Corpus ne hoc quod tanto ſit commenſu fabricatum, an exactiſſimam potius harmoniam eſſe dicemus? Qualem rogo Geometram & Muſicum fuiſſe exiſtimabimus eum, qui hominem ita formavit? qualem vero eſſe oportere eum qui talem typum ſit imitaturus? Laudatur Julius noſter, quod palladiam illam Mantenii noſtri turbam, Cæſareoſque triumphos tam beliſſime ſit imitatus. Num alius quiſpiam picturæ ignarus illud idem effeciſſet? Num aut Homerum aut Demoſthenem ad Vergilii Ciceroniſque æmulationem imitabitur quis, qui Poeticam Rhetoricamque neſcierit? niſi fortaſſe eum dixerimus, qui nuper ducta circino de Vergilii verſibus menſura ad ſuos, deeſſe nihil aliud exiſtimabat, planeque ſic tanti Poetæ videri etiam æmulus volebat Equidem omneis qui nunc vulgo habentur Statuarii, haud multum diſſimiles ab illis ſcriptoribus exiſtimarim, quos noſter Calpurnius dicere ſolitus eſt, caſu quodam teſſerali verba jacere, nec niſi ipſos rerum ſucceſſus expectare. Intelligendum eſt autem ejuſmodi Symmetriam cunctis mortalibus (præterquam monſtruoſo, atque iſti pygmæo qui in deliciis habetur populo) convenire, deprehendique in omnibus non ſecus quam euharmonicum concentum in muſicis inſtrumentis: Ut enim in cithara cordæ ſi protendantur, exacuetur accreſcetque ſonus: Sin contra laxatæ fuerint, remittetur, eritque nihil minus eadem numerorum proportio, ita & heic ſive accreſcat quantitas ſive decreſcat, idem tamen ipſe commenſus extabit: utque nunc paulo evidentiore exemplo agam, Andrion Vicentinus, ac Vegetius Tarviſinus a Petreio Honorioque Sophiſtis, Symmetria, ſed pineali differunt proceritate: nam quantum illi univerſos totis humeris præcellunt mortales, tantum hi a cæteris exſuperantur mortalibus.

Laus Symmetriæ.

Sed de Symmetria jam ſatis, quanquam nihil de ea ſatis dici potuerit, ſcilicet de Sculptorum parente, artificiorum omnium nutrice, amica totius generis humani, ex qua tantam jam laudem conſecuti ſunt antiqui omnes & Statuarii, & Pictores, & Architecti: Hinc eſt enim illud quod mirum videri ſolet omnibus quum dicitur: artifices 25. diverſis & locis & temporibus ita ſtatuam confeciſſe, ut ab uno ſemel facta eſſe videretur. Ad menſuram videlicet eandem conveniebant omnes, eadem utebantur proportione omnes: heinc quoque eſt illud Pythagoricum admirabile, Herculis ſtaturam ex Olympico ſtadio adinventam: heinc & mille alia, quæ quum dicuntur, miracula quidem audiri mera putantur.

Mirum.

Statuarum ordines 4.

Verum enimvero intelligendum hoc loco quattuor prorſus eſſe ordines ſtatuarum, pariles, magnas, majores, maximas.

Pariles ſtatuæ.

Pariles quidem fient, quum ejus qui exprimitur ſtaturam undique præſentabimus: Dantur hæ benemeritis ac ſapientibus viris, Harmodio, & Ariſtogitoni, Homero, Soloni, Hippocrati, Gorgiæ, Beroſo, Pythagoræ, Platoni. Ex noſtris L. M. & D. Brutis, Q. Mutio, Clœliæ viragini, M. Catonibus, Q. Ennio, M. Varroni, P. Vergilio, M. T. Ciceroni, nunc niſi capiciatis.

Magnæ ſtatuæ.

Magnæ fient, quum infra ſeſquialteram

ſtatura continebitur : quæ & Auguſtæ dicuntur, quod Regibus Auguſtiſque Imperatoribus dicarentur, Phoroneo, Lycurgo, Themiſtocli, Xerxæ, Alexandro. Ex noſtris Romulo, Numæ, Tatio, Cornelio Pompejo, C. Cæſari, Cn. Octavio, ac reliquis quei in Deorum numerum referebantur Cæſaribus. Atque hinc arbitror illud quod moritura Dido ſic queritur :

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Dolet enim abnegari ſibi & ſtatuam & ἀποθέωσιν, quæ minime dabantur iis, qui ſua ſibi manu turpiter mortem conſciviſſent.

Majores ſtatuæ.

Majores dicentur, quando ad alteram excreverint. Ponuntur autem hæ ſolis Heroibus, Libero Patri, Herculi, Theſeo, & ejuſmodi.

Maximæ ſtatuæ.

Maxime vero fient, quando ter geminabitur humani corporis ſtatura, itemque rurſus, ac rurſus: quæ quidem ſtatuæ vel a ſpecubus, uti ego opinor, vaſtaque intus inanitate, id enim eſt κολοσσὸν, vel ut alii ab noxia radiorum effuſione, quæ fieri ſolet ejuſmodi moles intuendo, vel ab authore ipſo Coloſſi ſunt denominatæ. Non poſſum hoc loco, Regi, non ridere intolerabilem iſtorum Grammaticulorum inſcitiam, qui ab eo ipſo inſigni, Rhodios Coloſſenſes dictos exiſtimarunt, ad quos extent Pauli perbreves epiſtolæ: verum an Coloſſienſes ii ſint, non plane affirmarim: Stephanus tuus, nam cætero mancus mihi eſt, Coryſſen Epheſiam ſcribit fuiſſe urbem, a qua Coryſſienſes. Dicabantur autem ejuſmodi ſtatuæ Diis Opt. Max. Jovi, Minervæ, Apollini, Marti, atque id genus cæteris, quanquam Romani & Barbari reges eas ipſas ſibi, veluti & auguſtiores arctius vendicaverint. Extat etiam nunc Baroli, quod oppidum Apuliæ eſt ad Cannas, Heraclii coloſſus, mihi quidem æternum triſtiſſimæ recordationis monumentum ob acerbiſſimam patris memoriam: quintus nunc agitur annus ex quo proxime illeic eum ſepulturæ demandavimus.

De parvis minoribus, & minimis ſtatuis.

Sed jam mentem ad id quod nobis propoſitum eſt revocemus. Accidit autem ſæpiſſime ut rem ipſam ex diverſo minorem faciamus: hoc etiam erit diligenter conſiderandum: nam aut erunt parvæ, aut minores, aut minimæ, hoc modo: Secetur (verbi gratia) quæ novem conſiſtat dimenſionibus, humana ſtatura, hæc in has treis partes, hæ mox ſingulæ in trinas: Parvæ infra hanc portionem conſtabunt, quæ eſt ad ſex, Minores quæ eſt ad tria, Minimæ quæ ad unum, reſpondebuntque inferiora hæc ſuperioribus inter ſe, ſic: Primum hoc minimæ partis ſpacium ſpacio quod eſt minoris, quarto; Et quod eſt majoris, ſeptimo: Secundum, quinto & octavo: Tertium, ſexto ac nono: Horumque rurſus partes, partibus.

Majorum ſeu parvarum ſtatuarum dimetiendarum ratio.

Quod ſi identidem fiat, quantamvis Coloſſeam vaſtitatem pedali jam menſu definiverimus, hoc modo: Utcumque vero ſive majorem ſive minorem ipſam rem feceris, aſſervata etiam qualitate, ſemel in hunc fiet modum: Eſto hoc gymnicum Athletæ corpus, ducantur nunc lineæ hinc a planta in directum huc uſque, una dimenſione. Item huc uſque altera. Item huc uſque & altera. Ab ſummo ajunt vertice ad hujus extremum hæc: Si igitur intra hoc primum ſpacium referri eundem oporteret, hic, quum a parilitate cadet, parvus dicetur: Si intra hoc ſecundum (nam ferme ad medietatem uſque deſcivit) minor: Si intra hoc tertium, minimus, hoc videlicet ſpacio minutiſſima quæque finiuntur. Ducantur item ex diverſo in directum ambæ ad eandem unam dimenſionem lineæ: Si proximiore hoc intus adaugeretur ſpacio, magnus: Si hoc altero, major: Sin & hoc poſtremo, maximus dicetur. Præterea ducatur ab inferiore hoc majoris ſpacii angulo, per ſummum apicem, triplici ejuſdem in directum menſu. Sic ter geminabitur. Qua quidem ratione pueros, adoleſcentes, ſenes (quod antea mirum videri poterat) eoſdem ipſos, magnos, parvos, majores, minores, maximos ac minimos efficiemus. Hujus autem diverſitatis ratio opinor hæc eſt, Ut minores fierent, vel inopia, vel tranſportandi commoditas effecit, ut vero in centum & amplius aliquando cubitos accreſcerent, opulentia atque excellentior perſonæ dignitas. Æquum enim eſt, ut qui animo & auctoritate præcellunt, corporis etiam dignitate cæteris præſtare videantur. Quod ipſum innuere videtur Homerus, his ipſis carminibus, quibus Ulyſſem facit ornari a Pallade:

Olli multiplicem ex humeris Tritonia pallam
Componens, auxit corpus, lætamque juventam.

Deheinc poſt, tanquam aliquis de cœleſtium numero videretur. Sed o certe divinam Mantuani noſtri felicitatem! Qualis vero illa obſtupeſcentis Reginæ admiratio: *Tu ne ille Æneas?* nonne ex ſuperiore illa cauſa proceſſerat, *Os humeroſque deo ſimilis?* Cyrum quoque poſt præclaram illam de Aſſyriis victoriam ſcribit Xenophon, circa cultum majeſtatemque corporis diligentiſſimum. Alexandrum Macedonem Curtius ob puſillitatem ab Amazonum regina Taleſtri habitum contemptiorem, eundemque mox in caſtris ubi fuiſſet, amplioris formæ monimenta in poſteritatis miraculum relinqui juſſiſſe. Quam etiam cauſam fuiſſe exiſtimo cur auguſtiores ſpecie humana videantur imagines noſtrorum Imperatorum, neque enim id tam in cauſa erat vulgo (ut imperiti exiſtimant) quod multum ex ea re diminutum iri videbatur, ſi ſtata magnitudine fuiſſent, quum de alto proſpectandæ ponerentur, quam quod excellens auguſtioris ejus dignitatis ratio ſervabatur.

Deorum ſtatuæ.

Illæ autem ipſæ ſtatuæ quæ Diis fiunt, ſive adaucta, ſive & retenta humani habitus æquabilitate, a Græcis εἴδωλα, proprie a nobis *ſimulachra* nominantur, Martis, Veneris, Minervæ, Cupidinis, Fidei, Fortunæ, ac cæterorum Deorum, qui corporis omnino formis carent; quæ Horoibus illi ξόανα. Puto tamen initio ſic vocatas omneis, maximeque numinum Ægyptiorum. Quæ regibus ἀνδριάντας, quæ ſapientibus δείκελα, quæ autem benemerentibus viris βρέτας vocarunt: nam ἐκμαγεῖα (quemadmodum & in pictura εἰκόνες) de vultu opinor ſunt, deque membris ipſis expreſſæ ſimilitudines, quas nos *imagines* appellamus. Nam in reliquis fruſtra ullam inveniemus appellationem, niſi fortaſſe unico vocabulo effigies dixerimus: figura enim ea eſt quæ in plano deſignatur linea; circulus, hominis atque equi circumſcriptio, quod ab illis σχῆμα nuncupatur. Ἀγάλματα quidem olim Homeri temporibus dicebantur quævis templorum ornamenta, quæ ſpectantium animos afficerent, unde &

Heroum ſtatuæ, Regum, Sapientum & benemerentium.

nomen, quod vulgo etiam remansit, habuere. Posterius vero generaliter & ipsæ statuæ, quod ex iis potissimum ejusmodi ornamenta conflarent. Quæ vero infra humani habitus staturam fient, universæ omnes signa vocantur, unde & sigilla: quæ intra minimam hanc erunt portionem, cubitalis palmarisve altitudinis, vel etiam quantum fieri poterunt Tantillæ, hoc est, parva signa. Sed certe stultus ego qui Grammaticam docere vos volui: equidem nescio quomodo imprudens huc exierim: Detur tamen mihi nunc venia, si & Cicero idem sæpe fecerit.

Signa. Sigilla.

REG. Placent nimirum hæc, quum ita suo loco dicuntur. Nonne & summi quoque Philosophi interdum functi sunt munus Grammaticorum? Juris autem Civilis cognitio num aliunde dependet? Equidem non Ciceroni modo, sed cuivis γραμματικοτέρῳ liceret arbitror, triduo posse se Jurisconsultum profiteri, perge. Tum ego sic,

CAP. III.

De Lineamentis.

POSTQUAM igitur de Symmetria diximus, dicendum nunc de lineamentis. Lineamenta autem sunt rectæ congruarum linearum ductiones, ad uniuscujusque speciem demonstrandam. Linearum vero aliæ extremæ, quæ & ambientes dicuntur, quum extrema complectimur: Aliæ vero intermediæ, quum res medias significari, membrorumque juncturas distingui volumus. Ambientium autem ducendarum ratio, ex actionum varietate multiplex, ac pene infinita. Possem ego totum hunc æstivum, quantus est, diem consumere demonstrando, uti isti aridiorem ex triangulo, pleniorem ex quadrangulo faciem constare doceant, uti intra horum fines reliquum omne corpus sic intercludi oportere disputent. Recte quidem, ut qui Platonis Timæum perdidicerint. Sed ab hac nostra dicendi certissime serie aliquanto remotius. Compertum enim habemus, lineamenta omnia ex ipsa corporum symmetria, ex optice, & ex physiognomia sumi. De Symmetria dictum: mox vero de reliquis, si prius ducendorum lineamentorum rationem a me pridie in picturis excogitatam commonstravero. Corporum quidem omnium latitudinem, (nam longitudo sit semper: altitudo autem umbris luminibusque significatur) si depressa sint, ut pectus, tergum, liber, sine descriptione, sic: si rotunda, ut caput, collum, brachia, coxæ, crura, digiti, columnulæ, & ejusmodi, ex tertia suæ in circumferentiam dimensionis parte finiri, hoc ut videtis pacto: nam quemadmodum in chartarum typis noctu atque interdiu ex lucernæ solisque umbra circumscriptiones fieri possent, ostendere ineptissimum.

Lineæ duplices.

CAP. IV.

De Physiognomia, seu de singulorum humani corporis membrorum figuris.

NUNC igitur de Physiognomia. Nam de Optice, quæ multiplicior est, posterius differemus: estisque interdum ad minus amariores epulas revocandi: ea autem est certa quædam observatio, qua ex iis quæ corpori insunt signis, animorum etiam qualitates denotamus. Solent enim (ut in proverbio est) artificem instrumenta, dominum qualis sit domus ostendere. Id autem quoniam ἀντίστροφον est, commutationemque patitur, erit quidem Sculptori quam maxime necassarium: namque vel ex viventium corporibus effigies imitabimur, quod a nobis in Calpurnio factum vidistis: vel mortuorum præsentias ex notissimis eorum moribus imaginabimur: Ut si ex Zopyri quis judicatu Socratem effingat calvum, simum, ventrosum & ejusmodi: quemadmodum a Veronensibus in Catullo, Vitruvio, Macro, Celso, Plinioque, quos sibi cives vendicant, factitatum ipsi nos nuper festive spectavimus: vix jam certe verbis explicari posset, quantum Statuario præstet Physiognomia, nec Statuariis modo, sed & omni generi humano. Miretur quidem suo jure Plinius severissimum (ut ipse ait) authorem Trogum, cumque Trogo miretur & Aristotelem, ex quo ille ea transtulit. Spernat quantum libet vulgus, dum nobis in Socraticæ Pythagoricæque philosophiæ arcanis sanctissime custodiatur: hæc nos tuto huic depositum credere, hæc nos illi fidere, conjugium facere, pueros disciplinis tradere, cum honestis conversari, turpes atque obscœnos effugere, non temere societates & amicitias deligere, scelestorum improbitatem absque ullo experimento devitare: hæc eadem prudentes, fortunatos, & quasi σωφρονάς videri & esse nos facit. Apud Statuarios vero tanti erit, ut nobis illum ipsum qui tantopere desideratur Homerum, ipsosque Græciæ Sapientes Cleobulum, Periandrum, Solonem, Thalem, Chilonem, Pittacum, Biantem, atque e nostris utrumque Catonem, ipsissimos præsentare faciliter possint. Dicerem equidem ex Aristotele atque Adamantio, (nam Polemonis, qui de eadem re perscripsit, omnia desiderantur) nisi longioris esset instituti, videremque (uti proverbio est) *Minervam sus* docere. Verum enim vero quæ scire oportebit Sculptorem hæc fere sunt. Sed voltis quando hæc ipsa nuper a me scripta sunt, quemadmodum in *Theæteto* facit Euclides de ἀναγνωστῇ audiamus?

Physiognomiæ commendatio.

REG. Quam maxime: tu interim respirabis.

LEO. Nil quidem fieri aptius poterit.

POMPO. Heus tu puer, cape hunc libellum ac lege.

PUER. Naturæ morumque inspicienda ratio.

POMPO. Non inde.

PUER. Spectantur?

POMPO. Isteinc.

PUER. Spectantur autem homines, ex natione patriaque, spectantur ex genere, spectantur ex se. Ex natione, ut quum

Maurus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis,

de quopiam quæritur, quod potissimum solet ornatu significari, ut illud:

Triplex spectandi hominis ratio.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram.

Debemus enim (ut idem Poeta ait)

—— varium cœli perdiscere morem
Ac patrios omneis cultus habitusque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid ferre recuset.

Arcto quicumque subjacent, corpore sunt quam cæteri prolixiores, colore albi, comas flavi, capillis mollioribus, glauci, firmi,

De his qui sunt sub Arcto.

crassiores, carnosiores, ventrosi, ac corpulentiores, iracundi, simplices, levissimi consilii, animo præcipites, stolidi, atque omnino disciplinis inhabiles, Galli videlicet Germanique.

De his qui sunt sub Meridie.

Contra qui sub Meridie, nigris capillis crispisque, nigris & oculis, corpore humiliores, cruribus grandiores, fusci, atque aridiores, disciplinis & ipsi parum apti, plurimæ tamen cogitationis, leves, dolosi, mendaces, lucrabundi, furaces: at magis minusque alii aliis. Quo distant acceduntque ad Arctum borealem australemque, magis minusque alteri alteris, Sardi, Siculi, Mauritani, Arabes.

De his qui sunt medii inter Arctum & Meridiem.

Horum vero medii, mediam quoque vim habent & qualitatem. Corpore sunt mediocres, capilli eis nec crispi nec nimis porrecti, colore mellino, aspectu jucundiore, apti studiis, ingeniosi, misericordes, modesti ac graves, Itali videlicet Græcique. Sed qua proximiores illis accedunt loco, accedunt etiam & moribus, ut Libes Hiberis, Hiberi Celtis, quin & Libes Æthiopibus, & Celtæ Gallis similiores, Austrini quidem omnes sicco dominantur & calido, Arctoi contra humido & frigido: nam & cæterorum quique ad Occidentem, quique ad Orientem spectant, eadem erit de duobus polis ratio. Plerumque tamen evenit, ut alii alio transferant sedes, confundanturque nationes, ut si Thraces commigrarint in Italiam, Itali in Thraciam, Persæ in Assyriam, Assyrii in Persiam.

2. [illegible] Sexuum dissimilitudo.

Ex genere autem inspiciuntur homines, non quum quibus quisque sit parentibus ortus, sed quum mas sit, quæritur an fœmina Cœneus. Plurima est horum dissimilitudo.

Maris consideratio.

Illud nobile, justum, intrepidum, audax, æquabile, magnanimum, benignum, constans, animosum, probum, liberale, magnificum.

Fœminæ consideratio.

Hoc vile, injurium, timidum, temerarium, intemperans, remissum, atrox, difficile, varium, ac mutabile semper, improbum, avarum, nequam. Fœmina omnis quam mas, est caput minor, corpore pressior, capillos habet molliores, nigrioresque, vultum angustiorem, oculos vibrantiores splendidioresque, collum gracilius, pectora imbecilliora, latera molliora, ilia, coxasque habitiores, suras carnosiores, genuaque ob eam ipsam rationem collabantia, extrema pedum manuumque tumidiora, omnem corporis aspectum delicatiorem, negligentioremque, tactus est ei humidior, vox tenuior, gressus tardior, ac densior, membra succi pleniora, motus lentior.

Hominis medii consideratio.

Medium vero & quodammodo neutrum genus, lascivientis videlicet naturæ lusiones, hermaphroditi, virorum spadones, fœminarum eunuchi: quos tamen nihilominus quam castrati soleant equi, canes, taurive, ad bellum utiles, docet Xenophontis Cyrus. Ut utriusque sunt sexus participes, ita & utroque nequiores, malæ mentis, mali animi, pessimi & consilii, crudeles, duri, dolosi, callidi, malefici: at aliis alii magis minusve, naturæ sectionisve culpa.

3. ratio.

Ex se vero spectantur homines duplici ratione, ex iis quæ cohærent substantiæ, & ex iis quæ circumstant atque inducuntur. Cohærent substantiæ, membrorum ac totius corporis habitus. Ex facie, ætate, incessu, voce, spiritu. Circumstant vero atque inducuntur, ornatus, nomen, locus, tempus, & ejusmodi. Sunt & media, vultus, & color, quæ omnia Æneas in matre, Pyrgo in cælesti Beroe pernotarunt.

Nunc age ipsam ex iis naturæ morumque inspectionem consideremus. Omnium quidem signorum præcipua, quæ in oculis, aut plane iis proximiora: cujus generis sunt, pupillæ, palpebræ, frons, genæ, supercilia, nasus, labra, os, mentum, malæ, capilli, aures, ipsum caput. Secundum ordinem tenent, quæ secundum pectus & cervicem. Tertium, humeri, brachia, manus, ilia, pedes. Postremum, venter, tergum, fœmina, coxendices, ac suræ. De quibus singulis quam brevissime dicemus.

DE OCULIS.

Oculi (hos natura tanquam conspecillares animorum nostrorum fenestras esse voluit, & quisquam deinde queretur, non fenestratum homini pectus?) plurimam habent varietatem.

Eorumdem varietas a statu.

Statu quidem, magni, mediocres, parvi, prominentes, conditi, tumentes, adæquati, concavi, mobiles, fixi, tremuli, rigidiores, connenientes, non conniventes, nictantes & non nictantes.

A contuitu.

Contuitu autem, vibrantes, languidi, humentes, sicci, splendescentes, tenebrosi, ridentes, mœsti, acuti, obtusi, graves, ludibundi, truces, blandi, atque id genus cæteri. Colore vero nigri, glauci scilicet iidem ac cæsii, queique de iis fiunt subnigri, quei ob graciosam venustatem a Græcis *χαροποὶ*, a nobis *varii* dicuntur. Et subglauci, quei ab illis *αἴγωποι*, a nobis vero *caprini* nominantur. Item ruffi, flavi, fulvi, unde cognomina familiarum, pallidi, punicei, lutei, virides, rubicundi, ignei, flammei, sanguinei, crocei, ostrini, aurei, lactei, atque id genus reliqui.

Harum autem omnium qualitates quod ita significent, longioris esset instituti recensere, quod vero inter se mixtæ si fuerint, negocii quidem permaximi; attingam tamen potissimum ea quæ ad hanc ipsam rem magis pertinere videbuntur: ac ne minutula forte fides habeatur parum experto adolescenti, existimes velim, hujus rei authorem, non Pomponium, sed gravissimos olim philosophos, Aristotelem atque Adamantium, quorum uterque rationem cur id ita fiat adducere quum vellet, alter corpora animorum, vicissimq; animos corporum affectiones sequi argumentatus est: alter vero Prometheum, principi limo defectam undique particulam addere coactum, apposuisse nobis opinatur vim leonis, astuciam vulpis, temeritatem apri, formidinem leporis, gravitatem bovis, fastum equi, scurrilitatem simiæ, fatuitatem pecudis, stoliditatem hirci, voracitatem suis, ductatum pardalis, ferociam tigridis, immanitatem ursorum, desperationem elephantorum, rapacitatem luporum: similiter & cæterorum reptilium, volucrum atque aquatilium naturam, magis minusve, uti & libido ferebat, & limi natura patiebatur.

Quem igitur (inquit) videris subnigros ac mediocriter concavos oculos habentem, ex leone, qui talis est, animosum eum fortemque dijudicato: quem conditos, ex simia simulatorem, fraudulentum, delusorem, maliciosum: quem stabiles firmosque, ex bove gravem ac frugi: quem protensos, ignavum, injurium, contumeliosum, ac vere ex asello asinum: itaque rem ipsam nostro more summatim expediamus.

Oculi magni, mobiles, lucidique, si torvum contueantur, simul & supercilia porrigantur, agrestioris, crudi, rapaciorisque animi hominem indicabunt, tales enim sunt aprorum luporumque: Aristoteles quidem nec magnos, nec parvos ait oportere esse oculus qui probentur.

Prominentes oculi, quei sese extra mittant, quibusque in circuli speciem tumor circumducitur, aut contra, quos veluti castrorum fossa circumdederit, dolosum, stolidum, hominem ineptissimum significabunt: quei si & mobiliores fuerint, voracem, si petulci atque sanguinei, ebriolum, si glauci, nec justitiam, nec consuetudinem hominis ullam: si vero & supercilia gravarint, certior erit ejus amentia, si tumentiores, parvique, parricidium ac veneficium declarabitur.

Quibuscunque vero fuerint prominentiores, splendidi, grandiores, purum humidumque intuentes, insigni omnes justitia & consuetudine præditi, disciplinis aptissimi, deamoro issimi, qualem ex *Theætete* didicimus fuisse Socratem.

Conditi nimis (quanquam acutissimi omnium intuendo) nisi fuerint & magni, nullo pacto probantur, horum namque parvitas, dissimulatorem, invidum, insidiatorem: siccitas ad illa perfidiam, humiditas & amentiam indicant.

Laudatur vero status oculorum medius inter prominentem & conditum, & quei nec tumidiores sint, nec concavi, sed mediocritatem quandam magnitudinis habeant castigatam.

Mobiles oculi, turbatorem, suspiciosum, interpellatorem, infidum, ac curiosum magis quam pervicacem ostendunt, si & palpebræ moveant, certe animam præpotentem, sin minus, audacem. Ocyus circumvolubiles oculi, ganeonem, tardioris motus, pigrum, inertemq; denotabunt. Tremuli oculi, si in dextram ierint, socordiam, insanitatem: si in sinistram, adulterium: si vero introrsum, quasi naso annuerint, gratiosum, venereum, & amorosum declarabunt. Rigidiores nunquam boni, nam si fuerint humidi, formidolosum, si aridiores, vesanum: si pallidiores, stolidum indicabunt: si vero grandiores fuerint ac subrubicundi, impotentis erunt & libidinis & gulæ testimonium.

Quod si quem videris, qui splendescenteis hujusmodi oculos habeat, hunc tu ad corvos, ut nec tibi civem, nec vicinum esse cupias, ut qui malis tantum & calamitatibus gaudeat alienis.

Oculi, quei, quum se claudunt, sursum attolluntur, libidinositatis, gulositatis, ac sacri morbi certissimum signum: quod si & pallidi fuerint, impios atque homicidas, si subrubescentes, nigrantesve, intemperantissimi oris, mulierosos, stolidos, aleatores demonstrabunt: contra quei feruntur deorsum, contraria iis esse omnia.

Oculi, quei, quum sese aperuerint, perstant, vel cogitationem, vel certe alicujus rei pœnitentiam significabunt, quæ res scilicet ex superiorum omnium ratione captabitur: si magni, prominentes, conditi, mobiles, & ejusmodi.

Vibrantes parviq; oculi, dolosum, adulterionem, magni vero, ineptum, rudem, gulosumq; arguent: quod si grandiusculi, splendidiq; humidius contueantur, ingentem com-

A monstrabunt spiritum, excelsam ac maximorum operum effectricem animam: iracundos tamen, ebriacosos, ac supra hominem gloriabundos, qualem fuisse ajunt Alexandrum Macedonem.

Tenebricosi oculi, manifestum quidem iis inest incommodum: si tamen picciores fuerint, infidum: si & minuti, bilinguem, do'osum, insidiatorem, & cui gravissimas inimicitias profitetur Achilles, aliud pectore occultantem, aliud de ore promentem, animi multiplicis, pessimique: si vero (quales puerorum
B videri solent) humidi, grandiores, animosum, constantem, studiosum, prudentem, disciplinis habilem, timidum, ac prope avarum.

Prælucidi autem (modo contradixerit aliud nihil) optimi. Splendescentes oculi, tametsi utiles, non tamen certæ sunt probitatis indices: iidem enim glauci, sanguineive, calliditatem arguunt, ac jam vesaniæ proximiorem audaciam; subnigri, timorem, formidinem, suspiciones; nigri vero & adulterium; quei si torvum contueantur, difficilitatis, molestiæ, ac morositatis indicium: si & humidum, fortitudinis, imprudentiæ, celeri-
C tatis, iracundiæ, secordiæ, invenustatis: si & siccum, nequiciosissimæ scelerositatis.

Oculi, in quibus voluptas quædam ac risus (ut ita dicam) inhabitant, dissimulatores: iidem vero conditi, insidiatores: Sicci, aut quibus exteriora, palpebræ, supercilia, genæ, ac labra non steterint, reprobissimos indicabunt: Humidi vero, non malos quidem, sed tamen vanos, rudes, omnique animorum commotione carentes, pigros, intemperantesque. At si horum inanes palpebræ non connictarint, fueritque frons læta, & utrinque simul vacua supercilia, homi-
D nem eum significabunt magnificum, justum, suavem, pium, facilem, hospitalem, atque optimæ consultationis.

Tristes vero, humidique, studiosum, plurimarumque artium sectatorem: nam si & superciliis obtegantur, affueritque læta frons, æquabilem, fidum, frugi, prudentemque monstrabunt. Sicci vero, si & vultus fuerit trucior, item si frons aspera, aspectus immobilior, palpebræq; rectæ, rusticanissimas voluntates, improbissimas & cogitationes, nec ullum unquam iis esse intentatum imperfectumque facinus. Acuti oculi, tumul-
E tuatorum hominum sunt atque rapacium.

Oculi, quei frequentius connivent, id autem est quum immoto capite huc illuc obliquantur, quod pro dubitare usurparunt, formidolositatem coarguent: Si cum siccitate, fraudem, insidias occultumque aliquod malum: si cum tremore palleant, aut quopiam avertantur, fatuitatem. At vero quei contra non conniverint, robustiores, invictique: Quod si & gravedinosum intueantur, nihil unquam boni est id quod parant: si lene atque humidum, studiosos, faciles,
F amorosos: si pallescentes, puniceive & sicci, improbissimarum rerum memoriam, iracundiam, invidentiam, aut quamvis aliam extremam maliciam denotabunt, & si circumvolvantur, amentiam.

Oculi quibuscunque pernictant, insidiatores, furaces: si vero humidi, multarum artium studiosos: sin contremuerint, pallescantve, famelicos, & quei ad epilepsiam declinarint. Quibuscunque vero non nictarint, sed si quum clauduntur defluant, vere-

recun-

recundos: si & mox attollantur, adulteros, voraces: sin recti permanserint, benignos, bonos viros: sin & ficci, temerarios indicabunt. Quod si ad hæc frontem quis habuerit asperiorem, supercilia constrata, palpebrasque duriores, agrestiore animo, paratus ad audendum omnia, quique & laudibus & honoribus & donis facillime capiatur. Horum autem omnium mediocris status præcipue laudatur.

Pupillæ oculorum. Oculorum acies, quas & pupillas vocant, parvæ quibus fuerint, pravissimæ cogitationis eos esse necesse est, item & avaros, ac pusilli animi: serpentes enim, ichneumones, simiæ, vulpesque hujusmodi. Contra, quibus magnæ, placidissimæ mentis, liberales, magnanimos, forteis: ovium enim ac boum tales. Quibus secundum rationem oculorum decentes fuerint, probi: quibus contra, nefarii, impudentes, scelerosi: quibus inæquales, non prorsus mali.

Cenchri quid? Sunt autem interdum in oculis calculi quidam, quos Græci *cenchros* vocant, ad similitudinem milii, candidiores, fulvi, pallidi, sanguinei, quique admixtum habent pallidum fulvo, & iis nigrum. In charopis oculis cenchri qualescunque, agresticitatis injuriæque nota, in nigris sanguinei, veneficiorum: pallentes etiam, magicorum carminum.

Palpebræ. Quei rectas palpebras, flexaque supercilia non habuerint, sed cum tremore submoveant aspectum, hi semiviri quum sint, viri tamen esse coguntur. Quibus innuendo protenduntur palpebræ, fœminati. Quei alteram palpebrarum emittunt, & dum quopiam averterint, humidum ac molle respiciunt, deliciosi, quei plurimum formæ fidant, ac mœchi. Vesiculæ autem illæ quæ solent esse infra oculos, ebriosorum: quæ supra, somniculosorum: ambæ vero utrorumque. Anguli oculorum a temporibus parvi, reprobos: a naribus carnosi, reprobissimos denotant.

Supercilia. Supercilia quei attollunt cum spiritu, crudæ sunt mentis, pravique consilii homines, vani, obloquentes, iracundi, seditiosi. Recta supercilia, mollem: juxta nasum flexa, rigidum: juxta tempora, derisorem: contracta, invidum: demissa, malevolum indicabunt.

De oculorum coloribus. Quei glaucos oculos, minimasque acies habuerint, illiberales, avari, callidi. Quei eosdem aridos, incertis erunt moribus, agrestes. Quei humidos (dat enim hos Palladi Homerus) splendescentes, decenterque magnos, optimi atque animosi. Subpurpurei quibus fuerint oculi cum siccitate, iracundos: cum humiditate, ebriacosos si dixeris, nihil aberrabis Subalbidiores paucamque glaucitatem habentes, timiditatis atque impotentiæ signum. Cœrulei, quia ceteris humidiores, propterea & meliores. Verum de oculis supra quam constitueram satis, nunc & reliqua persequamur.

De naso. Nasi summum gracile si fuerit, facilem iracundiam. Crassum vero depressumque, consceleratos mores denunciat. Plenum, solidum, obtusumque si videris, ex leonibus molossisque fortem ac jactabundum dijudicato. Nasus oblongus, gracilis, rostratusque ejus quoque generis mores dabit. Nasus adclinans, vitæ morumque honestatis signum. Nasus rectus, linguæ significat intemperantiam. Acutus, iracundiam. Obtusus, molliciem. Aduncus, qui & aquilinus, regalem animum, ac magnificentiam. Simus,

A immodestiam, scortationem. Minor, fraudem, rapacitatem. Adapertus, animi vim, roburque corporis. Angustus, rotundior, obstructusque, stoliditatem, secordiam, vesanitatem. Obliquus intortusque, mentis & animorum obliquitatem.

De fronte. Frons angusta, ruditatis: plana secordiæ: magna segniciei: parva mobilitatis stigmate inusta. Frons autem longa, docilitatem atque optimos sensus ostendit. Depressa atque humilis, fœminatum. Rotunda, iracundum. Gibbosa, insensatum. Circumducta, impudentem. Aspera, quæ quasi fossas habeat, infidum, callidum, & (si cætera adfuerint) stolidum. Quadrata, quæ scilicet suæ magnitudinis mensionem habuerit, evidentissime prudentiæ, fortitudinis, intellectus, magnificentiæque index. Frons alta, rectaque, contumaciam: distenta, securitatem, rugosa, studium ac sollicitudinem ostendit.

De genis et malis. Genæ malæque quibus carnosæ, segens atque ebriacosos indicant. Graciliores, improbitatis. Pinguidiores, calliditatis. Crassæ & ab oculi demissiores, invidentiæ signum. Rotundæ, dolosorum. Prælargæ, vaniloquentiorum.

De ore et labris. Os neque firmum neque protervum, audentiæ, nugacitatis, dementiæ nota. Os parvum prominensque, insidiarum, reprobitatis. Concavum ac fornicatum, ut si infremeret, invidentiæ, scelerositatis. Humile ac depressum, formidinis & consiliorum instabilitatis. Oris autem sectio, vesanum, crudum, manduconem. Vastitas caninam denotabit esuritionem. Os parvum fœminas, majus viros decet. Labra in ore majori, tenuia, ut inferioribus adjiciantur superiora, magnanimitatem significabunt, ac leoninam fortitudinem: in minore vero, ignaviam, inhumanitatem, molestiam, impietatem, perfidiam. Quibus supra caninos attolluntur ex rictu labra, pessimorum morum, adclamatores, injurii, conviciatores, mordaces. Quibus totum os protenditur, labraque sunt præpinguidiora, rotunda, atque extrinsecus inversa, (unde Chilonum Labeonumque cognomina) & moribus & operibus sunt suini. Quibus inferiori labro superius labrum superadjicitur, prudentiores. Quibus contra labro labium prominebit magis, non prorsus mali, quanquam vani & stolidiores.

De mento. Mentum quibuscumque longius, non omnino reprobi, nisi quod præter modum loquaciores ac molliusculi. Quibuscumque brevius, pessimi, crudeles, diri, atque insidiatores, ex serpentibus, quei tales sunt. Quibus acutum, bonam habent hi omnes mentem. Quibus rotundiorem figuram circumscripserit, effœminati. Quibus quadratam, viriles. Quibus summo in loco tanquam in duos vertices dissiluerit, modo scissura sit apparens, dolosi: nam si levis, venerei potius gratiosique judicabuntur.

De capite et capillis. Caput valde parvum quisquis habuerit, is ab omni erit sensu humanoque captu alienior. Qui modicum, fortis, probe sensatus, magnanimusque. Qui permagnum, imbecillus, illiberalis, nullius, aut certe rudissimi, perceptus. Qui obliquum, inverecundior. Qui altum, contumacior. Qui utrinque convexum, iracundior. Pars capitis posterior depressa atque humilis, formidolosi ac prorsus animo toto carentis. Caput

A volunt id sensibus cæterisque rebus videri perfectum, quod mediocre fuerit, quod rectum, quod & intra mensum constiterit, ac ζ Græcæ literæ figuram habuerit. Capillos autem nihil ad hanc rationem conferre vult Adamantius: sunt vero multiformes, porrecti, crispi, leves, intorti, molles, duri, densi, rariores, nigri, albi, glauci, rubei, ruffi, flavi, & ejusmodi. Aristoteles tamen molliores capillos, facilioris vult esse ingenii signum, duros, agrestioris.

DE AURIBUS. Aurium multa varietas: quædam sunt tenues, quædam crassæ, aliæ magnæ, aliæ B parvæ, extantes, pressæ, atque earum mediæ. Item quadratæ, rotundæ, immobiles, & (unde Flaccorum cognomina) languentes ac deciduæ. Tenues igitur, minores, ac veluti circumcisæ, fatuum denotabunt, callidum, malitiosum. Crassæ, magnæque, surdastrum. Extantes, præsentaneam hominis docilitatem, mansuetudinem, benignitatem. Pressæ, inscitiam, ruditatem, Quadratæ vero, ac mediocriter magnæ, in audiendo argutissimum.

DE FACIE. Facies quibus est (Aristoteles inquit) magna, C rudiores: quibus parva, immoti: quibus larga, stupidi: quibus circumlata, animosi. Carnosa (inquit Adamantius) facies, deliciosi est hominis, lauti ac pubescentis. Macra, studiosi, deamatoris, insidiatoris. Parva facies, parvos quoque redarguit mores: permagna vero stolidiores.

Vultus in homine varius. Jam vero ipse index, obtectorque conscientiæ nostræ vultus, quam incertus, inconstans, varius, quia totus videlicet ex animorum perturbationibus configitur, quin etiam interdum earum simulator ac dissimulator. Quare haud temere ex eo omnibus horis D dijudicandum, nisi quum ab ejusmodi motionibus animi deferbuisse videbuntur. Mille sunt ejus varietates: mœstus, jocundus, facilis, fervus, alacer, tristis, clarus, tenebrosus, nubilus, dolorosus, pervigil, somniculosus, securus, audax, meticulosus, & ejusmodi, quorum & animi tales. Alacer autem clarusque vultus, certissimus index adulterii: Erubescens (hinc illud, *Salva res est*) pudoris ac verecundiæ. Vultum qui perexprimere potuerit, is se sciat non multum jam abesse a Lysippo. Nunc vero deinceps & reliqua.

DE COLLO. E Collum queicunque habuerint oblongius, graciliusque, timidiores sunt, atque egregie malorum morum. Quei pinguidius, prolixiusque, animosiores, jactabundi, contumaces, Quei & compactius, robusti, fortes, atque ad disciplinas idonei: Nam quei contra inanius habuerint, vafri, adulterive. Collum quod nervis obtenditur, sinistri, ac (si adsint & cætera) fatui, inque dementiam delabantes. Collum præpinguius, iracundi, ad disciplinas inhabiles, suini. Collum brevius, præmultum audacis. Collum densius, F nullam in partem cadens, sinistri, contumacis, inepti. Collum effractum, semiviri. Collum in dextram aclinans, ornati, prudentis studiosique: in sinistram, adulteri, ac nullius prudentiæ: in utramque vero aut in quamvis aliam, pravissimi animi ac mentis indicium: in nullam vero, moderationis, plurimæque & artis & exercitationis. Collum quibus longum, iisdem etiam erunt crura longa.

DE CERVICE ET GUTTURE. Cervix quibuscumque aspera atque obliqua fuerit, ineptissimi. Quibus sub ea sunt spondyli asperi, collumque prominentius sese humeris supereffuderit, injurii, prædurræ mentis, ad disciplinas (tanquam ad musicen asinus) apti. Guttur asperum, levitatem arguit, protervitatem linguæ, atque arrogantiam: quod si & spondylibus hæserit, solam ex iis levitatem: item hominem ebriosum, querulum, tristem, iracundum, cœnipetam, alioqui semper altiora cogitantem.

DE CLEIDIBUS, PECTORE, ET MAMILLIS. Cleides (sic enim a Græcis vocantur) hæ quæ e summo pectore in imam gulam exeunt, a clavium effectu simili. Obstructæ, nullam vim, aut sensus, aut actionis ostendunt. Apertæ, molliorem, fœminatumque. Mediocres vero, quæ ad nasi longitudinem dimensu inter se distarint, insignem hominis & prudentiam & virilitatem. Quibuscunque ab umbilico ad cleidas, major commensus quam sit circumlatio colli, hoc est plus duabus faciebus, gulosi, esuriones. Pectus magnum ac dearticulatum, significat robustitatem. Gracile atque imbecillum, animi pusillitatem. Carnosum vero, affectus dexteritatisque carentiam. Mamillæ, quibus in obeso pectore dependent, scortatores, ebrioli, & ganeones indicabuntur.

DE HUMERIS, SCAPULIS, LUMBO ET TERGO. Nunc postremum ad reliqua. Pingues humeri nullo modo probantur. Robusti robustos & mores significant. Vacui fœminatorum sunt ac timidorum. Graciles erectique pessimorum. Inarticulati efformesque, stolidorum, Scapula quibus est robusta, robusti & ipsi. Quibus imbecilla & gracilis, timidi ac pusillanimes. Carnosa, sensuum indicat egestatem. Angusta, etiam fatuitatem. Latior, mentis altitudinem. Rotundior, industriam, sagacitatem. Gibbosa, curvaque scapula, humerique in pectus effracti, invidentiam, pravitatem. Lumbus osseus fortem significat, & virilem. Carnosus mollisque mollem & effœminatum. Acutus vero intemperantem ac timidum. Tergum latum ac solidum, animositatis generositatisque signum. Angustum contra & solutum, timiditatis & illiberalitatis. Incurvus autem homo nequaquam unquam bonus, nisi membra humidiora, cæteraque urbana affuerint signa. Sic tu eum succinctum ac venatorium judicabis.

DE ULNIS, BRACHIIS QUE. Ulnæ si ita fuerint prolixiores, ut demissæ manus ad medias infra coxendices pervenerint, fortitudinis ac felicitatis signum. Breviores vero, quorum capita cubo occurrunt, malevolentiæ, invidentiæque. Exiles, hominem effœminatum. Carnosiores vero, disciplinis sensibusque carentem. Ulnas, brachia, cubitosque ipsos bene articulatos esse oportet, quos probari voluerimus.

DE MANIBUS, DIGITIS, UNGUIBUSQUE. Manus teneræ mollioresque, optimi dicuntur esse ingenii argumentum. Duræ magnæque, fortem illum quidem significabunt, haud satis tamen disciplinis idoneum. Parvæ manus, callidum. Perbreves ac mutilatæ, fatuum: quæ si & pingues, nequissimum. Angustæ gracilesque manus, rapacitatis. Pleniores quæ oblongos habeant digitos, furacitatis. Graciles tortuosæque, nugacitatis voracitatisque indicium. Digitos queicumque habuerint compactos, nunquam boni. Quei constratos, disjunctosque, callidi, avari, ac perditissimorum morum. Quei parvos gracilesque, paucissimi intellectus. Quei præmutilos crassosque, audaces, ferini. Quei oblongos gracilesque, minimæ rudiorisque mentis. Digiti qui commensu consti-

terint suo, omnium optimi. Ungues lati, colore albo sufflavoque, naturæ bonitatem. Angusti, prolixiores, curvique, item & carnosi, improvidum, male sensatum. Obliqui, inverecundum ac rapacem commonstrabunt. Parvi, pallidi, nigri, asperique ungues, & qui carni hæserint, calliditatis, rotundiores libidinositatis indicium. Unguium illuciditas nequaquam est hominis frugi, ipsi tamen per se ungues infirmam habebunt rationem.

DE LATERIBUS, ILIBUS, ET VENTRE. Latera graciliora, formidinem, debilitatem; dura atque carnosa, indocilitatem; circumlata atque in speciem tumoris plena, nugacitatem nequitiamque redarguent. Ilia præpinguiora mulierum, ossea virorum. Gracilia, densa, sordida, & tanquam eliquata, callidissimorum hominum. Venter vacuus, & sanitatem, & magnanimitatem ostendit. Macerrimus ac præter modum inanis, timiditatem, nequitiam, esuritionem. Carnosus si & mollis fuerit, pendensque, sensuum hebetudinem, intemperantiam, ebriositatem. Si durus cervicique compactus, calliditatem.

DE COXIS, ET CRURIBUS. Quibus articulatæ solidæque fuerint coxendices, & crura, egregiam naturæ aptitudinem præstabunt, ac generositatem. Quibus contra inarticulatæ ac molles, timidam imbecillitatem. Quibus prægraciles, improbitatem: quæ si etiam nervosæ, præter illa, immodestissimam procacitatem. Crura ipsa suris prægnantia, intemperantes, inverecundos & abominabiles indicabunt. Genua quibuscumque tamquam collabantia, mulierosi, fœminatique.

DE PEDIBUS, AC TALIS. Pedes nervosi, articulati, & generis, & morum nobilitatis vestigia imprimemt. Teneri, & (quales Telemacho dat Homerus) humiduli, molliorem significant. Præmutili ac pingues, ferinos arguent mores. Oblongi, plurimæ cogitationis signum. Parvi, calliditatis. Magni, mechanicitatis. Quei adæquatas habuerint plantas, aut contra nimium convexas: item quei quasi talis incedunt, improbi, astuti, callidique. Tali autem discreti, nobilem. Molles levesque, effœminatum. Graciliores, timidum, intemperantemque demonstrant. Calcaneorum crassitudo, plurimæ servilitatis atque indocilitatis indicium. Præpingues talos, asperiora calcanea, carnosos pedes, digitosque horum incurvos, & suras prægnantes quei habuerint, omnes (patrio vocabulo utar) *catacei*: sic enim pueri appellare solebamus, fatuæ mentis hominem furiosum.

DE COLORE HUMANO. Nunc demum pauca quædam & de colore dicamus: nam nomen ipsum & facta, basis explicabit. Nulli unquam artifices vocem dabunt, incessum, vultum, spiritum, ætatem, ornatum. Statuæ quum fiunt ipsæ præstabunt. Quibus igitur niger est color, adulteri, timidique. Albicans color, pigrum, intemperantem, fœminatum, incontinentem. Fulvus, dolosum ac multiformem. Subviridis, (quem objiciens Pisoni Cicero servilem vocavit) nisi ex aliqua ægrotatione is fuerit, parvum, timidum. Luteus, avarum, invidum. Mellinus, iracundum, epulonem, nugigerulum, dicacem, meticulosum. Flammeus, in leviter subrubescente corpore si perdurarit, naturæ bonitatem, aptitudinem, in disciplinis capessendis promptitudinem, & egregiam animorum nobilitatem significabit. Albus, sufflavusque, & animi & corporis vim promittet. Atque hæc generaliter. Pectus vero subrubicundum, excandescentem iram denunciat, idemque erit, si quæ circa ventrem, quæque in temporibus insunt venulæ paulo apparentiores fuerint. Vultus ipse per se rubicundus verecundiam ostendit: nam si genæ tantum erubuerint, vinositatem. De coloribus autem oculorum (quia junctim dicendum de iis fuit) satis quidem, ut arbitror, est supra dictum.

Hæc sunt (tum ego inquam) quæ de Physiognomia nuper nostro more interpretati sumus: Si quæ displicuerint, monebitis: Nam ad Pistoriensem nostrum cogitamus dare, voloque ei hæc probatum iri quam maxime. Sed nunquid rogo sentitis, quantum hæc Statuario intellecta conducunt, quantumque sint ut intelligantur necessaria, an aut Deum aut hominem quemquam quis ponet, cui prius hæc cognita non fuerint? Miseret me fateor istorum deorum, atque in primis Nazerini nostri Directi: Nam quis erit unquam vir bonus, cui quidem honoris quam vitæ sit ratio potior, qui non & alterum atque alterum malit Gaballum, quam se isto modo spectari, dissimulatorem, impudicum, furem, perperum, appetonem, tenebrionem, & ejusmodi? Verum & id quidem nimis.

Cap. V.

De Perspectiva. De concisione sive decurtatione.

Nunc ad perspectivam rationem pertranseamus, quæ etsi ferme tota pictorum esse videatur, ad sculptorium quoque munus transfertur quam commodissime. Ea vero duplex. Altera ad φυσιολογίαν, altera vero ad γραφικὴν pertinebit: Priore quidem illa rationes traduntur: cur in conspicuis perspectus afficiantur, ac quemadmodum triplex illa speciendi ratio fiat, ex directo, ex reflexione, ac refractione radiorum. Quæ quoniam plurimos nacta est & Græcos & Latinos scriptores, estque aliquanto ab hac nostra remotior, non est mihi propositum eam vos edocere, quei alios soletis. *Perspectiva duplex.*

Posterior autem hæc nostra duplex, namque vel ad totum opus, vel ad singulas pertinebit partes. Quæ ad totum opus pertinet prior, visu primum dijudicatur. Quæ vero ad partes, eas sibi res tantummodo considerandas proponit, quæ perspectioni occurrent: Prioris autem hujus quæ sese latius effundit ratiocinatio sumetur, sic: Omne corpus quocunque statu constiterit, in aliquo quidem necesse est esse loco. Hoc quum ita sit, quod prius erat, prius quoque & heic nobis considerandum. Atqui locus prior sit necesse est, quam corpus locatum. Locus igitur primo designabitur, id quod planum vocant, facies autem quam directissime, sic: Ad perpendiculum mediam lineam demittito, heinc semicirculus circumducito: per eorum intersectiones lineam ipsam æquoream trahito. Ne quis vero fiat in collocandis deinde personis error, fieri oportere demonstrant, hoc modo: Esto jam in hac quadrata (nam ejusmodi potissimum utimur) tabula hæc inquiunt linea: At quantum ab hac, plani definitrix distare debebit? aut ubi corpora collocabimus? Quei prospicit, nisi jam in pedes despexerit, *Graphice perspectiva duplex, universalis & particularis. Prioris, hoc est, universalis perspectivæ ratio.*

prospiciet a pedibus, unica sui ad minimum dimensione. Ducatur itaque quot volueris pedum linea hæc: mox deinde heic longius attollatur alia, in humanam staturam, sic: Ex hujus autem ipsius vertice ducatur ad extremum æquorea linea, sic: itidem ad omnium harum portionum angulos, sic: Ubi igitur a media æquorea perpendicularis hæc, cum ea quæ ab vertice ad extremum ducta fuerat, se conjunxerit, plani finitricis lineæ terminus heic esto: quod si ab æquorea ad hanc finitricem, ab laterali ad lateralem, absque ipsarum angulis ad angulos, plurimas hoc modo perduxeris lineas, descriptum etiam collocandis personis locum habebis: nam & cohærere & distare uti oportuerit his ipsis debebunt intervallis. Atque ad hunc modum differuerint, nos nostro more forsitan distinctius.

Sculptoriæ perspectivæ pars, quam ad totum opus pertinere diximus, triplex est: nam triplex omnino speciendi legitimus ordo. In rectum, quum videlicet intra extremas hasce verticis ac pedum lineas visus dirigitur, cujus ratio proprie ut arbitror ὀπτική nominata. In sursum quod ad usque medium horizonta supra caput attollitur, quæ ἀνωπτική dicta. Et deorsum, quum infra pedes tantundem demittitur, quæ κατωπτική nuncupata. In quibus omnibus, quid oporteat, diligenter considerandum.

Perspectus in rectum. Ille etenim perspectus, qui fit in rectum, non nisi ad priores pervenire poterit personas, aut per intervalla earum ad secundas, atque interdum etiam ad tertias. Quoniam vero hoc ipso perspectu, quæ primo sese offerunt res, paulo plus quam ex dimidio perspectantibus occurrunt, itidem & istheic in tabula extare primo hoc loco debebunt, sic: Contractius secundæ, hoc celsiore, propter rationem distantiæ in plano, sic: Contractius vero & tertiæ: vix summam heinc superficiem mittent, quod ipsum in vetustissimis plerisque monimentis observatum animadvertimus. Ea namque oculorum lex est, ut priora sese magis ostentent, longinquiora compressius videantur. Si igitur distarint heinc personæ, ab his quei in prima heic constiterint acie, prominebit exterius planum, sic: Sin cohærebunt heic a tergo posterioris, nihil id ita oportebit.

Perspectus in sursum. Quum vero suspicitur, atque in alto aliquid loco significare voluerimus, verbi gratia, hominem hunc in summa specula, nautam heic in summa turre mali, aut Dædalum etiam si libuerit cum Icaro volantem: considerandum qua distantia, quave id altitudine ab hoc ipso suspectionis centro fuerit, & quantum illinc radiorum unumquodque suscipiat. Nam heic propius, isteic remotius, hoc majus, illud minus esse conveniet, hoc pacto.

Perspectus in deorsum. Sed quid hoc est, Leonice, aciem nostram, quum attollitur, superas etiam domos deorum scandere? quum dirigitur, XL. millia pass. ulterius non progredi, sed in convexum terminari? quum vero demittitur, inferius pedes non transire? Et tamen quæ sub pedibus sunt, nos terrena semper spectare? in quamcunque vero deferatur partem, centesimo passu hebetari? Ascendimus enim Cremonensem & nos turrim, eo quum accessissem nuper ad Grammaticos salutandos, Lugarium, cujus cum gnato mihi familiaritas, & Cajetanum vestrum (ut narrare solebat) in Græcis literis condiscipulum, neque vero putetis ulla me re in tota illa provincia delectatum magis quam consuetudine quorum est feracissima Grammaticorum, quam multos Brixiæ, Bergomi? Taberium Britannicum, hospitem inprimis meum Clementem, qui claras facit suas videri minutulas quasdam (ubi Grammaticam doceat) Athenas. Quid vero me Grammaticis non delectari Grammatico patre natum? Sed jam ad propositum.

Sin itaque despicietur, quando is est frequentior multoque difficilior perspectus, major & cura & diligentia adhibenda nobis erit. Tunc enim despiciendi hæc ratio tractabitur, quoties plurimam rem aliquam ostenderimus, veluti, *Magno in populo quum sæpe coorta est seditio*, pugnas, prælia, urbes, & ejusmodi, quod ipsum fieri aliter non potest quam despectu. Etenim in omni re tumultuosa spectaturi semper altum conscendimus. Quare (quoties multiplicem voluerimus rem ullam talem prospectantium oculis subjicere) ad hanc ipsam despiciendi rationem decurretur. Ac quæ primo in quam velis partem se offerunt, proximiore heic loco statuemus: Quæ deinde intermedio, heic conspectiore: Quæ postremo, heic celsiore: eum in modum, ut spatiis quæque suis interdistincta, suo sic ordine dignoscantur, cujusmodi intelligitur illud:

—— videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem.

Atque ille uterque Vulcanius clypeus. Constat enim tota hæc in universum perspectiva, dispositione, ut intelligamus quacumque ratione spectetur, quantum ab alio aliud distare aut cohærere debeat, quot necessariæ sint ad illam rem significandam personæ, ne aut numero confundatur, aut raritate deficiat intellectio. Dicerem equidem de hoc ipso genere toto singulatim plura, nisi prudens artifex quæ dici possent, ex supradictis facillime cuncta deprehenderet. *Perspectivam dispositione constare.*

Intelligendum est autem in recto perspectu, tabulam ipsam, pro pariete: in sursum, pro æthere: in deorsum, pro terra accipi oportere: quanquam inter se una semper egeat alterius, ex qua re sola perspectivæ rationis hujus lex tota dignosci poterat. Igitur animadvertite: libet unico vobis exemplo rem omnem significare. *Quomodo intelligendi tres perspiciendi ordines?*

Esto heic sagulatus Hannibal, heic purpurati Romanorum duces, Paulus & Varro, heic Romana manus, heic Carthaginensis, hac fluvius, heic & cædes. Dirigatur age nunc æquor in rectam oculorum aciem, sic: certe non videtur. Deprimatur hæc pars anterior, jam melius. Age adhuc, etiam melius. Age adhuc in perpendiculum, apertius: ita semper oculus rem sibi subjectam quærit. *Ab exemplo.*

Esto rursus hoc pulpitum cubitis age altum tribus, si res quæ in eo fient videri debebunt, certe aut iis quei posterius sunt, ascendendum erit, aut certe quasi hic liber quum legimus attollendum pulpitum, ita nunquam & heic erit a natura recedendum. *Altero exemplo.* *Ab experientia.*

Hanc vero triplicem speciendi rationem a pictore (quisquis ille fuerit) animadvertimus perbelle semel adservatam: ita enim is Danaen composuerat, ut si prospiceres, avaram ipsam puellam stupescentem videres: sin

ſuſpiceres, Jovem jam jam e nubibus deſcenſurum impluvio putares: ſin vero deſpiceres, proximas regiones aurea conſperſas grandine mirarere. Sed de univerſali perſpectiva hæc ſatis.

Altera vero perſpectivæ pars, quæ ſingulas conſiderat rerum paritiones, eſt quidem illa vulgaris, pictorumque pueris uſitatiſſima. Sic tamen ut ſummam aſſecutus videri poſſit, quiſquis eam recte tenuerit. Eſt autem nihil aliud hæc perſpectiva, niſi quæ dum in reddendis rerum omnium (utcunque paruerint) ſimilitudinibus verſatur: quæ non ita ſunt, ita tamen videri faciat. Id vero ex mentita potiſſimum longitudinis menſione, ſive hominum, ſive ædificiorum, aut cujuſvis alterius alicujus corporis, quum ab ſua rectitudine proſpectari deſierit, ſive rotundam, ſive triangularem, quadrangularemve, aut quamvis aliam lateralem habuerit formam. Nam continuo ad conciſionum (quas *decurtationes* vocant) difficillimas rationes deveniendum, noſtra tamen quantum fieri poterit demonſtratione facillimas. Rotundas igitur omneis rerum omnium formas conciſione præſtabimus, ſic; Eſto hic circulus, hæc rota, hoc age potius ſpeculum. Efficiatur primum ex eo quadrangulus, ſic: Mox undique de lateribus, & de angulis ducantur quæ interſecentur in centro lineæ, ſic. Deinde productis ab hoc uno latere duabus his lineis, eodem ſpatio circuli fiat hic triangulus, quo ex dimidia parte diſſecta, totidem rurſus ducantur & heic quot in priore circulo lineæ, ſimili ratione. Qua igitur heic interſecantur, centrum erit hujus alterius, hoc pacto. Eſto præterea ſi voluerimus idem in latus ſpectari, ſic: Ducantur de iiſdem ambobus lateribus, diametri ſpatio, in directum lineæ, nam heic tanquam compreſſura cogetur, hoc modo. Similique etiam ratione ducantur per latera, perque angulos lineæ, quo quidem ſpacio videbitur anguſtari totum, ſic, centro adhuc in interſectione ſervato. Triangulares autem, quadrangulares, lateraleſque omnes (nam una ferme omnium ratio) diverſiores in hunc fient modum.

Eſto hic liber, (Homerus eſt, noſtræ deliciæ, quem nunquam temere a me longius abeſſe patior) eſto, uti apparet, in pluteo rectus, recta etenim primo eſſe omnia oportebit, quæcunque in aliam erunt ſtatus rationem tranſitura, ſic. Ducantur de omnibus quatuor angulis in longum parallelæ lineæ paulo & ſurſius & deorſius, ut libuerit, age, ſic. Singuli autem & heic anguli ſuis contineantur lineis, ſic: Videtis ut jam reſupinarit? Spectetur idem & a tergo in hunc modum. Altitudo hæc, ipſaque latitudo (non enim, dum ſic apparuerint, quicquam de iis comminuitur) erit hujuſmodi, æquabilis enim hæc ſuperior paginarum planicies, productis paululum ab latitudine lineis in ſurſum, ſic. Item & hæc inferior ad eandem rationem ſtatus, ſic. Nonne præſentata vobis ſpecies videtur? Quin & apertius, ut heinc ſit *Ilias*, illeinc *Odyſſea*, ſic. Ducantur de ſingulis angulis in longum, eodem (ut diximus) paralleli modo, ſic. Suis mox unuſquiſque deſcriptus finiatur lineis, ſic: Quam prope eadem oculis in hanc alteram commutata nunc eſt forma illa prior? Sed jam altero contenti exemplo erimus.

Eſto hic M. T. Ciceronis, vel C. Cæſaris

A facies, ad perpendiculum diſcriminatrice linea nullam declinans in partem, ſed porrectiſſimo contuitu perſpiciens in hanc M. Antonii, vel M. Catonis, hoc modo, ut reliquum jam corpus, cujus hæc eadem eſt ratio, dimiſſum fecerimus. Punctus autem, quo terminatur frons, Ariſtotelico more, ſit a, in interciliis oculorum heic ſit b, in extremis heic naribus c, heic in mento ſit d, vertex e, gula inferior g, mutetur inde proſpectus, & ad medium uſque horizonta tollatur, dirigaturque acies in ſignum hoc ubi ſit litera s, hoc modo: Ducatur nunc linea directa a b ad

B s, ſic. Reliquæ itidem hæ ſuo intervallo ſimiliter, ſic. En ut perpendicularis quæ modo fuerat, nunc obliqua: quin & cæteræ partes intra ſuas continebuntur lineas ſic. Simili etiam modo & hanc alteram M. Catonis in deſpectum, ſuſpectum, aſpectum, ex dimidio, ſeſquioculo, vultuve toto, diverterimus in mille varietates. Sed rerum omnium ſimilitudines, quemadmodum ex conciſionibus reddendæ ſint, in aliam diem transferemus. Eſt enim maximi (ut mihi quidem videtur) negocii. Satis mihi nunc ſit eam vobis breviter ſignificaſſe. Atque equidem vide-

C mini neſcio quid aliud agere, vereorque ne jam permoleſtus eſſe occeperim. Sed quando quidem cœpiſtis, obdurate. Mihi de ſtatu motuque pauca quædam hoc loco dicenda.

CAP. VI.

De Statuarum ſtatu, motu, & ocio.

STATUS igitur, unde dictæ ſtatuæ, alii ſunt recti, alii flexi, alii vero & obliqui. Recti ſtatus ii ſunt, quei ſua natura conſtabunt, nullamque omnino vergent in partem, ut quum aſtamus. Flexi ſunt, quei primum a rectitudine declinaverint, ut quum (*Status recti, flexi, obliqui.*)

D proni ſupinive accumbimus. Obliqui vero, quum aliquo facies avertetur, membraque ad actionem diſtorquentur, quorum omnium certiſſima ratio his ipſis continebitur finibus, quos hic effectus comprobarit. Omne quidem corpus, niſi extrema ſeſe undique contineant, librenturque ad centrum, collabatur ruatque neceſſe eſt. Stantibus itaque ſic nobis pede in uno, ſi quo motabit corpus, declinaritque a recta linea caput plus pede, neceſſum concidere.

Quod in iis videri manifeſtiſſimum poteſt, quos Græci χοινοβάτας, noſtri haud nimis (*Ab exemplis.*)

E inepte *funambulos* dixere. Illorum enim corpora ſic librantur, ut, ſi quam in partem inclinarint, jam jam ecce caſuros ſperemus. Sin vero vortatur in dextram facies, perpendicularem ipſam ab extremo narium lineam, dextri pedis, quo ſemper inniti ſolemus, exteriorem nodum non progredi. Aut ſi in ſiniſtram, interiorem ſiniſtri vix attingere: Siniſtrum vero pedem non longius ab dextro ire quam pedis unius ſpaçio.

Motuum vero (neque enim quæ a principibus philoſophiæ, ipſoque Platone noſtro dicta de ſtatu motuque ſunt, repetenda nobis hoc ipſo in loco duximus) queidam ſunt (*De ſtatuarum motibus.*)

F primi, ut quum incipimus moveri. Queidam medii, quum intra initium finemque verſantur. Queidam ultimi, quum ad finem fere pervenerint, necdum firmantur: ſi enim firmarentur, ſtatus quidem dicendi eſſent, non motus: Quare & illi ſtatus laudantur, quei vel a motibus facti videbuntur, vel in motus tranſierint. Motus præterea aut ſunt faciles, aut violenti. Faciles mo- (*Primi. medii. ultimi.*) (*Faciles*)

tus ſunt quei remiſſe nulloque fiunt conatu, veluti quum deambulatur. Violenti ſunt qui vires conatuſque vehementiores exprimunt, veluti quum accurritur, quum trahitur, pelliturque huc verſus & illuc. Ejuſmodi ſexcentæ ſunt varietates. Alii fiunt huc illuc in rectum, alii in dextram, alii in ſiniſtram: alii feruntur in ſurſum, alii in deorſum. Eſt autem uti ſtatus & motus, ita & ocium.

Violenti

De duplici ſtatuarum ocio.

Ocium vero alterum eſt liberale, illiberale alterum. Liberale eſt, veluti quum philoſophos mortem commentantes (uti apud Ariſtophanem Socrates eſt) in ciſta ſuſpenderimus. Illiberale vero jam dudum in omnium pictorum conſuetudinem venit, præcipueque ſolitum fieri a Mantenio noſtro, ubi negligentes famuli modo accumbunt, modo dominorum imperia deoſcitantes expectant, modo inertes ſtupidique manent. Quod opportune factum ſi fuerit: jucunditatem ſimul atque ex varietate gratiam afferet.

Perſpectivæ ſpecies duæ.

Sed enim ſuperioris perſpectivæ ſpecies (quas tamen de Hermogene mutuabor, Regi, tuo) potiſſimum duæ: σαφήνεια, quum ſcilicet ſpectantum oculi quadam afficiuntur perſpicuitate, ſic:

In medio claſſes æratas, Actia bella,
Cernere erat: totumque inſtructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.

Itemque illud:

Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Trojana juventus:
Hac Phryges, inſtaret curru criſtatus Achilles.

Eucriniæ ſpecies tres.

Et εὐκρίνεια, quum videlicet ex ornatu quæque ſuo ac decore placent, ſic:

—— ſævit medio in certamine Mavors,
Cælatus ferro, triſteſque ex æthere Diræ,
Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla.

Poſterioris autem hujus tres, ἐνέργεια, quando ſcilicet ex ea re quodque præceſſerit, quodque fit, evidentiſſime repræſentatur, ſic:

—— & verſa pulvis inſcribitur haſta,
—— levique patens in pectore vulnus.

Εμφασις, quum quid ex ea ipſa re futurum jam ſit commonſtratur, ſic:

Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque.
—— manet imperterritus ille,
Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſua ſtat.

Αμφιβολία, quoties dubium ſit, quæ medio locata res eſt, huc potius an illuc referri oporteat, ſic:

Lora tenens tamen.

incertum enim videri poſſet, id ne ſit quamquam *hæreat curru reſupinus inani*, an quamquam *cervixque comæque trahantur Per terram*. Scilicet inter illas media. Ut enim altera manifeſtiorem, quæ nondum acta eſt, rem facit: altera futuram oſtendit, ita & hæc rem utrinque dubiam proponit, quod in Polygnoto Thaſio pellaudarunt. Fertur is militem ita pinxiſſe, ut dijudicari haud ullo ſane pacto potuerit, conſcendere mallet miles equum, an mallet equo deſcendere miles: quam rem & ipſi nos ſculptura nuper imitati ſumus. An non Homericum illud Glauci,

Ante alios ſemper magnis excellere rebus,

habere in animo ſemper debebimus? Item & νόημα, quoties plus quam fiat, intelligitur, cujus generis fuiſſe ajunt picturas Protogenis, ſic:

Trunca manum pinus regit.
Demiſſum lapſi per funem.
—— indutus ut olim
Demoleus curſu palantes Troas agebat.

Sed in omnibus hiſce, præterquam in Amphibolia, unico hoc ſemel Poetæ (nam qui apud Sculptores noſtros invenias?) exemplo contenti erimus:

Intextuſque puer frondoſa regius Ida
Veloces jaculo cervos curſuque fatigat,
Acer, anhelanti ſimilis: quem præpes ab Ida
Sublimem rapuit pedibus Jovis armiger uncis.

quæ rogo Energia? Quid vero & hæc quæ ſequitur Emphaſis?

Longævi palmas nequicquam ad ſydera tollunt
Cuſtodes.

Quid vero & hoc poſtremum?

—— ſævitque canum latratus ad auras,

quam multa ex eo intelligentur? Pueri certe ſpecioſiſſimi patientiam, intemperantiſſimi raptoris incontinentiam, qui nec ſtragula quidem expectarit. Sed jam de Graphice ſatis.

CAP. VII.

De Imitatione.

Imitationis commendatio.

ALTERA vero Ductoriæ pars, quam ψυχὴν, hoc eſt, *animationem* vocavimus, ſola quidem μιμήσει continebitur, hoc eſt, *imitatione*: cujus tanta (ut mihi videtur) vis eſt, ut vel ſolam eam poſſe Sculptori ſatis eſſe affirmarim. Ecquid tam multa? quam anguſtiſſimis ecce terminis Sculpturam finivimus? quam facilem ecce viam commonſtravimus? certam, brevem, antiquiſſimam, & quæ ſola Lyſippum eo uſqque perduxit, ut ab alio ſe effingi etiam edicto vetuerit Alexander. Credendum eſt enim oſtenſam hanc ſibi ab Eupompo pictore, ac vere Eupompo viam tenuiſſe ſemper, neque ab ea unquam divertiſſe. Ille etenim quærenti Lyſippo, quem potiſſimum artificem ſequeretur, commonſtrata multitudine, reſpondiſſe fertur, naturam eam imitandam, non artificem. Nos quoque hortamur, admonefacimuſque identidem omnes quei Corinthii, non Tuſcanici eſſe cupiunt, ubi corporis circumſcriptionem fecerint, remque ad geſtus ſymmetriamque perduxerint, naturam ipſam diligenter inſpiciant, habeantque & elegantiſſima & pulcherrima corpora: nam (quod Zeuxis Crotoniatas docuit) perfectam in uno corpore pulchritatem haud facile invenias. Si nudos inquam fecerint, nuda, & quos voluerint geſtus aptiſſime imitantia, unde ſingulorum membrorum, juncturarum, nervorum, venarum, rugarumque paritionem ad ſuum opus deducere poſſint. Scio quid ridetis, argutiuſculi eſtis plus quam ſperaram. Alia quidem apparent in Herculis (quoniam Hylæ non licet) tergo, lacertis, pectore, cruribus, ac toto denique corpore hydram conficientis: Alia cum Antæo luctantis: Alia tauro cornua diſſipantis: Alia aliter agentis, dulciter tamen, ac non uti ab eo factum eſt, qui Coloneum ad Pauli nuper poſuit: Ille enim ita (ut ajunt) cruditer equum imitatus eſt, ut non aliud quam denudati equi facies videatur. Sed ſatis qui-

dem (ut arbitror) a nobis dictum est de ea parte quam maximam putavit Donatellus designationem, ac rusticioribus verbis; quæ tamen si pensitentur, dexteraque adjiciatur, sane quam pulcherrimum opus efficient.

C A P. VIII.

De Chemice seu Fusoria.

NUNC vero de altera parte dicendum esset, quam nos χημικὴν sive *fusoriam* nominavimus, quæ quoniam & fœda & caliginosa est, eam (si videbitur) prætermittamus. Non enim cera, non buxus, sed creta, sed stercora, carbones, follesque tractandi: mevenda Liparensis officina, exercitandi Steropesque Pyracmonque: ac satis dudum estis hoc sermone nostro defatigati.

REG. Nisi tu dicendo, nos quidem nequaquam sumus audiendo, ut pro utroque agam.

LE. Perage, nec jam causari occipias.

Alchimisticam infamiæ notat.

Tum ego sic: Chimice (unde infamis illa omnibus usitatissima sæculis ars dicta, quæ circa metallorum exalterationem versatur) in duas a nobis dividetur partes: In formarum confectionem & in metallorum informationem. Formas autem nunc eas intelligimus, quæ speciem de cera suscipiant, contineantque, ac postremo tandem fideliter reddant: in quibus cretæ potissimum natura consideranda, ne fiet tenax, ne terrea, ne turpis. Mollitur deinde, subigiturque tomento, vel ventre equino, pari portione, quoad neutrius discretio fiat, additis interdum cineribus, latericiove pulvere: Deficcatur, eraditur, excribratur, rursus perfusa aqua lutescat, neque durius, neque mollius. Dicerem quid prima, quid secunda, quidve tertia sit illinitione observandum, quemadmodum postremo ferreis vinculis cogendæ, quemadmodum decoquendæ, humandæque sint formæ, nisi consulto vos hæc ipsa videre quam audire malim. Atque equidem puto vos in officinis istorum quei bellicas murorum machinas atque æra sonantia fundunt, interfuisse. In metallis vero ipsis informandis diligentior prorsus erit ratio adhibenda; ne Chimistarum elogio, operam simul & carbones perdidisse videamur, in qua quidem re summum erit metallorum naturam cognoscere, atque ubi delicuerint, ebullierintque, informare. Neque vero est quod physiologica nunc adducam, vosque ego doceam quæ sit auri, argenti, æris, stanni, ac cæterorum natura, quidve ex horum confiat permixtura. Equidem nolo noctuam Athenas, aut videri Chimicæ sciens. Intelligendum tamen, æs temperari solere multis modis: Alia enim utuntur temperatura campanarii, alia & nos: quæ scientia defuit Donatello. Nunquam fudit ipse, campanariorum usus opera semper. Illorum temperatura, vicenæ interdum, & ex qualitate æris, trigenæ libræ stanni in centenas æris: Nostra vero aut statuaria, aut tabularis, aut sigillaria. Statuaria hæc, duodenæ stanni in centenas libras æris, tertia parte collectanei. Plumbum quidem ipsum æri non admiscetur, additur tamen plerumque ad colorem nigri plumbi portio decima, argentarii vero (id enim est albo nigroque pariter mixtis) vicesima colorem contrahet, quem dixerunt Græcanicum: plumbi nigri duodecima addita Cyprio, purpureum. Tabularis hæc: Denæ libræ stanni in centenas æris. Sigillaria vero

Formæ ad ceram. — *Formæ ad metalla.* — *Æris temperatura.* — *Campanariorum temperatura.* — *Statuaria temperatura.* — *Tabularis & Sigillaria temperatura.*

hæc: Funditur æs collectaneum longo usu perdomitum, simul & orichalchus pari portione, in singulas libras additis interdum binis unciis stanni, interdum (si rutilus quæratur color) tutia. Nam si albus, sic: Collectaneum æs depurgatum fundito, arsenici nitrique defumatorum ternas uncias in binas ejus æris libras frustillatim conjicito, obturatum in vase percoquito, postremum infundito, dealbescet sic in speciem argenti. Si post Noricas fornaces nobis ferrum eliquaretur, commodius plurima fieret colorum in ære diversitas. Ac scite quidem Aristonidas, qui quum vesani Athamantis filium præcipitare volentis furorem, & mox præcipitato illo residentis pœnitentiam vellet exprimere, ferrum & æs miscuit, ut ejus rubigine per nitorem æris relucente, rubor exprimeretur verecundiæ. Plerique tamen inventi quei affirmarent, si ferri scobem subtilissime delimatam, arsenico pariter salique permixtam ardentissimis fornacibus diem totum calcinatam feceris, adeo permolliri, ut argento atque ære facilius colliquari possit, rursusque obdurari, si candens intingatur aqua frigida. Liquatum æs emendatur sale tartaroque. Ebulliet ipsoque in jactu depurgabitur a scoria, injectis laciniis lini ceratis oleatisque. Ebullitionis autem permaturæ signum nonnulli dixerunt esse furfur injectum, si peraccendi statim non effumando videatur. Plerique dum scoriam fecerit exspectant. Frustra vero speraris ullo quovis artificio recte informari metallum posse, nisi jam decoctissimæ prius formæ, suas uti, quotve oportebit spiramentorum emissuras habuerit. Sed hæc audiendo aut parum prosunt aut nihil. Igitur ad officinam: Ac si qua id ratione verbis explicari posset, non de nullo melius quam de Poeta cognosceretis, quum sic ait:

—— stridùntque cavernis
Stricturæ chalybum, ac fornacibus ignis anhelat,
Fluit æs rivis, aurique metallum,
Vulnificusque calybs vasta fornace liquescit,
Ingentem clypeum informant.

Sed quoniam sæpius per imprudentiam evenit medio ut jactu metalla defecerint (multum enim facit ne idipsum accidat, si scierimus quota metalli cujusque portio correspondeat argillæ, ligno, ac ceræ) ponam hoc loco quæ inveni ab aliis tradita. Singulis libris argillæ respondebunt novem æris, Ligni faginei XIV. Ceræ vero VI. Æris albi VIII. unciæ & semis. Cypri IX. drachmæ III. Orichalchi IX. unciæ II. ac semis. Stanni VIII. unciæ X. drachmæ IV. Argenti XI. unciæ VI. Plumbi XII. unciæ IX. Auri XIX. unciæ tres, ut drachmæ novem efficiant unciam unam. Nonnulli in quadratas formas cubitalis undique mansionis, DII. mill. pondo æris dixerunt infundi oportere. Sed quisque sibi homo prudens rem omnem certam faciet experimento, antequam fundat. Si tamen meminerimus semper meliorem esse conditionem eorum quibus res supersunt, quam quibus desunt, multoque semper oportunius hoc esse ut demi possit, quam ut addi oporteat.

Nam quid ego dicam, de commissuris? Stultissimum quidem existimo ubi res semel integra fieri poterit, in frusta disjungere, ut iterum jungas. Si tamen ita necesse fuerit, mihi quidem eas in triangulorum spe-

Ab experientia. — *Ferri eliquando obdurandique ratio.* — *Emendandi æris ratio.* — *Ebullitionis signum.* — *Quid observandum ne metalla in fundendo deficiant.* — *De commissuris.*

ciem fieri in hunc modum . : placeret . A Nam & pertinacius hærebunt, & dissolventur temere nunquam : sed

Cur infamis Alchimistica ?

REG. Sed, istud tuum memineris. Quæso cur antiquam & infamem feceris artem Chimicam . Operæ precium ego tum inquam , Regi . Ferunt pellem illam arietis auream, ad quam cum delecta Argivum heroum manu, celeri provectus est Jason Argo, non pellem ipsam (uti ex hoc Poetæ finxerunt) sed arietinis chartis fuisse librum, qui conficiendi auri & argenti rationem continuerit. Ejus vero artis (uti & cæterarum omnium) innumerabilibus pene sæculis peritissimos dicunt fuisse Ægyptios, ac longo post tempore Diocletianum Cæsarem (ob proximarum rerum in ea provincia suspicionem) conquisitos undique artis illius libros omneis comburi jussisse, ne qua divitias compararent, pecuniarumque copia fidentes, Romanis aliquando Ægyptii bellum inferre auderent : atque ex eo publice semper habitam flagitiosam. Sed si unquam, nunc certe flagitiosissimam,

Artis Alchimisticæ libri per Diocletianum exusti.

B

—— quæ perfida pleros
Jam regnaturos, jam mendicare coegit.

C

CAP. X.

De Ectyposi seu Efformatoria. De Statuariæ perfectione. De metallorum levatura & coloratione.

NUNC autem ad, Sed, illud nostrum revertamur, jamque ad commodissimam Sculpturæ speciem ἐκτύπωσιν, quæ dici a nobis *efformatoria* potest, transeamus : nam de tota in universum Sculpturæ materia satis jam dictum videri velim.

Efformandi modi 4.

Tractatur autem ea quadrifariam : siquidem creta, gypso, cera, & pulvisculo conformamus.

Ex creta

Creta sic: Argillam ipsam fictilem accipito. In aquam colliquefacito. Quod subsederit tenuius ad solem, ad furnum arefacito, in pulverem redigo. Excribratum paulo durius impastato. Mox quod volueris sigillum ei semel imprimito, & siccatum figlina concoquito, ita capillum etiam efformabis.

Ex gypso.

Gypso sic: Ajunt in Cypro & Thebis fodi, sed nil refert, dum Bononiensis, Appenninus (mirum quam in ea urbe gypsum abundat) dum & Alpes id nobis sufficiant : ejus autem triplex est species, Marmorosa, Glebosa, & Aluminosa. Marmorosa quidem utilior, nam & scalpitur ad statuas, & suo more decocta pertinacior. Mirabilem ea nobis usum præstitit nuper ad lacum Sebinum, quem nunc accolæ ab oppido, quod ab ejus, uti arbitror, portorio nomen acceperat, Gypseum, uti & ab Ardea Benacum, etiam corrupte vocant. At quanta me nova voluptate affecerunt illi lacus, & ejus provinciæ, quam quidem oppidulatim peragraram, jucunda fœlicitas. In Etruria quoque ex eo gypso toreumata mirati sumus, quum ex alabastrite viderentur, tantus erat lapidis illius nitor splendorque. Aluminosa vero si pelluxerit, ad id quod volumus longe commodior : nam de altera nihil oportet : decoquitur furno lente calido, teritur pilis ligneis, excribraturque, statim ut tepescente aqua permaduerit, superinfunditur. Ubi peraruerit, tolletur : quod fieri salva re nunquam poterit, nisi prius oleo illitum, aut plus semicirculo fuerit occupatum : nam primum hoc, deinde & illud efformabimus, quoad integram rem habebimus, continebunt autem sese frustula firmius, si quod erat prius excavatum, inveniatur a posteriore, ut in commissuris. Emendabitur autem hujusmodi formula ad ceream rursus plumbeamve effigiem, hoc pacto : Desiccato rursus, sed furno calidiore. Quoties oportuerit, in tepescentem aquam (si sis ceram immissurus) immergito. Si cavitas placuerit, post paululum ubi infusa fuerit, effundito. Si vero plumbum, proderit eam optime desiccari, plumbumque ipsum nigrum, albo, quod *Marchisitam* vocant, & antimonio temperari, XII. portione.

Triplex gypsi species.

D

E

F

Ex cera

Ceram autem efformabimus, sic : Liquefiat primum. Mox ad eam rationem quam diximus superfundatur, vel (si commodius fiet) in eam ipsa res commergatur, emergaturque, donec amictu vestita fuerit crassiore, frequentius. Desecetur acie tenuissima, adaperiatur, jungaturque. Ad soliditatem infunditur gypsum : ad cavitatem vero, quæ sola in his admirationem habet, etiam (uti docuimus) cera, sed si prius illam humor circumfluxerit liquidus. Cujus quidem inventi ratio, etsi in uno prius architecto quondam constiterit, jure tamen (quando illa cum ipso deperierat) mihi debebitur. Cavitas vero ipsa, ubei cretatum fuerit extrinsecus, (accipito tanquam de Gn. Flavio rem secretissimam) replebitur argilla quam edocuimus, tomento & equino ventre subacta, mixtis pulvere latericio, interdum molari, interdum vitreo, sive etiam adustarum formarum, calce viva, cineribusve.

Ex pulvisculo. Pulvis nativus.

Pulvisculus vero qui optimus sit, diu quæritari a multis solitum. Is autem aut Nativus est, aut Facticius. Nativus qui per se nascitur, qualem nos nuper in agro Cremonensi deprehendimus. Facticius vero quei fit de ea materia quæ vim ignis omnem sustinere ac pati possit : quare non unus habetur, alii enim ex pumice, alii ex ossibus deustis, alii ex scobe ferri, alii ex colliquato in fornacibus latere, alii ex Smirillo, alii ex rebus aliis. Ego vero omnes modis omnibus expertus, aptissime utor vel ferrugineo, vel latericio.

Facticius.

Ferrugineus.

Ferrugineus fiet sic : Accipitur scoria sive etiam scobes ferri subtiliter delimata, purgatur impubis pueri urina acetove, semimestri spacio perfunditur, aduritur fornacibus, teriturque pilis, itemque id rursus ac rursus, dum ad eam tenuitatem pervenerit, qua tactum effugiet. Mox quando opus erit, humectatur aceto aquave salsa.

Latericius.

Latericius autem sic : Lateres ardentissimis colliquati fornacibus, simili modo teruntur, simili etiam modo minutissimus pulvis factus inebriatur, conformatur stationibus, admoveturque prunæ, ut nihil humoris permaneat, denique perignescat. Quod si puerilem tantum urinam ebiberit, nullo fere opus erit igni, vix pauculo calore; candensque (hoc naturæ miraculum) considerate infusum metallum non ampullescet. Non parum autem contulisse judicabitur (antequam metalli jactus fiat) candelæ fumus subjectus, præsertim si res ita subtiliter celatæ fuerint, ut facile injuriam pati posse videantur.

Dicerem quidem hoc satis esse, nisi exornandus quoque nobis esset & finis. Constat autem finis perfectione, perfectio ipsa omnis efficitur extremorum dimotione, & pulchritudi-

tudinis inductione. Atqui extrema (ut in cæteris rebus) sunt excessus & carentia. Excessus scalpello tolluntur & lima. Carentia vero medicabitur adjectione & adjunctione: Adjectione hoc modo: Terebratis crebro lateribus, inducatur, uti oportuerit, cera, cretetur deinde: mox & emissa cera, & argilla decocta, infundatur sui generis metallum. Adjunctione vero, quum adglutinamus, sic: Colliquatur (ut mos est) fictili vase orichalcus, additurque singulis ejus libr. uncia arsenici, teritur deinde in mortario æneo, qui pulvis permixtus boraci, inspergitur commissuris, apponiturque igni ad eliquationem. Conglutinantur plerumque æra stanno & pice, inductis ferro candenti. Pulchritudo autem omnis perfecta videbitur, levatura & coloratione.

Defectuum adjectio.

Defectuum adjunctio.

Metallorum levatura.

Levatura, quum delimationis asperitatem tollimus cælo, nitoremque superinducimus pumice, stylo calybeove dente, quem *bronitorium* vocant. Coloratione vero, quum suum cuique parti colorem damus, idque vel jactu ipso ex scientia Chimices, quam præmonstravimus, vel post jactum, hoc modo.

Eorumdem coloratio.

Color Albus.

Albus color præcipuus argento, sic: Deducitur argentum optimum in bracteolas tenuissimas, malagmaturque vino: deinde cum aqua nitri & aluminis ferreo superinducitur stylo, mergitur oleo fervescenti ad assationem, imponitur prunæ candenti, ebullitur in aceto, sale, lotio, tartaroque, levaturque rursus bronitorio.

Color Aureus.

Aureus color ipso fit præcipuus auro, eadem ratione qua & albus argento, nisi quod in oleo perfrigi non oportet, id vero si temperatura caruerit, stanno: aliter enim res agetur ipsorum bracteis. Fiunt & hujusmodi colores multis aliis modis; quei quoniam nec ita perpetui nec meliores, ne curaverimus.

Color Croceus.

Croceus autem proveniet in prætextis color, si perextersum sigillum candenti superimponatur laminæ, quoad eum ipsum videbitur colorem contraxisse, frigescatque paulatim.

Viridis. Niger.

Viridis, si perhumectetur aceto salso. Niger, aut ex liquidæ picis vernicatione, aut ex palearum, si prius emaduerit, suffumatione. Hi quidem nunc sat erunt, dum captabimus & reliquos; nam ipsi oculorum ac pupillarum colores, de India Muranoque petendi; sed India sane in sua illa Minerva Phidias, de Murano nos, & commodius, & fortasse etiam melius.

C A P. XI.

De Cælatura, & ejus speciebus.

SED nunquid Cælaturam ipsam præteribimus? non quidem ut ejus rationes, quas omneis ostendimus, explicentur, sed ut quid sit, quum Cælaturam dicimus, intelligatur. Est autem Cælatura, (ut uno verbo expediam) quum de plana superficie exsculpimus effigiunculas excavando, in quacunque id fiat, Regi, materia, quæ persistat eadem semper, neque imagines plus quam ex dimidio prominere videantur. Potissimum tamen metallica auro atque argento in scyphis ad similitudinem hujus, quod circum supraque complexu terram continet cavi cœli, quod a Pacuvio dictum, uti Plemmyrium undosum a Vergilio: Sed alterum ornatu dedit appellationem huic parti, Alterum obtectu, decurtationi.

Cælaturæ definitio.

A Species ejus, Anaglyphice, quando exsculpitur ut extent imagines: Diaglyphice, quando insculpitur ad impressuram: Encolaptice, quando laminæ cudendo efformantur, quæ maxime ad aurifices pertinent.

Species Cælaturæ, Anaglyphice. Diaglyphice. Encolaptice. Toreutice.

Item & Toreutice, quum vasa, fibulas, candelabra, & ejusmodi ancædimus, Latine) ut video) proprie dicta *politura*: nam quum nostri a *τόρνῳ* *rotundum* fecissent, quemadmodum ab *ἅρπαγος* *rapacem*, & a *μόρφα* *formam*, quum deinde *τορνεύειν* vellent,
B non rotundare, (quod ita oportebat aliam significationem habere) sed ab ipsis verticibus, in queis circumvolvitur tornus, polire dixerunt, *τορνεύειν* ipsum reddentes, quod plerumque ad elegantiam referri solitum, idque & posteriores *tornare*. In hac plerosque nobilissimos honestissime versatos scimus: nam quantum hoc, quam muscas consectatos nostris principibus præstitisset?

Item & Εγκαυστική, quam *inustoriam* appellabimus, (quæcunque ea olim fuerit pingendi ratio cera in parietibus) postquam nec apud Græcos ipsos Grammaticos satis con-
C stat, & jampridem exerceri desuevit: dehinc eam intelligamus quæ ipso tractatur encausto, quod *smalton* vocant, usitatissimam, quum videlicet argentum, æs, vitrumque pinginus, id enim *pantochromaton*, hoc modo: Teritur subtilissime in pulverem, superfunditur deinde aqua, styloque in pingendam partem inducitur: postremo ad eliquationem aduritur. Quid vero plura? Ventum ad supremum est.

Encaustice.

Encausticen faciendi ratio.

Diximus de affinitate quam habeat sculptura cum literis; Aperuimus qualis esse deberet sculptor; Recensuimus, unde, ubi, aut qua de causa cœpisse potuerit: Declaravimus
D materiam statuarum; Ostendimus quot essent statuariæ species: Diximus de symmetria, De lineamentis, De physiognomia, De perspectiva, De Animatione, Chimice, Efformatoria, Exornatione, postremo & De Cælatura, equidem nihil, arbitror, restat, cur non satis a me factum esse putetis, quum non sculptoriæ modo unius artis, sed & totius statuariæ rationes omneis explicaverim. Nempe huc tendunt, huc referuntur & reliquæ, non aliter quam scientiæ & artes ceteræ ad ipsam Philosophiam.

D. Actorum Epilogus.

E

C A P. XII.

De Plastice.

PLASTICE, sic: Fiunt de argilla in eum quem diximus morem effigies: arescunt, figlina decoquuntur, postremo (quoniam id membratim) conglutinatur colla e viva calce & albumine ovorum, continuo statim: inducuntur & novissime colores linaceo nuceove olivo, quanquam nec pictoribus debere cœperint in Etruria Plastæ, encausto enim devitrant.

F

C A P. XIII.

De Proplastice.

PROPLASTICE autem dicitur, quum futuri operis formam Plastes creta fingit, veluti quum sculptor cera: protypus, & Architectus ligneo modulo. Maximo hæc olim in usu; nihil fere moliebantur, nisi ex Proplastice, ex ea enim & futura deprehenduntur errata, & nullo priusquam fiant incom-

modo caſtigantur, multoque aliter, quam iſti noſtri opinantur, ipſa res citius expedietur, propoſito jam exemplari quod imiteris.

CAP. XIV.

De Tomice.

TOMICE vero ſimpliciſſima omnium ſpecies, ut quæ ipſa tantummodo ſectione, glutino & picturatione perficiatur. Glutinum autem ejus ichthyocolla: item calx, maſtice, caſeuſque, pari portione, ſimul omnibus contritis.

CAP. XV.

De Paradigmatice.

PARADIGMATICE itidem. Exprimuntur creta cerave liquenti effigies, gypſum mox infunditur, deinde calda aqua: ubei diſſolutum ſaponem feceris, ad marmorei nitoris gratiam inebriatur. Defectus autem gypſo rurſus addito caſtigatur.

CAP. XVI.

De Colaptice.

COLAPTICE itidem ſcalpello perficitur, lima, terebraque, ad nitorem poſtremo ipſum lympha & pumice. Glutinum vero ſi quid forte acciderit hoc, manſam maſticem, atque in ceræ modum perdomitam ſtatim adapplicato. Item & ſic: Picem, armenium, ceram admiſceto, & concalfactis frontibus admoveto. Sed quo res expeditior fiat, in Colaptice hæc obſervanda: Lapidem dimetiri in longum ſeptempeda perpendiculari, quam diſcriminatricem appellavimus, linea medietatem definiri: ex interſecatu ſemicirculorum planum deſignari. Heinc atque inde pedali menſione corpus in latum definiri. Circino & oris & oculorum poſituram deprehendi, altero pede ſtatuto in perpendiculari, & altero ad extrema perducto. Sed in Academiam hanc noſtram ἀγεωμέτρητος nemo. Harum autem originem ſane quondam olim de Ægyptio ſacerdote Solon acceperit, nobis quidem ſemper puellulis non licet. Plaſticen tamen ipſam Chaldæus Moſes antiquiſſimam eſt teſtatus, haud equidem inepte, cujus author Deus ipſe primus extiterit: neque vero aliter videri debet, quam optimum eum fuiſſe plaſtam, qui hos tam admirabiliter mundos ita formavit. Tanta vero plaſtices hujus authoritas, ut eam nonnulli ſculpturæ matrem appellarint. Fertur & a Dubitade Sicyonio Corinthi adinventa, deamantis filiolæ beneficio.

Plaſtice antiquiſſima.

CAP. XVII.

De claris Sculptoribus, qui ligno, qui ebore & gypſo, qui marmore, qui ære, qui minoribus & minimis ſignis ſculpendis, qui cælatura illuſtres exſtiterint, ac aliis pleriſque ſcitu digniſſimis.

FLORUERUNT autem in ea Prometheus, ob artis excellentiam dictus raptum de cælo vitalem igniculum limo immiſiſſe, Rhœtus, Ideochus, & qui primus invenit ferrum fundere, atque ex eo ſtatuam facere

A Theodorus. Samii Plaſtices etiam inventores exiſtimati: Euchira, Eugrammus, Lyſiſtratus Lyſippi frater, Demophilus, Gorgaſus, Chalcoſthenes, cujus officina Ceramico vico nomen dedit. Poſis, qui piſces finxiſſe dicitur, ita ut a veris non facile diſcerneres: Arceſilaus, cujus proplaſticen pluris ajunt væniiſſe ſolitam, quam cæterorum opera. In Italia laudatiſſimus quondam Turanius Fregellanus. Noſtra ætate Vitus Mazon Mutinenſis, quem nuper nobis Gallia cum pleriſque rebus abſtulit: Uxor etiam ejus finxit, & filia. Lucus Rubius Floren-

Plaſtices inventores.

B tinus ex aurifice plaſtes: cujus inventum, fictile opus encauſto pingi. Andreas, ejus ex ſorore nepos, nullis quos ego viderim poſterior: Naturam exiſtimes ipſam feciſſe quæ hujus manus effinxit. Nam quid ego vobis commemorem Nannum miniatorem, Domitium figulum, & Andream Criſpum Patavinos? Ligno vel Vergiliano carmine notiſſimus Dædalus, rudis quidem artifex, ut qui a poſterioribus longe fuerit ſuperatus, ſed cujus opera cuncta divinum quiddam habere videbantur. Clarus & in Samo Smilis Ægi-

Qui ligni fingendi noti.

C nenſis, quem Callimachus Scelmin appellavit, Dædali ipſius ætate, nec tamen & pari exiſtimatione: non quod inferior eſſet arte quam Dædalus, ſed quod minus magnis rebus uſus, nullo facinore, nulla regum familiaritate, nullo errore, nullis & calamitatibus inſignis.

Athenienſis quidem ille ſororis filium interfecit, in Cretam venit: Minoi & filiabus aliquandiu jucundiſſimus fuit, ſed cognita mox ejus a rege nequitia, in carcerem eſt detruſus: inde cum filio ſimul effugiens, Inycum urbem ad Cocalum applicuit. Siculi

Dædal[i] hiſtoria.

D belli adverſus Cretenſes cauſa fuit, ſcilicet eum Minoe repetente, & Cocalo perdenegante, a Cocali filiabus in tantum amatus, ut de Minois morte in ejus gratiam deliberarint. Itaque per omnem Siciliam diſperſa, in Italiam quoque ad nos ejus fama pervenit. At vero hic Æginenſis, anguſtiore patrimonio, niſi ſemel in Samum vectus, vix reor illeic, ubi egregiam illam Junonis Samiæ ſtatuam fabricarat, notus. Ebore nunquam ſatis elaudatus Phidias, & (ſi fabulæ credimus) Pygmalion. Gypſo autem, ob tenue ar-

Scelm[is] fama [...] nuor [...] Qui eb[o]re & g[y]pſo la[u]dati.

E tificium, nullus. Marmore quidem innumerabiles, ſed quorum mihi memoria potior, hi: Attalus Athenienſis, primus (ut putatur) in Græcia Statuarius. Sed certe conſtat initio multis antea ſæculis & templa & ſtatuas a Danao dedicatas. Dipœnus, Scylis, horumque diſcipulus Dorcylidas, Medon Dorcylidæ frater, Theocles, cum Ægylo patre, Lacedæmonii, Dionyſius Argivus, Simo Æginenſis, Cleon Sicyonius, Malas Chius, cum Miciade filio & Antermo nepote, Phidias ipſe Athenienſis, Alcman, & Agoracritus diſcipuli, Cerſatides Calaber,

Qui marmore ſcalpendo in[ſi]gnes.

F & Bupalus (uti opinor) Pharæates, templa deorum architectari & ſtatuas bonas effingere: Fortunæ ſimulachrum Smyrnæis faciens, in vertice polum, in altera manu Amaltheæ cornu ab Græcis habentem fecit: tantam ejus Deæ vim & facta declarans, quantam non ipſe Homerus intellexit, qui connumerans eam in *Cereris Hym.* tanquam unam filiarum Oceani, nihil præterea aliud addit, quantam nec deinde vix Pindarus, qui alia multa in Fortunam dicens Pherepo-

Bub[ali] Pharæ[a]tæ opu[s].

lin appellavit. Scopas, Timotheus, Bryaxis, Leochares, in Mausoleo cælando æmuli, Praxiteles infinitis prope operibus, sed potissimum Venere Cupidineque deamatis clariss. Archesitas, Cleomenes, Menestratus, Eutychides, Philiscus, Timarchides, Polycharmus, Heliodorus, Lysias, Agesander, Polydorus, Athenodorus, Craterus, Pythodorus, Polydectes, Hermolaus, Artemon, Timomachus, cæterorumque innumera multitudo. Sed elegantissimo Græco Epigrammate celebratur Timomachi hujus Medea, quæ videlicet amore saucia, natorum sanguine patris injuriam ulciscens, & servare & occidere velle videbatur: Id autem opinor est hujusmodi:

Quod natos feritura ferox Medea moratur,
Præstitit hoc magni dextera Timomachi.
Tardat amor facinus, strictum dolor incitat ensem,
Vult, non vult, natos perdere dura suos.

In minimis autem operibus Myrmecides & Callicrates admirandi, alterius quadrigulam alis muscæ coopertam, alterius formicarum pedes ita subtilissime scalptos traditum est, ut vix intenta propius acie pervideri potuerint.

Nostris vero temporibus scalpendo marmore insignes habiti, Ninus, cujas nescio: nam semper hoc tantum usus est inscriptionis titulo, NINI OPUS. Antonius Crispus, qui cum vobis fuit familiaritas, Petrus Insuper, Tullius, atque Antonius ejus filii. Sed ne ego Tullium prætererim illaudatum? Equidem ni vererer visum iri amicitiæ, non veræ laudi datum judicium de illo meum, dicerem profecto Scalptorum omnium, quos ulla unquam viderit ætas, præstantissimum, neque indignis ornaretur honoribus. An quid non priora ingenia, priora & miracula redicere? Circumferebantur in pompæ morem Tarvisii epistyliorum coronæ, quas ille junior variis intercælarat foliorum ornamentis. Aderat Crispus partim æmulatione quam cum patre Tullii gerebat, partim & tantæ novitatis fama permotus. Cunctis igitur admirantibus, qui tanta veritate fieri potuerit, nunquam prius e marmore coronas factas fassus est, quam gladiolo id ita esse deprehenderit. Quod mirius miraculum huic comparari poterit? prudentissimum artificem Tullii cælatura deceptum. Nec vero & frater qui cum summa est artis æmulatio laude minor. Sed & jure optimo laudatur in Bois Christophorus Gobbius, in quo nisi unum hoc damnant, quod assuetus Herculeos artus imitari, eo quidem sæpissime paulo temerius utitur. Dignus & qui nominetur Brixiani Prætorii architectura & Cæsaribus Gaspar Mediolanensis. Clarus & ipse mastigophoro illa sua Venere noster Pyrgoteles. Laudatur & in Thuscia magni quidem profectus, nisi admodum juvenis periisset, Bettus Majanus, Michael Angelus Bonarotus, etiam pictor, Andreas Sovinius, Franciscus rusticus.

Qui ære.

Ære quei Sculptores claruerint, prope innumerabiles: Colossorum autem molibus ipse inprimis Phidias Atheniensis, quei & toreuticen adinvenit, Lysippus Sicyonius, Bryaxis Lysippi discipulus, Chares Lindius: Romani, Sp. Cornelius, & Neronis principatu Zenodorus.

Qui in minoribus signis faciendis claruerint.

In minoribus autem signis Polycletus videlicet Argivus, non (ut alii existimarunt) Sicyonius, speciebus rerum concipiendis, quas phantasias vocant, summus: quod etiam Antiphilo pictori assignarunt, Alchamenes Phidiæ discipulus, Heglias, Critias, Nestocles Polycleti discipulus, Aristides, Cleon Sicyonius discipulus Antiphanis, de stirpe Polycleti, Naucides, Leontius, Cyclon, Pythagoras Rheginus, item & Samius, Myron Eleutheriensis, buccula nobilitatus, Butyreus Lycius ejus discipulus, Euphranor in omni genere laudatissimus, Telephanes Phoceus, Praxiteles, nam & æra etiam fecit, Hyphicrates, Cephisidorus, Demetrius, Dynomenes, Phradmon, Dædalus, Euclides, Calamis, Canacus, Menechius, qui libros de arte sua scripsit, Chæreas, Clesilaus, Euryclides, Pyromachus, Polycles, Pyrrus, Syllanion, nullo mecum doctore nobilis, Naucerus, Niceratus, & qui etiam de sua arte scripsit Xenocrates, nam Perillus nullum impietate sua nomen est meritus, Bedas, Phœnix, Stypax Cyprius, & Pentalesius Atheniensis, cujus equidem opus fuisse existimo, Ægineticam illam Minervam, cujus & vultus & pedes ex ebore, reliquum ex auro partim in superficiem ducto, partim arte chimica facto. In minimis vero laudatissimi Pyreicus, & miræ subtilitatis artifex Theodorus. Invenio & Romæ laudatum Blesanum Novium, qui miris statuis urbem decoravit & orbem, sed marmorarium puto potius quam sculptorem.

Nostro quidem ævo multi, sed quei præcipue nominantur, Laurentius Cion, fores in templo Martis Florentiæ, quæ ad septentrionem, quæque ad orientem spectant, hujus opus: nam quæ ad austrum, nescio cujus Ugolini. Desiderius, qui Neapoli sculpsit fores novæ arcis, scalpsit etiam egregie marmora. Pisanus pictor in se cælando ambitiosissimus, Donatellus ipse Cionis, ut putatur, discipulus, ære, ligno, marmore, laudatissimus. Plura hujus unius manu extant opera quam simul ab eo ad nos cæterorum omnium. Andreas Alverochius, Donatelli (sed jam senis) æmulus, discipulo Christi latus pertentante nobilitatus: cælatura quoque ejus & pictura magnopere commendatur. Postremo & ipse Alverochii discipulus Leonardus Vincius, equo illo, quem ei perficere non licuit, in Bois maximo, pictura Symposii, nec minus & Archimedeo ingenio notissimus, Florentini: ea nimirum urbs semper fuit harum artium mater. Sed & Donatelli discipulus Bellanus tuus, Leonice, inter hos quoque nomen habebit, quamquam ineptus artifex. Quin & Bellani (uti volunt) discipulus Andreas Crispus, familiaris meus, cujus inter Plastas quoque mentionem fecimus, podagrarum beneficio ex aurifice sculptor.

Qui cælatura illustres.

Cælatura vero insignes olim habiti, Mentor, Acragas, Boethus, Mys, Antipater, Zopyrus, Scopas, Tauricus Cyzicenus, Ariston & Onychus Mithylenæi, Lesbocles, Prodorus, Pythodichus, Polygnotus, Scinus, Physidonius Ephesius, Ledas, Stratites, Teucer crustarius, Pyrrheas, Stratonicus Philosophus, Canacus, etiam Calamis, Tauriscus, Echateus. Et præcipuam laudem gemmis consecuti, Pyrgoteles, Apollonides, Cronius, Dioscorides. Et Romæ cæ-

latura Clodiana omnes evicit M. Panulejus A Zosimus, libertinæ conditionis.

Passim quidem nunc omnes, sed pauci propter quod commemorentur egregio aliquo opere insignes, nisi duo aurifices Pharodoxus Mediolanensis, & Franciscus Furnius Bononiensis. Nam Severum Ravennatem ideo ad extremum distuli, ut plenius laudarem, qui (miror) ad me hodie cur non venerit: Is mihi quidem videtur Statuariæ numeros omneis adimplere, sculptor, scalptor, cælator, defector, plastes, pictorque egregius. Nam si me heic nunc rogaretis, qualem sculptorem velim, talem nempe ipsum velim, qualem, modo literæ adessent, Severum esse novimus. Erunt quidem & nostro fortassis beneficio multo complures, quei post me Statuariam omnem exornabunt. Interea vero danda sedulo nobis opera est, quando qua ratione ligna, lapides, argillæ, ceræ, metalla, nobis simillima esse possint adinvenerimus: ne (quod Socratem dixisse ferunt) eis potius nos similiores esse videamur. Hæc quum a me dicta essent, surreximus omnes, in ambulationem Leonicus, Regius in quietem, ego vero ad Calpurnium.

Severus Ravennas.

F I N I S.



LUDOVICI DEMONTIOSII
DE
SCULPTURA,
CÆLATURA,
GEMMARUM SCALPTURA,
ET
PICTURA
ANTIQUORUM,
COMMENTARIUS
LIB. II.
ACCEDUNT
ALDUS MANUTIUS
DE
CÆLATURA ET PICTURA
VETERUM,
AC
PHILOSTRATUS
DE PICTURA.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO,

D. FRANCISCO DE GIOIOSA,

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

LUDOVICUS DEMONTIOSIUS

S. P. D.



UM Priſcorum monumenta Romæ luſtro, nihil unquam vidi, quod oculos præ Sculptura, & Pictura tenuerit. In his Antiquorum artem & ſolertiam miratus ſum. Potuiſſe marmore, & in tabula, vultus, mores, animum exprimere: nec homines modo nobilitate, verum etiam Deos ipſos Gentium, ſi pluſculum operæ in eis fingendis, vel pingendis inſumtum eſſet. Ut de Venere illa Praxitelis fertur, quam ut viderent multi Gnidum navigarunt: & de Jove illo Olympio Phidiæ arte nobili: ut Apellis aliorumque innumera ſculpturæ & picturæ opera ſileam, quorum memoriam Plinianæ chartæ ab interitu vindicarunt: unde ego hæc in meos Commentarios tranſtuli: non ut autori decoquerem, ſed ut quæ apud eum paulo obſcuriora videbantur explicarem, ſimul emendarem quæ ſcripturæ vitio corrupta erant. Quæ cum in duo parva Volumina digeſſiſſem, viſum eſt geminis Fratribus, patronis meis obſervandiſſimis, duo germana Opera conſecrare. Tibi hoc DE SCULPTURA ex celebrioribus hujus artis operibus conflatum opus: Fratri Illuſtriſſimo alterum DE PICTURA, quod item illi tot nobilium operum antiquorum inſtar eſſet. Fauſto omine æternæ amborum memoriæ, quæ ſic ſtatuis & picturis, virtutis ergo decorari poſſit, ſic in multa ſæcula propagari.

LUDOVICI DEMONTIOSII
DE
SCULPTURA, CÆLATURA, ET GEMMARUM SCALPTURA,
LIBER PRIMUS.

CAP. I.
DE SCULPTURA.

Plinius plurimis locis emendatus & illustratus.



ERUM similitudines exprimere, & quicquid orbis complectitur imitari, ars adeo nobilis quondam fuit, C ut ea, quæ dignata esset posteris tradere, nobilitare posset: quæ fictorum & pictorum propria laus semper fuit, dubia adhuc inter eos palma. Fictorum vero duo sunt genera. Unum eorum qui signa faciunt, quæ quaquaversus spectentur, naturæ opus æmulantur. Alterum est eorum, qui, quantum cujusque corporis uno aspectu cerni potest, id tanquam in tabula sibi imitandum proponunt. Sed ne hi quidem eodem genere versantur: aut enim opus eminet e D tabula, aut intus refugit: de quibus singulatim dicemus. Sed materia etiam artifices distinguit: alii enim ex molli materia signa faciunt, alii ex fusili, alii ex dura: & fuere quondam in singulis generibus clari artifices. Sed omnium antiquissimi fuerunt plastæ, qui mollem & ductilem materiam tractarunt, a rudibus initiis progressi. Scribit enim Plinius *Hist. Nat.* lib. XXXV. cap. XII. *Dubitadem Siconium figulum primum eam artem invenisse, Corinthi filiæ opera, quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, quibus pater ejus impressa argilla typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit: eumque servatum in* E *Nympheo, donec Corinthum Mummius everteret.* Addit tamen postea, esse *qui Samo primos omnium plasticen invenisse Rhœtum & Theodorum tradant, multo ante Battiadas Corintho pulsos. Demaratum vero ex eadem urbe profugum, qui in Hetruria Tarquinium Priscum Regem Populi Romani genuit, comitatos fictores Euchira & Eugrammum: ab iis Italiæ traditam Plasticen.* Sed cur pigeat reliqua ejus loci ad verbum exscribere? cum ejus diligentiæ tota hujus antiquitatis cognitio accepta ferenda sit, ne quicquam elegantius, aut magis distincte dici possit. Pergens igitur sic ait: F *Dubitadis inventum est rubricam addere, aut ex rubrica cretam fingere. Primusque personas regularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia protypa vocavit. Postea idem ectypa fecit. Hinc & fastigia templorum orta, propter hunc plastæ appellati. Hominis autem imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi, de quo diximus. Hic & similitudinem reddere instituit: ante eum quam pulcherrimas facere studebant. Idem & de signis effigiem exprimere invenit. Crevitque res in tantum, ut nulla signa statuæve sine argilla fierent. Quo apparet antiquiorem hanc fuisse scientiam, quam fundendi æris. Plastæ laudatissimi fuere Damophilus, & Gorgasus, iidemque pictores, qui Cereris ædem Romæ ad circum maximum utroque genere artis suæ excoluerunt, versibus inscriptis Græce, quibus significarunt a dextra opera Damophili esse, a parte læva Gorgasi. Ante hanc ædem Tuscanica omnia in ædibus fuisse, autor est M. Varro. Ex hac cum reficeretur, crustas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse. Item signa ex fastigiis dispersa. Fecit & Chalcosthenes opera cruda Athenis, qui locus ab officina ejus Ceramicos appellatur. M. Varro tradit sibi cognitum Romæ Posim nomine, a quo factas Romæ uvas, item pisces, ita ut non aspectu discerneres a veris. Idem magnificat Archesilaum L. Luculli familiarem, cujus proplasmata pluris vænire solita artificibus ipsis, quam aliorum opera. Ab hoc factam Venerem genitricem in foro Cæsaris, & priusquam absolveretur festinatione dedicandi positam. Deinde ei a Lucullo H-S* LX. *signum Felicitatis locatum, cui mors utriusque inviderit. Octavio Equiti Romano cratera facere volenti exemplar e gypso factum talento. Laudat & Pasitelem, qui plasticen matrem statuariæ, sculpturæque, & cælaturæ esse dixit. Et cum esset in omnibus his summus, nihil unquam fecit antequam finxit. Præterea elaboratam hanc artem Italiæ, & maxime Hetruriæ. Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Iovis in Capitolio dicandam. Fictilem eum fuisse, & ideo miniari solitum. Fictiles in fastigio templi ejus quadrigas, de quibus sæpe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in urbe retinet. Hæ enim tum effigies deum erant laudatissimæ.* Hæc sunt verba Plinii: in quibus nescio an lector mendum animadverterit. Ego sane locum suspectum habeo, ut ita legitur: *Primusque personas regularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia protypa vocavit. Postea ectypa fecit. Hinc & fastigia templorum orta, propter hunc plastæ appellati.* Utrumque hoc falsum est, *inde fastigia templorum orta*, & a Dubitade plastas appellatos. Et falso hoc autori scribitur: aliud enim significare voluit. Nempe, Dubitadem primum fastigiis templorum fictilia signa imposuisse. Extremæ enim imbrices fastigio incumbunt, a quibus per colliquias stillicidiorum aqua in compluvium

dejicitur. Qua igitur imbrices faſtigio incumbebant, ibi ſigna collocabat Dubitades, & qui poſtea ſequuti ſunt. Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* V. *Pantheum decoravit Diogenes Athenienſis; & caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum, ſicut in faſtigio poſita ſigna, ſed propter altitudinem loci minus celebrata*. Inde igitur quod plaſtes primus faſtigia ornaſſet, obtinuit ut faſtigia ornata figuris plaſta dicerentur. Locus igitur paucis mutatis ſic legendus eſt; *Primuſque perſonas regularum extremis imbricibus impoſuit, quæ inter initia protypa vocavit, poſtea idem ectypa fecit. Hinc faſtigia templorum ornata, propter hunc plaſta appellati*. Sic enim lectio perſpicua erit: unde hoc diſcemus, quod alibi nuſquam reperitur, faſtigia ſignis ornata plaſta vocari: cujuſmodi eſt illud faſtigium ædificii recentioris in Capitolio, quod ornamenti genus beneficio Plinii, noſtra opera reſtituti, poſthac exprimi poterit uno verbo. Hoc volebam lector neſcius ne eſſet.

Sed quia imbrices & imbricata ſunt conjugata, rogat Vitruvius ut ſe aſpiciam. Vitii enim aliquid eſſe, ubi de imbricato opere loquitur *lib.* II. *cap.* VIII. Et ſane toto eo capite perlecto unius tantum literulæ mutatione locum laborare animadverti: male enim *incertum* pro *inſertum* legitur in duobus locis. Nolim lectorem pigeat integrum caput perlegere, quum breve admodum ſit: *Structurarum*, inquit, *genera ſunt hæc, reticulatum, quo nunc omnes utuntur, & antiquum, quod inſertum dicitur: ex his venuſtius eſt reticulatum, ſed ad ruinas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes diſſoluta habeat cubilia, & coagmenta. Inſerta vero cementa alia ſuper alia ſedentia, interſeque imbricata, non ſpecioſam, ſed firmiorem quam reticulata præſtant ſpeciem*. Hactenus locus ſatis indicat ſtructuræ genus inſertum dici, quum cementa alia in alia inſeruntur, inter ſe velut imbricata. Cementa enim ſic poſita efficiunt imbricis ſpeciem, in quam pars quædam tertii cementi inſeritur, ut in lateritia ſtructura fieri videmus. Inde ſtructuræ genus inſertam dicebatur.

Sed unde digreſſi ſumus, ad plaſticen redeamus, quam non immerito Paſiteles matrem ſtatuariæ, ſculpturæ, & cælaturæ eſſe dixit: quippe quæ ab ea tamquam a ſurculo prodeant, ut idem Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VII. docet de Zenodoro illo ſcribens: qui Arvernis immane illud Mercurii ſimulachrum immenſo pretio per annos decem finxit pedum CCCC. niſi potius *quadraginta* pro *quadringentorum* legamus, quum error ex vocum ſimilitudine facile obrepere potuerit. Lector enim ſecum putet molis immenſam altitudinem. Imo proculdubio ita legendum eſt ut dico: ex verbis enim Plinii apparet ſimulachrum illud artis experimentum dumtaxat fuiſſe, & tanquam meditationem majoris cujuſdam operis: ait enim, *quum artem ſatis ibi approbaviſſet. Romam accitum a Nerone deſtinatum illius Principis ſimulachrum coloſſeum feciſſe* C X. *pedum longitudine*. Quis enim credat, quum Arvernis quadringentorum pedum ſimulachrum feciſſet, de hoc altero longe minore cogitaſſe poſtea Neronem. At quem Principem? tumidum, vanum, prodigum. Sed & Coloſſus ille Rhodiorum ſeptuaginta cubitorum tantum fuit: qui terræmotu proſtratus, jacens etiam miraculo fuit. Profecto non eſt librariis pronior in errorem lapſus, quam ubi occurrunt numeri, qui tum notarum, tum etiam vocum ſimilitudine ſæpe fallunt. Ejuſmodi multa ſcripturæ vitia deterſimus in iis quæ endituri ſumus *de Notis numerorum*. Quod igitur ſcribit Plinius omnem amplitudinem ſtatuarum ejus generis viciſſe Zenodorum, de ſimulacro Neronis intelligendum eſt, quod Coloſſum illum Rhodiorum ſuperabat, quum fuerit Neronianus longitudinis ped. CX. Rhodius vero LXX. cubitorum, qui CV. pedes tantum efficiunt. Omnes igitur ſtatuas molis magnitudine ſuperavit deſtinatum illud Neronis ſimulachrum, quod Plinius ſe vidiſſe teſtatur, ſimul admiratum non modo ex argilla ſimilitudinem ingnem, verum & ex parvis admodum ſurculis, quod primum operis inſtar fuit. Potuit igitur ſola plaſtice ſpectantium oculos tenere, & in admirationem adducere. Nec mirum: coloſſorum enim audacia primum in argilla ſpectata fuit, & ars in ea tota perſpecta, ut nihil amplius, præter æris fuſionem, & emendationem accedere poſſet. Imo nec marmori manus audeat admovere artifex, niſi prius, quod totius operis inſtar ſit, ex argilla proplaſmata formaverit; interdum plura, ut quod in ſingulis maxime probaverit, id ſibi imitandum proponat. Atque ita ex iis ſurculis ſurgit opus. Recte enim Paſiteles plaſticen matrem ſtatuariæ & ſculpturæ eſſe dixit. Quocirca cum in his omnibus ſummus eſſet, nihil unquam fecit antequam finxiſſet: & multi alii egregii pictores idipſum factitarunt fælici admodum ſucceſſu. In toreumate enim videre licet, quemadmodum extremæ lineæ figurarum deſinant, quid lateat, quid cerni poſſit, quomodo umbræ ſint a lumine dividendæ, quæ partes corporis recedant, quæ emineant. Quod denique natura fictori eſt, id fictor eſt pictori. Nec piguit nobiles artifices terram manibus tractare: ſiquidem olim fictiles Deorum imagines fuerunt laudatiſſimæ. Fuit Jovis in Capitolio a Tarquinio dicata, fictiles in faſtigio templi quadrigæ, fictilis Herculis, qui a materia nomen in urbe ſortitus eſt. Quin & faſtigia templorum in urbe fuere crebra, mira cælatura & arte.

Cæterum Dubitades ille, qui primus hominis imaginem gypſo e facie ipſa expreſſit, ceraque in eam formam infuſa emendare inſtituit, artem aperuiſſe videtur, hoc enim erat huic rei caput. Sed nec tantum excipiendis formis utile fuit gypſum; quin etiam exſcalpendis cælaturis materia admodum opportuna ſemper viſa eſt, ſed fragilis. Uſus ejus in Gallia frequens eſt, & quondam fuiſſe nomen indicat, *plaſtre* enim proculdubio a plaſtice dicitur. Plinius autor eſt, Antiquos ſtatuas bitumine pinxiſſe, & Deorum dumtaxat ſimulachra primum fieri ſolita. A Diis, inquit, ad homines ſtatuarum honos translatus eſt, ſi qua illuſtri cauſa perpetuitatem mererentur. Primo ſacrorum certaminum victoria, maximeque Olympiæ, ubi omnium qui viciſſent ſtatuas dicari mos erat: eorum vero qui ter ibi ſuperaviſſent ex membris ipſorum ſimilitudines expreſſas, quas iconicas vocabant. In Italia ſtatuarum uſus antiquiſſimus eſt: argumento eſt Hercules ab Evandro ſacratus, ut fertur, in foro Boario, triumphalis vocatus. Regum etiam ſtatuæ in Capitolio fuerunt, ut Tarquinii Priſci. Sibyllæ etiam tres juxta Roſtra fuerunt. Ejuſdem antiquitatis erat Actii Navii. Parcior primum earum uſus, quum nec Bruto, qui Reges expulerat, poſita fuerit. Poſtea vero cujuſque arbitratu. Ab exteris quoque poni cœptæ iis in quorum clientelam recepti eſſent, vel qui eos laborantes ſublevaſſent. Denique etiam hoſtium poſitæ ſtatuæ: ut Annibalis tres in Urbe, omni diſcrimine ſublato. Sed quæ in foro erant, ſublatæ fuerunt omnes a P. Cornelio Scipione & M. Popilio Cenſoribus, præter eas quæ Senatus aut populi ſententia ſtatutæ eſſent. Pedeſtres Romæ in autoritate fuere longo tempore, tametſi Equeſtrium origo Romæ antiqua eſt: quo etiam honore fœminæ decoratæ fuerunt: Clœliæ enim ſta-

tua

A tua equestris erat. Huic primum & Horatio Cocliti publice dicatas existimat Plinius.

Non ejusdem antiquitatis fuerunt bigatæ, eorum qui prætura functi curru vecti essent per circum, & quadrigatæ eorum qui triumphassent: quod etiam ab Imperatoribus deinde usurpatum fuit: quo exemplo Titus exsculptus est in arcu triumphali Romæ; & M. Aurelius in tabula marmorea, quæ est in Capitolio. Augustus solus sejugibus, sicut & Elephantis spectari voluit. Græci nihil velabant, Romani togam addebant, qua etiam honoris causa statua Clœliæ virtutis ergo ornata est. Fuit & Q. Marci Tremuli equestris togata: Romuli sine tunica, & ea quæ Camillo in Rostris ante ædem Castorum dicata fuit. Fuere & nudæ tenentes hastam, ab epheborum gymnasticis exemplaribus. Militare erat thoracas addere: loricata Cæsari dictatori in foro dicata est. Fuere etiam, sed inferioris antiquitatis, & lupercorum habitu, & quædam penulis indutæ. Tripedaneæ vero primum statuæ ponebantur, hæc scilicet mensura honorata tunc erat: deinde majores factæ sunt.

Demum eo evecta est artificum audacia, ut colosseas imagines instar montium facerent, immenso pretio. Primum quidem diis tantum: ejusmodi fuit in Capitolio Apollo XXX. cubitorum CL. talentis factus. Fuit in Campo Martio Jupiter a Claudio Cæsare dicatus. Fuit & Tarenti XL. cubitorum, opus Lysippi. Quos omnes superavit magnitudine Colossus ille Rhodiorum Soli dicatus, quem Chares Lydius XII. annis effecit CCC. talentis: cujus altitudo fuit LXX. cubitorum. Fuere centum alii minores in eadem urbe. Præter hos Deorum quinque, quos Bryaxis fecit. Fecit & Zenodorus in Galliæ civitate Arvernis Mercurium quadragenum pedum, sic enim legendum esse apud Plinium supra docuimus. At tametsi hujusmodi statuæ propriæ essent Deorum, eo discrimine sublato Principes iisdem honorari voluerunt: quinimo, ut jam ostendimus, statuas omnes, quot olim fuisse traduntur, magnitudine superavit illud ingens simulacrum Neronis, quod insaniæ modum imposuit, non arti, quæ etiam ultra has metas progressura erat, si Principis itidem vesania potuisset. Alii contra exilibus operibus laudem quæsierunt, ut Myrmecides, cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca: & Callicrates, cujus formicarum pedes atque alia membra pervidere non erat. Theodorus etiam cum se ex ære fudisset, præter similitudinem mirabilem, hoc etiam in eo opere commendabatur, quod dextra limam teneret, læva tribus digitis quadrigulam tantæ parvitatis, ut totam eam currumque & aurigam integeret alis simul facta musca.

Pomponius Gauricus in libro *de Sculptura* annotavit, statuas, quæ intra humani habitus mensuram fierent, signa vocari: cubitales autem, aut cubito minores, sigilla: pariles, quum ejus qui exprimitur staturam referunt: magnas vero quæ intra sesquialteram rationem statuæ erant: maximas, quæ parilium triple, aut eo majores essent. Addit Philander pariles dari solitas bene meritis ac sapientibus viris, magnas vero Regibus & Imperatoribus, maximas autem Diis & Heroibus; quamvis eas Reges & Imperatores usurparint. Sed viderit Gauricus an huic observationi fidem adstruere possit, quum aperte dicat Plinius primum tripedaneas statuas in foro positas benemeritis, quod ea mensura honorata tunc esset, quum & ejus mensuræ quædam adhuc in urbe spectentur deorum signa antiqua, ipsius etiam Jovis in palatio Illustrissimi Cardinalis Medicis, & celebriora signa deorum quæ hic nobis videre contigit. Excedunt quidem communem hominum mensuram, ita suadente ratione optices, ut in loco superiore collocata parilia videri possint, cum aliquid semper distantia intercipiat. Sed Antinoi, qui est in Vaticano, eadem statura est atque Apollinis. Statuæ autem Alexandri Bucephalum domantis, quæ sunt in monte Quirinali, majores sunt omnibus signis deorum gentilium, quæ in Urbe extant. Dearum enim statuæ fere omnes, quas hic vidi, non longe distant a communi mulierum mensura. Contra Sabinæ, quæ sunt in eodem palatio, duplo, aut eo amplius, hanc mensuram excedunt: ut & Niobe, quæ ibidem spectatur. Itaque nescio unde ea venerint in mentem Gaurico.

B Hoc vero non prætereundum, quod Philander annotavit: Statuas, quæ diis fiunt, vocari εἴδωλα, quæ heroibus ξόανα, quæ regibus ἀνδριάντας, quæ sapientibus εἴκελα, quæ benemeritis viris βρέτεα. Alia est differentia statuarum, quam nosse operæ pretium est. Aut enim naturæ varietatem persequitur artifex, aut quod in natura perfectum est. Ille rem imitatur ut est; hic difficilius quiddam persequitur. Quanquam enim perfecti una tantum est species, in ea assequenda præcipua laus est. Fugit enim imperitum vulgus, nec oculis investigari potest, nisi ratione præeunte: mille enim species objicit persequenti, omnes indiscretæ fere similitudinis, quarum fucus non nisi a ratione deprehenditur. Hæc formas omnes ad symmetriæ normam exigit, ut cujusque fuerint sexus, ætas, dignitas, mores. In aliis forma quadrata probatur, in aliis gracilis: in quibusdam torosa, in aliis tenera: in quibusdam obesa, in aliis exhausta. Nec omnes eadem positura decet, non idem vultus: unde infinita propemodum varietas formarum prodit. Ad quas discernendas opus est artifice exercitatissimo, arte instructo, & judicio præstanti. Formæ igitur a natura præscriptæ fuerunt fictori, materia non item. Ejus enim indifferens semper fuit electio, cum ex qualibet tractabili materia nobilia opera facta fuerint: ut ex argilla, ex metallo, ex ebore, ex lapide, ex ligno. Ex metallis, æs maxime opportunum visum est, & quia parabile, & quod facile tractari possit.

Ad statuarum usum temperabatur tertia parte æris collectanei, additis plumbi argentarii pondo duodenis ac selibra in centenas æris, ita temperatum regulare dicebatur. Fuit & alia temperatura tenerior, formalis dicta, injecta igitur plumbi decima portione, & argenti vicesima. Temperabatur etiam ternis, aut quaternis libris plumbi argentarii: idque in olla, unde ollaria temperatura. Ægineticum a temperatura nomen & laudem invenit, quamquam ibi non nasceretur: maxime vero Myronis operibus nobilitatum, quod eo uteretur, ut Deliaco Polycletus. Color etiam metalli hac temperatura mutabatur in eum qui Græcanicus dictus est. Sed & præclarissimæ urbis excidio maxime nobilitatum est æs quod capta & incensa Corintho casus miscuit, tanta circa id Priscorum affectatione, teste Plinio, ut plerique elegantiores ementito nomine pro Corinthiis statuas ostentarunt artificum, qui ante captam Corinthum decessissent. Ejus quatuor genera discernit. Candidum ad argenti colorem proxime accedens. Alterum auri specie nobile. Tertium in quo nullum prævaleret, æquali omnium temperamento. Et quartum jocinoris colorem referens, vilius Corinthio, sed Deliaco & Æginetico pretiosius. Sed nec argento & auro puro pepercerunt artifices. Fuit enim Romæ argentea Augusti statua, cum & longo ante tempore in triumpho Pompeii Pharnacis quoque argentea translata fuisset. Et item alia Mithridatis Eupatoris. Signa item aurea Minervæ, Martis, & A-

pollinis fuerunt. Auream statuam nulla inanitate, qualis nec ex ære ulla antea visa, rebus Parthicis diripuit Antonius. Auream sibi Gorgias Leontinus primus omnium Delphis in templo posuit.

Sed tamen argento & auro nulli artifices inclaruerunt, ære & marmore multi. Marmoris varias species enumerat Plinius, quarum descriptiones lector ex eo petere poterit. De artis hujus origine idem Plinius autor est cum Olympiadum origine cœpisse. Primos autem omnium inclaruisse Diphœnum & Scyllum Cretenses, Olympiade circiter L. ambos Apollinis oraculo nobilitatos. Cum enim iis Sicyonii deorum quorundam simulacra locavissent, injuria questi infecto opere abierunt. Sed cum protinus Sicyonios fames & sterilitas invasissent, consulentibus oraculum ecquis finis malorum futurus esset, Apollo respondit, si Diphœnus & Scyllus deorum simulacra perfecissent. Post hos Bupalus & Anthermus Chii Olymp. LX. claruerunt, adeo sibi suæ artis conscii, ut iis quæ in Delo fecere, quibus subierunt carmen, non vitibus tantum censeri Chium, sed & filiorum Anthermi operibus. Romæ etiam temporibus Augusti signa eorum celebrabantur. Et tamen ars in dies excolebatur: ut demum eam Phidias Olymp. LXXXIII. aperuisse ac demonstrasse dicatur, Polycletus vero consummasse ac erudiisse Olympiade LXXXVII. Idque vel in eo maxime apparuisse, quem artifices canonem vocabant, lineamenta artis ab eo petentes velut a lege quadam. Hic etiam primus excogitavit ut uno crure signa insisterent. Sed & hic corpora fecit quadrata, & omnia pene eodem exemplo. Sequutus deinde Myron, de quo Plinius his verbis: *Primus hic multiplicasse varietatem videtur, numerosior in arte quam Polycletus, & symmetria diligentior: & ipse tamen corporum tenus curiosus animi sensus non expressit: capillumque & pubem non emendatius fecit quam rudis antiquitas. Lysippi propriæ videntur argutiæ corporum in minimis quoque custoditæ.* Hæc Plinii verba ostendunt artem ad summum nondum pervenisse. Itaque & Myronem a Pythagora Rhegino superatum fuisse dicit, & a Leontio. Mirum cum jam artem Phidias aperuisset & demonstrasset, Polycletus consummasset, Myron & ipse plura contulisset, nondum tamen symmetriæ partes impleri potuisse, non sensus animi exprimi, nec capillum satis accurate. Primus enim post eos Leontius capillum diligentius expressit, & nervos, & venas. Lysippus vero, præterquam quod capillum diligentius imitatus est, plurimum artem & ipse provexit, capita minora faciendo quam antea solerent, & corpora graciliora siccioraque, per quæ proceritas signorum major videretur. Euphranor primus dignitatem heroum expressisse videtur, & usurpasse symmetriam, qui floruit Olymp. CIV. cum Praxitele.

Hæc si ut propria Recentiores isti vindicent, mirum in quo Antiqui tantopere excellere potuerint. In quibus est Phidias nulli Veterum postponendus. Si enim hæc omnia ignoraverit, ne inter mediocres quidem artifices censeri debuit, nec ejus opera probabilia videri. Sed ut sua cuique laus tribuatur, æquo hic lectore opus est. Enimvero cum docere vellet Plinius artem ad summum pervenisse, nec ullum tamen artificem reperire posset qui omnes numeros implevisset, recenset in quo singuli maxime claruerint. Hic symmetriæ studiosior, ille varietate fœcundior, animi sensus alius expressit, alius in capillis exprimendis superavit, cum in singulis his alii paulo negligentiores, operis tamen universitate præstarent. Et sane infœlicis ingenii est in omnibus vinci: contra in omnibus excellere plusquam humani. Perfectæ igitur & consummatæ artis exempla sunt hæc, non artificum invicem justa comparatio, ut sciat lector quid in singulis æmulari debeat, non quid in singulis damnare. Nec tamen in omnibus adeo insudabit, ut nihil unquam satis absolutum putet: nunquam diligentiæ finem faciens, ut Callimachus ille semper calumniator sui, nescius modum adhibere diligentiæ, ob id *Cacizotechnos* appellatus: cujus operibus alioqui laudandis gratiam omnem diligentia nimia abstulit. Quo vitio etiam Sillanion laboravit, alioquin & ipse clarus artifex, sed suorum operum iniquus judex: qui crebro etiam perfecta signa frangebat, sibi ipsi non satisfaciens. Quod etiam vitium Apelles modeste in Protogene notavit: in cæteris omnia sibi cum illo paria esse dicens, aut illo meliora.

Sed me jam longius digressum Apollonius & Tauriscus revocant, insignes artifices ambo, nec raptim transcurrendi: quorum adhuc exstat, imo vivit, opus nobilissimum in palatio Illustrissimi Cardinalis Farnesii, ut vel ex Plinii descriptione facile manus agnoscantur, Zethus & Amphion, & taurus, cinculumque ex eodem lapide, a Rhodo advecta, artis & naturæ certamen. Ejusdem etiam Apollonii exstat in Vaticano corpus, capite, brachiis, & tibiis truncatum, ex marmore: quod fragmentum nulli cedit operum Antiquorum quæ extant hodie Romæ. Basi nomen autoris inscriptum est, Laocoontem autem illum quis saltem fama non novit? quod etiam dum in Vaticano artis miraculum ostentatur, spectantibus horrorem incutiens, artis statuariæ cum poetica certamen, & utriusque cum ipsa natura, palma dubia. Quantum enim Virgilius carmine, tantum isti marmore contendunt. Stupendum opus, ex uno lapide, parens, & liberi, horrendi draconum nexus, patris angustiæ, liberorum gemitus expressi: opus, inquit Plinius, omnibus & picturæ & statuariæ artis præferendum, quod de consilii sententia fecerunt summi artifices Agesander, & Polydorus, & Athenodorus Rhodii. Sunt etiam in eodem septo alia probatissima signa. Apollo ille arcum tenens emissa sagitta, & Antinous eximiæ pulchritudinis. Phidiam Alcamenes, Critias, Nestocles, Hegias, Scopam Bryaxis, Timotheus, Leochares, qui pariter cum illo Mausoleum cælarunt, ut manus etiam certarent. Telephanes, alioqui obscurus, æquabatur Polycleto, Myroni atque Pythagoræ, artificum suffragiis. Cephisodorus Praxitelis filius, rei & artis ejus hæres.

Comparabantur etiam artifices operum indiscretis manibus, ut in templo Apollinis Sosiani Niobem cum liberis morientem, Scopas an Praxiteles fecisset. Et Janum Patrem in suo templo dicatum ab Augusto. Par hæsitatio fuit de Cupidine fulmen tenente. Praxitelis Venus illa Gnidia in primis ejus operibus commendabatur. Fuit & Scopæ Venus in templo Bruti Callaici Gnidiæ illi prælata. Certavere etiam Phidias & Praxiteles: cujus certaminis præclara extant monimenta Romæ in monte Quirinali, duæ statuæ Alexandri Bucephalum domantis, alterum opus Phidiæ, alterum Praxitelis Non prætereundus est Diogenes Atheniensis, qui Pantheum Agrippæ egregiis operibus decoravit, inde vicissim & ipse non parum ornamenti consequutus. Ejus inter cætera probabantur Caryatides in columnis templi ejus, & signa in fastigio posita, de quibus alias dicemus.

CAP. II.

DE CÆLATURA.

CÆLATURA altera Sculpturæ species sequitur, medium quiddam inter Picturam & Statuariam, ut Plinius adnotasse videtur, cum in vasis argenteis suorum temporum luxum arguens: *Nullum*, inquit, *genus officinæ diu probando nunc Furiana, nunc Clodiana, nunc Gratiana. Etenim tabernas mensis adoptavimus, nunc Anaglypta, in asperitatemque excisa circa linearum picturas quærimus*. Recte Plinius: nam Anaglypta, & in asperitatem excisa pictura lineari primum adumbrantur, ut quicquid picturæ terminis includitur, intumescat. Illud igitur pictoris, hoc fictoris est Cælaturam pictura lineis circumscribit, has inter, corporis dimidiatum ambitum imitatur cælatura, ab eminentioribus primum incipiendo, quæ longius a superficie tabulæ recedunt, ab iis ad depressiora, & minantia manus acclivis delabitur, ad planam usque tabulæ superficiem, molliter in extremas lineas desinente summa operis: ut quod fugit potius existimare, quam desiderare contingat.

Sed argento & auro cælando compendiaria artis ratio excogitata est. In laminas ducto primum metallo, styli cuspide paulum retusa ex altera parte tabulæ forma procuditur, ut in aversam partem surgat opus, diversa prorsus ratione ab ea quam modo explicavimus: hic enim a depressioribus ad eminentiora paulatim surgit artificis manus; in illa contra ab eminentioribus ad depressiora. Utroque genere Veteres argento cælasse comperio. Anaglypta primum in asperitatem excidendo, ut ex Plinio ostendimus: idque ad vasa & pocula, & si qua fuerunt ejusmodi. Vel laminas in operimenti usum tenuando crustarum instar: unde & Teucro, de quo idem Plin. *cap.* XII. *lib.* XXXIII. meminit, crustarii nomen inditum est ab artificio. Hoc operis genere milites vaginas & baltheos ornabant, cum ebur fastidiri cœptum esset. Sed & hujus ornamenti duplex genus fuit: Deliacum, ex tenuibus crustis altera parte cavis, altera turgentibus. Punicum, quod solido opere fiebat, nulla subtus inanitate. Lectos vero mulierum, inquit autor, jampridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio Eques Romanus, non ut operiret, aut Deliaca specie faceret, sed Punica.

Cæterum cum auro & argento nullo discrimine Veteres cælaverint, miratur Plinius auro inclaruisse neminem, argento plurimos. Laudatus est in primis Mentor. Hunc proxime æmulati sunt Acragas, Boethus, & Mys. Proximi ab his fuere Calamis & Antipater: quippe Satyrum in phiala gravatum somno collocavisse, verius quam cælavisse dictus est Stratonicus. Laudatus etiam Cyzicenus Tauriscus. Item Ariston, & Eunicus Mitylenæi, Hecatæus, & Praxiteles, alius ab illo qui inter sculptores. Posidonius Ephesius, Lædus Stratiates, Zopyrus, qui Areopagitas & judicium Orestis fecit, pondo XII. æstimatum, & Pythias, cujus binæ unciæ XX. vænierunt, & Teucer crustarius, qui eam famam habuit. Præter hos Ariston, idem statuarius, Leslocles, Prodorus, Pythodicus, Polygnotus pictores. Marmore Scopas, Bryaxis, Timotheus, & Leochares cælarunt. Diogenis esse suspicor quæ sunt in porticu Panthei. Ligno divinus ille Alcimedon claruit, famam æternam Virgilii versibus consequutus. Sed & statuarii omnes cælarunt. Nam Phidias scuto Minervæ, quam fecit Athenis, vel maxime laudatur: in quo, re-

A ferente Plinio in eodem loco, prælium Amazonum cælavit, in tumescente ambitu primo: ejusdem concava parte deorum & gigantum dimicationem. In soleis vero Lapitharum & Centaurorum. In basi genesim deorum.

In numismatibus etiam Priscorum manus veneramur, ætates etiam artificum discernimus, artis progressum & interitum notamus. Nam ut de Romanis loquar, vetera illa Consulum numismata inter artis initia quam rudem admodum speciem præ se ferunt. Ab Augusto vero integro sæculo ars claruit. Rursum ignorantiæ caligine demersa gratiam omnem amisit. Quamquam Plinius longe ante

B sua tempora cælaturam exolevisse scribat, cum laudatos illos artifices recensens, Teucrum crustarium ultimum faciat. Et jam suis temporibus scribat, artem sola vetustate censeri solitam, usque adeo attritis cælaturis, ut figura discerni non posset, operis tantum autoritas constaret.

CAP. III.

DE GEMMARUM SCALPTURA.

C GEMMIS imagines cælantur, aut scalpuntur. Cælatæ dicuntur, si e plana superficie opus emineat: scalptæ contra, si opus refugiat: cujus tamen forma excipi possit cera, vel alia facili materia. Utroque genere Veteres inclaruisse, vel quæ adhuc supersunt eorum opera testantur. Ex gemmis, achates maxime semper opportuna visa est cælaturæ, propter colorum varietatem, qui arte naturam informante incurrunt plerisque locis, tam apposite quo trahit eos ingenium artificis, ut asciti potius quam innati videantur: natura etiam ipsa in his colorum varietatibus disseminandis ita interdum ludente, ut picturam vicissim æmulari videa-

D tur, ut in gemma illa Pyrrhi, in qua novem Musæ & Apollo citharam tenens spectabantur, non arte, sed sponte ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Sunt etiam interdum in achate variæ zonæ transitu colorum mirabiles: ex quibus aliæ atque aliæ superficies cælatæ dant varios colores.

Gemmis scalptis annulis inclusis Veteres signabant, ut Augustus Sphynge, postea imagine Alexandri Magni. Augusti vero imagine Principes post eum signarunt, Mecænas rana, Sylla Jugurthæ traditione, Pompejus triumphis. Magi vero scalpturas quasdam reconditioris, ut ajunt, sa-

E pientiæ ostentant. Alii vero ad oblectationem tantum hujusmodi gemmas in dactyliothecis etiam non asservant. Adamas suis opibus tantum commendari voluit; non arte, non figura ulla ascititia, hac quoque parte indomitus. Hodie talis futurus, nisi artificum solertia in adamantem ipsum admantem acuisset: quo invento indomita illa naturæ vis, ferri & ignis contemptrix, suis viribus excisa est. Itaque artificum manibus tandem parere didicit, adeo nihil labor improbus pervincere non potest. Olim innotuerat, alio adamante perforari posse: hoc levi vulnere cognitum est posse etiam domari. Omnium qui olim cælarunt, scal-

F pseruntve probatissimus habitus est Pyrgoteles, Alexandri Magni judicio, qui vetuit ab alio se in gemma scalpi quam a Pyrgotele: quo præjudicio primam laudem apud posteros omnium suffragiis adeptus est. Proximi a Pyrgotele fuere Apollonides, & Cromius: vidimus amethystum unciali magnitudine, Apollonidis manu scalptam: in ea effigiem Dianæ, opus adeo partibus absolutum, ut nihil supra. Artificis nomen adscriptum est tam exilibus literis, ut fere visum effugiant.

Est ea gemma Horatii Tiguri, insignis & ingenio & animi candore viri. Famam etiam habuit Dioscorides, qui Divi Augusti imaginem expressit, qua postea Principes signabant. Similem, si non eandem, cælaturam habet Heroaldus medicus Regius, naturæ pariter & artis bonus existimator. A Vidi etiam Mercurium ejusdem Dioscoridis manu exscalptum ex Sarda gemma, cui artificis nomen adscriptum est. Ejus mihi copiam fecit idem qui & Dianæ illius Apollonidis. Postea cœpit ars in pejus ruere, nec quisquam exinde repertus est, qui Priscos illos æmulatus est.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO,

D. AMNÆ, DUCI DE GIOIOSA,

FRANCIÆ PARI, ET AMMIRALIO,

LUDOVICUS DEMONTIOSIUS

S. P. D.



DE Sculptura & Pictura germanis artibus scripsi Romæ, id est, in harum artium celeberrimo Gymnasio: non ut artem docerem, quam nemo unquam tam bene verbis illustraverit, atque recentiores isti penicillo; quorum manus cum Veterum solertia certare judicaverit, qui Michaelis Angeli, Raphaelis, & aliorum opera contulerit cum iis quæ Plinius de Veterum illorum arte prodidit. Tametsi quædam in ea lateret præstantia, quam nemo unquam scribendo potuit exprimere, Apelles uno verbo Venerem appellabat, qua una præstabat cæteris pictoribus. Aliane fuerit ab ea, quam Raphael ille Urbinas, & alii nonnulli hujus sæculi clari pictores sua arte complexi sunt, nihil ausim asserere, horum exstant opera, illorum leguntur, & leguntur plerisque locis corrupte. Quocirca ut juste comparatio fieri posset & temporum & artificum, visum est antiquæ artis lineamenta, quæ extant apud eum autorem jam pene fugentia, restituere: labes. quas quibusdam locis temporum injuria asperserat, hac veluti spongia detergere: ac denique hanc tabulam instar tot nobilium operum, quæ jamdudum tempus absumsit, observantiæ & obsequii erga te mei tibi monumentum dicare.

LUDOVICI DEMONTIOSII

DE

PICTURA ANTIQUORUM

LIBER SECUNDUS,

UBI NOBILE ILLUD DE PICTURA CERTAMEN

INTER APELLEM ET PROTOGENEM EXPLICATUR.

DE Pictura arte illa nobili dicendum est, quæ tam fœlici successu poesim æmulata est, ut pariter oculos atque illa aures tenuerit: affectus utraque movens, utraque parem semper sibi licentiam arrogans: hujus artis initia sunt incerta. Ægyptii sex millibus annorum antiquiorem faciunt quam Græci, vana antiquitatis jactatione. Græci alii Sicyone, alii apud Corinthios primum inventam esse prædicant, rudibus primum initiis: nempe umbra hominis lineis in parietibus circumscripta: unde B prima lineamenta ducere, uno verbo adumbrare dicimus. Hujus inventionem adscribunt alii Philocli Ægyptio, alii Cleanthi Corinthio. Sed primi, teste Plinio, exercuere Ardices Corinthius, & Thelephanes Sicyonius, sine ullo colore: jam tamen spargentes lineas intus, quæ magis admonerent quam ostenderent. Ideo & quos pingerent adscribebant. Cleophanes Corinthius primus invenit eis colorem addere testa trita: & jam tum Pictura in duo genera discreta est, in linearem videlicet, & coloratam. Sed linearis vacua est, aut ple-

na. Vacua, quæ extremis tantum lineis constat. Hujus sunt dispositio & symmetria; & tertia, quæ nomen Latinum non habet, optice, quam Plinius mensurarum nomine significavit. Dispositio est partium singularum situs & recta collocatio. Symmetria commensus partium sibi invicem. Optice earundem, pro varietate situs & positura, dissimilis & inæqualis delineatio.

De dispositione & mensuris Plin. *cap.* x. *l.* xxxv. ubi de Apelle sic scribit: *Fuit autem non minoris simplicitatis, quam artis: nam cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris, hoc est, quantum quid a quo distaret*. Sed adduci non possum ut credam autorem ita scripsisse, quinimo quædam hic transposita esse puto, aut ei falso adscripta. Nam *quantum quid a quo distaret* ad partem illam graphices, quam Plinius, proprio nomine distinguens a cæteris, *dispositionem* appellat, referendum non est. Exempli gratia, in architectura dispositio linearis ostendit, quo quidque loco ponendum sit, quantum item quid a quo distare debeat: ut quo intervallo columnæ sint collocandæ, quo item reliqua. Deinde ad symmetriam omnia sunt exigenda; hæc pro quantitate ædificii ostendit partium singularum commensum. Demum totius ædificii mensuræ ad opticen revocandæ sunt: nec jam una mensura est, sed infinitæ in unum punctum coeuntes, a quo totius optices ratio pendet. Hæc ita habere ex Plinio ostendo, cum trium harum partium graphices diversis locis meminerint. Quod si mensura a dispsitione quantum quid a quo distare debeat, sciscitari velim quæ sint dispositionis partes? Nam si ædificium aliquod delineandum sit, occurrit primum illud, quantum singulæ partes invicem distare debeant. Si quis figuram hominis instituat, eadem cura solicitat aggredientem. Tribuamus hoc mensuris, quid tandem dispositioni supererit? Mensura nomen generis est, & dispositioni & symmetriæ pariter inserviens. Sed quatenus speciem distinctam constituit, ex propriis mensuris constat, coeuntibus lineis in punctum. Et sane si mensuras in genere intelligamus, eas Geometria sibi vindicabit: nec est cur Architectura eas sibi arroget. Sed quid diutius hic moror? disponere quid aliud est quam suis locis singula statuere? Symmetriæ proprium est partium mensuras persequi. Sed cum optice Latinum nomen non haberet, mensuras Plinius pro ea usurpavit. Cum igitur locus sic haberet, *non cedebat Amphioni de dispositione, hoc est, quantum quid a quo distaret, Asclepiodoro de mensuris*, quidam, qui hæc non noverat, hanc interpretationem ad mensuras referendam esse duxit, existimans appositius mensuris, quam dispositioni convenire. Quocirca ut membrum luxatum in suos artus redeat, locum ita legemus: *Non cedebat Amphioni de dispositione, hoc est, quantum quid a quo distaret, Asclepiodoro de mensuris*, &c.

Symmetria altera graphices pars est, quæ summam venustatem operis conciliat. De hac non semper convenit inter artifices. Quippe cum natura in symmetria corporum non sibi semper constet, quærendum fuit, quænam ex omnibus maxime probanda esset. Neque enim cujusque judicio standum fuit. Vulgus enim quod rectum est probat, sed non desiderat exquisitam illam pulchritudinem, cujus unius amore flagrat peritus artifex. Itaque vel si nusquam reperiatur, eam sibi nihilominus ob oculos proponit, & ejus speciem amat, tum & ejus pulchritudinis partes invicem componit, ut solent virgines hinc inde lectis floribus coronam nectere. Sic olim Zeuxis Agrigentinis facturus tabulam, virgines earum nudas in-

A spexit, & ex iis quinque elegit, ut quod in singulis laudatissimum esset, pictura redderet. Hanc pulchritudinem Lysippi judicio nemo unquam satis accurate expressit. Aliquando enim interrogatus quem sequeretur antecedentium, dixisse fertur demonstrata hominum multitudine, ipsam naturam imitandam esse, non artificem. Nec tamen naturam in uno laudavit, sed speciem quandam pulchritudinis, quæ ex universa multitudine colligi posset. Quocirca dicere solebat ab aliis homines factos quales essent, a se quales viderentur. Apelles sibi diffidens admoneri volebat: proponebat enim in pergula opera absoluta, ipse latens
B auscultabat, si qua forte vulgus improbaret. Symmetriam primus in pictura servasse fertur Parrhasius.

Tertia graphices pars Optice. Plinius inopia Latini sermonis ei nomen non tribuit, sed quæ sint ejus partes satis explicat, ubi de Parrhasio *cap.* x. *lib.* xxxv. *Confessione*, inquit, *artificum in lineis extremis palmam adeptus est. Hæc est in pictura summa subtilitas; corpora enim pingere & media rerum, est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam tulerint: extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis invenitur. Ambire enim de-*
C *bet se extremitas ipsa, & sic desinere ut promittat alia post se, ostendatque etiam quæ occultat*. His verbis Plinius Opticen descripsit, tametsi locum non prorsus bene habere suspicor: nam verba illa, *extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis invenitur*, sic malim legere, *extrema corporum facere, & desinentis picturæ modo illudere, rarum in successu artis invenitur*. Nam *desinentis picturæ modum includere* quid sit nescio; sed desinentis picturæ modo spectantibus illudere, hoc artis est. Hoc ut præstet artifex primum observare debet,
D quantum quid a quo distet, totius operis in plano configuratione. Obscuris deinde lineis sursum ad perpendiculum erectis ad propositi puncti mensuram eas omnes exigere: habita in primis ratione quantum quælibet a puncto distet. Unde patet in hac graphices parte præcipuum esse usum mensurarum, sive prima operis in plano configuratio spectetur, sive operis adumbrata species, (illam *ichnographiam* Græci dicunt, hanc *sciographiam*, Hermolaus Barbarus *scenographiam*) vel si opus sit recedentes operis partes extremis lineis terminare: in quo prima laus est quantum ad integrum corporis ambitum deest, id sensim ita oculis subducere,
E ut desinentis picturæ modo ars spectantibus illudat. Artifici dictum sat est de graphice nobilissima picturæ parte. In qua nescio an quicquam utilius juventuti proponi possit, quo erudiatur. Et Græci in hac sententia fuerunt. *Quocirca*, inquit Plinius, *accedente Pamphili egregii pictoris autoritate effectum Sicyone primum, deinde etiam in tota Græcia, ut ingenui pueri ante omnia graphicen, hoc est, picturam in buxo docerentur, recipereturque ea ars in primum gradum liberalium. Semper quidem honos ei fuit, ut ingenui eam exercerent, mox ut honesti, perpetuo interdicto ne servitia docerentur*. Hæc sunt verba Plinii, cujusdam imperiti glossemate interpolata, qui graphicen pictu-
F ram interpretatus est, speciem pro genere accipiens. Quocirca hanc interpretationem, ut Plinio indignam, rejicimus. Graphice plena fit lineis intra figuram descriptis. Primi omnium Ardices Corinthius & Telephanes Sicyonius lineas intus sparserunt. Ars deinde exculta fuit, nostris quidem temporibus usque adeo, ut picturæ coloratæ effectus in exprimendis umbris, & luminibus æmuletur. Ostendit enim contracta, & projecta,

cava & intumeſcentia, & quicquid denique colores præſtare poſſunt, idipſum præſtat graphice.

Nunc de pictura colorata videndum eſt. Hujus tria genera conſtitui poſſunt, unicolor, bicolor, tricolor. Primi generis autor fuiſſe perhibetur Cleophanes Corinthius, qui primus invenit figuras teſta trita colorare, quæ prima artis incunabula fuerunt. Qui deinde ſequuti ſunt, cinnabari pinxerunt, & Epheſio minio; quod derelictum eſt, quia curatio magni operis erat, & quia nimis acre, ut ait Plinius. Ideoque transiere ad rubricam, & ſinopidem. Spargebantur autem intus lineæ, in quibus præcipua laus erat. Sed & pluribus etiam coloribus ſeorſim poſitis monochromata pinguntur: quo genere picturæ pinguntur etiam nunc folia luſoria variis coloribus, idque membranis feneſtratis. Nil enim intereſt ſive unus, ſive plures colores adhibeantur, modo ſint diſtincti, & puri. Nam hoc picturæ genus inter monochromata cenſendum eſſe, Plinii verba oſtendunt, quæ ſunt *cap.* XI. *lib.* XXXV. *Pingunt*, inquit, *& veſtes in Ægypto, inter pauca mirabili genere. Candida vela poſtquam attrivere illinentes, non coloribus, ſed colorem ſorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere, non apparet in velis, ſed in cortinam pigmenti ferventis merſa poſt momentum extrahuntur picta. Mirumque, cum ſit unus in cortina colos, ex illo alius atque alius fit in veſte, accipientis medicamenti qualitate mutatus.* Hoc cum Plinius inter picturæ genera recenſeat, certum eſt ad monochromata referendum, cum ex ſingulis coloribus conſtet: ad bicolorem enim, ac tricolorem non poſſunt. Puris etiam coloribus pingunt occidentales Indi, cujuſmodi liber unus extat in Bibliotheca Vaticana. Pictura bicolor effecit umbrarum adjectione, ut corpora intumeſcere viderentur, & quaſi ſolideſcere. Hujus nuſquam memini Plinium mentionem facere: a monochromate enim tranſit ad picturam numeris omnibus abſolutam. Cum tamen noſtris temporibus multa ſint hujus operis exempla, in quibus nullo adjecto lumine, nihil ad graphicen præter umbram accedit, & habet tamen pictura venuſtatem. Hoc fere genere pictores vultus primum in charta imitantur, quo deinde exemplo plus accurate perficiunt. Bicolorem hanc picturam eo dico, quod ad monochromata referri non poſſit, cum huic præter colorem extenſum in tabula, accedat umbra, color alius a ſubjecto. Sed nec ad tricolorem picturam referri poteſt, quia in hac, ut dicemus, lumen ab umbra tono diſcernitur. Quocirca tertiam ſpeciem neceſſe fuit conſtituere, mediam inter monochromata & picturam tricolorem. *Tandem*, inquit Plinius, *ſe ars ipſa diſtinxit, & invenit lumen atque umbras, differentia colorum alterna vice ſeſe excitante.* Tricolorem hic picturam oſtendit. Eſt enim hic color extenſus in tabula inſtar ſubjecti, medius inter umbram & lumen, ſenſim ad utrumque porrectus. Hæc tria corpus plenum & ſolidum faciunt. Sed in ſociandis coloribus adhibenda eſt cura circa tranſitus colorum, ut molliter coeant indiſcretis commiſſuris.

Huc pertinet illud nobile certamen inter Apellem & Protogenem valde celebratum. Tametſi pauci admodum intelligant de quo inter nobiles illos artifices certatum fuerit. Quod certamen ſic a Plinio deſcribitur, ut illis temporibus vulgatiſſimum: *Scitum eſt*, inquit, *inter Protogenem & eum* (de Apelle loquitur) *quod accidit. Ille Rhodi vivebat. Quo cum Apelles adnavigaſſet, avidus cognoſcendi opera ejus fama tantum ſibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipſe, ſed tabulam magnitudinis in machina aptatam picturæ anus una cuſtodiebat. Hæc Protogenem foris eſſe reſpondit, interrogavitque a quo quæſitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles, arreptoque penicillo lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam. Reverſo Protogeni quæ geſta erant anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum ſubtilitatem, dixiſſe Apellem veniſſe: non enim cadere in alium tam abſolutum opus. Ipſum tunc alio colore tenuiorem lineam in ipſa illa duxiſſe, præcepiſſeque abeuntem, ſi rediiſſet ille, oſtenderet, adjiceretque hunc eſſe quem quæreret: atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, ſed vinci erubeſcens, tertio colore lineas ſecuit, nullum relinquens amplius ſubtilitati locum. At Protogenes victum ſe confeſſus, in portum devolavit, hoſpitem quærens. Placuitque ſic eam tabulam poſteris tradi, omnium quidem, ſed artificum præcipuo miraculo.* Addit Plinius: *Conſumptam eam conſtat priore incendio domus Cæſaris, in Palatio avide ante a nobis ſpectatam, ſpatioſiore amplitudine nihil aliud continentem, quam lineas viſum effugientes: inter egregia multorum opera inani ſimilem, & eo ipſo allicientem, omnique opere nobiliorem.* Recte Plinius, ſi audita tantum retuliſſet. Sed cum addat, antequam incendio conſumpta eſſet tabula, eam ſe avide contemplaſſe, ſpatioſiore amplitudine nihil aliud continentem quam lineas viſum effugientes, pace tanti viri dixerim, ſi totus Argus fuiſſet, ſi totus Lynceus, lineas videre non potuiſſet quæ nuſquam erant. Vir in cæteris diligentiſſimus, hallucinatus eſt vulgi præjudicio. Cum enim fama eſſet, de lineis inſtitutam diſputationem inter nobiles illos artifices, & opus adhuc exſtaret in ea tabula, eas videre viſus eſt: alioqui ſe parum perſpicacem crediturus. Sed qui de lineis initum fuiſſe certamen a claris illis artificibus dixerant, id alíorſum intelligebant, atque iſti acceperint. Certum eſt enim, in pictura colorata nullum eſſe prorſus linearum uſum. Imo vitio dari, ſi lineæ appareant. Extremæ enim lineæ, qua parte umbra deſinit, ei prorſus adhærent, & cum ea confunduntur. Quæ vero intus ſparguntur, ne ipſæ quidem ab umbra ſeparantur. Sed nec qua lumen pictura recipit lineas ullas cernere eſt. Quod ſi ad graphicen ſpectemus, ne hic quidem video cur hæc ſubtilitas linearum tantopere commendetur in pictore: cum artificum judicio pictura linearis eo nomine nunquam laudetur; ſed id tantum ſpectetur, an graphice rerum effigies ſint adumbratæ. Nec intereſt tenuioribus lineis an craſſioribus. Imo de induſtria lineamenta craſſioribus primum lineis adumbrantur. Vidi enim multa autographa peritiſſimorum artificum, qui hoc feliciſſimo ſæculo floruerunt, Michaelis Angeli Bonaroti, Raphaelis Urbinatis, Salviati, Polydori, Parmenſis, Titiani, aliorumque nobilium artificum, ſed neminem animadverti affectaſſe unquam ſubtilitatem illam linearum. Itaque videndum eſt quod hujus celebris certaminis ſubjectum fuerit, & quod tantum artis ſpecimen, ut eo viſo manus fama tantum cognitæ ſubito dignoſcerentur. Sed lectorem picturæ quadantenus peritum opto, aut qui ſaltem doceri velit. Huic ego rem ut eſt paucis exponam.

Primum noſſe operæ pretium eſt in pictura abſoluta colores ſingulos tribus differentiis tanquam gradibus diſtingui, luce, umbra, & ſplendore. Sine luce nihil omnino cerni poteſt. Hæc quaquaverſus ſolidum opacum ferit, umbram in parte oppoſita circumſcribit. Inter lucem & umbram ſplendor ſpectatur, in lumine color dilutus eſt, in umbra ſaturatus, in ſplendore coloris ſpecies cernitur, in majori luce non diſcernitur, nec item in umbra intenſa, ſed opus eſt lumine moderato. In luce enim intentiſſima color omnis candidus apparet. Quocirca in transfiguratione

Christi omnia apparebant spectantibus Apostolis candida, propter lucis intentionem. Contra si lux remissior sit, ne tunc quidem discernitur colos. Quo fit ut ad ignis aut lunæ splendorem rubeus color fulvus videatur, viridis cæruleus. Si vero umbra intensior sit, omnia nigra videbuntur: adeo nisi moderato lumine species discerni nequit. Hæc Plinius optime exposuit in illo *c.* v. *lib.* xxxv. *Tandem*, inquit, *se ars ipsa distinxit, & invenit lumen atque umbras, differentia colorum alterna vice sese excitante. Deinde adjectus est splendor alius hic quam lumen, quem, quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt tonum, commissuras vere colorum & transitus, harmogen.* Hæc Plinius. Cleonides autor est, tonum quatuor significare, phthongum, intervallum, locum vocis, & ejusdem tenorem. Et hodie etiam Musici indifferenter pro his quatuor usurpant. Quoquo modo accipiamus, recte Veteres splendorem appellaverunt tonum: est enim splendor in Pictura idem quod phthongus in Musica: & quemadmodum in Musica proxima vocum solida intervalla per tonos progrediuntur, sic per hos etiam tonos colorum species. Præterea ut in Musica locus vocis dicitur tonus, sic in Pictura ubi coloris species refulget tonum dicemus. Denique etiam tenorem utrobique recte appellabimus, ubi mox inter acutum & grave sustinetur, & ubi color pariter inter lucem & umbram subsistet. Cæterum in Musica tonus a tono semitonio distinguitur: in Pictura color a colore harmoge. Semitonium est transitus & commissura colorum. Harmoge igitur in Pictura instar semitonii est. Adde, quemadmodum tonus in Musica in æquales partes dividi non potest, sic nec coloris splendorem ab extremis æquali interstitio distare, sed umbram aliquanto latius excurrere instar semitonii majoris: ut in corpore sphærico optica ratione demonstrari solet. Hæc cum Plinius optime novisset, miror eum non intellexisse, qua de re institutum fuisset certamen inter nobiles illos artifices, tametsi tabulam vidisset. Nam in lineis exprimendis certasse falsum ostendimus: cum & Plinius dicat penicilli opus fuisse. Atqui penicilli usus nullus est in graphice. De sectione igitur lineæ contenderunt, hoc est, de scissura & transitu colorum: de comissura illa quam Plinius *harmogen* appellat. Enimvero digna res est, in qua Pictor excellere studeat, non in lineæ ductu, quam si quis paulo subtiliorem pingere studeat, ne Apelles quidem ipse semel dividere possit. In harmoge vero, ut colorum, sic artis & artificis splendor elucet. Ut enim Musicum eum laudabimus, qui recte modulabitur distinctis intervallis, sic pictor qui colorum gradus pulchre distinxerit, & transitus eorum notaverit, ille quod summum est in arte assequutus erit. Cum igitur Apelles arrepto penicillo ex artis suæ specimine a Protogene agnosci vellet, non figuram expressit, sed harmogen in colore notavit. Protogenes artem agnovit, sed artificis negligentiam notavit alio subinde colore interjecto: transitum qui duriusculus erat molliens. Æmulatio arti lenocinata est: erubescens enim Apelles vinci, commissuram ipsam secuit alio interjecto colore, adeo tenui, ut nihil supra. Ita de systemate picturæ dividendo certarunt summi artifices. Digna certe cura in quam toto pectore incumberent. Plinius igitur in his parum exercitatus, cum tabulam avide contemplaretur, videre visus est lineas, tametsi visum effugientes fateatur, quia scilicet nullæ prorsus erant.

Ex his apparet, colores singulos in pictura absoluta tribus gradibus distingui, tono, luce, & umbra: quorum bini harmoge sociantur. Idcirco hanc tricolorem picturam dixi. Sed Plinius duo picturæ genera tantum agnoscit, monochroma,

A & varium. Illi monocroma est, cum unus tantum color tabulæ inducitur, umbra tamen & lux suis locis sparguntur. Quo picturæ genere claruit hoc sæculo in Italia Polydorus, cujus exstant multa præclara opera Romæ, fœcundi admodum ingenii partus. Vidi etiam miniaturam ejusdem generis, tam accurate perfectam, ut in transitu colorum nihil desiderari posset. Idcirco hoc picturæ genus ad tricolorem picturam retuli. Bicolorem enim picturam dixi, cui ad colorem extensum in tabula nihil præter umbram accederet. Unicolorem vero, in qua colores singuli puri seorsum ponuntur. Itaque cum tria sint nobis picturæ genera, unicolor, B bicolor, tricolor, Plinius de tricolore tantum agit, cujus duæ sunt illi species, monochroma, & varium, cui nomen non tribuit. Idem Plinius nobis autor est, Veteres quatuor coloribus dumtaxat pinxisse: ex albis melino, ex silaceis Attico, ex rubris sinopide Pontica, ex nigris atramento. Sed silaceus ille cujusmodi fuerit, nemo satis explicavit. Philander purpureum & luteum in ultimo interpretatur. Sed tamen neutrum hoc loco significari potest: cum ex quatuor illis coloribus, quibus Veteres illa nobilia opera factitarunt, unum oporteat esse cæruleum. Certum enim est, in pictura minimum opus esse his quatuor coloribus, albo, ni- C gro, rubro, & cæruleo. Quorum mixtura cæteri omnes componuntur: ex albo & nigro cineraceus; ex rubro & nigro fulvus; ex rubro & cæruleo viridis; ex hoc & rubro luteus; ex albo & cæruleo cælius; & ex his rursus alii innumeri. Hujus fœcunditatis causa est, quod ex quatuor illis primigeniis bini quam longissime distent, album scilicet a nigro, rubrum a cæruleo: quo fit ut intermedios omnes sua facultate comprehendant, nec extra cadere possit colos unus. Novimus quidem ex sile fieri colorem luteum & purpureum: sed cum Attici adjectione colorem cæruleum sem- D per significat: cujus penuria factitio utebantur, maxime ad tectoria opera. Quomodo autem fieret, docet Vitruvius *c.* xiv. *l.* vii. *Tectores*, inquit, *cum volunt sile Atticum imitari, violam aridam conjicientes in linteum, & inde manibus exprimentes, recipiunt in mortarium aquam ex violis coloratam, & ex ea, eretriam infundentes, & eam terentes, efficiunt silis Attici colorem. Sed*, inquit Philander, *Plinius l.* xxxiii. *c. ult. non silis, sed cærulei eam fraudem refert*. Locus Plinii quem citat sic habet: *Cærulei synceri experimentum in carbone ut flagret. Fraus viola arida decocta in aqua, succoque per linteum expresso in eretriam*. Sed Vi- E truvius docet eam esse fraudem silis Attici. Itaque silis Attici & cærulei eadem ratio. Sed sil limus est, cæruleum arena, utriusque color est idem. Porro cum hi duo autores dicant idem, & alter alterum explicet, Philander eos tanquam par gladiatorum invicem committit. Nec interim animadvertit, hac interpretatione cæruleum extra picturæ elementis. Sed homini parum in pictura versato, tametsi alias erudito, fas fuit hæc ignorare, nisi pollicitus esset ex professo se de coloribus scripturum.

Cæterum Plinius, qua est diligentia, cum de coloribus sermonem instituit, pretia eorum, ut tunc erant, posteris tradere voluit. Sed numeri corrupti sunt notarum similitudine. Primum ubi F de sile sic scribit *cap.* xii. *lib.* xxxiii. *Sil*, inquit, *proprie limus est. Optimum ab eo quod Atticum vocatur, pretium in libras* xxxii. Budæus existimat, ubi numi genus non exprimitur, sestertium numum intelligendum esse. Itaque hic, *sestertios* xxxiii. legendum putat. Ego vero existimo ex tribus notis denarii, primam denarium numum significare, ut & alias sæpe: quamquam interdum linea transversa decussim scinde-

ret. Sed de his fusius cum de notis numerorum scriberemus, quæ aliquando lectori impertiemus, cum in eum usum condita sint a nobis. Hunc igitur locum Plinii ita legemus cum distinctione numi, *pretium in lib.* X. XXII. hoc est, sine contractione, pretium in libras denarii duo & viginti. Eodem *lib. capite* XIII. *Ex cæruleo fit quod lomentum vocatur: perficitur id lavando, terendove, & hoc est cæruleo candidius. Pretium ejus* XXIII. *cærulei* XVIII. Notarii lapsus etiam hic ita restituendus est, denarii XIII. cærulei denarii octo. Quod item sequitur: *Nuper accessit & Nestorianum, ab autore appellatum. Fit & Ægyptium levissima parte, pretium ejus* XL. *in lib.* lego *denarii* L. *in lib.* Paulo post: *Non pridem apportari & Indicum est cœptum, cujus pretium* XVII. *in libras*, lego *denarii septem in libras*. Ita legendum esse ex Plinio ostendo: cum sinopidi pretium statuat in libras denarios tredecim expresso genere numi *c.* VI. *l.* XXXV. Si enim sinopis rubricæ genus tredecim denariis æstimabatur, quomodo sil & cæruleum non pluribus fere sestertiis venderetur? Præterea solet Plinius, si denariorum numerus rotundetur, per denarios pretium exprimere, potius quam per sestertios: ut in eo loco quem proxime adscripsi de sinopide. Igitur in proximo exemplo denarios octo potius dixisset, quam XXXII. sestertios. Adde, cum cærulei pretium XXIII. in libras æstimarit, quomodo uno tantum sestertio pretium absuerit a sex denariis, cum summa rotundata non est? non enim solent pretia rerum constitui ita præcise, ut numi sestertii ratio habeatur in majuscula summa. *Est & aliud*, inquit, *genus lomenti, quidam tritum vocant, quinis assibus æstimatum*. Hic quoque non satis emendate legitur *quinis assibus*, pro *quinque denariis*. Sed hæc, ut jam pollicitus sum, latius alias explicabuntur Quod vero sequitur eodem loco, postquam Indici pretium ostendit: *Ratio in pictura ad incisuras, hoc est, umbras ab lumine dividendas*. Hæc etiam lectio parva adjectione quantum mutata est a prima? Hæc enim, *ab lumine*, non sunt autoris, sed cujusdam qui nesciebat quid esset umbram ab lumine dividere. Itaque putavit autorem incisuram hic posuisse pro tono: proinde addidit de suo, *ab lumine*: infelici tamen successu: nam hac additione luminis huic loco tenebras offudit. Tonus, ut dixi, umbram dividit ab lumine: scissura aliud est quam tonus. Non enim dividit umbram ab lumine, sed umbram ipsam: & hoc est proprie scindere, illud dividere. Sit exempli gratia figura oris exprimenda: ducetur primum linea, quæ labium superius ab inferiore dividat; deinde ab eminentiore parte labiorum incipiendo, ad inferiorem partem umbra intendetur, ut utriusque labii intensior umbra desinat in lineam illam, quæ dividit labium superius ab inferiore, & umbram ab umbra, non umbram a lumine, ut falso existimavit ille, si diis placet, paraphrastes Plinii.

Pro coloribus etiam Veteres interdum res coloratas usurparunt: ut in opere vermiculato, cujus primum usus fuit in pavimentis lithostratis. His primum famam dedit, qui, autore Plinio, Pergami statuit quem vocant *asoroton œcon*. Quoniam purgamenta cœnæ, quæque everri solent veluti relicta, fecerat parvis ex testulis tinctis in varios colores. Ut autem noscatur quam elegans fuerit hoc genus picturæ, addit eodem loco: mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans. Apricantur aliæ scabentes sese in canthari labro. Ex humo, inquit, pavimenta in cameras transiere, & e vitro fieri cœperunt. Claudii temporibus inventum est interraso marmore, vermiculatisque ad effigies rerum & animalium crustis pingere innatis marmori coloribus. Huc pertinet A querimonia illa autoris, luxum & delitias exprobrantis suo sæculo: *Non placent*, inquit, *jam abaci, nec spatia montis in cubiculo delitescentia, cœpimus & lapidem pingere*. Sed & hujus loci sententiam unius litteræ adjectio mutavit, cum *lapidem* perperam pro *lapide* legatur. Non enim hic de lapidum pictura loquitur, sed de pictura quæ fiebat lapideis tessellulis. Lapidem vero pingere Neronis temporibus inventum fuit, & maculas quæ non essent in crustis inserendo, unitatem variare: ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Sinnadicus, qualiter illos nasci optarent delitiæ.

B Fuit alia pingendi ratio, quam encausticen appellabant, quod pictura inurerentur. Idque duobus modis, cera, & ebore cestro, id est, viriculo. Hodie utraque ratio ignoratur. Si tamen est conjecturæ locus, ego priori illo encausti genere hac ratione picturam inustam fuisse crediderim. Ceram primum induratam medicamentis: ex ea deinde factas fuisse tabulas, in quibus formæ eorum quæ pingenda essent incidebantur. Tum, quemadmodum in vermiculato opere, in eas formas cavas ceris inditis varii colores figuris inducebantur, nullis apparentibus commissuris. Hoc in eo genere præstantissimum C erat, quod ceræ pictæ carnis similitudinem felicius æmularentur, quam si dilutis coloribus pictæ fuissent. In ebore vero cestro, id est, viriculo, pingebant. Cestrum Pollux styli genus interpretatur: unde conjicio ita Veteres ebori picturam inussisse, ut quod pingendum esset graphice primum in ebore adumbrarent. Deinde servata ratione luminum & umbrarum, eboris candore ad lumina uterentur, tonum vero & umbram pictis ceris exprimerent. Huic generi picturæ ea erat gratia, quod cum in ceris nitor quidem splendeat, ad lumina splendidiore colore opus fuit, qualis in eboris candore cernitur. Ea fuit igitur optima colorandi D ratio, ut colorem umbra paulo dilutiore condirent, a tono vero ad intentissimum colorem progrediendo picturæ lumen darent ex ipso ebore. Omnibus enim coloribus bene est cum albo, nitentibus vero optime cum candore. Hic candor maxime in picturis mulieribus laudabatur. Nam & annulare candidum erat, quo muliebres picturæ illuminabantur. Id fiebat ex creta, admixtis vitreis gemmis ex vulgi annulis, unde & annulare dictum fuisse autor est Plinius. Itaque & hoc encausti genere Veteres utebantur ad pingendas mulierum effigies. Lala Cyzicena cum & penicillo pingeret, pinxit & cestro in ebore, imagines E mulierum maxime. Inde conjicio eum fuisse usum eboris in encaustice. Imo ita fuisse qualibet sponsione libens asseruerim. Tertium encausti genus accessit, resolutis igni ceris penicillo: quod picturæ genus in navibus nec sole, nec sale, ventisve corrumpebatur. Ideo non tantum classibus familiare fuit, sed & navibus onerariis. De encaustices authoribus verba Plinii apponam. Ceris, inquit, pingere, ac picturam inurere quis primus excogitaverit non constat. Quidam Aristidis inventum putant: postea consummatum a Praxitele. Sed aliquanto vetustiores encausticæ picturæ F extitere, ut Polygnoti, & Nicanonis, & Archesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit, encausten: quod profecto non fecisset nisi encaustica inventa jam tum fuissent. Pamphilus quoque Apellis præceptor, non pinxisse tantum encausta, sed etiam docuisse traditur. Pausiam vero Sicyoniorum primum in hoc genere nobilem. Hactenus de Encaustice.

Nunc videndum est, qui pingendo famam olim adepti sint, & quid unusquisque eorum ad artem exornandam contulerit. Tuum est Plini recensere,

re, qui magnam eorum partem ab interitu vindicasti, quique eorum opera intercidere non es passus. Fecerat hoc Varro pari diligentia atque pietate, septingentorum artificum nominibus, figuris etiam aliquo modo expressis. Sed duræ temporum vices hoc illi meritum, artificibus famam, nobis vero memoriam eorum inviderunt. Atticus etiam idipsum præstiterat. Quando igitur eorum scriptis frui datum non est, eos tantum ex Plinio percurram, qui suis inventis artem excoluerunt. Non vos igitur silendi estis Aridices & Telephanes, qui primi testa trita colorare cœpistis, & lineas quasdam intus spargere, politiores haud dubie futuri, si in meliora tempora incidissetis. Sequutus est deinde Eumarius, qui primus in pictura marem a fœmina discrevit. Hujus deinde inventa excoluit Cimon Cleonæus, qui catagrapha invenit, hoc est, obliquas imagines, & varie formare vultus, respicientes, suspicientes, & despicientes. Articulis etiam membra distinxit, venas protulit, prætereaque in veste & rugas & sinus expressit. His successit Polygnotus, qui primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturæ primus contulit. Siquidem instituit os adaperire, & vultum ab antiquo rigore variare. De eodem Plin. *c.* IX. *lib.* XXXV. *Hujus est*, inquit, *tabula in porticu Pompeii, quæ ante curiam ejus fuerat, in qua dubitatur ascendentem cum clypeo pinxerit, an descendentem*. Hic locus obscurior paulo est, nec forte difficilius fuit in ea tabula judicare, ascendentem cum clypeo Polygnotus pinxisset, an descendentem, quam hic conjicere quid voluerit autor his verbis significare. Cum appareat, voluisse eum reconditum artificium notare. Et certe ita est. Hac enim descriptione videre videor figuram ita positam, ut accedenti & retrocedenti alia atque alia videretur. Omnes figuræ ita positæ sunt, ut radiis rectis aspiciendæ sint, aut obliquis; rectis e regione tabulæ, obliquis vero aut ex eodem plano, sed a latere: aut ex diverso plano, inferiore, vel superiore. Si de loco inferiore figura suspicienda sit, accedenti ad tabulam figura descendere videbitur, recedenti ascendere. Contra, si de loco superiore despici velit, quo longius a tabula recedet oculus, figura descendere videbitur, quo propius accedet, ascendere, & ratio optices ita cogit fateri. Polygnotus igitur in pictura solers, novam rationem excogitavit, qua illuderet spectatori. Figuram enim ea arte pinxit, ut pars superior, tanquam de superiore loco videretur, inferior, ex inferiore, una & eadem figuræ positura diversa ejusdem artis exempla complexus. Ut si in partem superiorem oculus intenderetur, recedendo figura descendere videretur, contra ascendere, si in inferiorem partem intueretur. Hoc puto voluisse Plinium laudare in Polygnoto, quem nihilominus primis picturæ temporibus inclusit: cum nondum lumina artis apparuissent, quæ postea in Apollodoro refulserunt, qui primus gloriam penicillo contulit. Unde & picturæ secundam ætatem inchoabimus a nonagesima tertia Olympiade, cum antea nulla pictura admodum oculos tenuerit. Hic Apollodorus primus species exprimere instituit. Hunc sequutus Zeuxis picturæ portas intravit, quas Apollodorus aperuerat. Fecit Penelopen, in qua mores ejus pinxisse videbatur. Sed de pulchritudinis specie absoluta nondum inter artifices constabat. Itaque & ipse grandior in capitibus articulisque judicabatur. Quocirca fluctuans adhuc, cum pulchritudinis speciem nondum animo contemplatus esset, facturus Agrigentinis tabulam, quam in templo Junonis publice dedicarent, virginibus eorum inspectis, ex iis quinque elegit, ut quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet. Æ-

quales ejus & æmuli fuere Timanthes, Androcydes, Eupompus, & Parrhasius. Primus hic symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris. Sed in extremis lineis omnium artificum consensu laudem adeptus est, in mediis corporibus pingendis non æque laudabatur. Maxime tamen nobilitatus fuit certamine illo, quo Zeuxidem superavit, ingenua ipsius Zeuxidis confessione, quod is uvis pictis aves tantum fefellisset, sed Parrhasius artificem ipsum flagitantem remoto linteo ostendi picturam, cum tamen in tabula nihil præter linteum pictum esset. Ea tunc penicilli laus fuit, rerum species accurate pingere. Ipse vero Parrhasius a Timanthe superatus est in Ajace, armorumque judicio. Unde moleste se ferre dicebat, quod Ajax iterum ab indigno victus esset. Hic Timanthes artem viros pingendi artificio suo complexus est. Addidit præterea argutias picturæ, cum in ejus operibus plus semper intelligeretur, quam pictum esset. Exemplis Plinius rem illustravit: *Ejus*, inquit, *& Iphigenia, qua astante ad aras peritura, cum mœstos pinxisset omnes, præcipue patruum, & jam tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velavit, quem digne non poterat ostendere*. Addit de Cyclope dormiente in parva tabula, cujus magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrso pollicem ejus metientes. Iisdem fere temporibus floruit Pausias Sicyonius. *Is*, inquit Plinius, *eam picturam primus invenit, quam postea imitati sunt multi, æquavit nemo. Ante omnia cum longitudinem bovis ostendere vellet, adversum eum pinxit, non transversum, unde & abunde intelligitur amplitudo. Deinde cum omnes qui volunt eminentia videri, candicantia faciant, coloremque condiant nigro, hic totum bovem atri coloris fecit, umbræque corpus ex ipsa dedit, magna prorsus arte, in æquo exstantia ostendens, & in confracto solida*. Sed in his postremis verbis malim *in contracto*, quam *in confracto*. Nam in eo exemplo duo Plinius adnotare voluit: primum, quod umbræ corpus dederit, non aliunde petito lumine quam ex ipsa umbra: alterum, quod in figura contracta solidum corpus ostenderit. Euxenides Aristide discipulo inclaruit, ut Eupompus Pamphilo, ut hic Apelle. Eupompus ea fuit autoritate, ut picturam, cujus duo erant genera, Hellanicum & Asiaticum, in tria diviserit, Atticum, Jonicum, & Sicyonicum, ab autore sic dictum, cum esset Sicyonius. Pamphilus omnibus literis eruditus ad severiorem normam picturam revocavit. Siquidem sine arithmetica & geometria negabat artificem perfici posse.

Jam tot artificum manibus exculta ad suum finem pervenerat pictura, nec tamen adhuc species illa pulchritudinis in ea refulserat, nondum eam inviserat Venus, donec Apelles eam picturæ conciliavit Olympiade CXII. Itaque cum eadem ætate præstantissimi pictores essent, omnium opera admirabatur, laudabat ingenue: cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris: de Protogene dicere solitus, omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora, deesse tamen omnibus iis illam Venerem dicebat, quam Græci *Charita* vocant: cætera omnia contigisse, sed hac sola sibi neminem comparandum. Honesta quidem oratio, sed qua sibi tamen in pictura principatum arrogabat: hac enim laude summam artis complexus, cæteris omnibus aliquid deesse notabat, sibi uni omnia contigisse. Hæc illa est idea pulchritudinis, numeris omnibus absoluta, quam nemo præter eum assequi potuit. Euphranor dignitates heroum expressit, Aristides animum pinxit & mores, Parrhasius animi perturbationes. Sed aliud quiddam fuit ab his omnibus Venus illa,

A quæ Apellis opera commendabat. Mirum sane, potuisse artificem oculis subjicere, quod lingua eloqui non posset: nec posse quemquam verbis complecti, quod exigua tabella caperet. Idem etiam pinxit quæ pingi non possent, tonitrua, fulgetra, fulgura, & imagines adeo indiscretæ similitudinis, ut quidam ex facie hominis addivinans, quos *metoposcopos* vocant, ex iis dixisse feratur aut futuræ mortis annos, aut præteritæ. Tam certo etiam successu similitudines expressit, ut Ptolemæo Regi cum eum nominare non posset a quo invitatus venisset, accepto carbone e foculo imaginem in pariete delineaverit, agnoscente rege vultum protinus ex inchoato: *Unum*, inquit Plinius, *imitari nemo potuit*,
B *quod absoluta opera illinibat atramento ita tenui, ut id ipsum repercussu claritatis colorum vim excitaret, custodiretque a pulvere & sordibus, ad manum intuenti demum appareret.* Sed hæ postrema verba non satis intelligo: quid enim hoc sibi vult, *ad manum intuenti demum appareret?* quæ demum hic latet præstantia, quæ propria fuerit Apellis? Ego vero putarim hac claritate effectum fuisse, ut numen quoddam appareret intuenti. Itaque sic malim legere, *Absoluta opera illinibat atramento ita tenui, ut idipsum repercussu claritatis, colorum vim excitaret, custodiretque a pulvere & sordibus, ac*
C *numen intuenti demum appareret.* Lectoris esto judicium. Porro præstantiam artificis vel hoc unum testabitur, quod inchoatam Venerem Cois nemo inventus est, qui ad præscripta lineamenta operi succederet, morte prærepto eo antequam absolvisset. Est in rebus humanis quodam prodire tenus, & definitus crescendi modus, quem Apelles arte sua inclusit. Itaque nemo postea inventus est, qui artem provexerit. Fuere postea nonnulli, qui deteriora sequuti, picturam ad res humiles revocando, laudem tamen in eo genere meruerunt: ex quibus fuit Pyreicus, qui tonstrinas & sutrinas pinxit, asellos, obsonia, & similia. Laudatus fuit & Ludius Divi Augusti ætate: *Hic primus*, inquit Plinius, *instituit amœnissimam parietum picturam, villas, & porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piscinas, euripos, amnes, littora, qualia quis optaret: varias ibi obambulantium species, aut navigantium terraque villas adeuntium asellis, aut vehiculis. Item piscantes, aucupantesque, aut venantes, aut etiam vindemiantes. Sunt in ejus exemplaribus nobiles palustri accessu villæ succollantium specie: mulieres labantes trepidæque feruntur. Plurimæ præterea tales argutiæ, facetissimi sales. Idemque subdialibus maritimas urbes pingere instituit, blandissimo aspectu, minimoque impendio. Sed nulla gloria artificum est, nisi eorum qui tabulas pinxere: eoque venerabilior apparet antiquitas* Hæc Plinius. Cæterum non exemplis tantum illustratæ fuerunt hæ nobilissimæ artes, sed & clarissimorum virorum scriptis. Ex Latinis scripserant Atticus & Varro: hic nominibus septingentorum artificum insertis suis voluminibus. Ex Græcis Antigonus, & Xenocrates, & Pasiteles fictor, quinque editis libris nobilium operum, quæ essent toto orbe. Euphranor Isthmius pictor composuit libros de symmetria, & de coloribus. Apelles libros edidit de sua arte, quibus saltem fata parcere debuerant, tot aliis nobilibus ejus operibus absumptis.

ALDI MANUTII
PAULI F.
DE
CÆLATURA ET PICTURA VETERUM
EXCERPTUM,
Ex libro *De Quæsitis per Epistolam.*



E ÆLATURAM Scalpturæ partem facit Quintilian. *lib.* II. *cap. ult.* & eam ait esse in auro, argento, ære, ferro: Scalpturam autem in his ipsis, & in ligno, præterea ebore, marmore, vitro, gemmis: quo dici potest, Cælaturam omnem Scalpturam esse, non contra: siquidem, quæ materia Cælaturæ est, eadem Scalpturæ: non item quæ Scalpturæ, eadem Cælaturæ. Cum hac Quintiliani sententia congruere
F videntur ea, quæ subscripsi Veterum exempla. Dixit enim Cicero *de Divinat.* lib. I. *Hanc speciem Praxiteles cælavit argento.* Et *Tuscul.* V. *Abacos complures cælavit argento auroque cælato.* Livius *lib.* VII. *Pictis & auro cælatis refulgens armis.* Et *lib.* IX. *Duo exercitus erant, scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt.* Virgil. quoque I. *Æneid.*

—— cælataque in auro
Fortia facta Patrum.

Nec dissentit Plinius multis in locis. Idem tamen Cælaturam cretæ, & argillæ, & marmori etiam communicat. Nam *lib.* XXXV. *c.* XII. *Fastigia*, inquit, *templorum etiam in urbe crebra, & municipiis mira cælatura & arte, firmitateque ævi, sanctiora auro, certe innocentiora.* Cum vero ait *lib.* XXXVI. *c.* V. *Ab Oriente cælavit Scopas, a Septentrio Bryaxis, a Meridie Timotheus, ab Occasu Leochares:* videtur indicare Cælaturam etiam ad marmora pertinere. Non enim tantum opus, vel auro, vel argento etiam cælatum esse, verisimile est. Fallit igitur regula. In gemmis quoque, quas Cælatura Quintilianus excludit, Scalpturæ tribuit, possit aliquis ab eo dissentire. Nam cælatum a Pyrgotele Alexandri Magni imaginem ait Apulejus *Florid* lib. I. qui quamquam de gemma mentionem nullam faciat, Plinio tamen supplente dubitatio tollitur. Is *lib.* XXXVII. *cap.* I. *Confirmat*, inquit, *hanc opinionem edictum Alexandri Magni, quo vetuit in gemma se ab alio scalpi, quam a Pyrgotele.* Quid? quod ligneo de opere dixit Virgil. *Ecloga* III.

—— cælatum divini opus Alcimedontis.

Verum detur Poetis hæc libertas, ut a verborum proprietate interdum discedant, tria tamen superiora exempla, unum de argilla, alterum de marmore, tertium de gemma, Quintilianum coargunt, cui si quæritur excusatio, dicamus primis temporibus metalla dumtaxat cælari solita esse, paulatim deinde hanc artem reliquis generibus communicatam. Sic non omnino Quintiliano abrogabitur fides. Quod si Cælaturam a Scalptura, ut illius verba declarant, materia non distinguit, quo signo internoscentur? Nam si aurum, argentum, æs, ferrum communis utriusque materia est, sequitur, ut quod cælatum idem scalptum sit, & quod scalptum, si modo sit in auro, argento, ære, ferro, idem cælatum. Quærenda igitur aliqua nota est, qua discernantur: ea mihi videtur esse forma, non materia. Opinor enim cælata opera dici a Veteribus, quæ vel in materia plana, vel in tumida, vel in convexa ita fiunt, ut in ipsa materia, quæcunque sit, hæreant & aliqua parte promineant. Scalpta vero, quæ vel integra undique, & solida cernuntur, ex quacunque materia scalpendo facta, quo in genere sunt statuæ: vel in cavo depressa, neque solidam exprimunt effigiem, neque integram ab omni latere ostendunt, ut sigilla. Nam si scalptura in statuis tantum versaretur, non dixisset Plinius *lib.* XXXV. *c.* XII. *Plasticen matrem esse statuariæ, scalpturæque, & cælaturæ.* Quo loco diversam esse scalpturam a statuaria & a cælatura perspicue demonstratur. Tres enim artes, quia differunt inter se, ideo separatim singulæ nominantur. Differunt autem eodem modo quo totum a partibus. Nam scalptura duas reliquas complectitur: scalpendo enim & statuæ fiunt, & cælata opera: nisi si quis objiciat, cælata ex argilla scalprum non requirere, quod ex incisa lignea tabula argillaque impressa exprimantur. Cui responderi possit, sine scalpro tabulam illam non incidi. Atque illud scalpturæ tertium genus est, nam reliqua duo vel solida integraque sunt opera, ut statuæ, vel dimidiæ eminentiæ, ut cælata. Tertium, ut dixi, incisum intus in materia, vel ut ipsum per se delectet, vel ut inde cælata effigies exprimatur: nam & ceream effigiem e sigillo effictam inter cælata opera retulerim, quoniam dimidiam habet eminentiam. Ut igitur, qui statuam dicit, signum dicit, sed hominis aut Dei, neque solum e lapide, sed ligno etiam, argilla, cera, gypso, ebore, auro, argento, ære: non contra, qui signum idem statuam dicit, quia brutorum quoque signa sunt, quæ, ut opinor, statuæ non vocantur, licet communis eadem utrisque sit materia: sic qui scalpturam idem statuariam & cælaturam dicit, non contra. Cælata vero opera eminere omnia, & subjectam habere, unde exstent, quaque ambiantur, materiam aliquam, idem ille rerum pulcherrimam varietate & copia excellens, familiaris noster Plinius *lib.* XXXIII. *c.* XII. indicat his verbis; *Hæc ars ita*

A *exolevit, ut sola jam vetustate censeatur, usque adeo attritis cælaturis, ne figura discerni possit.* Cælata etiam dici video, quibus ornamenta ex alia materia sunt adjuncta, ita scite, ut ex eadem educta videantur: qualia fuere vasa illa, quibus crustas & emblemata Verres detraxit, quod cælatum argentum appellat Cicero: *Negotium*, inquit, *dedit Archagatho, ut quicquid Halunti esset argenti cælati, id omne statim ad mare ex oppido deportaretur.* Subjungit autem & paulo post: *Omnia deferuntur, Cybiratæ fratres vocantur: pauca improbant; quæ probarant, iis crustæ aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini, excussis deliciis, cum*

B *argento puro domum redierunt.* Idem ostendit satis aperte infra cum ait: *In regiam maximam palam artifices omnes, cælatores, ac vascularios convocari jubet: menses octo continuos opus his non defuit, cum vas nullum fieret, nisi aureum. Tum illa, ex patellis & turibulis quæ vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres.* Hæc postrema verba cælaturam plane indicant ex addita materia, non e subjecta, expressa. Nec aliter intelligitur duobus Livii locis supra recitatis. Arma enim & scuta auro cælata, ipsa non sunt aurea, sed

C auro addito exornantur. Omitto alia exempla: nec tamen negaverim, cælata etiam dici ex quibus ipsis exsculpuntur opera, ut ex Mausoleo videmur posse conjicere. Nam opera illa præclara in tabulis opinor fuisse marmoreis educta e subjecta materia, non opposita ex alia.

Est igitur Cælatura duplex, & eam facit forma, non materia; alioqui esset idem quod Scalptura. A verbis enim significantibus utraque deducta, altera a scalpendo, altera a cædendo, d in l permutata, ut ait Festus, & *cælare* Nonius interpretatur *insculpere*. Ab hoc verbo atque ab illa significatione, quam posuimus, deductum *Cæli* nomen

D putavere nonnulli, videlicet eam rationem secuti, quod in cælo sidera illa, quæ suis perpetuo sedibus inhærent, ut in cute humani corporis verrucæ, prominere videantur. Hanc analogiam probavit Plinius *lib.* II. *c.* IV. *Cælum quidem*, inquit, *haud dubie cælati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro, adjuvat rerum ordo: descripto & circulo, qui signifer vocatur, in duodecim animalium effigies.* Plinius ipse quid sentiat apparet: at de Varronis interpretatione quod addit, est quod ambigam. Nam Varronis hæc sunt verba lib. IV. *de Ling. Lat. Ego magis puto a Chao cavum, & hinc cœlum: quoniam hoc circum supraque quod comple-*

E *xu continet terram, cavum cœlum.* Alios igitur Varronis libros qui hodie non exstant Plinius legerit necesse est: in quibus aliter, atque in his quos habemus, de Cæli sensit etymologia. Nam qui Varronis libri leguntur, in dubium venire non possunt, nominati a Carisio & Nonio.

PHILOSTRATUS
ICONUM INITIO
DE
PICTURA.



UICUNQUE Picturam minime amplectitur, non modo veritatem, verum & eam, quæ ad Poetas pertinet, injuria afficit sapientiam. Eadem enim est utrisque ad Heroum tam species tam gesta intentio. Symmetriam præterea contemnit, per quam ars ipsa rationem attingit. Et si quis Sophistarum more loqui voluerit, Deorum est inventum: cum ob species, quibus in terra horæ prata pingunt: tum vel maxime, quæ in cælo apparent. Perscrutanti autem ipsius artis ortum, imitatio utique est: vetustissimum inventum, naturæque cognatum. Ipsam autem sapientes excogitarunt viri, partim picturam, partim plasticen appellantes. Et plastices quidem multæ species. Nam & fingere, & quæ in ære fit imitatio, & Lydium, Pariumve lapidem atque ebur polire, & per A *Jovem sculptura ipsa, plastice est. At pictura coloribus quidem constat: sed non hoc solum efficit, iterum ab hac sane existente longe plura, quam ars alia ex multis molitur. Umbram enim demonstrat, & alium furentis, alium merentis, aut gaudentis aspectum novit, oculorumque fulgores qualescunque fuerint, quod plasticus quispiam minime præstaret. Nam fulmine, cæsiumque ac nigrum novit oculum, nec non & comam flavam, ruffamque ac subcandidam, vestiumque atque armorum colorem. Thalamos præterea, ac dumos, memoraque &* B *montes, & in quo hæc sunt, ætherem. Quinam autem ad hujusce scientiæ culmen pervenerint, quotque civitates ac Reges studio ipsam persecuti fuerint, cum ab aliis, tum ab Aristodemo ex Caria oriundo litterarum monimentis mandatum est: apud quem ego picturæ causa quadriennium hospitatus sum. Pingebat enim ad Eumeli sapientiam, multam ipsi addens Venerem.*

FINIS.



JULII CÆSARIS BULENGERI,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI,

D E

P I C T U R A,

P L A S T I C E,

S T A T U A R I A

L I B R I D U O.

A D

ILLUSTRISSIMUM & POTENTISS. HEROEM

J U S T U M H E N R I C U M

TURNONIUM COMITEM ROSSILIONÆUM.

ILLUSTRISSIMO ET POTENTISSIMO HEROI

JUSTO HENRICO

TURNONIO COMITI ROSSILIONÆO.



UO maxime artium genera in pretio apud omnes gentes jam olim fuerunt, Heros Illustrissime, quarum aliæ in sola contemplatione positæ essent, aliæ contemplationem & manum requirerent, utræque imperiis & civitatibus maxime fructuosæ. Sed ex iis quædam homine ingenuo & liberali supra cæteras dignæ sunt; inter quas non ultimum locum Plastice & Pictura obtinuit, quæ servilibus ingeniis interdicta jure gentium solis ingenuis adjudicata est. In ea Romæ Fabii viri principes principi loco ac numero fuerunt, in Græcia Protogenes, Apelles, Phidias, Lysippus, & alii innumeri viri nobiles & opulenti usque adeo inclaruerunt, ut apud Reges & Imperatores in summa gloria essent, quod res a se fortiter gestas, non minus ope Plastices ac Picturæ, quam Literarum beneficio, ad posteros transmitti posse existimarent. Adde quod ea quæ in literas mittuntur eruditis innotescunt, at imagines pictæ sculptæque in oculos omnium incurrunt, & viros ac spirantes virorum fortium vultus animosque repræsentant. Videas pueros, fœminas in hoc spectaculo hærere oculis, & ore hianti stupentes miraculo rerum, animo defigi, ut statuæ manufactæ veluti novæ Gorgones in statuas mutasse homines videantur. Quo quisque peritior artis est, & judicii limatioris, eo magis admirabilem operis industriam, & solertiam opificis demiratur. Vidi equidem plures qui belle de nobilium artificum operibus judicarent, eaque suis momentis æstimarent: neminem videre me memini, qui subtilius singula rerum momenta rimaretur, qui minutias quasque, lineamenta, nervos, articulos, habitus, gestus te uno acutius oculis & animo sequeretur. Si quid est vitii, si quid artis, & industriæ, statim tibi occurrit, nihil ab alio quoquam perspicacius inspici, penitius erui, prudentius æstimari, quam a te uno potest. Sed hoc non tibi in Plastice singulare est, in cæteris scientiis tam es perspicax, tam oculatus, ut Lynceum superes, tam acutis naribus, tam rotundis auribus, ut nihil eorum quæ cæteros fugiunt non tibi statim præsto sit. In Philosophicis, in Mathematicis, in naturæ arcanis, in iis quæ naturam superant, in magnis, in parvis, in imis, in sublimibus, tantum habes solertiæ, ut omnia aut natura tibi insita sint, aut experientia contrita, aut ipse tu omnibus innatus ac insitus esse videaris. Quinetiam linguas peregrinas in promptu habes, Latinam, Græcam, Hebraicam, Italicam, Hispanicam, cætera talia, in quibus alii ætatem conterunt, tu aliud agens bonitate naturæ, ingenii celeritate sine labore conquisisti. Verum id genti tuæ, quæ ut nobilitate & gloria, ita & ingenio & studio nemini concedit, domesticum est, ut alta omnia nullo negotio capessat. In his talibus quæ omnibus nota sunt multus esse nolo, ne coram in os laudare te videar, quum ipsa sibi virtus pretium sit, & extrinsecis ornamentis non egeat. Quod igitur instituti mei est, id unum hoc tempore urgeo, ut binos istos *de Plastice* libellos, quos tibi lubens do, dico, amica manu excipias, & aura favoris tui in hoc judiciorum nostri sæculi æstu benigne prosequaris.

Datum Lugduni Kalend. Junii anno cIↃ IↃc XXVI.

Dominationis tuæ servus humilis & cliens

J. C. Bulengerus.

SYLLABUS
LIBRORUM
ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

JULII CÆSARIS BULENGERI,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI,

DE
PICTURA, PLASTICE, STATUARIA

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

DE PICTURA.



PICTURÆ & Poesi bene convenit, & utriusque pene idem ingenium est, quod in rebus imitandis occupentur: optime igitur a Plutarcho dictum, *Poesim esse Picturam loquentem, Picturam vero Poesim mutam*, quia utraque multa invenit, multa fingit, multa mentitur, utraque proxime inventa sua ad rerum naturam accommodat; magis tamen feriunt animum quæ videntur, quam quæ audiuntur. Etenim

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradet spectator,

ait Horatius. Calamus penicilli, penicillus calami æmulus est, ut alter alteri laboris sui commodet usum. Horatius,

E *Ut Pictura Poesis erit, quæ, si propius stes,*
Te capiet magis, & quædam, si longius abstes.

Duos certe Homeri versus Euphranori ad pingendum Jovem, Phidiæ ad sculpendum præbuisse archetypon inficietor nemo; & Pictor & Poeta utile ad jucundum intuentur, uterque a turpium rerum imitatione abstinere debet, ne a fine suo aberret, & cum moribus prodesse debeat, obsit. Uterque nascitur artifex, non fit, & minus studio quam natura valet. Vidi Florentiæ pictorem, cujus pueri manus summis pictoribus palmam præriperet. Is hodieque vivit tanta operum & artis fama, ut Apelle & Protogene superior putetur. F Pictura autem figmenta sumit à Poesi, à Geometria regulam, circinum, lineas, proportiones, ac symmetriam. Nam & Parrhasius in laude fuit, quod primus symmetriam picturæ dederit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Eupompus ab Arithmetica & elegantibus disciplinis picturæ splendorem attulit, eamque prius Helladico & Asiatico genere contentam, in tria divisit, Jonicum, Sicyonium, Atticum, ait Plinius. Ab optica vero pictura sumit

rationes quibus consideret quomodo quæ longius absunt, minora appareant, quæ supra caput, quæ infra minora, quomddo aciem oculorum fallant. Item pictores ab optica umbras, recessus, lucem, radios sumunt. Et quia manu utuntur, graphis necessaria est, qua interdixere Græci servis, ut soli ingenui pueri diagraphicen in buxo docerentur. Item a Philosophia morali pictores hoc habent, ut animum, sensus omnes, perturbationes, mores exprimant, ut hominem iracundum, justum, inconstantem, clementem, misericordem, excelsum, gloriæ avidum, humilem, ferocem, fugacem penicillo delineent. Omnes qui volunt eminentias videri, candicantia faciunt, coloreque condiunt nigro, magna prorsus in æquo extantia ostendentes, & in confracto solida omnia. Consule Plinium *lib* XXXV. *cap.* II.V. VI. VII. Vitruvium *lib.* VIII. *cap.* I. *lib.* VII. Quidam chimæras pingunt, quas vulgo vocant *grotesques*, ineptissime. Quare Vitruvius *lib.* VII. conqueritur homines, qui vere naturam imitari debuissent, fabulosa commentos esse, quæ natura ipsa nequeat efficere. Eosdem risui habet Horatius,

—— Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
Scimus & hanc veniam, petimusque, damusque vicissim,
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

S. Gregorius: *Si pictura indoctorum est liber, ecquid e falsa haurietur lucis?* Suum igitur cuique dandum, ut servetur decorum. Horatius,

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.
Intererit multum Davusne loquatur, Erosne,
Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus.

Nostra ætate in Italia sex fuere pictores eximii, qui suum cuique servarent, aut redderent, Raphael Urbinas, Michael Angelus Bonarota, Titianus, Antonius Corrigensis, Sebastianus Venetus, Julius Romanus, Andreas Sartorius. Jam olim res ut erant, sub Imperatoribus Romanis, pictores nativis coloribus, non per umbram ac recessum, sed in clarissima luce delinearunt. Interdum umbras addiderunt, ut apud Prudentium,

Pictura super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.

CAP. II.

DE PLASTICE ET PICTURA IN GENERE.

SOCRATES dicere solitus erat, γραφικὴν εἶναι τὴν εἰκασίαν ὁρωμένων, *picturam esse imitationem & repræsentationem eorum quæ videntur.* Idem dici potest de plastice, quæ statuariæ, sculpturæ, cælaturæ, picturæ parens est; quæque rerum habitum statumque quam proxime imitatur. Virgilius,

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.

Plastæ dicuntur marmorarii, & ærarii, & omnes marmoris & æris artifices. Tertullianus lib. *de Idololatria: Marmorarius, ærarius, qui signum describit, quanto facilius abacum linit, qui de tilia Martem exsculpit, quam citius armarium compingit.* Quintilianus *lib.* II. *cap. ult. Cælatura est, quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit. Sculptura etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, & metalla complectitur; excusor vasa facit.* Signum a Latinis dicitur Simulacrum. Tertullianus *in Apologet.* cap. XII. *Quod simulacrum non prius argilla deformat cruci & stipiti superstructa, in patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur. In Deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ, & runcinæ, & scobinæ.* Dicitur item statua imago, conflatile, effigies, figura, similitudo, sculptile, sigillum. A Græcis vocant ἄγαλμα, ἀπείκασμα, ἀνδριὰς, ἀνδρείκελον, βρέτας, δείκελον, ἐκτύπωμα, τύπος, εἰκὼν, εἰκόνιον, εἴδωλον, εἶδος, ἵδρυμα, ἴνδαλμα, ξόανον, ὁμοίωμα, προτομὴ, χαρακτὴρ, στήλγμα, τυπάριον, & alia nomina, quæ infra subjiciemus. Primus Socrates docuit Pharrasium & Clitonem statuarios mores & oculorum obtutus pictura exprimere, ut scribit Xenophon lib. III. *Apomnem.* Quidam pictores fuere ῥυπαρογράφοι, alii modestiæ & pudoris studiosi. Apud Ælianum *Variæ Historiæ* lib. IV. cap. IV. *Thebis lex vetat aliquid obscœni aut pictura aut plastice fingere. Primi, quorum quidem opera non vetustatis modo gratia visenda sint,* ait Quintilianus *lib.* XII. *cap.* X. *clari pictores* (putet aliquis verba hæc deesse, *sed etiam artis*) *fuisse dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia, ac velut futuræ mox artis primordia, maximis, qui post eos extiterunt, auctoribus præferant, proprio quodam intelligendi, ut mea opinio fert, ambitu.* Post Zeuxis atque Parrhasius non multum ætate distantes circa Peloponnesia ambo tempora: nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem invenitur, plurimum arti addiderunt, quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundus examinasse lineas subtilius, traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, ille ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem vocent, quia Deorum atque heroum effigies, quales ab eo traditæ, cæteri, tamquam ita necesse sit, sequuntur. Floruit autem circa Philippum, & usque ad successores Alexandri, pictura præcipue, sed ex diversis virtutibus: nam cura Protogenes, ratione Pamphilus atque Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus, quas φαντασίας vocant, Theon Samius, ingenio & gratia, quam ipse in se maxime jactat, Apelles est præstantissimus. Euphranorem admirandum facit, quod & cæteris optimis studiis inter præcipuos & pingendi fingendique idem mirus artifex. Similis in statuis differentia. Nam & duriora & Tuscanicis proxima Calon atque Egesias, jam minus frigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto supra cæteros, cui quamquam a plerisque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. Nam ut humanæ formæ addiderit supra verum, ita non explevisse Deorum auctoritatem videtur, quin ætatem quoque graviorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra læves genas. At quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atque Alcameni dantur. Phidias tam Diis quam hominibus efficiendis melior artifex traditur, in ebore vero longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset, cujus pulchritudo adjecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur, adeo majestas operis Deum æquavit. Ad veritatem Lysippum & Praxitelem accessisse optime affirmant. Nam Demetrius tamquam nimius in ea reprehenditur, & fuit similitudinis quam pulchritudinis amantior. An autem ad cultum Dei opus sit simulacris, lege Maximum Tyrium *Serm.* XXXVIII. Hic admoneo, duos Praxiteles fuisse, utrumque sculptorem: alterum sub Alexandro Magno,

Magno, de quo Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. alterum sub Pompejo Magno, de quo idem *lib.*XXXIII. *cap.*IX. *lib.*XXXVI. *cap.*V.

C A P. III.

RURSUS DE PICTURA.

PINGERE nihil est aliud, quam penicillo lineas ducere, & colores addere, quibus homines, bruta, plantæ, arbores, aliæque res exprimantur. Pictura nobilis quondam ars, tum cum expeteretur a Regibus, populisque, & illos nobilitans, quos esset dignata posteris tradere. Ea est vita memoriæ, lux vitæ, testis temporum, nuncia virtutis, mortuorum a morte restitutio, famæ gloriæque immortalitas, vivorum propagatio: quæ facit, ut absentes præsto sint, & variis dissitisque locis uno tempore repræsententur. Apud Romanos ei mature honos contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimæ gentis, Princepsque ejus cognominis ipse ædem Salutis pinxit anno Urbis conditæ 450. Pictura Græcis dicitur γραφὴ, communi cum scriptura nomine, quam Plutarchus mutam Poeticen, hanc loquentem Picturam appellat. Huc respexit Statius lib.I. *Sylv.*

—— *Apelleæ cuperent te scribere ceræ.*

Unde sicuti scripta perlegi dicuntur, ita & picta. Virgilius lib.VI. *Æneid.* de rebus pictis a Dædalo:

—— *quin protinus omnia*
Perlegerunt oculis.

Vocant & σκιαγραφίαν, & σκηνογραφίαν, ζωγράφον, σκηνογράφον.

De Picturæ autem initiis incerta quæstio est. Gyges Lydius picturam in Ægypto reperit, auctore Plinio *lib.* VII. *cap.* LVI. In Græcia Enchir Dædali cognatus, ut Aristoteli placet, ut Theophrasto, Polygnotus Atheniensis. Ægyptii sex millibus annorum apud ipsos inventam, priusquam in Græciam inferretur, affirmant. Græci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes umbra hominis lineis circumducta. Marcus Varro septingentorum virorum illustrium imagines suis voluminibus inseruit, non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere. Inventione muneris etiam Diis invidiosus, ait Plinius *lib.* XXXV. *capp.* II. & III. *lib.* XXXIV. *cap* IV. quando immortalitatem non solum dedit, verum & in omnes terras misit, ut præsentes esse ubique, & claudi possent. Prima pictura fuit umbra hominis lineis circumducta, secunda singulis coloribus, *monochromatos* dicta, alii *monogrammon* vocant, ab unica & eadem semper linearum specie, quomodo Epicurus lib. II. *de Natura Deorum* apud Ciceronem, *monogrammos* Deos vocat, eosdem semper, qui nec ira mutentur, nec lætitia. Lucillius tamen apud Nonium tenues & decolores homines appellat *monogrammos*. Picturam linearem inventam volunt a Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio. Strabo *lib.* VIII. In Alphæoniæ Dianæ templo Cleanthis & Aregonthis picturæ visuntur, hominum Corinthiorum. Alterius quidem Trojæ excidium, alterius Dianæ in cunis deportatio. Linearem primi exercuere Ardices Corinthius, & Telephanes Sicyonius, sine ullo linearum colore, jam tamen spargentes lineas intus. Ideo & quos pingerent adscribere institutum. Postea eminentiora quædam, alia reductiora fecerunt. Quintilianus lib. XI. *Instit.* cap. III. Ut qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt,

A sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent. Per initia adeo rudis pictura fuit, ut ex lineis vultus hominis aut animalis agnosci non posset, nisi nomen adscriberetur. Ælianus lib.X. *Var. Histor.* οὕτως ἄρα ἀτέχνως εἴκαζον τὰ ζῶα, ὥστε ἐπιγράφειν αὐτοῖς τοὺς γραφέας τοῦτο βοῦς, ἐκεῖνο ἵππος. Petronius, omnia diligenter curiosus pictor, cum inscriptione reddiderat. Primus invenit lineas colorare testa trita Cleophantus Corinthius. Nulla ars celerius consummata est, cum Iliacis temporibus non fuisse appareat, inquit Plinius. Imo Iliacis temporibus fuisse apparet, ex clypeo Achillis apud
B Homerum *Iliad.* Σ. Excipies Homerum æqualem non fuisse Iliaco excidio:

—— ἐν αὐτῷ
Ποίει δαίδαλα πολλὰ ἰδυίῃσι πραπίδεσσιν,
Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν.

In ipso clypeo Vulcanus fecit scienter artificiosa multa, terram, cælum, mare, solem indefessum, lunam orbiculatam. Idem apud Hesiodum ex *Clypeo Herculis* apparet. Si enim erat cælatura, erat & pictura, quæ utræque pedetentim & per gradus, non uno tempore, absolutionem consecutæ sunt. Excipies picturam fuisse ætate Hesiodi, non Herculis. Sed ante Herculem pictura fuit sub
C Mose, & ante Mosem sub Abrahamo. Canachi signa rigidiora sunt, quam ut imitentur veritatem. Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi, ait Cicero in *Bruto*. Nondum Myronis satis ad veritatem adducta. Pulchriora Polycleti, nondum etiam plane perfecta. In Aetione, Nicomacho, Protogene, Apelle perfecta sunt omnia. Zeuxis, Polygnotus, Timanthes, Apelles quatuor tantum coloribus usi sunt. Apollodorus Atheniensis pictor primus invenit φθορὰν καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς, *corruptionem & colorationem umbræ*, ait Plutarchus: ideo dictus est σκιογράφος. οὗτος δὲ καὶ πῖλον ἐφόρει ὀρθὸν, καὶ ἐν τοῖς ἔργοις ἐπεγράφετο,
D μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται. *Iste pileum ferebat rectum*, ut Persarum Reges, *& in operibus suis ascribebat*, *invidebit potius* aliquis, seu *reprehendet*, *quam imitari possit*. Ut emineret pictura, oportuit aliquid circumlini, quia pictura, in qua nihil circumlitum est, non eminet, ideoque artifices etiam cum plura in unam tabulam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbræ in corpora cadant. Varie autem colores miscent, ut lineamenta reddant. Jul. Firmicus lib. III. *Astron.* Sicut in imaginibus artifex pictor lineamenta membrorum varia mixturarum diversitate persignat,
E & temperatis coloribus formam mutatione facit similitudinis corporalis. Umbras pro lineis posuit Prudentius:

Picta super tumulum species liquidis viget umbris.

Phidias lumen & umbras custodivit, & ut eminerent e tabulis picturæ maxime curavit. Sili Attico ad lumina usi, Scyrico ad umbras, Indici ratio ad incisuras in pictura, hoc est, umbras dividendas ab lumine, ait Plinius *cap. ult. lib.* XXIII. Plerique lumen de colore purpureo proprie accipi volunt. Male. Lumen enim in pictura opponitur umbris. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* V. Pictura
F lumen invenit & umbras differentia colorum alterna vice sese excitante. ἄνθος lumen sæpe appellatur. Eo est opus ut varii habitus, vultus, status fiant, de quibus Quintil. *lib.* II. *cap.* XIV. Ut in statuis atque picturis videmus variari habitus, vultus, status. Nam recti quidem corporis vel minima gratia est. Quum enim adversa sit facies, demissa brachia, juncti pedes, & a summis ad ima rigens opus, flexus ille est, ut sic dixerim, motus, dat actum quendam effictis. Cursum habent quæ-

dam & impetum, sedent alia, vel incumbunt, nuda hæc, illa velata sunt, quædam mista ex utroque. Quid tam distortum & elaboratum quam ille dyscolos Myronis? omnes olim marmorarii, & ærarii pictores, aut cælatores erant, imo & albarii tectores. Tertullianus lib. *de Idololatr. Scit albarius tector, & tecta sarcire, & tectoria inducere, & cisternam liare, & cymatia distendere, & multa alia parietibus incrustare.* Vide Tertullianum. Diagraphice dicta est pictura in buxo, quam soli pueri ingenui docebantur, ait Plinius.

CAP. IV.

DE COLORIBUS.

Colores floridi sunt, vel austeri. Floridi, Minium, vulgo *vermeillon*; Armenium, *bleu d'Armenie*; Cinnabaris, *cinnabre*; Chrysocolla, *soudure d'or*; Indicum, *noir*; Purpurissum, *escarlate*. Cæteri austeri. Vide Plinium *lib.* XXXV. *cap.* VIII. Sil coloris genus est, proprie Limus, vulgo dicitur *jaune mineral.* Optimum Atticum, proximum marmorosum. Tertium est Scyricum ex insula Scyro, quo utuntur ad picturæ umbras. Sile pingere instituere primi Polygnotus & Mycon, Attico dumtaxat. Ad umbras Scyrico & Lydio usi. Sil Indicum in pictura ad incisuras, hoc est, ad umbras dividendas ab lumine. Tandem seipsa ars distinxit, & invenit lumen atque umbras differentia colorum alterna vice se excitante. Deinde adjectus est splendor. Alius hic quam lumen, quem, quia inter umbram & lumen esset, appellarunt *Tonum*; Commissuras vero colorum, & transitus, *Armogen.* Colores, quibus pictores utuntur, Poetæ *Ustos* vocant. Ovidius lib. IV. *Fastorum*:

— *& picta coloribus ustis.*

Lib. III.

Quique moves cælum tabulasque coloribus ustis. Quia utplurimum certis medicamentis adhibito igne fiebant colores. Lucianus in *Iconibus*, εἰκόνα οὐκ ἐπικεχρῶσθαι μόνον, ἀλλὰ ἐς βάθος δυσεκπλύτοις τισὶ φαρμάκοις ἐς χόρον καταβαφεῖσαν, *imaginem non modo coloratam esse, sed in profundum venenis quibusdam inficientibus, quod satis est, infectam.* Usti colores dicti, quia materiæ quædam urebantur, ut colores fierent. Theophrastus lib. *de Lapidibus* scribit ochram in rubricam mutatam incendio tabernæ. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* VI. Nunc omnis cerussa ex plumbo & aceto fit. Usta, casu reperta incendio Piræei, cerussa in orcis cremata. Hac primum usus est Nicias. Fit & Romæ cremato sile marmoroso, & restincto aceto. Sine usta non fiunt umbræ. Sandaracha, cujus color proprie fulvus, adulterina fit ex cerussa in fornace cocta. Hæc si torreatur, æqua parte rubrica admista, sandicem faciet. Polygnotus & Mycon, celeberrimi pictores Athenis, e vinaceis tryginon fecere. Apud Plinium *lib.* XXXV. *cap.* VI. Ex fæce vini siccata, excocta, fit atramentum Indici speciе. Apelles commentus est ex ebore combusto facere, quod elephantinum vocant. Is color nigerrimus est. Omnes pene factitii colores igne fiunt, ideo colores usti ab ingeniosissimo Poeta vocantur. Atramentum pictores faciunt vel ex fuligine olei nucum, vel ex ebore cremato, vel, quod est præstantissimum, ex ossibus Persicorum ustis. Melanteriam Dioscorides vocat atramentum metallicum, & nativum. Ex sanguine sepiæ addito tantillo aluminis fit optimum atramentum. Hysginum primum cocco tingitur, deinde purpura Tyria. Hysginum proprie arbuscula, quam vaccinium Plinius vocat. Vaccinii lignum Interpres Nicandri ξανθόντῳ χρώματι εἶναι, *flavum colore esse* ait fructum nigrum, πρὸς τὸ βαφεῖν ἐπιτήδειον. Certum est optimos & tenacissimos colores adhibito igne fieri. Vidi ex hydrargyro, & ferri bracteolis, ex chalcantho, ex ære, ex plumbo vi ignis rubrum effici, quo nullus color nativus esset tenacior, aut penetrabilior.

CAP. V.

RURSUS DE COLORIBUS.

Ad ea, quæ de coloribus diximus, adjungito, si lubet, quæ Isidorus habet *lib.* XIX. *c.* XVII. & XXVIII. Apud Suidam, φαιὸν χρῶμα σύνθετον ἐκ μέλανος καὶ λευκοῦ, ἤγουν μυϊνον, *fuscus color mustelinus, ex nigro & albo conflatus.* Colorum enim alii sunt simplices, alii contrarii, quidam compositi, quorum alii ad album accedunt, ut flavum; alii ad nigrum, ut cyaneum; alii sunt intermedii, ut ruber, pullus. ὧν τινὰ ἐγγυτέρω τοῦ λευκοῦ, ὡς τὸ ξανθόν, τὰ δὲ τοῦ μέλανος, ὡς τὸ κυανοῦν, τὰ δὲ λοιπὰ μεταξὺ τούτων οἷον τὸ ἐρυθρὸν φαιόν. Philo *de Vita Mosis* hyacinthum, purpuram, byssum, coccinum ponit, & aureum. ἡ δ' ἐπωμὶς κατεσκευάζετο ὑακίνθῳ, καὶ πορφύρᾳ, καὶ βύσσῳ, καὶ κοκκίνῳ, συγκαταπλεκομένου χρυσοῦ. Color myrteus in crinibus medius inter flavum & nigrum, ὑπόκιρρος, *subrufus.* Apud Plinium amomi fructus myrteolus. Vet. Glos. πυρρὸς, *russeus, rubeus, rufus. Milesia*, II. Apul. *Russea fasciola.* Petronius, *Tunica vestitum russea.* Varro lib. II. *de Re Rustica*: colorem rubrum, helvum, album ponit. Apud Hesychium, κεκολλυρωμένον, λευκῷ κεχειμένον, τὸ ἀρ ... χρώματος εἶδος, ὅπερ ἡμεῖς ἀρσενικὸν λέγομεν. Pictores, ait Plinius, ex omnibus coloribus Cretulam amant, Purpurissum, *escarlatin*, Indicum, seu nigrum, Cæreleum, *bleu*; Melinum, *blanc mineral*; Auripigmentum, *orpimant*; Appianum, *couleur verte*; Cerussam, *blanc.* Apelles, Echion, Melanthus, Nicomachus quatuor coloribus Solis immortalia opera facere, ex albis Melino, ex silaceis *(jaunes)* Attico, ex rubris sinopide Pontica, ex nigris atramento. Nunc & purpuræ in parietes migrant, & India confert fluviorum suorum limum, & draconum, & elephantorum saniem. Apud Virgilium sandix non est herba, ut vult Plinius, sed coloris nomen ex cerussa adusta:

Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Color ater, anthracinus, furvus, color æneus, *de bronze*. Buxeus dilutior est luteo. Byssinus aureo proximus. Pollux βύσσινον ἀμφέχειν; alii byssinum album. Cereus, cerinus, color murinus, cinereus. Color citreus. Coracinus, fuscus, aquilus, φαιὸς, κελαινοφαής Aristophani, ἄθοψ. Impluviatus, seu Mutinensis, & fuligineus. Luridus vero, *brun*, pullus, prasinus, ravus, χαροπὸς, *fauve*, scutulatus, *pommelé*. Venetus, thalassinus. Ovidius lib. III. *Artis* alios colores habet:

Aeris ecce color, tunc cum sine nubibus aer
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis:
Ille crocum simulat.
Hic Paphias myrtos, hic purpureos amethystos,
Albentesve rosas, Threiciamque gruem.

Luteus color, cereus, puniceus, purpureus, prasinus, Venetus, cæruleus, Janthinus, Xerampelinus, amethystinus. Plinius: Coccus rosis micat in purpuris Tyriis, amethystus in viola, conchylium in heliotropio. Cinnabaris fit e dracone & barro elephante. Puniceus color valde rubens, ut roseus, sanguineus, fit e frutice, unde coccus est. Eustat. φοινικὴν χρῶμα κατακόρως πυρρὸν, οἷον ῥόδεον καὶ αἱμοθαρές. ἐκ καρποῦ πρίνου γίνεται τὸ φοινικοῦν χρῶμα. Ex fructu ilicis fit Phœniceus color. Cæcilius: Carbasina, Molochina, Ampelina. Virgilius:

Spadices, glaucique color deterrimus albis,
Et gilvo.

Vitruvius *lib.* VII. *cap.* VII. de minio & coloribus: Creta viridis dicitur Θεοδότιος, a Theodoto, in cujus agro optima naſcitur. Auripigmentum vocatur Arſenicum. Servius: Robus color Deorum. Nitela mus agreſtis robeus. Vide Gellium *lib.* II. *cap.* XXVI. Suaſum dicitur color, qui fit ex ſtillicidio fumoſo in veſtimento albo, ait Feſtus. Plautus in *Trucul.*

Quia tibi in ſuaſo infeciſti pallulam.

B Varro: Equi colores diſpares ita nati, hic badius, iſte gilvus, ille murinus. Firmicus lib. II. *Aſtron.* Color leucotheus, citrinus. Lege Plinium *lib.* II. *cap.* XIX. *lib.* XXVII. *cap.* IV. Veteres Gloſſæ, χλωρὸς, *gilvus*; θαψινὸν τὸ ξανθὸν, *flavum*. Heſychius; *δρυοβαφῆ ἱμάτια τὰ ὑπὸ τῦ κελύφυς τῦ δρυὸς βεβαμμένα. E quercu tinctæ veſtes, quæ cortice quercus, vel ilicis tinguntur.* Euſtathius: *κύανος χρῶμα τι μέλαν, μᾶλλον ἢ μέταλλον μελανίζον. Cyanus niger color, vel metallum nigro inficiens.* Alba felicia. Juvenalis:

—— *qui nigrum in candida vertunt.*

Alba dies Neronis. Appianus lib. V. *Alieut.*

Κήρυκα ἀργυφέοισιν ἐν εἵμασι.

CAP. VI.

DE CERIS INURENDIS.

RATIO inurendæ ceræ hodie nos fugit. Eam tamen diſerte exponit Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI. *Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat, cera, & in ebore ceſtro, id eſt, veruculo, donec claſſes pingi cœpere. Hoc tertium acceſſit reſolutis igne ceris, penicillo utendi; quæ pictura in navibus nec ſole, nec ſale, ventiſque corrumpitur.* Encauſtum igitur, cum ebur ceſtro ſcalpitur & inuritur. Ceſtrum eſt veruculum, ſeu ſcalprum ignitum, a καίω, *uro*. Ceræ tabulatis navium, aut liminibus januarum, affigebantur, extendebantur, deinde igne reſolvebantur, & veruculo ignito inurebantur, incidebantur, pingebantur, ut ſpecies quælibet pictura exprimi poſſent. Ceræ illæ variis coloribus erant incoctæ, tandem penicillus adhibebatur, ut ceræ liquefactæ diffunderentur, & coloribus imbuerentur. Quidam putant tabulata prius fuiſſe ſculpta, quam cera obtegerentur, & inurerentur; ſed veterum Auctorum nemo id ſignificat. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* VII. *Ex omnibus coloribus cretulam amant*, ita lege, *udoque illini recuſant; purpuriſſum, Indicum, cæruleum, melinum, auripigmentum, Appianum, ceruſſam. Ceræ tinguntur iiſdem his coloribus, ad eas picturas, quæ inuruntur alieno parietibus genere, ſed claſſibus familiari, jam vero & onerariis navibus. Quoniam & pericula pingimus*, (melius quam *expingimus*) *ne quis miretur & rogos pingi.* Ceram affigi tabulatis, immo etiam ipſis tholis & apſidibus templorum aut ædium oſtendit Procopius lib. I. *de ædific. Juſtiniani:* ἐναβρυνέται δὲ τῇ γραφαῖς ἡ ὀροφὴ πᾶσα ὐ τῷ κηρῷ ἐντακέντι καὶ διαχυθέντι ἐνταῦθα παγεῖσα, ἀλλ' ἐναρμοσθεῖσα ψηφῖσι λεπταῖς. *Tholus picturis non cera illiquefacta & diffuſa ibi affixus, ſed aptatus teſſellis tenuibus verſicoloribus.* Unde diſcas tholum, ſeu apſidem, & fornicem interdum affixum, & factum ex cera illiquefacta & diffuſa. Liqueſcere eam oportuit, veruculo ignito inuſtam, quo cera ipſis tabulatis affigeretur ad diuturnitatem. Statius:

Apelleæ cuperent te ſcribere ceræ.

Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI. dixit picturam inurere, pingere ceris, encauſticas picturas. De ceris verſicoloribus Seneca *epiſt.* CXXI. *Pictor colores, quos ad reddendam ſimilitudinem multos varioſque an-*

A *te ſe poſuit, celerrime denotat, & inter ceram & opuſque facili vultu, ac manu commeat.* Varro: *Loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ.* Apud Plutarchum ſunt *ſimulacrorum inuſtores, inauratores, & tinctores*, ἀγαλμάτων ἐγκαυσαὶ, καὶ χρυσωταὶ, καὶ βαφεῖς. Athenæus, & Scholiaſtes Theocriti, *Idyl.* I. vocant vaſa κεκηρογραφημένα χρώμασι παντοίοις, *picta cera omnis generis coloribus.* In *Catalectis* Virgilius:

Lætus Athenagoras natis feliciter uvis
De cera facta dat tibi poma Deus.

B Statius lib. I. *Achilleid.*

Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, ignemque manumque ſequuntur.

Ceræ igitur prius formabantur pollice artificis, deinde & ignem & manum ſequebantur, cum inurerentur. Sic fiunt hodie horti cerei penſiles cum fructibus iconicis, ſed non inuruntur. Plinius *lib.* II. *epiſt.*

Ut laus eſt ceræ mollis, cedenſque ſequatur
Si doctos digitos, juſſaque fiat opus.
Et nunc informet Martem, caſtamque Minervam.

C Euſebius: Κηρόχυτον γραφὴν vocat in *Vita Conſtantini Magni*; Καὶ οἱ μὲν σκιαγραφικῆς, καὶ κηροχύτυ γραφῆς ἄνθεσι, οἱ δὲ γλυφικῆς ὕλης ἀψύχυ ἀνδρείκελα σχήματα τεκταινόμενοι, οἱ δὲ κύρβεσι, καὶ στήλαις βαθείας γραμμὰς ἐγχαράξαντες. *Et alii picturis & floribus fuſæ ceræ, alii ſculpturis materiæ inanimæ figuras homini ſimiles fingentes, alii columnis & tabulis altas lineas inſcribentes.* Statius lib. III *Sylvarum*:

Te ſimilem doctæ referet mihi linea ceræ.

Lib. IV. *Antholog.* pag. 311,

—— νῦν δὲ σε κηρῷ
D Ηγαγεν εἰς μορφὴν αὖθις ὁ χαλκοτύπος.
—— *nunc te cera*
Deduxi rurſus ad formam priorem ſculptor.

Ibidem pag. 118. *de Medea*:

Μητέρα κἂν κηρῷ τεκνοφονοῦσαν ἔτι.
Matrem & in cera adhuc filios necantem.

Auſonius *epigramm.* XXVI. *de ceris*:

Hos ille Serum veſte contegi jubet,
Hos cælat argento gravi,
Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pegmata.

Ubi ceras, quibus limina & atria picta erant, inuſtas fuiſſe ait. Statius lib. III. *Sylvarum*:

E —— *tot ſcripto viventes limine ceras*
Fixiſti.

Igitur affixæ ceræ verſicolores foribus & liminibus igne liquefiebant, & diffundebantur veruculo ignito ac penicillo. Ceris pingere ac picturam inurere Ariſtides primus inſtituit, Praxiteles perfecit, ſed aliquanto vetuſtiores encauſticæ picturæ extitere, Polygnoti, Nicanoris, & Arceſilai Pariorum, ut ſcribit Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI. & *cap.* IV. & VII. Nicias ſcripſit ſe inuſſiſſe. Pauſias Sicyonius primus in hoc genere nobilis fuit. De cereis Veterum imaginibus idem *lib.* XXXV. *c.* II. Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſ- F ſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. Stemmata lineis diſcurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum. De Encauſto Martialis *lib.* IV. *epigramm.* XXXVI.

Encauſtus Phaeton tabula tibi pictus in hac eſt.

Unde & Phaetonta vocat Dipyron, & bis uſtum. Vitruvius Encauſtem vocat pictorem, quod facere ab Encauſte didicerat. Plinius *l.* XXXVI. *c.* XXV. figlinum opus encauſto pinxit. *Lib.* XXXV *cap.* XI. Lyſippus Æginæ picturæ ſuæ inſcripſit, ἐνέκαυσεν: quod profecto non feciſſet, niſi encauſtica inventa.

Cera verſicolor inuritur, & adhibito ignito veruculo liqueſcit, & peniculo diffunditur, ac pingitur, ut Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI. Alii apud Plinium *Encautem* legunt, ἐγκαύματα, ἐγκεκαυμένα. Monumenta civitatum Encauſta, & Encauteria, *l.* 8. *Cod. de agr. & cenſit.* Aliud eſt encauſtum ſacrum ex muricis cruore compoſitum *l.* 6. *Cod. de divers. reſcript.* Nonnulli putant, ceras inurere, nihil aliud eſſe, quam quod hodie vulgo uſurpatur. Pictores in linteo imagines, quas volunt, exprimunt, tum vero picem cum cera mixtam igne admoto liquent, & ferventem ſuper linteum in tabulato extenſam effundunt & extendunt arbitratu ſuo, imagines manent integræ & indelebiles, & linteum tabulato tam valide affigitur, ut avelli nequat. Sed aliter Veteres ceras inurebant. Veruculum & vermiculum Gloſſæ vocant cauterium, quo ceræ inuruntur.

CAP. VII.

RURSUS DE CERIS INURENDIS.

CERIS pingere, ac picturam inurere, qui primus excogitarit, non conſtat. Quidam Ariſtidis inventum putant, poſtea conſummatum a Praxitele ait Plin. *lib.* XXXV. *cap.* XI. Sed aliquanto vetuſtiores encauſticæ picturæ. Noſtra ætate fiunt quidem imagines cereæ pleni vel ſemipleni anaglyphi, *a demi boſſe, ou de plein relief*, ſed non inuruntur. Audi Philoſtratum in *Narciſſo*: Σὲ μὲν τὸ μειράκιον οὐ γραφή τις ἐξηπάτησεν, οὐδὲ χρώμασιν ἢ κηρῷ προσέτηκας, *Te quidem adoleſcentulum non aliqua pictura decepit, nec intabuiſti coloribus aut ceris*. Viginerius vir doctus ceras inurere nihil aliud eſſe quam ceras pingere & imprimere putat ſine veruculo, quemadmodum macula dicitur inuri: ſed ſupra oſtendimus non modo ceras in aheno incoqui coloribus, ſed præterea in tabulatis navium, & liminibus affixas igne admoto inuri. Martialis *lib.* IV. *epigr.* XXXVI.

Quid tibi vis Dipyron qui Phaetonta facis.

Vides Phaetontem in tabula ceris pictum & inuſtum eſſe. Athenæus *lib.* V. vocat κηρογραφίαν, in qua lineamenta vultus exprimebantur. Vitruvius *lib.* IV. *cap.* II. Tignorum præciſiones in fronte fixerunt, & eas cærulea depinxerant. Cera cærulea erat, quia cæruleis coloribus incocta. Marcianus *lib.* 33. *tit.* 7. *de inſtructo vel inſtrum. leg. l.* 17. Item pictoris inſtrumento legato, ceræ, colores, ſimiliaque harum rerum legato cedunt, item peniculi, cauteria, & conchæ. Cauteria vocat, quibus ceris pingentes picturam tabularum inurebant. Ovidius dixit lib. IV. *Faſt.*

Et picta coloribus uſtis.

Paulus lib. III. *Sentent.* c. VI. dixit temperandorum colorum vaſa. Encaute picturæ genus, a quo monumenta civitatis encauta & encauteria dicuntur, *l.* 9. *Cod. de agricolis*. Εγκαυστής, *inuſtor*. Encauſtum eſt materia inuſta ad pingendum apta. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI. Figlinum opus encauſto pinxit. Pauſiam non pinxiſſe tantum encauſtica, ſed etiam docuiſſe traditur. Εγκαυστικὴ τέχνη. Interdum ceram non inurebant, ſed ut & nos hodie ex ea homines & boves fingebant. Lucianus in *Somnio*: Ἀποξέων τὸν κηρὸν, ἢ βόας, ἢ ἵππους, ἢ καὶ νὴ Δία ἀνθρώπους ἀνέπλαττον. *Radens ceram, aut boves, aut equos, aut per Jovem homines fingebam*. Herodianus *lib.* IV κηροῦ πλασάμενοι εἰκόνα, *quum imaginem e cera pinxiſſent*. Plin. *lib.* XXI. *cap.* XIV. ſcribit ceram in varios colores pigmentis trahi ad reddendas ſimilitudines. Pictores ex omnibus coloribus cretulam amant, Purpuriſſum, Gallice *eſcarlatin*; Indicum, *noir*; Cæruleum, *bleu*; Melinum, *blanc mineral*; Auripigmentum, *janne*; Appianum, *vert*; Ceruſſam, *blanc*. Κηρογραφία pictura quæ ceris fit: κηροπλάστης qui ex cera imagines facit. Athenæus *lib.* XIII. κηροπλαστήσας ἔρωτα ὑπόπτερον, *fingens cera amorem alatum*: κηροχυτέω, *ceram liquo*. Vide quid ſibi velit Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XII. *Dibutades hominis imaginem gypſo e facie ipſa primus omnium expreſſit, ceraque in eam formam gypſi infuſa emendare inſtituit*. Videtur fuiſſe encauſti genus, quia ceram liquefactam immiſit in formam gypſi. Apulejus: *Encauſticen oppido exercens ſe & duos filios ſuſtentabat*. Vitruvius, quod facere ab encauſte didicerat. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI. Hoc genus picturæ primus Nicias in uſu habuit. Librarium atramentum vulgo dicitur *encre, inchioſtro*, encauſtum. Nonnulli putant encauſtum eſſe nigrum illud quod fit e fumo picis reſinæ, terebinthi, & ceram inuri quæ nigro illo perfunditur. Alii cenſent nigrum illud eſſe quo tabulæ æreæ cælatæ picturis elegantibus imprimuntur, *les planches de cuivre en taille douce*. Quod nigrum temperatur fæcibus vini rubri, & nucleis mali Perſici uſtis, aut ebore uſto, quod cæteris nigrius eſt, & hoc nigrum illini planis albis, *ce noir ſe met ſeulement en champ blanc*. Romæ multa veſtibula & propylæa domuum hoc colore inuſta a Polydoro egregio noſtri ævi pictore viſuntur. Sed omnino aliter Veteres ceras inurebant. Briſſonius putat cauteria eſſe apud Martianum, quibus in encauſtica pictura ad colores ceris inurendos utebantur. Sed imagines in cera cauterio & vericulo inurebantur, non colores. Perotus exiſtimat tabulas in quibus cera inureretur fuiſſe ſculptas & exſculptas. Mox cera cum oleo liquefacta inducta ſupra tabulas, iterumque admotis gallæ carbonibus aduſta ad ſudorem uſque, poſtea candelis ſubigebatur, deinde linteis puris, ut marmoris inſtar nireſcerent. Hæc pictura nec ſole nec ſale ventiſque corrumpitur. Sed alia fuit Veteribus cerarum inuſtio. Encauſtum Imperatorum *l. ſacri. C. de diverſis reſcr.* ita factum. Purpuræ ſeu conchylii ſanguis terebatur in pulverem, & decoquebatur, inde refecta materia liquida, & denſa ſcriptioni apta, quod dicitur encauſtum. Lex, ſacri afflatus non alio vultu penitus, aut colore, niſi purpurea tantummodo inſcriptione luſtrentur, ſcilicet ut cocti muricis & triti conchylii ardore luſtrentur. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI dixit encauſto pingi, aut in ebore ceſtro, cum veruculo ignito ebur inureretur. Lala Cyzicena perpetua virgo M. Varronis juventa, & penicillo pinxit, & ceſtro in ebore, imagines mulierum maxime, ait Plinius.

CAP. VIII.

DE MUSIVARIIS.

DE muſivariis, & opere muſivo res impedita eſt, & a nemine, quod ſciam, adhuc ſatis expedita. Joſephus Scaliger *ad librum* V. *Manilii*, & Caſaubonus *ad lib.* I. *Suetonii cap.* XLVI. Muſivum opus de pavimento ſectili & teſſellato exaudiunt. Alii de pictura, qua fornices, apſides, cameræ, tholi, trulli, teſtudines templorum, porticuum, & Regiarum exornantur. Ego vero muſivum opus de omnibus ſigillis, imaginibus, exemplis, quæ ex teſſellis, ac ſcutulis marmoreis, aut ex hyacinthis, unionibus, carbunculis, & aliis gemmis, lapilliſque conſtruuntur, interpretor. Scribit enim Pollio in *Tetrico juniore*, Tetricos obtuliſſe Aureliano civicam coronam de Muſæo picturatam, id eſt, ſigillis, & imagunculis ex unionibus, ſmaragdis, & carbunculis ornatam, & Codinus in *Conſtantinopoli*, ὑποδήματα μουσάκια, calceos Imperatorum de muſivo pictos, quod cum eſſent purpurei, aquila in eis ex gemmis & unionibus conflata

esset. Phranses enim in excidio Constantinopol. prodit Constantinum Imperat. postremum inter mortuos jacentem agnitum ex calceis, in quibus aquila aurea, vel gemmis structa Satyrus lib. IV. *Græc. Epigram.* de se dicit,

—— πῶς ἐκ λίθυ ἄλλοθεν ἄλλης
Συμφερτὸς γενόμλω ἐξαπίνης σάτυρος.

Vide *quomodo ex variis lapillis statim Satyrus coagmentatus sum.* Apud Procopium in *Gotthico* leges Theodorici Regis sigilli, quod ex gemmis fictum erat, in excessu ejus caput diffluxisse, ventrem, pectus, & brachia in obitu Amalasunthæ filiæ ejus, femora, & pedes dilapsos obeunte Athanarico. Augustus in Larario sigillum habuit Marcelli nepotis ex lapillis pretiosis factum, quod sæpe exosculabatur. Ea sigilla de musivo picta erant. Sæpius tamen musiva dicuntur de pavimento tessellato, & de crustis marmoreis, quibus parietes & apsides opere vermiculato ad imagines rerum & animalium ornantur.

Sed ut de pavimento primum agamus, Plinii verba hæc sunt *lib.* XXXVI. *c.* XXV. *Pavimenta originem apud Græcos habent, elaborata arte, ratione picturæ, donec lithostrota expulere ea.* Vult lateres coctiles varie pictos fuisse ante lithostrota. Glossæ MS. Domini Catelli Senatoris Tholosani V Clar. lithostrota pavimenta esse ajunt elaborata arte picturæ, parvulis crustis ac tesseris tinctis in varios colores. Plinius *lib.* XXXVI. *c.* XXV. Lithostrota cœptavere sub Sylla parvulis certe crustis. Varro lib. III. *de R. R.* pavimenta lithostrotis spectanda fuisse. Capitolinus in *Gordiano*, qui instituerat porticum, cujus medium lithostroton brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille. In Sacris Literis apud *S. Joannem* lithostroton dicitur judicii locus, quod Hebræi vocant cubiculum cæsuræ, quia ex cæsis marmoribus stratum esset. Ita dixit Apulejus: *Pavimenta ipsa lapide pretioso cæsim deminuto in varia picturæ genera discriminantur.* Sueton. *lib.* I. *c.* XLVI. Julium Cæsarem pavimenta sectilia tessellata secum in castris semper circumtulisse prodit. Neronis cubicula viatoria unionibus structa fuisse docet Plin. *lib.* XXXVII. Latini vocarunt emblemata & scutulas. Vetus Poeta,

Quam lepidæ lexes compostæ ut tesserulæ omnes,
Arte pavimenti, atque emblemate vermiculato.

Græci recentiores tessellam μύσλω vocarunt. In typico Sabæ, σαίρυσιν αὐτ̃ διὰ μύσης καθαρωτάτης, *verrunt eam per tessellam purissimam.* Unde & Codinus in *Constantinopoli*, μυσείωμα dixit. Plinius *lib.* XXXV. *c.* I. abacos vocat, ut & Vitruv. *lib.* VII. *c.* III. Athenæus ἀβάκια, ἀβακίσκυς ἐκ παντοίων λίθων συγκειμένυς, *abacos ex omni lapidum genere conflatos.* Alii ψήφυς, καὶ ψηφίδας, *laterculos*, unde ψηφολογία, ψηφοβολία, ψηφοτέθημα, *tessellatum opus*, & χονδροβολίας ἔδαφος, pavimentum ex granis, & quasi punctis conflatum, cujusmodi Nemausi in fano Dianæ visitur. Nicetas Choniates πλάκας ῥανίσιν ἐστιγμένας πολυχρόοις, *scutulas guttis versicoloribus distinctas*, unde & Zonaras in *Constantino Magno*, παλκωτὸν ἀγορὰν, *forum tessellis stratum.* Tessellas Anastasius vocat, platinas, & laminas, Palladius in *Majo*, tabellas & paginas. Pavimentum illud dicitur & asaroton, de quo Plin. *lib.* XXXVI. *c.* XXV. *Celeberrimus in hoc genere fuit Sosus, qui Pergami stravit quem vocant asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent veluti relicta fecerat parvis e testulis, tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans, apricantur aliæ scabentes se in canthari labro.* Sidonius asaroticos lapillos nuncupat, de quibus Statius in *Tiburtino Manlii:*

Calcabam nec opinus opes, quum splendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera testæ,
Monstravere solum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superantque novis Asarota figuris.

Anastasius Biblioth. Platonias vocat in *Leone* III. Super lilios ex metallis marmoreis Platoniam. In *Sixto* III. fecit Platoniam in cœmeterio Callisti. Platoniam vocat a platinis, seu tessellis. Recentiores Græci πάτωσιν & πάτον indigetant. Codinus in *Constantinop.* τ̃ ἢ πάτον διὰ ποικίλων καὶ πολυτελῶν μαρμάρων ἔστρωσεν. Item: ἐπάτωσε τὰς αὐτὰς πτεριπάτυς διὰ συγκοπῆς. Pavimentum variis & pretiosis marmoribus stravit. Lapide cæsim deminuto pavimentum stravit. Pavimenta autem imaginibus de musivo ornari ostendit Galenus in *exhortatione ad artes:* τὸ ἔδαφος ἐκ λίθων πολυτελῶν συγκεῖσθαι θεῶν εἰκόνας ἐξ αὐτῶν τετυπωμένας ἔχον, *pavimentum ex lapidibus pretiosis stratum, in quo ex iisdem vultus Deorum expressi.* Artifices proprie dicti Tessellatores, ψηφοθέται. Parietes autem ex tessellis marmoreis de musivo pingi, quibus operiuntur, ostendam, si prius docuero, marmorarios fuisse, & parietum instructores. Cassiodorus *lib.* VII. *epist.* V. *Quidquid parietum instructor, marmorum scalptor, æris fusor, camerum rotator, gypsoplastes, musivarius ignorat.* Græci vocant ὀρθοστρώσεις, ὀρθομαρμαρώσεις, ὀρθοστρώτυς οἴκυς. Parietes igitur vestiri marmoreis crustis testatur Seneca lib. II. *Controv.* I. In hos ergo exitus varius ille lapis secatur, ut tenui fronte parietes tegat. Idem *ep.* LXXXVII. Pauper sibi videtur ac sordibus, nisi parietes magnis ac pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint. Unde Juvenalis orbem Lacedæmonium interpretari possis, de quo Grammatici inter se rixantur:

Et Lacedæmonium pitysmate lubricat orbem.

Quamquam & hic orbis in pavimento, vel etiam in Delphica mensa esse potuit. Plinius *lib.* XXXV. *c.* I. Auro ut parietes toti operiantur, verum & intercæso marmore vermiculatis, ad effigies rerum & animantium crustis. Numidicis autem orbibus parietes opertos conjicies ex Statio in *Balneo Hetrusci:*

Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys.

In *Surrentino Pollii:*

Una tamen cunctis procul eminet, una diætis,
Qua Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,
Et Chios, & fluctus gaudens spectare Carystos.

Immo & marmora ipsa pinxerunt. Crustas autem & testas marmorum vermiculatas fuisse ad imagines rerum & animalium in parietibus, supra ex Plinio docuimus. Nicetas in *Joanne Comneno:* οἱ ἐν τοῖς τοίχοις διὰ ψηφίδων καὶ χρωμάτων εἰκονιζόμενοι, *qui in parietibus per tesseras & colores exprimuntur.* Philo *de Cain:* Καθάπερ κονιάματα, καὶ γραφαὶ, καὶ πινάκια, καὶ λίθων πολυτελῶν διαθέσεις, αἷς ὐ μόνον τοίχυς, ἀλλὰ καὶ τὰ ἔδαφη ποικίλλυσι. *Albarium opus, & picturæ, & tabulæ, & pretiosorum lapidum dispositiones, quibus non tantum parietes, verum & pavimenta varie distinguunt.* Picta marmora testulis ac crustis Anastasius Biblioth. vocat marmora imaginata, & marmora in exemplis, in *Leone* III. Ponens in eo fundamenta firmissima in circuitu laminis marmoreis ornavit, & marmoribus in exemplis stravit. *Ep.* LXVII. Pontificum, quod palatii Ravennatis civitatis musiva, atque marmora, cæteraque exempla tam in strato, quam in parietibus sita

vobis tribueremus. Nicetas Choniates *lib.* III. vocat τυπώματα διὰ ψηφίδων. In *Isacio Angelo*: τὰ διὰ ψηφίδων ποικιλοχρόων ἔκτυπα, *imagines per tessellas versicolores*. Interdum aut purpura, aut Indico parietes depicti sunt. Plin. *lib.* XXXVI. *c.* XXV. *Nunc & purpuris in parietes migrantibus, & India fluviorum suorum limum, & draconum, & elephantorum, nulla nobilis pictura est.* Supereſt, ut de apsidibus & cameris dicamus. Quidam volunt, quemadmodum hodie, apsides Ecclesiarum, & fornices, ac tholi variis picturis exornantur, ita olim cameras, testudines, fastigia, trullos auro, purpura, encausto, minio Indico pingi solitos, quæ pictura musivi diceretur. Quare Statius in *Tiburtino Manlii* dixerit:

—— labor est auri numerare figuras.

Sed bractearii & inauratores, qui auro fornices illinebant, alii fuere a musivariis; parietes autem, non tantum apsides purpura pingebantur, dicente Plinio, nunc purpuris in parietes migrantibus, item encausto, coloribus ustis, minio Indico parietes picti. Vitruv. *lib.* I. *c.* V. nunc passim toti parietes minio inducuntur. Figlina opera encausto, apud Plinium *lib.* XXXVI. *c.* XXV. Agrippa figlinum opus encausto pinxit. Qui pingerent Indico, dicti sunt Indicoplastæ, non musivarii; qui coloribus lucem adderent, dicti στιλβωταὶ, & coloratores. Sequitur itaque, musivarios fuisse, qui solum, seu stratum, parietes, & apsides tesseris, ac scutulis marmoreis ad effigies rerum & animantium vermicularent. Quare Vitruv. *lib.* I. *c.* VII. dixit: Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere ex vitro. Sed diserte Procopius lib. I. *de ædific. Justiniani*: Ἐναβρύνεται δὲ ταῖς γραφαῖς ἡ ὀροφὴ πᾶσα, οὐ τῷ κηρῷ ἐντακέντι καὶ διαχυθέντι ἐνταῦθα παγεῖσα, ἀλλ' ἐναρμοσθεῖσα ψηφῖσι λεπταῖς τε, καὶ χρώμασι ὡραϊσμέναις παντοδαπαῖς, αἳ δὴ τά τ' ἄλλα καὶ ἀνθρώπους ἀπομιμοῦνται. *Omne fastigium excultum est picturis non cera infusa & diffusa eo loci fixum, sed tessellis minutis in omne genus colores tinctis aptatum, quæ & res alias & homines imitantur.* Id genus musivi describitur a Manilio *lib.* V.

Artifices auri faciet, qui mille figuris
Vertere opus possint, caræque acquirere dotem
Materiæ, & varios lapidum miscere colores.
Sculpentem faciet sanctis laquearia templis,
Condentemque novum cælum per tecta tonantis.

Eodem argumento Julius Firmicus *lib.* IV. *c.* XV. dixit: *Bractearios faciet, musivarios, pictores.* Ubi discrimen statuit inter musivarios & pictores. Item: *Faciet aurifices, & ex auro vestes pingentes, aut inauratores, aut musivarios.* Symmach. *lib.* VI. *ep.* XLIX. *In minoribus balneis piscinalem picturis potius, quam musivo excoli non probavi.* Idem *lib.* VIII. *ep.* XLI. Musivum cameris adhiberi ostendit: *Novum, inquit, musivi genus reperisti, quod etiam nostra ruditas ornandis cameris tentabit affigere, si vel in tabulis, vel in tegulis exemplum de te præmeditati operis sumpserimus.* Theodosius & Valentinian. A. A. *lib.* X. *C.* musivarios artifices commemorant. Sæpe bractearii cum musivariis conjungebantur. Petrus de Natalibus basilicam antiquo musivi, & auri opere exstructam scribit. Anastasius in *Leone* IV. oraculum pulcris marmoribus circumdans, apsidam ejus ex musivo decoravit, aureo superinducto colore. Idem in *Leone* III. Ædificavit Ecclesiam cum apsida amplissima, & cacumina magnifica de musivo. Ibidem: Fecit in triclinio majori miræ pulcritudinis decoratam apsidam, de musivo ornatam. In *Hilaro* dixit ornare ex musivo, depingere musivo. In *Benedicto* III. pictura musivi decorare. In *Zacharia*: musivo &

A pictura ornare. Quod autem Spartianus ait: In Commodianis hortis in porticu curva, Pescennium de musivo pictum inter Commodi amicissimos, Isidis sacra ferentem, existimo musivum illud non in cameræ fastigio, sed in pariete expressum, ut facile in oculos incurreret. Gregorius Turonensis, & Æmonius Monachus musivi mentionem sæpe faciunt. Coronæ Hetruscæ auro illinebantur, quales fuere deducentium thensas, apud Tertullian. lib. *de corona militis*. Locus Varronis, quem supra notavimus *lib.* III. *de Re Rust.* sic habet: *Quum*
B *villas haberes opere tectorio, & intestino, ac pavimentis, nobilibusque lithostrotis spectandas.* Tertullian. lib. *de corona militis*: Præferuntur etiam Hetruscæ. Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes, ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt. Plin. *lib.* XXXIII. *c.* I. Corona triumphantis ex auro Hetrusca sustinebatur a tergo. Apud eundem *lib.* XXXVII. *cap.* II. Pompejus in triumpho Pontico transtulit coronas ex margaritis triginta tres, musæum ex margaritis, in cujus fastigio horologium erat. Imago Cn Pompeii e margaritis Regio honore grata. Sed ut ad pavimenta redea-
C mus, Cicero *pro domo sua*, dixit porticum suam fuisse pavimentatam, λιθόστρωτον, ut loquitur Eustathius *Odyss.* x. quia ἡ λίθος, καὶ ὁ λίθος de lapide pretioso dicitur. Athenæus *lib.* V. abacos vocat tessellas sectiles, emblemata, insertas. ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων. οὐ μόνον ἐπὶ σανίδος ὁ ἄβαξ ἢ ἀβάκιον, ἀλλ' ἰδοὺ, καὶ ἐπὶ λίθων ὁμοιοσχημόνων ξυλίνοις ἄβαξι. *Hæc omnia pavimentum habuit in tessellis sectilibus compositum ex lapillis omnis generis. Non modo de tabula dicitur abacus, sed etiam de lapillis, qui sint similes abacis ligneis.* Μουσιοῦν est variegare, μουσίωμα opus varium, & musivum, μουσεῖον, μουσαϊκόν. Inde vox, amussitatum opus, ad amussim politum,
D & amussis ipsa a Musis dicta. Barbaricarii ea opera factitarunt. Lucretius *lib.* II. de Phrygionibus:

Jam tibi barbaricæ vestes.

Horatius:

Jactave barbarica Cybeles antistite buxo.

Virgilius:

Barbarico postes auro spoliisque relucent.

Glossæ Isidori, Barbarica dicta omnia subtiliter ornata. Vitruv. *lib.* VII. *c.* I. Pavimentum si tesseris structum erit, ut omnes angulos habeant æquales,
E nullibique a fricatura extantes: earum enim usum retinebant tum modicæ fortunæ viri, deinde quadris, seu scutulis adjecere scutulas, & orbes, seu specula, & δέλτωτα, id est, *segmenta triquetra*, *& favos*, id est, sexangula. Plinius *lib.* XXXV. *c.* I. Neronis tempore inventum maculas, quæ non essent in crustis, inserendo unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, (natura ruber) qualiter illis nasci optarent deliciæ. Scaliger ovatum intelligit marmor ovali forma pavimento inclusum. Malim ovatum lutei, seu vitelli ovi colore. Persius autem ovatum triumphorum & ovationum dixit:

Auro quod ovato perducis facies.

F Isidorus: Numidicum marmor Numidia mittit, ad cutim fucum dimittit croco similem, vel succum. Philostrat. in *Apollonio* lib. II. c. XI. τὸ δὲ ἔδος αὐτὸ μαργαρίτιδος σύγκειται ξυμβολικὸν τρόπον, *pavimentum ipsum e margaritis constat insertis.* Plinius, Vermiculatas ad effigies rerum & animalium crustas. Vermiculus est scalpellum, seu veruculum sculptorum. Gloss. ὀβελίσκος, *vermiculus*, *subula*, ut Suidas, & Etymologicum. Vermiculatus, id est, sculptus. Gloss. χονδροβολίας ἔδαφος. Ni-

cetas, *τυπώματα διὰ ψηφίδων*, *effigies ex teſſellis*. Apud Athenæum *lib.* v. In pavimento Hieronis deſcripta Ilias. *ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον, ἐκ παντων λίθων, ἐν οἷς κατεσκευασμένος πᾶς ὁ περὶ τὴν Ἰλιάδα μῦθος*. *Iſta omnia ſolum habuit ex teſſellis omnis generis lapidum, in quibus fabulæ omnes Iliadis expreſſæ*. Galenus in *exhortatione ad artes*: *τὸ δ᾽ ἔδαφος ἐκ λίθων πολυτελῶν συγκεῖσθαι θεῶν εἰκόνας ἐξ ἔχον αὐτῶν διατετυπωμένας*, *pavimentum ſtratum lapillis pretioſis, ex quibus Deorum imagines expreſſæ*. Procopius lib. I. *de ædific. Juſtiniani*:

> Εὐχρωσθεῖσα ψηφῖσι λεπταῖς, καὶ χρώμασι ὡραϊσμέναις
> Παντοδαπαῖς, αἳ δή τ᾽ ἄλλα καὶ ἀνθρώπους ἀπομιμοῦνται.

Colorata teſtis tenuibus, quæ ornatæ erant coloribus omnis generis, quæque & homines & res alias imitantur. Plinius; Non placent jam abaci, ut ſpatia montis in cubiculo delitentia, cœpimus & lapidem pingere, hoc Claudii principatu inventum. Seneca *ep.* LXXX. LXXXVI. Illis undique operoſa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur. Gellius *lib.* XVII. *c.* IV. P. Mimus emblema vertit *inſertam*. Diximus ſupra ex Plin. Pompeii imaginem fuiſſe ex gemmis; *lib.* XXXVII. *c.* II. Margaritis, Magne, tam prodiga re, & fœminis reperta, fieri tuos vultus? ſic te pretioſum videri. Sed ad pavimenta redeamus. Platoniæ dicuntur pavimenta teſſellata, Græci *πλακωτὰ* vocant, *πλάξ cruſta*. Anaſtaſius: Sixtus III. Platonias porphyreticas poſuit. Apud Sidonium *lib.* II. *ep.* X. bracteatum lacunar dicitur bracteis auri opertum:

> *Intus lux micat, atque bracteatum*
> *Sol ſic ſollicitatur ad lacunar,*
> *Fulvo ut concolor erret in metallo.*

Muſivum deſcribit *ibidem*;

> *Diſtinctum vario nitore marmor*
> *Percurrit cameram, ſolum, feneſtras,*
> *Ac ſub verſicoloribus figuris,*
> *Vernans herbida cruſta ſaphyratos*
> *Flectit per praſinum vitrum lapillos*, &c.
> *Et campum medium procul locatas*
> *Veſtit ſaxea ſylva per columnas.*

Euſebius lib. IV. *de Vita Conſtantini*, de baſilica ſanctorum Petri & Pauli, *λίθων ποικιλίαις ἀπαύγων ἐξαστράπτοντα νεὼν ἐποίει, εἰς αὐτὸν ὄροφον ἐξ ἐδάφους πλακώσας*, *templum omnis generis lapillorum varietate fulgurans effecit a ſolo ad ſummum faſtigium teſſellis & ſcutulis exornans*. Conſtantinus Manaſſes de Juſtiniani opere;

> Τὸν μέγαν οἶκον τὸν λαμπρὸν τὸν ἐν τοῖς ἀνακτόροις,
> Χρυσέων πυραυγήμασι ψηφίδων καταυγήσας τοὺς τοίχους,
> Καὶ τὸ δάπεδον μαρμάροις καλλιχρύσοις.
> *Magnam domum ſplendidam in palatio illuſtrans,*
> *Aurearum teſtularum ſplendoribus parietes,*
> *Et pavimentum marmoribus auro vinctis.*

Paulinus:

> *Rident inſcriptum camera criſpante lacunar.*

Ariſteas in *Hiſtor.* LXX. *Interpretum*, ait Ptolemæum Regem menſam e ſolido auro ad uſum templi faciendam curaſſe, in qua coronula ex lapillis & gemmis omni fructuum genere contexta, ut in ipſis coronæ uvis colligatas uvas, ſpicas, palmulas, mala, oleas, roſas videres; in quibus nexi auro lapides, qui colore ſpecieque fructus quoſque redderent. Carbunculus lapis in circuitu palmi unius extendebatur, ex quo hedera aſſurgit, quæ florido acantho innexa viti implicatur, quæ cum una pendentibus undique racemis ad ſummum uſque circumambit, ut levi aura frondium crepitum exaudias, referentibus ſingulis verarum imagines rerum. Supra crateres Meander fluvius unius cubiti altitudine ambit, lapidum varietate, & pulcritudine cuncta implicans. Apponam hic locum alium de muſivo opere ex Jacobi Pinti *lib.* III. *tit.* 4 de Chriſto crucifixo, quem mihi indicavit Baltazar de Bus Societatis JESU Presbyter, vir doctus, & educumati judicii. Jacobus igitur Pintus ſcribit, in Sardinia in Turriano templo nuper effoſſo repertum pavimentum muſivi operis vermiculati pulcherrimum, & quatuor monumenta, Gaudentii, Luxorii, Juſtini, atque Florentii, Epiſcoporum, cum ſuis epitaphiis, ex ipſo eodem muſivo opere teſſellato appictis, floribuſque, vaſis, & avibus ejuſdem operis ſpecioſiſſime intertextis. Sub altari confeſſionis ſubterraneo arcus inſignis repertus eſt operis muſivi, longus decem palmos, & quatuor latus, ſemicircularis, omnigenis floribus, roſis, avibus intertextus, cujus pavimentum lithoſtrotum muſivi operis teſſellatum. Erant & picturæ crucis, agnorum, columbarum, iconicæ operis muſivi vermiculati. In ipſo conditorii medio elegans juvenis ſpecies ad vivum effıcta ejuſdem muſivi operis, cum agno humeris impoſito. Idem Baltazar de Bus mihi amiciſſimus indicavit locum ex Tomo II. Villalpandi *explanat.* part. II. *in Ezech. c.* XL. *lib.* III. *c.* XXIII. ad hæc verba: Et pavimentum ſtratum lapide in atrio per circuitum. Hebraice סביב סביב ורצפה עשוי לחצר *Veritſpa ghaſui lechatſer ſabib-ſabib*, id eſt, *& pavimentum factum atrio circumcirca*. Vox *ritſpa* pavimentum ſignificat ignitis carbonibus, vel lapidibus ſtratum; *ritſpa* ignitum carbonem, *Iſai.* VI. Sed lib. I. *Eſther*, *ritſpa* ſignificat pavimentum lapide ſtratum. LXX. *λιθόστρωτον*, pavimentum ſmaragdino & Pario lapide ſtratum. Rabbi David: *Notum eſt*, inquit, *quod ſit pavimentum porphyreticum, & byſſinum*. Variabant pavimentum lapidibus. Apud Plinium *lib.* XXXVII. *c.* V. Juba, ait, ſmaragdum, qui dicitur *Colos*, in Arabia ædificiis includi. Et apud eumdem Theophraſtus ait, a Rege Babylonio miſſum ſmaragdum muneri Regi Ægypti, longum quatuor cubitos, latum in una parte quatuor cubitos, in alia duos. *Paralipom.* XXIX. David ait: *Ego præparavi impenſas domus Domini, aurum, lapides onychinos & quaſi ſtibinos, & diverſorum colorum, omnemque pretioſum lapidem, & marmor Patrium*. Hebræa ſic vertit Regius codex, *lapides onychis, & impletionum, lapides fuci, & variegationis*. Nihil magnificentius in opere muſivo cerni poteſt, quam quod viſitur hodieque Conſtantinopoli in templo S. Sophiæ, Romæ in æde S. Pauli, S. Agnetis, S. Cæciliæ, & in æde S. Mariæ majoris in ſacellis, quæ Sixtus V. & Paulus V. Pontifices exſtruxerunt. Sed nihil admirabilius, quam quod hodie viſitur Florentiæ in æde S. Laurentii, in ſacello ſubterraneo gentis Mediceæ. Quod ſupra poſui ex Procopio lib. *ædific. Juſtiniani*, paulo plenius adſcribam: *Faſtigium*, inquit, *picturis expolitum eſt ex tenuibus lapillis. Imitantur cum alia tum homines. Qualis autem pictura ſit, indicabo. Pugna eſt, & bellum, diripiuntur multæ urbes, hinc Italiæ, inde Libyæ. Vincit Juſtinianus. Accedit ad Regem dux integrum habens exercitum, tradit ſpolia, Reges, & regna. Stant in medio Rex & Regina, lætis ſimiles, & ob victoriam ferias agentibus. Vandalorum & Gotthorum Reges adveniunt, victi & captivi, circumſtat Romanorum Senatus, omnes ferias agentes. Hoc lapilli hilari plane & florida facie oſtentant*. Vide eodem loci cætera.

CAP. IX.

DE PICTORIBUS ET STATUARIIS CLARIS.

PICTURAM, cælaturam, ſtatuariam ab infima antiquitate repeti poſſe oſtendi, quum Seruch Abrahami avus ſtatuarius & ἀνδριαντοποιὸς fuerit. Horatius Parrhaſii ſtatuarii & Scopæ pictoris meminit *lib.* IV. *ode* VIII.

—— divite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas,
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Idem per marmora intelligit ſtatuas:

Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus, & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus.

Memnon fuit antiquiſſimus in Ægypto pictor & ſtatuarius. Vide Diodorum Siculum *lib.* II. de Simandii Regis Ægypti ſepulcro, cujus ambitus milliare unum amplexus eſt. Ejus ſepulcri porta fuit e lapide Porphyretico tantæ magnitudinis, ut duo jugera longa eſſet, alta XL. cubitos. In eo ingredientibus occurrebat lapideum periſtylum quadratum, cujus ſingula latera IV. jugerum eſſent. Pro columnis animalia erant ſita, monolitha, XVI. cubitorum. Erat & alter aditus, & porta ſuperiori ſimilis, ſed ſculptura uberiori. In ingreſſu ſtatuæ tres erant ingentes unius lapidis Memnonis opus. Harum una ſedens, cujus pedis menſura VII. excedebat cubitos, cæteras Ægypti ſtatuas magnitudine ſuperabat. In tanta mole neque fiſſura, neque macula fuit. Erat & aliud ſignum matris uno lapide, cubitorum XX. habens ſupra caput reginas tres. Poſt hanc portam & aliud erat periſtylon nobilius ſuperiore ſculpturis variis, in quibus bellum erat contra Bactrianos. Prima pars muri obſidionem urbis ſculptam continebat. Secundus paries ſculptus erat captivis abſque viro, id eſt, exciſis, & ſine manibus. Tertium latus ſculpturis variis, picturiſque decoris Regis ſacrificia, triumphumque devictis hoſtibus continebat. In medio periſtylo ſtatuæ duæ jacebant ingentes ex unico lapide cubitorum VII. & XX. dehinc ambulatio domibus plena, in quibus diverſa epularum genera. Sculptus deinde eminens cæteris Rex variis coloribus; erant deinceps Ægypti Deorum omnium imagines. Sequebatur bibliotheca, in qua inſcriptum, *Animi medicamentum*, poſt quam domus erat, in qua XX. lectiſternia Jovis & Junonis. Ibi picta animalia ſacris apta. Circumibat monumentum aureus circulus, in quo deſcripti erant per ſingulos cubitos dies, anni, aſtrorum motus, & occaſus. Hic circulus a Cambyſe ſublatus. Olympiade XVIII. qua Romulus interiit, Candaules Rex Lydiæ, Bularchi pictoris ſtatuam, in qua erat Magnetum prælium, auro rependerit. At Bularcho longe antiquiores fuere ii qui monochromata pinxerunt, Hygiænon, Dianas, Charmas, & qui primus in pictura marem fœminamque diſcrevit Eumarius Athenienſis, figuras omnes imitari auſus, quique inventa ejus excoluit Cimon Cleonæus. Hic catagrapha invenit, hoc eſt, obliquas imagines, & varie formare vultus, reſpicientes, ſuſpicientes, deſpicientes, articulis quoque membra diſtinxit, venas protulit, præterque in veſte & rugas & ſinus invenit. Panæus quidem frater Phidiæ etiam prælium Athenienſium adverſus Perſas apud Marathona factum pinxit. Adeo jam colorum uſus percrebuerat, adeoque ars perfecta erat, ut in eo prælio iconicos duces pinxiſſe tradatur. De Apelle, Mentore, & Myo Propertius *lib.* III.

In Veneris tabula ſummam ſibi ponit Apelles,
Parrhaſius parta vindicat arte locum.
Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ,
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus ſigno ſe Juppiter ornat eburno.
Praxitelem propria vindicat arte lapis.
Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna,
Exactis Calamis ſe mihi jactat equis.

Lyſippus Tarenti Coloſſum fecit XL. cubitorum. Statius de equo,

—— quem tradere es auſus
Pelleo Lyſippe duci.

De Myrone Ovidius lib. III. *de Ponto:*

Et ſimilis veræ vacca Myronis opus.

Calamidis ſtatuarii quadrigæ bigæque laudantur, qui XXIV. equos ſemper ſine æmulo expreſſit. Parrhaſius primus ſymmetriam picturæ dedit. Mys claruit argento cælando, cujus opera Rhodi Silenus, Cupido, Scyphi. Martialis,

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?

Tatianus *ad Græcos* multos nobiles ſtatuarios & pictores commemorat, qui ſcorta pinxerunt, aut certe fœminas, Πράξιλλαν μὲν Λύσιππος ἐχαλκούργησεν, ποιήτριαν Λεαρχίδα Μενέστρατος, *Lyſippus Praxillam ære finxit, poetriam Learchidem Meneſtratus*, Silanion Sapphonem, Naucides Erinnam Lesbiam, Boiſcus Myrtidem, Cephiſodotus Myronem Byzantiam, Gomphus Praxigoridem, Amphiſtratus Clitonem, Eutycrates & Cephiſodotus Anytem, Niceratus Teleſillam, Ariſtodotus Myſtidem, Eutycrates Mneſiarchidem Epheſiam, Silanion Corinnam, Eutycrates Talarchidem Argivam, Phrynem meretricem Praxiteles & Herodotus ſtatuarii fecerunt, Niceratus Athenienſis Glaucipen, quæ elephantum pepererat, Pantheuchidem gravidam Etycrates, Beſantidem Pæonum reginam, quod infantem nigrum peperiſſet, Dinomenes, Europam tauro impoſitam Pythagoras ſtatuarius. Buculam Meco, & victoriam ſuperimpoſuit ob Europam a Jove raptam. Glyceram ſcortum & Argivam pſaltriam Herodotus Olynthius, Bryaxis, Paſiphaen, Lyſiſtratus Menalippen, Polyſtratus Phalarim, cui Perillus taurum æneum adornavit, Pythagoras Polynicen & Etheoclem, Periclymenus mulierculam, quæ uno partu XXX. fœtus ediderat, Andron Harmoniam Cadmi uxorem, Ariſtodemus Æſopum, Calliſtratus Euanthem, Calliades Neæram, Turnus Laidem, Philon Hephæſtionem, Leochares Ganymedem, Praxiteles Spitumenem fœminam contaminatam, quæ omnia ſimulacra Romæ ſe Tatianus vidiſſe ait. Ovidius de Apelle & Calamide lib. IV. *de Ponto*:

Ut Venus artificis labor eſt & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas,
Vendicat ut Calamis laudem quos fecit equorum.

Plato lib. III. *Politic.* Πολύγνωτος ὁ τῶ Ἀγλαοφῶντος, ἀνδριαντοποιὸς, Δαίδαλος ὁ τῶ Μετίωνος, Ἐπειὸς Πανοπέως, Θεόδωρος ὁ Σάμιος. *Polygnotus Aglaophontis filius ſtatuarius, Dædalus Metionis, Epeus Panopeus, Theodorus Samius.* Clemens Alexandrin. in *Protreptico*, Φειδίας ἐπὶ δακτύλῳ τῶ Διός τῶ Ὀλυμπίου ἐπιγράψας, Παντάρκης καλός. *Phidias in digito Jovis Olympici inſcripſit, Pantarces pulcher.* Erant qui mores parum exprimerent, alii qui optime, inter quos Polignotus. Ariſtoteles c. VI. lib. *de Poet.* οἷον καὶ τῶν γραφέων Ζεῦξις πρὸς Πολύγνωτον πέπονθεν. ὁ μὲν γὰρ Πολύγνωτος ἀγαθὸς ἠθογράφος, ἡ δὲ Ζεύξιδος

A Ζεύξιδος γραφὴ οὐδὲν ἔχει ἦθος. *Plane ut inter pictores Zeuxis a Polygnoto differebat. Polygnotus enim mores hominum belle exprimebat, contra Zeuxidis pictura moribus omnino caret.* Athenis Hermæ ad formam Alcibiadis erant expressi, Praxiteles os Veneris Gnidiæ ex ore Gratinæ meretricis duxit. Phryne Thespiaca omnium sui ævi fœminarum speciosissima ubique in Græcia pro Venere stetit, ait Arnobius *lib.* VI. Ἀφροδίτην γυμνὴν καὶ οἱ ἀνδριαντοποιοὶ, καὶ οἱ ἀγαλματογλύφοι κατασκευάζουσι, καὶ οὐδὲ χιτωνίσκῳ καλύπτουσι. Venerem nudam statuarii, & sculptores sine amiculo in publico expo-
B nunt, ait Theodoret. Ante Eupompum Sicyonium duo genera picturæ fuere, Atticum seu Elladicum, & Ionicum seu Asiaticum. Eupompi tanta auctoritas fuit ut Sicyonium addiderit, quia Sicyonius erat. Pamphili, qui præceptor Apellis fuit, auctoritate effectum est in tota Græcia, ut pueri ingenui ante omnia digraphicen, hoc est, picturam in buxo, docerentur, reciperetur que ea ars in primum gradum liberalium, ait Plinius. Vetitum ne servitia picturam docerentur. Primus Polygnotus Thasius ante nonagesimam Olympiadem mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, os adaperire instituit, den-
C tes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Hic & Athenis porticum, quæ *Poicele* vocatur, gratuito pinxit, cum partem ejus Mycon mercede pingeret; quare Amphictyones, quod est publicum Græciæ Concilium, hospitia ei gratuita decrevere. Nonagesima tertia Olympiade Apollodorus Atheniensis primus species exprimere instituit, primusque gloriam penicillo jure contulit. Neque ante eum tabula ullius ostenditur quæ teneat oculos. Is opes tantas acquisivit, ut in ostentatione earum Olympiæ aureis litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentaret. Fecit Penelopen, in qua pinxisse mores videtur. Pictu-
D ras illas vocant Ethicas. Pinxit & athletam, adeoque sibi in illo placuit, ut versum scriberet, ex eo invisurum aliquem facilius quam imitaturum. Plutarchus hoc dictum tribuit Apollodoro Atheniensi, non Zeuxidi. Parrhasius primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, in lineis extremis palmam adeptus est.

C A P. X.

DE PICTURIS HONESTIS AC TURPIBUS.

E THEBIS honestæ tantum picturæ fuere, in eos animadversum, qui turpia pingerent. Fabii pictoris filia pudicitiæ studio virum nunquam pinxit, cætera graphice expressit. Fuere alii pictores ῥυπαρογράφοι, inter quos Pyreicus, apud Plinium *l.* XXXV. *c.* X. & Arcellius. Romæ πορνογράφοι, de quibus conqueritur Clemens in *Protreptico*: Πινακίοις τισὶ καταγράφοις μετεωρότερον ἀνακειμένοις προσεσχηκότες, ἀσελγείαις τοὺς θαλάμους κεκοσμήκασι. *Tabellis pictis in sublimi positis attenti lascivia thalamos ornant. Aliæ vobis sunt imagines, panisci, puellæ nudæ, satyri ebrii, &
F partes illæ arrectæ pictura nudatæ, aut schemata, & figuræ Philænidis.* καὶ ἄλλαι ὑμῶν εἰκόνες πανίσκοι τινες, καὶ γυμναὶ κόραι, καὶ σάτυροι μεθύοντες, καὶ μορίων ἐντάσεις ταῖς γραφαῖς ἀπογυμνούμεναι. ἐγγραφόμενοι τὰ Φιλαινίδος σχήματα. ἀπορρίψαντες δὲ τὴν αἰδῶ καὶ τὸν φόβον οἴκοι τοὺς τῶν δαιμόνων ἐγγράφονται τοὺς πασχητιασμούς. *Abjecto pudore & metu domi dæmonum libidines depingunt, & in lecto jacentes inter ipsos amplexus in Venerem nudam in ipso concubitu vinctam respiciunt, & in palis annulorum avem amatoriam Ledam circumvolitantem exsculpunt.* Parrhasius pinxit minoribus tabulis libidines eo genere petulantis joci se reficiens.

C A P. XI.

DE PICTURIS NATIVIS ET VELUTI VIVIS.

HABUIT scena ludis Claudii Pulchri, magnam admirationem picturæ, cum ad tegularum similitudinem corvi decepti imagine advolarent. Cum Zeuxis detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scenam aves advolarent, Parrhasius detulit linteum pictum tam subtili opere, ut Zeuxis alitum indicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostenderet picturam, atque intellecto errore concederet palmam; quoniam ipse aves fefellisset, Parrhasius se artificem. Fertur & postea Zeuxis puerum uvas ferentem pinxisse, ad quas cum advolassent aves, iratus operi, dixit: Uvas bene pinxi, puerum male, quem aves timere debuerant. Apelles imagines adeo similitudinis indiscretæ pinxit, ut quidam ex facie hominum addivinans, quos Metoscopos vocant, ex iis dixerit aut futuræ mortis annos, aut præteritæ vitæ. Ita lege postremum hoc verbum, quod deest apud Plinium *lib.* XXXV. *cap.* X. Omnia Apellis opera quatuor coloribus facta. Is cum in certamine pinxisset equum, ambitu æmulos prævalere sentiens, singulorum picturas inductis equis ostendit. Apellis tantum equo adhinnivere. Is absoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut idipsum repercussu claritates oculorum excitaret, custodiretque a pulvere & sordibus, ad manum intuenti demum appareret. Sed & cum ratione magna, ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, veluti per lapidem specularem intuentibus e longinquo, & eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occultare daret. Æqualis ejus fuit Aristides Thebanus. Is omnium primus animum pinxit, & sensus omnes expressit, quos Græci vocant *Ethe*. Ostendi supra, Socrati deberi, quod mores exprimerentur.

C A P. XII.

DE PICTIS VESTIBUS ET TEXTILIBUS.

PINGUNT vestes in Ægypto, inter pauca mirabili genere, candida vela postquam attrivere illinentes non coloribus, sed colorem sorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere, non apparet in velis, sed in cortinam pigmenti ferventis mersa, post momentum extrahuntur picta. Mirumque, cum sit unus in cortina colos, ex illo alius atque alius fit in veste accipientis medicamenti qualitate mutatus. Nec postea ablui potest, ita cortina non dubie confusura colores, si pictos acciperet, digerit eos *ex uno*, vel, ut alii legunt, *ex vino*, male meo animo; pingitque, dum coquit. Et adustæ vestes firmiores fiunt, quam si non urerentur. Tunicas pingi jam olim Romæ solitas ostendunt tunicæ pictæ & palmatæ, quas a Thuscis Dionysius Halicarnasseus petitas esse vult. Item belluata Babylonica acu picta, & plumacia, de quibus diximus libro *de veste Pontificum*. Cicero lib. VI. *in Verrem*: Nulla pictura neque in tabula, neque textili. Apud Nonium Varro, quid sit bene pictum a plumario, aut textore in pulvinaribus plagiis.

CAP. XIII.

DE PENICILLO ET CESTRO.

CESTRUM proprie veruculum eſt, quo cavatur ebur. Pollux pro ſtimulo & ſtylo ponit. Quidam cæſtrum veruculum ignitum eſſe volunt, a καίω, quaſi καῦϛρον. Cæterum Veteres pinxere aut cera, aut penicillo, aut veruculo, ſeu cæſtro, in ebore. Penicillum Martialis vocat arundinem, *l.* IX.

Nomen Acidalia meruit quod arundine pingi.

Plinius *l.* XXXV. *c.* X. Abſterſerat Protogenes ſæpius, mutaveratque penicillum, iratus arti ſpongiam impegit inviſo loco tabulæ. Plutarchus *de fortuna*: τὸ σπόγγον χρωμάτων ἀναπλέων. Penicillus fit ex caudarum extremis, dicitur a pene. Plinius: *Arreptoque penicillo lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam.* Quintilianus *l.* II. *c.* XXI. Cælator cælum, pictor penicululum. Tabulæ proprie ſunt pictorum, ſigna ſculptorum, qui utuntur ſcalpro, ſcalpello, cælo, vulgo *burin*. Cicero l. VII. *Epiſt.* Signa, tabulæ, τραπεζοφόρος. Sacerdos Minervæ dictus Trapezophorus. Fuit ſignum dictum Trapezophorum Apollodorus Athenienſis primus gloriam penicillo jure contulit, ait Plinius.

CAP. XIV.

DE PERGULA.

PERGULA eſt projecti ſeu mæniani genus in publicum ſpectans, ubi pictores opera ſua exponebant. Apelles opera perfecta proponebat in pergula, auctore Plinio *l.* XXV. *c.* X. Lucillius:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Alia pergula ſtraminea fuit, alia ædificiorum. Quidam mulctatus eſt, quod cum corona roſacea ex pergula ſua in forum reſpexiſſet, ait Plinius.

CAP. XV.

DE PINACOTHECA ET TABLINO.

PINACOTHECA dicta, in qua tabulas pictas reponebant. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* II. Pinacothecas veteribus tabulis conſuunt, forte conſtruunt. Ibidem: Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum. Cicero lib. III. *de natura Deorum*: Tabularium. Apulejus ult. *Florido*. Perpulcra tablina. Feſtus: Tablinum proxime atrium locus dicitur ob tabulas rationum.

CAP. XVI.

DE MACHINIS, OCRIBANTE, CINNABO.

OKPIBANTA Suidas eſſe ait σκlwlw ἰδίως πάντων τῶν λεγόντων· τὰ πλαϛικὰ πήγματα, ἐφ' οἷς διατυποῦσι τὰς εἰκόνας, *Tabernaculum, ſeu pulpitum oratorum omnium.* Item: *Compacta tabulata, ſeu pegmata, pictorum, aut fictorum, in quibus imagines effingunt.* Pollux *l.* VII. Ἐφ' οὗ δὲ αἱ πίνακες ἐρείδονται ὅτ' ἂν γράφωνται, ξύλον ἐϛὶ τρισκελὲς καὶ λέγεται ὀκρίβας τε, καὶ καλύβας. Ocribas aut calybas dicitur lignum tripes, in quo tabulæ fulciuntur, cum pinguntur; Latini vocarunt *machinas*. Plinius *l.* XXXV *c.* X. Amulius ſemper in machinis Canabi ligna erant, circa quæ primum fictores ceram ponebant. Κάναβοι τὰ ξύλα, περὶ ἃ τὸ πρῶτον οἱ πλάϛαι τὸν κηρὸν τιθέασι. Heſychius: Κανάβιος κηρὸς, ᾧ χρῶνται οἱ ἀνδριαντοποιοὶ, *Canabia cera,*

A *qua utuntur ſtatuarii.* Suidas: Κίνναβος εἴδωλον, πρὸς ὃ οἱ πλάϛαι καὶ ζωγράφοι βλέποντες διατίθενται πλάττοντες καὶ γράφοντες. *Cinnabus eſt idolum, in quod pictores & fictores intuentes ſe diſponunt ad opus.* Heſychius, Κιλλίβας τραπεζῶν βάσις, καὶ ὑποθέματα, ἢ τρισκελεῖς τράπεζαι, *cillibas menſarum fulcrum, & tripedes menſæ.* Τρισκελῆ τινα σκευάσματα, ἐφ' ὧν ἐπιτιθέασι τὰς ἀσπίδας, *tripedes machinæ, & menſæ, in quibus ponunt clypeos.* Tertullianus in *Apologet.* *Quod ſimulacrum non prius argilla deformat cruci & ſtipiti ſuperſtructa. In patibulo primum corpus Dei veſtri dedicatur.* Patibulum vocat ὀκρίβαντα, & machinam paſſis brachiis,
B in qua Deorum ſimulacra fingebantur. Plato in *Sophiſta*, duo genera μιμητικῆς, *imitantis artis*, ponit, εἰκαϛικὴν καὶ φανταϛικὴν, eam quæ formas reddit, & aliam quæ phantaſmata. Icaſticen, ὁπόταν κατὰ τὰς τοῦ παραδείγματος συμμετρίας (τύπους) τις ἐν μήκει, καὶ βάθει, καὶ πλάτει, καὶ πρὸς τούτοις ἔτι χρώματα ἀποδιδοὺς τὰ προσήκοντα ἑκάϛοις τὴν τοῦ μιμήματος γένεσιν ἀπεργάζηται. *Cum aliquis ad proportionem exemplaris* (addidi τύπους, quia deeſſe videtur) *in longitudine, profunditate, latitudine, & colores reddens quæ ad ſingulos pertinent effecerit generationem imitamenti.* Fantaſticen vocat, quando non ſecundum quod eſt, ſed ſecundum quod animo
C concipit, licet a vero aberret, imaginem effingit.

CAP. XVII.

DE PICTURA EX POLLUCE.

PICTOR dicitur γραφεὺς γραφικὸς, ait Pollux *l.* VII. *c.* XXVIII. ζωγράφειν, ζῶα ποιεῖν, eſt ars imitans animalia, τέχνη ζώων μιμητικὴ, ζώων ποιητικὴ, ὁμοιωτικὴ. Pictura σκιαγραφία. Penicillus γραφὶς, ὑπογραφὶς, tabulæ πίνακες, πινακία, cera, medicamenta, colores, ἄνθη, flores, κηρὸν
D τήξασθαι, ceram fundere, miſcere, σκιὰν ὑποτυπώσασθαι adumbrare, ἀποχρῶσαι colorare. Colores, ὄϛρεον, purpura, πράσινον viride, κροκοειδὲς, croceum, cæruleum, fuſcum κυανοῦν, cinnabari, rubrum, flavum, fuſcum, φλογόλευκον, λευκοφαιον. Theophraſtus l. *de Lapidibus*, κιννάβαρι τὸ μὲν αὐτοφυὲς, τὸ δὲ κατ' ἐργασίαν, αὐτοφυὲς τὸ περὶ Ἰβηρίαν σκληρὸν σφόδρα καὶ λιθῶδες, rubicundum eſt.

CAP. XVIII.

DE IMAGINIBUS ET SIMULACRIS.

E IMAGINES a Græcis dicuntur ἱδρύσματα, ϛηρίγματα, δείκημα, ἀγάλματα, ἀνδριάντες, βρέτας ἀπὸ τοῦ βροτοῦ, εἰκὼν, εἴδωλα, ϛῆλαι. *Signa, ſigilla, ſigillaria, ſimulacra, ſtatuæ, imagines, forma, ſpecies.* Theodoret. in *Aporis*, & Georgius Monachus, τὸ μὲν εἴδωλον οὐδεμίαν ὑπόϛασιν ἔχει, *idolum nullum ſuppoſitum habet*, ut chimeræ, τὸ δ' ὁμοίωμά τινός ἐϛιν ἴνδαλμα, κἀπείκασμα, *ſimilitudo ejus quod eſt ſimilitudo* eſt. Ideo Deus dixit, *Non facies tibi idolum, aut ſimilitudinem, Levit.* c. XIX. Idola dicuntur *Elilim, Avanim. c.* XIII. *Elil & aven*, ſignificat vanum, *ſchecher* mendacium, ut Hieronymus *c* VII. *Oſeæ.* Plato in *Theæteto* ψευδῆ
F τε εἴδωλα περὶ πλείονος ποιησάμενοι τοῦ ἀληθοῦς, *mendacia & ſimulacra pluris facientes quam verum.* Germanus Patriarcha *epiſt. ad Leonem Iſauricum.* ex *Zacharia* cap. XIII. oſtendit Chriſtum omnia idola aboleviſſe. Itaque habendæ non ſunt pro idolis Sanctorum imagines, quæ hodie apud nos habentur, cum Tertullianus paſtorem in calice ſcribat exſculptum. Hieronym. *in cap.* I. *Jonæ*: In cucurbitis vaſculorum, quas *Sancomarias* vocant, ſolent imagines Apoſtolorum adumbrari. Cle-

A
mens Alexandr. l. I. *Stromat.* ait olim statuarios, cum statuam finxissent, occidi solitos, ut statuæ e cælo delapsæ putarentur. *Ξόανον Διϊπετὲς βρέτας* vocant, id est, *a Jove missum simulacrum*. Idem *l.* v. Cecropem primum Athenis statuas exhibuisse ait, unde Διφυὴς dictus sit. Minutius Felix in *Octavio* ipsum statuarum fatum eruit his verbis: *Dum Reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus, dum gestiunt eorum memorias, sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia*. Idem Sapiens docet, c. IV. *Sapient.* Lactantius *l* IV. *c.* II. Superstitiosos esse ait qui superstitem parentum memoriam colerent, aut qui parentibus superstitibus celebrarent eorum memorias.
B
Vide S. Cyprian. *epist.* LVII. & Eusebium lib. I. *Præpar.* Cedrenus prodit Ragau genuisse Seruch, *ὃς πρῶτος τοὺς πράξαντάς τι ἀνδρεῖον ἀρετῆς καὶ μνήμης ἄξιον ἀνδριᾶσι στηλῶν ἐτίμησε, qui primus eos qui aliquid ex virtute gessissent memoria dignum, statuis honoravit*. Thara pater Abrahæ *ἦν ἀγαλματοποιὸς ἀπὸ ξύλων καὶ λίθων θεοὺς πλαστουργῶν, erat statuarius e ligno & lapide Deos fingens*. Abraham *Deos patris sui incendit, εἴδωλα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἔκαυσε*. Cedrenus hoc utrumque mutuatus est ab Eusebio & Epiphanio. Eusebius in *Chronico*, Seruch ex Tribu Japhet *εἰδωλομανίαν idolorum cultum* indu-
C
xit. Epiphanius in *Panario* pag. 9. lib. I. Thara primus fuit *luti opifex, & fictor, πηλουργὸς, καὶ πλάστης*. Ex figlina orta est statuaria, *ἀνδριαντοπλαστία ἀπὸ πηλουργίας*. Diodorus prodit Telchinas primos omnium statuas Deorum fecisse, alii Dædalum. Apollodorus *l.* III. Dædalus cum Talo filium sororis occidisset, ut ejus luctum solaretur, fecit ejus simulacrum, quod primum omnium fuit in orbe. Tzetzes in *Chiliad.* veteres statuarios *ἀνδριάντας ἄχειρας, ἄποδας, ἀομμάτους, ἢ τοῖς ποσὶ συμβεβηκότας, statuas fecisse sine manibus, sine pedibus, sine oculis, aut pedibus conjunctis inter se*. Dædalus
D
primus *ὄμματα διεπέτασε, καὶ τοὺς πόδας διέστησε, oculos aperuit. pedes dissociavit*, unde & ejus statuas avolare dixerunt, nisi vinctæ essent. Inde est quod Promethus homines e luto finxisse dicitur. Horatius *ode* XVI. *lib.* I.

Fertur Prometheus addere principi
Luto coactus particnlam undique
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Propertius *eleg.* III. *lib.* III.

O prima infelix fingenti terra Prometheo.

Martialis:

Ficta Prometheo diceris esse luto.

E
Diodorus Siculus *lib.* IV. pag. 192. *Οἱ γὰρ πρὸ τούτου τεχνῖται κατεσκεύαζον τὰ ἀγάλματα τοῖς μὲν ὄμμασι μεμυκότα, τὰς δὲ χεῖρας ἔχοντα καθειμένας*. Ante Dædalum artifices statuas fingebant oculis conniventibus & clausis, manibus demissis. Imo columnæ per initia pro statuis fuere, & stipites, & lapides. Prudentius:

Deasciato supplicare stipiti.

Tibullus:

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris.
Seu vetus in trivis florea serta lapis.

Plutarchus in *Julio*: Cajus Amatius Cæsari in foro columnam posuit, ubi thure & mero supplica-
F
rent. Cicero I. *Philippica*, Lactantius *lib.* I. Clemens Alexandrinus lib. I. *Stromat.* Dearum olim simulacra erant *κίονες πυραμοειδεῖς, καὶ πυραμίδι μὲν ὁ Μειλίχιος, κίονι δὲ Ἄρτεμις ἡ πατρῴα ἦν εἰκασμένη*. Corinthi *columnæ pyramidis instar teretes, Melichius pyramidi, Diana columnæ assimilata erat*. Apollo Ἀγυιεὺς, seu *Vicanus*, erat columna in acutum desinens, seu turbinata in vestibulis ædium, *κίων εἰς ὀξὺ λήγων*. Junoni Argivæ lignea columna posita coronis & fimbriis ornata;

Ἥρης Ἀργείης, *ἣν στέμμασι καὶ θυσάνοισι*
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.
Junonis Argivæ, quam coronis & fimbriis
Prima ornavit circa columnam longam reginæ.

Eusebius l. III. *de Præparat.* Penas primus ex arboribus, quæ erant circa Tirynthum, pyro excisa opulentum simulacrum Junonis formavit: *ἐκ τῶν περὶ Τίρυνθα δένδρων ὄχνην τεμὼν εὐκτέανον Ἥρας ἄγαλμα μορφῶσαι λέγεται*. Lapidem enim durum, & operæ d fficilis, & mortuum exscindere nolebant, aurum & argentum ajebant esse terræ sterilis fætum. Non tantum autem Diis, verum & hominibus columnæ pro statuis attributæ. Plinius *lib.* XXXIV. Antiquior celebratio columnarum, sicut C. Menio, qui devicerat priscos Latinos. Josephus lib. II. *Origin.* Simon Machabæus fratribus *στήλας μονολίθους ἑπτὰ ἱδρύσατο, columnas solidi lapidis septem posuit*. Unde & *στῆλαι* sumuntur pro statuis. Item lapides. Virgilius in *Copa*:

Anne coronato vis lapide ista legi.

Arnobius *lib.* VI. Videtis Arabas informem lapidem coluisse, lignum indolatum Carios pro Diana, Pessinuntium silicem de cælo lapsum pro Deum matre. Maximus Tyrius *Serm.* XXXVIII. Arabum *ἄγαλμα λίθος τετράγωνος, τῆς Παφίας ἄγαλμα πυραμὶς λευκὴ, simulacrum lapis quadrangulus, Veneris pyramis alba*. *Genes.* XXXIX. Jacob ait: Lapis iste, *ὃν ἔστησα στήλην, ἔσται μοι οἶκος Θεοῦ, quem columnam statui, erit mihi domus Dei*. *Exod.* XXIII. *συντρίψας στήλας τῶν Θεῶν, cum Deorum columnas contrivisset*. Coluerunt item pro statuis lapidum acervos Mercurio sacros, quos Ἑρμαῖας vocat Hesychius. Clemens lib. I. *Stromat.* *στῦλος σημαίνει τὸ ἑστὸς, καὶ μόνιμον τοῦ Θεοῦ, columna significat firmitatem, & immutabilitatem Dei*. Euripides:

Στῦλος Θηβαίοισι Διόνυσος πολυγηθής.
Columna Thebanis Dionysius lætitiæ parens.

Πρὶν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἔσεβον ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ. Priusquam exacte habitus statuarum fingerent, columnas colebant ut Dei simulacra. Emisseni colunt Solem nomine Halagabali, vel, ut ait Herodianus, Ἐλαιογαβάλου, in montis effigie, qui de cælo delapsus sit. Hinc Alagabal, quasi mons Deus. Ejus simulacrum, *λίθος ἐστὶ μέγιστος κάτωθεν περιφερὴς λήγων εἰς ὀξύτητα· κωνοειδὲς δὲ αὐτῷ σχῆμα, διοπετῆ δὲ αὐτὸν ὁμολογοῦσι*, ait Herodianus, *est lapis maximus in imo rotundus, desinens in acutum; forma ejus instar coni*, seu *metæ, qui de cælo deciderit*. Philo *de Legat.* *ἀσπίδας ἀγράφους, clypeos sine pictura*, pro simulacris positos ait: Dionysius lib. *de situ Orb.* simulacrum Ephesiæ Dianæ commemorat. Erat truncus acutus ulmeus, *πρέμνῳ ἐνὶ πτελέης*, unde urbs Ptelea dicta. Callimachus, *βρέτας φηγοῦ ἐπὶ πρέμνῳ, simulacrum in fagi stipite*. Judæi lapidem Betulum coluerunt. Itiner. Burdegal. In loco templi non longe a duabus statuis Adriani, est lapis pertusus, ad quem Judæi quotannis veniunt, & ungunt, & lamentant se cum gemitu. Hujusmodi lapides vocant *Betulos*, a Betel, ubi Jacob lapidem erexit. Bætulus lapis, qui a Saturno voratus est. Eos *ἐμψύχους καὶ αὐτοκινήτους* fuisse ajunt, animatos, qui per se moverentur, ut Photius ait pag. 657. *εἶδον τὸν βαίτυλον διὰ ἀέρος κινούμενον, vidi bætylum, qui per aerem movebatur*. Postea ex lapide & metallis simulacra facta. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* II. Non solum ex auro, argentove, aut certe ex ære dicantur Docti in Bibliothecis. Prudentius:

Fumosa avorum numina,
Saxum, metallum, stipitem,
Rasum, dolatum, sectilem.

Clemens in *Protreptico*, Scythæ acinacem, Arabes lapidem, Persæ fluvium colunt, *καὶ οἱ παλαιότεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ, καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων, ἃ δὴ καὶ ξόανα προσηγορεύετο, διὰ τὸ ἀποξέεσθαι. Et vetustiores ligna statuebant illustria, & columnas ex lapidibus, quæ dicta xoana, quod raderentur.* Hasta Romæ fuit simulacrum Martis. Festus: Delubrum stipes delibratus, id est, decorticatus, qui pro Deo colitur. Cicero *pro Plancio*: Lapidem e sepulcro venerantur pro Deo. Sibylla, *Κἂν παρόδοις λίθων συγχώματα ταῦτα σέβεσθε, & in perviis transitionibus lapidum acervos colitis.* Vide Hesychium in *verbo* Ἑρμαῖος λόφος, *δεικηλισταὶ μιμηταὶ παρὰ Λάκωσιν, ἀνδρείκελα, δείκελα, ξόανα, ἀναθήματα.* Vocant Lacones *δεικηλιστάς*, & *δεικελιστάς*, mimos, & histriones. Romæ primum simulacrum ex ære factum est Cereri, ut Plinius *c.* v. *l.* XXXIV. prodit. Simulacra autem Deorum vestibus ornabantur. Lycophron, *πατρῷα ἀγάλματα ἐγκατοικεῖν θεῶν, πέπλοις περιέχειν, patria simulacra Deorum domi ponere, & vestibus ornare.* Statuæ pannos & vincula patiebantur. Seneca in *Epistol.* Statuis peplos addimus, & indumenta pretiosa, quibus usus velaminis nullus usus est. Petronius: Juvenes adhuc laboris expertes patiemur pannos, pati & vincula, statuarum ritu. Clypei fuere pro imaginibus. Eusebius in *Chronico*: Claudio politus clypeus in curia aureus. Suetonius in *Domitiano*, *Clypeosque jussit & imagines ejus coram detrahi.* Tales erant clypei, qui gradatim vexillis & signis legionum erant affixi, qui *προτομάς*, & ora Cæsarum habebant. Trebellius in *Claudio: Illi clypeum aureum Senatus judicio in curia positum est, expressa thorace vultus ejus imago.* Adhelmus *de laudibus virginitatis* vocat *θωρακίδας*. Ruffinus *l.* XI. *c.* XXIX. thoracas. Constantinus Porphyrogenneta anaglypha, *μισσώρια*, mensulas argenteas insculptas, quæ in parietibus instructæ erant *προτομαί*, vulgo *medallia*, quasi metallica. Prudentius in *sancto Laurentio*, ænigmata. Plinius *l.* XXXIII. *c.* III. Suorum clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit Appius Claudius. Scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines. Origo plena virtutis faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit illo usus. Pœni ex auro factitavere & clypeos & imagines, secumque in castris tulere. Simulacra autem variis rebus ornabantur, cum ut ab injuria tuta essent, tum ut religiosius haberentur. In primis, lunulis quibusdam argenteis aut æreis eorum capita tegebantur, ne aves insiderent. Hesychius: *μηνίσκοι τὰ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς τῶν ἀνδριάντων τιθέμενα, ἵνα μὴ τὰ ὄρνεα καθέζηται. Lunulæ in statuarum capitibus positæ, ne aves stercore ea contaminarent.* Coronis ornabantur. Juvenalis:

O nostri, parvique lares, quos thure minuto,
Et farre, ac tenui soleo exorare corona.

Quidam male, *exornare corona*. Apulejus *Miles.* III. Eponæ Deæ simulacrum, quod accurate corollis roseis, & quidem recentibus fuerat coronatum. Hanc alii *Hipponam* vocant. Si caput simulacri non possent tangere, ad pedes ejus coronam deponebant. Propertius *lib.* II. *elegia* VIII.

Ut caput in magnis, ubi non est, ponere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes.

Martialis *lib.* X. *epigramm.* XXXII.

Hæc mihi quæ colitur violis pictura rosisque.

Tibullus:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triviis florea serta lapis.

Item inungebantur religionis ergo, & fumo ac nidoribus nigrescebant. Arnobius *lib.* VI *Ut nidoribus atque fumo suffita ac delibuta nigrescant.* Prudentius:

—— *& ficulni stipitis unctor,*
Unguentoque lares humescere nigro,

Venetiis vidi in Bibliotheca Reipublicæ Cybeles simulacrum fumo & nidoribus atratum. Pausanias pag. 241. Λίθος Δελφοῖς οὐ μέγας, τούτου καὶ ἔλαιον ὁσημέραι καταχέουσι, καὶ καθ' ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι. *Lapis Delphis non magnus, super quem oleum cottidie affundunt, & per dies festos lanas imponunt.* Themistius *orat.* II. Ὁπότε δὲ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ἀναπετάσας τὰ προπύλαια τοῦ νεώ, καὶ τοὺς χιτῶνας περιστείλας τοῦ ἀγάλματος, καλλωπίσας τ' αὐτό, καὶ ὑποσμήξας πανταχόθεν. *Quoties autem propheta ille aperiens vestibula templi, & tunicas simulacri componens, illudque expoliens, & undique tergens.* Arrianus l. I. *Epicteti*, c. XIX. καὶ γὰρ ἐγὼ τὸ πινάκιον θεραπεύω, καὶ πλύνω αὐτό, καὶ ἐκμάσσω, *nam & ego tabulam orno, & lavo, & extergo.* Arnobius *l.* I. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum.* Theophrastus *de superstit.* Λιπαροὺς λίθους vocat *pingues lapides*. Apulejus in *Apologia*, lapidem unctum, aut ramum coronatum. Minutus Felix, lapides effigiatos, unctos, & coronatos. Interdum, ne prophanorum oculis exponerentur, velo tegebantur. Arnobius solis Sacerdotibus adorare simulacra licitum fuisse, & conspectus cæterorum velo oppanso interdici ait. Fiebant autem simulacra ex varia materia, ex lapide speculari. Clemens in *Protrept.* Ἀθηναῖοι τῶν σεμνῶν θεῶν τὰς μὲν δύο Σκόπας ἐποίησεν ἐκ τοῦ καλουμένου λυχνέως λίθου. *Venerandarum Dearum Scopas simulacra fecit e lapide speculari.* Ex ligno Mercurius fuit, de quo Plato Comicus: Δαιδάλου φωνὴν ἔχων, ξύλινος βαδίζων, αὐτομάτως ἐλήλυθα, ait ligneus Hermes, *habens Dædali vocem, ligneus ambulans, ultro veni per me.* Hesychius: *καλιαὶ* dicuntur nidi ex lignis, in quibus simulacra Deorum lignea, *ἐκ ξύλων ξύλινά τινα περιέχοντα ἀγάλματα εἰδώλων.* Alia signa ex luto fuere. Martialis *lib.* XIV.

Sum fragilis, sed tu, moneo, ne sperne sigillum.

Quos Hesychius nidos vocavit, alii vocant ædiculas. Petronius: *In armarii ædicula erant lares argentei.* Tertullianus *de Idololatr.* cap. VII. *Nec enim differt, an exstruas, an exornes, si aram, si templum, si ædiculam ejus instruxeris.* In templis dicebantur cellæ, in quibus simulacra, in privatis ædibus ædiculæ, sicut de tabulis pictis tablina, & πινακοθῆκαι. Apud Gellium *l.* VII. *c.* VII. cella Jovis. Valerius Maximus *lib.* I. *cap.* I. Negante unam cellam duobus Diis recte dicari. Arnobius *lib.* VI. Tuguriola his dare, conclavia, & cellas fabricari. Livius *lib.* XXXVIII. Prohibuisse statuas sibi in Comitio, in Rostris, in Curia, in Capitolio, in cella Jovis poni. Arnobius *lib.* VI. Si apertum vobis est in lignorum visceribus Deos vivere, cur eos sub validissimis clavibus, ingentibusque, sub claustris, sub repagulis, pessulis, habetis inclusos? Ac ne forte fur aliquis irrepat, æditluis mille protegitis, atque excubitoribus mille. Cur canes in Capitoliis pascitis? cur anseribus victum alimoniamque præbetis? Prudentius scripta saxa vocat, quibus nomen Dei ascriptum esset, cui ea saxa sacra essent:

Vervis cruore scripta saxa spargere.

Tibullus *eleg.* I. *lib.* I. destitutum stipitem pro Deo fuisse ait. Ipsi etiam Palladi lapidem dicabant. Orpheus in *Argonaut.*

Τριτογενείῃ θῆκαν ἀείραντες βριθὺν λίθον.

In Hispania passim tres, aut quatuor lapilli pluribus locis coacervati erant, qui ab adventantibus patrio more volvebantur, & convertebantur. Strabo *l.* III. λίθους συγκεῖσθαι τρεῖς, ἢ τέτταρας κατὰ πολλοὺς τόπους, οὓς ἀπὸ τῶν ἀφικνουμένων στρέφεσθαι κατὰ τὸ πάτριον, καὶ μεταστρέφεσθαι. Propertius *lib.* I. *eleg.* IV.

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer qualis ubique lapis.

Ephesi in æde Dianæ simulacrum,& lacunaria e cedro, ut & in cæteris nobilibus fanis propter æternitatem facta sunt, ut scribit Vitruv. *lib.* II. aut e stipite vitis, qui diutissime perennat, auctore Plin. Romæ statuas quivis e plebe ex ære & lapide in publico ponebat, quod vetuit Claudius apud Dionem *lib.* LVIII. Ἐπειδή τε ἡ πόλις πολλῶν εἰκόνων ἐπληροῦτο, ἐξῆν γὰρ ἀναίδην τοῖς βουλομένοις ἐν γραφῇ, καὶ ἐν χαλκῷ, λίθῳ τε δημοσιοῦσθαι. *Quia urbs multis imaginibus implebatur, licebat enim palam volentibus in pictura, & ære, & lapide publicari.* Fiebant enim & Deorum & hominum simulacra ex gypso, ex ære, ex argento, ex auro, & alia materia. Tertull. lib. *de Idololat.* An plastes effingat, an cælator exsculpat, an Phrygio detexat, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære,an argento, an filo formetur idolum. Item ex ebore. Arnob. *lib.* I. Venerabar elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus tænias. Sed & virgas Diis dicabant pro simulacris. Euseb. lib. I. *Præparat.* p. 21. τοὺς εὐεργέτας ὡς θεοὺς προσεκύνουν, στήλας τε, καὶ ῥάβδους ἀφιέρουν ἐξ ὀνόματος αὐτῶν Φοίνικες, *benemeritos pro Diis honorabant, & columnas, & virgas consecrabant ex eorum nomine Phœnices.* Item pag 23. scribit Usoum ἀνιερῶσαι δύο στήλας πυρί τε καὶ πνεύματι, καὶ προσκυνῆσαι. τούτων δὲ τελευτησάντων τοὺς ἀπολειφθέντας φησὶ ῥάβδους ἀφιερῶσαι, καὶ τὰς στήλας προσκυνεῖν, *consecrasse duas columnas igni & vento, easque adorasse. Cum autem illi mortui essent, qui relicti erant, ait virgas consecrasse, & columnas adorasse.* Multæ statuæ illinebantur auro, vel argento. Persius.

Auro sacras quod ovato perducis facies.

Aurum ovatum alii ab ovantibus, alii quod sit fulvum instar ovi. Martal. *lib.* IV. *epigr.* XXXIX.

Nec desunt tibi vera Gentiana,
Nec quæ Callaico linuntur auro,
Solus Phidiaci toreuma cæli.

Vera pocula Gentiana,quæ in castris Gentianis fiebant Romæ in septima regione, ut Pub. Victor. Vulgo male *Glaniana*. Auson. *epigr.* XXVI.

Hos ille Serum veste contegi jubet,
Hos cælat argento gravi.

De eburneis Diis Cornelius Nepos *lib.* VI. Daretis, Pyrrhus Priamo ait:

Cur stringis eburnos Diis invise Deos.

Martialis *lib.* VIII. *epigr.* L. de auro, vel argento pustulato, recenti ab igne, & a moneta:

Et nimium felix pustula vincit ebur.

Fiebant item e ferro. Primus Theodorus Samius reperit rationem,qua funderetur ferrum, ut ex eo fierent statuæ, διαχέαι σίδηρον εὗρε, καὶ ἀγάλματα ἀπ' αὐτοῦ πλάσαι. Glaucus Chius solus omnium hominum invenit conglutinationem & ferruminationem ferri. Herodot. *lib.* I. σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε. Tundebatur & ferrum marculis. Lucillius:

Et velut in fabricam fervens cum marculus ferrum
Tundit.

Auream statuam sibi æqualem posuit Gorgias, ἰσομέτρητον. Statuam auratam nec in urbe, nec in Italia fuisse, antequam ab Atilio Glabrione equestris patri poneretur in æde Pietatis, anno 572. scribit Valerius Maximus *lib.* II. *c.* V. Sæpe ferreis clavis aurum ferruminatum est, ut apud Petronium. Sed de simulacris Deorum nihil jucundius audiri potest iis, quæ ab Arnob. *lib.* VI. scribuntur: *Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, informem Arabas lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum Prognes Thespios,* alii legunt ramum *pro Cinxia Thespios*, id est, Junone. Bene lignum Icarios pro Diana idolatum, Pessinuntios silicem pro Deum Matre, pro Marte Romanos hastam, pluteum Samios pro Junone,ut Aethlius memorat. Pluteum vocat tabulam, vel lignum dedolatum. Apud Arnobium vulgo *puteum* legunt pro pluteo. Male. Clemens Alexandrin. in *Protreptico:* Καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς, ὕστερον δ' ἐπὶ Προκλέους ἄρχοντος ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο. Euseb. lib. *de Præparat. Evang.* Ἥρας δὲ καὶ Σάμιοι ξύλινον εἶχον εἶδος, ὥς φησι Καλλίμαχος,

Οὔπω σκέλμιον ἔργον εἰς ξόανον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμὸν
Δὴ νεόγλυφον ὦ 'ναξ θεᾶς ἦσθα σανίς.

Hos versus ita lege:

Οὔπω σέμνιον ἔργον ἦς ξοάνου ἐπὶ τεθμὸν
Ἀλλὰ νεόγλυφος ἦσθα θεᾶς σανὶς εἶδος ἀνάσσης.

Οὕτω γὰρ καθιδρύοντο θεοὺς τότε, ait Euséb. Nondum venerandum eras opus in lege simulacri, sed pluteus eras recens exsculptus, imago Deæ Reginæ. Tertull. in *Apologet. Quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, vel Ceres farrea,quæ sine effigie, rudi palo & informi prostat.* Lucanus *lib.* III.

—— simulacraque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

Apud Athen. *lib.* XIV. Deli imago Latonæ statua lignea, & informis. Clemens de ligno pro Diana, ἐν Ἰκάρῳ τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ἄγαλμα ξύλον ἦν οὐκ εἰργασμένον, *in Icaro Dianæ simulacrum lignum erat informe.* Arnob. *lib.* VI. Item: Simulacra ista,quæ vos terrent, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso. Camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, fornacibus incocta figulinis, ex incudibus & malleis nata, grossis rasa, descobinata limis, ferris, forcipibus, aculeis, asciis secta, dolata, effossa, terebrarum excavata vertigine, runcinarum lævigata deplanis. Si quis ponat in medio æs rude, atque in opera nulla conjectum, argenti massas indomiti, infectum aurum, lignum, lapides, atque ossa, resque alias cæteras, quibus signa consueta sunt, & numinum simulacra constare. Qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam Deorum in numerum referat. Videretis Deos,quos exterior levitas lenocinio fulgoris augustat, laminarum flatilium esse crates,particularum coagmenta deformium, a ruinarum casibus, & dissolutionis metu, subscudibus, & catenis, uncis, atque ansulis retentari,interque omnes sinus,commissurarumque juncturas plumbum ire suffusum. Suidas in *vocibus*, Θεὺς Ἄρης, τὸ δὲ ἄγαλμα λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν δ' εὖρος δύο, ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου. Arabes Martem colunt, simulacrum ejus est lapis niger quadratus, sine figura, altus quatuor pedes, latus duos, situs in basi aurea. Clem. Alexand. in *Protrept.* Junonis Citheroniæ in Thespia simulacrum esse scribit πρέμνον ἐκκεκομμένον, *stipitem excisum.* In Icaro Dianæ simulacrum, ξύλον οὐκ εἰργασμένον, Samiæ Junonis, σανίς, *tabula*, seu *asser*. De glutine, quo

tabulæ ſtatuarum coagmentabantur, Prudentius lib. I. *in Symmachum*:

—— mollis ſi bractea gypſum
Texerit infido rareſcit glutine ſenſim.

Maximus Tyrius *Serm.* I. Αράβιοι σέβουσι μὲν, ὅν τινα δὲ οὐκ οἶδα· τὸ δ' ἄγαλμα, ὃ εἶδον, λίθος ἦν τετράγωνος. Dio Chryſoſt. *Serm.* XII. ὥστε πολλοὶ τῶν βαρβάρων, πενία τε καὶ ἀπορίᾳ τέχνης, ὄρη θεοὺς ἐπονομάζουσι, καὶ δένδρα ἀργὰ, καὶ ἀσήμους λίθους. *Arabes colunt neſcio quem Deum, cujus ſimulacrum eſt lapis quadratus. Multi barbarorum, inopia & artis inſcitia, montes Deos nominant, & arbores inutiles, & lapides informes.* Apud Solinum Scythæ pro ſimulacris enſes colunt. Clemens Alexand. καὶ τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίᾳ πρέμνον ἐκκεκομμένον, *Cithæroniæ Junonis in Theſpia truncus exciſus.* ἐν Ῥώμῃ δὲ τὸ παλαιὸν δόρυ φησὶ γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον Οὐάῤῥων ὁ συγγραφεύς. *Varro ait Romæ Martis ſimulacrum fuiſſe haſtam.* Arnob. *lib.* VI. Cum petaſo gnatus Majæ tanquam vias aggredi præparet. Liber membris cum mollibus. & liquoris fœminei diſſolutiſſimus laxitate. Cum pileo Vulcanus & malleo. Arrian. lib. IV. *diſſert. Epict.* Si autem ita ſurdus & cæcus eſt, ut Vulcanum non agnoſcas bellulum fabrum, ἂν μὴ τὸ πιλίον ἴδῃς περὶ τῇ κεφαλῇ περικείμενον, niſi pileum videas in ejus capite. Vulcani ſtatuæ præterea περίζωμα dat Arrianus, cincticulum. Arnob. & fabrili expeditione ſuccinctus. Simulacra autem gypſo & glutino compingebantur. Prudent. lib. I. *in Symmach.*

Sacratumque domi lapidem conſiſtere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem,
Mox humeris poſitus nutricis, trivit & ipſe
Impreſſis ſilicem labris.

Deos ſuos prophani ſtantes, ſedentes, veſtitos, nudos formabant. Porphyr. ἀνετύπωσι σχήμασι, ὀρθοῖς, καὶ ἡλικίαις καθέδραις τε, καὶ στάσεσι καὶ ἀμφιέσεσι. Arnob. *l.* VI. in ſedentibus ſignis Deum ſedere dicendum eſt. De ſcobinis Tertull. in *Apologet.* At in Deos veſtros per omnia membra validius incumbunt aſciæ, & runcinæ, & ſcobinæ. Minut Ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur nondum Deus, ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur. Nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur. Tum poſtremo Deus eſt. Verba enim habuere peculiaria, quibus in Diis ſuis fingendis uterentur, radebant, cælabant, ſculpebant, excludebant, ſcalpebant ducebant, decoquebant, infundebant. Stat. l. II. *Sylvar.*

Si quid adhuc vacuæ tamen admirabile viſu
Phidiacæ raſere manus.

Proprie radebant ebur. Idem lib. IV. *Sylvar.*

—— artificum veteres agnoſcere vultus.
Vivant quæ marmora cælo,
Praxitelis, quod ebur Piſæo pollice raſum
Quod Polycletæis viſum eſt ſpirare caminis.

De cælando, Silius *lib.* XI.

—— aſpera menſa
Pondera cælati fulgent antiquitus auri,

Apulejus *Florido primo*: Alexandrum Pyrgoteles ære duceret, Apelles coloribus delinearet, Polycletus cælamine excluderet. Plinius *lib.* VII. *cap* XXXVII. Lyſippum pro Polycleto poſuit, his verbis: *Ne quis ipſum alium, quam Apelles, pingeret, quam Pyrgoteles ſculperet, quam Lyſippus ex ære duceret.* γλύφειν Græci dicunt. Lib. IV. *Antholog.* pag 350. εἰμὶ μέθυ τὸ γλύμμα σοφῆς χερὸς, ἐν δ' ἀμεθύστῳ γέγλυμμαι. *Sum vinum cælatum docta manu in amethyſto.* De interpolando Plautus in *Amphitruone*:

Ille homo me interpolabit, meumque os finget.

Denuo de ſcalpendo marmore Caſſiodorus *lib.* VII. *epiſt.* XV. Inſtructor parietum, ſcalptor marmorum, æris fuſor, camerum rotator, gypſiplaſtes, muſivarius. De ſculpendo Horat. *lib.* II. *ſatyra* III.

Quid ſculptum infabre, quid fuſum durius.

De excudendo & ducendo Virgil. lib. VI. *Æneid.*

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.

Horatius:

Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret ære.

Apulejus *Florido primo*: Polycletus ære duceret. De infudendo & inurendo Tertull. in *Apologet.* Quod luto fictum, vel ære infuſum, vel lapide inciſum, vel cera inuſtum, vel pigmento illitum. Perſius *ſatyra* II. de cudendo.

Si tibi crateras argenti, incuſaque pingui
Auro dona feram.

Virgilius lib. I. *Georgic.*

—— lapidemque revertens
Incuſum.

De percutiendo Lucanus:

Primus Theſſalicæ rector telluris Iolchos,
In formam calidæ percuſſit pondera maſſæ.

De ſculpendo Prudent. lib. I. *in Symmachum*:

—— non ſicut ſculptor ab æris
Rudere decoctam conſueſcit fingere maſſam.

De fundendo idem.

Si forte vultum triſtioris Herculis
Liquore criſpo maſſa finxit fuſilis.

Lucretius *lib.* I.

Conlabefactus rigor auri ſolvitur æſtu,
Tum glacies æris flamma devicta liqueſcit.

Idem *lib.* V.

Flammeus ardor ubi terram percoxerat igni,
Manabat venis ferventibus in loca terræ
Concava, conveniens argenti rivus & auri.

Statuas igitur & Diis & viris præſtantibus poſuere. Tertull. in *Apologet. Philoſophi ſtatuis & ſalariis remunerantur. Illis ſtatuas diffunditis, imagines inſcribitis, titulos inciditis in æternitatem, quantum de monumentis poteſtis.* De animando ſpirantes imagines dixit Martian. Capella *lib.* I. Mercurius celebrat mirabile præſtigium, elegantiamque pingendi, cum vivos etiam vultus æris, aut marmoris ſignifex animator inſpirat. Thuſci primi ſtatuas ſpirantes invenerunt, apud Plinium *lib.* XXXIV. *cap.* VII. VIII. & Caſſiodor. *lib.* VII. *epiſt.* XV. Conſpiciet expreſſas in ære venas, viſu quoſdam muſculos tumentes, nervos quaſi gradu tenſos. Mirabitur formis equinis ſigna etiam ineſſe fervoris. Criſpatis enim naribus, ac rotundis, conſtructis membris, auribus tremulis credet forſitan curſus appetere, cum ſe metalla noverit non movere. Statius.

Quod Polycletæis viſum eſt ſpirare caminis.

In ſtatuis adhibita lima, plumbum, mallei, glutinum. Tertull. in *Apologet. Ante plumbum, & glutinum, & gomphos, ſine capite ſunt Dii veſtri.* Prudentius lib. I. *in Symmachum*:

Si formam ſtatuæ lamnis commiſit ahenis
Lima terens.

Item:

—— magnique triumphi
Nuncia ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.

Sidonius *lib.* VII. *Epiſt.* de tribus plaſticæ generibus: Apellem penicillo, Phidiam cælo, Polycle-

tum malleo superat. Arnobius *lib.* I. Venerabar nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus tænias. Qui ab signis inertibus, atque ex vilissimo formatis luto. *Lib.* III. Simulacra vilissimi esse formas luti. Minutius: Deus æreus, vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum est Ægyptiorum Regi, conflatur, tunditur malleis, in incudibus figuratur. Adludit ad Amasim Herodoti, qui ex matula argentea Deum fecit, aut Dei simulacrum. Romæ fuere in privatorum ædibus antefixa. Vitruv. *lib.* III. Ipsarum ædium species sunt variæ, ornantque signis fictilibus, aut aureis inauratis eorum fastigia Thuscanico more. Festus: Antefixa dicuntur, quæ ex opere figulino tectis affiguntur sub stillicidio. Livius *lib.* XXXIV. Antefixa fictilia Deorum Romanorum. *Lib.* XXIV. In æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat fulmine icta, decussaque ad victorias, quæ inantefixæ erant. Equestres statuæ dicuntur turmales, Ciceroni lib. II. *de Oratore*. Turmam statuarum equestrium dixit Vellejus Paterculus. Diogenes Laertius Pythagoram Rheginum statuarium scribit primum proportiones observasse, *ἀνδριαντοποιὸν πρῶτον δοκοῦντα ῥυθμοῦ καὶ συμμετρίας ἐστοχάσθαι*. Nero statuam Deæ Syriæ aspergi urina jussit. Juvenalis;

Cujus ad effigiem non tantum meiere fas est.

Arnobius *lib.* VI. negat simulacrum esse, quod non pariles lineas a principaliore traducat.

CAP. XIX.

DE STATUIS ET STATUARIIS.

AUREA statua prima omnium nulla inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant *Holosphyraton*, in templo Anaitidis posita dicitur. Direpta est Antonii Parthicis rebus. Hominum primus & auream statuam & solidam Gorgias Leontinus Delphis in templo sibi posuit, septuagesima circiter Olympiade, ait Plinius. Argenti usum in statuas primum ad honorem Augusti transisse falso existimant. Triumpho enim Pompeii Magni translata est Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argentea statua, item Mithridatis Eupatoris, & currus aurei argenteique. Valer. Maxim. *l.* VIII. *cap. ult.* ait Gorgiæ statuam auream ab universa Græcia positam. Cicero lib. III. *de Oratore*, inauratam fuisse ait, non auream. In auro cælando inclaruit nemo, in argento plærique, præcipue Mentor. Proximi ab eo in admiratione Acragas, Boethus, Mys, Calamis, & Antipater, qui Satyrum in phiala gravatum somno collocasse verius, quam cælasse dictus est; & circa Magni Pompeii ætatem Praxiteles, Pytheas, cujus Ulysses & Diomedes erant in phialæ emblemate, Palladium surripientes. Hanc artem subito exolevisse scribit Plinius. Romæ simulacrum ex ære factum Cereri primum ex peculio Spurii Cassii. Transiit a Diis ad hominum statuas. Antiqui tingebant eas bitumine, mox auro integebant. Statuariæ autem quinque genera fuere. Tomice, quæ lignum eburque secat; plastice, quæ argillam; paradigmatice, quæ gypsum; colaptice, quæ marmor & lapides; glyphice, cujus duo sunt genera: chymice, quæ metallum fundit; agogice, quæ scalpendo format, idque vel per anaglyphicen, cum imagines sunt retusæ, vel encolapticen, cum cælatæ. Plasticen Dibutades Sicyonius figulus primus invenit, Corinthi filiæ opera, quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre umbram ex facie ejus ad lucer-

A nam lineis circumscripsit, quibus pater ejus impressa argilla typum fecit, & cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit. Sunt qui in Samo primos omnium plasticen invenisse Rhœcum & Theodorum tradunt, multo ante Battiadas Corintho pulsos. Dibutadis inventum est rubricam addere, aut ex rubrica cretam fingere, primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia protypa vocavit, postea idem ectypa fecit. Ælianus lib. XIV. *Variæ Histor.* c. XXXVII. *Φιλῶ δὲ μηδὲ τὰ ἀγάλματα ὅσα ἡμῖν ἡ πλαστικὴ δείκνυσι, μηδὲ τὰς εἰκόνας ἀργῶς ὁρᾷν. Statuas, & imagines, quas plastice fingit, non oscitanter spectare* B *soleo*. Hominis imaginem gypso a facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi, hic & similitudinem reddere instituit. Idem & de signis effigiem exprimere invenit. Crevitque res in tantum, ut nulla signa statuæve sine argilla fierent. Quo apparet antiquiorem fuisse hanc scientiam, quam fundendi æris. Plastæ laudatissimi fuere Damophilus & Gorgasus, iidemque pictores. Marcus Varro tradit, sibi cognitum Romæ Posim nomine, a quo factas Romæ uvas, item pisces, ita ut non sit aspectu discernere a veris. C Laudat & Pasitelen, qui plasticen matrem statuariæ, scalpturæque, & cælaturæ esse dixit: & cum esset in omnibus his summus, nihil unquam fecit, antequam finxit. Omnino ita statuo, Ægyptios, Græcos, Italos, cæterasque gentes in artibus procudendis præ Judæis infantes fuisse. Negat Plinius bello Trojano pingendi artem extitisse, ostendo ante bellum Trojanum in Judæis multis annis & sculpturam, & cælaturam & picturam, & plasticen, cæterasque artes fuisse. Joseph. *l.* III. *c.* X. In omni picturæ ac cælaturæ artificio Bezeleelum & Eliabum principatum tenuisse tempore Moysis ostendit. Sed disertius Moyses ipse cap. XXXI. *Exodi*: *Ἰδοὺ ἀνακέκληκα ἐξ ὀνόματος τὸν Βεσελεὴλ, καὶ ἀνέπλησα αὐτὸν* D *πνεῦμα θεῖον σοφίας, καὶ συνέσεως, καὶ ἐπιστήμης*, &c. *Ecce vocavi ex nomine Beseleel, & implevi eum spiritu Dei, sapientia, & scientia in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, ære & marmore, & gemmis, & diversitate lignorum; dedique ei socium Ooliab, & in corde omnis eruditi posui sapientiam.* Cap. XXXII. *Aaron cum accepisset inaures aureas uxorum & filiarum populi Israel, formavit opere fusorio, & fecit ex iis vitulum conflatilem.* Vide quot sæculis ante Trojana sæcula ars fusoria æris & auri fuerit, quæ pars est statuariæ. Immo & apud Ægyptios fuit.

E Effigies hominum non solebant exprimi nisi aliqua illustri causa, ob perpetuitatem merentium, primo sacrorum certaminum victoria, maximeque Olympiæ, ubi omnium, qui vicissent, statuas dicari mos erat. Eorum vero, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressas, quas iconicas vocant. Athenienses haud scio an primi omnium Harmodio & Aristogitoni tyrannicidis publice posuerint statuas. Hoc actum est eodem anno, quo & Reges Roma pulsi. Certe Romæ jam olim viris de Republica bene meritis statuæ senatusconsulto decretæ. Præter cereas in atrio imagines aliæ foris erant, circa limina animo- F rum ingentium affixis hostium spoliis; quas nec emptori refringere liceret, ait Plinius *lib.* XXXV. *cap.* II. Seneca *epist.* LXV. statuam commemorat *δορυφόρον, διαδούμενον*. Ulpianus ad Demosthenem *in Leptinem*: *ἔθος ἦν παρ' Ἀθηναίοις τοὺς εὐεργέτας τῆς πόλεως λαμβάνειν διαφόρους τιμὰς ἢ χαλκῆν εἰκόνα. Athenis moris erat, ut benemeriti de Republica acciperent varios honores, aut æream statuam.* Justinus II. *Apolog.* VI. *Σίμωνι Θεῷ ἀνδριὰς μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν τοῦ Τιβέριος. Simoni Deo statua*

posita inter duos potens Tiberis. Symmachus *epist.* XXV. *lib.* X. Senatus impatiens dispendii sui solatium petit de honore virtutis, vestrumque numen precatur, ut virum nostra ætate mirabilem statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum, quia ornamentis bonorum incitatur æmulatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Hinc factum est, ut rusticis adhuc sæculis optimi quique civium manu & arte formati in longam memoriam mitterentur. Apulejus lib. III. *Milesf.* At illa imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formaverat, divinis percolens honoribus, ipso se solatio cruciabat. Statius in *Epicedio Lucani:*

At solatia vana subministrat
Vultus qui simili notatus auro
Stratis prænitet, incubatque somno.

Eunapius in *Proæresio*, cui ἀνδριάντα κατασκευασάμενοι χαλκοῦν ἰσομέτρητον, *statuam facientes æream æqualem*. Artemidorus *lib.* I. *cap.* LII. χάλκειοι εἰκόνες τῶν ἐλευθέρων ἀνατίθενται, *ereæ imagines ingenuorum ponuntur*. Scipioni Africano in cella Jovis Optimi Maximi statua posita est, in curia superiori Catoni. Vide Valer. Maximum *lib.* VIII. *cap.* XV. Apulejus *florido* III. libello misso, per quem postulabat locum celebrem statuæ meæ, qui in illa sanctissima curia aderant, tam libenter decreverunt omnes locum statuæ. Vet. Inscriptio, impetrato loco ex decurionum ordine, statua fovens memoriam pietatis honoravit, datisque sportulis dedicavit, *l.* 4. *ff. de condition. & demonstrat. l.* 2. *ff. de loco publ.* Locus statuæ impetratur a municipibus. Soliti erant olim statuas amicorum suorum alicui Deo consecrare, ut religionem haberent. Diogenes Laertius in *Aristot.* καὶ τὴν τῆς μητρὸς εἰκόνα τῇ Δήμητρι ἀναθεῖναι εἰς Νεμέαν. *Matris suæ imaginem Cereri dicare ad Nemeam*. Idem in *Theophrasto*, qui mandavit imaginem Aristotelis τεθῆναι εἰς τὸ ἱερὸν, *poni in templo*. Vide Procopium lib. I. *Gotth.* de statua Theodorici Neapoli ex testulis & emblematis, lapillisque. Livius *lib.* XXIII. Sub Hannibale Magius ad statuam Ptolemæi Regis confugit & absolutus est. Diomedis statuæ a Dauno in mare projectæ ad suam basim enatarunt. Lycophr.

Στήλαις δ' ἀκινήτοισι ὀχμάσει πέδον,
Ἃς οὔτις ἀνδρῶν ἐκ βίας καυχήσεται
Μετοχλίσας ὀλίγον. ἦ γὰρ ἀπτέρως
Αὐταὶ παλιμπόρευτον ἵξονται βάσιν
Ανδηρ' ἀπέζοις ἴχνεσι δατούμεναι.

Statuis immotis premet solum, quas nemo gloriabitur per vim tantillum movere loco. Certe enim illæ sine alis redibunt in suam basim littora vestigiis pede carentibus calcantes.

Κολοσσοβάμων δ' ἐν πτυχαῖσιν αὐσόνων
Σταθεὶς, ἐρείσει κῶλα χερμάδων ἔπι
Τοῦ τοιχοποιοῦ δαπέδων ἀμοιβέως
Τὸν ἑρματίτην νηὸς ἐκβαλὼν πέτρον.

Statua facta ex iis lapidibus quos pro saburra Diomedes in naves e muris Trojanis imposuerat. Polybius pag. 191. Mortui Epiphanis ponunt imaginem in loco domus maxime illustri, ξύλινα ναΐδια περιτιθέντες, *fana lignea circumponentes*. Imago autem est vultus ei similis figmento, & subscriptione, ἡ δὲ εἰκών ἐστι πρόσωπον κατὰ τὴν πλάσιν, καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν. Columna rostrata Duillio posita est bello primo Punico, in cujus basi res ejus gestæ. Visitur hodieque in Capitolio. S. Basil. pag. 408. Στήλη τειῶν πραγμάτων σύμβολον, στάσεως, ἀναθέσεως, ἐπιγράμματος. *Columna trium rerum argumento est, statuis, consecrationis, inscriptionis*. Jam omnium municipiorum foris statuæ ornamentum esse cœpere, prorogarique memoria hominum, & honores legendi ævo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur. Mox forum, & in domibus privatis factum, atque in atriis. Togatæ effigies antiquitus ita dicabantur. Placuere & nudæ tenentes hastam, quas Achilleas vocant. Græca res est nihil velare, Romana ac militaris thoracas addere. Erant & lupercorum habitu factæ, sed novitiæ, aliæ penulatæ. Lucius Actius poeta in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuit, cum brevis admodum fuisset. Pollio in *Tito tyranno*, statuam *acrolytham* auratam in templo Veneris fuisse ait. Ita lego cum Salmasio non *Argolicam*. Acrolitha est lapidea, ita Laberius columnas monolithas dixit. Vetus Epigramma,

Μή μ' ἐκδύσης ἄνθρωπε τὸ χλαινίον, ἀλλὰ θεώρει
Οὕτως ἀκρολίθου χαμὲ τρόπον ξοάνου.
Ne me exuas tunicula, o homo, sed me specta
Ut simulacrum lapideum.

In vet. Inscript. leges statuas auro illustres, auro superfusas. Statuam sub auro constitui locarique jusserunt. Statuæ interdum dicuntur cippi sepulcrales, columnæ, στῆλαι. Glossæ, statua, ἀνδριάς, στήλη, *titulus*, *cippus*. Priscianus in *Periegesi* columnas Herculis statuas vocat,

Statuas hæc Herculis inter a Tyriis colitur.
Calpen qua summam sustinet unam
Herculis e statuis.

Semper autem in columnis statuæ ponebantur, ad sepulchra Veterum. Vopiscus in *Aureliano*, ubi & in columnis statuæ Aureliano constitutæ sunt. Trebellius in *Claudio*: Illi totius orbis judicio in Rostris posita est columna, palmata statua superfixa librarum argenti mille quingentarum. Interdum magicis devotionibus, & sacris in scrobem factis, statuæ quædam consecrabantur, & in eo loco defodiebantur, quem barbaros nolent transire. Olympiodorus: ἐν ταῖς ἡμέραις Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως ἐν τῇ Θράκῃ Οὐαλερίου ἄρχοντος μήνυσις γέγονεν ὡς θησαυρὸς εὑρεθείη. *In diebus Constantii Imper. Valerio præside*, aut *rectore*, *rumor fuit thesaurum repertum esse*. Valerius cum eo venisset discit ab indigenis & accolis locum sacrum esse, & ἐξ ἀρχαίας τελετῆς ἀνδριάντας ἐν αὐτῷ ἀφιερῶσθαι, *ex antiqua consecratione statuas ibi defossas*. Deinde refert ea de re ad Imperat. a quo literas accepit, quibus jubebatur ea quæ indicata erant accipere. ἀνορυχθέντος τοίνυν τοῦ τόπου εὑρίσκονται τρεῖς ἀνδριάντες, *cum locus apertus esset repertæ sunt tres statuæ*. Photius scribit eas statuas fuisse argenteas. Palladium statuam ligneam brevem fuisse volunt τετελεσμένην, *consecratam* ad custodiam Trojæ. Memnonis statuam consecratam fuisse vult Juvenalis Scholiastes. Addo in fastigiis domorum augustarum statuas collocari solitas, ut in templorum fastigiis. Vopiscus in *Floriano*, imago Apollinis, quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita, sine cujuspiam manu deprehensa est. Spartianus in *Pescenino Nigro*: *In qua ejus in tricboro simulacrum constituit*. Trichorum vocat fastigium domus triangulare. Quod autem diximus e lapillis & gemmis simulacra facta esse, ostendit Poeta l. IV. *Græc. Epigr.* ubi Satyrus de se dicit,

—— πῶς ἐκ λίθου ἄλλοθεν ἄλλης
Συμφερτὸς γενόμην ἐξαπίνης Σάτυρος.

Vide quando ex variis lapillis statim Satyrus coagmentatus sum. Apud Procopium in *Gotthico* leges Theo-

Theodorici Regis sigilii, quod ex gemmis fictum erat, in excessu ejus caput diffluxisse, ventrem, pectus & brachia in obitu Amalasunthæ filiæ ejus, femora & pedes dilapsos obeunte Athanarico. Augustus in Lario sigillum habuit Marcelli ex lapillis pretiosis, quod sæpe exosculabatur. Apud Plinium *lib.* XIV. Veteres usi ligno vitis ad simulacra, quia diutissime perennat. Vites jure apud Priscos magnitudine quoque inter arbores numerantur. Jovis simulacrum in urbe Populonia ex una conspicimus, tot ævis incorruptum, item Massiliæ pateram. Nec est ulli ligno æternior natura. Equestres statuæ Romæ frequentes, & Curules iis qui triumphavissent. Juvenalis,

—— stat currus aheneus, albi
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, & statua meditatur prælia lusca.

Item,

Et stantes in curribus Æmilianos.

Augusto sejuges & elephanti positi. Bigæ his, qui prætura functi per circum curru vecti essent. Columnæ positæ C. Menenio, C. Duillio, & Pub. Minutio Præfecto annonæ unciaria stipe a populo collata, cum prius a Senatu is honor esset. Statuæ Romuli & Camilli sine tunica in Rostris. Tripedaneæ statuæ in foro ante ædem Castorum. Quinti Marcii Tremuli equestris togata. Pedestres Romæ fuere in auctoritate longo tempore. Clœliæ statua equestris togata. Corneliæ Gracchorum matri statua sedens posita, soleis sine amento insignis. Colosseæ imagines apud Lampridium in *Alexandro Severo*. Hercules ab Euandro sacratus in foro boario, qui per triumphos vestitur habitu triumphali. Usque ad devictam Asiam lignea aut fictilia Deorum simulacra in delubris dicata. In M. Scauri ædilitate tria millia signorum in scena fuere temporario theatro. Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Romæ ætate Plinii centum colossi fuere, præterque hos quinque Deorum, quos fecit Bryaxis. Zenodotus Neroni fecit colossum centum & decem pedum longitudine. Conqueritur Plinius suo tempore interisse æris fundendi scientiam. Veteres signis Corinthiis adeo capiebantur, ut ea secum ferrent, Sphingem Hortensius, Nero Amazonem, Apulejus sigillum Mercurii in *Apologia* prima. Phidiæ Jupiter Olympius ex ebore & auro fuit. Phidias primus artem toreuticen aperuit, Polycletus erudiit, Myron auxit, symmetriam diligentior Lysippus perfecit. Polycletus fecit Diadumenum molliter juvenem, & Doryphorum viriliter puerum. Polygnotus argenti cælator & pictor fuit. Vide Athenæum *lib.* XIII. de iis, qui simulacra adamarunt usque ad συνουσιασμόν. Tertullianus de *Idololatr.* An plastes effingat, an cælator exsculpat, an Phrygio detexat, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. Palladium ex ossibus Pelopis fuisse scribit Clemens Alexandrinus. Vide quæ nos de imaginibus Imperatorum scripsimus lib. II. *de Imperatoribus*.

CAP. XX.

DE CULTU ET ORNATU SIMULACRORUM.

Ethnici quoties simulacra Deum dicarent, certos ritus observabant, de quibus Suidas in *verbis*, χύτραις ἱδρυτέον: Ὁπότε μέλλοιεν βωμοὺς ἐγκαθιδρύειν, ἢ ἀγάλματα θεοῦ, ἕψοντες ὄσπρια, ἀπήρχοντο τούτων τοῖς ἀφιδρυμένοις· χαριστήρια ἀπονέμοντες τῆς πρώτης διαίτης. ἔστι δὲ ὅτε καὶ πολυτελεστέρῳ ἱερείῳ ἀφιδρύοντο. *Quoties vellent aras ponere, aut simulacra Dei, elixantes legumina primitias dabant consecratis; gratias agentes quod priorem victum legumina dedissent. Interdum sumptuosiori victima in consecrando utebantur.* Simulacra autem non modo coronis, unguento, & floribus ornabant, de quibus supra egimus, sed unionibus, fasciolis, sacrificiis. Uniones & inaures solere appendi simulacris ostendit Macrobius lib. III. *Saturn.* cap. XVII, de Cleopatræ unione agens. Ipse autem unio cujus magnitudinis fuerit, inde colligi poterit, quod qui superfuit postea victa regina, & capta Ægypto, Romam delatus, dissectusque est, & factæ ex una margarita duæ, impositæque simulacro Veneris, ut monstruosæ magnitudinis in templo quod Pantheum dicitur. Cum quidam legatus uniones duos per Alexandrum Severum uxori ejus obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, inauribus Veneris eos dicavit, ait Lampridius. Censores magistratum ineuntes nihil prius egerunt, quam ut Deorum simulacra ornarent coloribus renovatis, quia cito evanescit minium, quo Veteres simulacra pingebant. ἐξανθεῖ τὸ μιλτινὸν, ᾧ τὰ παλαιὰ τῶν ἀγαλμάτων ἔχρωζον, ait Plutarchus in *Romaicis*. Simulacra autem pateris & vestibus aureis argenteisque ornari solita docet Aristoteles lib. II. *Politic.* Ὅσα δὲ τῶν ἀγαλμάτων φιάλην εἶχε προτεταμένα, εἰπὼν, ὅτι δέχομαι, ἐξαίρειν ἐκέλευε, τά τε ἱμάτια χρυσᾶ, καὶ τοὺς στεφάνους περιῄρει τῶν ἀγαλμάτων. Dionysius Tyrannus simulacris, quæ porrigerent phialas, dicebat, *Accipio*, & jubebat auferre, & vestes aureas & coronas tollebat. Phiala in manu simulacri, divinitatis argumento fuit. Barbam auream cum velleret Æsculapio dixit, patre imberbi filium barbam promittere ferendum non esse. Cum Jovi vestem argenteam eriperet, dixit, frigidam hyeme, calidiorem æstate oneri esse. Ptolemæus cum artifices coegisset ut simulacrum Dianæ facerent, post opus scrobe facta omnes defodit, ut simulacrum de cælo lapsum putaretur, συναγαγὼν τοὺς τεχνίτας ὥστε τὸν τῆς Ἀρτέμιδος ἀνδριάντα ποιῆσαι, μετὰ τὸ ἔργον βόθρον μέγαν ὀρύξας κατέχωσε. τοῦτο μὲν τὸ διοπετὲς βρέτας. Non omnes gentes statuis usæ. Athenienses lucum posuere in media urbe Clementiæ sine simulacro. Statius lib. XII. *Thebaid.*

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deæ, mentes habitare, ac pectora gaudet.

Varro apud Augustinum lib. IV. *Civit.* cap. XXXIV. Romani centum septuaginta primis annis ritu Persico templis, simulacris, Deorumque statuis caruerunt. Montes pro statuis dedicasse Diis ostendimus. Strabo *lib.* VII. Παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὁ ἱερεὺς ὠνομάζετο θεὸς, καὶ τὸ ὄρος ὑπελείφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. *Apud Getas Sacerdos dictus Deus, & mons sacer existimatur, & ita vocant.* Sed & Dacorum mons sacer. Statius lib. I. *Sylvar.*

—— tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas.

Agger lapidum, aut tumulus terræ aggestæ pro simulacro fuit. Valerius Flaccus lib. V. *Argonaut.*

—— an Martia templa
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, & agger
Quod rudis, & sola colimur frigentibus umbra.

Isidis effigies brevis. Claudianus *in* IV. *Consulat. Honorii*:

—— ſic numina Memphis
In vulgus proferre ſolet, penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem, ſed plurimus infra
Liniger.

Feſtus delubrum eſſe ait fuſtem delibratum, hoc eſt, decorticatum, quem venerabantur pro Deo. Gloſſ. Delubrum καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα. Romæ fratres aheni, id eſt, Caſtorum ſtatuæ æneæ; vel, ut alii volunt, Danaidum, & Ægypti filiorum. Perſius:

—— nam fratres inter ahenos
Somnia, pituita qui purgatiſſima mittunt.

Jani ſtatua biceps, διπρόσωπος, *bifrons*. Septimius apud Terentianum lib. *de Metris*:

Jane pater, Jane tuens, Dive biceps, biformis.

Janus Geminus a Numa Rege dicatus, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni, temporis & ævi ſe Deum indicaret. Berecynthius lapis pro Cybele cultus. Claudianus lib. *de Raptu Proſerpinæ*:

Hic ſedes auguſta Deæ, templive colendi
Religioſa ſilex, quam denſis pinus obumbrat
Frondibus.

Jupiter Ammon erat corniger. Silius Italicus *lib.* IX.

At patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Erat arietis ſpecie. Mercurius varia forma fuit. Scholiaſtes Perſii *ad ſatyr* V. Mercurius lucri Deus cum ſacello pingitur. Canino capite fingitur apud Iſidor. lib. VIII. *Orig.* cap. ult. Dantur ei talaria, caduceus, ſerpentibus ad oſculum coeuntibus, cum petaſo. Virgilius:

—— ac primum pedibus talaria nectit
Aurea: tum virgam capit,

Galero tegitur, quod omne negotium ſit ſemper abſconſum, ait Fulgentius lib. I. *Mytholog.* Mercurios alii quadratos pene fecere ſurrecto. Plutarchus in *præcep. polit.* τ̃ Ἑρμῶν τὰς πρεσβυτέρας ἀχείρας, καὶ ἀπόδας ἐντεταμένοις μορίοις, *ſine manibus, ſine pedibus*. Macrobius lib. I. *Saturnal.* cap. XIX. Simulacra Mercurii ſtatu quadrato, ſolo capite inſignita, virilibus erectis. Juvenalis *ſatyra* VIII.

—— truncoque ſimillimus Hermæ.

Erant & arbores lapideſque terminales pro ſimulacris, *leg.* I. *&* 3. *ff. de termino moto*. Ovidius lib. II. *Faſtor.*

Termine, ſive lapis, ſive es defertus in agris
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.

Ante ſimulacra aræ poſitæ. Prudentius *in Symmachum*: Omnibus ante pedes poſita eſt ſua cuique vetuſta arula. Manus ſimulacrorum vulgo attingebant, cum ſalutarent. Lucretius *lib.* I.

—— tum portas propter ahenas
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Faſciolis cingebant. Prudentius:

—— & lapis illic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſciolis, vel gallinæ pulmone rogare:
Frangitur & nullis violatur terminus extis.

Ad ſimulacra enim victimas cædebant, urnas oſculabantur, in quibus cineres. Prudentius:

Deaſciato ſupplicare ſtipiti,
Verris cruore ſcripta ſaxa ſpargere,
Urnas reorum morticinas lambere.

Ponebantur & Deorum imagines cum phecaſiis. Juvenalis: Phecaſiatorum vetera ornamenta Deorum. Pauſanias pag. 241. ἔρια ἐπιτιθέασι, *lanas ſimulacris imponunt*. Manus ſimulacrorum ſupinæ porrigebantur. Ideo Ariſtophanes in *Concionantibus* ait, ſimulacra extendere manus, non ut donent, ſed ut accipiant. ἑστήκει ἐκτείνοντα τὴν χεῖρα ὑπτίαν, οὐχ ὥς τι δώσοντ᾽, ἀλλ᾽ ὅπως τι λήψεται. *Stant extenſis manibus ſupinis*. Scholiaſtes: τὰ ἀγάλματα θεῶν ὑπτίας τὰς χεῖρας ἔχουσι. Lectuli prope ſimulacrum Æſculapii aſſiti. Pauſanias pag. 360: κλίνη ἐν δεξιᾷ κεῖται τοῦ ἀγάλματος Ἀσκληπιοῦ. Immo in pulvinari ſimulacra collocabantur. Apud Livium: Supplicatio ad omnia pulvinaria. Arnobius *lib.* I. *Quirinum eſſe Martium dicitis, & Sacerdotibus, & pulvinaribus honoratis*. Catullus:

Pulvinar vero Divæ geniale locatur
Ædibus in mediis.

Ægyptii, Perſæ, Romani diu ſimulacra repudiarunt. Lucianus *de Dea Syria*: τὸ παλαιὸν παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἀξόανοι νηοὶ ἔσαν, *olim apud Ægyptios templa erant ſine ſimulacris*. Zonaras Tom. II. pag. 10. Ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα τοῦ θεοῦ ἀνιστᾶν Ῥωμαίοις ἀπείρηκαν. ὅθεν οὐδ᾽ ἦν παρ᾽ αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν, οὔτε πλαστὸν εἶδος θεοῦ ἐν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἔτεσι, ναῶν αὐτοῖς ἀνεγειρομένων οὐδὲν ἔμμορφον ἐποίουν ἀφίδρυμα. *Vetuerunt Romanis humana aut animalis forma imaginem Dei formare. Itaque apud eos neque pictum, neque fictum os aliquod Dei fuit per centum ſeptuaginta annos, & cum templa haberent, nulla fuit formata effigies.* Varro apud S. Auguſtinum lib. IV. cap. XXXI. *de Civit.* ſcribit, Romanos annis pluſquam centum ſeptuaginta ſine ſimulacro Deos coluiſſe. Monui ſupra, moris fuiſſe, ut qui ſtatuam alicui ponerent, eam certis Diis conſecrarent. Ita Mithridates ſtatuam, quam erigebat Platoni, Muſis dedicavit, apud Laertium. Gorgias Leontinus ſtatuam ſibi poſiturus, eam Apollini Delphico conſecravit, apud Athenæum. Theocritus: χρύσεοι ἀμφότεροι κἀνακείμεθα τῇ Ἀφροδίτῃ, *aurei utrique & Veneri dedicabimur*, ut ſtatuæ conſecratæ manerent intactæ. Cicero *in Verrem*: Apud omnes Græcos hic mos eſt, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujuſmodi nonnulla religione Deorum conſecrari arbitrentur. Viris fortibus ſtatuas poſitas ſupra oſtendimus. Imago in cella Jovis Opt. Max. Africano poſita, apud Valerium *lib.* VIII. *cap.* XIV. Cic. *Philippica* XIII. Statua Lepido in Roſtris cum inſcriptione poſita, & quidem loco, ut Plinius ait, oculatiſſimo. *Philippica* VI. Statuam inauratam Luc. Antonio, in qua inſcriptum: Quinque & triginta tribus patrono populi Romani, *lib.* I. *Digeſt. tit.* II. Sulpitio, cum in legatione mortuus eſſet, ſtatuam populus Romanus pro roſtris poſuit. Cicero *pro Dejotaro*: Ad ſtatuam nullus eſt locus Roſtris clarior. De aurigarum & quadrigariorum ſtatuis vide lib. V. *Antholog.* De ſignis aſperis & extantibus lib. V. *Metamorphoſ.* Ovid.

—— altis extantia ſigna crateris.

Suetonius *cap.* XLIV. Nero exegit nummum aſperum, argentum poſtulatum, aurum obryſum, id eſt, Lydio lapide probatum, argentum recens ab igne purgatiſſimum. Virgilius V. *Æneid.*

—— atque aſpera ſignis
Pocula.

Perſius *ſatyra* III.

—— quid aſper
Utile nummus habet.

Martialis *lib.* VII. *epigramm.* LXXXV.

—— nulla venit a me
Argenti tibi libra puſtulati.

Et *lib.* VIII. *epigr.* L.

Et nimium felix puſtula vincit ebur.

De metallis hoc addo, Hiſpanos, Beſſos, Æthiopas olim auro divites habitos. Vitruvius *lib.* IV. In quibus auri argentique venas Beſſorum induſtria reperit. Caſſiodorus *lib.* III. Iolchos æs, Midas plumbum invenere. Æacus aurum, vel, ut alii volunt, Indus Rex Scythiæ. Cæſar lib. III. *Belli Gallici:* Multis locis in Gallia ærariæ ſecturæ ſunt. Strabo *lib.* III. Τὰ μεταλλείας ἔχοντα χωρία ἐςὶ τραχέα, καὶ παράλυπρα, *loca metallis opulenta ſunt aſpera, & horrida*, ut Attica. Silius *lib.* I.

—— Aſtur avarus
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effoſſo concolor auro.

Seneca *epiſt.* XXII. Levium metallorum fructus in ſummo eſt. Illa opulentiſſima, quorum in alto latet vena aſſidue plenius reſponſura fodienti. Lucretius *lib.* V. Aurum cognitum, quod incenſa ſylva fluxerit:

Flammeus ardor ubi terram percoxerat igni,
&c.
Manabat venis ferventibus in loca terræ
Concava, conveniens argenti rivus & auri.

Lib. VI.

Quidve mali ſit, ut exhalent aurata metalla.

Claudianus:

—— effoſſis nec pallidus Aſtur oberrat
Nontibus.

Cap. XXI.

DE STATUIS.

Iis, qui de Republica benemeriti eſſent, ſtatuæ poſitæ, & tabulæ æreæ, unde & origo nobilitatis. Cicero IV. *in Verrem:* Ænea tabula fixa Thermis, (quod oppidum Siciliæ fuit) in curia, ut merita ejus in Rempublicam proderentur. Hac in re peccatum eſt a Rhodiis, qui ſtatuas Priſcis dicatas, priori nomine eraſo, aliis dicabant. Dio Chryſoſtomus in *Rhodiaco:* Rhodi cum viro de Republica benemerito decreta eſſet ſtatua, ei Prætor unam, quam voluiſſet, ex antiquis ſtatuis oſtendit. Στρατηγὸς ὅς αὐ αὐτῷ φανῇ τῶν ἀνακειμένων τούτων ἀνδριάντων ἀποδείκνυσι, &c. ἔνθα τῆς μὲν προτέρης οὔσης ἐπιγραφῆς, ἀναιρεθείσης ἑτέρου δὲ ὀνόματος ἐγχαραχθέντος. Ibi prima inſcriptione ſublata, alio nomine inciſo, quod videtur abſurdum; *ornatus enim, & inſcriptio, & ſtare æreum videtur aliquid magnum, animis generoſis*, ἡ γὰρ στολὴ, καὶ τὸ ἐπίγραμμα, καὶ τὸ χαλκοῦν ἑστάναι μέγα δοκεῖ τοῖς γενναίοις, &c. Demum ſubjicit: Προδοτῶν καὶ τυράννων τὰς τιμὰς ἀναιρεῖσθαι, κἂν ἐπιγραφῆς τινος πρότερον ὦσι τετυχηκότες. Η δὲ εἰκὼν ἐπιγέγραπται, καὶ οὐ μόνον τὸ ὄνομα, ἀλλὰ καὶ τὸν χαρακτῆρα σώζει τοῦ λαβόντος, ὥστε εὐθὺς εἶναι προσελθόντα εἰδέναι τίνος ἐστί. *Proditorum & tyrannorum honores tolluntur, licet prius inſcriptionem aliquam ſortiti ſint. Statua autem inſcribitur, & nomen, characteremque ejus, cui poſita eſt, accipit, ut ſtatim qui accedit agnoſcat.* Rhodi ſtatuæ fuere ad ſeptuaginta tria millia. L. Mummius Corintho capta Romam ſignis æris Corinthii replevit. Hortenſius orator Verri Sphingem operis Corinthiaci abſtulit. Circumtulit Nero Princeps Amazonem. Alexandri Magni tabernaculum ſtatuæ ſuſtinebant. Cicero in *Paradox.* Auctionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod Polycleti. Telchines Rhodii primi ſtatuas honori Deorum conſecrarunt. Sunt qui Hetruſcis hoc tribuant. Plotinus fictiles ſtatuas loquutas eſſe prodit lib. I. *de dubiis animæ.* Fuere ſtatuæ magicis artibus devotæ, quæ imbres cierent, ait Plotinus. Primus apud Græcos Cadmus ſtatuas in templis conſecravit. Ariſtoteles primas ait Athenis poſitas in foro Ariſtogitoni & Harmodio, quas a Xerxe aſportatas Alexander Athenienſibus reſtituit, narrante Arriano. Ammianus Romæ ſtatuas auro imbracteari conqueritur, quod Acilio Glabrioni primum delatum eſt, Antiocho ſuperato. Semiramis apud Bagiſtanum Mediæ montem in petra ſtadiorum ſeptemdecim ſuam inſculpſit effigiem, quam centum viri donis colerent. Apud Diodorum Siculum *lib.* II. Statuarii Ægyptii tantum præcelluere arte & ingenio, ut variis lapidibus unum ſimulacri corpus conficerent, conventu partium adeo congruo & apto, ut uno loco ab eodem artifice opus perfectum eſſe videretur, licet ipſi diverſis locis poſiti eſſent; cujuſmodi fuit ſimulacrum Pythii Apollinis apud Samios, a ſtatua dictus *ſtatunculus*. Hieronymus *ſtaticulum* neutro genere dixit, de uxore Loth agens, quam vocat *ſtaticulum ſalis*. Ars autem ſtatuaria quinque generibus continetur. Tomice & deſectrix ligna & ebur elaborat. Plaſtice argillam. Paradigmatice gypſum, quoniam a typis non abſcedit, ait Cœlius Rhodiginus. Colaptice ſeu ſcalptura lapides ſcalpit, artifices λιθοξόους vocant. Glyphice vel ſculptura metalla ſculpit, quæ, ſi adhibetur cera, dicitur Agogice, a deducendo; ſi metallum funditur, Chemice vocatur. Anaglyphicen dicunt, quum imagines exſculptæ prominent; Diaglyphice, quum imprimuntur tantum. Encolaptice laminas cælat. Toreutice vaſa, fibulas, candelabra. Proplaſtice, ſi futuri operis formas ex creta plaſtæ vel argilla fingunt. Si cera ſculpuntur, dicitur protypus; ſi ex ligno, modulus. S. Auguſtinus lib. VIII. *de Civit. Dei*, ſcribit ſtatuas quaſdam ex certis rebus coagmentatas a dæmone ſtatim animari; melius dicerentur inſpirari. Nihil enim eſt, unde efficacius probetur Angelos & Dæmones eſſe, quam ex eo, quod ſtatuæ brutæ & exanimes loquuntur. Statuarum autem tria genera ſunt: Iconicæ, pares ſtatu ei, cui ponuntur; Auguſtæ majores; Coloſſeæ maximæ. In veteribus Inſcriptionibus columna roſtrata Duillio poſita eſt bello primo Punico, in cujus baſi res ejus geſtæ inciſæ ſunt, viſitur in Capitolio Romæ. Sic autem habet, Segeſtanos, ſocios & cognatos populi Romani, obſidione exemit. Cicero IX. *Philippica:* hunc honorem ſtatuæ nemini tribuendum cenſuit, niſi qui ferro eſſet in legatione interemptus. *Pro Sextio:* Viris fortibus pro roſtris ponuntur imagines. *Pro Dejotaro:* Ad ſtatuam nullus eſt locus roſtris clarior. Statuæ tyrannicidis ſunt poſitæ. Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* IV. Harmodio & Ariſtogitoni, quo anno Romæ Reges ejecti ſunt, ſtatuæ poſitæ. Philoſophis item ſtatuæ decretæ. Tertullianus *Apologet.* Philoſophi ſtatuis & ſalariis remunerantur, illis ſtatuas diffunditis, imagines inſcribitis, titulos inciditis in æternitatem, quantum de monimentis poteſtis. Eo pertinet illud Juvenalis *ſatyra* I.

Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Item Principi ſtatuæ decretæ. Plinius lib. X. *Epiſt.* Inconſulto Principe nefas fuit imaginem ejus erigere, *l. ſi quando. C. de operibus publicis.* Demoſthenes *oratione* περὶ συντάξεως, conqueritur ſua ætate omnibus decerni ſtatuas æreas, quæ Miltiadi & Themiſtocli negatæ ſint. οὐ χαλκοῦς ἵστασαν Μιλτιάδην καὶ Θεμιστοκλέα, victis Perſis. Decreto populi opus fuit Rhodi & Athenis. Dio in *Rhodiaco:* τὰ ψηφίσματα γέγραπται δήπου θέντα τὰς τῶν τιμῶν, καὶ δημι-

σια μένει ἢ ἅπαντα χρόνον. Ibidem arguit Rhodius, quod ad Romanos Principes, etiam ſub Nerone, mitterent plebiſcitum, ut ſtatuam, quo loco vellent, apud ſe ponerent. *Ψήφισμα τ̃ εἰκόνος, ἵνα ἐὰν βέλωνται σήσωσι παρ' ἑαυτῶν*. Fol. 239. Quædam ſtatuæ fuere in ſuggeſtu. Dio pag. 126. Pompeii & Syllæ *εἰκόνας ἐπὶ τῷ βήματι ἑςώσας ἀνεῖλον*. Horatio Cocliti ſtatua in Volcanali poſita, quia pontem defenderat. Olmypiæ variæ ſtatuæ fuere. Plato in *Phædro*; *ad donarium Cypſelidarum in Olympia malleo ductus ſoliduſque ſtato*. Παρὰ τὸ Κυψελιδῶν *ἀνάθημα σφυρήλατος ἐν* Ολυμπίᾳ *σάθητι*. Plinius *lib.*XXXIV.*cap.*IV. Olympiæ omnium, qui viciſſent, ſtatuas poni mos fuit; qui ter ibi viciſſent, iconicas habebant, e membris eorum expreſſas imagines. Quadrigariis & agitatoribus armatæ decretæ ſunt. Lib.v. *Antholog. de Porphyrio: Debebas arma ferre, non iſtas veſtes, ut agitator & belli dux.*

Ωφελες ὅπλα φέρειν, ὐ φάρεα ταῦτα κομίζειν,
Ως ἐλατὴρ πελέθων, καὶ πολέμων πρόμαχος.

Dabantur a factionibus hæ ſtatuæ:

Τοὔνεκα καὶ ξεῖνον πρεσβήιον εὕρατο μοῦνος
Εἰκόνα χαλκείην δήμῳ ἐν ἀμφοτέρῳ.
Quare novum honorem inveniſti ſolus
Imaginem æream in utroque populo.

Cura ſtatuarum omnium penes Comitem Romanum erat. Iis, qui injuria cæſi, ſtatuæ datæ. Plinius *lib.*XXXIV.*cap.*V. Tertullianus *Apologet.* Imaginem Socratis auream in templo Athenienſes collocarunt. Probus in *Militiade*: Cui victis Perſis datus honor, ut in porticu *ποικίλῃ* cum pugna Marathonia depingeretur, ut in decem Prætorum numero prima ejus poneretur imago, iſque hortaretur milites, prælimmque committeret. Idem populus Demetrio Phalereo trecentas ſtatuas poſuit. Athenienſes victoria parta Hermas in foro ſtatuebant. Æſchines *in Cteſiphontem*: Τινὲς ἐπὶ Στρυ*μόνι ποταμῷ ἐνίκων μαχόμενοι* Μήδους*, ἐπειδὴ δεῦρο ἀφικόμενοι τ̃ δῆμον ᾔτησαν δωρεὰν, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ δῆμος τιμὰς μεγάλας ὡς τότε ἐδόκει, τρεῖς λίθους* Ερ*μᾶς σῆσαι ἐν τῇ σοᾷ τῇ τ̃* Ερμῶν*, ἐφ' ᾧ τε μὴ ἐπιγράφειν ὀνόματα τὰ ἑαυτῶν, ἵνα μὴ τ̃ σρατηγῶν, ἀλλὰ τοῦ δήμου δοκῇ εἶναι τὸ ἐπίγραμμα. ἐπιγέγραπται γὰρ ἀπὸ τῷ πρώτῳ τ̃* Ερμῶν*, ἦν ἄρα κἀκεῖνοι ταλακάρδιοι*. *Hermæ erant lapides quadrati Mercurio ſacri ſolo vultu, inſcriptio erat in baſi: quæ data benemeritis, ut iis, qui ad Strymonem fluvium vicerant Medos. Athenienſes dederunt tres Hermas in porticu Hermarum ea lege, ne nomen ſuum inſcriberent, ſed populi. inſcriptum primo Hermæ, erant illi fortes.* Demoſthenes *in Leptinem*: *Athenis τινὲς πολλ' ἀγαθὰ εἰργασμένοι ἀγαπητῶς ἐπιγράμματος ἐν τοῖς* Ερμαῖς *ἐτύγχανον*, cum *ἀτέλειαν* aut *σέφανον* non accepiſſent. Ubi Scholiaſtes: *ξύλα ἢ λίθοι τετράγωνοι ἔχοντες ὄψιν* Ερμοῦ *ἐπάνω, κάτω δὲ ἐν τῷ πλάτει τὰ ἐπιγράμματα*. In loco illuſtri ponebantur. Lampridius in *Alexandro*, Statuas ſummorum virorum in foro Trajani collocavit undique translatas. Pag.989. Statuas coloſſeas, vel equeſtres nudas, vel pedeſtres, D. Imperatoribus in foro Nervæ, quod tranſitorium dicitur, cum titulis & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem indicarent. Trebellius: Illi populus Romanus ſumptu ſuo, quod nulli antea, in Capitolio ſtatuam auream decem pedum collocavit. Livius *lib.*VIII. Camillo & Menenio Conſulibus equeſtres ſtatuæ: rara illa ætate res. Eutropius *lib.*II. Anno urbis 380. Conſulibus ſtatuæ, victis Latinis, poſitæ ſunt. Plutarchus in *Tito Flaminio* ait, ejus ad circum imaginem cum inſcriptione Græca, *εἰκόνα γράμμασιν* Ελληνικοῖς *ἐπιγεγραμμένην*. Legatur Eutropius *lib.* VII. Varia autem fuere ſtatuarum genera: Equeſtres, quæ turmales dicuntur, lib.II. *de Oratore*. Paterculus, turmam ſtatuarum equeſtrium. Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* IV. Equeſtres ſtatuæ a Græcis ortæ, ſed illi Celetas tantum dicabant in ſacris certaminibus victores. Romæ currus iis poſiti, qui triumphaſſent. Auguſtus ſejuges & elephantos conſequutus eſt. Qui prætura functi curru vecti eſſent per circum, illis bigæ poſitæ. *Cap.* VI. *ibid.* Equeſtres fœminis datæ, ut Clœliæ. Cicero III. *Philippica*: Pedeſtrem ſtatuam æream, non inauratam, equeſtrem Sulpicio decernendam. In foro omnium municipiorum olim togatæ effigies. Plinius legendus *lib.* XXXIV. *cap.* IV. & V. Romuli & Camilli ſtatuæ ſine tunica viſuntur: Veteres enim minime tunicati. Olim Romæ tripedaneæ fuerunt pedeſtres. Protome imago regia, ad umbilicum uſque corporis forma fuit. Προτομὴ *εἰκὼν βασιλικὴ ἕως τοῦ ὀμφαλοῦ τὸ σώματος εἶδος*, ait Heſychius. Macrinus duas ſtatuas equeſtres, pedeſtres duas habitu militari, ſedentes civili habitu, duas Caracallæ poſuit, ait Capitolinus. Domitianus nullam ſibi niſi auream & argenteam ſtatuam in Capitolio poni paſſus eſt. Eutropius *lib.* VII. Quadrigæ & curules ſtatuæ. Senecæ *epiſt.* LXV. *δορυφόρος*, ſtatua, *διαδούμενος*. Erant & pacificæ ſtatuæ. Quintilianus lib. XI. cap. III. *Inſtit.* Sit & ille habitus, qui eſſe in ſtatuis pacificator ſolet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenſo, manum infeſto pollice extendit. *Lib.*II. *cap.* XIII. In ſtatuis & picturis recti corporis vel minima gratia eſt; nempe enim adverſa ſit facies, & demiſſa brachia, & juncti pedes, & a ſummis ad ima rigens opus, flexus ille & motus dat actum quemdam, curſum habet quemdam, & impetum. Statuæ muliebres ſtolatæ Caryatides. Vitruvius *lib.* I. *cap.* I. Statuæ omnes erant cum titulo. Polybius pag. 139. Διεφθείρατο *ἀνδριάντας, πλὴν ὅσοι θεῶν ἐπιγραφὰς, ἢ τύπους εἶχον*: *Evertit ſtatuas, niſi quæ Deorum formas, aut inſcriptionem haberent*. Vetus Gloſſ. *Titulus*, *σήλη*, Dio pag. 147. *ἐπίγραμμα τῆς εἰκόνος*. Cicero XIII. *Philippica*: Statua in Roſtris Lepido cum inſcriptione præclara. Lampridius in *Alexandro pag.* 989. In foro Nervæ ſtatuas Imperator poſuit cum titulis & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem aperirent. Miſitheum Senatus quadrigis & titulo honeſtavit. Miſitheo parenti Principum populi Romani, tutori Reipublicæ, S. P. Q. R. De ſimulacris Deorum & hominum imaginibus alio loco plura diximus. Vide quæ ſcripſimus libro II. *de Imperatoribus Romanis*, de imaginibus Imperatorum.

CAP. XXII.

DE TITULIS.

TITULUS dicitur inſcriptio, *ἐπιγραφὴ*, *ἐπίγραμμα εἰκόνος*, *σήλη*, ut jam oſtendimus. Elogium. Cicero *in Piſon.* Elogium inciſum in Reipubl. buſto. Vet. Gloſſ. Elogium, *διάταγμα*. Hieronymus Tom. III. pag. 245. 246. Adhuc vivus titulum & memoriam nomini ſuo erexit. Heſychius *τίτλος, πτυχίον, ἐπίγραμμα ἔχον*. Incidebantur in baſi ſtatuarum. Juvenalis *ſat.*VIII.

Quid poſſum titulis incidere præter honores.

Index Tibullo lib. *ad Meſſalam* dicitur.

Nec quæras quid quaque index ſub imagine dicat,
At tua non titulus capiet ſub imagine facta.

Juvenalis *ſat.* X.

—— titulique cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus.

Si manum, haſtam, phialam abſtuleris, manet, ait Dio in *Rhodiaco*, honor, ſi autem titulum, tollitur teſtimonium & honor. Occiditis eum qui ex imagine unicum verbum eraſerit, qui tollit titulum, totum decretum tollit, quo ille honorem conſequutus eſt. Χειρὸς μὲν ἀφαιρεθείσης, ἢ δόρατος, ἢ φιάλης, ἡ τιμὴ μένει, τῆς δὲ ἐπιγραφῆς ἀναιρουμένης ἀνῄρηται δήπουθεν ἡ μαρτυρία, καὶ τὸ δοκεῖν ἄξιον ἐπαίνου γεγονέναι τὸν ἄνθρωπον. ἐάν τις ἓν μόνον ἐκχαράξῃ ῥῆμα ἀπὸ στήλης τινος, κτενεῖτε αὐτόν. τὴν ἐπιγραφὴν ἀναιρῶν ὅλον ἐξαλείφει τὸ ψήφισμα καθ' ὃ τὴν τιμὴν ἐκεῖνος ἔλαβε. Ariſtid. in *Apolog.* καὶ εἰ μὲν ἐπ' εἰκόνων αὐτοῖς ἐπόντα ἐπιγράμματα ἐξεκόλαπτεν, ἢ μετεποίει βλασφημίας ζωγράφος ἀντὶ εὐφημιῶν. *Si pictor titulos imaginum quæ decretæ ſunt viris fortibus deleret, aut pro fauſtis acclamationibus infauſtas appingeret, mulctaretur*, pag. 408. Inſcriptiones vocant, lemmata, titulos. Plinius *Panegyr.* nunc ingentes arcus, exceſſuroſque templorum faſtigia titulos. Ovidius *ad Liviam*;

Stabis & in Roſtris tituli ſpecioſus honore.

Cicero *pro Cluentio*, ad Juturnæ ſtatuas inauratas poſuit, quibus ſubſcripſit Reges a ſe in gratiam reductos. Tertullian. lib I. *in Marcionem*, huic Deo quem titulum incidemus. Vocatur & lemma, quaſi comprehenſionem dicas. Auſonius *Idyllio*: Mihi præter lemma nihil placet in hoc poemate. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* II.

Lemmata ſi quæras cur ſint aſcripta, docebo,
Ut ſi malueris lemmata ſola legas.

Juvenalis *ſat.* VI.

—— titulo res digna ſepulcri.

Demoſthenes *in Adrotion.* καλὰ καὶ ζηλωτὰ ἐπιγράμματα τῆς πόλεως ἀνελὼν ὡς ἀσεβῆ καὶ δεινὰ ἀντεπιγέγραφεν.

CAP. XXIII.

DE SIMULACRIS.

SIMULACRA proprie in æternitatis commendationem ac divinitatis reperta ſunt. Seneca *lib.* III. *de Ira.* Mario vicatim populus ſtatuas poſuerat, eique thure & vino ſupplicabat. Tacitus *lib.* IV. Coli per theatra & fora effigies Sejani, interque principia legionum ſineret. Suetonius *Julio* c. LXXXV. Solidam columnam lapidis Numidici in foro ſtatuit Julio, apud quam ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quaſdam interpoſito per Cæſarem jurejurando diſtrahere. Juſtinus *Apolog.* II. Simonem Samaritam e pago quodam qui ſub Claudio Imperat. Magicas virtutes fecerat, Romæque Deus vocatus erat, & ſtatua ut Deus a vobis honoratus erat, quæ poſita eſt inter duos pontes Tiberis, cum hoc titulo Latino, *Simoni Deo Sancto.* Σίμωνα μέν τινα Σαμαρέα τὸν ἀπὸ κώμης λεγομένης, &c. ὃς ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος δυνάμεις ποιήσας μαγικάς, ἐν τῇ πόλει ὑμῶν βασιλίδι Ῥώμῃ θεὸς ὠνομάσθη, καὶ ἀνδριάντι παρ' ὑμῶν ὡς θεὸς τετίμηται, ὃ ἀνδριὰς ἀνεγήγερται ἐν τῷ Τιβέρει ποταμῷ μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν, ἔχων ἐπιγραφὴν Ῥωμαϊκὴν ταύτην, Σίμωνι Θεῷ Σάγκτῳ. Statuæ Imperatorum ut Deorum ſimulacra cultæ, cautumque ne in gentilitiis funeribus efferrentur, quod a morte liberi eſſent. Dio pag. 225. ἀπεῖπον μηδεμίαν εἰκόνα Καίσαρος ὡς θεοῦ ὄντος ἐν ταῖς τῶν συγγενῶν αὐτοῦ ἐκφοραῖς πέμπεσθαι, ὅπερ ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου καὶ τότε ἔτι ἐγίγνετο. Dio pag. 410.

A de Auguſto, καὶ ὅπως μήτε εἰκὼν αὐτοῦ ἐν ἐκφορᾷ τινος πομπεύῃ, *ne imago ejus in pompa funeris ferretur.* Statuæ igitur viris bene meritis dari ſolitæ. Caſſiodorus *lib.* VIII. *epiſt.* II. Amore principum conſtat inventum, ut ſimulacris æneis fides ſervaretur imaginis quatenus venturæ progenies auctorem viderent, qui ſibi Rempubl. multis beneficiis obligaſſet. Symmachus *lib.* X. *epiſt.* XXV. Quia ornamentis honorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Hinc factum eſt ut ruſticis adhuc ſæculis optimi civium manu & arte formati in longam memoriam mitterentur. Sidonius *lib.* V. *epiſt.* V. Statuas literæ dederant, ſi trabeæ non
B dediſſent. Tertull. lib. *de Anima*, cap. XXXIII. Ob merita vitæ imagines, ſtatuæ, & tituli rependuntur. Plinius *lib.* I. *ep.* XVII. Ab Imperatore noſtro impetravit, ut ſibi liceret in foro L. Sillani ſtatuam ponere. Senatus petebat ab Imper. Claudianus *de bello Getico* Præfat.

Annuit his Princeps titulum poſcente Senatu.

Apulejus III. *florido*, omnes qui in illa ſanctiſſima curia aderant tam libenter decreverunt locum ſtatuæ. Tacitus *Annali* IV. illuſtris ſtatuæ honorem
C & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulato decerni jubet. Olim teſtator jubebat hæredem ſtatuas ponere *l.* 14. *ff. de condit. & demonſtr.* Titius, ſi ſtatuas in municipio poſuerit, hæres eſto. Sed oportuit locum dari a municipibus. V. Inſcriptio;

CL. CLAVDIANI V. C. CL. CLAVDIANO V. C. TRIBVNO ET NOTARIO INTER CETERAS INGENTES ARTES PRAEGLORIOSISSIMO POETARVM LICET AD MEMORIAM SEMPITERNAM CARMINA AB EODEM SCRIPTA SVF-
D FICIANT, AD EVM TESTIMONII GRATIA OB JVDICII SVI FIDEM D. D. N. N. ARCADIVS ET HONORIVS FELICISSIMI AC DOCTISSIMI IMPER. SENATV PETENTE STATVAM IN FORO D. TRAJANI ERIGI, COLLOCARIQVE JVSSERVNT.

Erant & ſtatuæ a privatis erectæ amicis in porticibus. Sidon. *carm.* VIII.

Ulpia quod rutilat porticus ære meo.

E In Bibliothecis: Arnobius *lib.* I. Bibliothecarum reponitis in arcanis, quadrigis, & ſtatuis muneramini exſules & fugitivos. Sidonius *carm.* IX.

Et carus popularitate princeps
Trajano ſtatuam foro locavit.

Claudian. in Præfat. *belli Getici*:

Et magis intento ſtudium cenſore laborat,
Quod legimur medio, conſpicimurque foro.

In pedeſtribus ſtatuis manus exertæ ut imperium ſignificetur, quia una manus clypeum prætende-
F bat, altera imperantis ſpecie extendebatur. Corippus *lib.* II.

Circumfuſa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra.

Tacitus *Annal.* III. Quum Marcelli effigiem D. Auguſto Julia dicaret. Quia ſtatuæ hominibus ſub Deorum nomine dicatæ. Manus exerta fuit ſilentium indicentis, aut pacem facientis. Statius *lib.* II. *Sylv.* I.

Dextra vetat pugnas.

Spartianus in *Juliano*, manu eos semper placare cuperet. Sueton. *lib.* II. *cap.* LIII. Vultu manuque indecoras adulationes repressit. In statuis equestribus Romanis ad latera inserti enses cingulis gestabantur. Statius *lib.* I. *Sylv.* I.

In tergo demissa chlamys, latus ense quieto
Securum.

Ammianus Marcell. *lib.* XIX. eas statuas armatas vocat. Diximus supra statuas quibusdam positas ex auro & argento. Sueton. *lib.* II. *cap.* LII. Augustus argenteas statuas sibi olim positas conflavit. Artemidor. *lib.* II. *cap.* XLIV. ἀγάλματα χρυσοῦ πεποιημένα, ἢ ἀργύρου, ἢ χαλκοῦ, ἢ ἐλέφαντος, ἢ λίθου, ἢ ἠλέκτρου, ἢ ἐβένου. Statius *lib.* III. *Sylv.* I.

De Capitolinis æternum sedibus aurum,
Qui niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propriæ signet cultricis amorem.

Domitianus statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Paulus Diaconus *lib.* X. Pictor fictorque ex ære & marmore, proxime Polycletus & Euphranor. Plinius *lib.* IV. *ep.* VII. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit. Æra statuarum non erant solida, sed cava. Seneca lib. IV. *Nat. Quæst.* c. XXIX. Quod æs unius statuæ nec solidum quidem, sed concavum ac tenue diruptum est. Statuæ interdum ære collato a populo ponebantur. Sueton. *lib.* II. *cap.* LIX. Statua Antonio Musæ ære collato posita. Vetus Inscript.

S. ÆNIAE CN. FILIAE BABILLAE SACERDOTI DIVAE FAVSTINAE DECVRIONES ÆRE COLLATO OB MERITA EJVS POSVERVNT.

Interdum statuæ ob scelera damnatis detractæ, *l.* 17. *C. Theodos. de pœnis*. de Eutropio, omnes statuas, omnia simulacra tam ex ære quam ex marmore, seu ex fucis, quam ex quacumque materia quæ apta est effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis, locis privatis ac publicis præcipimus aboleri. Vide Sueton. in *Domitiano*. Honor autem statuarum non temere decretus. Paterculus pag. 70. Augustum juvenem Senatus honoravit equestri statua, quæ hodieque in Rostris posita ætatem ejus scriptura indicat. Qui honor non alii per 300. annos quam Syllæ, Pompejo, & Cæsari contigerat.

Ante Imperatorum statuas nudari nefas fuit. Zonaras in *Domitiano* ex Dione, γυνὴ ὅτι ἐναντίον εἰκόνος αὐτοῦ ἀπεδύσατο ἐφονεύθη. Juvenalis,

Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.

Nefarium visum & sacrilegum quod Nero statuam Deæ Syriæ lotio aspergi jussit. Philostratus *lib.* I. in *Vita Apollonii*. Condemnatus quidam est, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gereret. Complebantur templa pessimis servitiorum, obæratis adversus creditores, suspectosque capitalium criminum ob imagines Principum, ait Tacitus *lib.* III. Livius *lib.* XXIII. Magius ad statuam Ptolemæi Regis confugit sub Hannibale. Periculo exemptus est. Tacitus *lib.* III. Dabatur deterrimo cuique licentia impune probra & invidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæsaris. Apud Capitolinum Antoninus Pius concessit, ut uxoris imago mortuæ cunctis Circensibus poneretur. Xiphilinus in *Marco Antonino*: Καὶ εἰς τὸ θέατρον χρυσῆν εἰκόνα τῆς Φαυστίνης ἐπὶ δίφρου ἀεὶ εἰσφέρεσθαι καὶ ἐν τῇ προεδρίᾳ ἐξ ἧς ζῶσα ἐθεᾶτο τίθεσθαι, p. 295. Καὶ χρυσῆν εἰκόνα Περτίνακος ἐφ᾽ ἅρματος ἐλεφάντων εἰς τὸν ἱππόδρομον εἰσάγεσθαι, καὶ ἐς τὰ λοιπὰ ἐκέλευσε θέατρα, θρόνους τε τρεῖς καταχρύσους αὐτῷ εἰσκομίζεσθαι. Severus A. *auream imaginem Pertinacis in curru elephantum in circum & theatra inferri jussit, & ei tres sellas auratas deferri.* Dio coronatas ait statuas p. 159. *imagines cum coronis solitis Julio posuerunt*, εἰκόνας μετὰ στεφάνων τῶν ἐπὶ ταύταις νενομισμένων ἱδρύσαντο τῷ Ἰουλίῳ. Majestatis quidam postulatus, quod effigiem Principis promiscuum ad usum vertisset. Tacitus *lib.* XIV. Imagines Octaviæ humeris gestant, spargunt floribus, foroque ac templis statuunt. Appianus in *Ibericis*: Καὶ νῦν ἔτι τὴν εἰκόνα τὴν Σκιπίωνος ἐν ταῖς πομπαῖς μόνου προσφέρουσιν ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, τῶν δὲ ἄλλων ἐξ ἀγορᾶς φέρονται· πολλάκις γὰρ ἐς τὸ Καπιτώλιον εἰσῄει μόνος, καὶ τὰς θύρας ἐπέκλειεν ὥσπερ τι παρὰ τοῦ θεοῦ μανθάνων. *Et adhuc in pompis imaginem Scipionis solius ferunt ex Capitolio, aliorum e foro: quia sæpe solus inibat in Capitolium, & fores claudebat, quasi aliquid a Jove doceretur.* Valer. *lib.* III. *cap.* VII. Chlamydata & crepidata statua Scipionis in Capitolio. Plinius lib. *de viris illustribus*. Imago Catonis majoris funeris gratia e curia produci solet. Seneca *de brevit. vitæ*. Ni per Scipionem mora sit cum Jove reponetur. Valerius *lib.* IV. *cap.* XIV. Imagines Aristogitonis & Harmodii Rhodum appulsas Rhodii cum in hospitium publice invitassent, in sacris etiam pulvinaribus collocarunt.

JULII CÆSARIS BULENGERI,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI,

DE PICTURA, PLASTICE, STATUARIA

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

DE ORIGINE PLASTICES ET PICTURÆ.



PLASTICEN antiquiſſimam eſſe ex eo apparet, quod Euſebius in *Chronico*, & S. Epiphanius, Seruchum filium Ragau e Tribu Japhet, primum omnium viros fortes ſtatuis ornaſſe volunt. Ipſum Thara patrem Abrahæ *ἀγαλματοποιὸν* & ſtatuarium fuiſſe ajunt, & *ἀνδριαντοπλαστίαν ἀπὸ πηλουργίας*, *ſtatuariam a figlina* ortam aſſerunt. Sed omnino tenendum, plaſticen, ſtatuariam, ſculpturam, cælaturam, picturam a Deo traditas plene hominibus, cum arca fœderis exſtrueretur, c. XXXI. *Exodi*. Primi plaſtæ & ſtatuarii, Beſeleel, & Ooliab. In Italia vetus ars fuit, quum Hercules ab Evandro in foro ſacratus ſit, apud Plinium. Philoſtratus in *Helladia*, ſeu *procemio Iconum*: *τὴν ζωγραφίαν θεῶν εὕρημα εἶναί φησι, τὰ ἐν γῇ εἴδη ὁπόσα τοὺς λειμῶνας αἱ ὧραι γράφουσι*. Quicumque picturam, inquit, non amplectitur, non modo veritatem, ſed & eam, quæ ad Poetas pertinet, injuria ſapientiam afficit, quia utraque fertur ad ſpecies & præclara Heroum facinora. Deorum certe inventum eſt, tum ob ſpecies, quibus in terra horæ prata pingunt, tum vel maxime ob ea, quæ in cælo apparent. Perſcrutanti autem ipſius artis ortum imitatio utique eſt vetuſtiſſimum inventum, Naturæque cognatum. Ipſam autem ſapientes viri repererunt, picturam & plaſticen appellantes. Et plaſtices quidem multæ ſunt ſpecies. Nam & fingere, ex luto, gypſo, vel cera, & quæ in ære fit imitatio; & Lygdinem, Pariumve lapidem, atque ebur polire, & ſculptura plaſtice eſt. Lygdinem vocat alabaſtrum. At pictura coloribus quidem conſtat, ſed non hoc ſolum efficit. Plaſticen Philoſtratus his verbis dividit in quatuor genera, ut in primo ex luto, in altero ex metallis imagines fiant, in tertio alabaſtrum, marmor, ebur expoliantur. Denique adſcribuntur ſculptura & pictura. In *lib.* II. *de Vita Apollonii cap.* X. *ἡ γραφικὴ τὰ χρώματα συγκεραννύουσι ὁπόσα εἰσὶ, τὰ κυανᾶ τοῖς βατραχείοις*. Picturæ ars colores miſcet inter ſe omnes, cæruleum viridi, album nigro, rubicundum pallido, idque imitationis cauſa, ut per eos canis, aut equi, aut hominis imaginem exprimant, aut aliud quidvis eorum, quæ ſub ſole ſunt. Quinetiam ſolis ipſius aliquando ſimilitudinem referunt. Pictura igitur quædam imitatio eſt, nihil aliud. Niſi enim hoc efficiat, ridicula quædam res videbitur, colores te-

A mere diſponens. Idem poſtea oſtendit *μιμητικὴν ἐκ φύσεως τοῖς ἀνθρώποις ἥκειν, τὴν γραφικὴν δὲ ἐκ τέχνης*, *imitandi facultatem hominibus a natura advenire, pingendi peritiam ab arte proficiſci*. Pictura non ex coloribus dumtaxat, quia unus tantum color Veteribus illis fuit, inde paulatim pluribus uſi, quinetiam lineamentis quibuſdam abſque ullo colore ſæpe pingunt; quam picturam ex umbra dumtaxat luminibuſque conſtare dicendum eſt. *ὃ δὴ σκιᾶς τε ξύγκειται καὶ φωτός*. In ipſa enim rei ſimilitudo cernitur, etiam forma, mens, pudor, & audacia, quamvis coloribus tales affectus careant.
B Neque vero ſanguinem, neque comarum aut pubeſcentis lanuginis florem non exprimit, *ἀλλὰ μονοτρόπως ξυντιθέμενα τῷ τε ξανθῷ ἀνθρώπῳ ἔοικε, καὶ τῷ λευκῷ*, *ſed quamvis ſimpliciter & uno modo compoſita flavi hominis aut albi ſimilitudinem repræſentant*. Quinimo ſi Indum ex his quemdam albis lineamentis deſignaverimus, tamen quaſi nigrum aſpicientibus ſe offert, quia nares ſimæ, erecti capillorum cirri, genarum eminentia, labra tumentia, *ἡ περὶ τὰ γένυς*, & ſtuporis imago quædam oculis circumfuſa, nigro fuſcat ea, quæ ab oculis alba conſpiciuntur, atque illum, qui pictus eſt, Indum eſſe teſtantur. Quare non injuria dixerim
C eos, qui picturam aliquam aſpiciunt, *μιμητικῆς* facultate imitandi, quam a Natura accepimus, indigere. Nemo enim recte laudabit equum pictum, niſi animal mente intueatur, cujus ſimilitudinem pictura expreſſit. Neque vero Timomachi Ajacem furentem recte contemplari quiſquam poteſt, niſi illum mente conſpiciat, interfectis apud Trojam armentis, mœſtum ſedere, ac de propria morte cogitare. Plaſtice proprie de arte, qua figuli ex argilla & luto ſigilla fingunt, exaudienda eſt. Gallice dicitur *Imagerie*; Icones, *Tableaux de platte peinture*; Statuæ æneæ, *ſtatues de fonte*, de quibus Plin. *lib.* XXXIV. de ſtatuis figlinis *lib.* XXXV.
D de ſimulacris marmoreis *lib.* XXXVI. Sigilla fiebant e gypſo, luto, argilla. Philoſtratus c. I. *Iconum* monet Ariſtodemum Carium de nobilibus ſtatuariis ac pictoribus, deque Regibus harum artium ſtudioſis egiſſe. *ὅσοι κράτος ἤραντο τῆς ἐπιστήμης, καὶ ὅσαι πόλεις, καὶ ὅσοι βασιλεῖς ἔρωτι ἐς αὐτὴν ἐχρήσαντο Ἀριστοδήμῳ τῷ ἐκ Καρίας εἴρηται*. Apud Plin. *lib.* XXXVI. *c.* V. Praxiteles quinque ſcripſit volumina nobilium operum in toto orbe. Natus hic in Græca Italiæ ora, & civitate Romana donatus, Jovem fecit eburneum. Fulgentius Placiades lib. III. *Mytholog.* commemorat Anaximenem quendam, qui de picturis antiquis ſcripſerit. Erant pictores eruditi &
E diſerti.

CAP. II

DE PICTURA, QUA VULGO UTIMUR.

ANTE omnia ſcribendum eſt, aliud eſſe levi manu ſine coloribus adumbrare creta, ſive rubrica, carbone, terra ſanguinea, vel galena, ſeu μολυϐδαίνα, quam Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* XVIII. venam plumbi & argenti communem eſſe ait; aliud, coloribus adhibitis pingere. Delineatio illa ſine coloribus fit in charta, tela, aut ligno non colorato. Gallice dicitur, *pourtraire*, *griffonner*. Pictoris ſtylus, ſeu cretacea graphis, eſt fruſtum oblongum rubricæ, aut terræ ſanguineæ, aut carbo oblongus, aut plumbea graphis, ſeu deſignatrix galena pictoris, vulgo dicitur *crayon*, *charbon*, *crayon de mine de plomb de mer, marquant de gris*. Opus graphide adumbratum, rubrica, aut plumbo deſignata pictura. Rudis & informis deſignatio totius operis, carbone, plumbo, vel rubrica impolite deſignatum opus, *premiere ordonnance de l'ouvrage total*, *ſans figure de membres*. Primus enim tantum animi conceptus delineatur, oculi, digiti, alia membra graphice & diſerte non exprimuntur. Mox etiam carbone oculi, digiti, nares adumbrantur; quia quod carbone expreſſum eſt, facile deletur, aut reformatur. Quæ dicitur totius ac partium expreſſior facta carbone aut rubrica figuratio, ſeu expolita graphide operis deſignatio, quum principibus ac palmariis ductibus informis figurationis carbo fuerit inductus & obliteratus. Tandem expreſſæ figurationi membrorum rubrica umbras adjiciunt, & graphidem expolitione abſolvunt. Gallice rem ita interpretor: *Retirer, ou pourfiler, eſt faire ſeulement le maiſtr traict de la choſe pourtraitte; ce qui ſe fait avec le crayon, & ne ſe perd quand on efface les autres traicts, alors on l'appelle deſſein & ordonnance*.

Eſt igitur prima deſignatio futuræ picturæ, quæ in breve colligi poteſt, ſi acu aut veruculo pungatur, ut ſupra telam impreſſam aut fundum applicetur. Tunc autem dicitur puncta, vulgo *poncis*. Pingimus autem, cum colores adhibemus, poſtquam rudi Minerva carbone, rubrica, vel galena, ſine coloribus adumbraverimus. Quidam penna delineant & deſignant. Quod non uſquequaque facile eſt, quia laterculum, aut rhombum, id eſt, rectum, aut obliquum quadrangulum tenuiſſimis lineis cancellatim ſecari oportet, quæ ſe interſecent, ut umbra fiat figuris, quæ delineantur. In rudi illa deſignatione, quæ carbone fit, aut creta, utimur cretacea graphide, ſtylo rubricato vel fruſto oblongo rubricæ, carbone, plumbo, plumario e plumis avium, regula, amuſſi, vulgo *plumart*, *porte-crayon*, *regle*, *eſquierre*, *compas*. Circino rotundamus, metimur, figuras ad amuſſim exigimus. In pictura, quæ fit coloribus, utimur penicillo, qui fit ex ſetis porci, vel ex pilis aſini. Proprie peniculus & penicillus caudam ſignificat, alias fit ex cauda ſuis, aut gruis, aut ex goſſipio, ſeu xylo. Interdum penicillus anguſtior eſt & longior, ſed incidit, & dicitur vulgo *tranchet*, nonnunquam latior eſt ad leniendas & molliendas umbras, vulgo dicitur *brouſſes*, fit ex muris Armenii pilis, aut ex ſetis porci. Item legula legendis coloribus, qui probe triti ſunt, & culullus Samius, ſeu guttus teſtaceus, ut colores triti vel in aqua vel in oleo nucum protropo collocentur.

Colores ex oleo collocantur in pugillari axiculo pictorio, cum manus interea, ut firmetur, bacillo innitatur. Legula vulgo dicitur *l'amaſſette*, cululli Samii ſeu teſtacei vocantur *godets*, *ou goudets*, axiculus pictorius, *la palette*. Colores au-

A tem a pictoribus varie miſcentur, teruntur que in abaco, ſeu forma ſaxea ex lapide porphyretico firmiſſimo, unde terendo nihil deteratur. Habent item coticulam pigmentarii tritus, quæ vulgo dicitur *moulette*. Miſcentur autem colores cum oleo nucum prodromo limpidiſſimo ad diuturnitatem, ut ab injuria pulveris, aeris, & humoris ſarti ſint. Interdum pro oleo aliquid aquæ admiſcetur, ut melius colores in abaco pigmentariæ trituræ terantur, & in unum quaſi corpus tranſeant, vulgo dicitur *peindre en deſtrampe*. Sæpe colores teruntur cum glutino, quod factum eſt ex corio, aut pergamena pelle, ſeu membrana, adhibetur gum-
B mi, quo aliquid luminis coloribus accedat. Miſcentur ſimul tres aut quatuor colores, e quibus unus aliquis ſuaviſſimus effloreſcit. Diluta ſandaraca, vulgo *vernix*, fit e liquida juniperi lacryma, ſeu gummi, dat nitorem, & gratiam tabulis pictis ex oleo. Aquarii ſubactus picturæ nihil ſublinitur, *on peint en deſtrampe ſans coucher aucune premiere couleur*. Ad olearii ſubactus picturam linteum prius temperatur & expolitur glutino, iconque diagraphicis lineis exaratur, linteum ad olleariam picturam albo prius maceratur bis, terve: deterſumque olearii pigmenti ſecundo aut tertio illitu
C imbuitur, quam vocant *impreſſionem*. Qui parietem recens gypſo inductum, ſeu albarium opus pingunt, dicuntur *peindre a frais*. Habent in charta diagraphica operis lineamenta, quæ recenti gypſo admovent, & acu vel veruculo gypſum compungunt, vocatur *poncif*, tum eidem gypſo colores inducunt, qui alte imbibuntur, ut nonniſi gypſo collabente exuri poſſint. Interdum paries recens gypſatus penicillo coloratur, tum veruculo compungitur in varias imagines, ut colores intus ſubeant. Colores autem qui adhibentur, non ſunt vulgares & artificioſi, ſed e terra varii coloris. Album fit e calce, nigrum e carbone trito,
D rubrum e terra ſanguinea. Itaque colores non evaneſcunt, niſi cæmentum deſtruatur. Penicilli, quibus utuntur, ſunt oblongi, ut abunde colores contineant, & crebro fiunt e pilis aſini. Coloribus oleum, glutinum, gummi non adhibentur, ſed aqua dumtaxat.

Interdum vitrea ſpecularia pinguntur, & diagraphici operis compuncta charta ex archetypo traducitur. Encauſto vero pingunt, qui ferro candenti ceram, vitrum, ebur, metallum inurunt. *Pour faire des gratignemens à frais, on met du noir dans le mortier, & ayant plaſtré on fait ce qu'on veut ſur le plaſtre avec la pointe du fer*. Ut recens
E albarium compungatur, cæmentum aut gypſus carbone perfunditur, & paries, ubi gypſo recenti inductus eſt, ferro varie delineatur ac compungitur. Ut pingas ex oleo, tela, aut tabula prius belle imprimatur, & præparetur, deinde colores cum oleo nucis protropo triti tabellæ, vel telæ, rubrica, plumbo, carbone delineatæ admoveantur, aliaque fiant eminentiora, alia reductiora, quædam attollantur, adumbrentur, rotundentur, molliantur. Minium, chryſocolla ſublinatur, quia quo crebrius tabellam ſubleveris, ſplendidiorem diuturnioremque feceris. Picturam igitur umbræ opacant, mox picturæ umbris adverſum
F lumen obtendunt, tum idoneam concurrentium colorum armogen picturæ adhibent, & apto nexu extrema variorum colorum inter ſe committunt. Gallice, *ils placent les rebauts, & ombrages en leur lieu. Rebaut eſt le lieu ou on donne le jour, & qui eſt le plus clair. Ombrage eſt la couleur plus obſcure. Arrondiſſement eſt cet ombrage qu'on fait aux colomnes*.

Lumen fit ex coloribus claris & floridis, admiſſo die. Umbra ex obſcuris, quæ in columnis rotun-

rotundatio vocatur. Tunc opus dicitur inchoatum, *ébauché* Gallice, quod sinunt sensim exsiccari, ut deinde iterum novos colores floridiores vegetioresque inducant, quibus vestium nativa elegantia exprimatur, vulgo vocant *draperies, ce linge est bien drapé, les plis bien estendus, ces draperies sont bien faictes*. In aquario subactu glutino utuntur, quod fit ex corio, aut membrana pergamena, ut colores imbuantur. Pictura aquaria uno illitu perficitur, nec ut pictura ex oleo inchoatur, ut post perficiatur. In aquario subactu colores sunt rudiores, densiores, minus triti, quam in oleario Lumen datur, cum in membrana pictura in breve colligitur, & colores adhibentur purissimi, clarissimi, simplicissimi, belle triti. Eminentia, quæ vocantur exaltationes, *rehauts*, fiunt ex auro & argento molito seu trito. Colores imbuuntur gummi. Per opticam quæ longe abscedunt, prope accedere videntur, ut pascant oculos, & in breve colliguntur. Quæ vulgo dicuntur *grotesques, Arabesques*, sunt pictoris cogitationibus suis indulgentis exerrationes, qui penicillo ad flores, coronas, serta, satyros, aves, animantia, infantes adumbrandos, ut eum animi fert impetus, abutitur; ludit in vagis suis & errantibus allucinationibus, & in iis manus requiescit.

Nostra ætate pictores floruere, qui Apelli & Protogeni palmam præriperent: Michael Angelus Bonarota in delineatione, quæ fit rubrica sine coloribus. Raphael Urbinas in coloribus suaviter admovendis. Parmesanus inventione omnes superabat. Tabula illa numeris omnibus absoluta est, in qua figurarum inventio felix est. Adumbratio sine coloribus, & delineatio rubrica, vel galena suaviter arridet; proportio, & optica, omnesque aspectus belle servantur. Coloribus nihil deest, omnia læta & dulcia occurrunt, vestes nativa specie expressæ, non per umbram & recessum, sed in clarissimo lumine positæ. In aquario illitu picturam primum exsiccari oportet, cui deinde penicillus e gossipio colores siccos adhibeat. Alii igitur lineis describunt, ductibus figurant, carbone pingunt, calamo effingunt, penicillo & coloribus exprimunt, adumbrant, delineant, designatam creta speciem colorant. Primum quidem rudibus lineamentis picturæ umbram quamdam informant, mox confusam iconis speciem diagraphicis lineis distinguuntur, aut iconico opere vultum exprimunt, & vivi spirantisque hominis speciem effingunt. Equuleus pictorius, cantherius pigmentarius vocatur, quo tela pingenda sustentatur. Fundum & tabellas impressas vulgo vocant. Ut possis inaurare, aurum in pulvino seca, & discinde acie cultri, tum coloribus impressis imponito.

Cap. III.

De Coloribus.

Colores superioris ævi posuimus, his & nostri ævi colores adjiciamus. Pictores hodie decem habent palmarios colores. Primus est, album plumbeum, quod in fodinis plumbi reperitur. Secundus, cæruleum Ægyptium, *azur fin outre-marin*, cæruleum Nestorianum, *azur le plus fin*, cæruleum Puteolanum. Tertius, purpureus, coccineus, Venetus, *laque de Venise*. Quartus, minium Hispanicum, *vermeillon d'Espagne*. Minium minerale, diluitur ad colores, liquatur ad pigmentum. Aliud minium est factitium, quod e sandice & purpurisso conflatum est. Quintus, cinereus, cineraceus. Sextus, niger e carbone. Septimus, flavus, aureus, sincerus · *le massicot, fin jaune*. Octavus, viridis color, prasinus, glaucus hilaris, prasinum lætius, viride terrestre, smaragdinum. Nonus, sanguis draconis. Decimus, roseus, rosaceus, *rosette*.

Colores alii austeri, alii floridi. Austeri bolus Armenius vulgaris, rubrica, seu creta rubra, parætonium, melinum, *massicot*, omnibus aliis austerius est, cerussa usta, arsenicum rubrum, minium, terra ad umbras, vitriolum: floridi vero minium Hispanicum, viride terrestre, sanguis draconis, Indicum, rosaceum. Cerussa fit ex aceto & plumbo. Ex ebore usto fit nigrum, quo usus Apelles. Ebur ustum aceto maceratum si arserit in radio solis non deletur. Ex terra umbræ pictores umbras inducunt. Ochra alia flava est, alia dilutior, & subnigra. Cerussa optima Asiatica dicitur purpurea. Sandaracha & ochra in topaso rubri maris nascuntur, apud Plin. *lib.* XXXV. *cap.* VI. Dioscorides *lib.* V. *cap.* CXXII. Color ejus ad cinnabarim accedit. *σανδαράχην κατακορῆ, πυῤῥὰν εὔθραυστον, δ' λέαντόν τε, καὶ καθαρὰν, καὶ κιννιβαρίζουσαν τὴν χρόαν*. Scyricum fit e sinopide & sandice mistis. Armenium, lapis chrysocollæ modo infectus est, optimum est quod maxime viret, communicato colore cum cæruleo. Viride Appianum chrysocollam luteam imitatur. Anulare candidum est, quo muliebres picturæ illuminantur. Dioscoridi *μίλτος σινωπικὴ κρατίστη, πυκνὴ καὶ βαρεῖα*. *Rubrica sinopica optima, densa, gravis*; optima & Ægyptia, & Carthaginensis. *ἄλιθος, διτρεβὴς*, lapide caret, friabilis. Præter umbram est aliud quiddam ex utroque conflatum, qui dicitur conus colores separans. Armoge est commissura colorum. Tela, quæ coloribus exprimi debet, in tabulato extenditur. Patibulum Græcis dicitur *Ocribas*, specie crucis, in quo ex argilla simulacra Deorum aut hominum ad exemplum effinguntur. Apud Pollucem *lib.* VII. *cap.* II. Hi sunt colores, *ἀνδρείκελον, purpurissum; ὄστρεον, purpureus color; πράσινον, viridis; κροκοειδὲς, croceus; κυανοῦν, cæruleus; κιννάβαρι, cinnabari; ξανθὸν fulvus; φαιὸν, fuscus; φλογόλευκον, subflammeus; λευκόφαιον, subfuscus; λευκὸν, albus; μέλαν, niger; μελαμβαφὲς, denigratus; ἄνθεσι φαιδρῦναι, illuminare*. Colores *χρώματα, φάρμακα, ἄνθη*. Partes artis, *ὑποτύπωσις, effictio; ὑπογραφὴ, depictio; σκιὰ, umbra; σκιαγραφὴ, adumbratio*. Penicillus *γραφὶς, ὑπογραφίς· κηρὸν τήξασθαι, macerare; μίξασθαι, miscere; χρώματα κεράσαι, colores temperare*. Vide. Optimi penicilli pictorii hodie fiunt e pilis tenuissimis erinacei vel muris Armenii ad colores ex oleo tritos adhibendos, sed ad aquarii subactus picturam penicilli optimi fiunt, e nefrendis seu porculi setis tenerrimis, quibus cauda vestita est. Catagrapha in picturis dicuntur obliquæ imagines ex uno tantum latere se ostendentes. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* VIII. Catullus *epigr.* XXII. Catagraphos Thynos commemorat. Calices allasontes versicolores vitrei fuere. Vopiscus in *Aureliano*; Calices tibi allasontes versicolores transmisi, quia vitrum vario colore pingebatur; nec enim alia materia sequacior, aut picturæ accommodatior. Strabo *lib.* XVI. scribit se audivisse a vitri opificibus esse in Ægypto quandam terram ad vitra opportunam, sine qua vitrei calices non pinguntur: & Romæ multa reperiuntur ad colores & facilitatem pingendi vitri, *καθάπερ ἐπὶ τῶν χρυσαλλοφανῶν*.

CAP. IV.

DE PICTURA VITRI.

VITRUM in Syria inventum esse docet Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XXVI. quum navis nitro referta, & ad littus maris in arena posita, repentino incendio arenas in vitrum mutasset. Vitra autem jam olim pingi solita esse docet Martialis *lib.* XIV.

Non sumus audacis plebeia toreumata vitri,
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Sed Plinium audiamus *lib.* XXXVI. *cap.* XXVI. Fama est, appulsa nave mercatorum nitri, quum sparsi per littus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri e nave subdidisse, quibus accensis permista arena littoris, tralucentes nobilis liquoris fluxisse rivos. Ex vitro liquato massæ fiunt, ex massis rursus funditur in officinis tingiturque. Et aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur. Fit & tincturæ genere obsidianum (ex obsidio nigerrimo lapide) ad escaria vasa & totum rubens vitrum, atque non translucens, Gæmatinon appellatum. Fuit album, & murrhinum, aut hyacinthos sapphirosque imitatum, & omnibus aliis coloribus. Nec est alia nunc materia sequacior, aut etiam picturæ accommodatior. Maximus tamen honos in candido translucente, quam proxima crystalli similitudine. Obsidiani lapidis fit mentio in Pandectis Florentinis, & apud Arrianum. Martialis:

Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Nec nimium calidis hæc vitiantur aquis.

Lib. XI. *epigr.* IX.

Tolle, puer, calices, tepidique toreumata Nili.

Lib. XIV.

Adspicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.

Veteres igitur vitrum pinxere, & hodie vitrum vulgo pingunt, & sanguine draconis aut aliis coloribus penicillo delineant, tum in fornacem per quindecim aut viginti dies vitrum ita pictum conjiciunt, donec colores penitus imbibantur, sæpe cum jactura opificum, nunquam sine periculo jacturæ, quia opus nimio igne perit, modico non imbibit colores. Consule super ea re vitri opifices. Virgilius vitreum colorem vocat hyali colorem, lib. IV. *Georgic.*

—— hyali saturo fucata colore.

Alexander Aphrodisæus, *ὥσπερ δι᾽ ὑάλου ἐμφαίνει τὸ διανθὲς χρώματος, ut per vitrum floridos colores ostendit.*

CAP. V.

DE SMALTO, SEU ENCAUSTO.

ANASTASIUS Bibliothecarius Smaltum vocat, quod Veteres encaustum dixerunt, pigmentum metallicum, encaustum metallicum, vulgo *Email*, liquati coloratique metalli A pigmentum. De smalto Latinis verbis ea tibi reddam, quæ Gallicis Viginerius vir doctus *ad Philostrati Icones* exposuit. Encaustæ vocantur *Emailleurs*, qui liquatis metallis colores inurunt. Qui encaustum auro agglutinant, & metallicum pigmentum auro inurunt, aut liquenti coloratoque metallo aurum inducunt, dicuntur *parfondre, ou parfondre l'email, le faire fondre, & attacher sur l'or dans le fourneau*. Encausto cælatum opus, encaustico emblemate descriptum opus, encaustici operis crustam vocamus *besogne émaillée, émaillure*. Encausticum igitur opus fit e vitro & metallis, quæ inter se naturæ sponte mirifice consen- B tiunt. Vitrum, quod ad encausticum opus adhibetur, non e silice, aut fago, aut tribulo paludum, vulgo dicitur *salicor*, fieri debet, sed e petra, seu lapide, ut vitrum illustre, splendidum, & crystallinum fiat, unde encaustum efficiatur metallis inurendum, cineres e silice aut tribulo, e quibus fit vitrum, (vulgo vocatur *la soude*) dissolvunt in aqua calida, & segmentis panni candidi adhibitis, aquam puram & claram in vas suppositum transmittunt, vulgo dicunt *filtrer*. Quidquid sordium est in cineribus subsidit in priori vase, nec per pannum transmittitur. Sed aqua tan- C tum purissima & limpidissima, quæ modico igne in salem candidum concrescit, quum humidum aqueum exhalarit, vulgo vocant *sal Alcali*, qui arenæ, aut lapidi, seu saxo purgato admixtus, & minio perfusus in fornacem vitri mittitur. Minium illud aut minerale est seu metallicum, aut factitium e plumbo usto, vulgo vocant *du plomb calciné*. Calx illa rubra plumbi fit igne vehementi & clauso, ne in aere exhalet, *πῦρ ἀντιτυπίας*, aut ignis reverberatus, & inclauso vagus ac errans vocari potest.

Vitri artifices vas quoddam e terra candida pingui, cum ossibus arietum tritis, & aliis medica- D mentis, capacissimum & amplissimum fingunt, quod nullo igni quamlibet violento corrumpi aut dissolvi possit. Vas illud in fornacem mittunt, & in media collocant, cineribus vitro faciendo aptis plenum, qui vi ignis liquefiunt, mox ferreas virgas in vas illud ardens immittunt, quibus materia illa pinguis & liquida adhærescit, e qua vitra fiunt. Sal igitur ille Alcali minio perfusus in capedine terrea sex totos dies flammis ardenti perseverat; primo & altero die materia illa miniata flavescit; tertio & quarto virescit; duobus aliis albescit, & aeris colorem induit, ac crystallina efficitur, e qua fiunt adulterinæ gemmæ, E & encaustum, seu smaltum. Crystallina illa materia, ut cogatur & concrescat, calcem metallicam e plumbo & stanno Cornubiensi purissimo in fornace reverberante conflatam adhiberi necesse est, ut stannum encausto seu smalto afferat soliditatem, & corpus ne sit pellucidum. Sine plumbo nullum metallum in vitrum transire potest. Quum igitur materiam illam crystallinam, & calcem plumbi ac stanni, utramque tenuissimo pulveri similem inter se miscueris, & quasi patulum panem, aut subactam massam ex iis effeceris, foramen in medio fodies, ut exhalet inutilis humor, F & per se sensim exsiccari patieris; tum massam illam exsiccatam in fornacem vitreariam mittes, eousque dum liquari incipiat, mox e fornace extrahes, & refrigescere materiam sines; tandem in vase terreo, quod igni non solvatur, liquescere subjecto igne sines, spumam pinguem supernatantem cochlearibus ferreis extrahes, donec viginti quatuor horis materia fervens purgatissima & limpidissima fiat. Hoc tibi erit smaltum album, quod quocumque colore imbui poterit. Si smaltum illud cum crystallo in pulverem contriveris,

& in fornace vitrearia liquefeceris, & metallicam cautem, seu petram subterraneam metallicam vulgo dicitur *saphre*, adjeceris, existet nigrum splendidum. Si addideris argentum ustum cum sulphure, cæruleum Turquinum effeceris; si æs in laminas tenues secueris, & per quinque dies usseris, & in smaltum illud injeceris, efficies virens. Æs ter ustum tingitur smaragdino pellucido. Cæsium, glaucum, violaceum, cinereum, fiunt e smalto illo, cui metallicam petram vario modo temperatam admiscueris. Si nitrum seu salem petræ indideris, colorem margaritarum expresseris. Smaltum rubrum clarum principatum inter alia obtinet. Flavum bracteolatum argento addito effeceris, vulgo *jaune paillé*, luteum paleatum, item luteum aureum, luteum mali Punici. Sed luteum citrinum fit e ferrugine anchorarum, quas vis maris arrosit, aut ex croco ferri, quem ex aceto stillaveris. Smaltum eo firmius, lætius & integrius est, quo diutius ignes patitur. Rubrum effeceris, si æs in calcem redactum vi ignis, vitro seu smalto candido injeceris una cum ramentis ferri & auripigmento. Plus vitri injeceris, roseum splendidiorem effeceris, vulgo dicitur *incarnat*, est murex dilutus, vel ostrum dilutius. Plus plumbi indideris, (cave stannum admisceas) minus erit splendoris. Rubrum clarum efficies, si plumbum & argentum vivum auro infuderis, item spiritum æris & sulphur æris incombustibile. Æris illius tinctura usque adeo satura est & eminens, ut colorem auri nativum augeat & exaggeret; sed color ille exaggeratus igne vehementi deletur. Exaggeratio illa coloris in auro fit per spiritum volatilem æris, quod cum auro sensim in capeduncula terrea excoquitur, vulgo dicitur *creuset*, caliculus metalli fusor. Ut igitur colorem auri exaggeres, aliquid argenti vivi cum auro & spiritu æris miscebis, quia vivum argentum prohibet, ne tincturæ & colores exurantur, & ignis vim moratur id temporis, quo tinctura & color in aurum intime subit. Aurum ita tinctum quasi folium pyropis subjicitur: aurum enim, quod fulvo tingitur, corpore æris adhibito, semper nigricans, lividum, & marcidum est, quia substantia æris, quæ per se nigricat, nigris maculis liberari non potest, sive radas, sive coquas, sive gummi & sandaracha laves. At aurum, quod tingitur spiritu æris, est Veterum orichalcum, & electrum, unde pocula fiunt, quæ venenum, si quod injectum fuerit, indicant & produnt. Hoc item aurum spiritu æris exaggeratum, vi folius plumbi, non alterius metalli, in vitrum convertitur, unde fit smaltum, seu encaustum rubrum clarum. Immo aurum vi plumbi fit volatile, aut in oleum mutatur, quod vitrum aureum vocatur, quo S. Joannes in *Apocalypsi* pavimentum cælestis Hierusalem, quasi tesseris vitreis, stratum esse testatur. Hebræi vocant *hamal*, unde vox Gallica *émail*, & Italica *smalto*. S. Hieronymus aurum illud vitreum vult esse electrum Ezechielis.

Non ita pridem argentum asperum & sincerum cum ære & plumbo excoquebant & concorporabant, ut rubrum clarum existeret, quam *nelluram* vulgo vocarunt, quum in grana argentum liquefactum & in aquam injectum concideret. Smaltum auro, argento, æri, non aliis metallis inducitur & inuritur. Item vitro & testis fictilibus. Immo nuper reperta ars inurendi smalto marmora & durissimos lapides, ita ut igne non violentur. Ut metalla, & ex metallis colores inuras, smaltum in minutissimum pulverem in mortario ferreo durissimo tere pistillo ferreo, cum modica aqua: melius enim in mortario res succedet, quam si in porphyretico lapide tereres. Colores, qui ex me-

A tallis inuruntur, hi sunt, niger, violaceus, viridis, ferrugineus, seu castaneus, vulgo *tané*, cinereus, cæruleus, seu glaucus, ruber clarus, luteus ex auro; qui omnes colores pellucidi sunt & splendidi, cum albus & cæsius Turquinus sint opaci. Cum triveris hos metallicos colores in mortario cum modica aqua, effunde quidquid est aquæ, & pulverem illum tenuissimum in patella vitrea reponito, cui tantum affunde aquæ fortis, quam e nitro & vitriolo subjecto igne stillatitiam efficiunt, ut pulveribus innatet, eosque tegat. Et toties pulveres illos aqua forti imbutos, aqua fontis limpida lavato, donec ea nihil sordium trahat, sed nitida

B claraque exeat. Aqua fortis pingue metallicum purgat, aqua fontis limpida, si quid terræ admixtum erat, abluit & tollit. Smaltum tritum in aqua limpida facile integrum servatur, extra aquam sordes concipit. Pulveres isti ligula ærea colliguntur, vulgo vocant *palette de cuivre* & operi humilioris formæ (vulgo *ouvagre de basse taille*) magna cura & diligenti opera inducuntur, ut alii ab aliis segregentur, ne forte pulverum ac colorum confusio & perturbatio fiat. Cum probe collocati fuerint, chartam vulgarem aqua madefacito, & inter manus aquam exprimito, ut charta sit loco spongiæ,

C quæ humido exusto smaltum exsiccet, quod siccum lætius & hilarius est, quam madidum. Illa pulverum collocatio dicitur vulgo prima pellis, *cette couche se nomme la premiere peau*. Deinde smaltum laminæ ferreæ impositum paulatim in fornacem intruditur, ubi exardescit, donec liquescere & moveri incipiat: tum enim e fornace debet educi, ut refrigescat, mox adduntur secunda & tertia pulverum collocatio, & opus fornaci & igni vehementi permittitur, donec smaltum plane coloribus inustum sit. Tum e fornace opus eductum expolitur lapide idoneo, & absolvitur Samio lapide, quem vulgo *Tripoly* vocant. Id temporis opus

D inter manus expolire dicunt, *polir à la main*. Ut encausto eminentia cujusvis figuræ, vel opus tumens, ac in umbonem plus minus elatum inuratur, acinos pyri aqua limpida madidos fumes illisque smaltum irrigabis, quod viscosum factum, & quasi glutine illitum facile operi adhærebit, aliter non adhæresceret umboni, & exstantibus signis, aut prominenti figuræ; cum tamen nullo negotio smaltum fundo vasorum & operum humilioris formæ adhærescat, vulgo dicitur *ouvagre en bosse, ou demy-bosse, ou plein relief*. Aliud est, quod vulgo dicitur *le creux de la basse taille*. Rubrum cla-

E rum non adhærescit nisi auro. Rubrum opacum in argento & ære probe collocari potest. Cætera encausta seu smalta auro, argento, & æri inhærere possunt. Tunc dicuntur auro adglutinari, metallicum pigmentum auro inuri, liquenti coloratoque metallo aurum pingi, describi, distingui, encaustum auro illini, obduci. Vulgo dicitur *glacer la besongne*, quia smaltum est quasi glacies candida, aut colorata. Ubi encausto metallum inustum est, opus est absolutum In pluribus encaustis seu smaltis admiscetur vitriolum, minium, vel humus plumbeæ venæ, vulgo *mine de plomb*, *sel Alcali*, de quo supra egimus. Crocus Martis, seu ferri,

F nitrum, nativa vel factitia ærugo rasilis, *verd de gris*. Magnesia, vel maganesia, seu *pierigot*, & rupes metallica, quæ sub agris arentibus & macilentis nasci solet, vulgo *saphre*. Hæc nos e Vigenerio viro docto mutuati sumus, & quæ ille Gallico sermone explicuit, Latinæ consuetudini reddidimus, & infra plæraque alia reddemus.

CAP. VI.

DE ENCAUSTO, SEU SMALTO.

QUIDEM negant ſmaltum illud, quo vulgo utimur, Veteribus notum fuiſſe Fugit eos ratio. Philoſtratus enim lib. I. *Iconum*: Ἐν συνθήραις, ita loquitur, περίκεινται μὲν τῷ μειρακίῳ νεανίαι καλοὶ, καὶ καλὰ ἐπιτηδεύοντες, &c. φέρουσι δὲ αὐτοὺς ἵπποι παραπλήσιος οὐδεὶς ἄλλος ἄλλῳ, λευκός τις, καὶ ξανθὸς, καὶ μέλας, καὶ φοίνιξ, ἀργυροχάλινοι, καὶ στικτοὶ, καὶ χρυσοῖ τὰ φάλαρα. ταῦτα φασὶ τὰ χρώματα τοὺς ἐν ὠκεανῷ βαρβάρους ἐγχεῖν τῷ χαλκῷ διαπύρῳ, τὰ δὲ συνίστασθαι, καὶ λιθοῦσθαι, καὶ σώζειν ἃ ἐγράφη. *Adoleſcentis latera cingunt juvenes pulchri, honeſti ſtudioſi, quos equi ferunt inter ſe omnino diſſimiles, alius albus, niger alius, aut flavus, & phœniceus, frænis argenteis, aureis, ac vario colore diſtinctis habenis. Ajunt enim barbaros in Oceano habitantes iſtos colores æri infundere ignito, qui coeant, & lapideſcant, & quæ picta ſunt ſervent.* Non abludit a Philoſtrato Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* XVII. Plumbum, inquit, album incoquitur æris operibus Galliarum invento, ita ut vix diſcerni queat ab argento, eaque incoctilia vocant. Deinde & argentum incoquere ſimili modo cœpere, equorum maxime ornamentis, jumentorumque jugis. Omnis ratio encauſti ſeu ſmalti pendet a metallis & vitro quæ inter ſe mirifice conveniunt, quia Solis efficientia conquieſcit in auro, artis vis in vitro. Sol unit homogenea, ſegregat heterogenea & caduca, ex qua vi aurum conſurgit, quo nullum corpus ſub cælo perfectius, ignis noſter ſemper ſeparat heterogenea donec vitrum efficiat. Lignum, pannum, flores, herbas, carnes, quidvis denique urito, & in cineres redigito, cineres deinde in catillum obruſæ (*en la coupelle*) cum plumbo injicito, argentum repereris, ex quo extrahes aurum in aqua nitri & vitrioli, quæ dicitur, *eau de depart*, *eau forte*. Itaque aurum jure dixeris fœtum Solis, vitrum ignis ἐπιγέννημα; quod utrumque ignis vim patitur inviolatum.

Materia vitri eſt tribulus littoralis, vulgo *ſalicor*, *ſoude*, cui ne vi ignis evolet tantillum arenæ admiſcetur, aliquid enim in vitro eſt volatile, aliquid fixum, ut & in auro. Vide Plinium *lib.* V. *cap.* XIX. *lib.* XXXVI. *cap.* XXVI. Supra de ſmalto pluribus egi, de auro vitreo Joannes *cap.* XXI. ἡ πόλις χρυσίον καθαρὸν, ὁμοία ὑάλῳ καθαρῷ· καὶ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως χρυσίον καθαρὸν, ὡς ὕαλος διαφανής. *Job* XXVIII. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.

Nellura quæ vulgo dicitur hoc modo fit. Sume tibi unciam unam argenti, duas æris purgatiſſimi, tres plumbi. Liquato argentum & æs in eodem vaſe ut contundantur, tum plumbum addito, & carbone moveto, ut plumbum ſpuma liberetur, & tria illa metalla in unum corpus tranſeant. Vas terreum pugni magnitudine ſulphure vino ſemiplenum quod in pulverem triveris habeto, & in id metalla illa mixta fuſaque injicito, & os vaſis obturato argilla & linteolo, & omnia commoveto, manibus uſus donec refrigeſcat, ut omnia in unam maſſam tranſeant. Vaſe fracto maſſam illam funde, & liqua in calice aurariæ fuſuræ injecto borace, & fuſionem iterato, donec maſſa fracta tibi placeat. Hæc eſt *nellura* quæ auro & argento tantum adhibetur, quam e verbis Gallicis Viginerii Latinam tibi dedi.

CAP. VII.

DE PLASTICE, SCULPTURA ET STATUARIA.

PLASTICE, quæ in ſtatuis aut ſculpturis verſatur, in duo membra tribuitur. Aliud enim eſt quod eminet in opere æreo, lapideo, ligneo, quodque exſtat ſupra planam ſuperficiem, vulgo vocatur *boſſe*, eminentia, anaglyphi exſtantes partes. Anaglyphum, anaglyptum, *ouvagre en boſſe*, aliud dicitur cavum quod opponitur eminenti & anaglypho. Vulgo *ouvrage en boſſe, ou relief, l'autre, ouvrage creux*. Anaglyphi ſeu eminentis duo ſunt genera, aliud plenum anaglyphum, *le plein relief*, quoties imago vel ſimulacrum numeris omnibus abſolutum eſt, undequaque rotundatum, ex ſe aptum, non aliunde, cujuſmodi ſtatuæ omnes aut capita Veterum quæ Romæ viſuntur, item vaſa Corinthiaca. Romæ Adonis & Meleager Franciſci Norchæ, Apollo Tuſculanus a *Belveder*, Laocoon Vaticanus, cum duobus filiis ex ſolido marmore & monolitho, Cleopatra, Hercules Echionis Athenienſis in atria palatii Farneſiani, Hercules Capitolinus ex ære, Marcus Aurelius equo inſidens, Venetiis quadrigæ in propylæo Divi Marci. Alterum genus anagliphi vulgo dicitur, *demi-boſſe, ou baſſe taille*, ſemiplenum anaglyphum, prout magis minuſve ſculptura eminet ſupra ſuperficiem planam cui inſidet, cujuſmodi ſunt duæ columnæ Romæ Trajani & Antonini Pii anaglyphici operis, variis figuris exſculptæ, & anaglypha triumphalium arcuum, & monumentorum varii operis anaglyptici marmora, nummi auri, argentei, ærei. Quod ad cavum ſeu profundum ſculpturæ attinet, *le creux, ou les graveures*, aliæ altius aliis exſculpuntur & inciduntur, cujuſmodi Onychas, Agathas, Chalcedonios, Amethyſtos, Jaſpidas multos exſculptos, & inciſos videas. Onyches, Sardonyches, vulgo *cornalines*, quia firmiores & æquiores ſunt aliis, & æquius inciduntur ſine ullo fragmine aut tumore, a ſculptoribus libentius uſurpantur. Nudiuſtertius Romæ viſus eſt adamas ſtemmate Luſitaniæ inſculptus, cujus indicatura fuit ſex millium coronatorum: alius inſignibus Hiſpaniæ ſculptus, qui triginta millibus aureorum æſtimaretur. Adamas autem non inciditur niſi a ſeipſo.

Materia vero plaſtices & ſculpturæ poſita eſt in auro, argento, ære, ebeno, ebore, ligno, marmore, lapide, argilla, luto figulino, cera mixta pice, calce, gypſo, ceruſſa. Statuæ primæ teſtaceæ fuere e terra figlina. Primus plaſtes apud Plinium fuit Dibutades *lib.* XXXV. *cap.* XII. Statuæ primum Diis poſitæ, deinde viris fortibus re bene geſta, Olympionicis Harmodio & Ariſtogitoni æreæ. Quare Antiphon orator rogatus, quod æs ad ſtatuas eſſet optimum a Dionyſio tyranno, reſpondit æs illud, e quo ſtatuæ Harmodio & Ariſtogitoni poſitæ eſſent, optimum fuiſſe: ideo Antiphon juſſu Dionyſii eſt interemptus. Deinde quiſque arbitratu ſuo ſibi imaginem poſuit, qui honor uſque adeo eviluit, ut Ageſilaus & Cato ſtatuæ honorem repudiarint. Morem autem ponendæ imaginis antiquiſſimum eſſe diſces ex Euſebii lib. III. *de Præparat Euang.* Ubi Moyſem vetuiſſe ait, ne imagines adorandæ proponerentur. Unde ſequitur ante Moyſem imagines fuiſſe quæ adorarentur. Plinius ipſe *lib.* XXXIV. *cap.* VII. prodit Euandri ætate longe ante Romam conditam in foro Boario ſimulacrum Hercu-

lis positum in cultu fuisse. Numa Jani signum in eodem foro posuit, quod tamen Plutarchus in *Vita Numæ* mendacii arguit, qui negat 160. annis post Numam ullam Romæ statuam aut imaginem graphice pictam extitisse. Epicadus apud Macrob. lib. I. *Saturnal.* cap. XI. narrat Herculem interempto Geryone in Hispania cum rediisset in Italiam sociorum suorum quos in ea expeditione amisisset simulacra vel sigillaria proposuisse, ornatu solito vestita, quæ postea in fluvium profluentem dejecerint, ut mari quisque in suam patriam veheretur. Eos Ennius vocat Argæos tutulatos. Dionysius Halicarnasseus factum mollit, aitque, cum Itali vivos homines Diti mactarent & capita, Herculem instituisse, ut pro vivo homine, quem Græci φῶτα vocant, lumina & oscilla in profluentem fluvium projicerent, & capita alliorum.

Καὶ κεφαλὰς ἀΐδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Ea vocarunt oscilla. Diodorus Siculus Æthiopes primo imagines reperisse vult, a quibus Ægyptii rem didicerint. Lactantius lib. II. cap. XI. *Error.* Prometheo simulacrorum originem attribuit, qui Pandoram ex argilla fecerit, & igne rapto e Solis rotis animarit.

Hoc igitur in hac re tenendum, homines primum carbone, & cretacea graphide, *avec le crayon* rudi Minerva lineas duxisse, vulgo vocant *griffonner*, deinde excudisse, sculpsisse, rasisse ebur, nativis coloribus animasse. In pictura vulgari pauca sunt, quæ notes, præter manum pictoris, & colores. In plastice, statuaria, sculptura plura miramur. Ante omnia designatio fit operis graphide cretacea, carbone, vel calamo, seu penna, cujus usus difficillimus est, quia figuræ, quæ sunt intra περιφέρειαν, Gallice *le pourfil*, tenuissimis & creberrimis lineis incidendæ sunt cancellatim obliquis quadrangulis & rhombis, *a lozangès, ou petits carreaux*, ut umbræ fiant, & aliquid albi ac vacui relinquendum, ut lumen inducatur. Hæc designatio, quæ fit calamo, utilis est in æreis tabulis, ut postea scalpro incidantur, aut stylo ferreo sculpantur, & typis excudantur picturæ suavius & tenerius incisæ, quæ dicuntur *de taille douce*. Pinguntur autem calamo æneæ laminæ nigro quodam, quod fit e fumo nucum, e nucleis mali Persici, vel pomi Persici duracini, admiscetur aliquid gummi draguntini; in quo genere primas tenuit nostro seculo Albertus Darer Germanus. Rem facilius expediveris graphide ex terra sanguinea, ut umbras efficias in vacuo, & cerussam aqua maceratam cum gummi Arabico adhibeas ad lumen, nisi forte designatio illa rudis fiat in charta alba, vel pelle pergamena. Hæc ratio familiaris est iis, qui nativas seu iconicas imagines pingunt, & designationem operis mica panis albi, ut volunt, emendant, quæ deinde pro exemplari seu archetypo futura est, maxime in sculpturis eminentibus, in quibus nisi pictor abunde versatus fuerit, humi serpet, nec in planis illis picturis excellet, *en platte peinture*; quia sculptura docet contrahere, cogere, coarctare longitudines, easque in breve colligere, in cavum & profundum retrahere, aut attollere quæ sunt in plano, ut emineant, *les raccourcissemens, les renfondremens, les relevemens en un plain*: & efficere, ut quod est in plana superficie, emineat & exstet, quasique foras extuberet. Plinius *lib* XXXV. *cap.* X. Apelles pinxit Alexandrum Magnum fulmen tenentem in templo Ephesiæ Dianæ, viginti talentis auri, id est, centum viginti millibus aureorum nostratium; digiti eminere vi-

A dentur, & fulmen extra tabulam esse. In hoc genere nostro ævo excelluit Michael Angelus Bonarota, unde agnoscas eminens illud, quod foras se projicit, picturam peperisse, vel instituisse. Nihil in hac arte difficilius, quam hominem perfectissimum animal ad vivum coloribus exprimere, sive in plana superficie, sive in exstanti: quare prius vultum creta designant, mox archetypum faciunt; & quum omnia fecerint, vix assequuntur quod volunt. Michael Angelus sculpendi & pingendi arte nobilis, fatebatur sculpturam pictura longe difficiliorem, itaque longe plura nativis coloribus pinxit, quam sculpsit. Admi- B raberis Judicium extremum ab eo pictum in sacello Sixti in palatio S. Petri; sed Prophetæ ab eodem in fornicibus graphice picti longe admirabiliores sunt, quum justam magnitudinem excedant. Statuariam difficiliorem faciunt diversi aspectus statuæ pleni anaglyphi, *la diversité des veues qui sont en une statue de plein relief, qui a sa rotundité accomplie*. Plana pictura non exigit tot aspectus. Deinde sculptura legem dicit proportionibus, & symmetriis, seu mensuris architecturæ, quæ sumuntur e corpore humano. Qui tamen scienter hominem aut quodvis animal expingere potest, longe facilius ædificium designabit, cujus C lineamenta regulæ & circino parent, quam animalium lineamenta. Nihilominus, quia tota ædificii delineatio seu œconomia pendet a conceptu architecti, qui est quasi princeps ac palmarius operis parens, hic plurimum est laboris, dum id agitur, ut proportiones, quæ sumuntur a corpore hominis, observentur. Minori enim negotio invenimus, quam exprimimus, aut imitamur ea, quæ sunt. Ideo nemo architectus nobilis esse potest, qui sculpturæ & statuariæ non sit peritus. Inde est, quod Michael Angelus multa emendarit feliciter, quæ in fabrica S. Petri a Brumante D & Sangalio primis ejus fabricæ architectis peccata erant. Parisiis in fabrica arcis Luparæ Clanius vir nobilis, architecturæ sciens, multa intus & foris peccavit, quia sculpturam vix a limine salutarat. In Gallia nobilissimus statuarius fuit Jacobus Angolismensis, sive marmor scalperet, sive æs funderet, cujus anno 1550. designatio S. Petri palmam præripuit Romæ Michaeli Angelo, sculptorum omnium judicio. Hodie pro miraculo in Vaticana Bibliotheca tres effigies maximæ ab eo fictæ e cera nigra servantur, quarum prima vivum hominem delineat, altera hominem cute nudatum, cum musculis, venis, arteriis, fibris E spirantibus; tertia est Skeletos, cum solis ossibus & tendonibus, quibus ossa coagmentantur. In crypta Meridonica prope Parisios Autumnus marmoreus ab eo scalptus omnes in admirationem rapit. Non eo inferior fuit Parisiis Germanus Pillon, cujus ædes pone Palatium Curiæ centumviralis Sequanæ assitas visere me memini, ubi tot statuas tam affabre factas ex marmore, ex ære, ex luto, tot anaglypha plene aut semiplene extantia, sub annum Christi 1589. vidi, ut me vix uspiam in Europa plura aut admirabiliora vidisse profitear. In marmore scalpendo scalpra facile hebetantur, ut nisi admoveantur igni, & percus- F sa incudibus reparentur, obtusa & inutilia maneant. Et nisi penitus sculptor filum marmoris & venam scienter exploret, & ferro sequatur, in irritum laboret. Michael Angelus Romæ sexagenarius corpore imbecillo, e durissimo marmore plus squamarum & scoriæ scalpro quadrante horæ dejiciebat, quam quatuor alii juvenes & valentes marmorarii duabus horis diruere potuissent; quia filum marmoris sine errore sequebatur. Marmorum autem magna est varietas.

Vidi marmora in finibus Andium, quæ ſcalpro facile cederent, more lapidum molliorum, & tempore dureſcerent. In Cænomanis paſſim Eccleſiæ & Templa columnis marmoreis, quæ ſplendore marmori Pario vel Synnadico non cedant, exornantur. Immo veſtibula ædium vulgarium, & propylæa ejuſmodi columnis inſigniuntur. Omnium marmorum duriſſimum & ferro contumaciſſimum eſt ſerpentinum viride albo diſtinctum & nigro. Deinde porphyreticum rubrum maculis albis variegatum. Vidi Florentiæ in veſtibulo ædis S. Joannis porphyreticam columnam Piſis eo delatam, ferro & igni contumaciſſimam. Tamen porphyreticum ſcalpro cedit, ſi ſæpe aciem ferri igni & aqua reparaveris. Franciſcus enim *del Tadda* Florentinus e porphyretico lapide ſtatuas plures veſtitas fecit, in quibus plus eſt operæ quam in nudis, plura item capita, vultuſque. Is primus eſt auſus duritiem lapidis porphyretici noſtro ævo vincere, ſub Coſmo Medicis I. viro incomparabili. Romæ in campo S. Georgii prope campum florum coloſſus eſt porphyreticus, capite tamen æreo. Item prope S. Agnetis ædem cuppa quadrata ingens porphyretica viſitur, extra mœnia urbis, quod vulgo Bacchi ſepulcrum vocatur, Foris flagellis vitium & hedera corymbiata cum variis avibus interſitis elaborata eſt. Et in Eccleſia S. Agnetis plures ſunt menſæ porphyreticæ parietibus incluſæ. Ad Pantheum Agrippæ, quod hodie *Rotunda* indigetatur, duo vaſa ſunt ingentia variis imaginibus ſcalpta, inter duos leones e marmore Numidico ſtriato, coloris cinerei ſeu leucophæi, quod non minus ferro contumax eſt, quam porphyreticus lapis. Lydius item lapis, quo argentum & aurum exploratur, duritie porphyreticum æquat. Ex Lydio lapide coloſſus eſt Hermaphroditi in palatio S. Georgii. Marmor ſerpentinum ſcalpi non poteſt, ex eo tamen factæ ſunt menſæ, quum metallica quadam ſpecie, quæ vulgo dicitur *Emeri*, in pulverem redacta, & ſerra tenuiſſima ſenſim aliquid ex eo eroderetur. Ita enim ſerra & arena minutiſſima ſecantur marmora in cruſtas. Alius lapis eſt leucophæus oculis gratus, maculis albis & nigris ſparſus, incluſus in pulpito S. Mariæ Majoris, quem quidam vocant lapidem marmaridum, qui duritie non cedit porphyretico. *Emeri* foſſile eſt metallicum e genere chalybis, quo aciem enſium artifices ferri expoliunt, ſed prius in pulverem minutiſſimum terunt. Hujus foſſilis miror neminem meminiſſe Veterum. Noſter Ronſardus meminit,

Et l'émeri des lames acerées

Frappé menu des flames étherées.

Marmoris genus quoddam eſt, quod dicitur granatum, quia in eo ſunt grana Chalcedoniorum, emerici, agatharum varii coloris, quibus ſparſum eſt. Ejus duo genera ſunt: alterum leucophæum, cujuſmodi ſunt tredecim columnæ Panthei Romæ in porticibus: alterum rubro granatum, ex quo facti obeliſci, & cupæ balneares, e quibus una viſitur Romæ ante palatium S. Marci, & pro foribus S. Salvatoris Laurentini. In inſula Elbana maris Hetruſci fodinæ ſunt marmorum granatorum, unde concha ingens allata quæ viſitur hodie Florentiæ in Palatio Pitti, excipiendæ aquæ ſalientis e fonte. Nonnulli putant obeliſcos Romæ factitios eſſe, non effoſſos e latomiis, ſeu lapidicinis. Sed Strabo & Plinius latomias aſſignant, e quibus exſecti ſunt. Maximus obeliſcus erat centum viginti quatuor pedum, minimus octoginta octo. Quoddam marmor eſt vulgo dictum *Gentile*, & elegans, ex æquo ubique album, e quo multa capita & ſtatuæ Romæ viſuntur, ſed ſcalpro contumax eſt. Ideo ſtatuarii libentius utuntur marmore Pario, quod cedit ſcalpello, & injuria pluviæ vel aeris non violatur, ſine maculis verſicoloribus. Florentiæ in Eccleſia S. Laurentii in ſacello Mediceorum Michael Angelus uſus eſt in ſtatuis gentis Mediceæ marmore Carrarienſi albo, quod nullis maculis verſicoloribus ſparſum eſt. Ibidem in crypta ſubterranea civitates & urbes Hetruriæ, quæ in ditione magni Ducis ſunt, tanta marmorum varietate, tot emblematum & teſſellarum, tamque verſicoloribus cruſtis ſunt, ut nihil in toto orbe admirabilius aut magnificentius videatur. Libet hic ſubjicere pauca de marmoribus & gemmis, quæ ſculpi poſſunt.

CAP. VIII.

DE MARMORIBUS

QUIA marmora ſunt inter lapides e quibus ſtatuæ fiunt, de iis agamus. Marmora dici a ſplendore & μαρμαρυγῆ volunt. Strabo *l.* V. μονόλιθοι πλάκες, καὶ στῆλαι, ὥστε τὰ πλεῖστα τῶν ἐκπρεπῶν ἔργων. Solidæ columnæ & laminæ magni operis e Luna urbe Hetruriæ Romam feruntur *l.* XII. pag. 197. Sinnas ἡ μεγάλη πόλις, κίονες μονόλιθοι μεγάλοι πλησιάζοντες τῷ ἀλαβαστρίτῃ λίθῳ κατὰ ποικιλίαν. *Sinnas parva urbs eſt, unde columnæ magnæ ex uno lapide, alabaſtro varietate ſimiles afferuntur.* Cum provincias diſpoliant, columnas monolithas auferunt, ait Laberius: ſolidum adamantem Maro vocat lib. VI. *Æneid.*

—— *ſolidoque adamante columnæ.*

Quomodo marmor paretur ad tectoria, vide Vitruvium *lib.* VII. *cap.* V. Fabium *declamat.* IX. graves cruſtæ, marmore lucentes columnæ. Sidon. in *Epithalamio*:

Hic lapis eſt de quinque locis, dans quinque colores.
Æthiopus, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculoſus, eburnus, & albus.

Statius:

Purpura ſola cavo Phrygiæ quam Sinnados antro
Ipſe cruentavit maculis lucentibus Attin.

Seneca Numidicas cruſtas vocat *epiſtola* LXXXVI. Vet. *Gloſſ.* πλακωθεῖσαν οἰκίαν, *incruſtatam domum*, malim interpretari, teſſellis ſectilibus pavimentatam. Statius lib. II. *Sylv.*

—— *hic Grajis penitus deſecta metallis*
Saxa quot Eoæ reſperſit vena Syenes.
Sinnade quot mœſta Phrygiæ fodere ſecures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
Candida purpureo diſtinguitur area gyro.
Hic & Amyclæi cæſus de monte Lycurgi
Quod viret & molles imitatur rupibus herbas,
Hic nomadum lucent flaventia ſaxa, Thaſoſque,
Et Chios, & gaudens fluctus ſpectare Caryſtos.

Strabo *l.* VIII. Λατομίαι λίθου πολυτελοῦς τὸ μὲν Ται-

ναρίκῳ Ταινάρῳ παλαιαὶ, νεωστὶ δὲ καὶ ἐν τῷ Ταυγέτῳ μέταλλον ἀνέῳξάν τινες εὐμέγεθες. Seneca lib. *de Benefic.* IV. Crustæ marmoris ipsa qua secantur lamina graciliores erant. Ea enim gracilitas, quia difficilis, pretium augebat. Plinius *lib.* XXXVI. *c.* II. & III. Crassus orator sex columnas marmoreas & Hymettias in palatii ædibus posuit. Marmora scalpserunt primi Dipœnus & Scyllis Cretenses. Lapis Parius dicitur λυχνίτης, quia ad lucernas cæderetur. Scalpendi marmoris ars trecentis triginta duobus annis statuariam & picturam superavit, quæ sub Phidia tantum Olympiade LXXXIII. versicolores maculæ apud Chios inventæ. Secare marmor in crustas Cares docuerunt. Crusta marmoris parietes primus operuit Mamurra præfectus fabrum Cæsaris. In vilissimo liminum usu Numidicum marmor primus posuit Marcus Lepidus an. urbis 666. Marmor sectum est, aut solidis glebis positum. Marmor arena secatur, ferra in prætenui linea premente arenas, versandoque tractu ipso secante. Æthiopica arena ad id commoda est. Sidonius *Epithal. Ruricii*:

Postes Chrysolithi fulvus difulgurat ardor.
Murrhina, Sardonyches, Amethystus, Iberus, Iaspis,
Indus, Chalcidicus, Scythicus, Beryllus, Achates,
Attollunt duplices argenti cardine valvas,
Per quas inclusi lucem vomit umbra smaragdi.
Limina crassus onyx crustat, propterque hyacinthi
Cærula concordem faciunt in stagna colorem.

Idem *carm.* XXII.

Cedat puniceo pretiosus livor in antro
Synnados, & Nomadum qui portat eburnea saxa
Collis, & herbosis quæ vernant marmora venis.
Candentem jam nolo Paron, jam nolo Carystum,
Vilior est rubro quæ pendet purpura saxo.

Idem *lib.* III. *Epist.* Quadrarium vocat marmorarium, Ερμόγλυφα. Statius lib. I. *Sylv.*

Hic Libycus, Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent, hic flexus onyx, & concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, quis purpura sæpe
Oebalis & Tyrii moderator livet aheni.

Prudentius:

Et quæ saxa Paros secat, & quæ Punica rupes.
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Synnas.

Statius;

Non huc admissæ Thasus, aut undosa Carystos,
Mœret onyx longe, queriturque exclusus ophites,
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Attys.
Quasque Tyrus niveas secat, & Sidonia rupes:
Vix locus Eurotæ viridi, cum regula longo
Synnada distinctu variat.

Lampridius in *Alexandro Severo*: Marmor porphyreticum & Lacedæmonium. Isidorus lib. XVI. *Origin.* Lacedæmonium marmor viride cunctis

A est hilarius. Ophites serpentium maculis similis est. Augusteum & Tiberinum in Ægypto. Purpurites βασανίτης, alabastrites. Statius:

Mons Lybis, Iliacusque nitent, & multa Syene,
Et Chios, & glauca certantia Doride saxa.

Cassiodorus lib. I. *Var.* Discolorea crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur. *Epist.* II. *lib.* II. Sidonius: Non illic quidem Paros, Carystos, Proconissos, Phryges, Numidæ, Spartiatæ rupium variatarum posuere crustas, neque per scopulos Æthiopicos, & abrupta purpuræ genuino fucata conchylio sparsum mihi saxa B furfurem mentiuntur. Prudentius lib. II. *in Symmachum*:

Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum.

Signis e marmore gemmisque etiam poliendis Naxium diu placuit ante alia. Ita vocantur cotes in Cypro insula genitæ. Vicere postea ex Armenia vectæ. Pretiosissimi generis Lacedæmoninm viride, cunctisque hilarius. Olim non fuit auctoritas maculoso marmori. Primum versicolores istas C maculas Chiorum lapidicinæ ostenderunt. Augustum vel Augusteum undatim crispum in vertices, Tiberinum sparsim convoluta canitie. Ophites Tephrias a colore cineris dictus, qui & Memphites dicitur. Est & in Ægypto porphyrites λευκόστικτος candidis interstinctus punctis. Est & basaltes in Æthiopia ferrei coloris atque duritiæ. Vide Plinium *lib.* XXXVI. *cap.* VII. Strabonem *lib.* XVII. Agricola putat murrhina vasa fieri ex onyche Arabiæ. Male. Onyches Germaniæ sudines dicti, ex quibus potoria vasa. Praxiteles marmoris gloria superavit etiam semetipsum. Lygdini in Tauro reperti, Alabandici ad purpuram magis D inclinant. Luculleum marmor in atrio Scauri collocatum, aut potius marmoris Lucullei columnæ duodequadragenum pedum. Hymettii marmoris columnæ sex in L. Crassi oratoris Palatina domo. Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* V. putat scalpendi marmoris artem cum Olympiadibus cœpisse, longe antiquiorem pictura & statuaria, quarum utraque cum Phidia cœperit Olympiade octagesima tertia, quod ab eo scriptum miror, cum idem scribat, in Chio insula Malam sculptorem, & filium ejus Micciadem fuisse Hipponactis ætate, quem certum est vixisse Olympiade 60. Idem ait proavum Malæ sculptorem floruisse Olympiade prima ineunte. Sculptores marmoris, qui fœditatem vultus in marmore E expresserint, iidem & scalptores fuere, & statuarii. Nonnulli hodie reperti qui marmora proxime imitentur. In mensa enim plana illinunt gluten figulorum, deinde glutini aspergunt gypsum contritum in pulverem. *Sur la colle ils font une couche de plastre pulverizé*, & variis coloribus imbuunt, deinde in mensa eadem illinunt gluten alterum, & gypsum friatum variis coloribus tinctum aspergunt. Idem tertio faciunt, & quod eminet in superficie dedolant & lævant. Exæquat id opus marmoris pulcritudinem & duritiem. F

CAP. IX.

DE GEMMIS ET LAPILLIS.

In gemmis & lapillis hodie luxuria exsultat, quas varie sculpere ars sculpturæ docet:

Nemo est tam sordidæ & ultimæ sortis, qui non
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum:

Video uniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos. Jam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt. Junguntur inter ſe, & inſuper alii binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, niſi bina ac trina patrimonia ſingulis auribus pependiſſent, ait Seneca. Quare uxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit? Sed a corruptis moribus ad Naturæ miracula divertamus. Quorumdam lapidum inexpugnabilis duritia eſt, nec ſecari adamas, aut cædi, vel teri poteſt, ſed incurrentia ultro retundit. In gemmis ſales ſunt, verrucæque non eminentes, at ſeſſiles. Cryſtallis ſubinde occulta ſubeſt vomica præduro centro, ſalem vocant. Aliæ gemmæ ferro ſunt contumaces, aliæ retundunt. Prima ſtatim ſcalptura in quibuſdam capillamentum videas, in aliis lævor laterum mucrone gratior eſt. Clemens lib. II. *Pædagogi*, cap. XI. *Lapillos* inſectatur *lividos, pallidos, maris inhoſpitalis ejectamenta, aut terræ ramenta*, πελιοὺς, ἢ χλωροὺς, καὶ τῆς ἀπεξενωμένης θαλάσσης τὰ ἐκβράσματα, καὶ τῆς γῆς τὰ ἐκψήγματα. Amethyſti, inquit, & ceraunitæ, & jaſpides, & topaſius, & ſmaragdus. ἥτε Μιλησία σμάραγδος ἐμπόλημα τιμηέστατον. Mileſia, merx pretioſſima, margarita pretioſa naſcitur in oſtreo ſimili pinnis, magnitudine piſcis, oculus ingens. Tertull. *de Geneſi*:

Praſinus huic nomen eſt, illi carbunculus ardens.

Lib. II. *in Marcionem*: Lygurius, onychinus, chryſopraſus. Petronius: Carchedonios ignes lapideos. Tertullianus lib. *de Anima*: Cerauneis gemmis non ſubſtantia ignita eſt, quod coruſcant rutilato rubore; nec beryllis ideo aquoſa materia eſt, quod fluctuant colato nitore. Liber Thobith σαφεὶρ καὶ ἄνθρακα, ſapphirum & carbunculum, vocat. Carbunculus decuplo pretioſior eſt adamante, quia maxime ſole in rubrum excoctus. Dionyſius *de ſitu Orbis*: Ad Ægeum, inquit, mare ſunt Thraces.

Ἔνθα μελισσοβότοιο κατὰ σκοπιὰς Παλλήνης
Φύεται ἀστέριος, καλὸς λίθος, οἶά τις ἀστήρ.

Ubi ad ſpeculas Pallenes altricis apium lapis aſterius naſcitur, pulcher ſideris more fulgens, & flammæ ignis, quæ in lucernis micat, perſimilis. Idem ad Riphæos inquit:

Ἠδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, οἷά τις αὐγὴ
Μήνης ἀρχομένης.

Electrum ſuaviter lucens augetur, qualis lunæ ſplendor incipientis. Sapphirum Jovi & Saturno ſacrum eſſe ajunt, imperiumque & ſacerdotium ſignificare; ideo in ſacris Literis ſub pedibus Dei quaſi opus lapidis ſapphirini. Smaragdus Uraniæ virgini ſacer virginitatem indicat, jaſpis gratiam. Virgilius:

—— illi ſtellatus jaſpide fulva
Enſis erat.

Tertullianus: Gemmæ tarde teruntur, ut niteant; ſubdole ſubſtruuntur, ut floreant; anxie forantur, ut pendeant. Heſychius: μηριζεὺς λίθος τις, ὃς ἐπιστα ζομένου ὕδατος καίεται. *Merizeus lapis, qui ſi aſpergatur aqua incenditur.* Ita lacrymæ Mariæ Magdalenæ cor ejus lapideum incenderunt. Androdamas lapis æs & argentum ad ſe trahit. Corallium in mari planta eſt, aere contactum lapis. In Silaro ligna lapideſcunt. Plinius, & Pauſanias: In Troade Perperenis fluvius lapidibus agros conſerit. Ajunt eos, qui ferunt cylindrum in Sypilo in templo Cybeles, fieri φιλοπάτορας, *amantes patrum*. Debuerat Ptolemæus Philopator cylindrum illum tuliſſe, ne parricida eſſet. Caryſtius lapis texitur, igne purgatur. Mardobæus:

Gemmis a gummi nomen poſuere priores,
Quod tranſplenderent gummi ſplendentis ad inſtar.

De lapidibus vide Solinum *cap.* XI. Plinium *lib.* XXXVII. *cap.* IV. & V. & IX. & X. *lib.* XXXVI. *cap.* VIII. XIX. *lib.* XXXII. *cap.* II. Dioſcoridem *libro* V. Solinum *cap.* IV. XLV. XII. XLII. L. VIII. Iſidorum *lib.* XVI. *cap.* XV. Orpheum lib. *de Lapidibus*, Tzetzem *chil.* VI. *cap.* LXVIII. & Mardobæum. Lapidum genera & nomina plura, Adamas, Achates, Alectorias, Amethyſtus, Androdamas, Abſinthos, Asbeſtos, Alabandina, Beryllus. Carbunculus, Chryſolithus, Chryſopraſus, Chryſopaſius, Chelidonius, Corneolus, Chalcophonos, Chryſolectros, Chalazias, Chelonites, Corallium, Chalcedonius, Cerauneus, Chryſtallum, Dionyſiades, Aetices, Enhydros, Gagates, Galactites, Hieracites, Hienla, Heliotropia, Hepheſtites, Æmatites, Exacontalithos, Hyacinthus, Jaſpis, Iris, Lyncurius, Lipares, Magnes, Molochites, Medus, Onyx, Orites, Ophthalmius, Pantherus, Pyrites, Pyropus, Praſius, Sapphirus, Smaragdus, Sardius, Sardonyx, Selenites, Sagda, Topaſius, Thecolithus, Unio, Elenchus, Margaritum. Sunt & aliæ gemmæ apud varios Auctores. Ammianus *lib.* XXIII. Conchæ denſius oſcitando ex lunari aſpergine concipiunt. Inde gravidæ edunt margaritas binas & ternas, vel uniones, quæ dicuntur conchulæ, ſingulas pariunt aliquoties, ſed majores, vide finem *lib.* XXIII. Propertius *lib.* I. *eleg.* II.

Littora nativis perſudent picta lapillis.

Vetus opinio fuit, in littore rubri maris gemmas omnis generis naſci, quare Poeta dixit,

Nox & Erythræis Thetidis ſignanda lapillis.

In achate Pyrrhi, novem Muſæ, Apollo, & lyræ, tibiæ, citharæ, ac inſtrumentum omne Muſarum, & Apollinis a Natura expreſſum. In marmore ſecto laurum, Silenum, piſces, caput Panis reperta ſcribit Plinius *lib.* XXXVI. In alio marmore ſecto repertum oleum fragrantiſſimum. In alio Neapoli adamas immenſi pretii. Theophraſtus *de Lapidibus*: Διωνομασμέναι λιθοτομίαι Παρίων τε, καὶ Πεντελικῶν, καὶ Χίων, καὶ Θηβαϊκῶν, καὶ ὡς ὁ περὶ Αἴγυπτον ἀλαβαστρίτης, καὶ ὁ τῷ ἐλέφαντι ὅμοιος ὁ Χερνίτης, ἐν ᾧ πέπλῳ φασὶ τὸν Δαρεῖον κεῖσθαι. καὶ ὁ Πόρος ὅμοιος τῷ χρώματι καὶ τῇ πυκνότητι τῷ Παρίῳ. *Nobiles ſunt lapidicinæ in Paro, Pentelica, Chio, Thebis, in Ægyto alabaſtrites, & qui ſimilis eſt ebori Chernites, in quo jacere ajunt Darium peplo involutum; & Porus ſimilis colore & denſitate Pario.* σπῖνος, *ſpinus*, & liparites lapides ſunt. Achates ab Achate fluvio Siciliæ dictus. S. Hieronymus ait amethyſten, quo omnia venena ſuperantur, in nido aquilæ reperiri. Lapis conchites Megaris λευκὸς, καὶ ἄλλου λίθου μαλακώτερος, *albus omni lapide mollior*, ait Pauſanias pag. 43. Philo *in Cajum*: Προστάττει τὰς ἐν κύκλῳ θυρίδας ἀναληφθῆναι τοῖς ὑάλῳ λευκῷ διαφανέσι παραπλησίοις λίθοις, οἳ τὸ μὲν φῶς οὐκ ἐμποδίζουσι, ἄνεμον δ' εἴργουσι, καὶ τὸν ἀφ' ἡλίου φλογμόν.

Jussit fenestras in ambitum lapidibus muniri pellucidis, similibus vitro albo, qui lucem non impediunt, ventum autem prohibent, & solis ardorem. Est lapis specularis, Phengitis, Domitiani apud Suetonium. Mulieres gestarunt gemmas ex auribus pendulas. Eustathius vocat ἕρματα ἐνώτια, *inaures*. Juvenalis:

Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Plin. *lib.* XXIX. *cap.* XXXV. Elenchos fastigiata longitudine digitis suspendere, & binos ac ternos auribus fœminarum gloria est. Seneca in *Hippolyto*:

—— *nec niveus lapis*
Diducat aures Indici donum maris.

Cæcilius: Tum ex aure ejus stalagmium domi habeo. Homerus.

—— ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν.
Ἐν ξ' ἐϋτρήτοισι λόβοισι ξ' ἴγλῆνα μορόεντα.

Lampridius in *Severo*, cum quidam legatus uniones duos uxori ejus per ipsum obtulisset, magni ponderis & inusitatæ mensuræ, cum pretium non invenirent, inauribus Veneris eos dicavit. Procopius *lib.* I. Peroses Persa margaritum maximum & candidissimum, quod ex aure gerebat, detractum projecit in scrobem, ne in manus hostium veniret. Id repertum erat in ctene pisce, quem sequebatur canis marinus captus amore margariti fulgentis inter aquas. Piscator cum canem cibo intentum vidisset, natatu ctenem assecutus in littus jecit, sed ipse tam celeriter redire ad littus non potuit quin a cane laceraretur. Vide Isidor. lib. XVI. *Orig.* Martialis:

Sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.

Mardobæus:

Annulus ut gemmam digitis aptandus haberet,
Dicitur in primis fecisse Prometheus usum,
Caucaseæ rupis, quem lucida fragmina ferro
Inclusisse ferunt, digitoque recepta tulisse.

Vide Dion. Chrysost. pag. 154. Heliodor. lib. VIII. *Æthiopicæ Historiæ*: Παντάρβην φορέουσα πυρὸς μὴ τάρβει ἐρωὴν. *Pantarbam ferens ne time impetum ignis.* Vide Athen. *lib.* III. Scholiastes Aristoph. *ad Nubes*, Φαρμακοπώλας τιμαλφεῖς τοὺς πολυτιμήτους λίθους πιπράσκοντας. *Pharmacopolas pretiosos lapides vendentes.* Theocrit. *Idyl.* XII.

Λυδίῃ ἴσον ἔχειν πέτρῃ στόμα, χρυσὸν ὁποίῃ
Πεύθονται μὴ φαῦλον ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.

Os habere simile Lydio lapidi, quo argentarii probant aurum sincerum, non adulteratum. Nicander,

Ἡ σύγ' Θρηΐσσαν ἐνὶ φλέξας πυρὶ λᾶαν,
Ἥτ' ὕδατι φλεχθεῖσα σελάσσεται, ἔσβεσε δ' αὐτήν,
Τυτθὸν ὅτ' ὀδμήσῃ ἐπιρρανθέντος ἐλαίου·
Τὴν ἀπὸ Θρηϊκίου νομέες ποταμοῖο φέρονται.

Aut Thracium lapidem cum accenderis, qui aqua rigatus splendet, eum autem extinguit tantillum olei offusum. Pastores hunc lapidem a Thracio fluvio ferunt. Philostratus in *Amoribus* Margelin & Sardium lapides commemorat, ἡ Μάργηλις, ἡ Σαρδώ. Bdellium lapis est cap. II. *Genes.* Ὁ ἄνθραξ λίθος Πράσινος, *carbunculus lapis Prasinus*. Martialis *lib.* VI.

Siccos pinguis onyx anhelat æstus,
Et flamma tenui calent ophitæ,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx aut Lybis altius cecidit.

Lib. IV. *Antholog.*

Εἰκόνα πέντε βοῶν μικρὴ λίθος εἶχεν ἴασπις.
Imaginem quinque boum parvus lapis jaspis habuit.

Vide Nonnum in *Dionysiacis* lib. V. pag. 94. 321. 529.

Τῇ μὲν ξανθὸς ἴασπις ἐπέτρεχε, τῇ δὲ σελήνης
Εἶχε λίθον παλίνορσον, ὃς ἀκεράοιο θεαίνης
Λειπομένης μινύθει, καὶ ἀέξεται.

Altera flavus jaspis incurrebat, altera lapidem album habebat, qui luna deficiente minuitur, augente augetur. Pers. *satyra* II.

Hæc baccam conchæ rasisse.

Vide Strabonem *lib.* VI. Plinium *lib.* IX. *cap.* XXXV. Martianus Capella *lib.* I.

Lychnius, astrites, ceraunes, scythis, Iaspis,
Dendrites, Heliotropios, Sydalis.

S. Hieronym. *ad Demetriadem epist.* Ut taceam de inaurium pretiis, candore margaritarum rubri maris profunda testantium, smaragdorum virore, ceauniorum flammis, hyacinthorum pelago. Vide Heliod. lib. V. *Æthiop.* Philostratum lib. III. *de Vita Apollon.* p. 3. ante finem S. Hieronym. δακτυλιοποιοὶ dicuntur inclusores qui gemmas annulis includunt. De Pantarba Philostratus lib. III. *Apollon.* cap. XIV. Παντάρβη γίνεται ἡ μεγίστη κατ' ὄνυχα δακτύλου τουτονί, δείξας τὸν ἑαυτοῦ ἀντίχειρα, κυΐσκεται ἐν γῇ κοίλῃ. βάθος ὀργυιαὶ τέτταρες. Tantum ipsi spiritus inest, ut intumescat terra, & plerunque scindatur ubi concipitur is lapis: fugit, nisi ratione & prudenter trahatur. Nos soli quibusdam sacris actis ac dictis Pantarbam eruimus, quæ nocte tanquam ignis diem accendit, est enim ignea, radiis micans, quod si die jam orto aspiciatur βάλλει τὰς ὀφθαλμοὺς μαρμαρυγαῖς μυρίαις, *percutit oculos infinitis fulgoribus.* Lumen quod in eo lapide est spiritus est admirabilis virtutis. Quicquid enim prope est sibi conciliat & trahit. Imo quoscunque lapides in mare & fluvios dejeceris ac sparseris, si eam demiseris eodem, omnes sui spiritus virtute recolligit, ita ut coacervati lapides tanquam examen apum illi subjaceant, *cap.* XV. Ἁλίσκεται καὶ λίθος ἐκεῖ μαργαρὶς ἐν ὀστράκῳ λευκῷ, καρδίας τόπον ἐχούσα τῷ ὀστρέῳ. *Cap.* XVI. Unguento perfusa ostrea sese aperientia inebriantur. Tunc ferreo stylo perforata quasi saniem quandam emittunt, quam venator ferreo latere excipit, qui in varias formas excavatus est. Ea sanies postea lapidescit, atque in modum naturalis margaritæ albus ille sanguis concrescit, κἔστιν ἡ μαργαρὶς αἷμα λευκὸν ἐξ ἐρυθρᾶς θαλάττης. Solinus *cap.* XXXVIII. Smilaces in ipso Euphratis alveo legitur gemma ad imaginem marmoris Proconesii, in medio glaucum ut oculi pupilla internitet. *Cap.* XXXIX. de Sagda lapide. Myrrhites spirat nardi suavitatem. Mithridax, Thecolithos, Ammochrysos. Excidit draconibus Dra-

contias lapis, Molochites, Androdamas, Pæderos. *Cap.* XLII. *cap.* XLVI. Pyrrhites, Kalazias, Echites, Dionyſias. *Cap.* LV. Adamantes lymphationes abigunt, venenis reſiſtunt, vanos metus pellunt. Nunquam ultra magnitudinem nucis avellanæ repertus adamas. *Cap.* XXIX. In oculis hyænæ lapis eſt hyænius, qui ſi linguæ hominis ſubditus fuerit, prædicat futura. Nazamonites lapis apud Nazamonas, ſanguineus, nigris venulis. Ad Hammonem lapis legitur tortuoſus, inflexus, qui Hammonis cornu dicitur, fulgore aureo, ſubjectus capiti prædivina ſomnia repræſentat. Seneca decoctum calculum in ſmaragdum converti ait *epiſt.* XC. Immo hodieque inventi lapides coctiles colorantur. Theodoretus *Dialog. de providentia*: Πόθεν ἔμαθε φύσιν ὑάλου; τίς αὐτὸν τὴν ψάμμου διαφορὰν ἐπαίδευσε; τίς αὐτὸν ἐδίδαξε τὴν τοιάνδε ψάμμον τῷ πυρὶ παραδίδοσθαι, καὶ ὅπως καὶ ἐπὶ πόσον; Livia cryſtallum centum quinquaginta librarum in Capitolio dedicavit, apud Plinium. Solinus *cap.* XX. Cyanis lapis in Scythia cæruleo coruſcans. Q. Curtius *lib.* VIII. Gemmas & margaritas mare Indicum littoribus infundit, neque alia illis major opulentiæ cauſa eſt, utique poſtquam vitiorum commercium vulgavere in ultimas gentes: quippe æſtimantur purgamenta æſtuantis freti pretio, quod libido conſtituit. Solin. *cap.* XXXIX. Hyacinthus plerumque violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliqueſcit. Optimus ille tenor, ſi nec denſiore fuco ſit obtuſior, nec propenſa perſpicuitate detectior, ſed utroque temperamento lucis & purpuræ moderatum ſuaviter florem trahat. Hic eſt, qui ſentit auras, & cum cælo mutat, nec æqualiter rutilat, quum aut nubilus, aut ſerenus dies. In os miſſus magis friget, ſcalpturis minime accommodatus, ut qui attritum reſpuat. Ubi hyacinthus, ibi & chryſolampis apparet, quem lapidem lux celat, prodit obſcurum. Nocte igneus eſt, die pallidus. Gemmæ autem generantur inter ſaxa e ſucco metallico. In ventre ſaxorum duriorum ſæpe amethyſti & carbunculi reperti. Gemmæ nobiles inter metalla auri & argenti reperiuntur. Adamas, opalus, ſmaragdus ad auri naturam pertinent; ſapphirus ad argentum; carbunculus, amethyſtus, pyropus ad ferrum. In cryſtallo nihil eſt metallicum. Lapilli inter metalla ſunt, ut glandes in animalibus, ut nodi in lignis, ut ſemina in plantis, ut verrucæ in vultu, ut nævi in corpore, ut fungi in arboribus. Lapilli frigidiores ſunt vitro, ideoque attactu linguæ ab Indis cognoſcuntur. Eorum ſplendor minus hebetatur lumine candelæ, quam vitrum. De lapide Dracontio vide Solinum *cap.* XXXIII. Pœanites in Macedonia concipientibus & parientibus prodeſt, apud Solinum *cap.* XIV. *Cap.* XXII. Callais gemma in Germania viret pallidum, nihil decet aurum jucundius, id eſt, auro incluſa nihil jucundius. *Cap.* VII. Lyncurius ſuccini colore ſpiritu feſtucas attrahit, dolores renum ſedat, medetur Regio morbo. Corallum dicitur Gorgias Metrodoro, reſiſtit typhonibus & fulminibus. Achates in Sicilia ad Achatis fluminis ripas. In Creta Coralliachates corallo ſimilis. *Cap.* XXXVI. Molochites in Arabia virens juvat contra infantium pericula. Iris in mari rubro ſpecie cryſtalli. Sexangula, radiis icta Solis, rutilo aeris repercuſſu, cæleſtis arcus ex ſe jacit ſpeciem. Androdamas mollit iras. Pæderos lapis Arabicus cryſtallinum lucet, rubet purpuram. Arabica, genus lapidis, eſt nervis utilis. Apud Trebellium, uniones Cleopatrani: μονόκοκκα Gloſſ. μαργαρῖται μεγάλοι. Apud Capitolinum, Monolinum de albis novem, monolinum eſt filum unum, quo margaritæ novem erant inſertæ. Margaritæ enim vocantur albæ ab Anaſtaſio in *Leone* IV. lapidem quemcumque ad caudam aſini ſi alligaris, non rudet. Petronius:

Quo margarita cara, tribacca, Indica,
An ut matrona onerata phaleris pelagiis, &c.

Apud Julium Firmicum lib. *de Myſter.* In myſteriis dicitur θεὸς ἐκ πέτρης. Apud Tertullianum lib. II. *in Marc.* Ligurium onychinus, chryſopraſus. Alii dicitur lyncurius. Tzetzes *chiliade* VIII. *cap.* CXCV. λίθος βασιλικὸς καὶ πεντελήσιος, ad ſtatuas utilis. Vide *cap.* CCCLXXV. CCCLXXVI. Solinus *cap.* LVI. In Taprobane conchæ rore matutino concipiunt uniones, & quum lunares maxime liquantur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt liquorem concupitum. Nunquam in concha duo ſimul uniones reperiuntur. Ultra ſemunciales inventos negant. Conchæ gregatim natant, certa examini dux eſt, quæ ſi capta eſt, etiam quæ evaſerint, in plagas revertuntur. Sub Sylla primum Romam illati ſunt uniones. Lollia Paulina Caii Principis conjux tunicam habuit ex margaritis ſexcertia quadringenties tunc æſtimatam.

CAP. X.

DE LAPIDIBUS.

AD foſſam Marianam littus lapideum eſt, in quo Herculem contra Albionem & Bergiora Neptuni liberos dimicantem, cum tela defeciſſent, a Jove adjutum imbre lapidum fuerunt. Credas pluiſſe, adeo multi paſſim & late jacent, ait Mela *lib.* II. *cap.* V. Tacitus lib. XV. *Annal.* Lapis Gabinus & Albanus igni ſunt impervii. Thales apud Diogenem Laertium: Πρῶτος τοῖς ἀψύχοις μεταδιδόναι ψυχὰς λέγεται, τεκμαιρόμενος ἐκ τῆς λίθου τῆς μαγνήτιδος καὶ τῆς ἠλέκτρου. *Primus dicitur anima dediſſe inanimatis, conjectura capta ex magnete lapide & electro.* Lapis triſtis in Attica fuit, ubi ſedit Ceres filiam quæritans, lib. IV. *Faſtor.* Ovidius. Apud Pauſaniam Megaris Anacletra petra, cui inſidens Ceres filiam inclamavit. Lib. II. *Metamorphoſ.* Ovidius: Lapis index, in quem mutatus ruſticus, qui indicarat boves Apollini a Mercurio abactas. Apud Pauſaniam, lapis ſacer in Trœzeniis, quem poſuerunt illi, qui Oreſtem ἐκάθηραν ἐπὶ φόνῳ τῆς μητρὸς, *a matris cæde.* Megaris lapis ſonans, in quo Apollo citharam repoſuit, ad ictum pulſus cujuſcumque fidicinat, ait Martianus Capella. Apud Pauſaniam: Lapis ἀργὸς, *albus*, eſt in Laconibus, cui inſidens Oreſtes furore liberatus eſt; ideo lapis hic dicitur Euſtathio Ζεὺς καππώτας. Auæni lapis apud inferos, quod mortui *areſcant*, αὐαίνονται. Jovem lapidem Romæ jurabant. Bætyli culti a Judæis, qui volare & per ſe moveri dicti. Bætylum faſciis involutum Saturnus pro Jove dicitur devoraſſe. De lapide ſonanti Ovidius lib. VIII. *Metamorph.*

Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Depoſuiſſe lyram, ſaxo ſonus ejus inhæſit.

De lapide Adarce, Antipathe, Aſio, Pyrite, Æmatite, Schiſto, Gagate, Thracio, Arabico, Galactite, Melitite, Morachtho, ſeu Galaxia, ſeu Leucographide, Thyĭte, Alabaſtrite, ſeu Onyche, lapide Judaico, Memphite, Selenite, Oſtreite, Smyri, & aliis, vide Dioſcoridem *lib.* V. *cap.* CL. & ſequentibus.

CAP. XI.

DE STATUIS ÆREIS FUSIS.

APUD Pausaniam in *Arcadicis*, Ræcus Phiæi filius, & Theodorus Teleclis Samii, primi æreas statuas fuderunt. Ante eos laminas rudi Minerva coagmentabant pro statuis. Is Theodorus smaragdum cælavit Polycratis Samii. Terra, unde proplasma, seu fusilis operis typus, exemplum, prototypon, archetypon, protypon efficitur, non est argilla pinguis & æquabilis, cu- B jusmodi ea est, unde fictilia fiunt, quia facile funditur, & fatiscit, sed terra est arenosa, qua utuntur ad furnos exstruendos, & fundendas campanas, atque adeo catapultas seu bombardas tormentarias. Si argilla uteris, admisceto cineres purgatissimos, aut arenam tenuissimam. Terra hæc exsiccatur, conteritur in pulverem, excernitur cribro, seu incerniculo farinario, *tamis*, tum admiscetur tomentum lanicium, seu leuconicum, *bourre*, & omnia imbuuntur aqua, ut in unum corpus transeant, vapulantque virga ferrea, tum per quatuor menses macerantur, & C computrescunt simul, ut rationem unguenti cujusdam mollis obtineant. Ita terra poterit pati ardorem metalli, nec fatiscere, aut disrumpi. Cum ita formatum fuerit protypon e terra, & finxeris figuram arbitratu tuo, leni igne coques, quæ contrahetur transversum forte unguem, aut plus, minusve; ideo eam, ubi opus erit, reformabis; & rugas, quæ coierunt, dilatabis, donec justum modum assequatur, & iterum coques igne leni per gradus augente, & indusium cereum digiti crassitudine intus adhibebis, uterisque ad eam rem instrumentis ligneis & ferreis, & demes quod exuberabit.

D Sed omnia ista, quæ faciunt ad praxim, scriptis committi non possunt, quum ab usu & tractatione pendeant, magistroque, & manu, atque oculis egeant, sine quibus artis hujus præcepta expediri non possunt. Videre licet equum Parisiis in ponte novo æreum, cui Rex Galliæ Henricus IV. insidet, Florentiæ miro artificio conflatum. Colossi illi equestres non ex solo ære conflati sunt, sed aliquid stanni Cornubiensis admiscetur, ut facilius æs fusum fluat; idque tum vocatur *bronze*. Æs Cyprium, æs Corinthium, si aliquid auri vel argenti admiscetur; æs ductile, æs regulare, si flavescit; orichalcum indigetatur. Si cum E centum libris æris misceantur viginti pondo stanni purgatissimi, vocatur metallum, ut in campanis & tormentis ignivomis fieri solet. Fossa, ubi prototypon ponitur, adeo longa & lata esse debet, ut absit a protypo undequaque pedem unum in quadrum. Ita locus erit hinc inde laterculis igne coctis fartus tectus, quibus omni ex parte muniri debet proplasma, seu archetypon, ne humido corrumpatur. Æs autem cum stanno fusum debet lento agmine & leni sensim intromitti, ne opus nimio ardore pereat, aut liquor fluens aberret, exundetve. Sed hæc omnia pendent a praxi. Quamprimum igitur fossa munita F erit laterculis, & terra sicca cribro pollinario transmissa, debet ignis admoveri fornaci, ne typus, seu protypon aliquid humidi ad se rapiat. Tubus, seu canalis, quo transmittitur æs fusum, debet esse latior, laterculis crudis, sed siccis munitus, deinde excoquatur carbonibus admotis, & tandem cineribus liberetur, ne metallo fuso admisceantur. Ima pars fornacis tegi debet laterculis bene coctis, ne ardore metalli fusi colliquescant. Qui vitri fornaces struunt, ejusmodi later-

A culos scienter legunt, experientia docti. Fornax autem æri fundendo debet uno aut altero die leni primum igne, deinde per gradus augente excoqui, ut commode siccetur, ne fluxum æris liquidum & limpidum moretur. Jam vero effigies auri & argenti fiunt e laminis aureis & argenteis, quæ formantur & vapulant supra typos æreos, qui primum cavis gypseis fuerint infusi. Sed deinde scalpellis & cælis reformantur & accurantur. Hac in arte Phidias alios omnes superavit. Consule Vignerium Doctorem meum.

CAP. XII.

DE MALTANDIS, STAGNANDIS, ET FERRUMINANDIS OPERIBUS METALLICIS.

HANC partem Jurisconsulti non satis expediunt, quia fabricam & plasticen ignorant. Verba Cassii sunt apud Paulum: Ferruminatio per eandem materiam facit confusionem, plumbatura vero non efficit. Aurum interdum clavo ferreo ferruminatur apud Petronium. Ferrumen est quoddam quasi gluten, seu junctura, seu vinctio, qua metalla consolidantur, Græci vocant σωμαφὼ, Galli *soudure*. Plin. *lib* XXXVI. *cap.* XXIII. Ruinarum urbis ea maxime causa, quod furto calcis sine ferrumine suo cæmenta componuntur. Ferrumen auri dicuntur chrysocolla. Gellius *lib.* XIII. *cap.* XXV. tanquam ferrumine immisso fucatior versus. Plin. *lib.* XXXVI. Vitrum sulphuri incoctum ferruminatur in lapides, id est, glutinatur in formam lapidis. *Lib.* XXXV. *cap.* XV. Calcis usum bitumen præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Pomponius: Si tuum scyphum alieno plumbo plumbaveris, alienove argento ferruminaveris, non dubitatur scyphum tuum esse, & a te recte vindicari. Plinius *lib.* X. *cap.* XXXIII. de picis ova sua e nido in nidum deportantibus, surculo super bina ova imposito, ac ferruminato alvi glutino subdita cervice, medio æque utrinque librato, deportant alio. Ferrumen est gluten. *Lib.* XI. *cap.* XXXVII. De ossibus canum quæ fracta non ferruminantur, quod deficiente evenit medulla. *Lib.* XXVII. *cap.* IV. De herba quadam qua recente si uratur, ferrum aut æs ferruminari. *Lib.* XXXI. *cap.* VII. Carrhis Arabiæ oppido muros domosque massis salis faciunt aqua ferruminantes. *Lib.* XXXVII. *cap.* II. Chrystalla infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube. Petron. in *Satyr.* Aurum ait clavis ferreis ferruminatum: vocatur κόλλησις, συνάφεια, συναφή. Ferrumen autem a ferro dictum, quod maxime glutinosum est intus & viscidum, ideo duæ ferri partes divulsæ in ignem injectæ & incude percussæ facile coalescunt & inter se junguntur. Item crocus Martis & squamæ ferri cæmenta facile & firmiter solidant & vinciunt. Laminas ferri tenues in furno ἀντιτυπίας per XV. dies in calcem redigito, feceris crocum Martis pollini tenuissimo similem, sed rubrum. Lateres, vitrum, carbones lapideos, arenam, calcem, cum ferri croco conterito in mortario, cæmentum inexsuperabile feceris. Bolus Armenius & terra sigillata fiunt in fodinis metallicis e vaporibus ferri, quibus nihil est efficacius ad res devinciendas & adglutinandas. Ita cum stannum & plumbum per se mollia sint, si fundantur simul, ob insitum viscidum obdurescunt. Quia plumbum humidum, stannum siccum est. Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* XVII. Stannum adulteratur addita æris tertia portione candidi in plumbum album. Fit & alio modo mistis albi plumbi nigrique paribus libris. Hoc nunc aliqui

argentarium appellant. Plumbum album vocat stannum Cornubiense, κασσίτερον, plumbum nigrum μόλυβδον. Aurifices æs, argentum, aurum variis modis ferruminant. Tu eos consulito. Sed audiamus Plinium *lib.* XXXIII. *cap.* V Chrysocollam & auri artifices sibi vindicant adglutinando auro. Et inde omnes appellatam similiter utentes dicunt. Temperatur autem ea Cypria ærugine & pueri impubis urina, addito nitro. Chrysocolla vulgo dicitur Borax, Cypria ærugo vocatur, *verd de gris*. Aurum fermentatur & adglutinatur Cypria ærugine, sale Armoniaco, & Chrysocolla, vulgo dicitur *souder l'or a chaud*. Tria enim ista simul teruntur & imbuuntur in capedine testacea firmissimæ terræ, cujusmodi est in Gallia Bellovacensis, deinde ex illo composito particulæ sumuntur, quibus aurum ferruminetur carbonibus impositum. Plinius loco quem supra posui hæc addit: Teritur Cyprio ære in Cypriis mortariis. Ita ferruminatur aurum quod argentosum vocant. Signum est si addita santerna nitescit, e diverso ærosum contrahit se, hebetaturque & difficulter ferruminatur. Aurum argentosum vocat quod fusum est cum argento, aurum ærosum quod fusum est cum ære. Santernam vocat boracem, seu chrysocollam. Addit Plinius: Id glutinum fit auro & septima parte argenti ad supradicta additis unaque contritis. Plumbatura autem dicitur quum stanno & plumbo candelabra, canterioli focarii ærei ferruminantur. Denique addit Plinius eodem loco: Auri glutinum tale est, quod dictum est, argilla ferro, cadmia æris massis, alumen laminis, resina plumbo & marmori, sed plumbum nigrum albo jungitur, ipsumque album sibi, item stannum æramentis, stanno argentum. Fallitur Plinius, quia non convenit argillæ cum metallo, itaque argilla metallum ferruminari non potest. Per cadmiam intelligit calaminam, cognatum metallis fossile, vulgo *mineral*, quod reperitur in fodinis æris in agro Mediolanensi & in Germania. Calamina utuntur ut cuprum in æs convertant, quia strato cupri imponitur stratum calaminæ, deinde strata ita exaggerant, & in fornacibus simul liquant. Stanni & plumbi artifices resinam adhibent, ut vasa stannea ferruminent. Resina item adhibetur marmori ferruminando cum mastice. Vulgo dicunt *mastiquer*. De plumbo nigro & albo Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* XVI. Plumbi duo genera, nigrum atque candidum a Græcis appellatum κασσίτερον. Jungi inter se plumbum nigrum sine albo non potest, nec hoc fieri sine oleo, ac ne album quidem secum sine nigro. Plumbi nigri origo duplex est, aut enim sua provenit vena, nec quicquam aliud ex se parit, aut cum argento nascitur, mistisque venis conflatur. Ejus qui primus fluit in fornacibus liquor stannum appellatur, qui secundus argentum. Quod remansit in fornacibus galena, quæ portio est tertia addita venæ. Hæc rursus conflata dat plumbum nigrum, deductis partibus duabus. Hæc Plinius: omnino nulla est fodina argenti in qua plumbi aliquid non inveniatur, quo metalla omnia purgantur. Ut videre est in catillo obrusæ, vulgo *coupelle*, *cendrée*) quo ab auro & argento quicquid adulterini est evanescit & exhauritur. Habent præterea aurifices aquam e nitro & vitriolo fortem, quæ vulgo dicitur *eau de depart*, qua si quid argenti cum auro mixtum est in aquam solvitur, quicquid est auri deorsum specie arenæ nigræ descendit. Hoc ignoravit Archimedes apud Vitruvium *lib.* X. Qui aurum argento mixtum deprehendit in aqua, quod aurum gravius & ponderosius in angustum coeat, & minus loci occupet, argentum levius, plus loci. Consule Vigenerium *ad Philostratum*.

Diximus alibi statuas, simulacra, signa facta esse e gypso, lapide, cera, auro, argento, ebore, ligno. Callistratus scribit statuam Memnonis e lapide vocali fictam, statuam Æsculapii e ligno. Vulgò fiebant signa e cedro. Plinius *lib.* XIII. *cap.* V. Materia vero ipsi cedro æternitas, itaque & simulacra Deorum ex ea factitaverunt. Apud Pausaniam simulacrum Æsculapii Epidauri erat ex auro & ebore. Porphyrius, Athanasius, Eusebius, Plinius produnt, Veterum imagines e vitro factas, & e cyparisso, marmore, cedro, quercu, smilace, loto, buxo, radicibus olivæ, apud Homerum, e thyo, vel thya arbore odorata, quæ perpetuo viret.

Hodie qui fundunt æreas, aut argenteas imagines, exemplum fingunt e cera, deinde ex argilla fingunt protypum aliquod, in quo cerea imago locetur. Et quum testaceum illud protypum apte cum imagine cerea convenerit, ceram igne adhibito effluere cogunt, ita protypum luteum sincerissimum intus sine scrobe aut tumore manet. Reperies sculptores, qui in æs cælo quascumque figuras excudant, quæ deinde per Typographos in serico aut bombycino exprimuntur. Vulgo id fit in gratiam juvenum, qui cum Doctorum laurea donantur, Theses suas in serico expressas viris principibus offerunt: stemmata enim illorum in ære incidenda curant. Et ne oleum, quo picturæ illinuntur, in serico longius grassetur, & maculas efficiat, melle & ochra prius laminas illinunt, & alia medicamenta adhibent, quæ oleo terminos præscribunt, ne longius vagetur in pannum sericum. Sed ad statuas redeamus.

Palladium Diodorus Siculus scribit fuisse statuam ligneam tres cubitos altam, quæ de cælo lapsa sit Pessinuntem, & manu dextra gesserit hastam, læva colum cum fuso. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XV. Agrippa fontes, lacus, & alia opera, quæ exstruxerat, trecentis ornavit statuis marmoreis, vel æreis. Hodie Romæ in monte Quirinali, vulgo *Monte Cavallo*, visuntur duo colossi marmorei, quibus expressus est Alexander Magnus insidens Bucephalo. Eos Constantinus Magnus Alexandria transtulit Romam, & in thermis suis collocavit. Ascribuntur Phidiæ & Praxiteli. Sed Phidias floruerat sub Pericle, centum & amplius annis ante natum Alexandrum. Rhodi fuit colossus æreus Solis, cum hac inscriptione:

> Τὸν ἐν Ῥόδῳ Κολοσσὸν ἑπτάκις δέκα
> Χάρης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος.

Rhodi centum alii colossi minores, & septuaginta tria millia statuarum, ut Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VII. Zenodorus, qui decem annis Mercurium in Arvernis finxit, Romæ Neronis colossum centum viginti pedum fabricavit. Ut Suetonius: Benemeritis de Repub. statuæ positæ. Virgilius VII. *Æneid.*

> *Vestibulo adstabant aliique ab origine Reges,*
> *Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.*

Livius *lib.* VIII. Additus triumpho honos, ut statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur. Locus ad statuas honestissimus fuit in Rostris. Livius *lib.* IV. Legatorum, qui Fidenis cæsi erant,

ſtatuæ publice in Roſtris poſitæ. Ibidem fuit & ſtatua Camilli, & altera Cn. Octavii, qui Regem Antiochum circulo, quem e virga duxerat, inclusit, coegitque, ut reſponſum daret, apud Plinium *lib.* XXXIV. *cap.* VI. In qua legatione interfecto Senatus ſtatuam poni juſſit quam oculatiſſimo loco in Roſtris. Ibidem ſtatua Herculis juvenis habitu Græco, quem L. Lucullus Imperator de manubiis dedicavit. Fuit & ſtatua Syllæ ex ſolido auro, ut ait Pædianus, cum hac inſcriptione, Cornelio Sullæ fortunato Imperatori. Auguſto Cæſari columna poſita, in cujus vertice ſtatua aurea ejus. Appianus l. v. *Civil.* Καὶ ἐπὶ κίονος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος ἑστάναι μετὰ σχήματος ὅπερ ἔχων εἰσῆλθε, καὶ περικειμένων τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων. Καὶ ἕστη μὲν ἡ εἰκὼν ἐπιγραφὴν ἔχουσα, ὅτι τὴν εἰρήνην ἐστασιασμένην ἐκ πολλοῦ συνέστησε κατὰ γῆν καὶ θάλασσαν. In ſexta regione Romæ fuit ſtatua Quirini viginti pedum. Statua item plumbea Mercurii, ſtatua Fortunæ publicæ, duæ magnæ ſtatuæ Alexandri, & equi Bucephali in foro boario, anno urbis 565. Romæ reperta ſtatua Herculis ex ære inaurato, quæ viſitur hodie in Palatio Conſervatorum in Capitolio. Plinius *lib.* XVIII. *cap.* III. Minutius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad aſſem redegit, undecimus plebis Tribunus, qua de cauſa ſtatua ei extra portam Trigeminam, populi ſtipe collata, ſtatuta eſt. Paulo aliter Livius *lib.* IV. Statuam Romæ poſitam Horatio Cocliti, aliam Clœliæ docet Livius. Statuam Riſui poſitam a Lycurgo docet Plutarchus. Pompejus triumpho Mithridatico ſtatuam ſuam ex unionibus & margaritis conflatam prætulit. Anno urbis 416. Menio & L. Furio Coss poſitæ duæ ſtatuæ equeſtres, ut Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VI. Sæpe pro ſtatuis ponebantur columnæ. Ita columna Menio poſita, apud Plinium. Item columna Duillii, apud Florum *epitome lib.* XVII. *Livii*. Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* V. Columna Julii Cæſaris ex lapide Numidico, alta viginti pedes, cum hoc titulo, Patri patriæ. Ibidem fuit ſtatua equeſtris Cæſari poſita, cujus capiti addita ſtella, ut in veteri nummo videre eſt, item altera Auguſto. Romæ in ſeptima regione, ubi eſt hodieque via lata, fuere duo equi ærei, quos Tiridates Rex Armeniæ Romam advexit. Vide P. Victorem in regionibus urbis Romæ: Statua Jovis Imperatoris, quam Livius *lib.* VI. ex Præneſte devectam ait a Quintio, qui Præneſte vi ceperat. Quintius eam dedicavit in Capitolio inter ſacellum Jovis & Minervæ cum indice rerum a ſe geſtarum. Fuit alia Jovis ſtatua Syracuſis, quam Verres ſuſtulit apud Cicer. lib VI. *Verr.* Jupiter erat ξένιος. *Ibidem* Cicero duo alia ſimulacra Jovis fuiſſe ait ejuſdem operis, alterum in Capitolio, quod Flaminius conſul e Macedonia detulit, alterum in oſtio Ponti Euxini, quod aberat decem milliaribus plus minus a Byzantio. Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VII. Fecit & Sp. Carvilius Jovem qui eſt in Capitolio victis Samnitibus ſacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreiſque & galeis. Amplitudo tanta eſt ut conſpiciatur a Latiario Jove, qui colebatur in monte Albano, ut ait Dionyſius Halic. *lib.* IV. Apud P. Victorem in octava regione fuit Juvenis ſimulacrum a Pompejo Bithynico conſecratum. Plinius *lib.* XXXIV. *c.* VIII. ait in eadem regione fuiſſe Minervam Euphranoris in radicibus Capitolii a Q. Luctatio Catulo dicatam. Idem *lib.* IV. *c.* XIII. citra Iſtrum Apolloniatarum inſula una 80. mill. a Boſphoro Thracio, ex qua M. Lucullus Capitolinum Apollinem advexit. *Lib.* XXXIV. *cap.* VII. Moles excogitatas ſtatuarum videmus, quas coloſſos vocant turribus pares. Talis eſt in Capitolio Apollo, translatus a M. Lucullo ex Apollonia Ponti urbe 30. cubitorum, 150. talentis factus. Talis in Campo Martio Jupiter a Claudio Cæſare dicatus, qui vocatur Pompeianus a vicinitate theatri, talis & Tarenti factus a Lyſippo 40. cubitorum. Vide Strabonem *lib.* VI. Fuiſſe autem ſtatuariam familiarem Italiæ quoque & vetuſtam, indicant Hercules ab Evandro ſacratus, ut ferunt, in foro boario, qui triumphalis vocatur, atque per triumphos veſtitur habitu triumphali, præterea Janus geminus a Numa Rege dicatus. Signa quoque Tuſcanica per terras diſperſa quæ in Hetruria factitata non eſt dubium. Volſinii propter duo millia ſtatuarum expugnati a Romanis, ait Plinius *ibidem*. Vide Livium *lib.* I. Procopius *lib.* I. *Belli Goth.* Jani Gemini effigiem quinque pedes altam fuiſſe ait. Pauſanias in *Arcadicis* imaginum materiam apud Veteres fuiſſe ait, Ebenum, Cypreſſum, Cedrum, Quercum, Smilacem, Lotum. Simulacrum Cyllenii Mercurii fuit e Cedro. Hercules æneus Tarento delatus a Fabio Verrucoſo, alter Hercules æreus dedicatus a P. Sempronio: uterque eſt in Capitolio, apud Plinium *lib.* XXXIV. *cap.* VII. In Palatio Conſervatorum hodieque viſitur Hercules ex ære adoleſcens inauratus, nudus, exquiſiti operis, qui dextera clavam, æva mala aurea Heſperidum movere digitis videtur. Plinius *lib.* XXXVI. *cap* V. Romæ Praxitelis opera ſunt, Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Servilianis, Boni Eventus, & Bonæ Fortunæ ſimulacra in Capitolio. Livius *lib.* XXII. In æde Jovis Capitolini ait Victoriam auream fuiſſe ab Hierone Siciliæ Rege miſſam, pondo 320. Apud Feſtum, Nixii Dii appellantur tria ſigna in Capitolio ante cellam Minervæ, genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus. Sunt qui dicant capta Corintho advecta huc, Plutarchus in *Camillo*: & Valerius Maximus *lib.* I. *cap.* VIII. ſimulacrum Junonis capite nutavit, & loquutum eſt. Ad ædem Fortunæ fuit Minerva Phidiæ. Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. fecit Phidias & aliam Minervam, quam Romæ ad ædem Fortunæ Æmilius Paulus dedicavit. Veneris Cloacinæ ſimulacrum in cloaca maxima repertum Tatius conſecravit, apud Lactantium *lib.* I. *cap.* XX.

Cap. XIII.

DE FERRAMENTIS SCULPTORIIS.

In primis utuntur marculo, ſeu tudite, & malleo ferreo, qui nunquam ſex pondo excedit. Fit e ferro molli, non aqua tincto, aut incudibus percuſſo, ne ſit lubricum & lapſans ſub manu artificis, quæ debet muniri chirotheca bubalina, ne callum contrahat. Deinde ſunt cuſpides e chalybe fornacibus excoctæ, incudibus percuſſæ, & in aqua gelida tinctæ, ut ſint firmiores. Tum cælum ſeu ſcalpellum cum mucrone adamantino e fragmento adamantis, ut cælet & ſculpat gemmas. Gallice *Ciſeaux*, *Brettes d'une dent*, *ou de deux*, *Rondelles*, *Bec d'aſne*, *Martellines*, *ou marteaux qui ont une pointe d'un coſte*, *& une plane de l'autre*, *des Bouchardes en pointe de diamant*, *des Raſpes*, *Forets*, *Trepans*, *Vibrequins*. Cochleatæ terebræ, tenues terebellæ, trypanum. Conſule Vignerium.

In ſtatuaria autem id maxime ſervandum, ut primum ex argilla exemplar & archetypum fiat juſtæ magnitudinis, illudque diligenter & ſollicite eformetur, deinde marmoreum opus ad exemplar illud ſtudioſe ſcalpatur. Ita dicitur Lyſippus duo exemplaria ex argilla feciſſe, alterum ex ingenio ſuo, quod domi latebat, alterum in officina proſtabat, quod ex judicio populi quotidie reforma-

bat; demum utrumque exemplar proposuit, quorum alterum quod ex ingenio suo procuderat admirationi fuit, alterum quod ex judicio populi reformabat ludibrio & risui. Atqui, inquit ille, vestrum hoc opus est quod damnatis. Quidam si statuam hominis sculpunt, ipsum quem exprimere conantur attente circumspiciunt, habentque pro archetypo. Zeuxis cum Venerem Crotone pingere vellet, quinque virgines omnium pulcherrimas in conspectu habuit, ut e singulis quod erat speciosissimum excerperet. Sit ergo plastes anatomiæ peritissimus, & humani corporis proportiones ad unguem teneat, ne a vero aberrans extra oleas feratur. Sculptores malleo procudunt æs, aurum, argentum, cælo seu scalpro cavant, excludunt, sculpunt gemmas, metalla, ebur, vitrum, ligna, perforant calices, toreumata faciunt. Diatretarii sunt, cavitores, cavatores, sculptores, scalptores. Vet. lapis, cavatores de sacra via, cavitarii, qui cavant & perforant lapi- A des. Vet. *Gloss.* *καβιδάριος cavitdrius*. Palladius, *λιθυργὸν ὃν λέγουσι καβιδάριον*. *Cod. de excusat. artific.* Pictores, statuarii, marmorarii, lactarii, seu laccarii, cavicarii, ut est in MS. quos Basilicæ *σαρδαρίους* vocant a Sarda gemma, quæ apud Plinium facillimæ est scalpturæ. Ideo expetuntur a scalptoribus, ferroque includuntur nullam non duritiam ex facili cavantes. Anaglypha sunt cælaturæ, ait Eucherius lib. III. *Reg.* cap. XVII. Cælata sunt vasa aurea vel argentea, signis eminentioribus extra intusque expressa. Hæc & alio nomine sculpta vocantur, vulgo *releve en bosse*. Apud Constantinum Porphyrog. *μινσούρια ἀνάγλυφα* B sunt missoria, disci, fercula argentea exsculpta, ut extent & emineant foras, *πίνακες ἀνάγλυφοι*, lances cælatæ in tumorem. Vet. *Gloss.* Anaglypha vasa superius sculpta, ut emineant. Anaglypharius sculptor qui eminentias illas & umbones efficit.

F I N I S.



JOH. BAPT. CASALII,

ROMANI,

DE

INSIGNIBUS,

ANULIS, FIBULIS, &c.

SYNTAGMA.

INDEX CAPITUM.

JOH. BAPT. CASALII,

ROMANI,

DE

INSIGNIBUS,

ANULIS, FIBULIS, &c.

SYNTAGMA.

CAP. I.

Armæ nobil. familiarum quæ dicantur? Earumdem descriptio & vetustas. Signa seu Symbola varia recensentur. Variorum virorum tesseræ. Earumdem origo. Vestium militarium colores. Iidem a quibus traditi militibus? De iconis origine in tesseris. Signa parentum apud Hebræos. Notatu digna in Armis gentilitiis. Consideratio. Vera nobilitas.



PERSTRINXIMUS alibi plura de Romanorum Vestimentis, & de Coloribus eorundem: at quoniam ex Vestium ornatu petitur origo Gentilium tesserarum, quæ vulgo nuncupantur, *Armæ Familiarum*, non incongruum de hujusmodi armis, earumque origine, hic nos aliqua in medium proferre.

Arma namque ista dicuntur, quæ beneficio Principis ad memoriam consignandæ & munerandæ virtutis militaris signa seu symbola conferebantur, ut per Gentis capita ad posteros hæreditario jure transcriberentur: sive integram & novam tesseram, sive insertam veteri familiæ scuto; ut a Cæsare nobilibus familiis Aquilam conferri, quæ Imperio ancillatur. At quoniam hæc signa seu symbola in militum armis plerumque exprimebantur & circumferebantur, inde *Armæ* nuncupabantur. Subscribit huic sententiæ Tiraquel. *de Nobilit.* cap. VI. ibi: *Insignia armorum nomine nuncupantur, quoniam plerumque hæc insignia in armis insculpi & antiquis & nostris temporibus solebant: ut hinc armati facie operta dignoscerentur.* Et quoniam plerumque in scutis figurabantur, ideo peculiariter scuta Gentilitia nominari cœpta.

Possunt autem Armæ hæ symbolicæ ita circumscribi: *Tesseræ gentilitiæ, expressæ idoneo lumine, ad familiarum discrimen pariter & ornamentum.* Idoneum lumen comprehendit, seu picta coloribus & metallis, seu sculpta in marmore, ligno,
C ære. Dicitur Ornamentum, quoniam insinuat in primo auctore bellicam & heroicam virtutem; ut exstimulentur posteri ad gloriosam Avorum imitationem: alioquin exprobrat Lucanus in *Panegyr. ad Pisonem*:

—— perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus est in origine sola.
Felix qui tantis animum natalibus æquas;
Et partem tituli, non summam ponis in illis.

Vetustas hujusmodi Gentilitiarum tesserarum, seu symbolorum ex heroicis temporibus peti debere, satis probabile. Habuerunt enim Ægyptii pro tessera ternas Boas reptiles: Arcades Lunam: Argivi sui nominis elementum primum A. Athenienses Noctuam aut Bovem: Babylones Columbam, in quam crediderant defecisse Semiramidem Reginam: Chal-
D dæi tria Vexilla: Græci duo Diademata: Hebræi T. litteram salutis: Libyæ populi Lepores ternos: Macedones Clavam Alcidis inter duo Cornua.

Cæteris autem prætermissis: circa signa Legionum, Manipulorum, Cohortiumque Romanarum, ut Josephus loquitur lib. III. *Belli Judaici* c. V. *Aquila avium valentissima, victoriæque habens omen, erat vexillum Legionum, & conflabatur ex auro, aut ex argento.* Insistebat vero hastæ in parte ima cuspidatæ, ut posset in terram defigi dum acies in loco staret. Tacit. lib. I. *Ann. Plurimus circa Aquilas labor, quæ neque figi limosa hu-
E mo, neque adversum ferri ingruentia tela poterant.*

At Manipulorum signa quænam fuerint, descripsit Ovid in *Fast.*

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

Et quamvis vile ac rusticum militiæ vexillum, Ovid. tamen *ibidem*:

—— sed erat reverentia fræno,
Quantam non Aquilas cernis habere tuas.

Successit tamen cultus major, & manipulis detra-

ctis

ctis, fuerunt eorum loco perticis adfixæ manus cum corollis; non sine allusione aliqua ad Manipuli vocem: uti Justus Lipsius interpretatur, *de Milit. Roman.* l.IV. Dial. I.

Postquam deinde in militiam Romanorum sunt adscitæ cohortes, hæ pariter cum propriis vexillis ad prælia venerunt hoc est, cum draconibus, ut testatur Vegetius *l.* II. *c.* XIII.

Sed & Imperator ipse peculiarem draconem suum ex purpura extulit, qui color Imperii & Majestatis: cum Ammianus affirmet agnitum Julianum Principem ex purpureo draconis signo, summæ hastæ longiori aptato. Cæterum Draconarii & Aquiliferi vocabantur, qui signa draconis vel aquilæ gestabant. Plinius recenset etiam inter hæc signa Lupam, quæ lactavit gemellos Urbis conditores: Vultures, qui dederunt auspicium Urbi condendæ: Minotaurum, equum, aprum, &c. Quippe icones horum, sicut & aquilæ, adorabantur uti propria Legionum numina: hinc de Artabano Sueton. inquit; *Transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana, Cæsarumque imagines adoravit.* Qui vero hæc vexilla circumferebant, Imaginarii seu Imaginiferi vocabantur. Sed exarabantur in vexillis quoque ipsa Imperatorum nomina aureis characteribus. Seneca in *Thebaide*:

—— *aurea clarum nota*
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.

Quin etiam ritus eligendi novum Imperatorem videtur fuisse, ut nomen in vexillis præscriberetur: ut de Vespasiano appellato ad Imperium Sueton. inquit: *Assensere cuncti, nomenque ejus in vexillis omnibus sine mora inscripserunt.*

Sed inter signa peditum jam relata, Augustus peculiariter pilam seu sphæram constituit, quæ utique Orbem terrarum referret, notaretque subjectas Imperio Romano regiones. Equitatus ipsius vexilla fuerunt quadri & volitantes pannuli ex hasta suspensi: & hoc nummi suadent ac lapides antiqui. Lipsius *de Milit. Rom.* lib. IV. Dialog. V. *Nostra ætas retinet in equitum bandis, etsi forma paululum diversa: propius accedunt templorum vexilla, quæ in lustratione & processibus circumferuntur.* Ab his vexillis (quæ flammea dicebantur) equitatus alæ dictæ sunt vexillationes. Vegetius: *Equitum alæ, quod protegant acies; quæ nunc vexillationes vocantur; quia velis, hoc est, flammulis, utuntur.* Flammeum enim Veteres appellarunt velum crocei coloris, quo capita obtegebant novæ sponsæ, ut alias diximus.

Non dissimiles a prædictis fuerunt tesseræ, seu symbola, quæ unius singillatim hominis, seu stirpis communes fuerunt: etenim Agamemnon caput leonis velut iconem terroris habuit; Alcibiades Cupidinem, qui complectebatur fulmen: Alexander M. Victoriam sedentem ac stabilem: Antiochus leonem cum caduceo: Archimedes cælestem sphæram: Augustus sphingem: Ita etiam Cadmi posteritas serpentem: Carthaginensium Duces piscem, ac superne coronam: Cincinnati capillaturam: Indi Reges terna ænea cymbala: Scipionum Familia rosam: Torquati Romæ torquem, &c. Ut ex variis scriptoribus relatis per Petrasanctam *de Tesseris Gentilitiis* cap. III.

Wolfangius in *Comment. Roman Reipub.* lib. IX. cap. III. videtur comprobasse præfata his verbis: *Quemadmodum incitamenta virtutis Romanis in pace quædam domique fuerant: ita foris in bellis stimuli ad res præclare gerendas majores erant. Dona scilicet militaria, prudenti ratione primum excogitata, & deinceps cum Imperio ita inaucta, ut quot quisque stipendia fecisset, quot coronas, & quales meruisset; quot armillas cristasque, quot torques, quales phaleras, hastas puras, pila, baltheum; hæc omnia supra clypeum & galeam apposita in bellis gestari solita, cum pacis munia iterum foveret, domum regressus optimusquisque suspenderet, eaque ornamentorum sive insignium loco longa successione ad posteritatem transmitteret. Ut postquam inclinante Imperio, Marcomanni, Suevi, Boii, Franci, Gothi, Heruli Romanarum legionum reliquiis in limitibus Danubii & Rheni mixti accesserunt: quemadmodum linguam confusam fecerunt; ita etiam populum perfecerint quemdam, qui Romanorum Theutonumque ritus & mores conjunxerint, ex quibus non postremis Arma gentilitia putandum est processisse, atque insignia vocantur. Quorum usum quondam Romana in Republica non minus atque hodie extitisse mihi monumentorum sculpturæ veterum persuaserunt.* Sic ipse.

Quo vero ad originem de hujusmodi Tesseris, seu Armis gentilitiis, quamvis crediderint aliqui ea provenisse ex Veterum imaginibus, quæ olim solis concessæ nobilibus, servabantur in atriis & armariis & concomitabantur funera; Plinius *l.* XXXV. ibi: *Semperque aderat defuncto aliquo totus familiæ ejus qui unquam fuerat, Populus.* Erant autem imagines illæ cereæ, ideoque ferri poterant in funeris pompa; ut Juvenalis sententia:

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria; Nobilitas sola est atque unica virtus.

Communis tamen est eorum opinio, ut ex vestium ornatu processerit origo gentilitiarum tesserarum. Et primo ex earumdem vestium coloribus originem habuisse campum talium gentilitiarum tesserarum, sic nos deducemus.

Romanos enim milites in aciem venisse cum paludamentis, aut rubris, aut albis, inquit Plutarchus: *Vix rubra sagula conspicati sunt, quod regiæ partis omnes albis uterentur; agnoverunt statim hostes esse.* Hirtius quoque de Scipione Africano inquit: *Cum sagulo purpureo ante adventum Regis uti solitus esset: dicitur Juba cum eo egisse; non oportere illum eodem vestitu uti atque ipse uteretur: itaque factum est illico, ut Scipio se ad album vestitum transferret.* Alioquin pro arbitratu, modo albati, & & modo purpurati in bello erant, ut de Crasso inquit Valerius M. *l.* I. *c.* VI. *Ducturus erat a Carrhis adversus Parthos, & pullum traditum est paludamentum: cum in prælium exeuntibus album; purpureum dari soleat.* Ut quoque Artaxerxis exercitus puniceis sagulis, & Cyri Minoris cum albis depugnarunt, ut Xenoph. refert in *Pedag.* quemadmodum & alios quosque nationum exercitus non coloribus minus, quam armis pugnasse: Cyrus Major, Cleomenes, & Agesilaus punico panno militem suum ad prælia inornarunt; Boii, & Insubres & Antiochi milites usi sunt auratis sagulis; purpuratis Persæ, Afri, Numidæ, Massagetæ; Galli eisdem, aut virgatis, aut scutulatis; discoloribus Samnites; Æthiopes aut lintea aut alba veste amiciebantur, aut corpora inficiebant dimidia minio, dimidia gypso; Britanni glasto, pullo Thraces, & Arii Eermanicæ populi; sicut etiam in Barstetania ait Strabo majorem partem sagis illitis colore nigro usos esse: ut etiam late refert Petrasancta *de Tesseris Gentilitiis* cap. VIII.

Constat autem eas vestes concolores militibus vel a Duce ipso, vel a Republica dari consuevisse: atque eo spectat lex C. Cracchi, de qua Plutarchus in *Graccho*, de vestibus ære publico distribuendis cuique militum, absque stipendii ejus damno vel diminutione. Ita prisci Germani dicuntur pro clypeis gestasse fucatas colore tabulas, asque ornasse lectissimis coloribus: quandoquidem circa vestes summo erant neglectui; nempe ut loquitur C. Tacit. *de Morib. German. Nudi, aut sagulis leves, & sine ulla cultus jactatione*;

utpote quibus tegmen erat sagum fibula, vel si hæc deesset, spina consertum.

Dum Christianorum sacris expeditionibus signa socialia fuerunt, cruces coloratæ habuerunt initium. Suscepto enim bello contra Saladinum ex Clementis III. Papæ adhortatione, ad discrimen militum suorum, Rex Galliarum cruces rubeas, albas Rex Britanniæ, prasinas Flandriæ Comes assumpserunt: habentque tot alii Equestris militiæ Ordines nobilissimi hodieque proprii schematis cruces; quæ sunt in præliis jam loco vestium concolorum.

Cæteri quotquot militiæ sese devoverunt, gestant in baltheis saltem, & cingulis, tesseras Principum aut Ducum sub quibus merent: quippe baltheo, aut cingulo utuntur cyaneo Austriaci, Bavarique; albo Galli; albo & cyaneo Britanni; puniceo Belgæ; (fuit namque Burgundiæ domus hic color) Batavi fulvo, aut subrufo.

Verum ut propius ad Gentilitias tesseras, seu ad Familiarum armas accedamus: ut eas ex vestibus potissimum acceptas fuisse cognoscamus. Philostratus in *Vita Apollon.* ait: Herculem in clypeo habuisse duo hæc lumina, seu pigmenta: nempe aureum atque purpureum; hæc enim probabile manasse a schemate indumenti ejus partim aurei ob fulvi leonis pellem, qua tegebatur, partim purpurei: siquidem fuerat ille purpuræ inventor. Niciæ scutum etiam auro fulgebat & purpura, ex Plutarcho in *Nicia*, & vestes illius ex utroque colore contextas forte fuisse conjicio.

Alexandrum Severum Imp. ut refert Frontinus, albo & croceo panno amiciri in principatu consuevisse, ut polliceretur Populis Imperii se beneficum instar Solis & Lunæ: unde milites Prætoriani & Legionarii ad prælia exeuntes jussu illius ex suomet amictu transferebant ad scuta colores illos, quo ita omnes ad argumentum Principis armarentur. Perinde alii duces ac nobiles viri se & suos asseclas eduxerunt cum clypeis fucatis colore vestium suarum.

Insignia primum ex vestibus fuisse suadent multa. Julius Cæsar, ut ipse de se ait l.VII. *de bello Gallico*, suum adventum in prælio ex colore vestium cognitum. Alexander Magnus, refert Plutarch. in *Vita*, conspicuus fiebat in præliis ex regio habitu. Lucullus, ex eodem Plutarcho, pugnavit ex amictu purpureo & thorace squameo.

Cum itaque constet viros principes vestibus usos esse, colorum schemate proprio exornatis: potuerunt ii, quando prodire in aciem cataphracti solebant, inficere clypeos ejus colore panni, quo in ornatu domestico amiciebantur, ut nobiles in hoc pacto essent; hoc est, ut a suis agnoscerentur: quod denotasse videntur Lyrani verba *in cap.* II. *lib. Numer.* ibi: *Signa propria sunt in vestibus & scutis, quibus bellatores mutuo se cognoscunt, & suos ab adversariis distinguunt.*

Itaque peculiares parmulæ tesserariæ coloris, vel metalli lumine totidem ab unium panni, uniusve schematis indumento prodierunt. Bicolores autem peti potuerunt ex panno vestium bicolori, præsertim eæ quæ sunt dimidiæ unius, & dimidiæ alterius luminis. Quadripartitas parmulas gentilitias dederunt pariter vestes quadrifariam pictæ: & harum specimen sæpe in tabulis veterum seu urbium, seu templorum. Virgatæ parmulæ, & lemniscis, aut rectis, aut transversis, aut obliquis, exaratæ; ex vestibus, aut virgatis, aut segmentatis aut nexilibus Synthesibus fuerunt acceptæ. Scutulatæ item parmulæ gentilitiæ; hoc est, tessellis, aut quadris, aut acutis; item oblongis laterculis; obortæ fuerunt ex vestibus scutulatis, & coloratis tesserulis. Quarum vestigium suadebit in vestibus priscus virgarum aut scutularum usus. Has certe scutularias vitras avide amplexi sunt obliquas aut transversas Guelphi, Gibellini autem erectas; sicuti narrant etiam scriptores colorem album a Gibellinis, a Guelphis nigrum & colores medios stetisse.

Hactenus proposuisse sufficiat aream tesseræ gentilitiæ, quam Fœciales campum appellant. Ut autem modo de Icone referamus, quæ areæ adpingitur, aliquando coloribus, seu metallis figuratur, & familias distinguit. Præmittere circa ejus originem adhuc habemus, mos fuisse Heroum, pellibus terribilium ferarum, Herculis exemplo, convestiri; eaque specie hostem in præliis terrere. Homerus in *Iliade* de Agamemnone:

Humeros circumjecit pelle inde leonis
Ardentis magni crurum tenus.

Virgilius II. *Æneid.* de Evandro:

Demissa ab læva pantheræ terga retorquens.

Et lib.XI. *Æneid.* de Camilla:

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.

Et lib.I. *Æneid.*

Succinctam pharetra & maculosæ tegmine lyncis.

C. Tacitus ait Germanicum contectum humeros ferina pelle adiisse castrorum vias. Imo erudite Lipsius *de Militia Rom.* deprehendit in Trajani columna signiferos omnes cum eo habitu spectari: hoc est, cum leonis pelle, quæ caput, armos, & dorsum tegat. Quinimo Deos Deasque hujusmodi belluarum formas affectasse: sic Saturnus nunc erat draconis facie, nunc rictu leonis, aliquando dentibus apri, vel avis crista; ita etiam de Jove & aliis: sed omissis fabulis, Christum Imperatorem æternum appellamus Leonem de Tribu Juda ex illius fortitudine, si non ex pelle leonis: ut etiam in sacris Historiis unum instar Leonis, alterum instar Bovis, tertium instar Aquilæ figuramus.

Quod in rem nostram facit, seu propter luxum, vel quia non satis munimenti erat in pellibus adversus telorum impressiones violentas, cum ferro tegere corpora oporteret; deinceps in clypeis, galeis, & sagulis gestari cœptæ sunt icones ferarum: inde ex vestiaria supellectile fortissimorum ducum ac militum data est origo tesseris etiam figuratis, ut internosci posset unusquisque militum saltem ex clypeis eorumve signis. Vegetius *lib.* II. *c.* XVIII. inquit; *Ne milites in tumultu prælii a suis contubernalibus aberrarent diversis coloribus diversa in scutis signa pingebant; sicuti etiam moris est fieri.* Ut qui fortes essent ignavique ducibus propriis conspicui redderentur; ut inquit Polybius de galeis: *Adornantur & simplici tegmine capitis; atque est, cum lupinam aut tale aliquid imponunt, tutelæ simul & signi causa: ut ductoribus, cum strenue aut aliter pugnaverint, possint innotescere.*

Hinc crebra apud scriptores mentio militarium signorum, quæ custodiebantur accurate, inquit Pausanias *lib.*V. *In Agamemnonis clypeo terror expressus est cum leonis capite, & cum epigraphe.* Athenæus *lib.* XII. *cap.* XVI. dedit Alcibiadi fulmen excussum e nubibus. Ex Servio VIII. *Æneid.* Græci milites in eo bello decennali communiter Neptunum, Trajani Minervam gestarunt. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* V. inquit, *Pœni ex auro factitavere & clypeos & imagines, secumque in castris tulere.* Anchoram in scuto cujusdam expictam ait Herodot. lib. IX. *Quoniam*

nunquam quiescens semper rotabatur. Claudianus *de Bello Getico* inquit:

Dictaque ab Augusto Legio, nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste leones.

Et ad rem nostram Lipsius in *Annal. ad milit.* l. III. Dialog. II. inquit: *Græci, Romani, Barbari varias formas aut colores scutis addere, sive ad insigne, ut cognoscibiles essent, sive ad decorem: vetus ritus, & quem Heroicis quoque temporibus video obtinuisse.* Et infra: *Ab illis peculiaribus nata insignia & argumenta hæc familiarum, quæ in usu esse dicam, an abusu? ignavissimi usurpant, & quos meliore jure increpes, quam suum illum Africanus Scipio, qui cum ornatum scutum* (verba Frontini) *elegantius cujusdam vidisset, dixit non se mirari, quod tanta cura ornasset; in quo plus præsidii quam in gladio haberet.*

Quinimo ex his figuris non insignia modo, sed insuper militum & ducum cognomenta nata esse. Videntur autem in hoc themate præludere voluisse Oracula ipsa: nam Lysander non satis monitus per Oraculi ambages, ut draconem vitaret, a milite occisus est, qui gestabat in clypeo iconem draconis.

Adrastus quoque jussus ab Oraculo filias nuptui dare, alteram apro, altera leoni; desponsavit eas Polynici & Tydeo; nam ille cum spolio apri, & hic cum spolio leonis præliabatur

Ex quibus nobis demonstratur, dari hæc omnia signa, aut pleraque, ut præmia sint rei bene gestæ domi forisque, sed postea evaserunt signa Generis, atque ad posteros transcribi cœperunt, seu in vestibus domi exprimi; aut in sagis, galeis, loricis, clypeis, vexillis, phalerisque, si ad bellum irent: cum oportuerit hæc esse distincta, ut omnis tolleretur confusio, possentque singulæ turmæ a longe proprium signum agnoscere & sequi.

Inde refert Villalpandus de prima Visione *Ezechielis* Tom. I. part. II. sect. II. singulos Hebræorum Principes gestasse parentum symbola in vexillis, quod constat ex cap. II. *Numer.* ibi; *Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum.* Quasi dicat, singuli Principes discretas a cæteris ducant acies, atque propria erigant vexilla, in vexillisque insignia portent, quibus a reliquis distinguantur. Ea autem sunt trophæa gentilitia, videlicet familiarum suarum stemmata; ut etiam legitur in *Psalm.* LXXIII. *Posuerunt signa sua signa*; id est, arma, stemmata pro trophæis victoriæ in summo templi. Et voluit idem Villalpandus, ut faciebus quatuor animalium referrentur insignia vexillorum quatuor Archiducum castrorum Israel in totidem castrorum cohortibus supra tentoria Principum erecta. Ad Orientem siquidem supra papilionem Naason collucebat vexillum viridis coloris, in quo depictus erat leo hieroglyphicum parentis Judæ: ad Meridiem supra tentorium Elisam eminebat vexillum rubrum, symbolum visebatur humanum caput, quod Ruben ejusdem pater esset primogenitus & familiæ caput; ad Occidentem supra tentorium Elisama splendescebat vexillum aureum in quo visebatur caput vituli cui comparatus est avus] ejus Joseph, *Deut.* XXXIII. *Primogeniti tauri pulchritudo ejus.* Ad Aquilonem fluctuabat supra tentorium Achiezer filii Dan variegatum signum ex albo & rubro colore, hujus stemma fuit aquila serpentibus inimica, quoniam avus parentem contulerat colubro: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in via.* Cujus loco aquilam posuit serpentum exitium. Hæc de signis eorumque symbolis tradiderunt Hebræi. Colligitur idem ex *Psalm.* LXVII. ibi: *Deus cum egredereris in conspectu Populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est: etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel; pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ: animalia tua habitabunt in ea.* Hoc est, mirabilia in Deserto Populo tuo fecisti; quia animalia tua habitabant; nimirum quia inter cæteras figura hominis, leonis, vituli, & aquilæ in quatuor exercitus tui cornibus collucebat.

Præterea signa sacra & hieroglyphica Ægyptio more insculpta erant in singulis lapillis Bullæ Pontificiæ, non autem litteræ exaratæ: ut ex lib. *Sapientiæ* cap. XVIII. ibi: *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.* Nempe notis, signis, hieroglyphicisque sculptis repræsentata, quæ repræsentabant duodecim filios Israel: unde probatur similia signa depicta gestasse Principes Hebræorum in vexillis suarum acierum. Ut ex Villalpando ubi supra.

Ut quam brevissime modo contraham, quæ supersunt, ne prolixior sim in nostro themate. Notatu dignum est primo, inter cæteras fœcialium leges: si in scuti gentilitii area color sit, & in ejus adpicta icone sit metallum: tessera creditur plus & antiquitatis & nobilitatis præseferre; quam si metallum in area fulserit, exceperitque illusas colore icones: ut ex Philiberto Campanile; quoniam priscus mos fuit serico velo intexere aurum; nam vestes omnino aureas frequentiore usu induxerunt Barbari.

Secundo: in iis honorariis tesseris humanæ formæ raro spectantur; quoniam raræ in Heroum & Nobilium trabeis & sagis eæ pingebantur.

Tertio: ut plurimum Gentilitiorum scutorum icones non insistunt humi, sed perstant libratæ mole sua, quoniam ex panno desumi solent, in quo plures acu pictæ spectantur absque tumulo & basi, nec re ulla sustentantur.

Quarto: color violaceus est rarus admodum in hisce scutis symbolicis: quia ille distinxit olim Cleri vestes, templisque & aris, non castris meruit; atque ideo in vestibus vel in clypeis honorariis non sunt illorum qui castra sequebantur.

Quinto: cruces militarium Ordinum in area scuti apponuntur coloratæ: quoniam ex panno olim istæ fuerunt: & hodie etiam ex panno fiunt.

Sexto: figuræ ferarum atque avium complures ac formæ rerum variæ, quæ in his familiarum tesseris imbuuntur colore non suo frequentissime; nec aliam ob causam, nisi quia solent ad argumentum Principis colorari, ac veluti expingi ex eorum indumentis.

Septimo: vestes etiam eorum, qui armigeri, aut fœciales sunt Regum aut Ducum maximorum, sunt schemate simili, ac regia eorum tessera; tanta videtur esse rei utriusque propinquitas & veluti cognatio.

Denique de metallis, coloribus, & luminibus aptis hujusmodi tesseris, seu armis familiarum vide Petrasanctam *de Tesseris Gentilitiis* cap. XV. & seqq. & cap. LXXXI. cum seqq. Hoc solum addam in apparatu rei tesserariæ aurum & argentum in usu esse præcipue, ut ex Tertull. *Quoniam aurum & argentum principes materiæ sunt cultus sæcularis.* Seu quoniam de ornatu vestium dum agitur; in istis locum non habent æs, chalybs, ferrum, sed duo illa pretiosa metalla dumtaxat ad sui contextum admittunt.

De Armis, seu tesseris gentilitiis in disquirenda majorum serie, satis jam diximus. At vero in hoc argumento si quis scrutatus curiosius omnia fuerit; siquidem si ad primam gentilitiam originem provocemus, a Deo cuncti sumus, si ad primum hominem, a ligonibus, aratro & colo sumus. Deinde ex splendidis sordidisque alterna fere serie profluximus; hinc Plato: *Neminem Regum non aliquando e servis, servorum neminem non aliquando e Regibus prognatum, asserere.* Omnia nimirum longa ætatum varietas miscuit, & in omnem partem fortuna versatur; ut ex Seneca: *Si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil.* Et sane in nimiam majorum seriem disquirendam dum nimis intendimus, facile aliquem in cruce vel securi reperiemus. Quid namque refert quibus majoribus progenitus quis sit; si aut virtutibus illorum destituatur, aut dedecora fortibus factis lustraverit? Nonne omnes nascimur pares, & pares morimur; licet dum vivimus impares dignitatibus, & opibus simus; post mortem etiam præmiis & pœnis impares. In nobis electio est, honoribus & divitiis, aut virtute vincamus: priora in fatuum & improbum cadunt, virtus in prudentem & probum; cum & sceleratissimos quosque fortuna felices reddat; & perrara virtutis & opum societas sit, ut perrara eruditionis & divitiarum; pariter rara Nobilitati sociatio est cum virtute, dum ita dona dispertiat natura ut nobilitatem uni, virtutem & eruditionem alteri largiatur; & supra humanam felicitatem sit utraque beari. Vana sane est nobilitas a parentibus factis & virtute claris; quoniam illorum hæc fuerunt, non nostra; neque virtutem cum semine parentes transfundunt. Seneca: *Nemo in gloriam nostram vixit; neque quod ante nos fuit, nostrum est.* A virtute igitur propria, non ab aliena vera nobilitas pendet; perinde ac fortis & doctus a proprio robore & eruditione; nec ab alienis opibus dives; nec splendidus ab aliena mensa seu vestibus nuncupatur. Bene D. Chrysost. monet: *Melius est, ut in te glorientur parentes, quam ut tu in parentibus glorieris.* Et in eandem sententiam Tullius: *Satius est me meis rebus gestis florere, quam majorum opinione niti; & ita vivere, ut & ego sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum.* Hinc illa fortis & vera exprobratio: *Majores suos extollunt, & fortia facta memorando clariores se putant; quod contra est; nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior.* Utinam omnes cum magno Mario sentirent: *Nobilitatem peperisse, quam acceptam corrupisse.* Utinam delectus detur ab ovibus & funda, nullis majorum imaginibus cum Davide in Regnum vocari, & victorem omnium in circuitu gentium statui; quam post tot longa serie Reges, cum Manasse ab Assyriis vinctum catenis & compedibus duci; aut cum Joachas vinctum in Ægyptum a Pharaone Nechao mitti; aut cum Joachim & Sedecia captivum effossis oculis in Babylonem a Nabucdonosore trahi. Ut autem a cujusque virtute sit vera nobilitas: Patritius Socrates non fuit, marmorario genitus; Cleanthes rigando hortulo locavit manum; Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit; Euripidis & Demosthenis parentes ipsa illorum ætas ignoravit; incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium accepit; Tarquinium Priscum Mercator genuit; Servius Tullius e servo Imperium tenuit, protulitque in Imperio conditionis suæ nomen; ex taberna macellaria ad Consulatum Varro conscendit; Porcius Cato, ignobili Tusculi nomen, nobilissimum Romæ dedit. Quod si reliquos Imperatores, Reges, Principes ad initia sua duxerimus, quanti erubescent? Si ad originem vocet Deus omnes, quam multi magnis matribus nati, ignorarent patrem? Verum ne aliquos offendam, contineo manum, & receptui cano.

Sed esto, ut quis sibi nobilitatem suadeat, & se tanquam Hercule aut Agamemnone genitum. Caveat is tamen, ne indignum se majoribus præbeat nec imitetur Africani filium, ut inde audiat: *Quantas tenebras a quo fulmine nasci, passi estis Dii immortales.* Sed addat iste nobilitati nobilitatem novam, majorum nimirum virtutibus virtutes novas, ut non tam se ab illis lumen accepisse, quam illos a se lucem mutuatos constet. A robore unicuique suo, virtute sua, factis nobilibus, non ab alienis vera laus venit; ut merito majorum virtutibus insolescentem rideat Satyricus:

—— —— quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? miserum est aliorum incumbere famæ.
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quam te Thersitæ similem producat Achilles:
Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus, quisquis fuit ille tuorum,
Aut Pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Vacuus equidem rebus ille est; cui tota gloria, laus tota ab alio est: ut vacuum eruditione, cujus omnis doctrina in alieno calamo sudat: & merito quis rideat illum, qui alienis fortibus dictis factisque ut a se natis glorietur; nempe qui Benedicti continentia, Augustini doctrina, Ambrosii eloquentia, Laurentii robore, Stylitæ jejunio, Francisci paupertate, Antonii vigiliis, Pauli raptibus, Salomonis prudentia, Moysis mititate sese efferat. Neque enim majorum virtutes magis in nos cum semine & lacte transeunt, quam peregrinæ, quas retuli, magnorum virtutes.

Ut igitur propositum thema claudamus; nil confert si quis nobilis sit in carne, nisi nobilior probetur in mente. A sæculi honoribus animum avertet, qui ex innocentiæ suggestu illos dejiciet; ut non mirum sanctus Hilarius *Can.* III. *in Matth.* *Meminissemus, quia omnis sæculi honor Diaboli est negotium.* In quo ita se exercet, ut animas amientium lucretur. Caveant autem qui ad honores sunt evecti, ne jure illis occinatur, quod habet S. Bernardus præsertim ad Pastores: *Et vos confusi estis in actibus vestris, non honorati, sed onerati dignitatibus vestris, quoniam Deus sprevit vos.* Parum tuta culmina esse, & illis timendum, valide probant, quæ narrat Corn. *in cap.* XI. *Numer.* ibi: *Adrianus II. Papa, teste Petrarcha, nullum supplicium majus de hoste poscebat, quam ut Papa fieret. Pius V. Pontif. sanctus dicere solebat: cum essem Religiosus sperabam bene de salute animæ meæ; Card. factus extimui; nunc Pontif. creatus, pene despero.* Contra honores se munit, qui de honoribus ita sentit, & culminibus incipit esse major, qui infra culmina se veræ humilitatis sensu locat.

CAP. II.

De prisco usu salutandi sternuentes. Ejusdem origo. Illius tres causæ indicantur, ac varia omina.

DIXIMUS alibi de usu in salutatione apud Veteres: modo occasione sumpta inquiramus quamobrem sternutamenta honore prose-

quamur, sternuentique salutem dicere consuevimus.

Carolus Sigonius lib. I. *Histor.* de Regibus Italiæ quæstionem facile solvit, dum annum exequitur quingentesimum nonagesimum, quo anno Christianam Rempublicam moderabatur Gregorius, re quam cognomento major, inquit; *In dies magis pestilentia sæviebat, ad cæteros autem casus, quibus homines fœde passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quod multi cum sternutarent, alii cum oscitarent, repente spiritum emittebant; quod cum sæpius eveniret, consuetudo inducta est, quæ nunc etiam observatur, ut sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum Crucis ori admovendo præsidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius ad cætera cælestis iræ piacula, postero anno religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituit, atque solemni pompa sanctam Dei Genitricis imaginem extulit.*

Sed in hoc hallucinatur Sigonius, cum multis ante Gregorium sæculis comperta sit consuetudo sternutamenta venerandi. L. Apulejus, qui trecentis circiter annis ante Gregorium scripsit lib. XI. *Metamorph.* cap. XV. commemorat sternutamento detectum, apud Fullonis uxorem, latuisse juvenem marito infensum, his verbis inquit: *Interim acerrimo gravique odore sulphuris juvenis inescatus atque obnubilatus intercluso spiritu diffluebat, crebras ei sternutationes commovebat: maritus e regione mulieris accipiebat sonum sternutationis, cumque putaret ab ea sternutationem proficisci, solito sermone salutem ei precabatur, sed cum iteraretur rursum, ac frequentaretur sæpius, rei nimietate commotus, quæ res erat tandem suspicatur*, &c. Ex quibus verbis, solito sermone salutem sternutamenti dictam; non ergo a Gregorii tempestate inductam consuetudinem.

Petronius Arbiter (quem Tiberio Principe vixisse fama est) in *Satyrico* ludens de juvene intra culcitram occultato inquit: *Gyton collectione spiritus jam plenus, continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gytona jubet.* Hinc videmus salutem sternuentibus imploratam quinque ferme sæculis ante Gregorium.

Tiberius Imp. dum curru vehebatur per Urbem, sternuenti honorem habebat ipse, sibique ab aliis exigebat: refert Plinius in *Histor.* lib. XXVIII. cap. II.

In ultima pene antiquitate Aristoteles, dum naturæ causas in *Problematicis Quæstionibus* investigat sect. XXXIII. problem. VII. & IX. merito ait homines venerari sternutamentum, ac bene sternuentibus augurari, eaque super re sapienter definit.

Nec injucunde Græcus Poeta ludit *in Proculum* hominem prolixe ac liberaliter nasutum; ut quando sternuebat, non imploraret sibi Deorum opem; nimirum nasus tam longe aberat ab aure, ut ad eam sternutamenti sonus non nisi aliquanto post tempore perveniret, sic ait lib. III. *Florid.*

Non potis est Proclus digitis emungere nasum,
Namque est pro nasi mole pusilla manus.
Nec vocat ille Jovem sternutans: quippe nec audit
Sternutamentum, tam procul aure sonat.

Clarum est igitur, morem salutis implorandæ sternuentibus ex ea commorientium calamitate tempore Magni Gregorii non provenisse; sed multo ante, contra placitum Sigonii, valuisse. Quærendæ adhuc sunt causæ, ad quas hujusmodi consuetudo reducenda? Ex quibus res referam, nempe Religiosa, Medicinalis, Auguralis; hæ erunt.

Principio, ut exordia a *Religione*, ea salutatio, quam sternuenti impertimur, non salutis imploratio, sed veneratio est ac honoris significatio, sicuti cum obvios amicos salutare consuevimus: hinc sternuenti assurgimus, caput detegimus, reverenter cum eo agimus; quæ omnia venerationis sunt argumenta. Refert Nicolaus Cadignus in *Vita Silverii* lib. II. c. XI. de Monomotapæo Imp. apud Æthiopas, a quibus more gentis Princeps cum sternuit adoratur, & tanto clamore qui adsunt concepta verba venerabundi proferunt, ut qui agant in aula proximisque cubiculis exaudiant, ac faustas salutationes & ipsi clara voce congeminent, & illico qui versantur in foro & domibus adjacentibus alios similiter invitantes, & precationum verba præeuntes, per totam simul Urbem sternutamentum Principis illico celebretur. At quam ob rem hæc religio veneratioque præstetur? dicunt quod sternutamentum e capite est, nempe a prima partium humani corporis, quæ a Veteribus sacrosancta habita, sicuti & Pallas e Jovis cerebro nata dicitur; quod idem refert Aristot. in *Problem.* sect. XXXIII. probl. VII. his verbis: *Cur sternutamentum pro numine habetur, non tussis? An quia de capite membrorum maxime omnium divino, ex quo provenit cogitatio, suam duxit originem?* Atque ex hac fortasse causa transmissam ad nos consuetudinem sternuentem capitis honore, officiosaque verborum appellatione venerari.

Altera causa e Medicina petenda: sternutamentum esse cerebri motum expellentis supervacaneum humorem adjumento aeris per nares attracti; eo autem sonum edere, quia per angustias ei sit exitus, ut volunt Philosophi & Hippocrates. Hæc porro salutaris expiratio est, ut merito sternutamentum appellet Aristoteles indicium valetudinis *dicta sect.* XXXIII. *probl.* IV. cujus causam ille investigans, ait, illo significari bene caput valere, & posse concoquere: cum enim capitis calor humorem spiritumque convincit; tunc excitari sternutamentum solet. Illud etiam inter Medicorum arcana ab eodem Aristotele ponitur, ægros, affectosque, & gravi morbo decumbentes excitandos esse, ut sternutent; id nisi valent efficere, eorum salutis nullam spem superesse: adeo sternuere ac valere sese excipiunt ac consequuntur, cujus causam investigat Albertus Magnus *de Animal.* lib. I. cap. VIII. Quorsum igitur sternuenti *Prosit* dicatur? ut intelligamus eam urbanitatem, qua sternuentem salutamus, lætitiæ significationem esse, qua ei accidisse aliquid boni gaudemus, officioseque gratulamur; adeo, ut nec vulgus ignoret effectum hunc esse bonum e mala causa; idque Aristotelem vidisse, dum *loco* superius *citato* ait: *Homines perinde quasi bonæ indicium valetudinis, partis optimæ, atque in primis sacræ, sternutamentum colere, beneque sternuentibus dicere atque augurari.*

Superest Auguralis causa: & sternutamentum quidem inter Auguralia signa fuisse. Aristotel. lib. I. *de Histor. Animal.* Tullius lib. II. *de Divinat.* Atque sternutamento arcanam significationem inesse adversus insidias ac dolos. Homerus in *Odyss.* cum Penelope post recensitas injurias sibi a Procis illatas, hæc addit:

—— an ne vides ad singula dicta sonore
Sternutasse mihi natum? ergo turba Procorum
Cæsa omnis, sed non incerta morte jacebit.

Nec desunt, qui affirment, si mane sternuissent, ominosum putabant, credebantque irritos fore

conatus rei, quam eo incœpissent die; contra si A sternuissent a meridie, feliciter eventura omnia sperabant: cujus causam investigat Aristoteles *dicta sect.* XXXIII. *probl.* XI. Præterea exaudire ad dexteram partem sternuentem, felix omen habebatur, triste ad lævam; sic Themistocli ante navalem pugnam sacrificanti, ait Plutarch. in *Vita: Clara ex hostiis flamma repente fulsit, & bonum omen sternutamenta a dextera parte datum est.* Legimus etiam Socrati quidpiam agere meditanti; si dextrorsum aliquis forte sternuisset, lætum ea re Socratem solitum fuisse conferre tunc se ad agendum: si sinistrorsum Genio ita significante restitisse atque cessisse. Atque id intellexisse Catullum *de Acme & Septimio*, carm. LXVI. quam ut ad approbationem dexteram referatur, dum ait: B

Hoc ut dixit amor, sinistra, ut ante
Dextera, sternuit approbatione.

Omen anceps ac medium etiam apud Veteres habitum sternutamentum; neque ex augurali disciplina plane patuisse, prospere ne aliquid aut improspere portenderet; refert sanctus Augustinus lib. I. *de Doctr. Christ.* Veteres mane surgentes e lecto, si dum calceum induebant, sternutamentum obtigisset, confestim lectum repetebant, ut auspicatius surgerent, infortuniumque eo die forte secuturum evitarent. Herodotus C in *Erato* lib. VI. de Hippia Pisistrati filio: hic dum milites suos in hostilem terram sapienter disponit, sternutamento solito vehementiore dentem expuit, quem cum jussisset ex arena sustolli, nec tamen uspiam diu multumque conquisitus appareret; suspicans Hippias, inquit: *Hæc terra nostra non est, milites: nec eam nobis subjicere ulla armorum vi poterimus, sed tantam in ea partem obtinebimus, quantam dens modo excussus tegit.* Refert Front. Gubernator Atheniensium classis, quæ in D Corcyræos dimicatura, vix solverat e portu, cum ille sternuentem quempiam ex remigibus fortuito audivit; metu correptus receptui canere statim cœpit, recepissentque se in portum, nisi Timotheus Imp. contempto augurio augurem meticulosum objurgasset, inquiens: *Miraris e tot hominum millibus unum esse, cui caput humidius sit.* Ex his igitur agnoscimus sternutamentum medii ancipitisque ominis fuisse; & modo secunda, modo adversa præmonstrasse; quare cum ex Augurum disciplina non appareret, quæ fausta, & quæ ominosa sternutamenta forent; factum est, ut Veteres rem dubiam existimaverint bonis esse verbis E adjuvandam, atque Deorum auxilium sibi aliisque sternuentibus implorarent: usque adeo unius gregarii militis sternutamentum ad Rempublicam pertinere arbitratæ sunt Græcorum copiæ, ac ut omen illud feliciter caderet precibus votisque a Deo poposcerunt, ut inquit Xenophon in *Cyro Minor.* lib. III.

Superstitiosas sternutationes in hunc modum damnat Divus Augustin. *Sermon.* LXVIII. *Appendice de Diversis*, his verbis: *Fecit Deus omnia bona valde. Illas vero non solum sacrilegas, sed etiam ridiculas sternutationes considerare & observare nolite; sed quoties vobis in quacunque parte fuerit necessitas properandi, signate vos in nomine Jesu Christi, & Symbolum, vel Orationem Dominicalem fideliter dicentes, securi de Dei adjutorio iter agite.*

In Christianorum porro mores immigravit hæc precatio, retentaque est, non augurii, sed officii causa: & ut illi ad omen avertendum; sic nos ominum securi ad salutem implorandam, officiosa hæc obsequia & salutationes sapientius sanctiusque transtulimus.

CAP. III.

Anulorum usus antiquissimus. Eorumdem originatio & materies. Pythagoræ dictum de Anulis exponitur. Imagines variæ in Anulis. Scarabæus in Anulis pictus quid denotabat apud Ægyptios? Christiani etiam Anulos effigiabant. Qui & quot Anulos gestarent Veteres? Anuli varii adducuntur. Eorumdem munus. Iidem ad quid adhibiti ab Antiquis? Eosdem quibus concredebant Prisci? Arrha & sponsio interveniente Anulo olim celebrabantur.

DICTUM est alibi de Vestimentis: modo de aliquibus ad usum & ornatum corporis hic adferemus: & primo de Anulis.


Anulorum usum antiquissimum esse vel ex ipsa historia Moysis *Genes.* cap. XVIII. vers. 18. apud quem Judas Thamari anulum pignoris loco dedisse scribitur, fideique servandæ pignus. Tradit quoque idem Moyses *Gen.* cap. XLI. vers. 42. Pharaonem Ægypti Regem post somnii Regii interpretationem a Josepho factam, anulum digito suo detractum, ejusdem Josephi manui inseruisse: non eum qui solius ornatus causa gerebatur, sive qui fuerit honorarius, sed qui fuerit signatorius, datus illi tanquam Cancellario, ac intimo Consiliario, & Proregi ad mandata & responsa Regis obsignanda & confirmanda, Hoppingius *de Jure sigillorum* cap. II. num. 3. Fit etiam horum Anulorum mentio *Exod.* cap. XXXV. vers. 22. *Esther.* cap. III. vers. 10. & seqq. & cap. VIII. vers. 2. *Daniel.* cap. VI. vers. 17. I. *Machabæor.* cap. VI. vers. 14.

Anulis secundum Plinium *lib.* XXXVII. Polyd. Virg. *de Invent. Rerum* lib. II. cap. XXI. fabula est, quando Anulorum primordia a Prometheo cœpisse fuerunt. Et quamvis a Trojanis & a Lacedæmoniis alii anulorum gestationem derivent: certo constat ante ea tempora ex sacra Historia, quæ omnes aliarum gentium annales antiquitate & fidei certitudine excedit; merito ejus relationi acquiescere convenit.

Prima Anulorum etymon est illa ab *An* particula sumpta, quæ Veteribus *circum* significat, atque ideo vinculorum, atque compedum, manicarumque oppressionem. Unde Pythagoræ symbolum, arctum anulum nos gestare vetat, quod ex D. Hieronymi interpretatione, non esse anxie vivendum admonet, cavendumque, ne nos in eam servitutem conjiciamus, quæ dura sit & incommoda. Pierius Valerianus lib. XXXVI. *Hieroglyph.* Ab hac circulari figura sumptum Anuli nomen; eadem de causa & podici datum, Anum quasi anulum vocamus, Becman. *de Orig. ling. Lat.* in verbo *Anus*. Sic Annus a circuitu temporis nominatus, quoniam Veteres *An* pro circuitu posuerunt: vel ab Anulo, ut Varronis est sententia.

Materies Anulorum fuit aurum, argentum, æs, ferrum cum gemmis inclusis: contra vero multi nullas admittunt gemmas, auroque ipso signant. Gemmas vitreas in vulgi anulis notavit Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* VI. quarum etiam ego plurimas servo.

Inter Pythagoræ præcepta, quæ symbola appellantur, memoriæ proditum est, ne quis anulum Dei imagine insignitum gestaret, quod Pythagoræ effatum a Clemente Alexandrino l. V. *Stromat.* quasi præceptum aut consilium fuisse expositum, quod a Moyse jussum fuerat; ne qua scilicet imago adoranda effingeretur; quoniam Dei majestas, quæ intelligentia tantum percipitur, vilipendi censetur, cum in materia colitur, eaque magis, quæ


Pag: 910
L. Pigrerii
M. Milesii.
H. Ernstii
Fr. Angeloni
H Gualdi
In Muso Auctoris.
Cl. Menetrei.
FIBVLAE.

in anulo gestatur; siquidem contemptum parit, quæ in promptu est videndi consuetudo. Nec multum Jamblichus discrepat, ubi singillatim symbola exponit lib. II. *ad Symbol.* XXIV. At vero lib. I. *de Vita Pythagoræ* ait, vetitum hujusmodi gestamen, ne cui forte in locum immundum sacram imaginem deferre contingeret. Quod didicisse Jamblichus ex quodam more temporibus Tiberii Cæsaris, ut refert Suetonius in *ejus Vita* cap. LVIII. Cum reus majestatis postularetur quicunque effigiem Imperatoris anulo impressam latrinæ aut lupanari intulisset.

Illud certe Pythagoræ documentum neque Græcis probatum fuit, neque Romanis: innumeras enim anulorum veteres gemmas hodie videre est, in quibus Deorum imagines aliave Ethnicæ superstitionis symbola Veteres exculpserunt.

Frequenter etiam anuli proferunt vultus Principum. Plinius Junior *lib.* X. *epist.* XVI. gemmam commemorat habentem imaginem Pacori Regis, & Sueton. in *Tiberio* cap. LVIII. Sapientiæ quoque sectatores hæresium suarum Magistros in anulis palam habebant. Cicero lib. V. *de Finibus* in princ. ait: *Nec tamen Epicuri licet oblivisci, cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis & in anulis habent.* Gestabant quoque in anulis imagines amicorum, Ovid. eleg. VI. lib. I. *Tristium*: & ego sane domi servo gemmis incisos Socratem, Platonem, & similes Philosophos; sicut etiam Magnum Alexandrum, & alios Reges.

Sane Idolorum facies in his frequentissimæ sunt; item per Zodiacum decurrentia signa, sicuti catamitos & meretriculas sub argumento Venerum & Cupidinum cælatos arbitror; ut etiam penes me imagines Jovis, Martis, Mercurii, Solis, Fortunæ, Serapidis, Cereris, Romæ schemate militari gemellorum altricis, & alia multa Ægyptiorum deliria. Sicuti & inter meos veteres anulos ex ferro, ære, argento adjectis gemmis diversimode signatos, quidam reperitur ex auro purissimo cum imagine virilis membri contra fascinos, ut voluit Varro lib. *de L. L.* seu ad procreandam sobolem, ut Ethnici credidere.

Amicorum facies formabant, ut ipsos quasi in oculis semper haberent; uti de Epicuro Cicero lib. *de Finibus*. Cornelius a Lapide *in Jeremiam cap.* XXII. vers. 24. Alii etiam proprios vultus & effigies adjiciebant in anulis, Coras. *ad l.* 2. *§. Sed ut obiter, num.* 4. *de Orig. Jur.* Theodor. Hopping. *de Jure Sigillorum* cap. II. num. 94.

Militum in Anulis scarabæus pictus fuit. Lege enim Ægyptiorum constitutum erat, ut fortissimus quisque cantharon, id est, scarabæum, in anulo scultum gereret; quoniam sine fœminis est illud animal: ita Legum latore innuente, mares minime effœminatos esse oportere, qui strenue pro patria essent dimicaturi. Aldrov. lib. IV. *de Insect.* capite III. Bellatorum enim animi ea maxime ratione commendantur, si viriles fuerint, viro rumque sit bella gerere, masculamque virtutem & ferociam in scarabæo expessam habere, post Ælianum & Plutarch. lib. *de Iside & Osiride*, Pierius lib. VIII. *Hieroglyph.* Aldrovand. *dicto loco*, Hopping. *dicto cap.* II. *num.* 95. Reperiuntur quoque plurimæ veteres & diversimodæ gemmæ effigie scarabæorum, ac variis hieroglyphicis elaboratæ quas duces strenuis bellatoribus tradebant, ut fil. trajecto ab istis ad brachia seu ad collum gestarentur; tradit Pign. super *Tabula Isiaca* p. 22. ut est videre ex meo Musæo; etiam hic delineatas, & apud alios.




Historiæ, res gestæ, & similia in anulis: Seleuci anchora ad hoc adducitur. Appian. *de Bellis Syriac.* Hopping. *dicto cap.* II. *num.* 98. Syllæ anulus, post devictum Jugurtham, Jugurthæ imaginem insculptam habebat. Plutarch. in *Vita Syllæ & Marii*, Valer. Max. *lib.* VIII. *cap.* XV.

Inter omnes anuli significatus & hieroglyphica præcipuum erat hominis ingenui *Silentium*; inde Harpocratis (cujus effigies presso obsignatoque ore silentium signum habet) sigillum in anulis gestari solitum a Veteribus, tradit Plinius. Ut quoque in Anulo Fidei signum agnoscebant; ut in sacro Textu: *Date anulum in manu ejus.* Pierius Valer. *Lib.* XXXVI. & XLI. Rub. *de Anulo*: *Necessitatis* Anulus apud Ægyptios habebat tesseram: apud illos enim Necessitas sub specie Anuli figurabatur, nodi scilicet vel circuli, quem duo serpentes in caduceo formabant, post Macrob. lib. I. *Saturn.* Pacian. lib. II. *de Probat.* cap. XLII. num. 22. ac etiam *Nobilitatis & bellicæ virtutis* continet mysterium idem anulus; sicuti etiam sunt hastæ, vexilla, phaleræ, coronæ civicæ, Pierius lib. XLI. *Hieroglyph.* Rub. Nobilitas. Et apud Romanos erat anulus aureus peculiare ornamentum Equestris Ordinis a plebe distinguens, Hopping. *de Jure Sigillorum* dicto cap. num. 146. & seq. Ut alia innumera in his hieroglyphica omittam.

Neque vero usum Anulorum repudiarunt Christiani; sive quia hortatus nos est Apostolus *Coloss.* III. *Ut quicquid agimus, in nomine Dei agamus.* Ac propterea sacris Symbolis manus suas operum effectrices exornatas gestabant; sive, ut per illas, quas gestamus gemmas in digitis, excitetur memoria ad rerum Divinarum meditationem: adeo ut ex iis operæ pretium arbitratus sit Clemens Alexand. *Pædag.* lib. III. cap. XI. præscribere aliquem terminum, intra quem contineretur hæc licentia, promiscua quidlibet in anulis insculpendi: censet enim a nostris recte geri, non quidem Idolorum facies, vel ensem, vel arcum, vel pocula; multo minus amasios & amicas invehes; sed Columbam, Piscem, Navim, vel Lyram, vel Anchoram, vel Piscantes. Per Columbam intellexit Spiritum Sanctum: per Piscem prandium, cum apparuit Christus Discipulis, *Jo.* XXI. vel Convivium, quo quinque millia virorum pavit, *Lucæ* IX. per Navim, vel Ecclesiam, vel vitam humanam: per L ram concordiam: per Piscantes Apostolos, v l Baptisma; videmus etiam in gemmis Arcam No

ticam, Symbola nominis Christi, & Crucis: & quod hoc idem signum Christi solitum fuisset ☧ apponi in anulis sponsalibus tradit Card. Baronius in A. LVII. & ib. Spondanus in *Epitom.* num. 17. & inter cæteros priscorum Christianorum signatorios anulos, lubens ego inter mea cimelia unum ex ære asservo, in quo cælatum est præfatum Christi signum, ac etiam columba cum olivæ ramo, Pacis symbolum, quasi quod Christus in mundum venerit mittere pacem: est quoque stella adjecta, forsan juxta illud: *Orietur Stella ex Jacob,* &c. Ut in delineatione hic apposita.



Cavit Solon ex Diogene Laertio, ne anularius sigillum anuli, quem vendidisset, servaret, ad vitandas nimirum fraudes, quæ ex suppositiis anulis enasci poterant; in quo hoc nostro tempore anularii maxime aberrant, dum & typos sigillorum servant, & in propatulo habent, magno periculo eorum, qui hæc negligunt, & habet Tacitus *Annalium* lib. XVI. Cajum Petronium coactæ morti proximum fregisse anulum, ne mox usui esset ad subeunda pericula.

Et hæc dicta sint de materia & forma Anulorum.

Nunc ad usum veniamus, dicamusque gestatos fuisse plures anulos etiam in uno articulo, seu digito. Martial. *lib.* V. *epigr.* XI.

Sardonichas, Smaragdos, Adamantas, Jaspidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est hæc puto culta manus.

Ideoque monuit Clemens Alexandrinus *loco citato*, non esse a viris anulum in articulo ferendum; hoc enim mulieris esse, sed in parvo digito, atque adeo in ima ejus parte collocandum. Aulus Gellius *lib.* X. *cap.* X. inquit morem Romanum fuisse gestandi anulum in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus, cui & anularis nomen est inditum: extant autem ejusce gestaminis rationes apud Macrob. *lib.* VII. *cap.* XIV. quoniam in libris anatomicis volunt aliqui, nervum quemdam de corde natum pergere usque ad digitum manus sinistræ minimo proximum; quod derisui habetur apud viros peritos, qui inquiunt nihil hujusmodi comparere in humano corpore: vel potius, ut inquit Macrobius citatus, dicamus, quod in eo digito gemma anuli ab omni læsione esset tutissima.

Distinguebat etiam anulus ingenuos ab hominibus servilis conditionis; ideoque pater apud *Lucam* cap. XV. ait: *Date anulum in manu ejus.* Et fuisse aureum probabile est, ex *Epist. D. Jacobi* in princ. cap. II. qui nec servis, neque libertinis conveniebat: Libertini enim argenteo, servi ferreo utebantur: cum & iis conveniret beneficio Principis, ut notat præter cæteros Lipsius lib. XI. *Electorum*. Quamvis consuevissent prisci Romani in digitis anulos ferreos gestare, nobilitatis & bellicæ virtutis insigne, ut auctor est Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. Unde propterea forte ferro comparantur a Daniele Romani præter alias causas,

A quas Pererius & alii expositores assignant. At vero devicta Asia & aucto luxu Romani, depositis ferreis digitorum anulis, aureos acceperunt, additis etiam gemmis, earumque plurimis onerare consueverint digitis articulum: ut jam diximus supra.

Anulorum jus Liberto tributum, ut scripsit Ulpianus in *l.* 10. *§. sed & si jus. ff. de in jus vocand.* non eximit illum a reverentia, quam Patrono exhibere debet: & hoc ea ratione, quia usus anulorum aureorum beneficio Principis tributus Libertinis, quoad vivunt, imaginem non statum ingenuitatis præstat, ut in *l.* 11. *C. de*
B *jur. anulorum aureorum.*

Æstivorum & hiemalium anulorum usum refert Juvenal. *satyra* I.

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ.

De levioribus anulis elegans est locus Martialis *epigr.* LXII. *lib.* V.

Per cujus digitos currit levis anulus omnes.

C Natalitiorum meminit Persius *satyra* I.

Et natalitia tandem cum Sardonyche albus.

Quia anulos quidam habebant, quos die tantum natali gestabant, seu aliis donabant.

De anulorum munere Martial. *epigr.* CXXII. *l.* XIV. Cicero Orat. V. *in Verrem* inquit: *Sæpe enim nostri Impp. superatis hostibus, optime Republica gesta, Scribas suos anulis aureis in concione donarunt.* Et hunc anuli honorem in ostentationem luxus vertit Juvenalis *satyra* VII.

D *——— Ciceroni nemo ducentos*
Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.

Lubet in hoc argumento referre munus quatuor anulorum Romani Pont. Innocentii III. Richardo Angliæ Regi, ut erga hunc eximium illius amorem commendaret, ex *epist.* CCV. *Regist.* ejusdem Pont. relata in *Annal. Eccles.* Tom. XIII. Raynaldi, Anno 1198. num. 52. his verbis:

ILLUSTRI REGI ANGLIÆ.

E *Inter opes terrenas, quas mortalis oculus concupiscit, quasi cariora desiderat aurum obryzum & lapides pretiosos; licet autem his aliisque divitiis excellentia regalis abundet, in signum tamen dilectionis & gratiæ quatuor anulos aureos cum diversis lapidibus pretiosis tuæ Magnitudini destinamus, in quibus spiritualiter intelligere formam, & numerum, materiam, & colorem; ut mysterium potius, quam donum attendas. Rotunditas enim æternitatem significat, quæ initio caret & fine: habet igitur regalis prudentia, quid in anuli forma requirat, ut de terrenis transeat ad cælestia, de temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem, qui numerus est*
F *quadratus, constantiam mentis insinuat, quæ nec debet adversis nec prosperis elevari: quod tunc laudabiliter adimplebit, cum quatuor virtutibus principalibus fuerit adornata, vid. Justitia, Fortitudine, Prudentia, Temperantia. Intelligas igitur in primo justitiam, quam exerceas in judiciis; in secundo fortitudinem, quam exhibeas in adversis; in tertio prudentiam, quam observes in dubiis; in quarto temperantiam, quam in prosperis non dimittas. Per aurum vero sapientia designatur, quia sicut aurum præeminet universis metallis,*

tallis, sic sapientia donis omnibus antecellit, Propheta testante, qui ait : Requiescet super eum spiritus sapientiæ, *&c. Nihil est quod magis oporteat Regem habere: unde Rex ille pacificus Salomon solam a Deo sapientiam postulavit, ut populum sibi commissum provide sciret gubernare. Porro smaragdi viriditas fidem; sapphiri serenitas spem; granati rubicunditas charitatem; topazii claritas operationem significat; de quo Dominus ait:* Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, *&c. Habes igitur in smaragdo quod credas, in sapphiro quod speres, in granato quod diligas, in topazio quod exerceas; & de virtute in virtutem ascendas, donec Deum Deorum videas in Sion. Datum Romæ apud S. Petrum* IV. *Kal. Junii*.

Adhibebant autem anulum ad signandum, quicquid lubebat, ut abditum esset, secretumque, nempe cellas, dolia, & utensilia, sicut & epistolas, ac testamenta; ideoque pater pluribus filiis hæredibus institutis moriens claves & annulum custodiæ causa majori natu filio tradidit, *l. 79. §. pater pluribus. de legat.* 2. & quemadmodum dixit Seneca lib. VI. *de Benef.* c. XV. *Anulis nostris plusquam animis credimus*. Quibus videlicet anulis ad contractus roborandos signa solemus apponere, ut cum aut testamentariis, aut matrimonialibus tabulis, aut stipulationum pactionumque chirographis illa signa imprimerent, id se, quodammodo Deo teste, facere crederent.

Dicebantur isti Anuli Sigillares, Sigillaricii, & Signatici, qui habent characteres, formas, imagines. Hinc Q. Curtius *lib.* III. ait: *Epistolamque sigillo anuli sui impressam pulvino, cui incumbebat, subjecit*. Vopiscus in *Aureliano* ait: *Uxori & filiæ anulum sigillaricium, quasi privatus instituit*. Sic Q. Frater *ad Tironem*, lib. XVI. Ep. Ciceron. ait: *Sicuti etiam matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur aliquæ inanes fuisse*. Eodem sensu Horat. *lib.* II. *epist.* II.

Et signo læto non insanire lagenæ.

Ita Plautus in *Persa*:

Triparcos homines vetulos, avidos, aridos,
Bene admonere, qui salinum servo obsignant cum sale.

Et idem in *Casina*:

Obsignate cellas, referte anulum ad me,
Ego huc transeo in proximum ad meam viciniam.

Est & celebris Herod. *Hist.* de Anulo signatorio Polycratis Samiorum Principis, mari fortunæ periclitandæ gratia merso, & in capto pisce recepto.

Concredere hos anulos nonnisi spectatæ & probatæ fidei homini Veteres solebant, ita morientes, vel de vita desperantes. Q. Curtius *lib.* X. de Alexandro Magno, qui sexta a decubitu die exemptum digito anulum potestatis jubendi & mandandi summam, Regnique hæreditatem Perdiccæ dedit, eoque gliscentem amicorum sedavit seditionem. Sic refert Dio *lib.* LIV. circa fin. Augusti Imp. anulus Mecœnati & Agrippæ duobus suis intimis consiliariis concessus erat, imo & in vim successionis creditus. Ita & Suet. in *Tiberio* cap. LXXIII. qui deficiens exemptum digito anulum, quasi alicui traditurus parumper tenuit, deinde rursum digito aptavit.

Non solum ad signandum anulis utebantur, verum etiam ad claudendum; sicuti claves inserviunt, ut inquit Tacitus lib. II. *Annal.* in princ. *Irridebantur & Græci comites, ac vilissima utensilium anulo clausa*. In quem locum plura Lipsius: & de prædictis anulis in usum clavium, de quibus plurimi in meo Musæo, aliquos hic tantum delineatos propono:



Arrha vero & sponsio anulo interveniente celebrabantur *l.* 5. *de instit. act.* Item sponsas anulo donatas. Juven. *satyra* VI.

—— deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior.

Et Tertullian. in *Apolog.* cap. VI. reprehendens luxum fœminarum inquit: *Circa fœminas etiam illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ sobrietati patrocinabantur; cum aurum nulla norat præter uno digito, quem sponsus oppignorasset pronubo anulo.* Quinimo refert Plin. *Natural. Hist.* lib. XXXIII. cap. I. Ferreum anulum, eumque sine gemma a sponso sponsæ mitti sua ætate apud Romanos consuevisse, apud quos bellicæ virtutis quoque talis ferreus anulus insigne erat.

Hinc B. Agnes apud D. Ambros. inquit: *Anulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus*. Ac si in testimonium inviolatæ continentiæ traditus esset talis anulus: ut de egregio facinore cujusdam Anglicæ matronæ nomine Cæciliæ refertur ex *Hist.* Angl. Pa[illegible] in *Ecclesiast. Annalib.* Tom. XIII. Raynaldi num. XIII. Hæc, inquam, defuncto viro coram sancto Edmundo Cantuariensi Archiepisc. continentiæ votum emiserat, & abjectis muliebri-

bus ornamentis vitam magno virtutum exemplo duxerat: moritura autem facta peccatorum confessione, Dominici corporis viatico munita, & extrema unctione delibuta; cum eam Confessarius respexisset anulum aureum in digito detinentem, dixit ancillis; deponite illico anulum illum, ne moriatur sic adornata: ipsa vero licet semiviva resumpto spiritu, sic loqui conata est: *Absit, absit hoc Pater a me, ut unquam recedat a me viva vel mortua iste anulus, quem ante tribunal Dei sponsi mei proferam in testimonium inviolatæ continentiæ, quam ei per hunc anulum promisi, ut recipiam quam pepigimus retributionem: scio cui credidi, quoniam nobilium amplexus pro ipso cum optimis dotibus recusavi*. Et sic manum retraxit, & recurvato digito anulum, quem famulæ attentabant deponere, retinuit; & ita sermonem cum vita terminavit. Discretus vero Confessarius tam verba devota quam pium propositum commendavit.

CAP. IV.

Fibulæ etymon. Ejusdem triplex divisio. Eadem quorum insigne? Ejusdem usus varius, ut & materia ac forma. Fibula quibus propria? Infibulationis modus varius.

QUONIAM apud fere omnes antiquitatum studiosos reperiuntur Fibulæ antiquæ, diversis formis elaboratæ, (quarum aliquas, quia ego & alii hic Romæ habemus) curavi, nec puto absurdum, aliquid de eis dicere, cum & illæ ad ornatum etiam vestimentorum essent.

Fibula igitur vox origine Latina, teste Joanne Meursio, ab antiquo *Fibo*, vel a *Findendo*, ut refert Julius Scaliger: *Quasi findat illud, quod perforat*. Unde apud Columellam *de Re Rustica* lib. I. cap. VI. *Fibulari* dicitur idem, quod jungi.

Fibulas dividemus in Architectonicam, & Vestiariam, & Gymnasticam Vitruvius *lib* I. *cap.* V. & *lib*. X. *cap* II. expresse meminit Architectonicæ: eaque vulgo ferramentum est, quo tigna conjunguntur, quod comprobasse videntur nonnulli, qui *Confibulam* quoque ferrum dicunt, quo lapides & ligna conjunguntur inter se: inde *confibulare*, & *affibulare*, nempe Fibulas colligare, ut apud Isidorum, & alios.

Fibula vero Vestiaria proprie est ornamentum cinguli, qua per anulum pars cinguli retinetur ad vestem subligandam. Isidorus *de Origin*. lib. XIX. cap. XXXI *Quod pectus fœminarum ornat, vel pallium virorum in humeris, cingulum in lumbis firmat*. Et apud Jul. Pollucem *lib* VII. *c*. XIII *Tunica aperta Fibulis circa humeros connectebatur*. Ælianus *Var. Histor* lib I. cap XI. *Tunicarum vero eam partem, quæ est ab humeris usque ad manus non consuebant, sed continuis Fibulis aureis & argenteis constrinxere*. Fibulam quoque esse vinculum, quo mulieres fluentem retro vestem subnectebant, *in Vitruvium* adnotat Philander; nec lunulas in Senatorum calceis aliud, quam Fibulas fuisse eburneas lunæ instar corniculantes, opinatur Alexander ab Alexandro *Dierum Genialium* lib. V. cap XVIII. & Gangræus ad Juvenalem *satyra* I. *Lunula, nempe illa, fuit Fibula in malleolo pedis eborea, specie lunæ*. Imo Arcadum more lunatos, Plutarcho teste, Patriciorum calceos declarat Juvenalis *satyra* VII.

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Talem vero Fibulam nobilitatis olim extitisse indicem hoc Statii versu habemus:

Primaque Patricia clausit vestigia luna.

Eo videtur spectare modus, quem e Zonara Magius repetit *Miscel*. lib III. cap. III. *Patricios in Urbe calceos gestasse adornatos corrigiarum inflexione, & forma litteræ* C. Nec aliter Gallienus apud Trebell. Poll. *Caligas gemmatas annexuit*.

Fibula quoque capillitium continebat. Lucianus dialogo *de Domo*: *Aliqua Fibula vel tænia comam diffluentem colligans*. De hac Virgil. forte lib. X. *Æneid*.

—— fusos cervix cui lactea crines
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

Usus hujus Fibulæ expressit Corippus *lib*. II.

Substrictoque sinu vestes Divina pependit
Poplite fusa tenus.

Flamines præterea pro sua divinandi facilitate infibulatos fuisse, voluit Joannes Rhodius *de Acia* cap. V. ex Varrone *de Ling. Latin* lib. IV. *Quod in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo*. Et clarius idem Varro lib. V. *de Ling. Lat. Eo præter Virgines Vestales & Sacerdotem publicum introeat nemo; is cum eat, suffibulum haud habeat*. Quamvis suffibulum hoc in loco videatur subligaculum, Festo tamen *est vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales Virgines sacrificantes habebant, idque Fibula comprehendebatur*. Ut puta sub mento.

Fibulæ porro usum sic docuit Pancirol. *de Reb. Deperditis* pag. 312. *Consideratione digna est Fibula, qua Veteres togam subnectebant, & quandoque etiam cingulum: Fibula enim superius annexa in sinum fundebat togam, instar veli vento inflati*. Et mox: *Facta est potissimum in eum finem, ut togam supra dexterum humerum connecteret; in quo duæ illius partes subjectam acum in canalicula stringebant ne enim adsuta panno erat Fibula; sed duas togæ partes adstringendo, non vero transfigendo, subnectebat. Quapropter super Fibulam nodus quidam conspiciebatur ex toga, quæ cum venustate & elegantia dilatabatur*.

Fœminarum ornamentis annumeratam fuisse credit Thomas Dempsterus Prudentium secutus, apud quem lib. II. *in Sym*. in mundo fœminæ:

Crinalis Acus, Redimicula, Vittæ,
Fibula, Flammeolum, Strophium, Diadema,
Monile.

Et Plin. *lib*. XII. *cap*. XIX. *Revehunt vitrea, ænea, vestes, Fibulas, cum armillis, ac monilibus. Ergo negotiatio illa fœminarum maxime fide constat*.

Viris quoque ornamento Fibulæ fuere in mantellis, seu penulis. Bayfius *de Re Vestiaria*: sicuti & in chlamydibus, seu paludamentis, quæ operta Fibulam desiderabant. Hinc in lib. XI, *Cod*. lib. I. *Fibulis quoque in chlamydibus utantur iis, quæ solo auro & argento pretiosæ sunt*.

Fibula ex ferro, orichalco, argento, auro, aut quovis metallo: infimæ sortis hominibus propria erat ferrea, ænea, etiam sic referente Festo *de verb. signif. Infibulati sacrificabant Flamines propter usum æris antiquissimum æreis Fibulis*. Mediocris fortunæ milites manipulares in baltheis aut phaleris argentea utebantur, donec Aurelianus Imper. iis aureas indulgeret. Vopiscus in *Aurel*. Ditioribus postea Leonis Augusti decreto concedebatur aurea: Principibus frequentior. Ita Didoni *Æneid*. IV.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Quin & gemmis distinctas fuisse, *Æneid.* v.
—— lato quem circumplectitur auro
Baltheus, & tereti subnectit fibula gemma.
Et Claudianus *de Raptu Proserpinæ* lib. II.
Collectæ tereti nodantur iaspide vestes.

Fibulam Imperatoribus fuisse propriam, ac in vestitu Imperatorio pretiosissimam. Ita Gallienus, ut in *ejus Vita* Treb. Poll. *Gemmatis fibulis & aureis usus est*, E diverso Adrianus ex Spartiano sine auro ipse baltheum sumpsit, sine gemmis fibulas strinxit. Et in *Gallieno* Trebell. Pollio: *Cum chlamyde purpurea, gemmatisque fibulis & aureis Romæ visus est*,

A Fibulæ aureæ & gemmeæ originem ex Veterum sacris processisse, satis probabile est; nempe supremo Sacerdoti dilecti populi tali magnificentia sub Mysterii velo adornatam imperabat Dominus: quod Reges deinde fuisse imitatos, penes quos diu sacrorum jus mansit, ac postea Imperatores ac Primates, donec tandem crescente in dies luxu singularis Fibularum usus in communem transiret.

B Etiam Mortalium primi Fibula sive spina sibi vestes adstrinxerunt. Ut de veterum Germanorum moribus differens Tacitus: *Tegumen omnibus sagum fibula, aut si desit, spina consertum.*

Hisce de materia præmissis, Fibulæ formam novisse magis ad rem erit: ex iis aliquæ circulares sive anulares erant, omnes variis quidem icunculis distinctæ, unica tamen ferme figura ad arcum accedentes: conspiciuntur etiam forma quadrangulæ, Equi, Hinnuli, Avis, Delphini, Cochleæ, & Anguium specie; ut in delineatione a me hic apposita.

C Unus tamen omnium usus, idemque utendi modus fuit: veram hujusmodi Fibulæ fabricam sic expressit Pancirolus: *Inferius & externa parte grandiorem habebat acum cum æreo aut aureo filo, quo efficiebatur, ut illa absque ulla difficultate quasi fluctuans vagaretur, ipsius præsertim cuspide in canalicula, quæ in altera Fabulæ parte erat, impressa.* Et Julius Scaliger *Exerc.* CCCCXXIX. de Fibula tractans, eam solius acus nomine exprimere videtur, dum ait: *Talis acus ærea vel aurea, quæ in anulo transversa transadigit corrigiam ad cincturas.* Videre est etiam inter cæteras meas Fibulas hic delineatas, acus, cui annexa est columba ad ornatum, ut inserviat ad vestes, seu similia subnectenda: neque sane absonum erat, a Veteribus variam Fibulæ speciem formari, modo rectus ei usus constaret; non minus formæ magnitudinem immutantes, quam fortunæ conditio, materiæ pretium, aut ingenii solertia figuras. Ut ex Iconibus hic in aperto est.

D Est quoque aliud genus Fibulæ, quam Gymnasticam appellant, cantoribus & Comœdis præcipue inserviens: hæc siquidem ponitur pro circulo æneo, quo adolescentulorum virilia solent coerceri conservandæ vocis gratia, quæ ex Veneris usu debilior reddi solet & asperior. Corn. Celsus *de Re Medica* lib. VII. c. XXV. ait: *Infibulare quoque adolescentulos, interdum vocis, interdum valetudinis causa, quidam censuerunt; ejusque hæc ratio est: cutis, quæ super glandem est, extenditur, notaturque utrinque a lateribus atramento, qua perforetur, deinde remittitur.* Et paulo post: *Tum, qua notæ sunt cuti, acu filum ducente transuitur, ejusque fili capita inter se deligantur, quotidieque id movetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant; ubi hæ confirmatæ exempto filo fibula inditur, quæ quo levior, eo melior est. Sed hoc quidem sæpius inter supervacua, quam necessaria est.* Hinc Martial. *lib.* VII. *epigr.* LXXXI. sic ait:

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit Comœdis omnibus una satis.
Et Juvenalis *satyra* VI.
Solvitur his magno Comœdi fibula: sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent.

Porro athletas etiam in palæstra pugnantes Fibulam usurpasse ostendit Martialis *lib.* VII. *epigr.* LXXXI.

Cæterum quæ fuerit materia & forma Fibulæ huic operi destinatæ, Celsus supra dictus metallicam fuisse ait: *Quo levior, eo melior.* Et Martialis *lib.* IX. *epigr.* XXVIII.

Jam Pædagogo liberatus, & cujus
Refibulavit turgidum faber penem.

Circulum quidem hanc fuisse æneum arbitrati sunt plerique, ut suggessisse videtur vetus Interpres ad illud Juvenal. *satyra* VI.

—— nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus.

Fibulam dicit circellos, quos Tragœdi sive Comœdi in pene habent. Et hæc forma circularis huic usui concinnior videtur fuisse: siquidem anulum tenuissimum, argenteum, aureum, sive æneum intelligit, item versatilem, non ponderosum.

E Accessisse præterea velandis inguinibus thecam quamdam, vel ejus vice alutam, id est, pellem tenuem ac mollem, ex Martiale *lib.* VII. *epigr.* XXXIV.


Inguina succinctus nigra stat servus aluta.

Et amiculum hoc solis virilibus destinatum satis explicat Isidorus, qui Gymnasium ex eo dictum refert, quod juvenes nudi exercerentur in campo, ubi sola pudenda operiebantur cinctu, sive lata zona, quæ inde campestris dicebatur, ut ex Thucydidis testimonio *lib.* I. *Olim in Olympiaco certamine athletæ subligacula circum verenda habentes pugnabant.* Et mox; *Apud Barbaros & Asianos præmia pugilibus ac luctatoribus proponuntur, & hi subligaculis in certamine utuntur.* Et Tullius lib. I. *Offic. Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo.* Et hoc indumento seu subligaculo intelligitur Martial. *lib.* VII. *epigram.* LXXXI.

Dum ludit media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula; Verpus erat.

Locus certe obscurus, si ad Celsi Infibulationem examinetur; etenim cum a fabro refibulari consueverat, ab alio demi fibula non poterat, nisi ponderis vi pelle attrita: ut consideravit Josephus Scaliger.

F Et de Theodora Justiniani Imp. uxore, pudoris sui in scena interemptrice, de qua apud Procopium in *Anecdotis* habentur hæc verba: *Sæpe autem in oculis totius populi nudabatur, & nuda erat in medio; cum tamen subligaculo pudenda ejus & inguina tegerentur.* Inde ego ex meo Musæo hic delineandas curavi ex ære hominum figuras, qui gibberi, capitibus acutis, iisdemque rasis & in totum monstrosi, infibulati extant. Quæ hominum propudia, qui moriones, miriones, & sanniones nuncupati, non solum in scenam inducebantur, sed etiam in divitum ædibus ad risum & ludibrium alebantur; de quibus Arnobius *lib.* VII. inquit: *Delectari stupidorum capitibus rasis.*



Joannes Britannicus in suis *ad Juvenalem Commentariis satyra* VI. refert, quod prædicto indumento utebantur non solum ad inguina tegenda, sed etiam ut libidinem comprimerent. Admittens præterea ad hoc alteram fibulæ speciem, nempe tenuissimum filum, sive æneum, sive argenteum, quod præputio ab utroque latere super glandem perforato addebatur.

Cæterum diversitate notabilis est apud Strabonem *Geogr.* lib. XVII. Infibulationis modus, quem ille de quorumdam Æthiopum mulieribus ita pro-

A tulit: *Armant etiam mulieres, quarum pleræque oris labium æneo circulo trajectum habent.* Eam consuetudinem hodie ad nares traductam habemus ex plurimis Itinerariis. Et Odoardus Barbosa Tomo I. *Itinerar. Turc.* lib. I. cap. II. refert in Regno Narsica mulierum naso inauris more unionem vel pyropum perforatum pendere: viris inter Brasiliæ incolas hoc etiam in labro inferiori usitatum ex Purchasii *Itinerario* lib. XII. capp. XVI. & XX. Vetustissimam hanc fuisse rationem quoque constat ex Sacris Litteris *Proverb.* cap. XI. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.*

B Et hæc de Fibulis dicta sufficiant, de quibus etiam plurima scripsit Eruditissimus Joannes Rhodius in *Dissertatione de Acia*, cui hæc jam dicta maxime ascribo.

Morem Romanorum fuisse jam vidimus, ut comprimeretur servorum & cantorum luxuria, consuevisse istos infibulatos habere: Ecclesiasticorum autem sensualitas quantum Deo displiceat, quorum munus est altari inservire, Altissimo sacrificia offerre; ideoque Petrus Damiani in princ. *epist.* VI. Tomo I. exclamat: *Tentavi genitalibus sacerdotum (ut ita loquar) continentiæ fibulas adhibere*, &c.

C Ad comprimendam nempe eorum lasciviam; quoniam carnis illecebræ in eminentioribus personis durius vindicantur; ideoque caveant, quibus hæc enunciantur.

F I N I S.



JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

RE VESTIARIA

SYNTAGMA.

AD VINCENTIUM JUSTINIANUM
EPISCOPUM TARVISINUM.

INDEX CAPITUM.

JOSEPHI LAURENTII,
LUCENSIS,
DE
RE VESTIARIA
SYNTAGMA.

CAP. I.

Vestimentorum divisio: quæ sacra, quæ muliebria? Cosmetæ seu vestipisces quinam? Vestimenta castrensia qualia antiquitus fuere? Calceamentum quotuplex, ut & Pileus. Capitis integumenta enumerantur. Tibiarum ornamenta. Vestimenta intima & externa. Mulierum calcei. Vestimenta ac alia ornamenta ordine alphabetico adducuntur.



QUÆ *de Vestimentis* pluribus Bayfius & alii, ego paucis hic subtexo, in gratiam polymathæ juventutis, cujus commodis insudamus, quam maxime fieri potest.

Vestimentorum synopsim primum universe, deinde sigillatim explico. Universe, ex Lazio eruditissimo: Vestimentorum alia in pace, alia in bellis & castris: alia sacerdotum, alia Senatorum, alia plebejorum. Demum alia publica, alia privata, utraque vel succincta, vel prælonga. Vestimenta sacra linea fuere, alba, atque preciosa, nullo infecta colore, pura; tunica videlicet talaris, byssina ex duplici sindone facta, stola, zona in rotundum texta, instar marsupii; baltheus cum cingulo, longion, & tiara, sive mitra, aut etiam galerus.

E Vestimenta *muliebria*, linea alba fuere, stola, cyclas, chlamys, prætexta, auro clavatæ, & blacteæ, atque pallæ, quæ dicta mundus muliebris. Cosmetæ seu vestispices horum curatores.

Vestimenta *castrensia*, & alba, scilicet fuere apud Romanos hæc, sagum, chlamys, macrochira, paragauda: campestre, lacerna, penula, ocreæ & calceamenta. Alba quoque erant vestimenta cœnatoria, cætera vero Romanorum vestimenta lanea. Prætexta vel erat puerilis, cel muliebris, vel sacerdotalis, vel militaris, vel triumphalis, vel prætexta toga, & magistratuum.

F *Toga*, vel virilis, vel arcta, vel laxa, vel picta: vel candida, vel pulla, vel muliebris, vel præsidiaria.

Latus clavus proprius Senatorum & Præsidum, qui vel latus, vel angustus, vel coccineus, vel sacerdotalis, vel muliebris.

Trabea, vel sacra sacerdotum, vel regia, vel consularis; vel senatoria, vel equestris, vel muliebris.

A *Purpurarum* alia coccinea, alia amethystina, alia cærulea, alia clarissima, alia obscura, alia picea, alia prætidialis, alia patricia, alia militaris, alia vulgaris.

Sagum, vel erat trabeatum, vel virgatum, vel aureum, vel purpureum, vel rubrum, vel fibulatum, vel candidum. *Chlamys*, vel Spartana, vel Milesia, vel Sidonia, vel Phrygia, vel picea, vel purpurea, vel mantuelis, vel hirta, vel sagochlamys.

Paludamentum, vel album, vel purpureum, vel aureum, vel pullum. *Lacerna*, vel coccinea, vel candida, vel pinguis, vel muliebris. *Penula*
B pluviali tempore usurpata, vel picta, vel oratoria, vel popularis, vel funebris, vel fœminea, vel gausapina, vel scortea.

Caliga, vel spiculatoria, vel clavata, vel fasciata, vel laxa, vel gemmata, vel sacerdotalis, vel campestris.

Ocrea, vel aurea, vel coriacea, vel ferrea. *Calceamentum*, vel sacerdotale, vel imperatorium, vel senatorium, vel venatorium, vel elevatum, vel servile, vel barbarum. Adde crepidam. *Pileus*, vel sacerdotalis, vel senatorium, vel hyemalis, vel militaris, vel servilis.

C *Baltheus* etiam, vel auratus, vel argenteus, vel gemmatus, vel stellatus, vel coriaceus. Hæc ex Lazio: ex Baysio autem aliter illa dividuntur. Quædam sunt capitis tegumenta, ut *Pileus*, *Galerus*, *Albogalerus*, *Tiara*, *Petasus*, *Cucullio*, *Cyna*, *Cyrbasia*, *Cidaris*, *Diadema*, *Causia*, *Mitra*, *Vitta*, *Reticulum*, *Restis*, *Rica*, *Capital*, *Capitium*, *Flammeus*, *Carbasus*, *Calantica*, & hujusmodi. Alia dicuntur intima; ut *Tunica intima*, *Interula*, *Thorax*, *Poderis*. Alia tibiarum & femorum ornamenta, ut *Feminalia*, seu *Femoralia*, *Subligaculum*, *Genualia*, *Tibialia*, *Sculponeæ*. Alia pedes calceant, ut *Calceus*, *Soccus*, *Crepida*, *Solea*, *Cali-*
D *podia*, *Calceus lunatus*, *Calceus fenestratus*, *Perones*, *Sandalium*, *Calcei Phœcasei*, *Sicyonii*, *Embas*. Alia dicuntur media, ut *Tunica*, *Latus clavus*, *Exomides*, *Tunica arcta*, *Laxa*, *Clavi lati*, *Clavi angusti*, *Aclassis*, sive *Adasus*; *versicolor*, *Phœnicia*, *muliebris*, *Sagum*, *Sagum cucullatum*, *Læna*, *Symhallota*, *Byssina vestis*. Externa vestimenta, & varia, ut *Toga cinctuta*, *Cinctus Gabinus*, *Toga*; mulierum impudicarum, *Prætexta Pura*, *Pulla*, *Pexa*, *Trita*, *Sordida*, *Picta*, *Palmata*, *Purpurea*, *Chlamys*, *Trabea*, *Paludamentum*, *Sagum*, *Pallium*, *Penula*, *Lacerna*, *Endromis*, *Abolla*, *Patagium*, *Chirodota*, *Suffibulum*,
E *Stola*, *Palla*, *Bardocucullus*, *Synthesis*, *Apex*; *Monile*, *Inaures*, *Bulla*, *Supparus*, *Perizonium*, *Instita*, *Orarium*, *Fimbria*, *Baltheus*, *Zona*, *Armillæ*, *Cestus*, *Strophium*, *Fascia*, *Epomis*, *Sudarium*, *Amphimalla*, *Aulæa*, *Mantile*, *Mappa*, *Cervical*, *Culcitra*, & alia, de quibus sigillatim ordine alphabetico.

Mulierum calcei recensentur a Poll. *lib.* VIII. *cap.* XXII. *Baucides*, *aphracta*, *opisthocrepidæ*, *cannabia*, *nedipedia*, *peribara*, *nyctipedes*, *mesoperficæ*, *Phittades*, *Seleucides*, *nosides Ambracides*, *amphisphyra*, *acrosphyra*. Ornamenta mulierum, refert *Novaculam*, *speculum*, *forfices*, *cerotam*, *ni-*
F *trum*, *antias*, *limbos*, *connexus*, *mitras*, *redimicula*, *anchusas*, *cerussam*, *unguentum*, *pumicem*, *strophium*, *fundam*, *tegmentum*, *fucum*, *monilia*, *picturationes*, *vestem luxuriosam*, *gryphoma*, *lasirim*, *belleborum*, *vittam*, *zonam*, *mitram*, *fimbriam*, *xystidem*, *tunicam*, *barathrum circularem vestem*, *pectinem*, *inaures*, *gemmatum trigastrem*, *plaustra*, *mundum*, *botryculum*, *chlidona*, *fibulas*, *redimicula*, *torques*, *fascias*, *sigilla*, *catenas*, *anulos*, *vela*, *ampullas*, *mortariola sardia*, & hujusmodi.

A.

ABolla, vestis erat Tragica, & graviorum personarum. Ea utebantur externi Reges; erat enim magni splendoris & pretii, Martialis. Item & Senatores sub Imperatoribus, Juvenal.

Acontia, calcei muliebres, Tiraq.

Acrospyra, calcei muliebres, idem.

Adasus, tunica erat ab humeris non consuta, dicta etiam *Aclastis*.

Ægle, ornamentum pedum muliebre, Tiraq.

Agnaptum, crassum, & rusticum indumentum Pollux.

Albogalerus, Flaminis Dialis pileus erat.

Alix, tunica chirodota, id est, manicata, unde, *Aliculæ*, togæ breves, pueriles, grandioribus minus hirsutæ.

Alysies, ornamentum muliebre, Tiraq.

Ambracides, calceamentum muliebre, idem.

Amiculum, genus vestimenti, auctore Festo, a circumjectu dictum.

Amictireum, indumentum pectoris, quo dormientes se integebant, ne nocturno frigore offenderentur.

Amiculum, vestimenti genus a circumamictu dictum, Fest.

Amorginos, tunica ex tenuissimo lini flore & lanugine contexta, Poll.

Amorgina, vestimenta byssinis persimilia.

Ampechonion, vestimentum commune hominum & mulierum, idem.

Amphideæ, ornamenta juncturarum manuum, idem.

Amphisphyra, genus calceamenti muliebris, idem.

Ampyx, capitis reticulum, Tiraq.

Amphimalla, tunicæ gausapinæ, ex utraque parte pilos habentes, quæ & gausapæ dicebantur, Plin.

Amphimaschala, erant vestes liberorum duas habentes manicas. *Heteromaschala* vero, servorum unius tantum manicæ.

Anaboladium, indumentum amictorium lineum, quo fœminæ humeros velant, *Syndon* dictum, Isid. *Anatola*.

Anademata, capitum ornamenta muliebria aurea, redimicula: *Anadesmata* etiam dicta.

Anamaschalister, ornamentum pectoris aut capillorum, Pollux.

Anguicula, ornamentum juncturarum manuum.

Anaxyrim, Cælius ait esse indumentum Persis peculiare, nobis pileum.

Anaxyris, subligaculum feminale, Tiraq.

Anthinæ, sive *Anthiræ*, ut vox Græca sonat, vestes pictæ, & floribus ornatæ, tam matronarum, quam scortorum.

Aphracta, calcei muliebres, Poll.

Apiros, tunica exitu nullo, quasi fine fine.

Apaulisteria, vestis quæ sponso a sponsa dono mittitur, idem.

Aplegides, *Dibolæ*, vestes duplices, idem.

Apodesmus, ornatus muliebris.

Arbele, calceamenti genus, Rhod. Vide.

Arbyla, calceamenti genus pedem totum ad talos usque complectens, Hippocr. Gorr.

Arsineum, *Arineum*, ex Festo, ornamentum capitis muliebre.

Ascerae, calcei villosi hyemi convenientes. Poll.

Aulæa, ex Nonio, erat vestis peregrina, nos aulæum dicimus, velamen belluatis intextum picturis.

Autapodium, volunt esse *Anaxyrim*, seu *Ocream*. Poll. *Autapodia*, *Anaxyrides*.

B.

BÆta, tunica prælonga, Poll.

Baltheus, militare cingulum, vel zona bullis ornata.

Bardocucullus, Gallica erat vestis, cuique tempori idonea, cum qua milites imbrium tempore jacebant in castris, & in agris rustici.

Basara, Bacchica vestis talaris.

Batrachides, vestes erant viriles & floridæ, quæ nomen traxerunt a colore ranæ, quæ βάτραχος Græce dicitur.

Baudices, calcei muliebris crocei, preciosi, Poll.

Baxea, sunt crepidæ, calceamenta, & proprie calcei Philosophici, Apul.

Beutos, vestimentum virile & fœmineum.

Birri, *Burri*, *Byrrhi*, *Ephestris*, genus est vestis lautæ, laciniosæ, aliquando servorum, vilioris, hirsutæ, quo capita teguntur; alii dicunt esse paludamentum, seu chlamydem militarem, alii dicunt esse simile endromidi viliori, & pilis hirsutæ.

Blauta, sandali species quædam, Poll.

Bombycinæ, vestes tenuissimæ ex bombyce confectæ.

Brachialia, brachiorum ornamenta, Plin.

Brachæ, a quibusdam censentur vestes fluxæ, intonsæque, ac varii coloris, quibus utebantur frigidioris plagæ gentes, ex Diodoro.

Bubalia, ornamenta manuum muliebria, Pollux.

Burrhanicum, genus vestis ex Festo, nobis ignotum.

Byssina, vestis ex bisso confecta.

Byssus, linum tenuissimum nascens in Ægypto.

C.

CAlantica, tegmen erat capitis muliebre.

Cæsitium, linteolum purum & candidum, sic dictum, quod oras haberet circumcisas, auctore Nonio.

Calasiris, Persarum vestis omnium pulcherrima, Herodotus.

Calassis, tunicæ genus, quod & Græci κάλασιν vocant a laxitate; vel, ut quidam volunt, erat nodus tunicæ muliebris, quæ connexa circa cervicem submittitur.

Calceus, sive calceamentum fiebat olim e corio crudo bubulo: deinde ex hœdorum pellibus ad pedes tegendos: demum ex aluta coccinea; hinc

Calceolus, levis erat calceus, simplicem tantum soleam habens, qualem solebant olim gestare milites levis armaturæ.

Calceus lunatus, id est, addita lunula circa talum, insigne erat nobilium, seu senatorum; Romanorum Imperatorum cum aquilis purpureus, virorum niger, mulierum albus.

Calceus clavatus militum, ruber meretricum. Deinde temporis intervallo supposito altiores facti, ex ferro, demum ex ære, ex ligno, ex corticibus arborum, ex papyro, quod familiare Ægyptiis, ex argento. Denique aurum, gemmæ, & pretiosa quæque calceis apposita.

Calestra, genus mitræ. Demp. *Calyptra*.

Caliendrum, muliebris capitis ornamentum, vel certe coma ascititia, Acron.

Caliga, tegumentum tibiarum: hæc supra genua extenta, braccis illigata, gregariorum erat militum, quæ vel speculatoria ad cursum destinata explorandum, vel clavata clavis insuta, de qua

A alibi, vel fasciata, vel laxa, vel gemmata, vel sacerdotalis.

Caligæ, vel spiculatoriæ, vel clavatæ, fasciatæ, gemmatæ, sacerdotales.

Calipodia, calcei ex corticibus arborum.

Calthula, vestis muliebris genus, Poll.

Calydia, barbaricum vestimentum.

Calymna, ornamentum muliebre, tegmen vitis specie, idem.

Calyptra, mulierum capitis integumentum.

Camelaucum, *Camelaugum*, Causia, qua Macedones caput velabant.

B *Campestre*, dicitur lumbare, seu subligar, quo lumbi a pudenda teguntur, hoc usi milites in castris, & gymnastæ in Campo Martio; eratque similis nostris braccis, quibus æstate utimur: hanc Horatius opponit penulæ, qua hyeme usi.

Canabia, calceorum muliebrium species, Poll.

Candys, indumentum erat Persicum, & Regum, holoporphyron dictum. Plutarchus.

Capidulum, indumentum capitis, unde nomen deducit.

Capillamentum, galericulus.

Capillare, reticulum muliebre, Rhod.

Capitium, item capitis tegumentum.

C *Capital*, sacerdotale capitis pileum, ex Varrone.

Capyris, tunica erat Persarum manicata.

Caracalla, indumentum ad talos usque demissum, ita dictum a Caracalla, qui hujusmodi vestem populo pro congiario donavit.

Carbasus, inquit Nonius, pallium erat, quo Flaminiæ amiciuntur, aut opulentæ matronæ, ex serico aut lino tenuissimo contextum.

Carbatina, calceamenta rustica ex recentiore corio bubulo.

Carpisculum, calceorum genus, Rhod. *lib.* XX. *cap.* XXXIII.

Casiaca, nomen est vestis, qua utebantur Græ-
D ci milites.

Castula, est palliolum, quo puellæ nudæ infra papillas præcingebantur, vulgo perizonium, præcinctorium.

Catagogis, vestis muliebris, fimbria, Poll.

Catastictos, tunica figuris animalium, aut floribus intexta, idem.

Causia, pileus regum Macedoniæ, vel nauclericus, ex Plauto, quo æstus solis arcetur.

Caunacis, vestis Babyloniorum, Pollux.

Cecryphalus, reticulum flammeum, discriminale.

Cephalodesmus, *Cephalodesmia*, frontale.

E *Cephalomactrum*, sudarium, quo caput abstergitur.

Cerotes, ornamenti genus, idem.

Cento, vestis erat crassa, variisque pannis & partibus consuta.

Cernuus, calceamenti genus, apud Verrium Flaccum.

Chimastrum, vestis rusticorum, qua hyeme utuntur, a Græco, χειμάζειν, *hyemare*.

Chirodota, tunica prolixa ultra brachia manus operiens, dicta etiam *Macrochira*, & *Manuleata*.

Chiromactrum, tergendis manibus linteum destinatum.

F *Chiromastrum*, vestis hyemalis, Poll.

Chirothecæ, manuum tegumenta.

Chiton, vestis erat pertenuis & simplex, quæ ex lino fiebat. *Hypocamis* dicta etiam. *Chiton* virorum erat, ut peplus mulierum vestis.

Chitonarium, vestis muliebris subtilis.

Chitonium, tunicula, Tiraq.

Chitoniscus, camisia, indusium.

Chlamys, erat vestis brevis & succincta, tam pace, quam bello adhibita, quare nonnulli eam cum paludamento confundunt. Hæ chlamydes a

locis

locis nomen sortitæ, Spartanæ, Sidoniæ, Phrygiæ: A coloribus, pictæ, purpureæ, aureæ, puræ, Imperatoriæ, Milesiæ, limbatæ, mantueles, hirtæ; gregariorum militum ex viliore panno & stuppa confectæ. *Sagochlamydes*, militum etiam gregariorum, non multum ab hirtis dissimiles.

Chlidones, brachialia, Poll.

Chortæus, tunica densa, qua Sileni induebantur, idem.

Chorta, vestis servorum forensis, idem.

Cidaris, sive *Citheris*, ornamentum capitis Regum Armeniæ, & insigne Regis Persarum.

Cimbaricum, tunica perspicua, idem.

Cinctus, sive cinctura, qua cingebantur.

Cinctus Gabinus, toga erat in tergum rejecta, & lacinia ejus revocata hominem cingebat, ea utebantur Romani Consules bellum indicturi, ex Virg. vel victores. Cinctus togæ, vel erat laxior, vel arctior. Laxior, qui togæ lacinia trahebatur; Manutius vero existimat discinctam togam majorem habuisse dignitatem. Arctior, quo sinus togæ in anteriore parte conficiebatur, nec toga ad pedes pervenire permittebatur, unde alte præcincti pro expeditis dicti fuere.

Circumtextum, amictus genus, quod purpuram circum habebat.

Cirseris, ornamentum muliebre, Poll.

Clavus, sive latus clavus, erat vestis sine manicis in lateribus, tanquam ex duabus plagulis insecta, aureis clavis conjuncta. Hæc Senatorum propria, & Præsidum, cujus initium a Tullio Hostilio referunt ex Hetruscis. Hi clavi vel lati, vel angusti; hinc latus, vel angustus clavus. Præterea clavus non solum aureus, verum etiam coccineus, qui, & sacerdotalis, & muliebris; qui, si dispositus in similitudinem palmarum, palmatus diceba-tur; si verrucarum, verrucatus. Dicta aliquando hæc vestis, Tunica palmata, quæ proprie triumphantium insigne; sicut latus clavus simpliciter Senatorum; angustus Equitum, utraque pacis signum, uti sagum belli.

Coa, sive *Cia*, vestis subtilissima ex bombyce, adeo ut corpus pelluceret.

Cochlis, capitis ornamentum ad similitudinem scalarum, sive animalis cochleæ.

Cochles, Poll.

Cœnatoria, sive *Triclinaris* toga dicta, qua induebantur discumbentes in conviviis.

Colobium, tunicæ genus Antiquorum sine manicis, dicta a Græco κόλοβον, *mutilum*, alias dicta hæc vestis *Cataclista*, & *Levitonarium*, Isidoro; quæ postea mutata in Dalmaticas, quibus nostri sacerdotes utuntur in sacris.

Coloriæ, vestes, quæ ex lana non tincta, hoc est, nativo colore infectæ, Valla.

Conchyliata, vestis, quæ murice tincta est, Plinius.

Cora, vestium manica prælonga.

Corymbus, sive Cosymbe, indumenti genus, Rhod.

Cothurnus, genus calceamenti subere quodammodo sublevati, quo utebantur Tragœdi: ut eminentiores apparerent, & viatores, ne tam facile in lutum impingerent; item virgines, ut longiores apparerent, sub oblonga stola, quo & Venetæ mulieres potissimum calceantur. Hic de suris vinciri solebat, & utrique pedi aptus, & altissimus, quod socco non conveniebat: illo in Tragœdiis, hoc in Comœdiis utebantur: ille dictus etiam Rhodig. *Embaton*, hic *Embades*.

Credemnum, calantica, vitta.

Crepida, a crepando dicta, quod ejus solea, breve obstragulum habens, inter incedendum subinde calcaneum feriens, creparet. Thuscum erat, vel Grajum calceamentum priusquam ad Romanos perveniret, hac usi philosophi, convivæ, virique molles, unde crepidati male audiebant.

Crepidulæ, parvæ crepidæ.

Crepitulum, capitis ornamentum, quod in capitis motu crepitum faciat, Festus.

Crobylus, Atheniensium capitis ornatus.

Crocota, vestis muliebris, crocei coloris, hujus diminutivum *Crocotula*.

Crocoton, vestis rotunda & fimbriata, qua utebantur divites matronæ, numeratur a Festo inter delicatas vestes.

Crocota, *Crocotium*, vestis crocei coloris, Tiraq.

Crusta, vestimentum, in quo purpureus color inardescit, Codex Theod.

Crupezia, tibicinum calceamenta.

Cubitale, vestis alba cubitum purpureum contextum habens. Poll. ornamentum cubiti.

Cuculio, genus est pilei, ex Capitolino, quo caput obtegentes vagabantur noctu.

Cuculla, *Cucullia*, vestis e scapulis pendens, vulgo *scapolare* Monachorum, Cæsarius.

Cucullus, nauticum & rusticum tegmen ad arcendas pluvias. Item capitis in formam cuculli cyathi, hinc Patres cucullati vulgo *Capuccini*.

Cultellata vestis, incisa in modum cultelli, Cæsarius.

Cudo, *Cudon*, *onis*, capitis tegmen coriaceum, quo vice galeæ olim usi, *Silius*.

Cyclas, ut nominis ratio indicat, erat vestis rotunda.

Cymatilis vestis, dicta a Græco κύματα, id est, *undæ*, quod undarum colorem referat, & fluctuum, *Undatilis* quoque nuncupata, & *Undulata*.

Cyna, pilei genus, quo Lacedæmonii uti solebant, ex Baysio.

Cypassis, linea tunica parva, ad medium cruris demissa, Poll.

Cybrasia, pileus altus in speciem coni deductus.

D.

D*Almatica*, est vestis talaris, purpurea, clavata, oblonga, cum manicis; χειροδοτὸς dicta Græcis, manuleata Romanis; sic dicta a Dalmatis populis, apud quos frequens ejus usus.

Decotes, togæ attritæ, quasi cotibus detritæ atque consumptæ.

Deræa, ornamenta colli.

Desmata, ligamenta capitis.

Dextralia, ornamenta dextræ.

Detrocherium, ornamentum brachiorum dextrorum. Poll.

Diabathra, soleæ Græcæ virorum & mulierum, unde Diabathrarii.

Diadema, dictum παρὰ τοῦ διαδέεσθαι, id est, *a vinciendo*, eo quod esset quædam fascia, aut amiculum regii capitis candidum, pilei instar.

Diphtera, etsi significet pellem capræ, est tamen pastoritium ex pellibus vestimentum, quod Rhenonem quidam vocarunt: est etiam stragula pellicea, quæ in superiori navis pavimento sternebatur.

Diplois, dicitur pallium, seu vestis dupla, ut nominis ratio innuit.

Diploidion, Cælius enumerat inter vestes mulierum proprias, Pollux.

Doris, vestis muliebris, Tiraq.

Dorsualia, dicuntur tegumenta, quibus equi integuntur.

Dropa, ornamentum muliebre, Poll.

E.

E *Anus*, idem cum peplo, Poll. veſtis ſplendida ſubtiliſque.

Elini, ornamenta circa carpum manus.

Ambata, Ex Cælio *lib.* v. *c.* XIII. erant calceamenta Tragica apud Græcos, ſicuti Embades, Comica.

Embades, Comici calcei vulgares, cothurno humiliores Thracum, Poll.

Emperonatris, diplois veſtis duplicata, Tiraq.

Enclaſtridia, ornamenta muliebria, idem.

Encombomata, veſtes puellares, quemadmodum Parnacides, teſte Nonio.

Enyclon, veſtis muliebris circularis, Tiraq.

Endromis, veſtis hirſuta, longioris villi, ad cœli injurias arcendas, dicta a Græco ἐν δρόμῳ, id eſt, *in curſu*, quod ea maxime in itinere uterentur: gymnaſtica & balnearis.

Enotium, inauris, Tiraq.

Entropides, calceamentorum genus, Poll.

Ephestris, veſtis quæ ſupra arma indui ſolet. Bayfius putat eandem eſſe cum paludamento.

Ephatis, velamen Phœniceum, purpureumve, quod manibus circumvolvebant milites, venatoreſve, Poll.

Epiblema, veſtimentum exterius, ſtragulum torale.

Epicrenon, vitta, & ſtrophium.

Epomis, ſuperhumerale.

Epomidium, parvum ſuperhumerale.

Epicrocum, amiculi genus, Tiraq

Epitogium, pallium erat ſupra togam.

Eumarides, calceamenta dicta ab induendi facilitate.

Exomides, veſtes, ſeu tunicæ ſubſtrictæ & breves, teſte Gellio, ſine manicis, & citra humerum diffluentes; hæ dictæ *Colobia*, quaſi truncata, & mutilata ſine manicis, ut magis expedita eſſent.

F.

F *Acialis*, linteum, quo facies ſudore tergitur, Iſid.

Fanon, linteamen depictum, ex haſtili pendens, *confalone* Onuphr.

Faſcia, genus linteoli oblongi, quo pueri, vel quid aliud, ſolent obligari.

Faſciis item obligabant femina & tibias.

Faſciæ, erant, vel pedules, vel crinales, vel pectorales fœminarum.

Femoralia, *Feminalia*, ſunt feminum ſeu femorum tegumenta, Græce, *Anaxyrides*, proprie erant faſces illarum partium.

Fimbria, veſtium ora dicebatur, quæ inciſuras habebat, ferræ dentalis non abſimiles:

Flammeum, ſive *Flameum*, velum lutei coloris, ſeu crocei, quo matronæ & novæ nuptæ capita vinciebant, ita dictum, quod Flaminicæ, uxores ſcilicet Flaminis, eo uterentur ad matrimonii perpetuitatem innuendam.

Flameolum, parvum flammeum.

Forenſia, veſtis qua utebantur viri in foro agentes, ſicut cœnatoria in cœnis.

Frontale, faſcia frontis.

Funda, arculus ex auro cum gemmis.

G.

G *Abanium*, habitus Græcanicus oblongis manicis, quo nunc utuntur plerique Itali.

Gabinus cinctus, quid ſit, vide *Toga*.

Galbanum, veſtimentum delicatum a colore albo ſublucido, quod nullos habet pilos.

Galbeum, ornamentum muliebre, Feſtus.

Galerus, rotundum erat pileolum, quaſi media ſphæra.

Galericulus, capillamentum, coma aſcititia.

Gauſapa, veſtis villoſa & hyemalis.

Albogalerus, vero erat pileum, quo Flamines Diales utebantur, fiebat autem ex hoſtia alba Jovi cæſa, Feſtus.

Galericulum, erat capitis integumentum, quo crines operiebantur, in uſu palæſtritis, ne capilli eorum ceromate fœdarentur, Sueton.

Gallicæ, calceamenta, quibus Galli utuntur pulvio tempore.

Gammadia, veſtis tribus angulis conſtans, ut eſt Γ Græcum.

Gauſape, veſtis militaris, ſeu ſtragulum, quod olim ex ſtramentis confici ſoleret: quamquam poſtea ex lana fieri cœpit, majoribus villis, qui in urbe etiam utebantur.

Genualia, genuum indumenta.

Gryphoma, ornamentum muliebre.

Griſeæ, veſtes precioſæ ex griſe animalculo confectæ.

Guna, veſtis pellicea.

Gymnapodia, calceamenta muliebria.

Gyrata, veſtis in ambitum circumducta.

H.

H *Arpides*, calceamenta, quæ item crepidæ dicuntur, Rhod.

Helictores, inaurium genus, Tiraq.

Hemidiploidion, enumeratur inter muliebres veſtes, quaſi media parte duplum.

Hemiſphorium, genus veſtis, quaſi dimidiata, Epiphanius.

Hemitogium, media pars togæ: ratio nominis nota.

Hrmata, aurium ornatus, Tiraq.

Heteromaſchala, ſervorum veſtis, unius tantum manicæ.

Hipiſcum, *Trimitum*, tunicarum ſpecies, Poll.

Holobara, veſtes, quæ ob aurum textum graves ſunt.

Holoberæ, veſtes, quæ totæ birri ſunt, qui ſerici, conchyliati.

Holovera, veſtes totæ ex vero colore purpuræ, quæ verus color cenſetur.

Holobryzæ, totæ ex puriſſimo auro, id eſt, obryzo.

Homelion, pilei genus, Feſtus.

Humerale, humerorum tegumentum.

Hydrobaphes, veſtis aquei coloris, Tiraq.

Hypocambia, ornatus muliebris, Poll.

Hypodeſis, calceus, ſeu calceamentum, idem.

Hypodyzes, interior veſtis, ſubucula Pontificum, hæc

Hypotichos, etiam dicta, Hieronymus.

Hopoſchiſma, calcei viriles vulgares, *Proſchema* ſeniles, Poll.

I.

I *Anthina*, veſtis violacea, Martialis.

Imatium, amiculum, Tiraq.

Impluviata, veſtis coloris fuſci.

Impluvia, veſtis ſacerdotalis per imbrem, & ab imbre dicta, Græce χλαῖνα: nunc paſſim a ſacris Scriptoribus *Pluviale* dictum.

Inauris, ornamentum ex aure pendens.

Inducula, veſtis interioris genus ab induendo dicta.

Induſium, quaſi intuſium, quod intus induceretur, & fœminarum erat; ſubucula vero virorum.

Infulæ, dicebantur faſciæ factæ inſtar diadematum, a quibus utrinque dependebant vittæ, Virg.

Inſtita, tenuis faſciola, qua honeſtæ tantum matronæ utebantur, & quæ ſtolæ extremitatem ambit. A

Interula, tunica carni proxima, Camiſia, Tiraq.

Iphicratides, Attica calceamenta.

L.

L*Acerna*, veſtimentum laxum, ſeu pallium militare, quod injici & rejici utcumque poterat, nodo ſupra humeros connexum. Hæc vel Tyria, ſeu coccinea, Imperatorum ac Regum. Vel candida, ſeu amphitheatralis, quam induebant ſuper togam ſpectacula viſuri. Vel pinguis, hoc eſt, panno ſuffulta, quæ erat militum; vel muliebris, vel pauperum, ſeu trita. Hæc varii coloris dicta, quaſi lacera, plebeja, & militaris potiſſimum erat. B

Iſthmion, ornamentum muliebre, Tiraquel.

Lacæna, genus veſtis Laconum more uſurpata.

Lacidæ veſtes, vetuſtate dilabentes, Rhod.

Læna, militaris veſtis ſuper cæteris impoſita, dicta χλαῖνα, hujus uſus & æſtivo tempore, ſed præcipue hyberno, ſi lanata, & villoſa; hinc proverbium, *Æſtate lænam teris*: hac etiam uſi in ſacrificiis, ex Cic. in *Bruto*. C

Lanetum, genus veſtimenti confectum ex lana ſuccida.

Laſilis, ornatus muliebris, Tiraq.

Latus clavus, erat tunica laticlavii Senatorum, de quo vide *Clavus*.

Ledus, *Ledium*, *Ledarium*, pallium virorum & mulierum, Poll. tunica æſtiva, Tiraq.

Levidenſe, veſtis erat, ita dicta, quod filo levi, tenui, & raro eſſet contexta.

Levitonarium, colobium erat ſine manicis, vide *Colobium*.

Limbres, veſtimentum muliebre, purpuram in imo contextam habens. D

Limbus, pars infima veſtis.

Limus, veſtis ab umbilico ad pedes, ad tegenda pudenda, quæ in extremo ſui habet purpuram limam, id eſt, flexuoſam, hinc proverbium, *Limis oculis intueri*, id eſt, obliquis, retortis. Hæc veſtis ſervorum propria, & poparum, dempta purpura: hinc dicti ſervi Limo cincti, & præcincti, ut expeditiores eſſent.

Lopas, veſtimenti genus.

Loroſoccon, ſoccus loro aſtrictus.

Ludix, veſtis genus, qua egredientes juvenes de ludi proſtibulo caput velabant & faciem, ne agnoſcerentur, Cathol. E

Lumbones, cingula circa lumbos.

Lumbare, tegmen, quo pudenda teguntur.

Lydus, tunicæ ſpecies, Poll.

M.

M*Acrochira*, tunica manicata, quæ *Chirodota* appellata, quod longas habeat manicas, quibus & manus tegi poſſent.

Mafortes, *Mavortes*, *Mafortium*, *Maphortium*, veſtis, quæ in tergum rejicitur, ideo dictum *Ricinium*.

Malacium, colli ornamentum, Poll. F

Mamillare, velum, ſive faſcia, qua mulieres mammas tegunt.

Mandya, penulæ ſimilis, mantellum dixeris, Rhod.

Manicæ, dicuntur manuum tegumenta, hinc manicatæ veſtes, quæ olim probro datæ, & mollitiei, Virgil. Ornamenta veſtium circa manus, Tiraq.

Mantelum, *Mantelium*, *Mantile*, a manu, & tela dictum, ornamentum muliebre, Tiraq.

Mappa, a manibus tergendis.

Mantellum, veſtis in Scriptura ſacra explicatur.

Manutergium, mantile, quo manus terguntur.

Maſchaliſteres, ornatus pectoris & axillarum, Poll.

Maſtruca, veſtis Sarda. *Maſtruga*, veſtis ſcortea teterrimi odoris.

Melæna, veſtis ita dicta a colore, vel ab Inſula Mela.

Mendicula, veſtis a Mendice dicta, Magiſtratu apud Oſcos.

Mitra, capitis ornamentum matronarum, quæ videtur fuiſſe corona, floribus, vel quopiam alio ornamento, ut faſciis orariiſque, contexta, filo circumligata, ex qua faſciolæ vel fila pendebant, quæ dicta Phylla, quod foliorum inſtar dependerent, quales noſtri Pontifices geſtant. Unde Mitræ nomen manavit, ἀπὸ τῦ μίτυ, id eſt, *a filo*, quod ſub mento adſtringebatur, ut videre licet in pileis peregrinantium.

Hoc filum, *Redimiculum Mitræ* appellavit Virgil. ex quo *Mitella*, uſurpatur pro corolla, ſeu corona: ſed Mitellæ uſus duplex, alter ſacrandis virginibus, alter illis tegendis & obnubendis: illa ad ornandum caput, hæc ad velandum, pudoris ergo, adhibita.

Mollicina, veſtis a mollitie dicta.

Mullei, calcei Regum Albanorum, purpurei coloris, his deinde uſi patricii, ita dicti, a mullando, ſeu ſuendo.

Multitia, indumenta minutiſſimis filis contexta dicta πολύμιτα.

Myritus, veſtis conferta ex muribus Armeniorum, aut murium ſpecie variegata, Poll.

N.

N*Eogeum*, ſeu ſtrophium, amiculi genus prætextum purpura candidi coloris.

Noſſides, calceamentorum muliebrium genus, Poll.

Nyctipedeces, calceamenti genus, idem.

Nymphides, calceamenta muliebria & ſponſalia, Rhod.

O.

O*Chthos*, limbus veſtis muliebris, Poll.

Ocrea, militaris calceamenti genus ex ære, ad tibias obtegendas, qua uſi tantum primarum claſſium milites; reliqui enim tibias caligis circumdabant.

Oeſpoeon, calceamenti muliebris genus, Poll.

Opiſtocrepides, calceamenti genus muliebre, Tiraq.

Opiſtocrepis, Dipodium calceamentum, Poll.

Opiſtoſphendone, ornamentum muliebre.

Orarium, linteum, in formam faſciæ latum, ori abſtergendo deſtinatum.

Orphinæ, veſtes nigræ, Poll.

Orthoſtadiæ, tunicæ, quæ rectæ ſtant, nec accinguntur, idem.

Otho, apud Homerum, nomen eſt candidi amiculi ex lana, non ex lino, ut inquit Cælius. Quidam vocant *Rochetum* Canonicorum.

Oxobatha, veſtis precioſiſſima a purpuræ genere, quæ *Oxos* dicebatur, teſte Suida, quæ optima putabatur apud Phœnices.

Oxypederotinæ, veſtes verſicolores, quas vulgo *miſchias* vocant, Marcel. Donatus.

P.

P*Alla*, dicta, quod palam ſit, eſtque mulierum & Tragœdorum indumentum oblongum, ad talos uſque demiſſum. Hæc aliquando cucullata, quæ *Bardocucullus* dicebatur.

Pallium, vestimenti genus extimum, quod tunicæ superindui solet: hoc proprium fuit Græcorum, sicuti toga Romanorum, sagum Gallorum. Palliis etiam fœminæ indutæ super tunicis, frigoris aut pluviæ, credo, arcendæ gratia. Unde proverbium. *Tunica propior pallio*. Pallio etiam usi aliquando Senatores in tricliniis.

Palliastrum, vile & rude pallium, Apul.

Palmata, vestis triumphantium, Trabeata, Picta: cujus clavi adeo lati, ut palmis possent mensurari: clavi erant flores intexti, ideo dicta clavata: postea, quia in ea palmarum rami intexti, dicta palmata.

Paludamentum, succincti erat genus vestimenti nobilioris, & materiæ, & formæ, quam chlamys, sic dictum, quod palam ab Imperatoribus, Procoss. ad bellum egressuris gestaretur, sicut chlamys a quolibet milite.

Paludamenti discrimina erant penes colorem, purpureum, album, pullum, aureum, &c. Budæus putat, Paludamenta dici insignia & ornamenta militaria, proprie tamen Imperatorum.

Pannus est, quo pauperes vestiuntur, unde hi pannucei dicti, & sumitur pro quolibet vili vestimento.

Pannicularia, Ulpiano teste, ea dicuntur, quæ in custodiam receptus secum attulit, ut vestem, qua indutus fuerat ille, qui ad supplicium ducitur; aut nummos, quos victus sui causa habuerit in promptu, aut leves anulos, id est, omnem substantiam non excedentem aureos quinque.

Parachlamys, vestimentum non modo militare, ut apud Plautum in *Persa*, sed etiam puerile, Ulpianus.

Paradæ, navigiorum integumenta, quibus sol arcetur, Ausonius.

Paragaudes, *Paragauda*, teste Alciato, vestimenti genus virile, ut plurimum lineum: quod sub alia veste gereretur, vinctum, nunc uno nexu, nunc pluribus, Vopiscus.

Paralurges, *Parypbes*, vestis utrinque intextam habens purpuram, *Pechyales* dicta, Poll.

Parapechy, vestimentum album, cui ab utraque parte purpura intexta, idem.

Parnacides, vestes puellares, Varro.

Parypbes, *Paralurges*, indumentum, attextam utrinque habens purpuram, ex Rhod.

Patagium, aurea chlamys, quæ pretiosis tunicis superindui solet, & qui ita induti sunt, Patagiati dicuntur, Apul. Patagiarii qui illud conficiunt, Plaut.

Pectorale, quod ante pectus ponitur, Tiraq.

Pedilon, talare calceamentum, varium, idem.

Pedules, *Pedales*, pedum calceamenta, vulgo *scarpini*.

Pellicea, vestis ex pelle confecta, vulgo *pellicia*.

Pelyntra, calceorum species, Poll.

Peniculamentum, pars vestis, quæ terram verrit, aut attingit, Nonius.

Pentectenes, tunicellæ juxta oram purpura ornatæ.

Penula, vestis erat arcendis pluviis destinata, & viatoria, tam virorum, quam mulierum, non togæ superimposita, ut lacerna, sed tunicæ ad pluviam arcendam. Hæc vestis propria Tribunorum cohortium belli, in Pace vero Equestris Ordinis. Hæc vel picta Imperatorum, vel oratoria Grammaticorum, vel popularis, ut mulionea, vel funebris, vel fœminea, vel gausapina, ex villis consutis, vel scortea, id est, ex pellibus confecta, vel Illyriciana, ex Pamelio.

Peplus, sive *Peplum*, sindon, seu vestis pertenuis mulierum propria, quemadmodum χιτὼν virorum, ut Eustathius notat, eratque candidissima, sine manicis, aureis distincta.

Pera, sacculus ex aluta a collo ad lumbos pendens, Martialis.

Peribaris, calceus mulierum, Poll.

Periblemma, vestis communis virorum, amiculum, idem.

Periclysis, limbus, seu ora vestis.

Perileuca, tela e purpura texta, habens alium colorem intextum fimbria, idem.

Perinessa, indumenta, in quorum extremitatibus assuta circumcurreret purpura.

Periscelis, ex vi nominis, est circa crura ornamenti genus, quo mulierum gressus componi solebant, Porphyrius *in Horatium*. *Gremiale*.

Peripetasmata, sunt aulæa, sive tapetia, quæ ornatus gratia circa parietes extenduntur, unde & nomen habent.

Peristroma, idem quod peripetasma, est, quasi circumstratum, seu aulæum, quo aularum parietes ornari solent, Plautus in *Pseud.*

Perinoma, dicitur omne, quod velat pudenda, dictum etiam suffibulum a Varrone, a Cicerone subligaculum.

Peripexides, ornamentum pedum, Pollux.

Perisphyrion, pedis ornamentum, idem.

Peristethion, fascia pectoralis.

Perizomium, palliolum præcinctum, quo nudæ virgines infra papillas præcinguntur.

Perizomata, succinctoria, campestria, quæ vide suo loco.

Perones, genus rustici calceamenti ex corio crudo aut pellibus compositum, ad mediam tibiam alti, quo minus aratorum pedes luto aut limo inficerentur.

Petasus, idem cum galero, estque pilei latioris genus, quo adversus solis ardorem viatores faciem tuebantur, Plaut.

Peza, fimbria, cyclas, limbus, Tiraq.

Pexæ vestes dicuntur, quæ in superficie quandam quasi lanosam extuberantiam præseferunt, quales sunt *cottonate* vulgo dictæ, & *vellutate*.

Phaciolion, capitis gestamen. *Cordylen* dicunt Cypri. *Crobylum* Athenienses. *Nidarion* Persæ, Rhod. *lib.* XXV. *cap.* XXVIII.

Phæcasus, calcei genus sacedotalis, unde *Phæcasiati* sacerdotes dicti, & Dii, Seneca.

Pharos, vestimentum de viris & fœminis.

Phenace, caliendrum, galericulus.

Phittacides, calcei muliebres.

Phylacterium, crux pectoralis, reliquiis referta, e collo Archiepiscoporum pendens.

Pileus, sive *Pileum* πῖλιον, capitis tegumentum ex lana arctata, vel floccis, quasi pilis contextus, quo Romani usi in Saturnalibus, servi manumissi; unde, *vocare ad pileum*, est manumittere. Hi pilei vel clavati, scilicet clavis aureis ornati, vel sacerdotales dicti galeri, vel tiaræ, erantque rotundi, sphærulæ instar dimidiatæ, acumen unum in capite habentes, nec totum ad comas caput obtegentes, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquebant.

Pilei quoque vel erant viatorii, dicti petasi, hinc tabellarii petasati, & Mercurius; hyemales quoque alii, alii militares, alii serviles.

Plaga, appellabatur linteum, lecti tegmen amplum, & candidum, quod postea lecticariam sindonem, ac *Torale* dixerunt, sive *Toral*, ex Varrone. At ex Baysio erat lineum tegmen, quo hodie mulieres rusticæ utuntur, ut olim Vestales Virgines, modo nostræ Moniales, quod dicerem Velum sacrum. Illius diminutivum, *Plagula*.

Plastrum, ornamentum muliebre, Tiraq.

Plœaria, calcei muliebres, Poll.

Plocion, ornamentum, tricha, inauris.

Poderis, talaris tunica, quæ adhæret corpori, & ita arcta, & strictis manicis, ut nulla sit ruga in veste, quæ & militaris dicta, & expedita. Hæc eadem talaris, nunc dicitur *Alba* sacerdotalis, ex Cerda.

Podonymus, vestis sacra asservata.

Polymita, vestes versicoloribus liciis contextæ, Plinius.

Præcinctorium, Castula. Vide.

Præclavium, pars vestis erat, teste Nonio, quæ B ante clavum texitur.

Prætexta, quæ & dicitur toga prætexta: Vide in dictione *Toga*.

Prætextum, fuit vestis talaris, quam supra tunicas honoratissimi quique gestabant.

Prasinæ vestes dicuntur, quæ ex lana viridi constabant, Martialis.

Psellium, armilla, ornamentum manuum, Tiraquell.

Pseudoalethina, vestis dicitur, quæ ex falsa purpura constat, *Alethina* ex vera.

Pulla vestis, erat sordidatorum & lugentium C atri coloris.

Q.

QUadrapola, vestes quadratæ, ut octapolæ a forma dictæ, hæ vocatæ *Stauracinæ*, ex Cerda *Adverſ.* cap. LI. erantque filicatæ, corymbiatæ, ex quatuor rebus intextæ, argento, bombycino, serico, byssino.

Quispiliata, vestis coccina, vulgo *Scarlatto*.

R.

D RAcana, vestis vilis.

Ralla, vestis a raritate dicta, teste Nonio, Plauto.

Rebracchiatorium, succinctorium, seu redimiculum.

Richbidina, vestes peregrinæ, quibus in gymnasiis utebantur, Juven. *sat.* III.

Recidipnum, vestis cœnatoria, idem.

Recinium, *Ricinus*, *Ricinum*, vestis quadratæ genus, inde dictæ, ut Servio placet, quod laciniam ejus retrorsum in terga rejiciebant.

Regilla, vestis regia, quæ & basilica, & trabea dicta, quoniam reges ea uterentur, auro & E purpura intexta.

Recta tunica dicebatur, quæ ita contexta erat, ut veluti rigens staret; vel quæ a stantibus ab imo in altum texebatur; hac tyrones & novæ nuptæ induebantur: hanc parentes liberis suis conficiendam curabant ominis causa, ut Festus tradit.

Redimiculum, ornamentum a mitra muliebri vel sacerdotali dependens, quod Græci tænias nuncuparunt, Juven.

Restis, sive *Retiolum*, instrumentum, sive fascia quædam, qua comas colligabant matronæ. *Redimiculum* Cicero vocat.

F *Reticulum*, tegmen capitis, tam virorum, quam mulierum, quod capillum contineret, a forma retis dictum.

Reticulum, etiam erat complicatum e funiculis, instar retis totum corpus ambiens. Hæc vestis vaticinatoria Polluci.

Rhenones, vestes pelliceæ ex ovium præcipue & caprarum pellibus confectæ, quibus, auctore Cæsare, Germani utebantur.

Rica, veli genus erat, a ritu dictum, quod A eo, teste Varrone, mulieres Romano ritu sacrificantes caput velabant.

Ricæ (inquit Festus) palliola erant ad usum capitis facta. Idem paulo post, ex Granii sententia, cingulum capitis interpretatur, quo procincta Flaminica solet redimiri: & alibi.

Rica, est quadratum vestimentum fimbriatum & purpureum, quo pro palliolo seu vitta Flaminicæ utebantur. Alii dicunt, quod ex lana fiat succida alba, quam conficiunt virgines patrimæ, ingenuæ, matrimæ, cives, quam cæruleo inficiunt colore. Hujus diminutivum est *Ricula*.

Rhiza, vestimentum fuit Thracum.

S.

SAbarium, linteum dicebatur.

Sagum, vestis erat militaris perbrevis, & succincta, non fluens, arcum undique exprimens, quod plerumque super arma injiciebatur, *Ephestridem* Græci dixere. Hinc sagati milites ad bella, ut Coss. paludati, procedebant, & semper pro militari veste sumitur. Sagum quoque belli indicium, sicuti pacis toga: quare sago usi semper Romani belli tempore, exceptis viris Consularibus; at, quando nullo premebantur bello Romani, omnes togati incedebant. Sagum vel erat trabeatum, uti apud Gallos, vel virgatum, vel aureum, vel purpureum, vel rubrum, sive russeum, sive fibulatorium, sive candidum; gregariorum militum sagum ex panno candido constabat. Hujus diminutivum erat *Sagulum*.

Sagochlamys, erat vestis militum gregariorum vilis, non multum ab *Hirtis* dissimilis.

Sagisma, dicebatur amiculum quodvis.

Samitum, holosericum totum.

Sandalium, calceamentum muliebre, Græcum.

Saraballum, vestis erat Parthorum fluxior, Rhod.

Sarabaræ, braccæ, Persicum indumentum.

Sarabadena, oraria, idem.

Saracum, genus pallii, seu veli.

Sarages, Medorum amictus purpureus, & medio albo colore distincta tunica, Poll.

Sardia, inter ornamenta muliebria, idem.

Scapularis, vestis, quæ scapulas tegit, hæc est illa Monachorum trita.

Sciadium, umbella, idem.

Sculponeæ, calcei ex lana confecti, Plaut.

Segmenta, nubentium ornamenta, & colli.

Segmentatæ vestes, dicuntur purpureæ, bracteolis argenteis aureisque depictæ, idem.

Seleucides, calceamentum muliebre, Poll.

Semicinctium, genus vestis brevissimæ, quo velantur & teguntur pudenda. Ventrale.

Semitogium, vocatur brevis, & dimidia toga.

Sestucula, Imperatoria vestis, Suidas.

Sicyonia, calceamenta muliebria, Tiraq.

Sindon, amictus ex lino Ægyptiaco, inde, ut creditur, nomen habens quod primum in Sidone urbe fuerit inventus, ob id *Tyria Sindon* a Martiale fuit dicta.

Singuliones, genus erant vestium barbararum, ex Egnatio.

Sisymbrium, ornamentum muliebre, Tiraquell.

Sitlæ, aurium mulierum ornamentum, idem.

Soccus, Græcorum erat calceamentum, quemadmodum calceus Romanorum, eo tamen etiam utebantur Romanæ mulieres; quapropter muliebris a Tranquillo vocatur, eratque humilior cothurno, illo usi Comici, hoc Tragœdi; & Soc-

cus, pro Comœdia, Cothurnus, pro Tragœdia usurpatus: hujus diminutivum *Socculus*.

Solea, calceamenti genus, quo solæ plantæ pedum obteguntur sine obstragulis, cæteris pedis partibus nudis relictis, superne pedem vinciens ligulis, quas ancas vocabant, & ligulas: hac nostri *Capucini* utuntur.

Spatalium, ornamentum muliebre manuum.

Spinther, armillæ genus, teste Festo, quo mulieres utebantur in summo brachio sinistro, Plautus.

Spiræ, in matronarum ornamentis dicuntur quidam quasi circuli caput aliquoties ambientes.

Spolas, thorax e pelle confectus, circa humeros constrictus, Pollux.

Stalagmium, inaurium genus similitudinem guttarum gelatarum referens, Tiraq.

Stauracinæ, vestes quadrapolæ, octapolæ: hæ erant pampinatæ, corymbiatæ, filicatæ.

Sticharium, tunicæ genus.

Stola, etsi quamlibet vestem significet, dicta a στέλλω, id est, *induo*, propria tamen mulierum & matronarum.

Stragulum, vestis erat, quæ figurarum & colorum variegatorum multitudine lectos sternebat.

Strigium, vestis Hispanica, vulgaris, Plautus.

Stromatodesmon, stragulæ vestis involucrum, stragulam enim vestem pellibus involvere, & loris constringere consueverant, quæ variis coloribus distincta erat, Athen.

Strophium, fascia pectoralis ad devinciendas puellarum mammas. Nonius ait, Strophium brevem esse fasciam, quæ virginearum papillarum coerceret tumorem & fluxum.

Subligaculum, amiculi genus, quo femora & partes pudendæ teguntur.

Subligaria, vestes erant, quæ coxas ad umbilicum usque a genibus contegebant. His utebantur mimi in theatro, & luctatores in arena.

Subminia, vestis genus, a subrubro colore (ut videtur) nomen habens.

Subarmalia, saga erant, & chlamydes, quibus arma superinduebantur.

Subucula, intima vestis, quæ fere ex lino fieret, ita dicta, quod ea subtus indueretur, Varro.

Sucula, genus vestis intimæ, Plautus in *Rudente*.

Sudarium, linteum, quo sudor faciei detergitur, & nares purgantur, Suet.

Sudariolum, parvum sudarium.

Suffibulum, vestimentum album erat, teste Festo, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales Virgines sacrificantes habebant, idque fibula comprehendebatur.

Suppa, vestis, velut chlamys, aut pallium.

Supparus, vel *Supparum*, genus togæ levis & angustæ; inde dictum, teste Varrone, quod supra induatur. Festus ait, vestimentum esse puellare ex lino. Nonius ait, Supparum esse linteum femorale, ad talos usque demissum, quod subtus appareat.

Sutalares, *Subtalares*, calcei superiore parte tecti, nudi inferiore.

Symballotta, vestes coacti per se velleris implexu potius quam textu confectæ: dicitur *feltro* Italice.

Symmetria, vestis ad talos usque demissa, Poll.

Synthesis, etsi pro qualibet veste in vestiario composita usurpetur, sumitur tamen pro ea, quam diebus festis honoris gratia induimus, & in tricliniis seu epulis: illis enim diebus omnes togam exuebant, & synthesim induebant. Dicta *Synthesis*, ab eo quod consuta contextaque esset compositione versicolori, Martialis.

Syrma, genus vestis laxæ, oblongæ Tragœdorum, vel cauda, sive tractus vestis fœminarum, idem.

Syrtus, purpureus apparatus muliebris, Pollux.

Sysira, tunica coriacea pilosa, manicata, habitus Scythicus, idem.

T.

T*Abula*, vestis erat etiam genus a re rustica sumptum.

Tæniæ, vittæ, quibus crines ligantur.

Tapetum, *Tapes*, idem quod aulæum, vestis stragula, variis coloribus intexta, quo aularum parietes, mensæ, lecti, nonnunquam etiam equi sternuntur.

Theristrum, æstiva vestis, seu pallium muliebre, ut docet Rhod. *lib.* XIII. *cap.* VI.

Threna, vestis florida, & variegata, Tiraq.

Thysanon, *Thyssanon*, fimbria, seu ala, idem.

Tarentinidium, perspicua vestis.

Tiara, ornamentum erat capitis Persarum mulierum, inde Regum & Sacerdotum, quam rectam gestabant, duces autem inclinatam. Budæus Tiaram appellat Summi Pontificis triplex diadema.

Toga, vestis communis, & propria Romanorum, tam virorum quam fœminarum, sicut pallium Græcorum, dicta toga, a tegendo, quod corpus tegat. Hinc Comœdia palliata, erat Græcorum; rogata, Romanorum. Materia togæ erat lana, unde quidam putant lænam dictam; etsi alii putent lænam esse militarem vestem. Forma semicirculari primum fuit, ut colligitur ex Dionysio, Quintil. Isidoro quamquam alibi quadratam fuisse doceat Athenæus. Hæc toga superinducta tunicis, cum his usurpari cœpit. Manutius eam non apertam, sed a summo ad imum integram nulla scissura, nullis manicis fuisse; & brachia, si emittenda forent, rejecta in tergum ima toga, expedita fuisse probare contendit. Per annum tamen, sumpta virili toga, modestiæ causa, ut a me alibi indicatum, juvenes in humerum non rejiciebant.

Togæ, Romanæ inventorem Tebennum quendam Arcadem tradunt Græci, qui primus id genus vestis gesserit, & sinum Ionium navi ingressus in Italiam venerit, & vestimentum propagaverit. Jus togæ usurpandæ non cuivis permissum, sed quibus jus coloniæ datum: quare Carthaginensibus jus togæ datum, cum a Statilio Tauro deducta colonia est muro cincta, Ælio Saturnino, vel Augure, vel Pontifice eam coloniam inaugurante. Loquor de externis, non de Romanis.

Toga, cingebatur, idque triplici cingulo, laxiori, strictiori, & cinctu Gabino, ex Sigonio. Laxior cinctura erat, quæ togæ lacinia traheretur: Manutius vero existimat discinctam togam majorem habuisse dignitatem. Arctior vero erat, qua sinus togæ in anteriore parte conficeretur, ne toga ad pedes pervenire posset; unde, alte præcincti, pro expeditis habiti fuere.

Cinctus Gabinus erat Consulum euntium ad bellum, vel victorum. Ex Isiodoro cinctus Gabinus dicebatur, cum ita imponebatur toga, rejiciebatur, attrahebaturque ad pectus, ut ex utroque latere penderet: vel, ut Servius in Virgilium ait, erat toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia a tergo revocata hominem cingeret.

Togæ longitudo erat talaris, angustior & arctior pauperum, laxior divitum, atque, ut colligitur ex Horatio, sex ulnis longa. Et quamvis in

A bello sagis uterentur, Centuriones tamen & Equites toga usos in castrorum ocio, non autem in acie, pluribus Manutius *lib.*11. probat.

Mulieres non vulgo usæ toga, sed ancillæ, mulieres impudicæ & exules, quibus aqua & igne erat interdictum, cum honestæ matronæ stola tantum induerentur. Homines quoque, labente Imperio, & mutata Reipublicæ forma, spreta toga, penulis, lacernis pullis sunt usi: & Appianus testatur, solis Sacerdotibus togæ usum remansisse.

Toga nomina varia sortiebatur a diversitate colorum & officiorum.

B *Togæ* color vulgo albus nativus; arte tamen candidus tunc fiebat, cum magistratus petebantur, unde *Candidati* dicti.

Toga multiplex erat, vel prætexta, vel candida, vel pura, vel pulla, vel pexa, vel trita, vel sordida, vel picta, vel palmata, vel purpurea, & hujusmodi.

Toga prætexta, seu simpliciter *Prætexta*, ea toga dicebatur, cujus ora & circuitus purpura erat prætextus. Hac utebantur pueri usque ad annum 17. qui annus Tyrocinii dicebatur, una cum bulla aurea ad pectus propendente, quod intelligendum de pueris ingenuis, patriciis, quorum patres Curulem gessissent magistratum; cæteri vero pueri ingenui prætextam dumtaxat gestabant. Neque solum pueri ingenui, verum etiam puellæ quousque nuberent, libertinorum filii, magistratus omnes, non modo Romæ, sed etiam in Coloniis & Municipiis, Magistri vicorum & Collegiorum, Sacerdotes, Senatores, Ludorum Romanorum diebus, & mulieres, Nonis Caprotinis.

C *Toga pura*, fuit communis hominum privatorum, & virilis appellata, recta, & libera, & ideo dicta pura, quod nulla admixta purpura, vel alio colore esset, sed alba; hanc virilem togam post annum 17. sumebant in Capitolio, ad Jovis ædem, ut alibi indicatum.

D *Toga pulla*, erat atri coloris, quam induebant luctus causa, unde lugentes dicti *pullati*, *atrati*: & sub Imperatoribus, cum jam exolevisset usus togæ, exolevit etiam simul usus coloris albi, & tum pullæ omnes plebejorum erant vestes: at contra prætextæ, sive pexæ, ut docet Lipsius, dicebantur candidæ & recentes prisco ævo usurpatæ, quibus tritæ opponebantur.

Toga sordida, a pulla differebat colore & usu, non enim erat atri coloris, sed albi; verumtamen erat sordidior, & obsoleta, & longo usu detrita, qua nec utebantur in luctu, sed tantum vulgares viri, sed tenuiores, rei, & affines reorum: tunc dicebantur, *Mutare vestem*.

E *Toga picta*, vestis Etrusca erat, purpurei coloris, auro distincta, a triumphantibus gestari solita, dicta picta, quod in ea figuræ ita fingerentur, ut ea species ad picturæ similitudinem accederet.

Toga palmata, ita dicta a palmis pictis, quam fuisse eandem cum trabea quidam asserunt, & palmatam dictam volunt, quod a triumphalibus viris gestaretur, & a victoria, quæ palma nominatur, palmata dicitur.

F *Toga purpurea*, differebat a picta, quia pura erat; a prætexta, quia hæc erat alba cum limbo purpureo. Purpurea ergo tota ex purpura constabat. Erant & alia Togarum genera, ut muliebris, militaris, quæ chlamys a quibusdam censetur, undulata, rasa, sericulata, Phrygiana, scutulata, & hujusmodi.

Trabea, sacerdotalis vestis erat sacra, eadem cum Augurali, quæ ex purpura, & cocco mista erat cum baltheo & fibula.

Trabea Regia, a Latinis ad Romanos pervenit, talis est habitus Ducalis.

Trabea Consularis, labente Imperio, fuit Magistratuum insigne.

Trabea Senatoria, eadem cum Consulari. *Trabea Equestris* Equitum: *muliebris*, sive *matronalis*, matronarum.

Trichila, stragulæ vestis prætenuis genus, Rhod. *lib.*XVIII. *cap.* XI.

Triglypha, puellarum indumenta, idem *l.*XVIII. *cap.* II.

Tunica, vestis erat apud Romanos interior, & sine manicis, cui toga superinduebatur, angustior & brevior, deinde manicata fuit, ac cingulo constricta, quæ ad medios usque poplites perveniebat: nam infra, mulierum erat; supra, Centurionum: talaris vero probro habita. Verum primis temporibus Romani sine tunica fuerunt, toga sola amicti: postea substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habuere, quas Græci dixere ἐξωμίδας. Color tunicæ liberorum hominum albus. Manutius in *Quæsitis* lib. 11. cap. 11. sentit purpureum fuisse, & quia popellus tunicatus incederet, & in Campo Martio se exerceret; hinc *Tunica*, pro plebejo; *Toga*, pro Senatore & Equite usurpata; & licet tunicati omnes essent, plebs tamen arctam & sine clavis, Senatores autem & Equites latam & clavis contextam gestabant. Hæc primis temporibus, Regibus tantum in usu; inde Senatoribus, quorum vestis, seu tunica dicebatur, *Laticlavium*, & Equitum *Angusticlavium*, item Tribunorum Militum alii Laticlavii, alii Angusticlavii.

Tunicæ versicolores, erant Saliorum. Tunica Phœnicia, vel coccina, pugnæ signum erat in castris. Tunicæ Romanarum mulierum longe lateque diffusæ erant, ad ulnas & crura extensæ, talares, pudicitiæ causa.

Tunica palmata, triumphantium proprie erat.

Tyrianthina, vestis erat purpurea, sumpto nomine a purpura Tyria; unde & Tyriæ vestes dictæ.

V.

UDo, calceamenti genus, quod nonnunquam ex lana, nonnunquam ex hirci pilis conficiebatur. Hi Udones Cilicii dicebantur, Martialis.

Vensica, tegumentum, seu mitella erat capitis subtilissimum, quo Germanorum crines contegebantur.

Ventrale, vestimentum ventrem contegens, Plinius.

Virgata vestis, in qua virgæ purpureæ, ex Polluce, textæ.

Viria, sive *Viriola*, ornamentum colli a gemmis viridibus, ut quidam volunt.

Vitta, fascia capitis ad crines aut serta & flores religandos, Plinius.

Umbella, itidem indumentum erat capitis, quo radii solis arcebantur.

Undulata vestis, ex hircorum & caprarum pilis, non ex lana confecta, ad similitudinem undæ.

X.

XEnion, auratum capitis ornamentum, Pollux.

Xerampelinæ vestes, ex Probo, matronarum, ampelini coloris, qui inter coccinum & muriceum medius est, vulgo *rosa secca*.

Xistis, ex Cœlio, dicitur talaris tunica, & muliebris: alii dicunt Tragicam esse vestem.

Xiston, vestimenti genus viris æque ac fœminis commune, Marc. Don.

Xyron, ornamentum muliebre, Tiraq.

Z.

ZAnca, *Zanga*, calceamenti genus.
Zinchion, corrigia calceamenti, Tiraq.

Zona, cingulum, quo cingimur, in quo nummi asservati, de quo alibi.

Zoma, indumentum commodum limbos habens, Pollux: vetularum erat habitus. *Zosma*, Tiraq.

Erant & alia ornamenta; puta Regum, ut Corona & Sceptrum; Augurum, Lituus sive Baculus incurvus; item Pastorum, Pedum, unde dictum nostrum Pastorale. Apex, ornamentum capitis Flaminum ex pilis. Dexterocheria, dexterarum manuum ornamenta. Dexteriola etiam dicta Capitolino, Chirothecæ manuum; Monile colli; Inaures aurium; Anuli digitorum; Bulla aurea pectoris prætextatorum; Armillæ brachiorum; Brachialia etiam dicta; Fulcralia lecti ornamenta. Cestus, Veneris cingulum ad amorem conciliandum; Epomis, Doctorum & Canonicorum insigne; Mantilia, manuum: Mappæ, mensæ; Cervicalia, pulvini, Culcitræ, lectorum. His adderem ornamenta militaria, nisi actum agerem. De quibus consulendi Baysius, Budæus, Lazius, Rosinus, Manutius, Sigonius, Lipsius, & alii.

CAP. II.

Chirothecæ olim in usu fuere: Eædem aliis nominibus indigitatæ. Manicatæ tunicæ probrosæ. Anaxyris qualis tunica? Probrosæ tunicæ quæ? Lacedæmoniorum cura circa vestes. Alala *quinam clamor? Vota militaria ubi concepta ac suspensa? Quinam primum fecere belli eventum venalem.* Laconicæ claves, *quodnam proverbium: Atheniensium laus.*

CHIROTHECAS, quas Græci dicunt & dactylothecas, *manuum vaginam*, ad frigus arcendum, lego fuisse etiam in usu Priscis, quæ & dictæ manicæ, sive manuthecæ, & manipuli. Cicero in *Phil. Solet enim cito ipse accipere manicas*. Athenæus *lib.* XIV. *Hyeme non tantum caput, corpus, & pedes operiunt, sed etiam manicas induunt ad extremam manum, & digitalia*. In quo loco, inter cætera luxus & mollitiei Persarum argumenta, hoc quoque a Xenophonte recensetur, quod digitalibus contra frigus manus suas munirent. Quare manicatis tunicis non sine probro indui solebant, quas Græci χειριδωτὰς, Latini *chiridotas*, vertunt; manuleatas tunicas crediderim, quibus non tantum corpus & brachia, sed & manus tegerent contra frigoris vim. Manicatas fuisse probro subscribit Agellius *lib.* VII. *cap.* XII. dicens: *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & usque in primores manus, ac prope in digitos, Romæ, atque omni in Latio indecorum fuit, fœminis tantum permissum; unde Publius Africanus Sulpitio Gallo homini delicato, inter cætera, quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus*. Hæc dicta chiridota tunica, ἀπὸ τῶν χειρῶν, *a manibus*, quas tegebat. Q. Ennius Charthaginensium *tunicatam juventutem* non sine probro dixit. Virgilius *Æn.* IX.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

At proprie manuum tantum tegumenta chirothecæ, ut nostræ, seu dactylothecæ dictæ, seu digitalia, quas serius in usum venisse crediderim. Hinc Plinius Junior: *In itinere* (inquit) *quasi solutus cæteris curis huic uni vacabat: ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hyeme* manicis muniebat, *ut ne cœli quidem asperitas ullum studii tempus remitteret*. Varro lib. I. *de Re Rustica*: *Olea manu stricta melior ea, quæ digitis nudis legitur, laudabilior quam illa quæ cum digitalibus*. Manipulus etiam dictus, hoc est, manus tegumentum, quo & milites usi, quod Græci dixere χειρίδα, χειροθήκην, contra quorundam nimiam sedulitatem in re Latina recudenda. Suetonius: *Sed cum ad conspectum ejus concitus leo impetum fecisset, manum manipulo involutam Lysimachus in os leonis immisit, arreptaque lingua feram exanimavit*. Χειρίδες, inquit Pollux *Onom.* lib. VII. de vestibus loquens, sunt vestis partes, quæ manus tegunt, τὰ περὶ ταῖς χερσὶν. Unde χιτῶνες χειροδωτοί, id est, *manicatæ tunicæ*. Harum & meminit Homerus *Odyss.* ult. χειρῖδας τ' ἐπὶ χερσὶ, βάτων ἕνεκα, *Chirothecasque in manibus, ruborum gratia*. Legatur Eustathius Interpres *ad hunc locum*.

Apud Parthos, qui principes erant civitatis, & inter cæteros valde conspicui, Anaxyridem triplam induebant, & manicatam tunicam; plebs vero erat cum tunicis sine manicis, ut habet Strabo *lib.* XV. Pollux idem supra *cit. lib. cap.* XIII. scribit, apud Athenienses tunicam utrinque manicatam, puerorum fuisse; unam vero tantummodo manicam habentem, servorum. Æmilius Pauli filius P. Sulpicio Gallo, quod tunicis manus totas operientibus uteretur, ut probrum objectavit. Talares enim & manicatas induere tunicas, aut distinctas flagitii loco habitum, ut notat Alex. ab Alex. *lib.* V. *cap.* XVIII. Apud Lacedæmonios in luxum vestimentorum non tantum leges latæ erant, sed Ephoris etiam mandatum, ut quotidie inspectiones obirent vestimentorum, & si quid in illis a decenti justoque ornatu alienum inveniretur, delinquentes juxta legis rigorem punirent.

Linquo manipulos, manipularesque: pugnæ præludium libo, fieri solitum ad animos efferandos, efferendos quoque.

Ante pugnam milites vociferabantur *Alala*, quod erat quasi præludium, & incitamentum ad manus conferendas, ita Athenæus *lib.* I. *Audi Alala, belli filia, votis prævia*. Plutarchus *de gloria Athen. Audi Alala, belli soror, hastarum hoc exordium*.

At, priusquam Martis aleam subirent incertam, vota concipiebant milites, aut eorum uxores propinquive, quæ in portis urbis suspendebant, suspensa videlicet tabella, qua voto se obligabant, reditum voventes, & faustum ominantes. Hunc morem indicat Propertius.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.

Iis reducibus aut victoribus voti damnati persolvebant, quod suspensa tabella conceperant, suspendebantque illi portæ, per quam redibant. Idem:

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam, salvo grata puella viro.

Votum signare, est votum nuncupatum, & in charta conceptum & conscriptum Deorum genibus cera obsignatum adfigere: hinc fortasse manavit formula, *Deorum genua incerare*, de quo alibi; *de Donariis & votivis Tabellis* videndus eruditiss. Jacobus Philippus Tomasinus.

Subscribo huic, quod lego de Lacedæmoniis, qui, etsi disciplinæ essent domi integerrimæ, attamen foris eam labefactare sunt coacti. Pausanias in *Messen.* hæc habet: *Primi omnium Lacedæmonii ex omni antiquitatis memoria, hostem dicuntur muneribus sollicitasse, & venalem fecisse belli eventum*. Mirum, tantam virtutem degenerasse. Hinc puto illud adagium, Λακωνικαὶ κλεῖδες, *Laconicæ claves*, id est, *fallaces*.

Parœmiographus ait, explicans adagium, *Ulyssis vinculum*, vetusti moris fuisse vinculis munire, quod ab aliorum injuria tutum esse volebant; recentior enim est clavium usus, quas Laconum esse inventum sunt qui adnotant.

Subnecto tamen quod lego in Herodoto *lib.* VII. de Atheniensibus: *Qui soli Græcorum feruntur nunquam solum vertisse.*

CAP. III.

Tunica & toga quomodo differant? Nulla lex de vestitu servorum. An eorumdem vestis diversa ab illa dominorum? Servi distincti apud Persas: Ipsorummet ministerium. Iidem quali anulo usi, & ubinam immunes a militia? Heroes qui dicti? Annuæ exequiæ quibus persolutæ? Κρωσσὸς quale vas? Archon ferrum attrectare non poterat: Ejusdem vestimentum candidum. Flores quibus sparsi? Heroibus libamina quando peracta? Iisdem dracones sacri fuere. Supra caput dormientium quid appendi solitum? Liberi & servi quibus certarent? Quibus servis honos habitus?

De discrimine servorum et liberorum in vestitu Romano agendum modo. Quod, ut ingenue fatear, mihi non satis liquet. Etsi enim tunica plerumque vestis servilis, quod a multis notatum, & *popellus tunicatus* ab Horatio dicatur, toga vero honestiorum & liberorum civium; nullam tamen legem, morem nullum extare mihi constat, quo servi a dominis vestis genere dignoscerentur. Ita Seneca lib. I. *de Clementia* cap. XXIV. *In Senatu est aliquando dicta sententia, ut servos a liberis cultus distingueret; deinde apparuit, quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos cœpissent.* Duos milliones hos fuisse & amplius Lipsius *de Magnitudine Romana* testatur. Quare periculum magnæ seditionis, si qua nota distinguerentur, eadem & numerum persentirent. Veneti quoque hunc morem retinent, ut nullum sit discrimen inter patricios cæterosque cives Venetos: togati enim, ut libet, quilibet incedunt in civitate, togatam perpetuo pacem colentes.

In aliam sententiam ire totis pedibus videtur idem Lipsius, qui refert in Saturnalium sacris candidatos & togatos incessisse servos, quibus vestibus alias domini usi. Ex quibus inferre possumus atratos plerumque toto reliquo anni tempore servos, aut pullatos fuisse. Lampridius quoque in *Alexandro* refert, *Servos suos semper cum servili veste, nec ut cæterorum principum albatos, sed ut privatorum omnium atratos.* Serviles igitur vestes apud Lampridium & Tacitum, atrum cum cucullione pallium, & atra lacerna. Quod tantum moribus usuque receptum, S. C. nullo, lege nulla sancitum. De mancipiis vide Jac. Duran. *Variorum* lib. I. cap. X.

Servorum (crediderim) vestitus proprius tunica fuit, rusticorum penula, uti & militum; viliorum tantum cuculli, Imperatorum ævo. *Bardocucullus* fit a bardus, quod vel cantorem seu poetam significat, unde Petrarchæ & Dantis imagines cucullatæ pinguntur: vel tardum & stolidum. Bardocucullus vestis vilissima, contra Tyrianthina nobilissima: hinc stulti, & fatui cucullati, & moriones principum incedunt. Ideo nostri Capuccini cucullati, quasi insipientes, & vilissimos se existimant cucullatos. Raderus *in Mart.* Quare viliores servi pulli, honestiores rutuli, aut rufi: Imperatorum aurati, & chlamydati, ut notat Lipsius in *Electis*.

Apud Persas lege & moribus distinctas vestes reperio, ut omnes affirmant; alia enim propria Regi vestis fuit, alia Cognatis illius conveniens, alia Affinibus, alia Proceribus, & Amicis; ita ut singuli vestium colore distinguerentur. Lampridii locus in *Alexandro Severo* me lacinia movet, & monet, dicentis: *In animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut a vestitu dignoscerentur, & omnibus servis, ut in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne servi ingenuis miscerentur*, & quæ in hanc rem sequuntur.

At vestibus custodiendis servos assignatos olim, sicut & cæteris rebus, plane patet. Vestispicorum servorum erat, vestes inspicere & curare, Hinc ratio nominis. Afranius: *Novi non insciam ancillulam vespere, & vestispicam.* Hoc itaque munus tam famulorum, quam ancillarum, de quo videndus Bayfius in lib. *de Re Vest.*

Servorum ministerium, etsi alias exosum, gratum tamen Diis Laribus fuisse Dionysius Halicarnass. *lib.* IV. his verbis testatur: *Illis vero, qui pro vicinia sacra facerent in compitis, statuit, non homines ingenuos, sed servos adesse, & in sacris faciundis adjutare, quod famulorum ac servorum ministerium Laribus esset gratius.* Servis tamen interdictum aureum anulum gestare, qui ferreis tantum utebantur, uti & homunciones, & plebeii, quod testatur Isidorus *lib.* IX. *cap.* XXXII. Statius in *Lacrymis Hetrusci*:

Mutavitque genus, nomenque ignobile ferrum
Exuit, & celso natorum æquavit honore.

Appiani testimonium subscribit lib. I. *Belli Civil.* ubi refert a Tribunis in exercitu Romano aureos, ferreos a reliquis gestatos. Videndus de anulis Georgius Longus, eruditus sane scriptor. Et quamvis servili opera belli nunquam ex lege militari usi sint Romani & Græci; attamen necessitate urgente Romæ meruerunt. Itaque secundo bello Punico, post pugnam Cannensem, inopia liberorum hominum, octo millia juvenum validorum e servitiis prius emerunt, & libertate donaverunt, quam armaverint, ut est apud T. Livium *lib.* XXII. auctore Mart. JC. *l. ff.* 49. *de re militari*: *Ab omni militia servi prohibentur, alioqui capite puniantur.* Hinc male Cares semper audierunt dictique pecuniæ mancipia, quod primi in bello æra meruerunt, uti servi, Eustath. *Il.* IX. Nec solum servi non militabant, sed etiam libertini, & quorum ingenuitas incerta, & sub lite adhuc, ex Ulpiano *lib.* XLIX. Plut. in *Mario*: *Postquam orationem splendidam habuit, statim copias ad bellum, & præter legem, aut consuetudinem, servos, & rei familiaris tenuitate laborantes conscripsit, quos superiores Imperatores rejecerant.* Vide item Stevvechium *ad Vegetii cap.* VI. *lib.* I. Apud Græcos etiam hic mos, ut refert Pausanias in *Atticis* his verbis: *In hujus regionis campis tumulus est Atheniensium, qui in pugna ceciderunt, & ex eo pilæ eminent, in quibus cæsorum nomina, & tribus inscriptæ sunt. Alter item apud Platæenses Bœotiæ est, in quo servi conditi sunt, tunc enim primum servi stipendium fecerunt. Honorem Marathonii præ cunctis iis habent, qui in pugna occubuerunt, Heroasque eos appellant.* Ex quibus plane colligo, quantus honor iis habitus, qui in pugna occubuerunt. Non pigebit pulcherrimum Plutarchi in *Aristide* locum subnectere, ad honorem iis, qui in prælio pro patria occubuerant, habitum declarandum: *Eo approbato scito, Platæenses receperunt Græcis, qui ceciderant illic & humati fuerant, quotannis parentare, quod in hanc diem ad hunc faciunt*

modum. Mæmacterionis menſis, qui apud Bœotios eſt Alalcomenius, ſexto decimo die pompam agunt, quam antecedit prima luce tubicen claſſicum canens; ſequuntur plauſtra myrti & coronamentorum plena, taurus niger, libamina in amphoris vini & lactis; croſſoſque olei & unguenti adoleſcentes ingenui ferunt; nullì enim licet homini conditionis ſervilis illud attingere miniſterium, quod illi viri pro libertate occubuiſſent. Noviſſimus Platæenſium Archon, cui alias neque ferrum attrectare, neque aliam, quam candidam, induere veſtem fas eſt, tunc ſago puniceo amictus ſumit ex tabulario hydriam, gladiumque tenens e medio oppido ad monumenta pergit, mox aquam ex fonte capit, abluit pilos & inungit, immolatoque ſuper pyram tauro, Jovem ac Mercurium Inferum precatus, viros illos fortes, qui lethum pro Græcia oppetierunt, ad cœnas & inferias invitat; tum pateram vino miſcet, quam ubi perfudit, ita fatur. Propino illis viris, qui pro libertate Græciæ occiderunt. Hæc ſolemnia ſervant Platæenſes in hodiernam diem.

Flores in Heroes ſpargebant, & coronas dabant. Plutarchus in *Cæſare*: *Has conditiones cum in concione Curio Cæſaris nomine proponeret, ingenti eſt plauſu exceptus: aliqui etiam coronas in eum ſicut athletam, floribuſque ſpargentes, jactavere*, &c. In Heroum vero & athletarum honorem defunctorum jejunatum putat apud Antiquos Plutarchus in *Demoſthene*: *Deceſſit decimo ſexto die menſis Pyanepſionis, quem diem ſacris Cereris triſtiſſimum agentes in templo Deæ jejunant fœminæ*. Et paulo poſt: *Populus Athenienſis meritum honorem habens ſtatuam ex ære poſuit*, &c.

Heroum tumulis ſacrificatum ſcio: quomodo vero, innuit Plutarchus in *Alexandro* his verbis: *Ilii Minervæ ſacrificavit, Heroibuſque libavit. Achillis cippum unxit, ac circum eum una cum amicis de more cucurrit nudus, eique coronam impoſuit, beatum prædicans Achillem*, &c.

Magni Heroes ſe natos e fluminibus, montibus & littoribus, ut paſſim ex Homero & aliis colligitur, prædicabant, volebant ſcilicet factis notiores eſſe quam genere. Cuique ſua dextra vera eſt mater. Conetur nothus, ut factis ſit notus, Cerda *in lib.* IX. *Æneid.*

Præterea Mercurei lapidei illis dicati Plutarch. in *Cimone*: *Quare Hermas illos lapides populus ei ut poneret indulſit, quorum primo eſt inſcriptum*, &c. Effigies quoque leonum ſepulchris, templis, thronis, & frontibus, non modo apud prophanos, verum etiam apud ſacros lego fuiſſe inſculptas, ut colligit ex Horo pereruditus Cauſſinus. Ad hæc flores & coronæ ſparſæ Heroibus defunctis. Plut. in *Cæſare*: *Ingenti eſt plauſu exceptus; aliqui etiam coronas in eum ſicuti in athletam, floribuſque ſpargentes, jactavere*. Idem in *Demoſth. Deceſſit* XVI. *die menſis Pyanepſionis, quem diem ſacris Cereris triſtiſſimum agentes in templo Deæ jejunant fœminæ*. Et paulo poſt: *Populus Athen. meritum honorem habens ſtatuam ex ære poſuit*, &c. Vides quantis viri fortes honoribus poſt mortem cohoneſtati.

Heroibus ſacros fuiſſe dracones præcipue ex omnibus animantibus lego in Plutarchi *Cleomene*: *Paucis poſt diebus, qui Cleomenis corpus cuſtodiebant cruci ſuffixum, draconem ingentem conſpexerunt, qui caput illius circumplicabat, faciemque contegebat, ne avis carnivora eam ulla attingeret. Hinc ſuperſtitio inceſſit Regi, trepidatioque aliarum expiationum mulieribus aditum præbens, quaſi virum interfeciſſet divinum, & humana ſorte majorem. Alexandrini quoque excurrebant ad ipſum locum, ac Heroem Cleomenem, Deorumque filium appellabant, uſque dum reflexerunt ea doctiores, qui docuerunt, apes ex bobus, ex equis veſpas putreſcentibus germinare, ſcarabæos ex aſinis pullulare eodem deductis; humana vero corpora tabe medullæ inter ſe compacta & concreta edere angues, qua re Veteres animadverſa inter omnes animantes Heroibus dracones conſecravere*, &c. Libamina quædam in tumulum ad orientem aut occidentem verſi fundebant Veteres; erant autem, ut vult Lucianus, vinum & mulſum, ut Æſchylus in *Perſis*, mel, lac, vinum, oleum, aqua, farina.

In caſtris Romanis libamina inferebantur in aram, quæ fuit ante augurale, ut privati in focum, ſedem Larium, Patroclus in ignem apud Homerum. Ælius Lampridius Deos quoque ſerpentes ab Ægyptiis nominatos memorat, ubi ſic de Heliogabalo loquitur: *Ægyptios dracunculos Romæ habuit; quos illi Agathodæmonas appellant*. Nec tantum Ægyptii, ſed & Phœnices, qui ſerpentem Dæmonem fœlicem nominabant, ut ait Euſeb. lib. I. *de Præpar. Evang.* Strabo quoque templa vocat *Draconia*, quod prima, credo, circa ſerpentes extiterunt Idololatriæ ſemina. Adeoque hanc ſpeciem Dæmon habuit in deliciis, ut nec ine ſerpentum effigie conſecrata ſuperſtitionis domicilia crederentur; quod conſtat ex Perſio. Nota eſt Epidauriorum, Athenienſium, Argivorum in ſerpentes infelix ſuperſtitio.

Vagari libet in vago hoc viridario. Moris erat apud Antiquos, ſupra dormientium caput enſem & alia arma appendi, quod & apud nos magno in uſu. Hoc Homerus *Iliad.* X. aperte teſtatur. Cum enim apud illum Agamemnon inveniſſet Neſtorem jacentem in molli lecto, ſubjungit:

Juxtaque eum arma variegata jacebant.

Ubi etiam numerat ſcutum, haſtas duas, galeam, baltheum. Triphyodorus in *Excidio Trojano*:

Surgens hic ex lecto arma quærebat.

Virgilius:

Egregia interea conjux arma omnia tectis
Emovet, & fidum capiti ſubduxerat enſem.

Plutarchus in *Pelop.* *Enſem, qui ſupra caput ejus ſuſpenſus erat, detractum in ſignum, recubuiſſe eum ſomno ſtratum, oſtendit fratribus*, &c. Et in *Catone Minore*: *Platonis dialogum de animo ſumpſit in manus, libroque propere evoluto, ſuſpexit ſupra caput. Ubi non vidit ſuſpenſum gladium, (filius enim, cœnante adhuc patre, ſubtraxerat eum) ſervum vocavit, rogavitque quis enſem abſtuliſſet*, &c. Quod etiam teſtatur apertiſſime Appianus *lib.* XI. de hoc eodem Catone ſic loquens: *Enſem ſolitum lecto aſtare minime inveniens, exclamavit, ſe hoſtibus a domeſticis prodi*, &c. Apud Hebræos eumdem obſervatum fuiſſe morem, vel ex hoc licet arguere, quod Judith Holofernem trucidavit eo gladio, qui ad ipſius Holofernis caput & lectum pendebat.

Enſes fortaſſe ſuſpendebant ad exterrendos nocturnos Lemures, & Manes infeſtantes, ut colligitur ex Virg. IV. *Æneid.* ubi Sibylla jubet Æneam ſtringere enſem in Furias, &c.

Ab Heroibus ad errones Servos revertor. Servos vero orichalco, liberos auro & argento certare ſolitos Plautus in *Curcul.* indicat:

Auro contra cedo modeſtum amatorem, a me aurum accipe.
Cedo mihi contra orichalco, quoi ego ſano ſerviam.

Præterea nummo Servi, Domini talento certabant. Idem in *Epidico*:

In meum numum, in tuum talentum Danistæ captio est.

Postremo servi comici incedebant cum pallio super collum. Plautus *Capt.*

Nunc certa res est eodem pacto, ut comici servi solent:
Conjiciam in collum pallium primo, ex me hanc rem ut audiat.

Et *Curcul.*

Tum isti Græci palliati, capite aperto qui ambulent.

Servorum fidelitati, ultra summum libertatis pretium, aliud æquissimum lege concessum in Pausania in *Atticis* his verbis: *Æquitas autem plenissimum illud plebiscitum fuit, quo publicæ sepulturæ honor est cum servis communicatus, eorumque nomina columnis incisa, quod fideliter & strenue dominis in prælio operam suam navassent.*

CAP. IV.

Reorum caput obnuptum. An Veteres pileo usi? Pileus quid & unde dictus? Fuit libertatis signum. Quinam pileis utebantur in bello? Apud Græcos pileum quale symbolum? Petasi quinam pilei? Galerus quodnam tegmen? Quibus Diis capite tecto, quibus detecto facerent Prisci? Quomodo Deos adorarent? Caput cur opertum in Sacris? Ista quacunque de causa non interrumpenda. Festi diei religio quanta olim? ac præcipue illa Ancilium? Caput quale hieroglyphicum? In re periculosa cur caput obnuberent Veteres? Articuli digitorum quando contriti? Velati caput quinam?

CAPITIS obnubendi reorum passim in Veneta regione usurpata consuetudo ab illa lege usque horrendi criminis manavit. Audi sodes. *Caput obnubito; infelici arbore suspendito.* Hegesippus *lib.* v. *cap.* IV. *Dum percussorem moratus, clausus jam fasciola oculis, sese proripuit ad Romanos.* Tacitus IV. *Annal. Trahebatur damnatus, quantum obducta veste, & adstrictis faucibus, niti poterat clamitans.* Plut. in *Pericle*: *Et vero etiam ipsum perhibent Anaxagoram ætate decrepita neglectum, occupato Pericle, jacuisse, atque obvoluto capite vitam finire inedia statuisse.*

Sed quia de capite obnubendo quædam in medium prolata, discutiendum puto, an veteres Romani & Græci pileati, ut nos, incederent. Pileus est capitis tegumentum laneum, sic dictum, vel quod ex pilis fieret, vel quod capitis pilos tegeret. Pileum manumissionis seu libertatis apud Romanos fuisse signum, alibi a me indicatum: hinc *ad pileum vocare*, hoc est, ad libertatem. Bruti effigies pileata cum pugiunculis passim videbatur, quod Romanæ libertatis fuisset vindex. Castor & Pollux itidem pileati, quod Σωτῆρες, id est, *liberatores*, Græciæ essent, vel quia Lacones, qui pileati pugnabant, Romani contra, teste Lazio, in bellis haudquaquam utebantur. Lares quoque pileati: unde in Saturnalibus ad libertatem declarandam plebs tota pileata. Apud Græcos pileum nobilitatis fuit symbolum, unde Ulyssis caput pileatum faciunt; apud Romanos sacerdotii. Pilei etiam erant viatorii, petasi dicti, unde petasi dicti tabellarii a Cicerone, & Plauto. Pileos a Romanis rure gestatos Dion. *lib.* IX. ostendit: *Tunc autem forte Quintius arvum quoddam ad sementem faciendam arabat, ipse sequens boves novale proscindentes sine tunica, solo subligari succinctus, & in capite pileum habens.* En usus pilei & subligarium rure: & paulo infra: *Nulla autem alia de causa oratio mea huc est provecta, nisi ut omnes cognoscerent ea ætate pop. Romani principes victum quærere.* Nota priscam disciplinam & frugalitatem principum Romanorum. Pileus ex pelle hostiæ cæsæ fiebat Sacerdotibus, hicque Galerus dicebatur, Novar. *Sched.* lib. I. cap. XVII. An vero Romani in conviviis tecto capite discubuerint, non plane manifestum, colligi tamen potest inde, quod si servi manumissi pileati discumberent, tanto magis domini capite tecti: deinde si opertis capitibus Deos adibant & venerabantur, in mensa quoque, quæ illis semper sacra & religiosa visa, potissimum propter libationes, non dubium quin velati accubuerint. De adoratione operto capite facta dictum a me alibi, & a Plutarcho causæ plurimæ afferuntur *Probl.* XIV. qui testatur apud Rom. filios velatis capitibus suos parentes, filias autem nudis & crinibus passis efferre consuevisse, cujus causam ibidem affert. Opi quoque atque Herculi aperto capite supplicatum. Lege plura de hoc in Plutarcho *Probl.* X. sciscitante, cur Romani Deos capite velato adorent, cum alioquin hominibus obviam facti venerandis, caput, si forte eo tecto incedunt, detegant; cujus consuetudinis hanc inter alias rationem affert: *Quod nimirum coram potentioribus caput nudent, non augendi honoris eorum gratia, sed ut eos invidia potius liberent, ostendantque eos non poscere eosdem sibi cum divinis honores, neque ferre, aut gratum habere, eodem se, quo Deo, modo coli*: hæc ille. Contra vero Vitellius, teste Suetonio, miri in adulando ingenii, primus Cajum Cæsarem adorare ut Deum instituit, qui reversus ex Syria non aliter adire ausus est, quam capite velato, quo modo Deos coli solitos fuisse dictum est, circumvertensque se, deinde procumbens. Salutantes ergo Principes in terram procumbebant post circumversionem. At Deos adorantes sedebant. Quod Principem adorantes in terram procumberent, ostendit historia Alexandri Magni; nam cum Polysperchon unum ex venerantibus, mento contingentem humum, per ludibrium cœpisset adhortari, ut vehementius eo quateret terram: indignabundus Alexander, *Tu*, inquit, *non veneraberis me*? detractumque Polysperchonta ex lecto præcipitavit in terram. Et cum is pronus corruisset, *Videsne* (inquit) *idem te fecisse, quod in alio ante ridebas*? Ad pileum revertor; ex dictis conjectura ducor pileatos fuisse tantum Romanos in itinere, & potissimum hyemali tempore; in Urbe vero nunquam, cum numi nulli id astruant: quod si ad solis calorem avertendum, pluviam frigusque arcendum caput nubere volebant, togæ sinu id factum credo: & ita in conviviis si quando capite tecti, id factum ad manumissorum pileatorum discrimen innuendum. In his rebus aliorum opperior judicium cum maxime hæream, & in hac salebra laborem. Lipsius eruditissimus antiquarius meus *de Amphitheatro* cap. XIX. docet, olim Romanos aperto semper capite fuisse, & solum quinque temporibus operto, videlicet, Ludis, Saturnalibus, Peregrinatione, Militia, atque Sacris; de hoc ultimo Virgilius:

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Hunc morem volunt ortum ab ipsissimo Ænea, & ab historia, quam Virgilius attingit in III. *Æneid.* videlicet inter sanctos ignes ne qua hostilis facies occurreret. Plutarchus *Quæst.Rom.*X. *Deos operto capite adoraverunt, vel quod ea tectione, animi demissionem ostenderent, vel potius verentes, ne qua vox mali ominis foris accideret.* Pileati pingebantur Castor & Pollux, hinc dicti

pileati fratres, quod Lacones fuerint, quibus pileatis pugnare mos fuit, ut Festus scribit. A

Pausanias *libr.* IV. ad hanc rem narrat initium irarum Castoris in Messenios; quia videlicet adolescentes duo Panormus & Gonippus sacra Castoris & Pollucis interturbarunt, cum omni contumelia & contemptu: adeoque abominandum duxere interrumpi sacrum, ut clamaretur a Præcone in sacris, *Hoc age*, quod ita Plutarchus in *Vita Coriolani* explicat, *nulla ut res interrumperet sacra*, & idem Plutarchus in *Agesil.* laudat Lacedæmones, qui accepta gravissima clade non passi sunt formam publicæ festivitatis immutari, quæ tunc peragebatur. Demosthenes *contra Midiam* sæpius inculcat violatam ab illo festi Bacchici celebritatem, cum eo die injurias sibi inferret. B Adeo pervagata est hæc opinio inter gentes, ut etiam atrocius esset inferre injurias die festo, quasi ita violarentur sacra.

Apud Romanos Ancilium religio summa. Livius *lib.* XXXVII. *Stativa deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt, quia dies forte, quibus Ancilia movebantur, religiosi ad iter inciderant.* Tacitus lib. I. *Hist. Proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum Ancilium afferebant.* Hinc natum proverbium, *Saltat senex, salva res est*, qui, cæteris ad arma currentibus, C solus saltationem est prosecutus. Vide Adagiographum, & Servium *ad* III. *Æneidos*.

Caput hieroglyphicum salutis fuisse receptum apud omnes est, ideo hoc in extremo discrimine commendare, adjurare, devovere soliti, ut videre licet passim apud Authores, quod in eo regimen totius animantis; quare non solum in eo pallor in vitæ discrimine, sed & rubor in existimationis periculo, seu metu, tanquam in propria sede dignoscitur. Hinc illa consuetudo, ut opinor, manavit, cum aliquod inexpectatum & periculosum occurrebat, caput obnubendi seu velandi. D Petronius: *Execratus itaque aniculæ insidias, operire caput & per medium lupanar fugere cœpi.* Et alibi apud eundem: *Admonitus scilicet Ascyltos periculosum alienis intervenire secretis, caput operuerat.* Præterea loca impudica & probrosa adeuntes caput operiebant. Plautus *Capt.*

Ipsi de foro tam operto capite ad lenones eunt,
Quam in tribu aperto capite sontes condemnant reos.

Petronius: *Ascyltos caput operuit, ut se vidit in lupanar deductum.* E In re vero trepida non solum caput velabant, sed & articulos manuum conterebant; idem *ibidem*: *Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit superbum pallio caput, & manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis, quænam est* (inquit) *hæc audacia?* An quia in re crepera & subita animus perculsus ad Deos colendos se convertebat, quod fiebat capite velato, ut a me demonstratum? ita Plautus *Amphit.* invocat Deos immortales, ut sibi auxilium ferant, manibus puris, & capite operto. Lucretius *lib.* V.

Nec pietas ulla est velatum sæpe videri.

Ovidius *Metam.* F

Et velate caput, cinctasque resolvite vestes.

Tibullus *eleg.* V. *lib.* I.

Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis,
Vota novem Veneri nocte silente dedi.

Quare merito timentes, fugientes, caput velabant. Plautus in *Mostel.*

Cave, respexis; fuge, atque operi caput.

Idem alibi: *Facturum, ne ut etiam aspicere ædes audeat capite obvoluto, ut fugiat cum summo metu.* Livius de Appio: *Appius vitæ metuens in domum propinquam foro se insciis adversariis capite obvoluto recepit.* Capitolinus in *Pertinace*: *Tunc ille precatus Jovem ultorem toga caput operuit, atque a cæteris confossus est.* Horatius *lib.* II. *sat.* III.

Nam male re gesta, cum vellem mittere operto
Me capite in flumen.

Plutarchus in *Phocione*: *At Phocione illisque, qui circa eum erant, custodia septis, quotquot ejus amici non prope assistebant, ubi hoc viderunt, capite obvelato fuga salutem petiere.* De occursu quædam mihi occurrunt; claudi, spadonis & eunuchi occursus ominosus erat, ut statim pedem converterent. Lucianus in *Pseudologista*: *Nam nos* (ait) *claudos ad dexteram declinamus, ac maxime si mane videamus illos; & si quis spadonem aut eunuchum aspexerit, aut simiam quoque egressus domo, statim convertit pedem & regreditur, ominans sibi haudquaquam prosperas illius diei res atque actiones fore, præ malo hoc primo, & inauspicato omine.* Superstitiosi videntes mente captum, aut comitiali morbo laborantem, in sinum sibi despuebant, ut notat Theophr. in *Charact.* Superstitiose olim cavebatur, ne mulieres ambulantes fusos torquerent, noxium id esse frugibus existimantes, ut refert Plin. *lib.* XXVIII. *cap.* II. At boni ominis putabatur occursus formosi ex Rhod. *lib.* XXIV. *cap.* IX. Nov. *Sched.* lib. IX. cap. XIV. At cum hostibus obviam procederent, caput etiam operuisse lego in Plutarchi *Quæst.* X. his verbis: *Quemadmodum adversus hostem caput tegimus, ita amicis & præstantibus hominibus obviam dati, idem nudamus.* Olim velatos & in exilium missos noctu Procopius lib. IX. *Histor.* notat. Item alteram maxillam mulieres obnupsisse cum in viros occurrerent, idque præcipue si honores gererent, Plutar. refert in *Quæst.* dicens: *Quare Chalcedoniarum mos est, si quando inciderint in viros alienos, præsertim eos, qui honores gerunt, ut alteram maxillam obnubant.* Novar. *Sched.* IV. cap. IX. At nodos in sacris solvebant Veteres religionis causa; ita scribit Servius: *Ad Junonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis.* Iterum: *In sacris nihil solet esse præligatum, præcipue ejus, quæ amore vult solvi.* Idem *libr.* VII. *cap.* XXVIII. Hæc satis prolixe a me.

Cur vero nubentes caput obnuberent, unde nuptæ dictæ, idem Plutarchus & alii longiore subsellio explicant, quibus supersedeo.

CAP. V.

Clavarium quid apud Tacitum? Calcei quando depositi? Solea quid? Calcei viatorum: Lunati quinam? Luna in iis quid denotabat? Nudis pedibus Antiqui incedere soliti. Crepidæ etymon, & quorum illa? Crepidati male audiebant. Mullei qui, & quorum? Calcei matronarum & meretricum quomodo distinguebantur? Serviles erant gypsati. Clavi aurei in calceis. Clavarius Suetonii pater unde sic dictus? Tentipellium quale calceamentum. Milites calceati incedebant. Excalceatos eosdem incedere quis jussit?

NUPER quid apud Tacitum, *Clavarium* donativi genus, nodum solvendum proposuisti, & cuneum de tuo etiam addidisti. Locus Taciti III. *Hist. Clavarium, donativi nomen est, flagitantium seditiosæ militum voces terrebant.* Lipsius ad hæc, suo more, paucis, sed sacris: *Quod prætextum, & originem habuit, quasi ad militares claves, de quibus res jam nota.* Fas mihi (a tanto viro venia implorata) exclamare, *Non liquet.*

Etsi, quid ego formica camelo? Alciatus ad hunc locum pro Lipsio: *Clavarium donativi nomen esse Tacitus auctor est, ipse clavem in Constitutionibus Cæsarum legi, nomen cujusdam indictionis extraordinarii tributi esse*. Quapropter *lib.* XIII. C. Just. titulus est in hæc verba: *De prætoribus, & collatione, & gleba, & clavi, & phole. Et 7. solidorum*, &c. Alii ne mussitant quidem.

Verum de calceis pauca prælibabo in genere ex aliis deprompta, ut militares attingam. Romanos legimus consuevisse calceos sive soleas ponere antequam accumberent, ne videlicet lectos conspurcarent; soleas vero magis in usu quam calceos habuisse. Plautus, *Deme soleas, cedo vinum*. Solea (teste Gellio) plantas tantum pedis tegebat, teretibus juncta habenis, cætera prope nuda. Hoc genere calceamentorum utuntur hodie cucullati Patres, dicti *Capuccini*. Calceus proprie erat viatorum; unde calcei depositio pro quiete seu cessatione usurpatur. Et parasitus ille apud Plautum, se cum calceatis dentibus venturum ad cœnam, hoc est, bene paratis & instructis, gloriatur.

Calceis albis usos Romanos Martialis innuit:

Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive.

Calceus lunatus insigne nobilium Romanorum, ut voluit Plutarchus, addita lunula circa talum. Juvenalis de Quintiliano;

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Lege Plutarchum in *Quæst.* LXXIX. Erat ergo Senatoribus proprius. Cicero *Phil.* XIII. *Mutavit calceos, pater conscriptus factus est*, id est, *lunatos calceos* sumpsit. Budæus in *Pandectis*, ut Isidorus, calceos lunatos Senatorum vocat, additque Romulum calceos patricios reperisse assuta Luna. Luna vero non sideris in formam, sed notam centenarii numeri significabant, quod initio Patricii centum fuerint. Invenio in Tacito loquente de Scipione & Germanico, solitos nudis pedibus incedere, his verbis: *Sine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, Scipionis æmulatione*, &c. Hæc in II. *Annal.* Taciti; & in Plutarcho *de Phocione*: *Hic nudis pedibus ruri & in castris incedebat, nisi atrocior hyems fuisset, hinc jocantes milites nullum certius sævientis frigoris putabant argumentum, quam Phocionem calceatum videre*. In fœminis hoc idem. Terentius *Phormione*, *Capillus passus, nudus pes*, &c.

Crepida a crepando dicta, cujus solea astragalum habet. Thuscum erat calceamentum, vel potius Græcum, ut colligitur ex prima Persii *satyra*:

Non hic, qui in crepidis Græcorum ludere gestit.

Romanorum enim calcei erant, ut Græcorum crepidæ, illorum toga, horum pallium; ideo illi cum liberius & hilarius agere volebant, Neapolim aut Athenas se conferebant, ut palliati & crepidati incederent, quod objectum Scipioni, Sullæ & Antonio. Sero crepida Romam venit, & crepidati male audiebant, ut dictum alibi. Philosophi quoque crepidati. Harum usus (credo in tricliniis) a soleis dimissis.

Mullei calcei medio crure tenus, erant Senatorum. Mulleoli lunulati dicti, quod lunulam assutam haberent; aliorum vero erant puri perones dicti, Mendoza *Saturn.* lib. VIII. cap. VIII.

Mullei ex Festo calceorum genus, quibus Reges Albanorum primi, deinde Patricii, usi sunt. Nigros aliquando gestasse calceos Romanos Horatius *satyra* VI. adstruere videtur:

—— nigris medium impediit crus

A *Pellibus, & latum demisit pectore clavum.*

Quare conjectare licet, ad differentiam virorum, mulierum esse calceamentum album. Meretricum calcei erant rubri. Persius *satyra* V.

—— solea puer objurga bere rubra.

Serviles calcei si erant, erant gypsati. Ovidius:

Respice gypsati nomen inane pedis.

De gypsatis seu cretatis pedibus servorum a me alias. Erant præterea, calcei venatorii, calcei Comicorum socci, calcei Tragicorum cothurni. Calceorum materia varia, corium crudum buba-
B li, aliquando ferrum, aliquando lignum, de quibus Authores legendi.

Addo de calceis militaribus ad rem nostram, an milites, & quibus calceis usi? Clavarium igitur, ut prius locum Taciti enodem, puto esse idem quod Calcearium apud Suetonium in *Vespasiano* cap. VIII. quod erat quoddam donativum, quod dabatur in coemendis militum calceis. Festus in voce *Clavata* mihi facem præfert, dicens: *Clavata dicuntur, aut vestimenta clavis intexta, aut calceamenta clavis confixa*, quibus hodie & nostri montani rustici, & milites Hungari utuntur. Subscribit eruditissimus Turnebus meæ sen-
C tentiæ lib. III. cap. VII. *Adversariorum*. Hegesippus *de Bello Judaico* tradit, Julianum Hecatontarcham, hoc est, Centurionem, propter clavos, quibus creberrimis & acutis calceos (ut cæteri solent milites) fixos habebat, in lubrico solo lapsum fuisse, & ab hostibus Judæis interfectum. Plinius *lib.* XI. *cap.* XVIII. *Pisces*, ait, *squamis conspicui crebris atque præacutis clavorum caligarium effigie*. Hinc dicti clavi caligares, qui & aliquando aurei facti. Justinus *lib.* XXXIX. loquens de luxuria Regis Antiochi; *Argenti*, inquit, *aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro fi-*
D *gerent*. Valerius Maxim. *lib.* IX. Antiochum Syriæ Regem, & milites exercitus cujusdam magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuisse. Hinc fortasse derivatum nomen patris Suetonii, qui Clavarius fuit appellatus. Clavalaris cursus meminit Marcellinus lib. XX. dicens: *Cum familiis eos ad Orientem proficisci jubet, facultate permissa clavalaris cursus*, id est, cursu publico militibus *caligatis concesso*, caligæ enim eorum clavulis confixæ. Calices etiam dicti clavati, insertis dumtaxat clavorum capitibus ad ornatum, ut aliis emblematis. Clavatæ etiam vestes clavis latioribus senatorum, angustioribus equitum: hinc latus
E clavus senatorius, angustus clavus equestris dictus. *Clavator* vero dictus servus militaris, calo alio nomine seu claviger a clava, quam gestabat, & miles Clavator, qui clava lignea pergravi exercebatur ad palum, unde Palaria dicta.

Hoc genus calceamenti dictum credunt quidam *Tentipellium*, ut Festus habet, quod est genus calceamenti ferratum, quo pelles extenduntur. Illi clavi dicti epigri, qui proprie illi sunt clavi, quibus lignum ligno adhæret. In Augusto hæc habemus; *Lignum ligno per subscudes, epigros clavos, & gluten bituminis non potest adhærere*. Epi-
F gri igitur clavi, qui calceis suppacti, vel impacti. Clavis aureis suppactos habuisse calceos divites innuit Plautus *Bacch.* Act. II, Sc. III.

Sed divesne est illic Theotimus? CH. Etiam rogas?
Qui auro habeat soccis suppactum solum.

Corollarium addo eruditissimi Mendozæ VIII. *Saturn.* Clavi sunt quidam veluti flores panno intexti, a quibus clavata vestis illa dicitur, quæ hujusmodi clavis vel intextis vel assutis distinguitur. Eadem a palmarum similitudine palmata, a verru-

cis clavo similibus verrucata appellatur. Ceterum, A clavorum quidam lati erant, quidam angusti: unde angustus clavus Romanorum Equitum, latus vero clavus Senatorum duntaxat erat insigne.

Quod vero milites calceati incederent Hypsea cæcior videret, qui legeret Lampridium in *Alexandro*, ubi inter vestimenta militaria connumerat & calceamenta: & apud eundem milites calceati dicuntur. Et Flavius Vopiscus in *Epist. militari Aureliani* scribit: *Militis arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia*. Quinimo & Vespasianus non solum militibus calcearium petentibus non permisit; sed & in posterum in B ignominiam excalceatos incedere jussit.

Clavarium igitur poscebant hi milites seditiosi, nempe donativum, ab Imperatoribus dari solitum militibus, pro emendis calceis clavatis, quod & dictum Calcearium.

Donativa erant commoda militibus distributa præter stipendium mera liberalitate ob victorias, natalia, aut inaugurationes, quæ aliquando annua, convocatis in unum locum militibus dies statutus, erant Kal. Januariæ. Donativa erant numi, coronæ, torques, & hujusmodi, quæ apud signa deponebantur. Aliud insuper donativum erat, quod commodum erat emeritæ militiæ, & dari solitum ob justam missionem, ideo emeri- C tum erat in agris præmium & in pecunia; præter agros enim veterani pecunia donabantur. Sed vetus parœmia me monet, *Ne supra pedem calceus*. His supersedeo.

CAP. VI.

Color varius. Discolor & decolor qui discrepent? Colores incerti, suaves, tristes, primi quinam? Iidem a locis dicti, ut & a metallis, a plantis, ab animantibus, a rebus aliis diversis. Eorumdem varia genera enumerantur. Ater in quo differat a nigro? Ferrugineus color funestus. D *Factiones a coloribus denominatæ. Purpura quid, & quotuplex? Sarranæ vestes quæ?*

VESTIMENTORUM syntagma jure postulat colorum, quibus vestes inficiuntur: non ut philosophus, sed ut philologus paucis complectar ex Thylesio, Baysio; & primum in genere differo de illis; deinde singulos duntaxat delibo.

Color varius, sive vestis varia & discolor, diversis e coloribus distinguitur. Hinc equus varius, non totus candidus, vel niger; sed his, aliisve coloribus distinctus; sic cœlum varium, cujus E partes serenæ interlucent, partes nonnullæ tristantur. Sæpe etiam, quia inter colores affinitas est, alius pro alio sumitur; sic Minervæ oculi dicuntur a Virgilio flavi, pro glaucis; & album, pro pallido, cœruleum, pro subviridi poetice dicitur.

Discolor aliquando sumitur non tantum pro vario, sed pro radianti. Virgil.

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

At decolor is dicitur, ex cujus ore color defluxit, & exsanguis relictus est; idcirco sumitur pro de- F formi & nigro, ut, decolor Indus; at concolor ejusdem esse coloris fertur. Sunt etiam e coloribus aliqui incerti, qui intuentium oculos fallunt, ut est cæli nitor, illustrati radiis solaribus, cyaneum colorem, vel non illustrati, subobscurum referentis; ita & mare ipsum præter cœruleum, modo atrum horret, modo virescit, interdum etiam flavum ravumque se ostendit, aut specie quadam purpurascit violacea.

Colorum quidam suaves recensentur, ut flavus, purpureus, candidus, imprimis roseus. Quidam tristes & lugubres, ut ater, pullus, ferrugineus, impluviatus, quibus rei se deturpabant ad misericordiam captandam.

Colorum duo potissimum genera apud philosophos recensentur, albi, & nigri; cæteri vero ex horum commixtione nascuntur. Albus disgregat visum ex philosophis, niger vero congregat.

Colorum quidam nominati sunt a locis, ut *Puniceus*, *Tyrius*, idemque *Sarranus*. Purpurei sunt hi: *Indicus*, *Sinopis*, *Melinus*, *Hispanus*, *Bæticus*, *Mutinensis*, *Colossinus*. Alii dicti sunt a metallis, ut, *plumbeus*, *ferrugineus*, *argenteus*, *aureus*. Alii a plantis, ut *buxeus*, *roseus*, *hyacinthinus*, *hysginus*, *coccinus*, *sandycinus*, *violaceus*, qui & *hyanthinus*, ex quo, *Tyrianthinus*, e purpura factus & viola. *Croceus*, unde vestis crocota; a Calta, *Caltula*; a Bysso, *Byssina*; a Citro, *Citrosa*; a Papavere, *Papavera*; a Galbano, *Galbana*; a malvæ flosculo, *Molochina*: a Puniceo flore, *Balaustina*; a foliis porri virentis, *Prasina*.

Alii colores ab animalibus vocati, ut *Cervinus*, *Murinus*, *Mustellinus*, *Ictericus*, ab ave ictero, qui & dicitur color luteus. *Cycneus*, sive olorinus, candidus. *Coracinus*, a corvo niger. *Ostrinus*, *Conchyliatus*, *Muriceus*, purpureus. A rebus denique diversis alii colores, ut *igneus*, *flammeus*, ab igne, & flamma. A cælo, *cæruleus*. A mari, *marinus*, ac *thalassinus*. Ab unda, *Cymatilis*, seu *Cymatius*. Ab arcu pluvio, *Arquatus*. *Hyalinus*, qui & vitreus, coloris vitri; item, *niveus*, *marmoreus*, *lacteus*, *eburneus*, *amethystinus*, ex quo Tyriamethystinus, *sandarachinus*, *impluviatus*, *sanguineus*, *herbidus*, *cereus*, *piceus*, *cinereus*. A spumis quoque & maculis, color, *spumeus* & *maculosus*, ut equorum. A guttis, *guttatus*, ut canum. A muscarum similitudine, *muscatus*. A scutulis, *scutulatus*. Ab exiguorum pomulorum specie, *pomulatus*. Si orbes sunt latiusculi, dicitur *rotatus*. *Albus* color purissimus, qui & candidus dicitur, & olorinus, licet album sit natura, & candidum arte, sumitur pro sinceritatis argumento; unde animus candidus, id est, sincerus; & candidati dicebantur Romani, magistratum ambientes. Candens vero sumitur pro ignito, ejusdem generis est canus, qui refertur ad barbam & capillos senum. Sumitur aliquando albus pro pallido, unde timor albus, hinc Romanæ mulieres quondam funera sequebantur in veste alba. *Melinum*, est coloris candidi species. Hi colores albi & simplices.

Ex albo & fusco mistus color dicebatur *Leucophæus*, nam λευκὸν *album*, φαιὸν *fuscum*, id est, subnigrum, Græci dicunt. Bicolor dici potest cinericius, talis color est lanæ, quem nos dicimus *griso*, at *Leucoparyphus* dicitur candidis vestibus indutus, nulloque precioso succo inebriatis. *Ater* color, qui & dicitur *Anthracinus*, niger, a carbone dictus, quod carboni sit similis, sive quod ejusmodi color fiat ex tritis in mortario carbonibus. Hinc Terent. ait, *Tam atram reddam, quam est carbo*. Sanguis præterea effusus, ac frigefactus, amisso rubore, tanquam in carbonem mutatus, ater ab omnibus vocatur; dicti etiam atri dies, quod carbone notarentur, id est, infausti, unde atrati lugentes; at candidi creta notati, & fausti. Differt *ater* color a *nigro*, nam non omnis niger est ater, nec dici solet nigra vestis, sed atra & pulla potius, hinc atrati, pullati; & ater color est tristis, visu injucundus, lugentibus accommodatus; niger vero lepidus ac venustus; hinc nigri oculi, nigri capilli decori. *Ater* ergo

color ab Antiquis dicebatur, anthracinus, furvus, lividus a livore, fuscus; qui si modum excedit & nigrescit, *pressus* dicitur.

Aquilus etiam est color subniger, fuscus, a colore aquilæ vocatus, cujus incertus est color, albusne, an niger.

Coracinus est color etiam niger, qualis est corvorum.

Pullus, color est fuscus in nigrum vergens, cujusmodi est color terræ, qui & *Bæticus* dicitur, sive *Hispanus*; hinc pullati dicuntur lugentes, quod pullis vestibus terræ similibus essent amicti. Huic non absimilis color erat *impluviatus*, teste Nonio, quasi fumato stillicidio implutus. Item *Suasus*, *Insuasus*, teste Festo, color appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Quidam volunt pullum colorem dici a puro per diminutionem, ut lana pulla, quasi pura, nullo alio colore infecta.

Furvus, & fumeus, qui fumo assimilatur.

Fuscus nigro propinquior est. Ad colores medios progredior, nec multum recedo ab atro.

Ferrugineus color, qui colorem ferruginis refert, *Impluviatum* dixerunt Antiqui, hic dictus est etiam *Thalassicus*, non quod maris colorem referat, sed quod nautæ ejusmodi colore soleant uti in mari; iste color a Veteribus dictus *Bæticus*, sive *Hispanus*, & vilissimus habitus, unde ferrugineæ vestes piscatoribus & nautis tribuuntur; imitatur color ferrugineus rubiginem ferri. Tunica etiam nuclei pinei *ferruginea* est. Color iste erat quoque lugentium, quare erat color funestus, unde hyacinthi a Virgilio dicuntur ferruginei, quasi lugubres, & cœlum ferrugineum, id est, nubilum, tristeque: & ferruginea cymba Charontis, quod ea, veluti sandapila, vespillo Charon mortuos transvectet.

Castaneus, id est, ad similitudinem coloris castaneæ corticis exertæ, & paulùlum asservatæ, vulgo dicitur *taneo*, sive cinereus, ex Rhodigino.

Cinericius, sive *cineraceus*, sive *cinereus*, qui colorem cineris refert, qui vulgo dicitur *berettino*.

Thapsinus color lugubris, funereus: alii putant *flavum*, a Thapso, unde inficiuntur lanæ.

Corneus color, qui similitudinem coloris corni refert, æquiparatur coracino & nigro.

Cærulæus, quasi cœluleus, refert cœli colorem puri, sereni, Græce dicitur κύανος, *Cyaneus*, color, unde mare, cœli colorem referens, dicitur cœruleum, nos dicimus *verde mare*, *verdone*.

Cymatilis, hic etiam dicitur, eo quod κύματα Græce *undæ* dicuntur. Alii volunt, cymatilem esse undulatum, quod undis quibusdam sit variegatus, crediderim esse *ciambellotto verde a onde*.

Ravus, medius inter flavum & cæsium.

Cæsius color oculorum est proprius, quem & felinum a felium oculis nonnulli appellaverunt, qui color est subviridis, igneo quodam splendore intermicans; qualem in leonis oculis conspicimus, & Minervæ; Neptuni vero cœruleum; unde dictus color *Cæsius* a cæde, quam hujusmodi oculi minari videntur: color hic a Græcis dicitur *Glaucus*, & Latine etiam glauca dicitur, ulva palustris, & salix, vocatur etiam *Charopus* color, sive *ravus*, medius inter flavum & cæsium: unde Hercules cognomento dictus fuit Charops, quasi iracunde intuens, χαρὰ enim *iram* significat, hinc dicta Charybdis, & Charon.

Amethystinus color, similis gemmæ amethysti, quæ habet colorem violæ, dilutum fulgore purpuræ, non prorsus igneo, sed in vini colorem desinente, vulgo dicitur *avineto*, a Græco μεθύσκω, *inebrior*, & particula privativa α, quod ebrietati lapis hic resistat; sin vero colori amethystino addatur Tyrius, fiet color mistus, qui dicitur *Tyriamethystinus*.

Janthinus, vulgo dictus *violaceus*, a Græco ἴον, id est, *viola*, & ἄνθος, id est, *flos*, unde vestis Janthina, a colore illius violæ, quæ sponte nascitur in collibus, mense Martio, quem colorem dicimus *paonazzo*.

Molochinus, dictus a Græco μαλαχὴ, id est, *malva*, qui in purpureum inclinat, & florem malvæ refert.

Viridis, color est proprie herbarum & smaragdi.

Appianum, viridis coloris genus.

Prasinus color est viridis, ad similitudinem porri, nam πράσος Latine *porrum* dicitur; hinc vestes a viridi lana Prasinæ dicuntur. Et Prasina erat factio contraria Venetæ, in ludis Circensibus, a coloribus ita dictæ; *Venetus* enim color est cœruleus, marinis fluctibus similis; dictus etiam *Thalassinus*, *verde mare*.

Hyalinus, color vitreus, subviridis; hinc *hyalinus*.

Factiones aurigantium, qui ludis Circensibus palmam quærebant, fuerunt quatuor, quæ a coloribus, *viridis*, *cœrulei*, *coccini*, *albique* panni, quo donabantur aut vestiebantur, nomina acceperunt, *Prasinæ*, *Venetæ*, *Russatæ*, *Albatæ*, de quibus ita Tertullianus: *Ab initio duo soli fuerunt colores, albus & rufeus; albus hyemi, ob nives candidas, rufeus æstati, ob solis ruborem noti erant. Sed postea tam voluptate quam superstitione provecta, rufeum alii Marti, alii album Zephyris consecraverunt; Prasinum vero Terræ, Marti, vel Veri: Venetum Cœlo, & Mari, vel Autumno.*

Croceus color, *ranciato*; sive luteus, *giallo di zafrano*; hinc *Crocata* vestis, mulieribus dicta *Crocota*, crocei coloris.

Luteus, color rufus, sed dilutior, a lutea herba dictus, tingendo maxime idonea, quo colore nuptialia vela, quæ *flammea* vocabant, olim tingebantur, hinc luteolus: & ovi vitellus dicitur luteus, lutea viola, genista lutea, quæ croceo lucidior, *giallo alla paglia*.

Ochra, ὠχρὸς Græce *pallidus*, color luteus, qui fit ex usta rubrica in ollis novis luto circumlitis.

Flavus color ex viridi rufo & albo concretus: hic est fulvo clarior, qualis est color auri, mellis, & aristarum, cum jam maturæ sunt; crines dicuntur etiam flavi, id est, *biondi*, *giallo dorato*.

Fulvus ex rufo & viridi mixtus, qui color dicitur *leonato*, unde fulvus leo, fulvus galerus.

Gilvus color, sive *Melinus*, inter album & fuscum, qualis est mellis.

Rufus, sive rutilus color differt a rubro, quia sanguis dicitur ruber, non rufus: at barba, & capillus rufus, non ruber; unde vini quoddam genus est inter rubrum & album, qui color dicitur *Rubellus*, quod quia cerasi duracini colorem refert, *cerasolum* vocant Itali.

Helvus inter rufum & album.

Cirrbus, color rufus, *Hypocirrbus* subrufus.

Ruber, color est sanguinis animantium, dictus *roso* vulgo. Gellius *lib.* II. *cap.* XXVI. hæc habet: *Non enim hæc sunt sola vocabula rufum colorem demonstrantia, quæ tu modo dixisti, rufus & ruber: sed alia quoque hactenus plura, quam quæ dicta abs te Græca sunt. Fulvus enim, & flavus, & rubidus, & Phœniceus, & rutilus, & luteus, & spadix, appellationes sunt rufi coloris.* Hactenus Gellius. Advertendum tamen ex eodem, quod *Phœniceus*, *rutilus*, & *spadix*, sunt συνώνυμα, & significant exuberantiam splendo-

remque ruboris, qualem referunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti; unde *Spadicis* & *Phœnicei* nomen. *Rubidus* autem & *Rufus* atrore & nigrore multo mixtus. Luteus quoque rufus est, sed dilucidior.

Balaustinus, color floris mali Punici: Balaustium enim hunc florem significat, sed sylvestrem; subtilius enim flos dicitur *Cytinus*.

Roseus, a rosa dictus color, corpori humano quam simillimus: nos dicimus *incarnatino*, mixtus enim est candore & rubore. Intelligo hic rosam, non Milesiam, quæ nimis purpurea ardere quodammodo videtur, nec albam, sed quæ utrumque colorem participat.

Purpura, etsi conchæ sit genus, & color, sive succus, unde color conficitur, usurpatur tamen pro Magistratu, vel vestimento purpureo, hinc prætexta purpurea, purpurati Magistratus. Hæc distinguitur colore, ex provinciis unde desumitur, & ex munere Magistratuum.

Purpureus color, qui & *Blatteus* dicitur, & *Porphyriacus*, in vestimentis laudatissimus antiquis fuit, & ideo color purpureus sæpe usurpatur pro jucundissimo, unde flores dicuntur purpurei, & colores purpurei; at proprie *Purpureus* est color, qui purpuræ fucco exprimitur, vulgo dicimus *porpora, o cremesino*. De purpura videndus Plinius *lib.* IX. *cap.* XXVI. XXVII. XXXVI. & *lib.* II. XXXIX. Sub hoc nomine Purpuræ, ex Plinio constat *Buccinum*, (quæ est minor concha) & Conchylium, & Muricem inter purpuræ genera numerari. Quin etiam fuit Romæ purpura violacea, cujus libram denariis centum vænisse, Cornelius Nepos affirmat. Fuit & alia insignis purpura, quæ a Tyro insula, *Tyria* appellata, & est omnium longe præstantissima; unde *Tyriæ vestes* ab Ovidio dictæ, quæ eædem a Juvenale *Sarranæ* appellatæ sunt. Tyrus enim prius Sarra appellata. Tyriam autem vestem, vel purpuream, vel etiam Megalensem purpuram, intelligo, trabeam fuisse, vel togam pictam.

Amethystinus est purpureus, referens amethystum lapillum preciosum; hinc mulier amethystinata.

Amethystina purpura a colore amethysti lapidis, qui violaceus splendens est. Causam nominis affert Plin. *loco citato*, quod vini ad usque colorem, accedens, priusquam eum degustet, in violam desinit; fulgor quidam in illa purpura, non ex toto igneus, sed in colorem vini deficiens: est enim, a particula privativa α, & μέθη, id est, *sine ebrietate*, nominata, tanquam amethystinus colore vini minime inebriatus: quo si inebriatur, dicitur *Tyriamethystina*, ut dictum.

Cærulea purpura ex levissima & Africana fiebat, violacea, quæ ad cæruleum colorem accedit: dat hæc etiam nomen mari, quod a Virg. vocatur purpureum.

Clarissima, electior, ac splendidior erat in coccineo, aut amethystino genere, quæ ad solis radios ignem repræsentabat.

Obscura, ex violaceo fusci coloris, vilissima censetur, dicta etiam vulgaris.

Picta, quæ & regia, aureis flosculis exornata.

Præsidialis, erat Magistratuum & Provinciæ Præfectorum.

Patricia, Patriciorum: *Militaris*, qua milites donati ob virtutem.

Horum generum meminerunt passim auctores.

Quod si lana bis purpura Tyria inficiatur, dicitur *Dibapha*, id est, bis tincta.

Coccineus color a cocco dictus, grano scilicet ex arbuscula rubenti, *Chermes* nuncupata, nascenti, Græce hoc dicitur κόκκος βαφικὴ, hoc est, *granum tinctorium*; hinc Coccina, sive Coccinea vestis, vulgo dicitur *grana*, sive *cremesino in grana*, *scarlatto*.

Ostrinus color, qui ex ostro factus; ostrum enim proprie est sanies illa, & liquor, qui ex murice seu conchylio eximitur, ad preciosarum lanarum infecturam, unde pro ipso colore muriceo ponitur: *Conchylium* enim, *murex*, & *ostrum*, in eadem significatione sumuntur. Ostri color varius pro loci varietate, unde legitur; Ostri appellationem accepit (unde *Ostrinus* color) a Græcis, qui τῶν ὀστρέων nomine etiam murices seu conchylia comprehenduntur. Plinius tamen supra *citato loco* videtur distinguere muricem a purpura & conchylio. At Nonius distinguit, & *ostrinum* colorem facit subrubeum, sive subminium, *vermiglio*; *muriceum* vero, purpureum.

Xerampelinus, color medius est (ex Probo) inter coccinum & muriceum, a nomine Græco ξηρὸν, id est, *aridum*, & ἄμπελος, id est, *vitis*, a siccis vitium foliis, quæ ejus fere sunt coloris, Color hic dicitur, *Color di rose secche*, ut quidam volunt: sed ego crediderim, *Folia marcia*.

Spadiceus, *Badiusve*, demum est color Puniceus, a colore dactylorum, quos φοίνικας vocant, *Bajo*, qui proprius est equorum, & color est ruber cum exuberantia quadam splendoris. Pollux ait, vestis purpurea dicitur, ἁλουργὶς, πορφυρὶς, φοινικὶς, ut conveniant hi colores, *Alurgus*, *Purpureus*, *Phœnicius*. Tu cense.

Sandarachinus, qui colorem sandarachæ refert, id est, flammæ: hic potest dici color flammeus a flamma, quam refert.

Equorum colores, ex Rhodigino *lib.* XXI. *cap.* XXXI. hi recensentur, badius, aureus, albineus, russeus, mureus, cervinus, gilvus, scutulatus, albus, guttatus, candidus, presse niger.

Hi colores maxime apud scriptores nominati. Nostra vero tempestate, luxu crescente, industria suffragante, quamplurimi reperiuntur colores Priscis ignoti, e lapidibus, ex herbis, e metallis, vi ignis & artis educti, & in usum asportati e longinquis usque regionibus, nomina diversa sortiti, pro materia, loco diverso. Videndus Thylesius, & Bayfius *de Re Vestiaria*, cap. XI. Plinius, & alii.

FINIS.

OTTHONIS SPERLINGII,

CONSILIAR. REGII ET U. J. D.

D E

C R E P I D I S V E T E R U M

D I A T R I B E.

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VIRO,

D. JOHANNI LAURENTII,

ASSESSORI IN CONSISTORIO UNIVERSITATIS HAUNIENSIS DIGNISSIMO, ET REGIÆ TYPOGRAPHIÆ DIRECTORI SOLERTISSIMO,

PAGELLAS HAS D. D. Q.

OTTHO SPERLINGIUS.

PRIMAM ex Typographia Regia nova, Tuo ductu nunc cœpta, lauream referre semper studui, ideoque commentatiunculam hanc deproperavi, quam TIBI quoque inscribere debui, quod sic mereri videretur cura literarum, quam impendis, indefessa. Est crepida diligentis calami, & manus comes assidua, & hoc ideo argumentum TIBI congruit, cui crepidæ non desunt, cum semper habeas quod agas, tum vero etiam hoc primum occurrebat, in quo Typographos Tuos exercere possem. Si posthac Stephanos, & Frobenios, & Elzevirios habebit Dania, Typis ac eruditioni Tuæ hoc debebimus. Et cœptis meis quoniam semper favere visus es, nunc quoque fave, qui non semel Tuis indigere potero Typis, eroque ex animo Tuus vicissim. Valeas & vivas feliciter. Dabam Hauniæ a. d. XIV. Nov. Anni CIↃ IↃCXCVIII.

C E N S U R A.

MINIMA hæc lucubrationum SPERLINGIANARUM particula fidem publico facit, quam plena Antiquitatum scrinia possideat, luce & laude digna.

Haf. d. XVII. *Nov. MDCXCVIII.*

P. VINDINGIUS.

OTTHONIS SPERLINGII,

CONSILIAR. REGII ET U. J. D.

DE

CREPIDIS VETERUM

DIATRIBE.



QUOD de rebus etiam minimis inquirant docti, optime se habet, postquam anus sapientissimum Thaletem derisit, quasi nesciret, quæ ante pedes erant, ideoque in foveam delapsum, aut cespitantem procidisse, dum astra sublimia contemplatur.

Res sunt vulgares crepidæ, aniculis etiam notæ, quæ melius forte partes earum omnes, naturam, & usum excutere norunt, quam quotquot sunt docti; aliter tamen docti de rebus disserunt, F aliter anus. Quam ob causam mihi quoque de Crepidis & nomine *Pantoffelen* brevibus quædam proponere licebit, quæ graves etiam Viri legere forte non aspernabuntur: est enim in vilibus quandoque non vilis exercitatio.

Jam vero Italis, Francicis, Germanis, Danis, reliquisque Septentrionalibus illa vox *Pantoufles* frequentatur; solis Belgis displicere cœpit, illi enim crepidas raro *Pantofflen*, sed *Muylen* vocare malunt. A mulleis Romanorum calceis illa vox superest, & quod oscitent ac hient mullei, non male videtur conjicere Tassoni in sui *Pensieri* lib. X. cap. XX. p. m. 428. quod similes fuerint crepidis ac soccis, quos Itali vocant *pianelle*, sine ta-

lis, nec clauduntur ut calcei, aut adstringuntur, sed manent aperti & oscitantes, quando pedibus non induuntur. *Io credo*, dicit, *que le pianelle come le nostre fossero chiamate calcei mullei, oggi di ancora in alcune città d' Italia sono chiamate mullo*. Certum est quoad nomen, illud a calceis ad crepidas venisse, nam mullei quondam crepidæ non erant, sed calcei. Mutarunt vero nomen Gothi in Italia, qui crepidis magis delectabantur, unde calceorum præcipuum nomen, *mullei*, coactum est novis colonis obedire, & inter crepidas senescere.

Verum hoc esse ostendit Belgica lingua, quæ crepidas *muylen* vocare didicit, ut paulo ante monui, & ab Italis ac Romanis aut Francicis edocta fuit hoc calceamenti genere pedes vestire. Nam ab Italis ad Francicos transiit, qui *mules* quoque vocant crepidas, & a Græco μύλλειν deducunt, quod volunt esse *suere*. Ego vero hac significatione μύλλειν apud Græcos non reperio: hac igitur in re falluntur Francici Interpretes, decepti a Festo Pompejo, qui falso quoque ἐτυμολογίζει, *Mullei*, inquit, *calcei purpurei coloris dicti sunt à mullando*, hoc est, *suendo*. A μύλλη potius, quod idem est ac λεῖα, apud Hesychium, mulléus Romanis vocari cœpit, quod mullei molles essent & læves ac politi calcei, Senatoribus ac Patriciis convenientes.

Nec mirum, quod a calceis ad crepidas nomen descenderit, solent enim progressu temporis linguæ earumque dictiones nunc extendi, nunc contrahi, & in alias significationes erumpere, inprimis si peregrini in linguam succedunt, illamque suo more mutant.

Hispani quoque *mulas* retinuerunt de crepidis, noluntque illorum Lexicographi aliis convenire quam mulieribus, quod hodie non procedit, nam & viri intra domos iis utuntur, haud vero tam familiariter quam mulieres; viri nunquam in publico hodie cum crepidis apparent, fœminæ sæpius: adeo ut illarum proprie dici potuerint. Habent Hispani quoque & retinent ex mulleis *las mulillas de color*, crepidas mulierum politas, egregias, & insignis coloris.

Ita quoque Græco-Barbari hodierni crepidam ab Italis μȣλλω vocare didicerunt: nam τῶν κρηπίδων nunc plane sunt obliti, γόβα, φελλὸς, μȣ̃λα & κȣντȣ̃ρα crepida, ac κηντȣράκι crepidula ipsis est: ut ex *Lexico Græco-Barbaro* Simonis Portii discimus. φελλὸς vero, crepidam quando significat, truncatum est ex *pantoffella*, ut etiam *Toffel* Danorum, respicientes quoque ad suber quod crepidis subdebatur. Γόβα, unde habuerint, nescio.

Κȣντȣ̃ρα videtur ex Francica lingua ipsis accessisse a voce *Comptoir*, quæ locum significat, ubi mercatores suas rationes supputant, literasque expediunt, discincti plerumque sedentes & crepidis induti, ut liberiores sint, & ut commodius incumbere possint libris mercatoriis. Ita cum hyeme ocreis pedes muniunt contra frigus, illæ Germanis *Contoor-Stieffelen* vocantur, sic quoque Græcis crepidæ, κȣντȣ̃ρα, quod in illis locis viri maxime illis utuntur.

Significat alias κȣντȣ̃ρα hodiernis Græcis *lolium* & ἀγριοχόρτον, sed κȣ́ντȣρος & κόντȣρος de equis dicitur, quibus cauda est decurtata, *StumpffschWantz*; quod hactenus Anglorum inventum esse crediderunt, quoniam ab Anglis ad nos hæc cura equorum transiit. At jam dudum Constantinopolitanos Græcos illam adhibuisse, ut natibus obesioribus equi compensarent hunc defectum legimus. Achmes in *Oneirocrit.* & Nicetas lib. II. *de Manuele Comneno*, & Suidas illa voce usi sunt. Videntur ergo Angli ex aula Constantinopolitana, ubi sæpius versabantur, & corporis Cæsarei custodiam agebant, hanc artem secum in patriam intulisse, & sic ad alios derivasse. Sed obiter; neque enim hæc κȣντȣ̃ρα aut hic κȣ́ντȣρος quidquam ad nostrum argumentum faciunt, sed ultra crepidam sunt.

At sicut a libris rationum *les livres de comptes* Francicis dici cœperunt, & ædicula ubi hi libri tractabantur & servabantur, *Comptoir*, Germanis *Contoor*, sic omnes libri Græcis illis κοντάκια vocari cœperunt, ut in Ecclesia ὁ Ἄρχων τῶν κοντακίων, qui princeps erat Lectorum, & librorum Ecclesiasticorum primicerius, unde ad crepidas quoque κȣντȣ̃ρα spectare cœperit, ut dixi, mea quidem sententia.

Ex subere ejusque cortice *pianelle* solebant Italis confici, tuncque vocabantur *Pantoffelle*, & Germanis suber adhuc effertur *Pantoffel-holtz*, dicitur alias cortex suberis *Korck*: sed & illud nomen aliunde ad Germanos venit, ex Arabia nimirum ad Hispanos, ab Hispanis ad alias nationes: unde etiam Hispani crepidas *Alcorcho* vocarunt, & lignum suberis *Alcornoque*. Hæc arbor & hoc lignum cortice valet denso & spisso, eamque sæpius rejicit, seque denudat, ita ut natura arborem alio cortice rursus reficiat. Hæc denudatio Arabibus *Aldorque* & *Alcorque* solebat dici, & quia soleas illis corticibus quoque subjectis parabant; Hispanis crepidæ sunt *Alcorque*.

Græcis est φελλὸς *suber*, atque ex illa voce *Toffler*, *Pantoufles* derivat Casaubonus *ad Athenæum lib.* IV. *cap.* IV. amatque scribere & vocare *Pantoffellas*, illas, *quæ hodie nobis a subere*, id est, ἀπὸ τȣ̃ φελλȣ̃, *appellantur pantofellæ*. Hodie sane non ex subere fiunt ejus generis crepidæ, sed prout alii calcei, e corio: nisi quod κάττυμα sit ex suberis ligno quandoque, quod etiam a crepidis ad calceos est transmissum, ut commune sit hodie hoc lignum tam calceis quam crepidis, in ea parte calcei, quæ *Hacken* Germanis dicuntur. Veteres enim & primi calcei sive his suppegmentis calcium erant, sed vel commodior incessus, vel ut staturam majorem mentirentur, hoc inventum produxit.

Apud Alexin Comicum ex Athenæi *lib.* XIII. *cap.* III. p. m. 568. observabis, quod parva statura scortilla subere in talis & calceis usa sint, ut majores viderentur & efficerentur:

Τυγχάνει μικρά τις ȣ̃σα; φελλὸς ἐν τοῖς καυκίσιν
Ἐγκεκάττυται, μακρά τις; διάβαθρον λεπτὸν φορεῖ,

Caucides ergo & diabathra in calceis sic differunt, ut humilia & alta, adeo ut suber tunc calceis altioribus servierit, non tamen ut hodie. Apud Clementem Alexandrinum, qui eundem locum affert lib. III. *Pædag.* p.m. 218. legitur βαυκίσιν vel βλαυτίσιν pro καυκίσιν, forte rectius.

Desiit jamdudum, ex corticibus suberis soleas crepidis subdere, prout etiam ligna non amplius suppingunt, cum tamen sine istis olim calcei aut crepidæ non fierent: adeo ut Isidori origines calceos propterea ἀπὸ τȣ̃ κάλȣ Græcorum, quod lignum est, derivent, quoniam sine ligneis soleis calceus nullus erat. At postquam coria subigere didicerunt, & in crassitudinem ac firmitatem illam redigere ac præparare, quam hodie videmus, ut soleis loco lignorum & corticum servire possent, vetera ista omiserunt plane ut inutilia, nam & lignum in soleis erat pondere suo incommodum & durum nimis: cortices vero suberis cito diffluebant, nec satis resistere poterant humidis aliisque injuriis, quamvis leves essent & ligneis commodiores. Unde talibus crepidis vix nisi fœminæ utebantur in publico, viri vero domi cum otiari vellent.

Quod vero dicit illos suberis cortices in pusillis staturam adjuvasse, ut majores viderentur, hoc

ita intelligendum, eas, pro statura augenda cortices ternos, aut quaternos, aut plures crepidis subdidisse: nam quoniam leves erant hi cortices, impedimentum nullum ex pondere sentiebant. Est penes me par calceorum vel crepidarum ex Sinicis Regionibus allatarum, quæ Antiquorum descriptionibus valde respondent. Lignum enim pro solea habent palmi altitudine, quod corio totum obductum est, non æquat longitudine pedem, sed ita definit, ut pes insertus digitos sine solea relinquat: ex medio soleæ aures tres digitos latæ exeunt, coriaceæ, quæ ligulas recipiunt, quibus supra pedem colligantur, solea anterius humilior paulo quam posterius apparet, quo fit, quod pes anterius vergat, seque firmius induat: carent calce, corioque calcis, ita ut crepidis Veterum sua structura similiores sint quam calceis.

Fabulam quandam aut historialem de his crepidis cum corticibus suberis Sebast. Covarruvias in suo *Lexico Hispanico* tradit, ut doceat, quomodo mulieribus factæ sint hæc crepidæ: ait enim, *Viros aliquando deliberasse, qua ratione uxores suas οἰκουρικὰς redderent, ut eas domi continere possent, quam fere nunquam servabant, semper alibi occupatæ. Prudentiorum aliquis suadendum ait, ut crepidis fœminæ uterentur, cum lignis suppactis, tam alte, ut viros statura æquarent, sic enim fore, ut nimio calceorum pondere impeditæ domi potius manerent, quam ad exspatiandum exirent. Placuit consilium, mittiturque qui suggereret fœminis, facere hoc ad majestatem talibus crepidis uti, majoremque reverentiam viros exhibituros tam augusta forma comparentibus uxoribus. Accipiunt etiam consilium mulieres, & dum sylvas intrant, ut de levissimis lignis dispiciant, inciderunt in suberis corticem, quem cæteris omnibus leviorem animadvertentes, illum soccis applicant, & tum augustiorem staturam his sibi conciliant, tum vero etiam multo quam prius evagabantur libentius, crepidis valde commodis eas prolicientibus, & in plateas invitantibus.*

Hæc ita ille, quæ in medio relinquimus, sufficit vetus hoc esse, & Poetam Alexin jam suo tempore non ignorasse soleas illas cum cortice suberis, inter fœminas frequentatas, & soccis subditas cum lubuit. Hodie, ut dixi, & ligneæ soleæ & ex corticibus desierunt, olim nulla sine his calceamenta.

Hæc vero ligna & cortices ut firmius cohærerent suppacti, clavis affigebantur, quod & in militibus, & in Philosophis, aliisque observamus, unde Athenæus habitum Philosophorum describens ait: Τὴν εὐτέλειαν εὑρίσκεσθαι ἐπὶ τῆς φιλαργυρίας θύραις ῥυπαρῶς ζῶντες καὶ τῶν ἥλων ἐμπλήσασθαι τὰ καττύματα: ut adhuc rustici solent, qui soleas suas diurnas esse cupiunt, nec cito deteri ferro obstante. Calcei quoque Romanorum militum ejusmodi clavis & multis & acutis erant suffixi, qui in lubricis ac lævigatis saxis optimum ac fortissimum Centurionem Julianum, hostes Judæos dum persequitur in obsidione Hierosolymitana T. Vespasiani, in lapsum proturbarunt, & mortem accelerarunt jacenti: de qua re Josephus lib. VII. *Bel. Jud.* p. m. 947. Τὰ ὑποδήματα πεπαρμένα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις ἔχων, ὥσπερ ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος, κατὰ λιθοστρώτου τρέχων ἐπολισθαίνει. Hoc est, *Calceos crebris ac acutis clavis transfixos habens, ut aliorum militum quilibet, dum in via lapidibus strata currit, cum pedes gliscerent, prolabitur.*

At Casauboni etymologia in *Pantoffelen*, mihi longe petita videtur, quamvis etiam Budæum his assentiri videam, qui *Pantofflen* quasi παντοφελλοὺς, *totos ex subere*, factos dixit, vel ἀπὸ τοῦ πατεῖν φελλὸν, quod suber subtus conculcetur. Ad Budæum vero transiit hæc etymologia a Jano Lascari, Græcæ nationis homine, quem mirum non fuit ad illam linguam omnia trahere, ut patriam & alias inter matrices linguas positam cum Hebræa & Latina. Sed, quod pejus est, nullas etymologias doctissimi homines admittunt, nisi ex illis linguis petitæ sint, a quibus voces tamen sunt remotissimæ.

Hoc etiam accidit in hac voce *Pantouffles* & pluribus aliis, qui originem suam debet aliquam Latinæ linguæ, nullam Græcæ. Sed quia Græcus homo primus autor fuit, doctique homines mire sibi placent in lusu & allusionibus vocabulorum, ex quibus etymologias farciunt, jam Budæus, Rablesius, Perionius, Trippaldus, Covarruvias, alii, hanc etymologiam cupidissime arripuerunt, nescientes meliorem. Optimam ἐπίκρισιν addidit Menagius in *Lexico* suo, sub voce *Pantouffles*, de hac etymologia dices: *Il n'est point vray, que les pantouffles soient toutes de liege: & il ne s'en faut gueres, que cette étymologie ne soit ridicule.*

Verum quidem est crepidas nunquam totas de suberis ligno confectas exstitisse, concurrebant enim & alia præter suber ad structuram earum, illud tamen diffiteri non licet, maximam partem crepidæ suber effecisse Veteribus, aut suberis cortices, inprimis cum soleæ duæ, tres, pluresve istas exaltarent, ut præterquam suber nihil esse viderentur. Et quod hodie crepidas ea ratione confici non videmus, jam male nobis persuaderi sinimus, veteres alia ratione crepidas concinnasse quam hodiernos sutores, cum tamen longe differant & in materia & in forma. Errat autem in eo Menagius, dum ita pergit: *Pantouffle a esté fait de l'Allemand Pantoffel*,

Pantoffel non est origine sua vox Germanica, descendit omnino ex Italorum, & Franciorum *Pantoufelas* & *Pantouffle*: hinc Germanis *Pantoffel* & *Pantoffel-holtz suber*, ex cujus tam ligno quam cortice soleæ crepidis quondam addebantur, Saxones inferiores Danique vocem truncarunt *Toffelen* & *Toffler* eas crepidas vocantes.

Omnium lepidissima est Schilteri Advocati Generalis Argentoratensis etymologia, quam in suo *Glossario Germanico* adduxit: quasi *Pantoffel* crepida dicta sit pro *Bantoffel*: & *Bantoffel* esse compositum ex *ban* & *bain*, quod pedem voluit significare, & de *Toffel* seu *Tobele*, quod significat tabulam seu laminam. Nihil potuit scribi magis alienum a Germanica lingua, & tamen merita ac fama istius viri doctissimi Menagium seduxerunt. Nihil profecto sani habent illa Germanica magis quam Græca pro *Pantoufelæ* origine enodanda.

Ego vero crepidas istas ex subere vix ex suberis ligno fœminis factas, sed ex ejus corticibus animadverto: est enim suberi cortex spissus & tenax, inprimis si coquatur & præparetur, leviorque est cortex ipso ligno: nam propter levitatem tam cortex quam ligna adhibita sunt, ligna in calceis, utpote firmiorem structuram requirentibus, cortex vero in crepidis, quod domi solum earum usus esset, aut ad placidas ac deliciosas deambulationes. Nam propter levitatem tam cortex quam ligna adhibita sunt in calceis & crepidis: hinc de suis *Pianelle* Itali: quod solea ipsis ex cortice suberis, sine calcaneo alio, & suber describunt, quod sit arbor, *la cui correccia è grossa, leggiera, e ottima per pianelle*: hoc est, *cui cortex est spissus, levis, & optimus pro soleis*: alias describitur *pianella, calzamento di cuojo: non ha calcagno, & portasi communemente sopra le scarpe*; hoc est, *est calceamentum coriaceum: non habet calcaneum, & communi more super calceos gestari solent*: loquuntur de hodiernis moribus, quibus excogitatum fuit hoc calceamenti genus, quo calceos mundos a lu-

to servare possint, illos in foribus aut ante fores relinquentes, ubi illos excutiunt aut detrahunt. Non rectius memini quam hac significatione illas peculiares crepidas etiam *Calotzken* appellari. Vidi illos puer Hafniæ, vidi illos in Anglia, ubi lutosæ admodum plateæ talia tegmenta exposcunt.

Hodie in aliquibus locis vix sine suberis cortice calcei fiunt ulli, sed alia ratione quam Antiquis, atque ut Itali dicunt, *che habbiamo corteccia di suovero trà suolo e suolo*, hoc est, *qui habent corticem suberis intra soleam & soleam*: nam alias soleæ tam ex cortice suberis quam ex ligno totæ fiebant Antiquis, quod hodie desiit. Quoad formam optime *les pantouffles* describunt Francici, *des souliers en pantouffles, des souliers esculez, ou acculez, avec les talons abbattus*. Nullum enim fere discrimen aliud inter calceos & crepidas *pantouffles*.

Deinde Græcam etymologiam plane rejicio, quod *pantouffles* longe remotæ sint a Græcia illorumque temporibus, & quando Græca lingua valuit ac viguit. Nam si ex corrupta illa, qua nunc loquuntur, Græca ultimis his sæculis ortam vocem intelligere forte velint, facile illos arguet hoc falsum esse, quoniam Græci istam vocem plane nesciunt, nec in illorum lingua superest: neque tunc, cum pura fuit, neque postea cum corrupta pergit esse. In Italia ergo vocem istam natam esse, postquam Gothi linguam illic miscuerunt, genius ipsius vocis loquitur. *Pan* enim ex pannis desumptum est, ut ex retibus & aulæis istis, quibus cingunt sylvas in venationibus, Francici *Paneaux*, Germani *Pander* retinuerunt: & in braccis *Pantalonis* etiam observare licet: dicuntur enim *pantaloni*, quod panni istarum braccarum usque ad talos descendant. Hoc igitur *pan* in ista voce significat, ut ex multis aliis vocibus cum *pan* compositis idem apparet: *Tufola* vero ultima pars vocabuli etiam se satis ex illa lingua explicat. *Tufo* Italis dicuntur omnia ista quæ levia sunt, instar tophi: hinc diminutivum *tufola*, res levicula, ut crepidæ & crepidulæ. Jam quia pannis sæpe pro corio hoc genus crepidarum superius vestiebatur, quod etiam ad levitatem faciebat, jam totam *pantufolam* Italo-Gothicæ originis videmus in medium prodire; neque enim docebit ullus hominum, ante Gothorum sedes in Italia de *Panrufolis* ullibi quidquam dictum, aut nomen illud exstitisse, quod tamen necesse fuerit, si a Græcis hæc vox accersenda.

Hispanis quoque innotuit illa vox *Pantoflo*, sed ita, ut Francicum esse fateantur, & a Francicis ad se pervenisse; quod verum est; fuisse illas quondam *de dos corchos, ò mas: ex duobus corticibus, aut pluribus*: quod quoque verum est, quamdiu cortices illi soleis subdebantur, & statura mulieris indigere videbatur. Sed hæc hodie mutata sunt, & suber calceos alio modo ingreditur quam olim, ita ut ne videri quidem possit intra soleas absconditus.

Hinc fluxit illa historia de Dionysio tyranno Siculorum apud Strabonem *lib.* VI. p. m. 259. nam exacerbatus in Locrenses, virgines eorum dehonestandas sumsit, & non solum nudas in pleno convivio columbas venari jussit, ac γυρδίειν, sed ut difficilius illud peragerent sandaliis eos induit, quæ jugo nullo munita erant, & quorum illud altius, hoc vero humilius erat, eam ob causam, ut claudicare viderentur & ad lapsum essent proniores, *σανδάλια ὑποδεμένας ἄζυγα, τὸ μὲν ὑψηλὸν, τὸ δὲ ταπεινὸν, περιδιώκειν ἐφήσαν τῦ ἀπρεπῦς χάριν.* Hoc est, *Sandalia subdentes sine jugo, illud altum, hoc vero humile, circum persequi*, scilicet columbas, *retulerunt, inconvenientiæ causa*.

Multa habebant sandalia communia & affinia

A cum crepidis, inter alia etiam hoc quod ligna altius & humilius suppingerent, hinc λεπτοχίδεα solebant vocari, quando tabellis tenuibus subjectis incedebant. Sed quoniam peculiarem dissertationem tam sandalia requirunt quam crepidæ, nunc quidem ne me diffundam, abstineo. Illud saltem dicendum erit, crepidas Antiquis sine jugo fuisse, quippe solis vinculis supra pedem constrictas, raro nisi suberis corticibus suppactis adhibebantur. Sandalia vero jugo digitos pedum coercebant; nam corium illud quod digitos tegebat jugum dicebatur; & ligneæ tabellæ subdebantur, clavis compactæ. Si vero tenuis sola tabella
B induceretur, solea erat; at si corium solum pedem infra & supra tegeret, sine ligno, sine subere, jam soccus erat.

Hoc fere discrimen Antiquis observatum in crepidis, sandaliis, soleis, & soccis, quæ tamen confundunt recentiores. Ideo recte Gellius soleas vocat *crepidulas*, non crepidas, una enim solea tantum suppacta soleæ induebantur, crepidæ vero pluribus, duabus, ternis, prout quisque desiderabat.

Ex his igitur *Pantoffelæ* succreverunt posterioribus sæculis, ex crepidis, ex mulleis, nomine
C non solum mutato, sed & materia, & forma non minus, quæ satis ostendunt, nihil in *Pantoffelis* esse quod Græcum sit. Græcæ sane linguæ suus decor jam dudum ante illa tempora, quibus *Pantoffelis* nomen & usus invaluit, detractus perierat, nec Italiam, Galliam, Hispaniam, multo minus Septentrionales terras amplius ingrediebatur, eo fine, ut vocibus & linguis istis origines suppeditaret ullas; id quod earum causa toties ingemino, quod multi sane eo recurrerint, tanquam ad asylum quoddam ignorantiæ, cum ulterius non possent, & ne indocti viderentur tamen, ex Hebræis, Græcis, Latina & Osca linguis asseren-
D tes, quæ nunquam ὀνοματοποιοῖς istis in animum venerunt, & ὀνομαθήραις talibus placuerunt tamen. Nolo in quemquam ob hæc debacchari, quod doctissimi Viri in illa classe reperiantur, quibus hoc obrepsit mali, & tam firmas radices egit apud plurimos, ut evelli nequeat.

Si Rudbeckianorum genium aut ingenium sequi vellem, Gothos e Suecia vocem illam *Tufolas, Toffler* per orbem circumtulisse, & tandem in Italiam secum invexisse gloriarer, nec aliam quam Gotho-Suecicam originem tam voci quam rei per illam designatæ deberi scriberem, ac clamarem. Sed cum Græci ante Gothorum adventum hoc
E genus calceamenti non ignoraverint, & ad Romanos transmiserint, Romani ad Gallos, Galli ad Germanos, Germani ad Septentrionales, & prius populi illi omnes, quid essent crepidæ nescíverint, aut qua forma, quam illos aut Græcia docuit aut Italia, ideoque Gothos eadem ratione didicisse uti, qua cæteræ nationes, rem ipsam a Gothis perfectam aut Septentrionalibus frustra sustinerem: quare nec vocem *Toffler Pantouflis* originem dedisse verum erit, sed a *Pantouflis* decurtatam esse Danis Suecisque vocem notam satis *Toffler*, conspicuum ac manifestum redditur, ideoque Gothis aut aliis Italiam inundantibus hæc
F vox subnata, cum nomine rem ipsam ad cognatos populos facile transtulerunt.

Nam plane sine calceis & crepidis Septentrionales incessisse etiam in itineribus & frigoribus pedes urentibus varia docent exempla: Asmundus & Asgrimus filii Ondotti Kraka, Viri Præstantissimi in Norvegia, cum fugerent Grimum Hersum, qui patrem eorum oppresserat, & apud Hedinum nutritium matris latitassent, dimissi sunt ab ipso, ut ad Sighvatum avum maternum con-

tenderent? *Frost var mikit a, enn their Skolauser;* dicit Landnama *Part.* III. *cap.* CXIII. *Frigus intensum jam erat, & illi sine calceis:* indicat vero fuisse circa festum *Juul*, adolescente jam hyeme. In *Appendice* quoque ejusdem *historiæ*, p. m. 175. observatum est, primo anno, quo Isleifus Episcopus sedit in Islandia, qui erat annus 1057. & famem & pestem incolas afflixisse, sed post supplicationes factas consilio Isleifi tempestatem desubito mutatam, & æstatem formosissimam exstitisse, *Enn veturinn epter var so godur, at cigi kvam theli iord, og gengu menn berfætter til Jola tida:* hoc est, *Hyems ibi sequens tam clemens erat, ut frigus nullum in terram penetraret, & homines usque ad festum Juul nudis pedibus incederent.* Quæ satis monent, quam parcus calceorum, multo magis crepidarum usus Septentrionalibus fuerit, qui toto fere anno, & quousque possent, tegmenta pedum procul haberent.

Nec mirum Græcos talium calceamentorum authores statui posse, cum nulla gens Græcis calceorum structura fuerit dilgentior aut ingeniosior, ideoque apud nullam tot nomina calceorum repeриantur, tanta varietate, tanta fœcunditate, ut nemo repertus sit, qui omnia ista nomina enumerata sistere potuerit.

Quid ergo *Pantoufles* sint, & unde calceamentum progressus sumserit, unde nomen hæserit, expedivimus. Verum an recte talia calceamenta crepidæ vocentur ut nunc, qui Latinius illas exprimere volunt, appellant, dispiciendum venit. A Græcis vox illa κρηπῖδες descendit ad Romanos, & inter calceamenta locum tenet: sed tam varie apud Græcos sumitur, ut fere de omnibus calceis dici cœperit, Poetis inprimis.

Eam ob causam mediæ Latinitatis autores quidam, *Pantoffelen*, non crepidas expresserunt, sed *nocturnas*, quod sub noctem scilicet, sepositis laboribus & cubitum jam euntibus sumerentur. Alia sane materia, alia forma est *Pantouflis* hodiernis quam crepidis Antiquorum. Conveniunt tamen in usu, ideoque nomen facile retinuerunt, cum nullum inter calceamenta magis conveniat quam crepidæ.

Pollux inter militaria calceamenta crepidas enumerat: κρηπῖδες, ait, τὸ μὲν φόρημα στρατιωτικὸν, ἔνιοι δ' αὐτὰς τῶν ποιητῶν καὶ ἀρπίδας ὠνόμασαν. Hoc est, *Crepidæ quidem gestamen militare, quidam vero Poetarum etiam harpidas vocarunt.* Mendum autem in illis latere jamdudum Petavius animadvertit, in *Not. ad Epist. Synesii* §. 2. & pro στρατιωτικὸν reponendum Ἀττικὸν, aut simile quid voluit, quod non infeliciter conjectasse videtur, neque enim militare quid crepida erat: unde Livius *lib.* XXIX. *Ipsius Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris cultus jactabatur, cum pallio crepidisque inambulans in Gymnasio.*


Κρηπῖδες fundamenta Græcis significant, & videntur Græci ideo vocem ad calceamenta transtulisse, quod sicut pedes fundamenta corporis sunt, sic crepidæ vel calcei κρηπῖδες τῶν ποδῶν. Non igitur mihi placet Isidori etymologia *lib.* IX. *cap.* XXXIV. qui crepidas a crepando vel sonum edendo derivat; ita enim scribit: *Crepidas Græci ante repertas usi sunt. Est autem genus* (scilicet calceamenti) *singulari forma & idem utrique aptum pedi, vel dextro, vel sinistro. Crepidæ autem dictæ, quod cum sono stringantur, sive a pedum crepitu in ambulando.* Ipse sibi contradicit, nam dum crepidas a Græcis ante adhibitas memorat, etiam nomen ab illis ad Romanos una cum re ipsa translatum indicat.

At κρηπὶς non crepitaculum aliquod Græcis significat, sed, ut dixi, fundamentum & quidem A tale, quod basin significat, & structuram sustinet, ipsa structura amplius & latius, ut firmiter insistere possit. Hinc crepido idem Latinis est ac margo, & crepidines saxa prominentia. In calceis ejusmodi margines & crepidines observare licet, nam quia pedem ambiunt illique subduntur, latiorem marginem faciunt, ut pes commode in illo stare possit & firmius, quod est crepido, atque inde crepidæ.

Hanc quoque ob causam inter placentas κρηπὶς assumta fuit, quod ambiret massa sua uvas aut ficus, quas continebat & marginem illis faciebat, ne excidere possent, prout hodie artocreas vidi- B mus parari. Et sic κρηπῖδας placentas describit Pollux *lib.* VI. *cap.* XI. p. m. 289. inter πλακούντων εἴδη, sic inquiens: Ἦν δὲ καὶ κρηπὶς ἐξ ἀλεύρου καὶ μέλιτος, ᾗ ἐνέκειντο ἀμπελίδες τινὲς ἢ συκαλίδες ὀπταὶ, ὧν βρωθεισῶν τὴν κρηπῖδα ζωμῷ ὀρνιθείῳ ἐνθρύψαντες ἤσθιον. Hoc est, *Erat autem & κρηπὶς ex farina & melle, in qua repositæ jacebant uvulæ quædam aut ficus coctæ: quibus consumtis, fundamentum illud farinaceum juri gallinaceo intritum comedebant.* Hac igitur ratione κρηπὶς transiit a domibus & fundamentis ad calceos & placentas, ubi basi, margine ac crepidine opus erat. Hesychius quoque has placentas κρηπῖδας memoravit, & significantius C Polluce vocavit περίθεμα τῶν ἐγχύτων, πλακούντων, *septum infusarum placentarum.*

Male ipsi Græci etymon voci concinnarunt, vel ab ἕρπω, quod est *repo*, per μεταβίβασιν, vel, ut Eustathius, a ῥαπὶς, quod ex ῥάπτω, *consuo*, descendit. Utrumque male convenit, nam nec serpit basis & fundamentum, nec consuebantur olim crepidæ, nec clavis compingebantur soleæ. Satius erat dicere, κρηπὶς ex iis esse, quorum etymon nesciatur. Multa sunt in omni lingua vocabula, quorum ratio evanuit & disparuit.

At quod addit Isidorus utrique aptas pedi crepi- D das, hoc hodie omnibus calceamentis commune est. Quondam vero ita calcei ad digitos pedum obligabantur & decurtabantur, ut qui dextro pedi conveniebat calceus, non posset sinistro aptari, prout ex hac figura patet.



Crepidas vero ex iis non fuisse vult Isidorus. Κρηπὶς igitur, quod dixi esse fundamentum, prius E fuit hac significatione quam in crepidis, ad quas postea translatum fuit vocabulum, similitudine quadam invitante homonymiam.

Non male autem Isidorus videtur *caligas* & *caligarios* a *calo*, quod est lignum deducere, *sine quo consui calceamenta non possunt.* Nam prout hodie soleæ calceis ex corio dantur, sic olim ex ligno, & recte monet ex salice confectas fuisse, quod levitatem præstat, & melius quam suber humidis resistit. Crepidis igitur ex hoc ligno quoque, sicuti ex aliis levibus crepidines subditi fuerunt & soleæ.

Sed Tertullianus etiam æratas crepidas habet in libello *de Pallio: Atquin alius, & sericatus, &* F *crepidam æratus incessit: digne quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit.* Non quidem ex solido ære soleas crepidis subditas statuo, cum levitatem cæteris in calceis maxime quæsiverint, sed ære cavo & in lamellas diducto, quod subtinnire posset, ut cymbalo incedere viderentur, prout expressit Tertullianus.

De Empedocle traditur Philosopho eum æratis ejusmodi crepidis usum, & cum Ætnæ crater eum absorberet, cui prope nimis accesserat, inventa est

altera crepida ærata relicta in crepidine & excussa in ipso descensu: Possemus dicere æratas crepidas dictas esse, quod æreis clavis ligna suppacta haberent: At non hac ratione ullibi efferuntur crepidæ clavis confixæ: neque enim ferratæ, aut argentatæ, vel auratæ vocantur, quæ ferreis, argenteis & aureis clavis sunt munitæ: aliud ergo sunt æratæ crepidæ, aliud æreis clavis aptatæ.

Nam nec æs solum, sed argenteos & aureos clavos in crepidis gestasse narrantur, ut Alexandri M. ætate Agnon Tejus, quem Plutarchus argenteos clavos in calceis habuisse memorat, Athenæus vero aureos tam in crepidis quam calceis χρυσοῦς ἥλους ἐν τ' κρηπῖσι ϗ τοῖς ὑποδήμασιν φορεῖσθαι. Nec ut lunulas Romanis, ita clavos hos Græcis gestatos in superiore parte calcei dicere licet, sed ut nunc rusticos & vulgus ferreis clavis ligna ac soleas suppegisse dixi calceamentis, sic quoque ditiores argenteis & aureis clavis suffixa ligna calcasse ex hoc & aliis locis discimus, idque tam in crepidis quam calceis.

Ὀπισθοκρηπῖδας Pollux quoque adduxit; illas ego veras crepidas fuisse sentio, quales nostræ sunt hodie; ideo ὀπισθοκρηπῖδες dictæ, quod anterius calceis similes sint, sine calcaneis tamen, *esculez, ou avec les talons abbattus*, ut supra monui. Quæ causa est, quod mulieribus solis illas Pollux tribuat: credo enim solis mulieribus primum hoc calcei genus receptum, viris enim convenit calceis indutos stare, ut ad quævis parati sint cum opus est. Hodie tam viris quam mulieribus inserviunt, sed sub noctem maxime, quando vestes deponunt, ita tamen, ut illis crebrius mulieres quam viri utantur, in Belgio inprimis, ubi calceis rarius mulieres incedunt.

In *Lexico* veteri *Græco-Latino*, Cyrilli *Scriptis* subjecto, soccus κρηπὶς dicitur. Quin & Ciceronis temporibus crepidæ opponuntur militaribus vestibus, ut *pro Rabir. Posthumo: L. Scipionis non solum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis*. Et quamvis apud Græcos κρηπῖδες latius videantur nomen extendisse ad varios calceos, ut ex κρηπιδουργός & κρηπιδοπώλης patet; alter enim *calceos consuens, sutor* sic vocatur, alter *calceos vendens*: apud Latinos tamen crepidæ nomen strictius videtur sumtum, & a discinctis adhibitæ primum circa noctem vel cœnam. Ideo Cicero *in Pisonem: Nocte intempestiva crepidatus veste servili navem conscendit*.

Philostrati locus *Epist.* XXI. etiam Græcis crepidas proprie de calceamentis non adstrictis accipi indicat, dum ait: Βλαυτία, ϗ σανδάλια, ϗ κρηπῖδες, ϗ πέδιλα νοσούντων εἰσὶ φορήματα ἢ γερόντων. *Blautia, & sandalia, & crepidæ, & soleæ gestamina sunt ægrotorum aut senum*. Sine calcaneis aut adstrigmento pedibus inhæsisse voluit indicare, prout hodie nostræ crepidæ, ideoque ægrotis aut senibus admodum commodæ, quod pedes in iis liberi & sine molestia versentur.

Hæc causa fuit, cur Empedocli Ætneis cineribus oppresso altera crepida exciderit, ut ante dixi; nisi enim libera & soluta sedisset, excidere nequaquam tam facile poterat. Μονοκρηπὶς idcirco ad inferos descendit bonus ille Philosophus, quod alias Mercurii Epitheton factum est, qui μονοκρηπὶς audit, ex quo Perseo ad Gorgonas devolanti alteram crepidam exsuens donavit. Quod neque pictores, neque sculptores, etiam antiqui, in Mercurio exprimendo satis observarunt.

Idem contigit Jasoni cum flumen transiret, nam alteram crepidam ἐνσχεθῆναι τῷ ῥεύματι εἰς ἀντίληψιν τ' ἰλύος γενομένης. *Fluento immersam cœno impediente*: quæ verba sunt Philostrati *eodem*, quo superius, *loco*. Addamus & his *Carbatinas crepidas*, quarum meminit Catullus *epigr.* XCIX. *ad Vectium*, quas Pollux rusticorum esse prodidit, a Caribus, qui eis utebantur, nomine sumto. Καρβατίνη μὲν, inquit, *lib.* VII. *cap.* XXII. ἀγροικῶν ὑπόδημα κληθὲν ὑπὸ Καρῶν, *rusticorum calceamentum a Caribus appellatum*: adeo ut in crepidis quoque aliæ lautiores, aliæ viliores fuerint, ut in calceis. Nam & Catullo viles sunt, qui Vectium jubet *Culos lingere & crepidas carbatinas*.

Illustriores sunt omnino Japonensium crepidæ, quæ non solum acu pictæ inter eos vigent, sed & lacca elegantissima inducuntur, unde has crepidas ex ligno subtili totas formari convenit. Neque enim panni aut coria laccam ejusque elegantiam ac splendorem ita reddunt, servant ac repræsentant, ut ligna: *des pantouffles d'un fort beau vernis* illas vocat Author *des Ambassades des Hollandois vers les Japon*. Tales crepidæ etiam auro rariores ac pretiosiores ob elegantiam sunt ac nitorem, unde pergit idem Scriptor narrare, quod currum adscendentes illustres virgines & mulieres in scabello aureis laminis tecto crepidas istas deponant, quas tollunt pedissequæ & famuli sequentes ac cum illis concomitantes. Unde etiam inter munera missa vix unquam defuerunt crepidæ, ut observari potest ex eodem Authore p.m.415. & 417. *Deux grands plats d'or, & une paire de pantouffles d'un vernis fort rare*. Hæc erant inter dona Imperatoris ipsius, quæ Pontifici Maximo, *Bayro* dicto, nomine ipsius offerebantur. Ad eos honores crepidæ in Japoniæ Imperio adscenderunt, & quamvis Græci cultum quoque crepidis addidissent aliquem, longe tamen a Japonensibus hodiernis superati sunt.

Ex quibus facile crepidarum naturam a calceis, qui stringebantur fortius, differre judicamus. Unde cum Athenæus Agathoclis verba producit, qui ὑπογήματα & κρηπῖδας distinxit, ait de certis Poetis, τὸ μὲν παλαιὸν ὑποδήμασιν ἐχρῶντο, νῦν δὲ κρηπῖσι. Nam ὑποδήματα proinde vocari non poterant crepidæ, quod nihil in illis esset ligamenti stringentis, sed libere circa pedes fluctuarent. Ὑποδήματα nomen acceperunt, quod ubique supra pedem constringerentur tam circa calcaneum, quam supra pedem ipsum & digitos pedis, nam olim plantæ pedis solum vestiebantur ligno, at superiora pedis fasciis ac vinculis firmabantur: hoc dicebatur Græcis ὑπόδημα. Postea πίλημα in superiore parte pedis accessit loco adstrigmentorum, & ὑπόδημα perrexit vocari. Germanis hodie *Oberleder*; πίλημα vero, quod ex mollibus pilorum texturis adderetur, prout hodie corium, at cum non adstringerentur, puta circa calcem, crepidæ & κρηπῖδες vocabantur.

Hoc enim observandum est, tunc ὑπόδημα & calceum fieri, si circa calcem & talum habenæ solearum firmarentur: at calcibus liberis relictis & talis, quamvis supra pedem adstringerentur soleæ, quæ alias hærere non poterant pedibus, soleæ tamen erant, non calcei, κρηπῖδες, non ὑποδήματα. Ideo recte Gellius *lib.* XIII. *cap.* XXVIII. *Omnia ferme id genus, quibus plantarum calces infimæ tantum teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt, nonnunquam voce Græca crepidulas*.

Ipsas plantas pedum, quibus soleæ subduntur, & quæ plantas tegunt, Gellius plantarum calces vocat: alias calx pedis in extremo ejus retro tendit, & sursum usque ad talum & σφύραν: illa pars nuda relinquebatur, nec habenis aut vinculis ullis soleam sibi adstringebat: nam quando calcem quoque vincula circumdabant, ex solea & crepida calceus fiebat. Teretes vero illæ habenæ quarum meminit, quibus soleæ jungebantur, ad pedem superiorem pertinent, ita ut

pes inter illas habenas & soleam staret, facilique motu excuti poterat, quod calcis firmamentum abesset, solis calceis datum, qui ab illo circa calcem vinculo calcei nomen adsumsisse videntur, seque a crepidis distinxisse.

Gellii igitur verba, si hac cum explicatione capiantur, optime sibi constant, & si paulum mutata legantur, clariora fient hoc modo. Omnia ferme id genus, quibus plantæ tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis supra pedem juncta sunt, soleas dixerunt.

Ad illud quoque alluserunt, & ad crepidæ formam Græci, qui quosdam panes crepidis similes formarunt, & ἐμπεπτὰς vocare solebant; ut est apud Athenæum *lib.* XIV. p. m. 695. Ἐμπεπταὶ, inquit, πύρινος ἄρτος, κοῖλος καὶ σύμμετρος, ὅμοιος ταῖς λεγομέναις κρηπῖσιν, εἰς ἃς ἐντίθενται τὰ διὰ τοῦ τυροῦ σκευαζόμενα πλακούντια. *Empeptæ, panis triticeus, cavus & congruus, similis crepidis vocatis, in quas ingeruntur quæ cum caseo sunt apparatæ placentæ*. Ex quibus quomodo crepidæ patuerint imaginari nobis possumus. Nam vincula superioris pedis & habenas etiam pistores procul dubio effinxerant in illis panibus, ut pultem & placentas inter soleam & vincula indere possent; quæ pultes, ideo ἐμπεπταὶ dictæ, quod in istas crepidas triticeas & crustaceas coctæ injicerentur & apponerentur. Sicque panes illi differebant a placentis κρηπῖσι, de quibus supra, quod in formam crepidæ & panis essent cocti; illæ vero placentæ essent, non panes, nec crepidam referentes, sed fundamentum & κρηπῖδα imponendis, non infarciendis subministrarent: hæ nomen crepidarum obtinentes, illæ formam.

Hæc illa sunt, quæ de Crepidis & *Pantoffelen* nunc quidem occurrebant, breviter agere volenti; si aliquando quæ de calceis Veterum commentatus sum, in lucem prodibunt, etiam crepidas prolixius illic habebimus. Interim quod nemo hactenus de crepidis vel *pantoufelis* explicatum dedit, sic se habet, hisque benevolus Lector faveat.

F I N I S.



THEODORI GAZÆ,

THESSALONICENSIS,

DE

MENSIBUS ATTICIS

LIBER.

EX INTERPRETATIONE

JOHANNIS PERELLI:

QUI ADJECIT COMMENTARIOLUM

DE RATIONE LUNÆ ET EPACTARUM

SECUNDUM GAZAM,

CUM TABULA PERFECTI AMBITUS

ANNORUM INTERCALARIUM.

REVERENDISSIMO PATRI, AC DOMINO D.

PETRO PALMERIO,

VIENN. ARCHIEPISCOPO, ET ALLOBROGUM TOTIUSQUE GALLIÆ PRIMATI MAXIMO,

JOANNES PERELLUS

S. D.



FERUNT Socratem, Præsul dignissime, duo tempora posuisse loquendi: vel de quibus clare ipse noveris, vel de quibus dicere operæ precium sit. Sed alterum impræsentia arrogare, extremæ cujusdam fuerit dementiæ, in iis præsertim, quæ pertinent ad rerum cœlestium, & quæ supra nos sunt, cognitionem: alterum vero, etiamsi vel ingenii vel linguæ vitio minus succedat, semper tamen, quia de rebus necessariis est, veniæ locum & fortasse gratiæ invenerit. Nec hercle spero fore tibi injucundum libellum in tua familia natum ante aliquot annos, & jam aliquoties tibi primoribus solum labris, & vix lambendo degustatum: de cujus editione sæpe mecum hactenus egisti, hac ratione puto, ut cum multis gauderes ejus pleniore fructu. Distuli tamen vel communi omnium fere ingenio, ut cum velis nolint, cum nolis velint, vel maxime non irrationabili animo mecum ipse reputans, quam nihil sit lautitiarum in nostris hisce interpretationum ineptiis, quod cujusquam palato satisfacere possit: nisi id forte contingat & a rerum novitate, & a non insuavi libri hujus materia. Nam & a balbutientibus pueris, & tantum non infantibus suos amamus vel bellulos nuncios: & non infrequenter quoque, si qua peregrini & nostri verbi hospites, quantumvis digna auditu dicendo ineptiant, ab eorum tamen ore pendemus avidi atque hiantes. Accipies igitur, vel ut a puero & infante, vel ut ab utriusque verbi hospite, eoque Gallo, & Græcis & Latinis barbaro, ea quæ disertissime Gaza *de Mensibus* memoriæ mandavit: quæ quidem scio nunc in tanta doctissimorum hominum multitudine, a quovis alio melius & suavius tradi potuisse, vel quondam ab ipso etiam Theodoro utriusque linguæ peritissimo: nisi forte ei visum fuisset hæc duntaxat scribere hominibus suis, veræ germanæque mensium cognitionis jampridem ignaris: aut si sperasset rerum Græcarum notitiam non jam Latinorum modo, sed & barbarorum posteritati curæ futuram. Is vero, ut fuit illud sæculum, eousque eruditionem Græcam aliis gentibus despectam sensit, ut cum vir doctissimus, idemque sacerdos, Romam dissimilium hominum plerumque beatricem pervenisset, diu illic tenuiterque versatus, a nemineque susceptus, & demum egestate coactus, in Apuliam commigrarit: ubi post duriter actam vitam, sapienter tamen, diem suum obiens, inter alia ingenii monumenta hoc etiam *de Mensibus* reliquit. Quod tibi tam assidue, & quasi tuo jure postulanti, nec potui tandem, nec debui negare. Anni enim universaque solis & lunæ ratio, nedum mensium, jam olim vel ex ritu Pastorum vestra est, id est, Pontificum. Audi igitur, bone Præsul, Theodorum hunc, ut minorem Pontificem tibi tanquam Regi sacrorum, & certe Galliarum, vel Christianiss. Principis suffragio facile primati, novam lunam prisce, & priscam nove renunciantem: ut tute has nonas & nundinas, quidve rei his totis mensibus agendum sit, plebi calatæ indicas. Quod sit forte verna hic tuus Latinus, tuis convitiis demum e tenebris prodire coactus, explicatas suas nugas in promiscuo Græcorum & Latinorum conventu bene nundinatus fuerit, hoc tibi acceptum referet: sin male, hoc ipsum: quem infelicem & invenustum prodideris isto indicio. Qualiscumque vero aliis futurus sit, non puto fore ingratum clarissimo D. Claudio Roberto avunculi tui filio, homini utroque eloquio, quam pro illo vitæ instituto peritiori, aliisque compluribus: si qui sunt (ut certe sunt) qui tractent, & jam feliciter transferant in linguam nostram vernaculam Græcorum historias. Nostro enim munere hoc certe se arbitrabuntur adeptos, ut & tempora recte supputent, & in conferendis Latinorum traductionibus, Interpretum mendas (si quæ sint) emaculent. Nam interdum invenire est, qui de Thargelione mense nescio quem Thargalionem ducem fecerit, cujus ductu & auspiciis Ilium captum sit, ut in Latino *Camillo* Plutarchi. Non tamen id vitio dandum reor Interpreti: cum ne multi quidem scriptores Græci hanc mensium rationem percalluerint: quibus fortasse minus ignoscendum, quod in propria palæstra labi turpissimum sit: ignoscendum tamen, cum nulla fere Græciæ pars suis sibi privatisque mensibus non usa sit, multa immutarit usus, tempus obliterarit. Quo magis gratia iis habenda est, quicunque prisca illa, & prope obsoleta, multisque sæculis non intellecta recentiore ratiocinio, nostraque ætate cognito subduxerunt, qua peritia hic autor imprimis censendus, & rari aliquot illustresque nostra memoria viri: qui nullo alio nomine magis, quam isto olim (puto) celebrabuntur. Cæterum hortatu doctissimi viri Domini Tussani, tui meique huic nostræ interpretationi nonnihil *de ratione lunæ, tabulamque anni intercalaris Attici*, velut pro appendice adjecimus: quæ omnia pro rudibus, ad faciliorem libelli cognitionem, rudius & planius explicavimus. Quod si quid inter legendum notaveris, aut notatum audieris, non recusabo illud emendare, memor illius Menandri: *Peccare in eodem bis, sapientis non esse: at nihil eum peccare, qui nihil quicquam viderit*, addo etiam *fecerit, aut dixerit*. Vale, & nostro semper (ut soles) fave labori. Lutetiæ, e tua domo, apud Palatium, pridie Nonas Junii M. D. XXXV.

CLAUDII A RUPEFORTI, EQUITIS LUGDUNENSIS

ET ARBISSII DOMINI, CARMEN IN LIBRI INTERPRETISQUE COMMENDATIONEM.

Res est bellula, bellulisque divis,
Ipsisque illepida haud quidem deabus,
Gazas colligere, atque habere promptas:
Ob quas suaviculi volant amores:
Quas ardent Veneres, Cupidinesque:
Et spreto Jove ditibus ministrant.
Adeste o Veneres, Cupidinesque:
Festinate volatiles amores:
Et quidcunque polo est deum ac dearum:
Nam Gaza haud opulentiore quisquam
Vos certe cumulet meo sodali.

INDEX CAPITUM.

THEODORI GAZÆ,

THESSALONICENSIS.

DE

MENSIBUS ATTICIS

LIBER.

CAP. I.

OPERIS RATIO, AC INSTITUTUM.

Cognitio Atticorum mensium necessaria, sed difficilis.

OPERÆ quidem precium est, & mensium appellationes nosse, & in iis utendis Atticum ordinem sequi: quanquam id assequi non est facile. Siquidem virorum prisca nostraque ætate literarum doctrina insignium, partim de ordine eorum & usu nullam mentionem fecerunt, partim nescio quid ordinis tradiderunt. Verum dum se putant perpetuam seriem colligere, procul a recta aberrare via arguuntur. Nonnulli vero interpretantes quisnam sit mensis Hecatombæon, quisve Posideon, & quo pacto reliquorum cuique cum mensium nominibus conveniat, ut a Romanis tempora numerantur, nihil enarrant sani, neque certe consona inter se commemorant: sed hic Martium Hecatombæonem vocat, ille Julium, itidemque in aliis inter se discordant, omnesque simul a veritate ipsa discedunt.

In imperitos de mensibus scriptores.

Plethon

Et vero Plethon hoc sæculo vir clarus, operosum reputans invenire, qua ratione hi mutuo respondeant, inquirere destitit: in *Commentariisque de legum institutione*, quum de diebus, mensibus & anno præcipiat, qua tamen ratione Athenienses menses suos agerent, ne verbum quidem facit. Tametsi in cæteris rebus, quæ ad vocem spectant, eos æmulari magnis votis expetit, in eoque sedulo & quasi affectate operam navat: sed quod faciat quivis e vulgo, simpliciter hic ex accidente nominat primum hunc, illum secundum, pariterque alios, ut cujusque ad primum ordo sese habet: non secus ac si quis manus digitos nominaturus, hunc pollicem non vocet, illum indicem, alium medium, & reliquos similiter: at præ constitutorum singulis nominum penuria, primum, secundum, & tertium, dicat. Neque vero iis, qui multo ante floruerunt, minus difficile fuisse videtur. Quandoquidem Pollux scripto *de rerum vocabulis* libro ad Commodum Cæsarem, mensis quidem dies ut numerandi sunt nominandique dicit: etsi id non satis recte: ipsos vero menses tacitus prætermittit. Atqui par erat eum præsertim, qui Commodum alienæ linguæ virum Attice loqui doceret, enumeratos nuncupare, & (si modo sciret) ad plenum explicare.

Ejus liber.

Menses digiti non ab ordine nominandi. Digitorum aliquę nomina.

Po[illegible] [illegible]

Non facile igitur Atticos menses Romanis reddere nominibus, convenientemque ordinem his accommodare. Huic nihilominus inquisitioni opera danda est, & eorum, qui diversis in rebus mensis cujuspiam meminerunt, dicta inspectanda, tum ex pluribus distincta explicatione ratiocinandum, quatenus fieri poterit de talibus exacta investigatio: ut Græce dicentes Græcis mensium nominibus utamur, & ne externa permiscentes, atque inculcantes in nostrate lingua quasi hospites peregrinum quiddam sonemus, & ineptum inconcinnumque sermonem faciamus. Porro philosophi est etiam hujusmodi commentatio: quum ejusdem peritiæ sit rite impositis nominibus uti, & nihil peregrinum pati in propriis vernaculisque superfluere: quemadmodum certe, nomina si desunt, & nova formare, & perperam a rudibus indita corrigere. Sic enim unaquæque disciplina melius magisque suo munere fungens universæ reipublicæ conducat, imprimis autem eæ artes que consistunt in recti sermonis ratione.

Peregrina propria non admittenda.

Philosophi de ratione recti sermonis officium.

CAP. II.

MENSES ATHENIENSIUM.

ESSE igitur hæc Atticorum mensium nomina, duodecim numero, omnibus in confesso est. Sunt autem:

Nomina Atticorum mensium.

MUNYCHION,
SCIROPHORION,
METAGITNION,
MAEMACTERION,
THARGELION,
HECATOMBAEON,
BOEDROMION,
PYANEPSION,
ANTHESTERION,
GAMELION,
POSIDEON,
ELAPHEBOLION.

Cæterum quis ordo, & quæ series, atque etiam quomodo, & quibus verbis in Latinam linguam transferentes appellare oporteat, hic discrimen & controversia. Primum igitur de ordine & serie, post de interpretatione considerandum. Nimirum ordo ipse velut interpretationis elementum est: quum & multa forte eorum, quæ ad interpretationem tendunt, ex constructionis ordinisque proprietate elicientem oporteat ostendere. Mox de usu dicendum: cujus gratia ordinem scire imprimis statuimus. Ad hæc, si quid aliud huic. Commen-

Operis divisio.

tationi proprium, nobis assumendum est, compendiariam viam amplexantibus, ut ne operis diverticulum fiat, opere instituto majus.

Πάρεργον.

C A P. III.

DE ORDINE MENSIUM.

Posideon & Gamelion continui.

SUMATUR itaque primus quisque mensis, sese ut dicendo obtulerit. Sitque, si placet, Posideon, post hunc continuo Gamelion: cujus rei testes Aristoteles & Theophrastus, priscæ memoriæ viri, atque Atticæ linguæ periti. Neque enim hic non productis testimoniis agere licet, ut qui antehac falsas testibusque egentes positiones tradiderunt, hanc *de Mensibus* quæstionem tractantes: verum in singulis testes excitare, viros locupletes & fide dignos opus est, non secus atque in judicio. Quicquid enim in his probabile, non ex signis necessariis hujusmodique rationibus sequi oportet: sed ex iis sumere, quæ dixere clari celebresque viri. Horum igitur alter in *Historia Animalium* sic ait: *Thunna etiam semel parit: sed quum alios fœtus præmaturos, alios serotinos producat, bis videtur parere: editque priorem partum circiter Posideonem ante brumam, posteriorem vere.* Porro Theophrastus in *Historia de Plantis*, principium sementis secundæ post brumale solstitium esse dicit, mense Gamelione: cujus quidem autoris hæc sunt verba: *Ita appellant*, inquit, *non satus quidem rationem habentes, sed ortus & usus cujusque. Quandoquidem satus fit contrariis fere temporibus. Principium enim hyberni (quem primam sementem appellant) post æstivum solstitium est, mense Metagitnione: at rursum secundi, mense Gamelione, post solstitium hybernum.*

Hic Aristotelis locus parum convenit cum sequentibus de ejusdem thunnæ partu.

Sementes diversis temporibus fieri.

Si ergo dictum est a claris illis viris, circiter Posideonem ante brumam, & mense Gamelione post brumam: Gamelionem post Posideonem inde esse necesse est. Quod autem mox etiam sequatur, evidens est ex præcedentibus, & ex elocutione id intelligere convenit. Qui namque dicit circiter Posideonem ante brumam, & Gamelione post brumam, vel circa eum mensem (quem nominat) id solstitium esse vult, vel certe circa proximum ostendere. Nam quod hybernus sit Posideon, ex iis in promptu est, quæ Aristoteles in *eadem Historia* de mugilibus pisci bus commodissime discernit. Quum enim prius dixisset, hyeme mugilem parere, postea subdit mensem, circa quem parit, puta Posideonem. Hæc vero utraque in quinto *Historiæ* his verbis scribit: *Sunt autem quæ vel per hyemem, æstatemve suos partus edant: per hyemem, lupus, mugilis, acus: per æstatem circa Hecatombæonem, thunnæ.* Et paulo post: *Parere vero incipiunt ex mugilibus, labeones quidem mense Posideone, & mucones, & capitones, geruntque diebus tricenis.* Hoc idem rursum *lib.* VII. dicit. Simul vero constat solstitium circa Posideonem, hybernusque Posideon: manifestum est circiter Posideonem solstitium esse. Circa enim primum hybernum mensem solstitium peragitur. Et illa quidem locutio circa Posideonem ante brumam, quo mense fiat circumscribit, ut dicendi quoque formula, qua quid post brumam fieri perhibetur, id esse

Posideon mensis hybernus. Mugilis partus.

Piscium multorum tempus pariendi.

Posideon solstitialis. Solstitium hybernum.

designat circiter eundem mensem, quo solstitium confectum sit. Quin etiam alcyon avis circa brumam parit. Quamobrem quoties bruma serena est, dies alcyonii appellantur, septem ante brumam, & septem a bruma, ut etiam Aristoteles ait: vocaturque a multis ipsa avis *Posideonis*, id est, Decembria, ab lepido quopiam & urbano autore (ut videtur) appellationem mutuatis, quod pariat mense Posideone: adeo ut illud abunde magnum argumentum sit, solstitialem esse Posideonem, hyemalium mensium primum.

Alcyonis partus. Alcyonii dies. Avis Posideonis seu Decembria. Posideon hyemalis & mensium hybernorum primus.

Nunc igitur ex his sumptum sit, hybernum & solstitialem esse Posideonem, quamquam etiam diligentius posthac demonstrabitur: sed nec hanc pariter in omnibus diligentiam requirere oportet: verum in singulis secundum subjectum materiam, atque hactenus quatenus peculiaris est docendi rationi. Gamelionem porro statim sequitur Elaphebolion: novissimo enim mense brumali opus est: atque hic certe postremus. Cujus rei signum est, quod Thucydides *Historiæ* lib. IV. inducias annuas inter Athenienses Lacedæmoniosque factas, anno belli octavo excedente mensis Elaphebolionis quarto decimo die pactas esse dicit, & easdem exacta quidem hyeme, ineunte simul vere æstatis subsequentis confectas. Et etiam in quinto ejusdem *Historiæ*, Præfectum gerente Athenis Alcæo fœdera percussa esse dicit; mensis Elaphebolionis sexto ante finem die, idque sub hyemis extremum & veris initium.

Gamelionis Elaphebolion hybernorum novissimus. Atheniensium Lacedæmoniorumque induciæ.

Præterea vero scribit Aristoteles, ursam coire mense Elaphebolione, ferreque uterum dies triginta, & parere eo tempore quo latet: cum vero prolem enutrierit, exire mense jam veris tertio: hæcque habet in *septimo*. Rursum in *octavo* inquit, eo tempore ursam eniti, tamdiuque latere, quoad tempus sit, ut suos catulos in apertum producat: idque verno tempore, mense a bruma tertio fieri. Quocirca sive audiendus cum dicit, parere tertio a bruma mense, sive, cum producere suos fœtus ab æquinoctio verno tertio mense, utroque sane modo Elaphebolionem hybernorum mensium ultimum & tertium esse contingit. Parere enim ait per id tempus quo latet, latent vero terrestria cuncta hyeme, ut ab eo dictum est in *octavo*: hybernus est igitur Elaphebolion, quo mense ursa ventrem gestat. Atqui non primus, non secundus, ergo tertius. Siquidem anni tempestatibus terni menses adscribuntur. Continens est vero Elaphebolioni Munychion: quartus enim ab Elaphebolione Scirophorion, tertius autem a Munychione. Aristoteles in eadem *Historia de Animalibus* hos sic ordine enumerat: *Pariunt certe pisces plurimi tribus his mensibus: Munychione, Thargelione, Scirophorione.* Demosthenes vero in oratione *de ementita legatione*: *Pax* (inquit) *Elaphebolionis decimo sexto die facta est: porro treis integros menses ad jusjurandum recipiendum peregre abfuimus, idque totum tempus salvi fuere Phocenses: redimusque ab ea legatione de jurejurando, decimo tertio die Scirophorionis.* Et Æschines vero in *defensione falsæ legationis*, cum ante dixisset epistolam per Charetem scriptam esse sexto sub finem Elaphebolionis die, hæc subinde intulit: *Auditis* (inquit) *ro-*

Ursæ coitus & partus. Ursæ tempus latendi, & catulos suos educendi.

Terrestria omnia hyeme latent. Ternis mensibus, anni quatuor tempestates constant. Munychion. Quibus mensibus pisces plurimi pariant? Thargelion, Scirophorion.

gationem in populo scitam fuisse tertio Munychionis die: verum quot prius diebus Cersobleptes Thraciam amisit, quam ipse abirem? ut testatur Chares imperator, & superioris mensis epistola: nam certe Elaphebolion est Munychione prior.

A Cersoblepta Thracia amissa. Chares imperator.

C A P. IV.

QUOD CIRCA MUNYCHIONEM SIT VERUM ÆQUINOCTIUM.

Æquinoctium vernum Munychione. Tres sementes. Sementis tertiæ principium, [illegible] æstivæ. Cucumis sa[illegible] & b[illegible].

JAM vero id ipsum constat, ex eo quod Elapheboliono eum mensem continuum esse oporteat, circa quem sit æquinoctium vernum. At ipsum circa Munychionem est. Nam Theophrastus *eodem* quo supra de semente *loco*, quemadmodum principium sementis primæ & secundæ ab utroque solstitio esse dicit, ita & tertiæ post vernum æquinoctium his verbis ostendit: *Principium tertii satus*, (inquit) *quem æstivum vocant, est Munychione: quo tempore seritur cucumis, cucurbita, blitum*. Quinetiam pisces plurimos juxta æquinoctium vernum parere ait Aristoteles: & plurima ex parte tribus his mensibus, (ut dictum est) Munychione, Thargelione, Scirophorione. Eo fit, ut circa Munychionem sit vernum æquinoctium, & Elaphebolionem statim Munychion consequatur. Cæterum post Munychionem continuo Thargelionem esse, deinde Scirophorionem, non modo ex iis manifestum, quæ nunc ex Aristotele retulimus; sed ex iis etiam, quæ ab ipso dicta sunt de bobus & cervis, in iisdem libris *de Animalibus: Bobus* (inquit) *initium coitus est mense Thargelione, & Scirophorione plurimis. Sed nonnullæ etiam usque ad autumnum coeundi tempus deducunt*. Et cervos præterea cornua amittere dicit mense Thargelione: id vero mense veris secundo accidere conspicimus. Eodem porro pertinet etiam illud, quod in eo *Opere*, quod μετὰ τὰ φυσικὰ inscripsit, navigationem scilicet fieri ab æquinoctio, & ex Dionysiis Thargelia festa: quod hæc certe post Dionysia. Constat enim solitum celebrari Libero Patri festum mense Munychione circiter æquinoctium vernum. Scirophorionem vero mox esse post Thargelionem testatur Theophrastus in iisdem libris *de Plantis* dicens: *Pinum, abietem, robur, intermittere incrementum, ternaque edere germina: primum, summo vere statim Thargelionis initio: secundum, intermissis diebus circiter triginta, vel pauxillo pluribus circa Scirophorionem desinentem: tertium denique, interjecto fere quindecim dierum spacio emittere, nec diutius senis aut septenis diebus Hecatombæonis*.

Cervis cornua quo tempore decidant.

Dionysia & Thargelia festa.

Pinus, abies, robur [illegible] germina emittunt.

Testimonii autem loco est illud quoque plebiscitum, quod producit Æschines in oratione *adversus Ctesiphontem*: Dicit enim decretum esse die Thargelionis penultimo, ut comitia haberentur ineuntis Scirophorionis secundo die vel tertio. Post Scirophorionem vero Hecatombæonem esse, cum ex supradictis declarat Theophrastus, tum ex iis quæ de amputatione tibialis calami memoriæ prodit. Ait enim, cædi solitum tempestive usque ad Antigenidem, cum adhuc simplici musica uterentur, sub arcturo mense Boedromione. Postquam vero accessit fictio & cantus luxuries, mutatam cæsuram, cædique cœptum Scirophorione & Hecatombæone, velut paulo ante solstitium, vel sub ipso solstitio. Et Aristoteles etiam hos tres menses continenter atque ordine constituit, cum dixit: *Locustæ, inter ea quæ tenui crusta integuntur, ova, quæ post coitum conceperunt, tribus utero gerunt mensibus, Scirophorione, Hecatombæone, Metagitnione*. Insuper autem id ex aliis quoque multis certum est & exploratum. Mensem enim continuum ordinare necesse est, in quo sit solstitium æstivum, quartum quidem a Munychione, ut a vernorum mensium primo. At circa Hecatombæonem solstitium est, ut etiam Aristoteles in eadem manifestat *Historia: Quædam* (inquit) *pariunt hyeme, alia æstate: hyeme, lupus, mugilis: æstate, atque adeo Hecatombæone mense, circiter solstitium, thunnæ*. Item: *Coeunt thunni & scombri* (inquit) *sub finem Elaphebolionis, pariuntque Hecatombæonis principio*. Quod namque circiter æstivum solstitium prius dixit, id postea dicit initio Hecatombæonis, tanquam scilicet æstivo solstitio existente circa ineuntem Hecatombæonem. Jam ab iis non alienum, quod de amputatione tibialis calami Theophrastus retulit: *Cædunt* (inquit) *hac tempestate mensibus his Scirophorione & Hecatombæone, paulo videlicet ante solstitium, vel sub ipso*. Nec id quoque, quod ante ex eodem autore de semente citavimus, puta mense Metagitnione post æstivum solstitium, primam sementem fieri. Siquidem post Hecatombæonem proxime est Metagitnion.

Plebiscitum [illegible] adversus Ctesiphontem.

Cæsura tibialis calami. Antigenides [illegible].

Locustarum [illegible] coitus & graviditas.

Hecatombæon æstivus solstitialis.

C A P. V.

QUOD PRINCIPIUM ANNI ATTICI SIT HECATOMBÆON.

Æstivum solstitium principium anni Attici. Hecatombæon primus mensis anni Attici.

ET annum quidem Athenienses ab Hecatombæone incipiebant, quod eo mense perageretur solstitium. Ab æstivo enim solstitio iis erat anni principium, quemadmodum Romanis posterius ab hyberno. Principium itaque anni esse Hecatombæonem, ex Demosthene in tertia *Olynthiacarum* compertum habemus: *Deinde vero* (inquit) *hoc anno exacto labitur Hecatombæon, Metagitnion, Boedromion, hoc mense vix tandem post mysteria decem naves misistis*. Demonstrat enim Atheniensium socordiam in tertium usque mensem ineuntis anni protractam fuisse. Nam quod ab æstivo solstitio sit anni principium, Simplicius exponens quintum *Physicæ auscultationis* Aristotelis, ita de eo quod est natura prius & posterius edisserens, his verbis fidem facit: *Quæ* (inquit) *facimus initia, anni quidem, vel ad æstivum solstitium, ut Attici, vel ad autumnale æquinoctium, ut terræ (quæ nunc Asia dicitur) incolæ, vel circa brumam, ut Romani, vel circa æquinoctium vernum, ut Arabes & Damasceni; mensis vero, ut quidam volunt, plenilunium aut novilunium: hæc erunt positione*.

Varia anni principia apud varios.

Rursum si Atheniensibus anni principium est, ut refert Simplicius, ab æstiva solis reciprocatione, & æstate circa eandem thunnæ pariunt mense Hecatombæone, ut vult Aristoteles; inde fit ut Hecatombæon sit anni initium, æstivus cum sit & solstitialis. At ve-

Mensium principia diversa. Solis feriæ apud Athenienses.

Cronius mensis. Cecus ridiculus Procli subsannator. Hesiodi dies. Lenæon mensis Januarius. Hecatombæon Scirophorioni proximus. Metagitnion, Boedromion.

ro ferias etiam tum agebant publicas Athenienses, & splendide sacrificabant Soli, ut qui in solstitio esset: unde & mensi Hecatombæoni nomen, Cronio prius, ut Plutarchus inquit, nuncupato. Porro Cecus Proclum irridens, dies Hesiodi ridicule interpretatur, alium mensem ab Hecatombæone Cronion esse existimans, & tertium ab illo constituens: & Thargelionem quidem ac Metagitnionem præ imperitia nullo modo nominans: Lenæonem vero (quem idem Januarium esse sciebat) inter Atticos menses recensens, & propinqua sede Hecatombæoni collocans. Hecatombæonem igitur esse statim a Scirophorione, & circa Hecatombæonem æstivum solstitium confici, hinc constat dilucide. Cæterum Metagitnionem esse deinceps, postea Boedromionem, declarant quidem ea, quæ nuper ex Demosthene protulimus. Metagitnionem autem esse proximum Hecatombæoni, etiam illud Theophrasti de satu antedictum suffragatur. Hyberni enim satus initium esse dicit, post æstivum solstitium, mense Metagitnione: solstitium vero æstivum erat circa Hecatombæonem: & illud quoque Aristotelis de locustarum graviditate. Nam post Hecatombæonem statim Metagitnionem enumerat. Boedromionem autem esse post Metagitnionem, ex eo quod dixit Aristoteles de locustarum partu, colligere est. Sub arcturum enim ait locustas excludere: tribus vero mensibus, quæ conceperunt ova, in utero ferre, Scirophorione, Hecatombæone, Metagitnione. Arcturusque circa Boedromionem oritur: nam cervas saliri ab arcturo, mense Boedromione refert. Et Theophrastus tempestivam esse calami cæsuram sub arcturo. Porro Suidas ille *Dictionarii* scriptor, recte hoc quidem dixit, Metagitnionem secundum esse mensem Atheniensibus. At post Boedromionem deinceps est Mæmacterion: idque in promptu est. Nam Aristoteles eodem (quo de cervis) *loco*, hunc proximum illi ordine constituit, cum dixit: *Coitus vero fit post arcturum, circa Boedromionem & Mæmacterionem*. Animalia quoque imbecilliora prius migrare ad temporum mutationes docet, coturnices quidem Boedromione, grues autem Mæmacterione: ut scilicet videmus grues sequente mense, post coturnices ex frigidis locis ad apricos & tepidos discedere.

Locustarum graviditas. Et partus.

Arcturi ortus.

Metagitnion secundus mensis Atheniensium. Post Boedromionem Mæmacterion. Cervorum coitus post arcturum. Coturnicum & gruum discessus.

Simul autem hinc quoque compertum est, quod operæ precium sit statuere mensem, in quo sit autumni æquinoctium, quartum quidem ab Hecatombæone, circa quem æstivum solstitium agebatur. Mæmacterion vero est, in quo fit æquinoctium. Nam circa arcturum æquinoctium est: porro Memacterione est arcturi ortus. Harum autem positionum partim autor Theophrastus, florere siliquam Ceroniam circa arcturum æquinoctiumque memoriæ prodens, & præterea Galenus medicus ita scribens in libris *de Salubribus*: *Est maturrimum* (inquit) *tempestivissimumque abietis semen circiter arcturi ortum, quod tempus Romæ Septembrem vocant*. Partim etiam autor est Aristoteles: *Post arcturum*, inquit, *Boedromione, & Mæmacterione*, ut ante explicatum est. Alioquin mensium propinquitatem nequaquam significaret, qui hoc modo scribit. Id vero absurdum: quandoquidem certis anni

Quo mense autumni æquinoctium? Siliqua Ceronia quando floret? Maturitas seminis abietis

A tempestatibus ad coitus partusque animantia natura incitat, & vel toto utitur tempore, vel maxime ejusdem medio, præsertim si jam principium occuparit.

Argumentum vero hujus cohærentiæ non parvum illud quoque, quod de bobus sic dictum est: Incipiunt coire boves Thargelione & Scirophorione plurimæ. At vero etiam aliquæ tempus coeundi usque ad autumnum deducunt. Tempus enim plurimarum contrahens ad duos illos menses Thargelionem & Scirophorionem a nonnullarum tempore distinxit. In summa, ubi ubi B eo ordine interpretatur, nihil præcidens definiensve, temporis seriem intelligit: id quod singula persequenti est perspicuum. Verum enimvero e mustellorum quoque genere Stellarem coitum inire Mæmacterione, & bis mense partum absolvere dicit. Id autem contingere ab autumnali æquinoctio piscatores Tarentini asseverant. Quod & rationi consentaneum, cum piscium pauci autumno pariant, ut idem auctor est Aristoteles: ut Salpa, Sargus, & id genus alia, & Torpedo, & Squatina paulo ante autumnale æquinoctium. Quod si Stellaris Mæma- C cterione parit, consentaneum est hunc mensem non esse alterum ab æquinoctio, sed certe primum: & Stellarem quoque circa æquinoctium parere, generis cum sit cartilaginei; & ejusdem cujus Testudo & Squatina. Ex his itaque circa Mæmacterionem æquinoctium est, & continuus Boedromioni Mæmacterion. Pyanepsion autem protinus a Mæmacterione est: fidemque faciant Plutarchi verba, in *Theseo* dicentis: *Athenienses Pyanepsione Ramorum diem festum agere in memoriam Thesei tum e Creta cum juvenibus reducis facti, & ramos gestare,* D *quod tum redierit quum fructus legerentur die octavo Pyanepsionis*. Constat enim fuisse vindemiæ tempus: quæ in Attica nequaquam fiat serior ab arcturo, quam tertio mense. Tertius vero nobis est a Boedromione & ab arcturo Pyanepsion. Atqui etiam Theophrastus in iisdem libris *de Plantis*, Pyanepsione arbutum florere scribit, quod in Attica conspicitur, & similis temperiei regionibus, mense ab autumnali æquinoctio secundo, tertio vero deflorere, & jam crescentia arbuta habere. Pyanepsione quo- E que in Ægypto prunum florere dicit: verum id fieri secundo mense ab æquinoctio Ægyptii asseverant.

Mustellorum genus Stellaris partus

Salpa, Sargus, Torpedo, Squatina, quando pariunt? Testudo & Squatina generis cartilaginei. Mæmacterion æquinoctialis. Ramorum Athenis dies festus. Thesei e Creta reditus. Vindemiæ tempus. Arbutus quando floret? Arbutum, fructus arbuti. Coccymelea sive prunus quo tempore floret in Ægypto? Anthesterion ultimus mensis anni Attici.

At cuiquam fortasse de his ambigenti videri possit Pyanepsion Boedromioni omnium proximus, si eo mense fuerat autumni fructuum comportatio, ut Plutarchus inquit: at non ita est, cum Mæmacterionem continuo esse demonstratum sit. Mæmacterioni igitur Pyanepsion contiguus. Ultimus nobis hac enumeratione est Anthesterion: reliquo enim sedem eam, quæ superest, adscribi oportet. Et hæc quidem interim pro- F batio sufficiat. Simul vero constat, circa Posideonem brumam esse: idque ratione exactiore, quod a principio rejecimus ad posteriora; septimus namque est ab Hecatombæone æstivoque solstitio. Sed Philostratus longe in alia stetit sententia, dicens Atheniensibus morem fuisse pueros trimos floribus coronari, mense Anthesterione. Is enim, ut apparet, hunc mensem aperte inter vernos enumerat. Si igitur Philostrati æqua-

Puerorum de floribus coronatio.

les, Athenienſes dico, menſibus aliter utebantur ac ipſorum majores, eorum ſcilicet ordine turbato, verum aliquid diceret. Tametſi nobis curæ non eſt cognoſcere quid Philoſtrati tempore agerent Athenienſes, ſed quid Ariſtotelis & Theophraſti. Quid vero ſi hoc quoque de pueris comminiſcitur, ut pleraque alia, ex iis unus, quos Sophiſtas dixere: eumque menſem vernum eſſe credidit, a floribus ducta nominis ratione? Nempe ſic quæ dixit fiunt contemptiora. Neque enim fide dignior videri queat notatio a florum copia, quam ab eorum inopia. Nam quod id temporis contingit floribus orbari, Antheſterionem dixerimus poſtremum autumnalium menſium: ſi quo forte modo in nominibus rationem ſequi oporteat.

Antheſterionis etymologia.

ORDO ET SERIES ATTICORUM MENSIUM.

SERIES igitur Atticorum menſium a nobis hoc pacto ex ſupradictis cauſis ducenda eſt.

Attici menſes ex ordine conſtituti.

HECATOMBÆON,	METAGITNION,
BOEDROMION,	MÆMACTERION,
PYANEPSION,	ANTHESTERION,
POSIDEON,	GAMELION,
ELAPHEBOLION,	MUNICHION,
THARGELION,	SCIROPHORION.

CAP. VI.

CAUSA MENSIUM IGNORATIONIS.

HARUM autem rerum ignorationis, quæ majorum noſtrorum ingenia antehac obcæcavit, cauſa hæc eſt: quod Romani & annum emendarint, & ut aliis populis, ita Græcæ genti imperarint. Ad imperium enim externum puritate elegantiaque ſermonis amiſſa, Græci (ut fere fit) ad imperitantium linguam tranſierunt, & Latina nomina cum in aliis multis, tum in menſium propriis vocabulis permiſcentes, in uſum ſuum verterunt: acceptiſque Romanorum coloniis, ſe etiamnum Romanos, non Hellenas, vocant, & nominibus menſium Romanis tanquam ſuis utuntur.

Romanorum in Græcos imperium. Cur Græci puritatem ſermonis in menſibus amiſerint? Romanorum coloniæ. Hellenes Romani.

CAP. VII.

DE MENSIUM INTERPRETATIONE.

UT vero interpretemur ad rationem Romanorum menſium, ſi ſumpto certo indubitatoque principio unum aliquem menſium rite deſignaverimus juxta Atticum morem, & eundem etiam, ut Romani appellare conſueverint: ſic utique non inepte fuerit traditum, ut vertendi ſinguli, quove modo eorundem nominibus quolibet anni tempore ſit utendum. Nam de Romanorum ordine a nemine ambigitur, primum eſſe Januarium, deinde Februarium, poſtea Martium, & ita alios deinceps, ut nominantur. Capiendus itaque e Tropicis unus. Eſtoque, ſi videtur, Hecatombæon. Si igitur Athenienſibus

Certus ordo Romanorum menſium.

A menſe Hecatombæone ſolſtitium eſt, certum eſt circa quemcumque Romanum menſem fuerit idem ſolſtitium, hunc eſſe Athenis Hecatombæonem. Dico autem juxta proportionem, ut ſepium, os, ſpinam. Non ſolum enim menſes ut proportione inter ſe reſpondeant, ſed cæterea quoque omnia ſimpliciter interpretanda ſunt, ſi quid ex interpretatione fructus ad nos ſperemus perventurum. Jam vero menſe Junio æſtivum ſolſtitium eſt, ut omnibus compertum eſt: ergo Junius eſt Hecatombæon. Cæterum ponentibus Junium eſſe Hecatom-

Hecatombæon cur Junius interpretandus?

Menſe Junio ſolſtitium eſſe Romanis.

B bæonem, jam nullus eſt labor reliquos interpretandi. Semper enim ſequenti Attico juxta ſuppoſitum ordinem cum ſubinde ſequenti Romano conveniet, & eadem ad anni partes erit conſonantia. Sed forte quis dubitaverit, cum Athenienſes ad lunæ, ad ſolis vero curſum Romani calculum temporum ſubducerent: qua ratione fieri poſſit, ut utriuſque gentis menſes alteri cum alteris ſic competant, ut invicem dierum ſumma ſemper quadrans ſit, & nihil in alterutris excurrat: utque Hecatom-

Athenienſes ad lunam, ad ſolem Romani annum direxerunt.

C bæon recte transferatur Junius, & Metagitnion Julius, ita quoque de aliis? Neque enim ſoli eadem, quæ lunæ, eſt celeritas: neque una deſinunt incipiuntve ad ſigniferi, quod prope dixerim, partitionem. Ergo neceſſe eſt Atticos menſes variare, & ambiguo plerumque eſſe inter priorem Latinum & poſteriorem loco. Quod ſi ambiguus quiſque amborum fiat particeps, cur potius a priore vertendo, quam a poſteriore nominetur? Quo ſane modo Galenus fecit, de abietis ſemine: *Quod tempus* (inquit) *Romæ eſt Septem-*

Lunæ celeritas.

D *ber, Pergami apud nos menſis Hyperberetæus, Athenis vero Myſteria*. Ea namque erant Boedromione. Nam circa Boedromionis vigeſimum diem myſticus Bacchus ab urbe transferebatur, ut etiam Plutarchus ſcribit. Videtur quoque Plinius, omnifariæ ſcriptor hiſtoriæ, ſic interpretari illud Ariſtotelis de piſcium partu, nimirum piſces plurima ſui parte tribus his menſibus fœtificare, Munychione, Thargelione, Scirophorione: ut dicat his tribus, Aprili, Majo, Junio. Inſuper tre-

Menſis Hyperberetæus apud Pergamenos. Myſteriorum tempus Athenis. Myſtici Bacchi tralatio.

E centi ſexaginta quinque dies ſunt anni Romani: ſubtilius enim in præſens ſupputare minime oportet. Athenienſis vero anni, ex Ariſtotelis quidem ſententia, trecenti ſexaginta ſunt: *Pars* (inquit) *canum præfert ventrem quintam partem anni, id eſt, dies duos & ſeptuaginta*: at ſecundum Herodotum alioſque, trecenti quatuor & quinquaginta. Tot igitur cum ſint, ſi menſes alii pleni & tricenarii, alii mutili, cavi & uno die cæteris impares in numero alternant, quocunque modo res ſe habeat, ſequens annus ſemper prævertet, & paulatim ex acceſſione in contrarias

Quot ſint dies anni Romani? Quot fuerint dies anni Attici? Menſes pleni & anni.

F tempeſtates menſes incident, loco diebuſque ſtatis emoti. Item ſi Ilium captum eſt abeunte vere, octavo die ſub finem Thargelionis, ſeptendecim diebus ante æſtivum ſolſtitium, ut Dionyſius Halicarnaſſeus ait, res priſcas Romanorum hiſtoriæ mandans: quo pacto Hecatombæon ſolſtitialis æſtivus ſit? Nempe hic ſermo oſtendit, Scirophorione eſſe ſolſtitium. Diſſentaneum etiam eſt illud Theophraſti, cum

Tempus ex pugnatione Ilii.

Summum ver Theophrasto. Vindemiæ tempus Plutarcho.

A cum dicit summo ineunteque vere, Thargelionis principio. Si enim est summum ver Thargelion, nequaquam esse queat solstitialis Hecatombæon, & multo minus vernus & æquinoctialis Munychion. Illud quoque Plutarchi dissentire videtur, in *Theseo* dicentis: *Dum fructus leguntur, & vindemia comportatur, octavo die Pyanepsionis incipientis*: his enim verbis videtur Pyanepsion in se continere autumni æquinoctium potius quam Mæmacterion, siquidem erat vindemiæ collectio.

Solutio dubiorum s. propositorum. Anni confusio apud antiquissimos. Barbarorum annus, Arcadum, Acarnanum, Ægyptiorum. Ægyptii cur tam multos annos vixisse crediti? Romanorum annus olim quot mensium: menses quot dierum? Anni emendatio per Numam Pompilium. Pompilii intercalatio XXII. dierum. Solon apud Athen. primus anni concinnator. Ἕνη καὶ νέα, Interlunium. Νουμηνία, Calendæ et novilunium. mensis intercalaris Græcorum. Intercalatio Ægyptiorum.

Solvendi igitur sunt hi dubiorum nodi, B ut rite fiat hæc nostra commentatio, & majorem fidem dicta nostra accipiant. Quocirca vetustissimos illos homines nulla ratione, nulloque ordine mensibus usos, atque aliter alios annum ipsum partitos esse, cum ab aliis, tum vel maxime a Plutarcho, viro undecumque doctissimo, licet intelligere. Nam barbarorum nonnulli trimestrem annum habebant, & ex Græcis Arcades quadrimestrem, Acarnanes semestrem: Ægyptiis autem menstruus erat annus, deinde quadrimestris, ut ajunt. Idcirco antiquissimi videntur immensam annorum multitudi- C nem sibi adnumerantes, ut qui certe annum mense definirent. Romani vero prius decem mensium annum agebant, & menses alios neque vicenum dierum, alios tricenum quinum, alios etiam plurium: illudque solum considerabant, ut trecentorum & sexaginta dierum suus esset annus, nec quæ esset solis & lunæ inæqualitas quicquam pensi habebant. Sed postea rex Numa Pompilius duos menses adjecisse fertur, & discrimen hujus inæqualitatis undecim dierum esse reputans: utpote anno lunari tre- D centos quinquaginta quatuor dies, solari autem trecentos sexaginta quinque habente; undecim hos dies duplicatos alternis anni intercalatione facta (quæ duorum & viginti dierum esset) in Februarium induxisse: verique simile est, hæc illum ex imitatione quadam Græcorum fecisse. Primum enim Solonem ajunt, Athenis hanc mensium vagam & adhuc incertam inconstantiam deprehendisse: & diem (quo luna solem adsequitur & transmittit) ἕνην καὶ νέαν, idest, *antiquam & novam lunam*, sive *extremam & primam*, hoc est, interlunium vocari insti- E tuisse: & sequentem νουμηνίαν, id est, *novilunium*, sive Calendas appellavisse, mensemque triginta dierum constituisse: & in genere annum ipsum in concinniorem ordinem digessisse. Intercalaris vero mensis usum antiquitus fuisse Græcis, declarat Herodotus: *Græci* (inquit) *tertio quoque anno intercalationem interserunt, temporum gratia: Ægyptii vero tricenis diebus, quibus duodecim menses anni taxant, auctario facto ad eum numerum, dies quinque quotannis superaddunt, & iis ratio circuli temporum constat, eodem redeuntis.* Quod si Numa F quidem intercalationem duorum & viginti dierum ordinavit, Herodotus vero triginta dierum recenset, nihil hoc ad disceptationem præsentem. Verum ex his datur illud intelligi, Athenienses mense intercalario utentes anni sui defectum supplevisse, ut temporum ratio facilius solis itineri congrueret.

Athenienses intercalatio mense cur usi?

Cap. VII.

DE ANNO.

Anni duplex consideratio. Gradus signiferi.

Bifariam ergo annum considerabant, ut qui partim a sole trecentis sexaginta diebus definiretur propter sectionem obliqui signiferi in totidem gradus: & hujus certe quintam partem Aristoteles dicit esse duos & septuaginta dies: partim a luna diebus quatuor & quinquaginta supra trecentos, eadem etiam ratione mensibus partim ad solem, partim ad lunam deductis: aliisque annis dies triginta adjiciebant, aliis quinque: & si quid amplius opus erat, quarto quoque anno. Hæcque erant subsidia (quæ non latius quidem paterent) sufficientia tamen restituere menses sibi, & iisdem fere finibus eos coercere. Eaque inæqualitatis curatio ut majoribus olim remediis indigeret, futurum erat: quemadmodum refert Plutarchus. Cæsar itaque is, qui primus imperium invasit, & ad cujus unius arbitrium res Romana devoluta est, quæstione hac de re optimis Mathematicis proposita, ex substratis jam viis rationibusque propriam quandam & accuratiore cura excogitatam emendationem confecit.

Menses duplices solis & lunæ.

Anni a Cæsare ordinatio.

Primi omnium Ægyptii annum ad solem deduxerunt. Dies collecti tius Ægyptiorum. Græci ab Ægyptiis res cœlestes mutuati. Platonis et Eudoxi in Ægyptum peregrinationes.

Primi autem omnium Ægyptii ad solem duodecim mensibus usi videntur, & iis quidem tricenariis, & quinque dies quotannis adjecisse, particulamque diei excurrentem ad supplementum totius anni, ex multis annorum circuitibus acervatam, in unum diem integrum conjecisse. Græci vero ab illis, cum alia permulta rerum cœlestium, tum hæc præcipue mutuo acceperunt, partim traductis in linguam Græcam commentariis, partim cum eorum sacerdotibus versati, egregie divinarum cœlestiumque scientiarum peritis. Ferunt itaque Platonem & Eudoxum peregre in Ægyptum profectos, annis tredecim apud Ægyptios sacerdotes mansisse: tanta enim consuetudine, tamque diutino obsequio erant exorandi, & quasi eblandiendi, ut qui rerum arcanarum tenaces, avarique elargitores essent disciplinarum suarum, quo aliquid cœlestium contemplationum impertirent.

Antiquorum intercalatio varia. Astrologiæ difficultas.

Hæc vero ita distinguere, ut opinor, non improbandum. Quodque inest dubii, quæ postea emersit intercalatio solvit. Atque etiam si quid longiore temporis intervallo adhuc evariaret, credibile est vel Antiquos ipsos perspicientes, id quoque quodammodo correxisse, modo longiorem, modo breviorem intercalationem facientes. Neque vero exactam in his diligentiam, & ab omni errore vel levissimo tutam, exigere oportet: quandoquidem hoc quoque seculo, quo Astrologia tantum incrementi præstantiæque adepta est, tamen motus disparilitas Mathematicorum rationes fugit; quippe quæ superior sit eorum peritia. Sed tamen mensium cursus ut cum anni temporibus semper congruant, facit post tertium quenque annum introducta intercalatio.

Cæterum confusio illa & mensium inconstantia vaga (quæ fuit prius inventa intercalatione, atque etiam ab inventa) adhuc explicatione indiget, quonam pacto transferri commode possit. Constat enim ipsam

intercalationem alternos fere menses cum temporibus anni non competentes sæpe habituram. Ex quo etiam Theophrastus inquit, vere statim Thargelionis initio: quasi Munychion hybernus fuerit: intercalaris vero æstivus tropicus, vel certe in instantem Hecatombæonem solstitium circumagens. Quod interdum non contingere non potest. Nam propterea intercalatio inducta est, quæ defectum dierum suppleat, & in Hecatombæonem solstitia restituat.

Theophrasti locus expositus. Intercalaris tropicus. Cur intercalatio inventa? Quomodo auctores in ratione mensium interpretandi?

B Porro in his (qui sic indicem temporum notationem scribunt) interpretatio hoc pacto facienda est, ut præsenti semper tropico pro fundamento utamur, & mensium serie illa quam supra posuimus. Verbi gratia: quando Theophrastus summo vere, statim instante Thargelione dicit; mense Martio, & non Aprili interpretandum est. Rursum quando Thucydides Elaphebolionem esse dicit ultimum hyemalium mensium, hunc quidem Februarium oportet interpretari: secundum quem veris initium Munychion constituendus, & Latinis Martius est transferendus. Ex quo sane C contingit, duos esse vernos æquinoctiales, Munychionem & Thargelionem: & duos autumnales, Boedromionem & Mæmacterionem; similiterque solstitiales duos, æstivos, Hecatombæonem & intercalarem: brumalesque Posideonem & Gamelionem. Quam ob rem Aristoteles inquit: *Gallina quidem parit omnibus anni temporibus, exceptis duobus mensibus in hyeme tropicis*. Et in *Meteorologicis* scribit Crinitam stellam ad ursam apparuisse mense Gamelione, sole circa brumam existente. Atque etiam An- D thesterionis postremam partem aliquando solstitium hybernum potest attingere. Sed quos tropicos hyemales nominant, sunt hi quidem duo ante explicati. Sumendum est tamen simpliciter, Hecatombæonem esse æstatis principium, & solstitialem æstivum, & reliquos simili deinceps ratione. De rebus enim contingentibus nulla ratio ineunda est, sed de spectatis & solitis. Nam in physicis dictum est, quemque oportere dicere id esse, quod natura esse expetit, & est; non quod vi, & præter naturam. Dionysius vero ab Ephoro E mutuatus, dicit Thargelione expugnatum Ilium. Quin & Plutarchus in *Furii Camilli Vita*, Ephorum hæc scripsisse refert, nec vero septemdecim diebus ante æstivum solstitium dicit; & tamen Thargelione etiam ille dicit. Si Ephorus igitur, cum apud se non esset, alioqui dicturus Scirophorione, scripsit Thargelione, quemadmodum item in aliis pro Iberia non pœnitenda regione Europæ, civitatem quandam Iberiam esse dicit: boni consulat, quod non reprehendatur, qui sui re- F prehendendi ansam dederit, eamque amplissimam. Quod si forte nescio quis ineptus scriptor mendose scripserit, Thargelione pro Scirophorione, ut fere fit in aliis, & præsertim in iis, quæ quæstus gratia scribuntur a bibliopolis (nam qui hujusmodi operas conducunt, imperitis oblatitiisque & trivialibus scriptoribus utuntur) sic insons quidem fuerit Ephorus, & jure culpandi qui exemplaria non emen-

Menses æquinoctiales, & solstitiales. Gallinæ partus. Hecatombæon solstitialis simpliciter dicendus. Dionysius Ephorum secutus. Ephorus reprehensus. Iberia regio, non civitas.

A darint, sed inconsiderate dixerint, Thargelione septemdecim diebus ante æstivum solstitium. Sed idem etiam dicit, dies (qui annum illum explerent) superabundantes fuisse post solstitium numero viginti: quod prorsus incompositum & pugnans, si pro instituta Atheniensium ratione sermonem facit. Nam si supererant viginti post solstitium, certum est solstitium fuisse abeunte anno Thargelionis ultimo die, ut ille quidem vult: ut nos vero, Scirophorionis. Impræsentia autem nihil interfit. Sed esto ex ejus sententia Thargelionis, profecto sequente anno solstitium erit novilunio Scirophorionis: quod erat ipsi nono die incipientis. Nam si octavo sub finem die Thargelionis captum est Ilium, septemdecim diebus æstivo prius solstitio, manifestum est nono mensis sequentis die æstivum solstitium fuisse. Si itaque solstitium nono ineuntis, treis esse dies abundantes est necesse. Hæc autem planius postea elucidabuntur, ubi de usu mensis intercalarii disseremus. An igitur Ephori sit iste error, an amanuensis potius, in medio considerandum relinquo.

Ephori error.

Jam certum est, Atticos menses æquali dierum numero, simulque finiente, Romanos semper æquiparare non posse. Ergo fit, ut singuli menses Græcorum inter binos semper Romanorum ambigant. Exempli gratia; Hecatombæon partem Junii & partem Julii attingit, Metagitnion Julii & Augusti, Boedromion Augusti, & Septembris. Similiter vero reliqui omnes non raro sese præbent ancipites, quandoque etiam æquales, ut vel superiore anno lunam novam cum Aprilis calendis solaribus contigit emergere. Operæ tamen precium est, simpliciter a priore mense interpretari: verbi gratia: Boedromionem Augustum potius quam Septembrem, ut æstivus sit, tertius enim est ab Hecatombæone: in quo, ut demonstratum est, æstivum solstitium conficitur. Nihil porro Galeni intererat, quo ad abietis semen & compositionem acopi, sive a sequente September, sive a præcedente Augustus verteretur ille mysteriorum mensis, præsertim cum solstitia & æquinoctia circiter quartum & vigesimum diem mensis Romani ab illius sæculi hominibus signarentur: & præterea æquinoctialis interdum foret Boedromion, cum plures superarent dies post solstitium. Unde etiam Aristoteles dicit, post arcturum circiter Boedromionem, quemadmodum contra peracto circa desinentem Hecatombæonem solstitio evenit vindemias fieri, circa incipientem Pyanepsionem: ut Plutarchus accidisse significat, quando Theseus e Creta rediit. Æquinoctium enim fuerat sub finem Mæmacterionis: Pliniusque æstimandus est sic loqui, non qui verba Aristotelis interpretetur, sed qui suam de piscium partu exprimat sententiam. Nihilque mirum est, si etiam in generationibus a regionum diversitate oritur differentia. Verum illud constat, multam, ut plantarum, ita quoque animalium, non in magnitudine solum habituque vegetiore, sed & in partu ipsa loca efficere differentiam, ut alia serius, alia gignant maturius. Sic igitur simpli-

Attici menses ambigentes. Menses lunæ & solis interdum simul incipere. Boedromion simpliciter Augustus. Solstitia et æquinoctia 24. die mensium Romanorum, tempore Galeni. Differentiæ in animalibus et plantis a locorum et regionum diversitate.

citer & quadantenus vertentes, nequaquam ab idonea explicatione aberraverimus.

CAP. IX.

DE MENSIUM USU.

SED quoniam mensibus uti possumus vel ad solis motum, ut Romani: vel ad lunæ, ut Athenienses: utrum Atticum usum an Romanum sequemur, more quidem Atheniensium denominantes, anni vero in menses eandem cum Romanis constituentes divisionem? Plethon quidem refert natura esse comparatum, ut ad solem deducatur annus, mensis vero ad lunam: sed quamobrem, non dicit. Verum alii hujus quoque dicti rationem adferentes, asseverant, quæ hic in terris sunt, omnia a cœlestibus illis corporibus ordinari, magnosque esse lunæ effectus. Nam mutari ajunt manifeste ab illa terrestria cuncta, idque recte. Signum tamen nullum est, menses ad lunam, non ad solem agere oportere. Hæc enim inferiora superioribus illis motibus esse continua, non inficias imus, & omnem eorum vim & potentiam illinc gubernari, ipsumque decorum (quodcunque apud nos decorum) & rerum ordinem a superna illa natura consistere. Quod vero indigestum, & suo errore indecens, id esse ab eo (qui est hic) sylvestri tumultu materialique alluvione. Detur vero, multa quædam a luna alterari variarique, cum plena, cum dimidio orbe cæsa, cum gibbosa & utrinque convexa, cum in cornua flexa, atque etiam de cœlo ipso & ambiente aere judicium fieri, hæcque terrestria mutari per semisses, & quadrantes, & certas quasdam ipsius stationes. Non tamen idcirco convenit, ut supersedentes solis annum in menses distinguere, eaque divisione uti, & ad lunam divertentes ultro sponteque dissideamus. Nec enim secundum naturam est, totum soli quadrare: partes autem alteri, quam soli magis convenire. Nam partes sunt totius anni, qui menses nominantur, vel quomodocunque libeat illam in duodecim spatia solaris revolutionis partitionem appellare. Quod enim causa est efficiens totius, id certe partium necessario efficiens est, cum ex partibus totum consurgat, & ipso toto partes sint generatione priores. Est autem etiam inæqualius inordinatiusque, annum ad lunæ curriculum ducere: quod qui ita agunt, mensem frequenter inferunt, nec parum habent negotii, dum alios annos mensium duodecim, alios tredecim efficiunt. Itaque præter naturam quidem id potius. Nam ordo quidam natura est, & præter naturam quicquid inconditum & incompositum, & quod ordinem suum non servat.

Plethon notatur.

Inferiora corpora a superioribus regi.

Lunæ figuræ variæ.

Terrestrium mutatio a stationibus lunæ.

Sol naturalis dominus anni, atque etiam ejus partium.

Lunæ annus inordinatus, & præter naturam.

Ordo naturæ.

Cæterum ut solem damnemus inutilitatis propter lunæ vim, & ea quæ vulgo apparent, postulatio nimis magna est, & quæ videatur esse ejus, qui se magis sensui, quam rationi applicet. Effectus enim lunæ & opera a sole quidem (quod prope dixerim) omnia sunt: & hæc inferiora idem sol imprimis describit, modulatur, & in numerum ordinemque digerit. Et aliorum

Effectus lunæ a sole.

A quidem siderum temperationis solem esse causam, cum multis aliis præclaris viris, tum vel maxime Straboni Geographo videtur. Evidentiora tamen sese nobis offerunt, quæ contingunt circa lunam, propter differentes ejus species, ex variis solis intercapedinibus proficiscentes. Quapropter observanda sunt hæc sive per septimanas, sive per alterum mensem lunarem videtur. Neque vero his solis utendo solares deserere oportet, qui sint longe æquabiliores, & B partes temporum divinitus constitutorum, totiusque anni propriæ & nativæ. Secundum naturam enim id simpliciter est: quandoquidem a causa, & priore, & magis necessaria. Quod vero est a luna, notius nobis cum sit & apertius, viam ad ea (quæ sunt notiora naturæ, & perfectiora) munit. Quamobrem Cæsar cognomento apud Romanos *Divus*, ingressus hanc viam ad id, quod erat certius exactiusque de anni mensiumque dispositione, propius accessit. Qui ergo in medio positis & nobis manifestioribus assidue insistunt, non videntur C recte dignoscere quid per se, & quid per aliud sumendum sit. Semelque existimare oportet Astrologiæ commentationes, quæ multo post tempore diligentiore cura absolutæ sunt, non parum ab antiquis illis differre: non autem præ pervicacia decens est imperfectiora perfectioribus anteponere, quasi volentes in senectute adhuc retinere pueritiæ ineptias. Quando vel ipse Galenus in libris *de Diebus Decretoriis* dicit, anno supra trecentos & sexaginta quinque dies particulam quandam accedere, diei quadrante majorem. Atqui non D majorem esse, sed minorem, posteris observationibus annotatum est. Quod si forte ne solis quidem motus ratio satis nobis constet, at quam lunæ certe multo certior est, ejusque error levior, & minus errori propinquus. Siquidem satis est, unum diem quarto quoque anno intercalari, post vero ducentos ferme annos unum exemptilem fieri, vel quam longo temporis intervallo judicabunt, qui assidue succedent experientia excellentes Astronomi. Neque enim præsentis est instituti, si quibus controversa est in hac re annorum multitudo. Haud E dubie enim plurimo temporis interstitio emendabitur, utcunque se habeat.

Sol cœlestium et mundanorum moderator.

Species lunæ a solis distantia.

Notiora nobis, et notiora naturæ.

Astrologiæ commentationes quot'die meliores

Galeni et æqualium sententia de quadrante diei a posteris recognita.

Dies intercalaris.

Dies exemptilis.

CAP. X.

QUOD VIRIS PRUDENTIBUS COMMODIUS VIDETUR ANNUM AD SOLEM AGERE.

IMPENSE vero laudat Cæsaris emendationem Plutarchus, præstanti vir judicio, sic dicens: Fastorum autem dispositio, & F inconstantiæ illius vagæ & incertæ correctio, eleganter ab ipso philosophica ratione explicata, finemque sortita jucundissimum usum præbuit. Herodotus autem sapientiores Græcis existimat Ægyptios, quatenus Græci tertio quoque anno unum mensem intercalant: Ægyptii vero mensibus tricenariis quinque dies quotannis adjiciunt. Sed nec ab re fuerit, autoris ipsius verba reponere: *Agunt* (inquit) *eo prudentius Græcis, ut mihi quidem videtur, quod*

Plutarchus.

Herodotus.

Græci tertio quoque anno mensem intercalarem faciunt, idque temporum gratia: verum Ægyptii duodecim mensibus (quibus tricenos dies adnumerant) singulis annis quinque dies asciscunt. Tricenis autem diebus menses taxare, quod sit ad solis cursum agere, ostendit Strabo ita inquiens: *Ægyptiorum vero est & illud, dies non ad lunam, sed ad solem agere, tricenariis mensibus duodecim quinque dies quotannis adjicientium.* Plethon igitur multum ab iis discrepat, dicens secundum naturam magis esse menses ad lunam agere: annum quidem soli pro arbitrio attribuens, menses vero lunæ.

Strabo. Plethon.

CAP. XI.

QUOMODO UTENDUM MENSIBUS ET ANNO?

NOs autem & ordine mensium, & nominibus utemur explicatis: rebus vero juxta Cæsaris emendationem, qua hactenus utentes Romani minus reliquis in hac confusione falli videntur. Millesimus ergo & prope quingentesimus est præsens annus. Neque vero si quid a quibusdam excogitatum, & in communem vitæ utilitatem collatum est, sive Latini, sive barbari sint hujusmodi inventores, dedignamur ab iis id inventum utendum accipere, omnesque domesticos & familiares existimare, homines qui sint, & ejusdem nobiscum naturæ participes, iisque inventionis gratiam habere, non autem præ invidia contentiose rixari, & sponte deteriora capessere. Diebus itaque trecentis sexaginta quinque ad solis cursum nobis distribuetur annus, addita quoque huic numero particula quapiam diei quarta parte minore. Et menses quidem complentes dierum numerum, alii triginta erunt dierum, alii uno die abundabunt, unus vero continuo quidem triennio duobus deficiet de triginta: quarto autem anno, uno die tantum. Quandoquidem hi septem, Posideon, Gamelion, Munychion, Scirophorion, Metagitnion, Boedromion, Pyanepsion, uno die excedent tricenarios: reliqui vero tricenis constabunt, præterquam Elaphebolion. Hic enim per tres annos diebus octo & viginti taxabitur, sed quarto anno undetriginta, propter diem intercalarem. Porro cur a Cæsare menses ita distributi sint, ut hic esset triginta dierum, ille non, huic excessus, illi defectus, alterius est considerationis.

Quo tempore Gaza hæc scribebat. Annus ex 300. & 65. dieb. & particula diei quadrante minore.

CAP. XII.

DE INTERCALARI DIE.

MENSEM quidem nullum unquam, sed unum diem per singulos annorum quaterniones mensi Elaphebolioni intercalabimus, quemadmodum Romani Februario bissextum, sic vocantes, quod bis ipsum diem inscribant sextum calendas Martias. Ita enim Cæsari Augusto visum est. Nos vero tali vocabulo nequimus uti; nam intercalarem solum & sextum rite appellare possumus.

Bissextus.

Cæterum de exemptili die consideratio suscipienda est, & quod visum fuerit, Latini admonendi sunt, ut idem amplexantes, annum sibi corrigant. Sic enim inter nos conveniet. Exemptilis enim diei jam longo tempore nulla ratione inita, solstitia, nostra ætate, multo antevertunt diem mensis ab initio solstitialem constitutum. Sic itaque menses agantur nobis, utentibus nominibus traditis.

Exemptilis diei consideratio. Solstitiorum hac ætate properatio unde facta sit?

CAP. XIII.

DE ANNI PRINCIPIO.

PORRO anni principium Athenienses Hecatombæonem constituebant, ab æstivo solstitio incipientes, sicut est prius demonstratum; Romani vero Januarium, incohantes ab hyberno. Et certe magis proprium videtur esse principium, jureque hoc Plethon laudat. Nam lege & instituto aliis aliud anni principium agentibus natura quodammodo, idem ut sit principium, suadere videtur; quando sol generationis autor, ultra progredi desinens, reflecti ad nos incipit, & lucis auget tempus, tenebrarum vero minuit. Recte igitur & Numa principium hujusmodi Romanis ordinavit, cum prius Martium mensem Romulus anni fecisset initium. Nobis igitur idem esto anni principium, & novus anni mensis Gamelion: ut consonemus cum Romanis sicut in mensibus, ita etiam in anni exordio, qui est Januarius. Nunc vero Græcis principium anni, indictionisque agentibus ab autumnali æquinoctio, indictionis quidem ratione (significat autem edictum hæc dictio) cum Romanis concordia est, anni vero non. Quanquam & de his sane inter illos convenire oportebat, præsertim Christi legibus communiter utentes. Neque enim puto Romanos hujus sæculi magis propter solstitium, quam quod tunc Christus natus sit ita agere; sed tum solstitium esse forte contigisse: ipsos vero natali Christiano primum honorem tribuentes, ut fas est, prædictum initium facere. Anni quidem idem initium faciendum est.

Principium anni Romani maxime omnium secundum naturam. Principium anni Romuli. Indictio. Natalis Christi.

CAP. XIV.

QUOMODO MENSIS DIES SUNT NUMERANDI?

NUMERARE vero cujusque mensis dies Plethoni sic placet, ut quadripertito mensem dividat, in principium, medium, præcipitium, & recessum. Idque partim a Polluce videtur mutuari, partim per se quodammodo comminisci. Ita enim (puto) facilius illi erat suas ferias disponere, nova quædam sacra constituenti. At nos nihil impediat, quo minus supputemus, ut Athenienses, mense trifariam partito, partem unam ἱστάμενον, id est, *instantem* sive *ineuntem* vocantes: ἐπὶ δέκα, id est, *supra decem* alteram; ultimam φθίνον, id est, *præcipitem* vel *desinentem*. Quandoquidem hæc quoque divisio nostra sic nescio quomodo fiet cum Romana consonantior. Hi namque treis etiam in parteis mensem tribuentes, Calendas, Nonas, & Idus appellant. Sic itaque numerandum est, ut neomenia (quod *novilunium* significat) mensis primus dies

Mensis Plethonis divisio. Atheniensis mensis divisio. Mensis Romani distributio. Supputatio.

dierum mensis juxta Atticum morem. sit : deinde secundus instantis, tertius instantis, & ita deinceps usque ad decimum: post quem primus supra decem, secundus supra decem, & sic per ordinem usque ad vigesimum, qui & εἰκὰς dicitur, quasi *vicenionem* ausis appellare. Post quem undecimus præcipitis, vel decimus, vel nonus, vel octavus, pro mensis cujusvis superante dierum numero ; & deinceps ordine præpostero subducendum, numeri quidem seriem retexendo usque ad secundum præcipitis. Ita enim Athenienses numerabant, non addentes, sed auferentes resolventesque usque ad trigesimum diem : & id quidem Solonis instituto, ratione lunæ ita sensim lumen suum minuentis. Et hoc certe modo Aristophanes Comicus supputat : Quintus, deinde quartus, hincque tertius: Post quem secundus, omnium & quem maxime metuo, sequens est continuo vetus & novus. Itaque post secundum præcipitis nobis collocandus est vetus. Nam veteris & novi, id est, extremi & primi, seu intermenstrui, nobis usus exolevit : quod non ad lunam tempora deducamus. Sed diem mensis ultimum appellare vereremur quid nos vetat, cum primus quoque novus sit? Jam vero præcipitis dies interdum plures habemus, nonnunquam pauciores diebus Atticis. Quandoquidem menses alii tricenum dierum, alii tricenum singulorum, unus modo duodetricenum, modo undetricenum, nimirum quarto quoque anno uno die addito, quod prius est dictum. Quapropter menses alii ab undecim dierum reliquo supra viginti numero Hendecaphthini vocentur, alii Decaphthini, quibus decem dies supersunt : unus vero Octaphthinus & Enaphthinus, qui nunc octo, nunc novem superant ultra viginti. Hi enim septem, Posideon, Gamelion, Munychion, Scirophorion, Metagitnion, Boedromion, Pyanepsion, undecim dies præcipitis habebunt : at reliqui decem tantum; præter Elaphebolionem, qui continuo triennio octo habebit, novem autem anno quarto. At si quis φθίνειν, id est, *præcipitare* seu *desinere*, & ἵστασθαι, id est, *instare*, sive *inire*, propria lunæ esse dicat, mente animoque complectatur, quod in aliis etiam compluribus aliunde tralatus impropríi sermonis usus evicit, ut in his quoque verbis χαλκεύειν, & χορηγεῖν, & δημιουργεῖν, id est, *cudere*, *suppeditare*, *procreare*. Quondam etiam βυβλία solum dicebantur, quæ fierent ex junco papyro, quæ in Ægypto producitur. Nunc vero ex lini panniculis, & linteolorum ramentis versis in opificium, constipatæ chartæ quædam & conglutinatæ (in quibus scribimus) id nominis sortitæ sunt. Et σχοινίον olim funis erat, ex schœno junco (quæ ex palustribus planta est) confectus, sed nunc ex lino & lanis in eundem usum convolutus contortusque funis, *schœnion* appellatur. Et præterea αὐθέντης ab Antiquis cædis patrator tantum vocabatur ; nunc vero quisquis autor est, artifex, opifex, curator rei cujusvis, αὐθέντης nuncupatur. Et nimirum vicit invaluitque supra mille annos hujusmodi significatio, posteaquam Græci cum Romanis versantes perceperunt suam linguam adhuc indigere nomine huic nomini Latino *autor* respondente, quod majorem haberet

Margin notes (left column): Aristophanes Comicus in *Nubibus*. — Vetus dies et novus. Præcipitis dies nunc plures nunc pauciores. — Menses Hendecaphthini, Decaphthini, Octaphthini, et Enaphthini. — φθίνειν καὶ ἵστασθαι. — Χαλκεύειν, χορηγεῖν, δημιουργεῖν, Βυβλία. — Σχοινίον. — Αὐθέντης. — Autor.

A usus proprietatem. Ita enim coacti, ut verisimile est, rei crebro in usum venienti, magis proprium nomen imponere, hoc certe nomen αὐθέντης in illud transmutarunt, imitantes alienam legem. Basilius itaque unus e nostris Pontificibus tempore Imperatoris Juliani, vir non minus eloquio, quam acri cogitatione præditus, dona Spiritus Sancti dicit non fieri per ministerium, sed authentice ; id est, non a ministro dari, sed ab autore. Et Synesius philosophus, qui fuit paulo post tempora Theodosii Imperatoris, interrogans Patriarcham Theophilum, an oporteat Alexandrum quemdam B existimare Episcopum, in Episcoporum ordinem adoptatum ab Joanne, qui postea inter divos relatus, & Chrysostomus cognominatus est; sed tunc propter quandam contentionem & seditionem ab Ecclesiis de Concilii sententia exclusus erat : sic infert : *Ad quod opus est authentiam*, id est, *autoritatem successionis Apostolicæ, simpliciter, & sapienter sententiam ferre*. Enimvero etiam Romani, ut scribit Plutarchus, illam mensis divisionem tripartitam ad treis maximas lunæ differentias fecerunt, Calendas C novilunium appellantes, quod tum luna in coitu existens quasi occulta sit penitus defecta lumine : clam enim Romanis latenter significat, unde Calendas dicit appellatas. Nonas autem, quando primum ad occasum conspicua nova fit : Idus, quando jam pleno orbe facies formosior conspicitur. Sed tamen postea etiam, quamvis menses ad solem deducant, tempus similiter dividentes, Calendas, Nonas, Idus, etiamnum vocant, nominibus abutentes : quibus antea ad lunæ cursum proprie utebantur. Non D igitur absurdum fuerit, si nos quoque Instantem & Præcipitem dixerimus : non ad lunæ amplius, sed ad solis curriculum tempora digerentes. Proportione itaque apud nos respondebit Neomenia Calendis Romanis : Instans vero, & supra decem, & Præceps seu Desinens, illis dicendi modis Latinis, ante Nonas, ante Idus, ante Calendas. Ut vero nobis non amplius usus extremi & primi, sic ne Romanis quidem interlunii : diem enim (cujus pars desinenti mensi, pars incipienti competit secundum lunam) Romani ita vocant. Hæc igitur sic ac- E cepta, bene quidem habeant.

Neque vero hic sermo privat rudes & idiotas dierum lunæ cognitione, quotnam scilicet quotidie sint. Multum enim ad id conducit dierum solaris mensis peritia : faciliusque est, eos dies Epactis adjicienti hujusmodi lunarem numerum invenire. Atque hic non requirenda subtilis exactaque diligentia. Epactæ sint A. Numerus dierum solaris mensis seriatim continuatorum sit B. Numerus mensium anni consequentium a Martio quidem incipientis C. Conflatus ex A B C numerus, sit D. Numerus excedens tri- F ginta sint E. Excessus ille vocetur F. Numerus dierum lunæ consequentium sit G. Cæterum D erit æqualis G, nisi E sit D. Quod si sit, F erit æqualis G. A vero, id est, Epactarum summa, quæcunque sit, sumenda est. Sufficit enim vulgo illa quæcunque sit. Sunt itaque viginti octo Epactæ præsentis anni, a vere incipientis. Verum augeantur per singulos annos similiter a vere inchoantes, additione undecim. Et quando hic numerus tri-

Margin notes (right column): Dona Spiritus Sancti fieri authentice. — Calendæ unde dictæ? — Nonæ. Idus. — Reductio dierum Atticorum ad dies Romanos. Nunc nullus usus diei extremi, primi, ut nec interlunii. — Cognitionis dierum lunæ ratio Epactæ.

ginta excesserit, sumatur ille excessus A. Et sic semper augenti & accipienti sumendum est A, fiat additio H. Alter excessus sit I. additione H. simul sumpta cum A, id est, cum viginti octo Epactis præsentis anni A, excrescens summa erit dierum novem sequentis anni a vere inchoativi: & rursus facta additione, erunt viginti Epactæ sequentis anni: deinde una Epacta anni qui succedet: I enim excessus secundus una duntaxat Epacta est. Et ita assidue fiat, peritius vero sic.

CAP. XV.

INVENTIO EPACTARUM.

DIVIDANTUR anni a natali Cristiano per novendecim, his uno altero anno etiam addito. Sumantur vero dies, qui ex ea divisione (quæ fit per novendecim) supererunt: & multiplicentur per undecim, deinde dividantur per triginta. Qui certe supra trigesimas illas dies remanebunt, sunt A Epactæ. Verbi gratia, nunc a natali Christiano sunt mille quadringenti septuaginta anni. Adjiciatur his unus. His ergo per novendecim distributis, certum est octo superare. Sumptis vero his octo, & per undecim multiplicatis, qui conficitur inde numerus, continet octoginta octo. Hoc rursum diviso per triginta: excurrens summa capit duodetriginta. Id autem est A Epacta præsentis anni: similique ratione in posterum erit Epactarum inventio. Sic igitur iterum sumptis Epactis A scilicet adjiciatur, & B & C, tum D: summa ex iis conflatilis dicenda est G, nisi excesserit triginta. Nam si excesserit, hic excessus erit dicendus G. Neque vero horum quicquam festis diebus impedimento est. Anno enim toto in duas & quinquaginta septimanas distributo, ex quatuor septimanis singuli menses a nobis constituentur, & præter id numeri quatuor dies habebunt sanctissimos, singulos per septimanam: nisi si forte antevertentes aliqui a Dominico die incipiant, vel tardius incedentes intra mediam septimanam. At mensis Plethonis sex festos dies continens, aufert plus justo necessariorum civitati operum. Ignavos enim atque inertes esse necesse est eos, qui festa agitant. Et simul tres dies festos esse deinceps ex Plethonis institutione usuvenit, mensis quidem ultimum (quem veterem vocat) Plutoni, veterem & novum, id est, intermenstruum sui cujusque recognitioni, novilunium autem Jovi. Verum id ita evenire fastidiosum fit. Itaque per intermissionem agere (eorum enim quæ intervallo fiunt, si jucunda quidem sunt, jucundior est sensus: sin autem molesta, tolerabilior) & quam paucissimas ferias celebrare melius sit. Unum enim hoc civile institutum perniciosum, multas scilicet agere: ac signum est non pietatis, sed voluptatis.

Epactæ quot essent, a Gaza hæc scribente.

Septimanæ anni quinquaginta duæ. Menses singuli quot constent septimanis? Festi dies Plethonis.

Intermissionis jucunditas.

Cæterum qui dies forent celebres feriatique, Plethoni quidem non erat indecens recensere, ut qui alios dies festos, quam qui a nobis recepti sint, constituat. Nobis vero id minime opus est: cum de his impræsentia sermo susceptus non sit. Nam certum est, Christo resurgenti rituales & legitimos quatuor dies mensem quemlibet habiturum. Commodius enim, quam possumus minimo res divinas contrahere. At diem festum nobis ipsis spectandis singulis mensibus præscribendum, & rerum a nobis patratarum inspectionem semel in mense faciendam, ut censet Plethon, nos quidem negamus. Verum pium sanctumque sit id quotidie, nedum feriis, actitare, nocte scilicet a somno sufficienti, & cibi concoctione prima nobiscum reputantes, quidnam piaculi pridie admissum sit, quod expiatum iri oporteat postridie: tum hoc statim ab aurora correcto, purifica piacularia que oracula auscultare, factosque sanctissimorum sacrorum spectatores, & bonis interdum avibus illo sacrificio, sanctificoque crustulo delibato, a tali principio ad operas nostras abire. Sed de his alias.

Festi dies Christo resurgenti.

CAP. XVI.

QUOMODO SEPTIMANÆ DIES SUNT NUMERANDI?

LICET vero septimanæ dies numerare, vel ut Græci hujus ætatis, primum diem Dominicum vocantes: secundum verò, id quod re vera est, secundum: deinde tertium, quartum, quintum, sextum, septimum: vel ut hodie Romani secundum stellas erraticas, post Dominicum Lunæ diem statuentes, deinde Martis, ad hæc Mercurii, præterea Jovis, postea Veneris, demum Saturni. Parasceven enim diem sextum appellare, & septimum Sabbatum, id apud nos (ut videtur) nullam rationem habet. Sed apud Judæos fortasse, nimirum ante Sabbatum illos apparatum facere oportet: ut qui superstitiosa quadam religione obstricti, nihil negotii obeant postridie. Verum id nostra nihil interest. Neque enim septimo die ab omni opere feriamur inertes, qui dies a Judæis Sabbatum a quiete nuncupatur: sed ipso die primo, qui nobis est Dominicus sacerque Deo resurgenti. Neque tamen sic ociamur, ut vel elixare, vel mensam sternere religio sit: operæque sit pretium omnia pridie præparata habere. Ergo nec utile, nec alioqui honestum, hæc Judæorum nomina in nostræ septimanæ calculum assumere. Nec enim sic se habet Sabbatum, ut *Hosana* & *Sabaoth*: quæ aliena quidem cum & ipsa sint, tamen in hunc usque diem in sacrificiis acclamatione communi ab ipsis sacrorum ministris necessario usurpantur. Quæ enim a maximis pontificibus alicujus arcani gratia sancita sunt, nefas sit immutare. Superstitiose vero & anxie agere, quod nullum usum cogentemque necessitatem habet, id redolet Judaismum. Nos igitur mensibus, diebus, & anno sic uti maxime dignum putamus.

Dominicus dies.

Nomina dierum septimanæ Romanæ.

Sabbatum unde vocatum?

CAP. XVII.

QUOMODO SECUNDUM ATHENIENSES AGENDA SUNT TEMPORA?

QUOD si cujus interesset secundum Athenienses agere, ordine quidem utetur demonstrato: si quid ordinis præsenti sermone consecuti sumus. Verum postquam ab æstivo solstitio anni principium ordinaverit, mensium describet alios trigenarios & plenos, alios vero uno die minus aliis alternis vicibus censos: quasi deficiente diei certe dimidio, ut menstruum lunæ tempus sit tricenum dierum. Supputabitur autem dierum ratio, quo supradictum est modo, usque ad vigesimum: secundum quem, si mensis est plenus, dices decimum præcipitis, deinde nonum, & ita deinceps ordine præpostero usque ad secundum: post quem extremum primum seu veterem & novum. At si mensis cavus sit, nonum desinentis post vigesimum dices, & simili deinceps ratione, ut etiam Pollux enumerat, sed non sufficienter quidem, ut qui solius cavi dies recenseat. Plethon vero vigesimum nonum veterem appellans, & trigesimum veterem & novum, nihil nobis, quantum ad hanc rem, dissonum adfert. Diem enim, quem secundum præcipitis dicimus, ille veterem appellat, ut forte sacrum ipsi Plutoni existentem. Nam ex hujusmodi appellatione nescio quid grave, superciliosum & tragicum præ se fert: quæ res apprime opus est iis, qui tractandis sacris vehementius occupantur. Enimvero periclitandum est ad lunam dies numerare. Quando etiam id sibi vult ea mensium constitutio, cum pleni alii, alii cavi sumuntur. Sed non sufficit tamen. Siquidem & alia quædam crebro commentari oportet, si consonantiam æqualitatemque servare velimus: id quod propter non parvam lunæ confusionem est difficile. Quo fit, ut neque Athenienses videantur recte atque ordine procedere, ut ex eo conjectare est, quod Comicus lunam facit iis succensere, quod non recte ad suum ipsius curriculum tempora dirigerent, sed infra supra (*sursum deorsum*, forte melius, aut ut Terent. *rursum prorsum*) confunderent: sic enim ille loquitur. Experiendum tamen est emendare pro virili, utendo assidue expertissimis Astrologiæ speculationum præceptorumque consiliis.

Menses Attici quot diebus constarent? Tempus lunæ quot dierum? Mensis plenus. Mensis cavus.

CAP. XVIII.

DE MENSE INTERCALARIO.

ET mense quidem intercalario Atticis annis etiam opus est, uti prius explicavimus, ut menses perseverent temporibus concordes. Inserendum itaque Scirophorioni mensi, qui respondet Majo, dies triginta. Testesque hujus rei Macrobius scriptor Romanus, & Herodotus. Nam ille in *Saturnalibus* dum Glaucippum in *Commentariis de sacris Atheniensium* interpretatur, dicit Athenienses ultimo mensi anni superfluos dies injicere: atqui ultimus est Scirophorion. Rursum Herodotus intercalationem esse dierum tricenum abunde manifestat his verbis: *Quod si volet*, inquit, *alterum annum esse, quam alterum, uno mense majorem, ut tempora eodem opportune recurrant, menses quidem intercalarii triginta quinque fiunt per annos septuaginta, dies vero ex his mensibus mille & quinquaginta.*

Quoto autem quoque anno intercalandum sit, si quis Herodoto fidem habendam putat, ex nuper appositis quod quærit sumere potest. Alternis enim annis intercalationem fieri declarat, dum dicit alterum ex duobus annis fieri altero longiorem, & dum quinque & triginta menses intercalarios per septuaginta annos enumerat. Id quod forsan adhuc indiget consideratione, quonam pacto per alternos annos intercalatis diebus triginta contingat menses tempestatibus competere. Quando sane temere per plura fiat, quod fieri possit per pauciora: atqui per pauciora fiat, si quarto quoque anno factum æque recte habeat. Sumptis quidem mensibus ut retulimus, & intercalatis diebus triginta post tertium quenque annum, hoc est, intervallo duorum annorum intercalationem fieri: nisi si ab hoc inchoativo quopiam die solstitiali annus incipiat. Sunt autem inchoativi solstitiales, primus, secundus, tertius, universi perfectique ambitus. Primus quidem primi annorum undenarii & imperfecti ambitus: secundus vero secundi undenarii & imperfecti ambitus: tertius autem sequentis octogenarii justum numerum universæ perfectæque periodi implentis, Nam hoc genus curriculi, ut plena in his fiat annorum revolutio, ternarium illum annorum gradum expetit. Porro accidit, nihil ultimo anno superfluere: sed vel deficere, ut in primo & secundo undenario: vel æquare, ut in sequente quidem octonario. Quapropter necesse est continuo illi anno, qui initialem excipit, dies abundantes adjicere. Altera tamen additione etiam opus est, propter excurrentem particulam: siquidem quarto quoque anno dies unus deest. Repleatur itaque per vices hoc modo. Fac esse Hecatombæonis neomenia solstitium primo anno: sequente profecto erit duodecimo die Hecatombæonis, eique addito intercalario, ipsique supplementum confectum est, & sequenti anno, puta tertio, solstitium existit vigesimo secundo die mensis intercalarii, & superflui sunt dies octo: atqui undecim oportebat. Itaque in quartum instantis Hecatombeonis solstitium quarto anno redit: deinde in decimum quintum anno consequenti, in quod intercalatione facta quinto & vigesimo die mensis intercalarii sequenti anno, scilicet sexto, solstitium collocatur, & superfluunt quinque. Quapropter annus septimus sequens septimo ineuntis Hecatombæonis solstitium peraget, & decimo octavo annus octavus. Hoc rursum intercalari facto, solstitium erit vigesimo nono die mensis intercalarii anno sequente, & dies abundantes duo. Anno vero decimo, in decimum Hecatombæonis solstitium circumagitur: & proximo in vigesimum primum, qui factus intercalaris ultimus quidem primi undenarii in secundum Hecatombæonis solstitium restituit, nullum superfluum relinquens: sed adhuc unum uno indigens. Ipse igitur primus undenarius, & singularis ambitus & imperfectus, incipiens quidem a novilunio Hecatombæonis, die vero secundo

Quotocunque anno intercalandum secundum Atticos? Inchoativi solstitiales perfecti ambitus? Ratio totius perfecti ambitus?

Anni naturales, qui vulgo communes. ejusdem finiens, per septem scilicet annos A naturales opitulante intercalarium annorum quaternione. Secundus præterea undenarius similiter in diem tertium Hecatombæonis solstitium rejicit: at tertio loco octogenarius positus pariter decursus, perficit illam universi perfectique ambitus plenam instaurationem, solstitium in Neomeniam Hecatombæonis restituens. Et sic semper circumacta solstitia cum mensibus congruent, additis etiam particulis excurrentibus quam commodissime addi posse videbuntur. Porro consideranda hæc sunt etiam in exposita descriptaque tabella, si cui id curæ est. B Quod si cui placet secundum Plethonem distribuere & numerare, nihil illum impediat, quo minus & ordine utatur, & nominum ratione ante explicata. Atque etiam Plethon hac denominatione usus esset, cum de mensibus scriberet, si recte ab alio mutuari hanc mutuam mensium seriem potuisset. Neque enim ipsi suas ferias dierumque enumerationem labefactasset Atticorum mensium nomenclatura: ut interim taceam, quantum dignitatis & splendoris attulisset, librum ipsum scripturamque abunde exornans. C Nunc vero ille absurdam nobis Romanorum mensium enuntiationem refugiens, nec Januarium, nec Februarium, nec reliquos nominat: deque Græcorum mensium ordine dubitabundus, & laboris investigandi fugitans, ad numeri facilitatem divertitur.

CAP. XIX.

DE PRINCIPIO DIEI.

Principium diei Atheniensis. PRINCIPIUM vero diei (quandoquidem D præsenti de mensibus sermoni id quoque germanum est) Athenienses a solis occasu observabant, noctem diei sequenti adscribentes, & omne id medium tempus ad alterum occidentem unum diem constituentes, ut Aulus Gellius, Latinus autor non ineptus, Marcum Varronem scriptis mandasse tradit. Principium diei apud Romanos. At Romani priscis temporibus a media quidem nocte inchoabant: quos Plethon imitans idem principium facit. E Nunc vero ab oriente sole inceptant, itidemque Græci. Quanquam contra oportebat Christianos omneis facere, id obsequii suo Principi exhibentes. Sic enim solum constabit illum mortuum tertio die revixisse, si vel a summa nocte, ut solebant Athenienses, vel a media, ut Romani, principium diei sumatur. Utrum vero potius, dictu non est facile. Nam Theologi, qui accolunt Athon montem, totis viribus contendunt, Tempus resurrectioni Dominicæ. circiter noctis medium resurrectionem factam esse, F & sacra illa antelucana in ejus rei memoriam a media nocte incipiunt. Quorum ratio hoc habet: quod contigerit mulieres profundo quidem diluculo ad monumentum profectas, ut exequiarum justa de more peragerent, defunctum non invenisse, ut Lucas in suo *Evangelio* perscripsit. Illud enim profundum diluculum proximum tempus mediæ nocti significare existimant. Simul vero sic quoque plus aliquando tertii diei contineatur. Istudque plus signum evidentius est ipsius dierum ternionis. Tempus resurrectionis Christi secundum Romanos. Sed ex Italis Romani post mediam noctem id fuisse ajunt: & profundum illud sic intelligunt, ut a noctis medio sufficienter dirimant. Cum ergo nullus *Evangelii* scriptor doceat, qua parte noctis Christus surrexerit, tutius quidem videtur, si quis constituat a summa nocte diei principium. Nam quod mediam noctem subsequitur, accedit illi pro auctario. Quibus vero in hoc solum ratio sita est: non major est fiducia quod volunt assequendi, quam periculum ab eo aberrandi. Hos enim vice versa hoc inconveniens sequetur, dum primam noctem diei principium ponunt. Quod cum permissum sit carnibus vesci postridie, id quidem licebit a summa præcedente nocte. Contra vero cum sit vetitum eadem die cœnam de carnibus sumere, non concedetur eadem nocte. Hac igitur de re melius diligentiusque denuo est considerandum: commodumque fuerit harum rerum peritos rogare & consulere. Hæc namque ita considerari observarique oportet, ut ex sermone nihil quicquam sacris contrarium eveniat: diemque pie ac sancte in Dei gratiam auspicemur.

CAP. XX.

UNDE NUMERANDA SUNT TEMPORA?

ENIMVERO etiam fas est a natali Christiano tempora supputare, non ut Græci a mundi origine, nunc annum nongentesimum octavum & septuagesimum numerantes supra sexies millesimum. Prophetis quidem sic fortasse licebat: verum melius est Christi cultores ab illo incipere. Temporum supputatio priscorum Romanorum & Atheniensium. Olympias. Quod etiam agunt Romani, hujus ævi millesimum quadringentesimum & septuagesimum præsentem annum computantes: quanquam prisci illi ab urbe condita numerabant, quemadmodum Athenienses a prima Olympiade, alii vero a bello Trojano. De Mensibus igitur hæc descripta sunto, ad emerendam antiquariorum disertorumque virorum hoc obsequiolo gratiam. Si quid fortasse spei est Græcam linguam, ejusque studium adusque posteritatem fore: non autem, ut aliarum quondam gentium, Græci quoque nunc totius & generis & sermonis finem esse in fatis est.

F I N I S.

JOAN-

JOANNIS PERRELLI DE RATIONE LUNÆ, EPACTARUM, ET MENSIS INTERCALARII COMMENTARIOLUS.

CAP. I.

UNDE ORIANTUR EPACTÆ.



NON pœnitendum fortasse fuerit ad pleniorem lunæ, Epactarum, intercalationisque notitiam, hæc velut principia quædam posuisse. Principio annum lunarem constare diebus trecentis quinquaginta quatuor: solarem vero, trecentis sexaginta quinque & quadrante diei. Nam an sit integer quadrans, an quadrante plus vel minus, impræsens subtilius inquirendum non est. Sufficit enim hæc rudibus scribentem rudi calculo examinare. Ex his ergo constat, lunarem annum a solari diebus exsuperari saltem undecim, & diei particula. Qui quidem excessus est id, quod Epactas vocamus: a Græcis appellatione sumpta, quasi dicas *dies addititios*, sive *inductitios*, & *intercalarios*, (ἐπάγειν enim *intercalare* significat) quod hi dies simul collecti ex alternorum amnnorum circuitu mensem intercalarium efficerent, & nunc quoque resumantur ad cognitionem ætatis lunæ quolibet die mensis solaris.

Dies anni lunæ. Dies anni solis. Quid sit Epacta, et omnis ejus ratio?

CAP. II.

QUOT SINT EPACTÆ.

Epactarum numerus quousque procedat?

EPACTARUM numerum non excedit triginta. Quod si undenarii illius solis excessus collectio ex aliquot annorum revolutione superat triginta, remotis illis triginta, velut pro intercalario mense, quem antiquitus intercalabant, illa summa excrescens supra triginta erit Epacta. Cui summæ semper addendum undecim, pro Epactis sequentium annorum. Et quod excesserit triginta, (ut jam dixi) aut quod fuerit sub numerum trigenarium, pro Epacta sumendum. Nam triginta septem removenda, ratione mensis intercalarii, ut supra dictum est.

CAP. III.

EPACTARUM INVENTIO.

ENIMVERO ad faciliorem Epactarum inventionem tibi sunt hoc pacto dividendi anni a natali Christiano per novendecim: tot enim annis dicitur luna cur-

A sum suum conficere. Ex centum itaque per novendecim divisis, quinque tibi restant: ex quingentis itidem divisis, restant sex: ex mille duodecim. Ergo ex mille quingentis triginta quinque (tot enim annos hodie a natali Christiano supputamus) per novendecim divisis, redundant quindecim. Verum adverte, semper ei anno (in quo sis, dum agis hujusmodi annorum a Christo nato divisionem) unum præter hæc annum ultra integrum illum numerum addendum esse, idque ex institutione Gazæ, in hoc Mathematicos & Ephemeridum supputatores

Ex divisione 1535. per novendecim 15. restare.

B sequentis, quod dicant lunam ipsam jam tum unum annum sui curriculi complevisse cum Christus natus sit: fuisseque in secundo sui curriculi anno. Itaque addito uno anno præsenti anno, (qui est millesimus quingentesimus trigesimus quintus) & facta divisione, ut supra dictum est, supererunt sexdecim anni. Hicque obiter adnotandum putavimus, ex annis per annos divisis, si quid superfit, annos tantum superare: ne quem fortasse fallat Gazæ dictio in capite *de Epactarum inventione*, dies pro annis dicentis sic:

Cur unus annus addendus ad annos Christi? Ex divisione 1535. additione unius superare 16.

C Sumantur vero dies ex illa divisione exsuperantes, & per undecim dividantur. Hic, nisi sit librariorum culpa, dies pro annis posuit. Sed ad rem revertamur. Facta igitur integra divisione mille quingentorum triginta quinque annorum, supersunt quindecim, quibus unum si addas ex jam dicta ratione, habebis sexdecim. Qui quidem sunt tibi per undecim dies multiplicandi: quod ideo fit, quia annus solis exsuperat lunarem diebus undecim, ut jam dixi. Nam exacta illa quadrantis supputatio hic non examinatur. Sexdecim autem illi anni ex perfecta divisione,

D cum additione unius reliqui, & per undecim dies multiplicati, id est, decies sexies undecim vel undecies sexdecim, efficiunt centum septuaginta sex dies: nam decies sexies decem sunt centum sexaginta: adde sexdecim quæ supersunt, & colliges centum septuaginta sex dies. His sic constitutis, dividendus iterum tibi hic postremus numerus centum septuaginta sex dierum per triginta, ratione intercalarii mensis antiqui. Et quoties hic numerus trigenarius inventus fuerit ex illis trigenariis, quoad fieri possit, remotis:

Sexdecim annorum multiplicatio cur item fiat per undecim? Multiplicatio 16. per 11. facit 176. deis. Ultima divisio 176. per 30. relinquit 26 dies, qui sunt Epactæ.

E illud reliquum erit numerus Epactarum, quem quæris. Quamobrem ex centum septuaginta sex divisis per triginta, quinquies auferre potes triginta & supererunt viginti sex dies: qui sunt hujus præsentis anni millesimi quingentesimi trigesimi quinti Epactæ

Annos pro ratione Epactarum a Martio incipere.

A Verum enimvero illud prætereundum non eſt, ex Gazæ ipſius præcepto, ſemper annos tuos a Martio menſe inchoandos eſſe. His autem viginti ſex Epactis præſentis anni adde per ſingulos annos ad certam Epactarum rationem in poſterum habendam aſſidue undecim. Et ſi hæc additio exſuperarit triginta, his triginta remotis, ut ſæpe dictum eſt, exceſſus ille erit Epacta. Anno ergo huic proximo ſeptem erunt Epactæ. Et conſequenti anno, additis item undecim, octodecim erunt Epactæ. Præterea autem additis undecim illi anno, qui erit milleſimus quingenteſimus trigeſimus octavus, eſſent viginti novem Epactæ: ſed quia parum hic numerus abeſt a trigeſimo, & pro menſe haberi poteſt, nulla Epacta ſupputatur: quando etiam jam ad primum annum curſus lunæ reditum ſit, in quo nulla Epacta eſt. Et certe primo die Martii eo anno nova luna erit. Sequenti anno, qui erit trigeſimus nonus ſupra milleſimum quingenteſimum, undecim erunt Epactæ: poſtea viginti duæ: deinde tres, & ſic deinceps, addendo ſemper undecim, quouſque redeas ad vigeſimam nonam, id eſt, ad nullam Epactam. Sed ne te torqueat diutius hæc ratiocinatio, ſequere ad perpetuos annos figuram Epactarum, quam hic tibi ſubſtituimus.

Epactæ anni 1536. & aliorum ſequentium annorum.

Primo anno curſus lunæ nullam Epactam eſſe.

B

C A P. IV.

EPACTARUM FIGURA.

A				B
	Nulla	11	22	3
	14	25	6	17
	28	9	20	1
	12	23	4	15
	26	7	18	
C				D

HÆC figura, Epactarum curſum ſpacio novendecim annorum complectitur: & hoc curriculo luna reducitur ad eundem diem menſis, unde primum diſceſſerat, quemadmodum etiam numero illo (quem vocant) aureo. Epactæ igitur præſentis anni, ut dictum prius, ſunt viginti ſex, quæ ſitæ ſunt decima ſeptima cellula, ſupputando ab A ad B, & deſcendendo per ſingulas cellulas ad C D. Pro ſequenti anno ſume novem pro Epactis, qui numerus eſt in proxima cellula. Et ita deinceps per ſingulos annos in futurum percurſa illa figura ab A B ad C D. Et cum perveneris ad D, incipiendum eſt rurſum ab A. Et ſic deinceps Epactarum ratio nunquam te fallet.

Aureus numerus.

C A P. V.

QUOMODO SIT INVENIENDA ÆTAS LUNÆ?

JAM vero collectis, ut dictum eſt, Epactis, ad inveniendam lunæ ætatem, quot dies ſcilicet habeat, aut quo die renata ſit, Gaza docet, ut Epactarum numero addas etiam numerum menſis: id eſt, quotus in ordine ſit menſis in quo lunam quæris, incipiendo quidem ſemper a Martio, quem primum ſui anni pro hac ratione lunari idem Gaza conſtituit. Deinde addendus tibi numerus dierum menſis, uſque ad diem in quo lunam quæris. Quod ſi hic totus numerus, puta Epactarum, ordinis menſium a Martio, & menſis dierum (in quo lunam quæris) ſimul ſumptus non exceſſerit triginta, hic numerus quantuſquantus erit, etiamſi præciſe triginta contineat, erit numerus dierum lunæ: ſi vero exceſſerit triginta, ille exceſſus, remotis triginta, erit ætas lunæ, & numerus dierum ab ipſius novilunio. Et hæc ſunt quæ Gaza voluit per illam literarum (quam confuſam invenimus) demonſtrationem.

Epactis numerus menſium a Martio & numerus dierum.

menſis addendus ad lunæ inventionem.

C A P. VI.

EXEMPLUM ALIQUOT MENSIUM, PRO INVENTIONE LUNÆ.

SED antequam tollam manum de tabula, tibi unum atque alterum menſem proponam in exemplum. Si ergo quæris, quota fuerit hoc anno luna primo die Martii, inveſtigandæ primum ſunt Epactæ ejuſdem anni. At ſunt (ut jam diximus) viginti ſex Epactæ. Verum pro numero menſis, jam ut ſcis, per nos Martius primus eſt. Adde igitur illis viginti ſex Epactis unum pro numero menſis, & ſunt viginti ſeptem. Pro numero autem dierum, adde etiam unum: quia ille primus dies eſt, ut ſuppoſuimus, in quo lunam quæris. Et ex his tribus numeris ſimul ſumptis habes viginti octo. Ergo luna dicenda eſt primo die Martii hoc præſenti anno viginti octo dies habuiſſe. Vide Ephemeridas, in quibus dies lunæ deſcribuntur, & ita invenies. Si quæris, quota luna fuerit ejuſdem menſis vigeſimo octavo die, qui fuit dies feſtus reſurrectionis Dominicæ, habes viginti ſex Epactas, unum pro numero menſis, pro numero autem dierum viginti octo. Quæ omnia ſimul collecta efficiunt quinquaginta quinque: deme triginta, reliqui ſunt viginti quinque dies lunæ, idque certiſſimum invenies. Hoc modo ſi præſenti menſe Junio novam lunam, aut ejus ætatem quæris, conſtitue tibi diem primum, vel alium quemvis. Sed eſto primus. Adde igitur viginti ſex Epactis, quatuor pro numero menſium: quartus enim eſt a Martio Junius. Adde unum pro numero dierum. Vides ſimul eſſe triginta unum: deme triginta, primus dies ætatis lunæ, idque veriſſimum. Atqui, ut in Ephemeridibus notatur, renovata eſt ultimo die Martii, qui dies erat numeri hujus noſtri trigeſimus. Non igitur præciſe verum eſt, triginta remotis novilunium perendie fieri. Sed ne te torqueat hic nodus, dum lunam invenies renovari trigeſimo, id fere evenit poſt meridiem, quod Aſtronomi adſcribunt ſequenti diei. Itaque quando remotis triginta diebus notabis primum diem lunæ, ſic exiſtima, ut luna potuerit renata eſſe veſpere, & poſtmeridiano tempore pridiani diei. Atque hæc hactenus de inventione.

C D E F

1535 anno fuiſſe primo die Martii lunæ 28. diem.

Lunam hoc anno feſto Paſchæ 25. dies habuiſſe.

Quomodo primus dies lunæ intelligendus?

TABULA
INTEGRI ET PERFECTI CIRCUITUS ANNORUM, SECUNDUM ATHENIENSES INTERCALARIUM.



T faciliori ratione intelligas diſceptationem Gazæ cum Ephoro, de expugnatione Ilii, quod ille dicit captum fuiſſe abeunte anno, ſub finem Thargelionis, diebus ſeptemdecim ante æſtivum ſolſtitium, & dies fuiſſe ſuperabundantes poſt æſtivum ſolſtitium numero viginti; hic tibi Tabulam annorum intercalarium plenam perfectamque ſub oculos propoſuimus: cujus quidem tabulæ & curriculi perfecti Gazæ ſatis fuit, primum undenarium & hendecadem tibi deſcripſiſſe.

PRIMA HENDECAS.

Sit igitur primo anno primæ hendecadis imperfectique ambitus ſolſtitium, primo die Junii ſeu Hecatombæonis.

Secundo anno ſolſtitium erit duodecimo die Junii per Junium enim ſemper Hecatombæonem intelligam, ad cujus finem intercalatione facta.

Tertio anno ſolſtitium erit vigeſimo ſecundo menſis intercalarii, ſuperſuntque octo dies.

Quarto anno ſolſtitium erit quarto die Junii.

Quinto anno ſolſtitium erit decimo quinto die Junii, & hic intercalatione facta ſub anni hujus extremum.

Sexto anno ſolſtitium erit vigeſimo quinto die intercalarii menſis, & quinque dies ſuperſunt.

Septimo anno ſolſtitium erit ſeptimo die Junii.

Octavo anno ſolſtitium erit decimo octavo die Junii, intercalatione autem facta ad finem.

Nono anno ſolſtitium erit vigeſimo nono intercalarii, & ſuperflui ſunt duo dies.

Decimo anno ſolſtitium erit decimo die Junii.

Undecimo anno ſolſtitium erit vigeſimo primo die Junii. Et in fine hujus facta intercalatione nihil ſupereſt, ſed uno die indiget ad plenum circuitum.

SECUNDA ENDECAS.

Primo anno ſecundæ hendecadis imperfectique ambitus ſolſtitium erit, ſecundo die Junii ſeu Hecatombæonis.

Secundo anno ſecundæ hendecadis ſolſtitium erit 13. die Junii, & hic intercalatione facta abeunte anno.

Tertio anno ſolſtitium erit 23. die intercalarii menſis, & ſuperſunt dies ſeptem.

Quarto anno ſolſtitium erit quinto die Junii.

Quinto anno ſolſtitium erit 16. die Junii, & facta intercalatione ad finem ipſius anni.

Sexto anno ſolſtitium erit 26. menſis intercalarii, & dies ſuperfluunt quatuor.

Septimo anno ſolſtitium erit octavo die Junii.

Octavo anno ſolſtitium erit decimo nono die Junii, & præcipiti anno intercalatione facta.

Nono anno ſolſtitium erit 30. die intercalarii, & ſupereſt dies unus.

Decimo anno ſolſtitium erit 11. die Junii.

Undecimo anno ſolſtitium erit 22. die Junii, & hoc anno ad finem facto intercalari duobus diebus indiget ad perfectam periodum.

OCTAS.

Primo igitur anno octadis, quæ periodum integram completura eſt, ſolſtitium eſt tertio die Junii ſive Hecamtobæonis.

Secundo anno octadis tertio & ultimo loco conſtitutæ, ſolſtitium erit 14. die Junii, & ſic ſub finem intercalatione facta.

Tertio anno ſolſtitium erit vigeſimo quarto die intercalarii menſis, & ſuperſunt dies ſex.

Quarto anno ſolſtitium erit ſexto die Junii.

Quinto anno ſolſtitium erit 17. die Junii, & facta intercalatione ad finem anni.

Sexto anno ſolſtitium erit 27. die menſis intercalarii, & tres dies ſuperſunt.

Septimo anno ſolſtitium erit nono die Junii.

Octavo anno ſolſtitium erit vigeſimo die Junii, & hic facta intercalatione in fine hujus anni nihil deeſt aut ſuperfluit, ut vides, ſed in primum diem Hecatombæonis & Junii ipſum ſolſtitium rejicitur.

AD LECTOREM.

Habes igitur, candide Lector, rationem lunarem Gazæ, annorumque intercalarium, ad restitutionem solstitii, novilunii que, ad idem anni Attici principium, a nobis pro rudibus diffusius traditam. Quæ omnia si jucundissima tibi sunt, Jacobo Tussano, eruditissimo viro, & de me non parum merito, hanc habebis gratiam, Ægidioque Bourdino meo, juveni certe quam pro illa ætate doctiori: uterque enim me ad id etiam libello Gazæ adjiciendum compulerunt. Quod profecto sciebam fore supervacaneum, nisi quis forte fuerit adeo numerorum expers, aut ignavus, ut hæc saltem in digitos diducere numerando aut fugiat, aut certe nequeat. Hoc, quicquid est, boni consule, & vale.

FINIS.



PETRI HAGUELONI,

LEXOVIENSIS,

CALENDARIUM TRILINGUE,

SEU

DE MENSIBUS HEBRÆORUM, GRÆCORUM ET ROMANORUM,

DIALOGUS,

EX OPTIMIS QUIBUSQUE AUCTORIBUS COLLECTUS.

AD NOBILISS. ET REVERENDISS. CARDINALEM

JOANNEM D'ANNEBAULT,

LEXOVIORUM EPISCOPUM.

NOBILI AC REVERENDO IN CHRISTO PATRI,

CARDINALI, LEXOVIORUMQUE EPISCOPO,

JOANNI D'ANNEBAULT,

PETRUS HAGUELONUS

S. P. D.



UUM erudiendis juvenibus quatuor annos mea impendissem studia (suspiciende Antistes) laboribusque in juvenum institutione continenter ferendis finem imposuissem, longum jam iter emensus, ac scopulos omnes, partim vela permittendo ventis, partim remigio, partim velificatu prætervectus, ad salutis portum, sanctum videlicet Domini nostri Jesu Christi Evangelium, appuli: cujus quidem portus, postquam mare se sibi reddidit, in nosque sævire desiit, summo pietatis colendæ studio, singulaque perlustranti loca mihi in mentem sæpissime venit quorundam locorum: quos Grammatici, tum Latini, tum Græci, citant, ut majorum nostrorum (pro dolor!) sententiam potius labefactent, elevent atque reprehendant, quam confirment, laudent ac tueantur. Id hominum genus aut frustra, aut nunquam (credo) legerat Laurentium Vallam, quod plus æquo in contentionibus literariis esset mordacior, hoc tetrasticho fuisse derisum:

Nunc postquam manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Juppiter hunc celi dignatus parte fuisset
Censorem linguæ, sed timet ipse suæ.

Temeraria certe præsumptio (ut cum divo Hieronymo loquar) senis mutare linguam, & canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Pius certe labor majorum nostrorum tueri monumenta: minime operosum ac difficile majores nostros, qui encyclopædiam absolverunt, non solum ab inscitiæ vitio, sed ab omni ignorationis suspicione vindicare. In hoc pio labore bonam nostrarum vigiliarum partem collocaveramus, cœptoque labori extremam addidissemus manum, nisi turpissimum esse cum larvis pugnare nos Andreas Alciatus emblemate quodam commonefecisset: si tamen intellexerimus viris piis placere, ut incœpto non desistamus, haud labori parcemus. Interea vero libellum, cujus est inscriptio, *Venerabilium consiliorum explicatio*, e fontibus qui in nostro salutis portu scatent haustum, a nonnullis non satis ad vetustorum exemplarium fidem Latinitate donatum, mendis quibus scatet repurgavimus, scholiisque illustravimus: quem si tanquam Lydio lapide comprobaverimus, aut (ut paucis dicam) si extra omnem censuræ aleam posuerimus, in lucem edemus. Habes meæ anteactæ vitæ rationem, illustrissime Cardinalis, quam reddere nos cogit tuorum in nos beneficiorum amplitudo: qui tuis donis veluti stipendiis publicis ad perdiscenda divinorum eloquiorum arcana nutrimur. Cogimur enim, qui tot officiis tibi sumus devincti, eorum fere sequi consilium, qui, bona nomina ubi fiunt mala nomina, versuraque, vel venditione creditoribus minime sunt solvendo, mercium jacturam, temporis calamitatem, servorum incuriam & improbitatem causantes, sive potius incusantes, omnia mutuo accepta, industria & labore se reddituros affirmant. Nobis idem fere faciendum videtur: polliceri siquidem debemus non omnia (qui possemus enim tuis in nos meritis respondere?) nos reddituros, sed promittere nos eo esse animo, ut nolimus tuorum in nos beneficiorum esse aut immemores aut ingrati: cujus quidem rei fidem faciet, testisque erit iste libellus tuo nomini dicatus, qui pro nobis reci-

piet, ac quovis pignore certabit, nil magis mihi in animo eſſe, quam ingratitudinis notam mihi non inuri, ac tuis in nos beneficiis non abuti. Hunc autem libellum parvum quidem, benevolo tamen animo datum accipias precor, Cardinalis illuſtriſſime, ac metiaris rogito munuſculi magnitudinem animo donantis. Non me puduit exiguum quidem munuſculum ad te mittere, cum apud me perpenderem generoſiſſimos, nobiliſſimos, & liberaliſſimos quoſque, in quorum albo tua virtute, nobilitate & liberalitate ſcriberis, munuſculis alacri vultu oblatis lætari. Artoxerxes cognomento *Memor* mille daricis & phiala aurea donavit ruſticum, quod is ruſticus nihil aliud habens quod regi Artoxerxi largiretur, utriuſque manus palma hauſtam e proximo flumine aquam obtuliſſet. Longioribus impræſentiarum ad te non ſcribam, Antiſtes obſervande, ne garrulitate mea tibi tædium adferam; ſed Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtum obſecrabo, ut felicem ac Neſtoream vivas vitam. Vale. Datum Lutetiæ 3. Calendas Octobris, e tuo gymnaſio Lexoveo.

AD LECTOREM.



Abes (ſtudioſe Lector) quæ de Anno & ejus partibus in lucem edenda curavimus: quorum cognitio ac tractatio, ſi non magnam utilitatem afferet, præſtabit tamen, ut hiſtoricorum monumenta, poetarum opera, philoſophorum ſcripta divinorum eloquiorum tempora ad vivum reſecare volentibus, anxiæ & moleſtæ inquiſitionis labor abſit. Intellectis enim quæ de anno, menſibus, diebuſque ſunt cognoſcenda, longe facilius intelliges ea in quibus Juriſconſulti Hippocratem conſulunt. Facilius intelliges ex Ariſtotelis mente, quo tempore Salpa, Sargus, Torpedo & Squatina pariant. Facilius intelliges locum (ut reliquos taceam) quo dicit Ariſtoteles coturnices migrare Boedromione, grues autem Mæmacterione. Facilius intelliges quæ de animalium natura, tum a Latinis, tum a Græcis memoriæ ſunt prodita. Facilius intelliges locos, in quibus menſium ac dierum facit mentionem Sacra Pagina: brevitati quanta potui diligentia ſtudui, nec enim mihi cuncta complectendi cupido inceſſit. Quis enim quæ de Hebræorum, Græcorum, & Latinorum anno dici poſſunt parvo libello comprehenderet? Brevitatem tamen ſectantes, nihil omiſimus, aut ſaltem omitti voluimus, quod merito deeſſe non debeat. Hebræorum ac Græcorum menſium nomina characteribus Latinis excudi voluimus, ut ſi forte vel aliis laboribus diſtrictus, vel paupertate ingenioſorum invida depreſſus, Hebræam, Græcamve linguam ne a limine quidem ſalutas, noſtro tamen labore fruaris: quo pro virili parte ſtudioſorum ingenia juvari voluimus. Commodum (dices) fuiſſet, ut hoc in libello annorum mundi ſeriem juxta Hebræorum, Græcorum ac Latinorum ſcripta diſputaſſem. Si fortuna (mihi crede) non reflaverit, & ad felices exitus perducar, noſtrumque laborem probatum iri intellexerim, id non ſum tibi denegaturus. Interea bene vale, mihique bene precator, ac mutua benevolentia proſequitor. Vale.

AD LIBELLUM

HEXASTICHON PHALEUCIUM.

VIſes Lexovios libelle fontes,
Luſtrans Auſonias deæ calendas,
Splendens Aſſyrio Hodes nitore,
Et *μηνῶν* numerum ferens Pelaſgum.
Non *κωφὸν* vocitatur is *πρόσωπον*,
Qui ſecreta idiomatum revolvit.

J. GAZERANUS

AD AUCTOREM HUJUS LIBELLI.

SOla ſuos ירחים *quondam recutita propago*
Noverat, & μῆνας Græcia ſola ſuos.
Tentarant Veteres Latiis aptare calendis,
Sed fera barbaries impediebat opus.
Tentabunt docti nuper melioribus auſis,
Nil niſi pauca tamen, nil niſi ſparſa dabant.
Fretus idem ſtudio tentas, Haguelone, trilingui,
Atque operi lento grata coronis adeſt.

Idem ad Lectorem.

Ut valeas Solymos menſes conferre Latinis,
Ut valeas Grajos, hoc breve præſtat opus.

PETRI HAGUELONI, *LEXOVIENSIS*, CALENDARIUM TRILINGUE, *SEU* DE MENSIBUS HEBRÆORUM, GRÆCORUM ET ROMANORUM, *DIALOGUS*, EX OPTIMIS QUIBUSQUE AUCTORIBUS COLLECTUS.

DE ANNO ET PARTIBUS EJUS DIALOGUS.

PERSONÆ,

ALPHESTA, CYANOPHRYS.

ALPHESTA.



VIx hodie (credo) femihoræ curriculum laboribus,quos ferre decrevi, operam fum daturus: mihi enim fere femper accidit, ut fi totis viribus alicui rei velim navare operam, horfum, illorfum, furfum, deorfum vocer: ac certe non me fefellit animus, aliquis jam meum pulfat oftium: pulfare define, quifquis es ingreditor, oftium patet.

CYAN. Fores fuiffe apertas me latebat: fi enim patere compertum habuiffem, recta fuiffem ingreffus. Salve mi Alphefta.

ALPH. Tu quoque mi Cyanophry: rectene vales?

CYAN. Recte valeo, fi bene vales.

ALPH. Ut res fefe dant mihi, ego valeo: unde pannis obfitus, folus, fqualidus ac pallidus huc advenifti, cum patre tuo nemo fit ditior, pluresque nemo habeat fervos?

CYAN. Avenione redeo.

ALPH. Quænam Avenionem convolandi tibi inceſſerat libido?

CYAN. In ea urbe Juris Cæfarei effe profeffores non minus audiendos, quam fi alicujus controverfiæ judex federet Ulpianus, mihi affirmarat Lufitanus quidam Ulyffipolis alumnus. Acceptis itaque a patre meo ut Jurifconfultus evaderem ducentis aureis, recta fum profectus Avenionem: ubi nactus tum literatos, tum probos viros, duriter vectitans, meumque fraudans genium, quanta potui diligentia Juri Civili operam dedi, ac cum Lingua Græca, quam fub noftro præceptore doctiffimo didiceramus, Linguam Hebræam conjunxi: quod fi me non defeciffent pecuniæ ac veftimenta, non certe me videres.

ALPH. Mihi mirum eft, qui tot & tantos perferre volueris labores: num te Gazæ Theffalonicenfis infœlicitas, five potius calamitas, terruit, qui de Græcis Latinifque literis optime meritus, Romam deferere rerum inopia coactus, alibi mox fumma in miferia, cum facerdos effet, mortem obiit?

CYAN. Minime profecto: Ifidis enim effigiem alias afellus geftavit tardus: me quorundam potius, in quos dici folet equi fenecta, moviffet calamitas.

ALPH. Quid ita?

CYAN. Nam fenio confecti aut ad carrum, aut ad aratrum detruduntur: aut faltem quiefcunt.

ALPH. Optimo tamen jure vixerunt.

CYAN. Minime inficias ierim ipfos optime jure vixiffe, fed præftaret fæpiffime de hoc jure decedere: nam dum alienis auribus (ut loquitur Flaccus) efcas colligunt, nihil impendunt gravioribus ftudiis, ac dum nullum fibi certum vitæ genus conftituunt, non minus veniunt ridiculi, quam Taurus a Martiale derifus.

ALPH. Non videris æquus rerum æftimator. *Non certe cuivis homini contingit adire Corinthum*

CYAN. Mihi certe audiendus videtur Cicero, qui pro ratione bonorum fortunæ, ætatis, & naturæ quemque monet, ut certum vitæ inftitutum, dum per ætatem licet, fibi conftituat.

ALPH. Hifce perfuafus (ut fufpicor) Jus Civile arripuifti.

CYAN. Sic res fe habet.

ALPH. Cur vero hac redis, quum hæc via recta non ducat in patriam?

CYAN. Pecuniarum defectu Avenione cedere coactus fui: non fatis tamen a quodam Judæo quid difcriminis effet inter Latinorum & Hebræorum menfes excipere potui. Hac redii te plurimum oraturus, ut quid inter Latinorum, Græcorum & Hebræorum menfes eft diffimilitudinis perpenderemus: mihi enim Divina Monumenta legenti occurrunt menfium ac dierum nomina: quæ non minus negotium faceffunt, quam fi veluti alter Sifyphus verfarem faxum, fudans nitendo, ac nihil proficerem.

ALPH. Mihi certe moleftum eft huic negotio attendere: nam Ethnicorum fcripta quafi pro derelicto habeo, meque totum Linguæ Sanctæ ac Sacræ Paginæ devovi. Tibi tamen nihil præfertim & honefta petenti & tam jufta fum denegaturus. Ut autem ordine audias quæ requiris, menfium nomina ratione & diftributione fub uno afpectu ponenda funt, & quafi graphide pingenda.

CYAN. Id facile fiet, fi regis Alphonfi *Tabulas* confulueris. In illis enim Arabum, Ægyptiorum, Græcorum menfium nomina funt fcripta.

ALPH. Si Alphonfi *Tabulis* credideris, toto cœlo, totaque via (ut ajunt) aberrabis: ineft enim editioni menda.

CYAN. Quænam menda?

ALPH. In Alphonfi Tabulis mendofe legitur: *Græcorum menfes ab Octobri*, nam legendum eft, *Chaldæorum menfes ab Octobri*.

CYAN. Qua ratione motus id afferis?

ALPH. Græci non aufpicantur annum ab Octobri, fed ab æftivo folftitio: deinde vero nomina men-

mensium in tabulis scripta, Chaldæa sunt, non Græca.

CYAN. Cur potius Chaldæa, quam Hebræa?

ALPH. Quia Judæi in Captivitate Babylonica mutuati sunt mensium nomina a Chaldæis.

CYAN. Miror ab Astrologis illum errorem non fuisse animadversum.

ALPH. Quasi vero non deprehenderint illum errorem Astrologi, id certe vertendum est vitio typographis, quorum incuria plerumque mendosi sunt codices. Quod si Astrologos aliud agentes, & quorum animus plerumque peregrinatur, ille fugerit error, non mihi mirum esse potest: Astrologi enim cœlum suscipientes, dico suspicientes, quæ sunt ante pedes non vident. Nonne Thales, quum domo exiisset inspiciendorum astrorum causa, in scrobemque incidisset, ab anu domestica ludibrio fuit habitus hisce verbis: *Qua ratione Thales quæ in cœlis sunt comprehensurum te arbitraris, quum ea quæ sunt ante oculos videre non vales?*

CYAN. Nunquam certe eorum judicio me committam, qui planetarum conjunctionibus & oppositionibus futura prædicere conantes, mendosis adhibent fidem codicibus.

ALPH. Neque certe sunt audiendi, frequenter

A a planetarum passionibus falluntur: quemadmodum cana fulix fugiens ex gurgite ponti nuntians horribiles instare procellas, sæpe decepit augures: ita quoque planetarum aspectus aliud minitantur mortalibus, quam soleant qui rerum præsensionibus sua prognostica resarciunt, levibus atque inconstantibus polliceri, qui, si mures corroserint aliquid, monstrum putant. Sed hæc missa faciamus, atque ea, de quibus disserere instituimus, disputemus, nisi habeas aliquid quod huic sermoni prævertendum putes.

B CYAN. Hoc tempore nil magis aveo audire, quam de anni ratione quid sentias.

ALPH. In nulla ero mora, jam manum calamo admovi, ut Tabulam tibi conficiam.

CYAN. Interim visam, si ex æde Divæ Mariæ redierit hospes: ipse promisit se mihi daturum centesimam usuram pecuniæ.

ALPH. Ipse fortasse de sorte veniet in periculum.

CYAN. Nunquam si de sorte constiterit.

ALPH. Ita fore velim.

CYAN. Hora redibo undecima.

ALPH. Quanta potero diligentia nostro instituto vacabo. Vide nunc Tabulam tibi promissam.

TABULA MENSIUM AC DIERUM.

תשרי או התנין	Εκατομβαιὼν	Tisrim 1
מרחשון או בול	Μεταγειτνιὼν	Tisrim 2
כסליו	Βοηδρομιὼν	Remiz 1
טבת	Μαιμακτηριὼν	Remiz 2
שבט	Πυανεψιὼν	Sabat
ארר	Ανθεστηριὼν	Adar
ניסן	Ποσειδεὼν	Nisan
אייר או זיו	Γαμηλιὼν	Idar
סיון	Ελαφηβολιὼν	Haciram
תמוז	Μουνυχιὼν	Tamuz
אב	Θαργηλιὼν	Abh
אלול	Σκιρροφοριὼν	Eyul.

SERIES MENSIUM HEBRÆORUM.	SERIES MENSIUM GRÆCORUM.	SERIES MENSIUM LATINORUM.
Tisri, sive Ethanin	Hecatombæon	Januarius
Marhesvan, sive Bul	Metagitnion	Februarius
Cisleu	Boedromion	Martius
Tebeth	Mæmacterion	Aprilis
Schebat	Pyanepsion	Majus
Adar	Anthesterion	Junius
Nisan	Posideon	Julius, Quintilis
Iiar, sive Zif	Gamelion	Augustus, Sextilis
Sivan	Elaphebolion	September
Tamuz	Munychion	October
Ab	Thargelion	November
Elul	Scirrophorion.	December.

TABULA, QUA MENSES HEBRÆORUM RESPONDENT GRÆCORUM ET LATINORUM MENSIBUS, AC DIERUM, QUIBUS UNUSQUISQUE MENSIS CONSTAT, NUMERUS.

30 Tisri	30 Mæmacterion	30 September
29 Marhesvan	30 Pyanepsion	31 October
29 Cisleu	30 Anthesterion	30 November
29 Tebeth	30 Posideon	31 December
30 Schebat	30 Gamelion	31 Januarius
29 Adar	30 Elaphebolion	28 Februarius
30 Nisan	30 Munychion	31 Martius
29 Iiar	30 Scirrophorion	30 Aprilis
30 Sivan	30 Hecatombæon	31 Majus
29 Tamuz	30 Metagitnion	30 Junius
30 Ab	30 Boedromion.	31 Julius
29 Elul.	30 Thargelion	31 Augustus.

DIERUM NUMERANDORUM MODUS.

1	ראשן	α	Νουμηνία	1	Calend.	Januarii.
2	שני	β	Δευτέρα ἱσταμένου	2	IIII	No.
3	שלישי	γ	Τρίτη ἱσταμένου	3	III	No.
4	רביעי	δ	Τετάρτη ἱσταμένου	4	Prid.	No.
5	חמשי	ε	Πέμπτη ἱσταμένου	5	Nonis	
6	ששי	ϛ	Ἕκτη ἱσταμένου	6	VIII	Id.
7	שביעי	ζ	Ἑβδόμη ἱσταμένου	7	VII	Id.
8	שמיני	η	Ὀγδόη ἱσταμένου	8	VI	Id.
9	תשיעי	θ	Ἐννάτη ἱσταμένου	9	V	Id.
10	עשירי	ι	Δεκάτη	10	IIII	Id.
11	עשתי עשר	ια	Πρώτη ἐπὶ δέκα	11	III	Id.
12	שנים עשר	ιβ	Δευτέρα ἐπὶ δέκα	12	Prid.	Id.
13	שלשה עשר	ιγ	Τρίτη ἐπὶ δέκα	13	Idibus	
14	ארבעה עשר	ιδ	Τετάρτη ἐπὶ δέκα	14	XIX	Cal.
15	חמשה עשר	ιε	Πέμπτη ἐπὶ δέκα	15	XVIII	Cal.
16	ששה עשר	ιϛ	Ἕκτη ἐπὶ δέκα	16	XVII	Cal.
17	שבעה עשר	ιζ	Ἑβδόμη ἐπὶ δέκα	17	XVI	Cal.
18	שמנה עשר	ιη	Ὀγδόη ἐπὶ δέκα	18	XV	Cal.
19	תשעה עשר	ιθ	Ἐννάτη ἐπὶ δέκα	19	XIIII	Cal.
20	עשרים	κ	Εἰκὰς ἢ εἰκοστὴ	20	XIII	Cal.
21	אחד ועשרים	κα	Ἑνδεκάτη φθίνοντος	21	XII	Cal.
22	שנים ועשרים	κβ	Δεκάτη φθίνοντος	22	XI	Cal.
23	שלשה ועשרים	κγ	Ἐννάτη φθίνοντος	23	X	Cal.
24	ארבעה ועשרים	κδ	Ὀγδόη φθίνοντος	24	IX	Cal.
25	חמשה ועשרים	κε	Ἑβδόμη φθίνοντος	25	VIII	Cal.
26	ששה ועשרים	κϛ	Ἕκτη φθίνοντος	26	VII	Cal.
27	שבעה ועשרים	κζ	Πέμπτη φθίνοντος	27	VI	Cal.
28	שמנה ועשרים	κη	Τετάρτη φθίνοντος	28	V	Cal.
29	תשעה ועשרים	κθ	Τρίτη φθίνοντος	29	IIII	Cal.
	Et ſic de reliquis	λ	Δευτέρα φθίνοντος	30	III	Cal.
	feres ſententiam.			31	Prid.	Cal.

Aut Solonis inventione, a vigeſimo die, quem εἰκάδα nominant Græci, ſic numerabuntur dies.

Πρώτη ἐπὶ εἰκάδι
Δευτέρα ἐπὶ εἰκάδι
Τρίτη ἐπὶ εἰκάδι
Τετάρτη ἐπὶ εἰκάδι
Πέμπτη ἐπὶ εἰκάδι
Ἕκτη ἐπὶ εἰκάδι
Ἑβδόμη ἐπὶ εἰκάδι
Ὀγδόη ἐπὶ εἰκάδι
Ἐννάτη ἐπὶ εἰκάδι.

CYAN. Redii, ut pollicitus fueram: abſolviſtine? Inſtai fere, niſi nobis mentitum fuerit horologium, hora undecima.

ALPH. Nihil deeſſe arbitror.

CYAN. Ipſam tabellam conſpicio, ſed niſi viva voce me juveris, ipſam non intelligam.

ALPH. Facile aſſequeris quid velim: antequam autem rem aggrediar, nobis videndum eſt quid Latini vocant *annum*, quid Græci ἐνιαυτὸν, quid Hebræi ימים, quo tempore, & a quibus inventus fuerit annus: deinde vero anni partes diſputavimus.

CYAN. Unde voles auſpicator.

ALPH. *Annus*, ut ab etymologia initium ſumamus, a circuitu temporis dici nonnulli exiſtimarunt: Veteres enim *an* pro *circum* ponere ſolebant: atque huc reſpexiſſe videtur Maro cum ait:

Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Cujus nominis etymologiam videntur ſecuti majores, qui annum innuentes, effingebant ſerpentem circumvolutum, caudam ore tenentem. Aſſerit Eraſmus Horum Ægyptium ſcriptis mandaſſe annum Iſidis & Phœnicis imagine repreſentari.

CYAN. Cur Ægyptii annum indicantes, Phœ-

A nicem pinxerunt, cum Ægyptii innuentes peregrinatum, in natale ſolum tandem revertentem, ſoleant Phœnicem pingere? Ea enim avis morti proxima, in Ægyptum, quingenteſimo videlicet anno, revolat.

ALPH. Ambigua voce φοίνικος lapſum fuiſſe Eraſmum notant nonnulli.

CYAN. Quid hoc tibi velis, dic paulo apertius.

ALPH. Nomen φοίνικος (ut cum Dialecticis loquar) eſt æquivocum: ſignificat enim avem quæ *Phœnix* dicitur, & arborem quæ *Palma* appellatur.

B CYAN. Id ſatis teneo.

ALPH. Ægyptii autem, ut eſt apud Horum Ægyptium, annum ſignificantes, palmam pingunt: quod arbor hæc ſola ſingulis Lunæ coitibus ramulum producat, ita ut duodecim ramorum productione, duodecim anni menſes abſolvantur.

CYAN. Quid? fateberiſne deceptum Eraſmum?

ALPH. Certe ſi *Phœnix* dictio Latina ſignificet *Palmam*, in qua ſignificatione fortaſſe deprehendit Eraſmus, nemini Eraſmus veniet inſimulandus. Hæc ſint ſatis hac de re, ſi plura quæris, lege Eraſmum in Adagium *Feſtina lente*.

CYAN. Reliquum est ut dicas de nominis ἐνιαυτῶ ratione.

ALPH. Servius autumat ἐνιαυτῶ vocabulum a Græcis anno fuisse tributum, quod annus semper iisdem vicibus temporum reciprocantibus in sese recurreret.

CYAN. Habeo nominis Græci rationem: expone deinceps vim nominis Hebræi.

ALPH. Hebræi ימים pro anno integro sumunt, quod annus eorum desinat in integros dies, & non in partes aliquot diei, ut annus Romanorum, qui præter integros dies trecentos sexaginta quinque habet quadrantem, id est, sex horas. Aliis nominibus appellant annum tum Hebræi, tum Græci: sed illis nunc supersedeo.

CYAN. Habeo de anni nomine, nunc quæro an una tantum fuerit apud Priscos anni ratio.

ALPH. Certe varia fuit. Arcades *tribus mensibus* annum complebant, Cares & Acarnanes *sex mensibus*, Ægyptii primum *quatuor mensibus*, deinde *duobus* tantum. Fuit etiam annus Lunaris, qui *triginta diebus* constabat. Fuit & maximus annus, cujus meminit M. Cicero in *Somnio Scipionis*: qui, ut ipse loquitur, cum ad id, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius cœli descriptionem retulerint, vere vertens annus appellari potest. Josephus ait *annum magnum* DC. annorum spatio compleri. Est annus quem homines Solis reditu metiuntur: quem Græci CCCLIIII. diebus computabant, Romani CCCIIII. annus enim ex Romuli constitutione decem tantum constabat mensibus. Quod hisce versibus Ovid. aperte docet:

Tempora digereret cum conditor orbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.

CYAN. Cur in decem menses annum divisit Romulus?

ALPH. Audi Ovidium, id te docebit:

Quod satis est utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.
Seu quia tot digiti per quos numerare solemus:
Seu quia bis quino fœmina mense parit:
Seu quod ad usque decem numero crescente venitur,
Principium spatiis sumitur inde novis.

ADMONITIO.

Posteriora duo disticha in exemplaribus, quæ legi, desiderantur: a quodam tamen tanquam ab Ovidio scripta citantur, ac meo quidem judicio Ovidii lucernam olent, & ejus ingenii vena digna videntur.

CYAN. Quis primus erat mensis?

APLH. *Martius* a Marte Romuli patre nominatus. Secundus *Aprilis* quasi *aphrilis* a *spuma*, quæ ἀφρὸς Gr. dicitur, ex qua Venus Æneæ mater nata. Tertius *Majus* a majoribus. Quartus a junioribus *Junius* vocatus. Reliquis nomen ordo dederat. Quæ a nobis commemorantur complexus est hisce versibus Ovidius.

Martis *erat primus mensis*, Venerisque *secundus:*
Hæc generis princeps, ipsius ipse pater:
Tertius *a senibus, juvenum de nomine* quartus.
Quæ sequitur numero turba notata fuit.

Habes primum anni ordinationem, nunc audi secundam: Numa secundus Romanorum rex quinquaginta dies, ut in trecentos quinquaginta quatuor dies annus extenderetur, addidit: atque iis quinquaginta a se additis adjecit alios sex, quos subduxerat a mensibus. qui triginta habebant dies: hos quinquaginta & sex dies in duos menses divisit: quorum priorem *Januarium* nuncupavit, primumque anni mensem esse voluit, tanquam bicipitis Dei mensem respicientem, ac prospicientem

A transacti anni finem, futurique principia: vel a *janua*, ut placet D. Hieronymo, vocatus est Januarius: *est enim*, ut inquit D. Hieronymus, *anni janua*. Utramque certe probavit Ovidius etymologiam: in primo *Fastorum* priorem ita commendat:

Jane biceps anni tacite labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides.

In secundo *Fastorum* ita posteriorem laudat:

Primus erat Jani mensis, quia janua prima est.

Primum igitur mensem (ut ad propositum revertamur) Januarium constituit Numa Secundum Februo Deo, qui lustrationum potens credebatur, dicavit: de iis duobus mensibus sic Ovidius cecinit:

B *At Numa nec Janum nec avitas præterit umbras:*
Mensibus antiquis præposuitque duos.

CYAN. Satis istam teneo anni Romani distributionem, nunc quæro anni Græci constitutionem.

ALPH. Non omnis exposita est anni Romani ratio. Numa in honorem imparis numeri anno unum addidit diem, aliquibusque mensibus tribuit undetricenos dies, nonnullis tricenos, de qua re consulito Macrobium: ea enim parum ad nostrum institutum faciunt: ad tertiam anni Romani ordinationem veniamus. Julius Cæsar (auctore Suetonio) primus annum ad cursum Solis accommodavit,
C ut esset trecentorum sexaginta quinque dierum, & intercalatio mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Inter Novembrem & Decembrem menses interjecit duos alios: isque annus fuit quindecim mensium cum intercalario. Scribit ipsemet Suetonius annum a Julio ordinatum, postea negligentia conturbatum atque confusum, ob Octavio ad pristinam rationem redactum: in cujus ordinationem Sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit Augustus, magis quam Septembrem, quo erat natus, quia eo mense sibi, & primus consulatus, & insignes victoriæ obtigissent.
D Scribunt vero Plinius ac Macrobius Julium Cæsarem Ægyptios imitatum, ad numerum Solis, qui diebus CCCLXV. & quadrante cursum conficit, annum redegisse: ajuntque observationi Numæ decem dies superadjecisse, ut annum CCCLXV. dies, quibus Sol lustrat Zodiacum, efficerem: & ne quadrans deesset, statuit ut quarto quoque anno, eo scilicet mense quo apud Veteres mensis intercalabatur, id est, ante quinque ultimos dies mensis Februarii, unus dies interjiceretur, eunque diem *bissextum* jussit nominandum.

CYAN. Quid *bissextum* appellas, & quænam hujus nominis ratio?

E ALPH. Quæ petis te docet Celsus in *lege Cum bis sexto Calendas. ff. de verb. signif.* in quam legem multa scripsit Budæus.

CYAN. Quam citas legem (cum bona tua venia dixerim) non ita habet ut dicis: in ea legitur, *Cum bis sextus est Calendas.*

ALPH. Tuæ suffragantur sententiæ codices depravati, est certo legendum, *Cum bis sexto Calendas*: quod docet phrasis Latina: non enim Latinitas hanc loquutionem patitur, *Cum bis sextus est Calendas.*

F CYAN. Ut pedibus in tuam discedam sententiam me cogit phrasis Latina: hæc tamen castigatio multos fugit satis lynceos: at non satis visus es nominis rationem exponere.

ALPH. Bissextus dies dicitur, quia *bis sexto Calendas* dicimus, unum tantum diem computantes. Nam id biduum (sic enim loquitur tuus Jurisconsultus Celsus) pro uno die habetur, atque posterior dies intercalatur, non prior.

CYAN. Quoniam de anni ratione dixisti, volo audire de anni partibus.

ALPH. Loco tu quidem quæris, sed planius

quod vis explicabitur, ubi Græci & Hebræi anni constitutionem cum Latinorum distributione comparaverimus.

CYAN. Quid habes de hujusmodi comparatione dicere?

ALPH. Annus Hebræorum & Græcorum constabat mensibus Lunaribus: Romanorum vero annus mensium erat Solarium.

CYAN. Quot in anno erant menses?

ALPH. Duodecim.

CYAN. Dierum igitur numerus idem ut opinor.

ALPH. Est ita, sed qua ratione id fiat, audies postea: nunc mensium nomina, quidve sit discriminis inter Hebræorum, Græcorum, & Latinorum menses consideremus.

CYAN. Perge igitur precor, videris enim quasi ex itinere fessus cœpto labore velle supersedere.

ALPH. Minime profecto, (pace tua dixerim) sed animus peregrinatus est, cum apud me perpenderem, quid sibi vellet Hesiodus in versu, cujus est initium, Καὶ πτωχός.

CYAN. Scio quid tibi velis, te piget laboris, cui nullum vides respondere præmium; perge precor ordine quo cœpisti.

ALPH. Menses a Luna (ut vult Macrobius *in Somnium Scipionis*) appellantur: nam Græce *Luna* μήνη vocatur; vel, ut placet Marco Ciceroni secundo *de Natura Deorum*, menses dicuntur, quia mensa spatia conficiunt. Luna, quæ Græcis, ut semel dictum est, μήνη dicitur, mensibus, qui μῆνες vocantur, nomen dedit. Hebræi mensem חדש *Hodes* vocant, ab innovatione, quia singulis mensibus nova conspicitur Luna.

CYAN. Habeo mensis etymon: nunc quid inter menses Hebræorum, Græcorum ac Latinorum sit discriminis quæro.

ALPH. Hebræorum & Græcorum menses ad Lunæ cursum computantur. Nam Luna auspicabatur ac finiebat mensem: Latinorum vero menses ad Solis motum quadrant.

CYAN. Nunquid Numa Pompilius, intercalatione facta, in Februarium viginti duos dies induxit? Nunquid intercalarius erat mensis, quem sustulit Julius Cæsar?

ALPH. Eadem certe fuit mensium ratio apud Romanos Numæ Pompilii constitutione, quæ fuit apud Hebræos & Græcos: sed loquor ex Julii Cæsaris ordinatione.

CYAN. Expone discrimen inter menses Lunares & Solares.

ALPH. Prisci Astrologi, potissimum Ægyptii, (id enim accepto ferendum est Ægyptiis) Zodiacum duodecim constare signis deprehendentes, unicuique signo triginta dederunt gradus: si triginta per duodecim multiplicaveris, exsurget numerus 360. quem numerum si in duodecim partes diviseris, quælibet pars sibi vindicabit triginta gradus. Mensis itaque, qui signo respondet, habere dicetur triginta dies: nam gradui diem respondere voluerunt Astrologi. At diligenti Solis motus observatione comprobatum est, a Sole lineam Eclipticam non confici, nisi spatio 365. dierum cum quadrante. Mensibus itaque nonnullis unum addiderunt diem Ægyptii, quartoque anno quatuor quadrantes, qui diem conficiunt, intercalantes annum mensemque ad Solis cursum redegerunt. Lunaris vero mensis est, qui ad Lunæ motum computatur.

CYAN. Expone quæso Lunæ motum, facilius enim intelligam quid sit Lunaris mensis.

ALPH. Luna diebus 29. 12. horis, & momentis 793. cursum suum absolvit. Quum igitur in anno Hebræorum sint duodecim Lunares menses, (ut jam diximus) deprehendemus annum Lunarem esse trecentorum quinquaginta dierum, octo horarum, & minutorum 876.

CYAN. Pauciores igitur habet dies annus Lunaris, quam Solaris.

ALPH. Minor certe annus Lunaris anno Solis diebus 10. horis 21. & momentis 204. Quæ res coegit Hebræos uti embolismico anno.

CYAN. Quid embolismum vocas?

ALPH. Embolismum appello dies intercalares, qui ex Epactis conficiuntur.

CYAN. Quid Epactas vocas?

ALPH. Dies sunt, quibus annus Solaris exsuperat annum Lunarem.

CYAN. Quænam est hujus nominis vis ac significatio?

ALPH. In *Tabulis* regis Alphonsi leges epactam dici quasi *epi auctam*: ab ἐπὶ, quod est *supra*, & *aucta*; quandoquidem tantundem augetur annus civilis supra Lunationes communes.

CYAN. Satis nomen videtur rei convenire.

ALPH. Satis quidem nomen rei videtur convenire, sed inepte in Alphonsi *Tabulis* deflectitur nominis ratio: a Græcis enim dictio sumpta est: nam ἐπάγειν *intercalare* sonat. Id etiam audacius assevero, quod certo sciam Latinos in componendis dictionibus Græcarum præpositionum auxilio non uti.

CYAN. Cur vero (ut ad id unde digressi sumus revertamur) usi sunt embolismo Hebræi?

ALPH. Ob frugum maturitatem; *Si enim* (inquiunt) *non fecerimus anno Lunari adjectionem, accidet aliquando Pascha in medio hyemis, nec inveniemus unde offeramus manipulum novarum frugum*. Ob quam rem septem embolismos intra cyclum decem & novem annorum, quibus Luna suo reditu circulum absolvit, tertio quoque anno mensem, qui dicitur *Adar*, bis numerantes, constituerunt.

CYAN. Quoties annis fiebat embolismus?

ALPH. Anno 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19.

CYAN. Cur potius octavo, quam nono anno intercalantur embolismi?

ALPH. Quia mensis embolismicus est tantum triginta dierum.

CYAN. Cur est tantum triginta dierum, quum Epactarum numerus tertio quoque anno superet triginta dies?

ALPH. Quia (ut auctor est Strabo) mensem tricenum dierum statuere, est Solarem rationem sequi.

CYAN. Qui sciam quando erit embolismo utendum?

ALPH. Facile scies, si numerum aureum, cujus auctor traditur Julius Cæsar, inveneris: de cujus neomeniarumque inventione non est quod hic agamus: de illis enim poteris ephemeridas & Alphonsi *Tabulas* consulere.

CYAN. Expone deinceps dies Græcorum intercalares.

ALPH. *Græci* (ut tradit Macrobius) *cum animadverterent temere trecentis quinquaginta quatuor diebus ord.nasse annum, octavo quoque anno nonaginta dies, quibus tres menses conficiebantur, intercalabant: operosum enim ac difficile judicantes singulis annis undecim dies & quadrantem intercalare, maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nascuntur, si octo quadrantes sumantur, in tres menses distribuere: hos dies nonaginta* ὑπερβαίνοντας, *menses vero* ἐμβολίμους *appellabant*. Hæc Macrobius. Scribit vero Herodotus libro *Hist.* II. Ægyptios scientius egisse, quam Græcos: quia hi tertio quoque anno intercalarem mensem temporis gratia introducunt. Ægyptii vero quinos addunt dies cum quadrante.

CYAN. Hac de re quænam est tua opinio?

ALPH. Verisimile est profecto eandem inter Hebræos, Græcos & Latinos fuisse intercalandi rationem: nam (auctore Macrobio) Græcos in intercalandi ratione imitati sunt Latini: eadem porro fuit anni ratio, antequam Numa in imparis numeri honorem diem addidisset. Præterea tam apud Latinos, quam Hebræos & Græcos ultimus mensis deputatus erat intercalationi: quamvis Romani non confecto Februario, sed post vigesimum tertium diem intercalarent.

CYAN. Non tibi placet, ut arbitror, Macrobii sententia.

ALPH. Maxime profecto placet. An putas me eo impudentiæ aut dementiæ devenisse, ut gravissimis auctoribus de posteritate bene meritis velim adversari, aut (quod nonnulli faciunt) detrahere? Impudentis est atque dementis gravissimis auctoribus oppedere.

CYAN. Qui Macrobium cum Herodoto concilabis?

ALPH. Facile, si mentem Macrobii intellexerimus. Non negat Macrobius Græcos tertio quoque anno mensem intercalasse, sed asserit octo annos Lunares esse Solaribus annis æquales, si octavo quoque anno dies nonaginta, ex quibus tres menses tricenum dierum componuntur, intercalati fuerint.

CYAN. Si hæc fuerit Macrobii mens, inter Herodotum & Macrobium satis convenit: prima tamen fronte quispiam credidisset Macrobium Herodoto adversatum fuisse.

ALPH. In auctoribus legendis opus est judicio, quo præditus vix auctores inscitiæ insimulabit. Hæc sint satis de dierum intercalatione.

CYAN. Nunc quæro quid causæ sit, cur menses sibi invicem non respondent, ut in Tabula prima collocasti.

ALPH. Quia non ab eisdem Tropicis initium sortiuntur anni.

CYAN. Quid hoc sibi velit, dilucide doceas precor.

ALPH. Quatuor esse Solis conversiones Astrologorum consensu & observatione constat; nonnulli annum metiuntur ab æstivo solstitio, ut Attici; nonnullis anni principium est æquinoctium autumnale, ut Hebræis; nonnulli initium faciunt circa brumam, ut Romani; nonnulli circa æquinoctium vernum, ut Arabes.

CYAN. Quis hujusce rei auctor?

ALPH. Simplicius id testatur, cum ait: Ἃς δὲ ἡμεῖς ποιούμεθα ἀρχὰς ἐνιαυτοῦ μὲν περὶ θερινὰς τροπὰς, ὡς Ἀθηναῖοι. ἢ περὶ μετοπωρινὰς, ὡς οἱ περὶ τὴν νῦν καλουμένην Ἀσίαν. ἢ περὶ χειμερινὰς, ὡς Ῥωμαῖοι. ἢ περὶ ἐαρινὰς, ὡς Ἄραβες, καὶ Δαμασκηνοί. Quæ vero a Simplicio scribuntur, hisce versibus exprimentur;

Flava Ceres æstatis habens sua tempore regna,
Anni principium doctis sacravit Athenis.
Cum venit autumnus calcatis sordidus uvis,
Judæis summe curtis novus incipit annus.
Cum ponunt frondes hyemali frigore sylvæ,
Janus adest anni Latiis labentis origo.
Ver placidum vario nectens de flore coronas,
Annorum auspicium fœlix sibi Panchaja sumpsit.

CYAN. Ista cognovi, sed quæ ratio sit inter se menses conferendi, requiro.

ALPH. Poterimus dicere *Tisri* respondere Octobri, deinde *Marhesvam* Novembri, & ita ordine de reliquis dicendum.

CYAN. At dixisti Hebræos initium anni sumere ab æquinoctio autumnali. Solis introitus in Libram non fit mense Octobri, sed Septembri.

ALPH. Non existimamus ita anni initium ab A æquinoctio fecisse Hebræos, ut statim ab æquinoctio exordium ducerent: nam Simplicius ait circa brumam Romanis anni fieri initium: constat Solem non ingredi primum punctum Capricorni Januario mense, sed Decembri: videmus tamen anni principium Romanis esse Januarium. Idem poterit esse de Hebræorum anno judicium; idque mihi fidem facit, quod hæc verba in *Tabulis* Alphonsi scribantur, *Menses Græcorum ab Octobri:* qui locus erit restitutus, (ut semel monui) si expungatur dictio *Græcorum*, & substituatur dictio *Chaldæorum*: si præterea iisdem literarum characteribus mensium vocabula scribantur, quibus depinximus: B mensium autem nomina in Alphonsi *Tabulis* impressa nostræ Tabulæ adjecimus, ut quid erroris esset in Alphonsi *Tabulis* cerneres. Si autem (ut ad institutum redeam) velis ab æquinoctio autumnali annum Hebræorum incipere, non laboro, id poteris. Ut autem initium anni habeas, quærendum est tibi æquinoctium: quod prima usus astrolabii propositione reperies. Invento siquidem diei linea fiduciæ superposita gradum quæsitum indicat.

CYAN. Cognovi jam diversa anni principia; nunc quæ diebus accommodata sit ratio expecto.

ALPH. Expectas (credo) qui dies Hebræorum C diebus Latinorum respondeant.

CYAN. Recte intelligis.

ALPH. Id facile poteris, si a principio anni dies numeraveris qui effluxerint usque ad diem quem quæris.

CYAN. Id exemplo doce, quæso: nam exemplo demonstratur id quod dicimus, cujusmodi sit.

ALPH. Si scire velles in quem diem & mensem Hebræorum cadat festum Divi Remigii, numerandi essent dies ab æquinoctio autumnali, videlicet a decimo quarto die mensis Septembris, usque ad diem Divi Remigii. Qua re peracta, invenires diem Divi Remigii respondere decimo octavo diei D *Tisri*. Si etiam scire velles in quem diem Latinorum cadat dies *Phurin*, cujus memoria agitur decima quarta die mensis *Adar*, numeratis diebus ab æquinoctio autumnali, deprehendes respondere vigesimo secundo diei Februarii diem *Phurin*: hoc erit minime laboriosum invenire, si dierum, quibus constat menses, teneas numerum: quem quidem numerum singulis adscripsimus mensibus, ut in Tabula videre potes.

CYAN. Accepi ista, didicique. Videamus deinceps quis anni primus dicatur mensis.

ALPH. Quam petis quæstionem plurimos ex- E ercuit.

CYAN. Quid ita?

ALPH. *Nisan* appellatur primus sexcentis in locis.

CYAN. Nonne primus erat mensis?

ALPH. Si hæc fateamur, cogemur palinodiam canere; diximus enim Hebræos annum metiri ab æquinoctio autumnali: at Pascha celebrabatur circa æquinoctium vernum decimo quarto mensis *Nisan*.

CYAN. Quis igitur erat primus mensis?

ALPH. *Tisri*.

CYAN. Non certe mihi fidem facies, neque id mihi persuadebis, nisi hujus rei testem locupletis- F simum omnique exceptione majorem citaveris.

ALPH. Audi Liranum: *Apud Hebræos*, inquit Liranus, *secundum communiorem opinionem, September est primus mensis, quia in eo creatus fuit mundus*; pluraque alia scribit, quæ silentio prætteribimus: tantum te monitum velim, errorem exemplarium quæ legi corrigendum: in illis exemplaribus legitur *Neadar* & *Tisrier*; est legendum *Veadar*, & *Tisri*.

CYAN. Quid *Veadar* appellas?

ALPH. Mensis est intercalaris; nam bis Hebræi

numerant *Adar* in anno intercalari : priorem vocant *Adar*, secundum *Veadar*, quasi diceres *& Adar*.

CYAN. Quid? in lib. Neomeniarum & Æquinoctiorum nonne Hebræi asserunt *Nisan* esse caput anni? nonne præterea in canone *hujus observantiæ*, distinct. LXXVII. primus mensis Hebræorum dicitur Aprilis? quartus Julius? septimus October? decimus Januarius?

ALPH. Recte intelligis.

CYAN. Non satis igitur videtur Hebræorum sententiæ accedere Liranus.

ALPH. Quorundam hac in re fuit sententia, ut asseruerint Hebræos annum suum auspicari a principio *Tisri*, qui autumnali æquinoctio est proximior: nam major pars Hebræorum putat mundum a Deo creatum in illo æquinoctio. At Moses jussit *Nisan*, qui cadit circa æquinoctium vernum, primum mensem appellari, quod in eo servitutem Ægyptiacam evasissent filii Israel. Mensis itaq; *Tisri* (inquiunt illi) est caput anni, & ab eo deducuntur temporum supputationes. *Nisan* vero est primus dignitate, & ab eo omnia festa legis computantur.

CYAN. Hac in re tuum expecto judicium.

ALPH. Satis erit auctorum citasse sententiam: hoc tamen certo scias velim, menses, quorum Sacra Pagina meminit, ordine, qui a mense *Nisan* pendet, numerari: idque confirmant Hebræi hisce verbis: *Nisan est caput anni, a quo computamus menses, quum scriptum sit, Primus ille est vobis: & de Sivan dicitur in mense tertio: & de Tisri in mense septimo: & de Tebet in mense decimo: & de Adar dicitur in mense duodecimo, qui est mensis Adar*.

CYAN. Velim, si tibi grave non fuerit, audire locos, in quibus mensium fit aliqua mentio.

ALPH. *Tisri* sive *Ethanin* tertii *Regum* octavo septimus mensis dicitur. *Cisleu* septimo *Zachariæ* appellatur nonus mensis: est itaque deceptus quidam, (cujus nomini parco) qui scriptis mandavit *Cisleu* esse decimam Lunationem. Si etiam editionem Græcam legeris, dices *Cisleu* esse mensem sextum: sic enim in ea scribitur: τετράδι τοῦ μηνὸς τοῦ ἕκτου, ὅς ἐστι Χασελεῦ: hæc lectio repugnat codicibus Hebræis: quod si ἀντὶ τοῦ ἕκτου legeretur ἐννάτου, convenirent Græca cum Hebræis: sed hæc forsan πάρεργα. *Tebet* secundo *Esther* appellatur decimus mensis: *Schebet* primo *Zachariæ* undecimus. *Adar* tertio *Esther* duodecimus. *Nisan* sexcentis in locis, ut jam diximus, primus mensis vocatur. Nunc non occurrit quot aliis in locis, quibus mensium ordo cognoscatur, legerim.

CYAN. Agesis quoniam de mensium ordine dixisti, expone nunc illorum etymologias.

ALPH. Sunt exposita Latinorum mensium nomina.

CYAN. Est ita ut dicis.

ALPH. Silentio præteribimus Hebræorum mensium vocabula: vix enim eorum reperias etymologiam: memini me solum legisse *Tamuz* appellari ab Adonide Veneris amatore: quod eo mense e vivis sublatus esset Veneris amator *Tamuz*.

CYAN. Græcorum igitur mensium voces discutiamus.

ALPH. *Hecatombæon*, ab hecatombis, id est, *sacrificiis centum boum*, nomen habet. Prius iste mensis dicebatur *Cronius*. *Metagitnion* a sacrificiis nomen habet, quæ in Apollinis *Metagitnii* honorem celebrabantur. *Boedromion* a Boedromiis sacris vocatur: vocabulum vero illorum sacrificiorum deflexum videtur a *voce* & *cursu*.

CYAN. Cur a voce & cursu dictus est ille mensis?

ALPH. Quia in gratiam Jovis, qui celeriter currens Atheniensibus prælio superatis opem tulerat; hoc institutum fuit festum. Quod visus est deridere Homerus in *Ranarum & Murium pugna*: solent enim Poetæ suis facetiis (ut facetissimus Aristophanes) illam Antiquorum dementiam ludibrio habere. *Mæmacterion* a Mæmacta Jovis appellatione dictus est. *Pyanepsion* a pyanis fabis in Apollinis sacris. *Anthesterion*, qui Græce ἀνθεστηριών, vel, ut nonnullis placet, ἀνθεστιριών scribitur, ita vocabatur, ut visum est Erasmo, quod is plurimos flores progigneret. Vide proverbium, *Foras Cares*. Erasmi sententiæ adstipulatur meus Lexicus auctor, qui scripsit Anthesterionem dici, διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν τότε. Melanchthon vero Gazæ secutus sententiam, asserit hunc mensem ita dici, quod campi floribus sint privati παρὰ τὸ ἀνθοστερῶ.

CYAN. Sunt ista ut dicis, sed existimare debes de hac re inter auctores non convenire: hac in re tot homines, tot sententiæ. Philostrato tanquam sophistæ non fidit Gaza. Philostrati mentem voluit tueri Erasmus, Gazæ vero judicio inniti maluit Melanchthon. Sed quoniam satis (credo) mensem, qui *Anthesterion* dicitur, disputasti, pergratum mihi feceris, si reliquos ordine tractaveris.

ALPH. Ego vero non gravarer, si inter auctores de mensium ordine constaret: magnum opus est, egetque exercitatione non parva hac in re conciliare auctorum scripta.

CYAN. Omittamus igitur hujusmodi auctorum controversias, ac Gazæ sequamur opinionem.

ALPH. Tibi morem geram, jam expositi sunt sex menses. *Posideon* septimus est mensis, a Neptuni & Palladis certamine dictus: cujus certaminis venit in mentem Ciceroni in primo *de Legibus* cum scripsit: *Nisi forte Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuerunt*. *Gamelion* a Junone quæ præest nuptiis vocatus. *Elaphebolion* a cervis, qui Dianæ eo mense immolabantur, hoc nomen habet. *Munichion* a Munichiis Dianæ sacris. *Thargelion* dictus, quod jam terra calefcat, quasi θέρειγῆ. *Scirrophorion* a scirris, id est, *umbraculis*, nomen est sortitus.

CYAN. Sunt exposita jam fere omnia quæ de mensium Græcorum appellatione quæruntur: nempe igitur ea restant, quæ de Latinorum mensibus peti possunt.

ALPH. Ea suo loco disputavimus, mensibus enim quatuor primis ordo nomina indidit. *Quintilis* enim, qui a natali Julii Cæsaris nomen *Julii* est adeptus, quod esset ordine quintus, appellatus fuit *Quintilis*. Idem ferendum est judicium de *Augusto*, qui *Sextilis* antea dicebatur.

CYAN. Quoniam quæ ad mensium nomina pertinent habeo, nunc mensium partes desidero.

ALPH. Eas tabulæ adscripsimus: Hebræi mensem in hebdomadas, quas appellant *sabbata*, diviserunt.

CYAN. Unde nominis sabbati ducta est ratio?

ALPH. A *sabbo*, id est, liene, sabbatum denominatum putant nonnulli: existimarim potius cum Gaza, sabbatum a requie dici, nam id sonat dictio Hebræa: hebdomada vero a numero septem dierum, quorum repetitione & menses, & anni, & sæcula peraguntur, dicta est. Diem autem primum hebdomadæ appellabant primam sabbati: secundum vero diem, sabbati secundam, sive alteram: & reliquos ordine, tertiam, quartam, quintam, & sextam sabbati, quæ Parasceve dicitur.

CYAN. Quis hujusce rei auctor?

ALPH. Divus Hieronymus, quem audias loquentem precor: *Una sabbati*, inquit, *dies dominica intelligenda est, quia omnis hebdomada in sabbatum, & in primam, & secundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & sextam sabbati dividitur, quam Ethnici idolorum & elementorum nominibus appellant*.

CYAN. An soli Judæi diviserunt mensem in hebdomadas ?

ALPH. Hebdomadæ meminit Cicero *ad Tironem*: *Symphoniam*, inquit, *Lisonis velim vitasses, ne in quartam hebdomadam incideres*. Græci Gazæ sæculo utebantur hebdomada, diemque primum κυρίαν, id est, *diem dominicam*, appellabant: reliquos deinde ordine *secundam*, δευτέραν: *tertiam*, τρίτην: τετράδα, πέμπτην, ἕκτην, ἑβδόμην. Aut dies ut Romani planetarum nominibus designabant, μετὰ τὴν κυρίαν Σελήνης ἡμέραν. εἶτα Ἄρεως, εἶτα Ἑρμοῦ, εἶτα Διὸς, εἶτα Ἀφροδίτης, εἶτα Κρόνου. Alio etiam modo dies numerabant, ut in tabula scripsimus: Hebræi vero numero ordinali dies numeravere, ut Hebraice in tabula scriptum vides.

CYAN. An vero ab Hebræis, an a Græcis, an a Latinis juxta planetarum appellationem indita fuerunt diebus nomina?

ALPH. Hoc nunc te celabo: quæ enim hac de re scripsimus (Deo favente) tu ipse leges: tantum nunc scias velim id Ægyptiis adscribi.

CYAN. Quid Ægyptios impulit ut diebus hæc imponerent nomina, quum septem globis inferioribus natura ordinem alium tribuerit? Nam Saturniæ proximus est ille hominum generi prosper ac salutaris fulgor qui dicitur Jovis. Tum rutilus horribilisque terris, quem Martium, sive (ut Astrologi solent appellare) Martem dicimus. Deinde subter mediam fere regionem Sol obtinet, quem ut comites consequuntur Venus & Mercurius, quibus in infimo orbe proxima est Luna.

ALPH. Quærere videris quid in animum induxerit Ægyptiis indere mensibus nomina, quæ velut per manus accepta adhuc observamus, quum planetarum ordinem in imponendo diebus nomina neglexerint.

CYAN. Plane istud ipsum desidero.

ALPH. Plinius hujusce rei rationem affert dicens, primis horis singulorum ordine dierum, cujuslibet planetæ imperium assignari juxta orbium cœlestium volutationem.

CYAN. Uberius ista quæso, hæc enim spinosiora videntur.

ALPH. Tibi sumendum est pro concesso, ac probato, primæ cujusvis diei horæ aliquem planetarum dominari: a planeta qui primæ diei horæ imperat, dies nomen accepit. Dies Lunæ, verbi causa) nomen habuit, quia Luna suum habet imperium in primam diei Lunæ horam.

CYAN. Lubentius quæ dicis confiterer, si me doceres qui planetæ primis dierum horis imperent.

ALPH. Id te docet liber *Annuli Astromici*, quo disces in primam diei Jovis horam imperium habere Jovem: ac de reliquis ita ordine dices.

CYAN. Viris piis (ut Divo Hieronymo) hæc dierum nomina displicuisse intellexi.

ALPH. Recte intellexisti. Constantinus magnus (auctore Eusebio) ut hebdomada in ferias divideretur, instituit. Nonnulli tamen, ut Politianus, id Sylvestro Pontifici Romano attribuunt.

CYAN. Cur dies dicuntur feriæ?

ALPH. Quoniam sicut feriis Gentilium non licebat servilia opera exercere, ita Christiani uni Deo singulis diebus debent vacare. Quid enim beatius, quam hominem in terra concentum Angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire, in hymnis & canticis Creatorem venerari, atque canticis quasi sale condire actiones?

CYAN. Recte quidem: pietatis enim assidua meditatio animam divinis cogitationibus alit: sed quæ tandem est Græcorum mensium divisio, quam in tabula depinxisti?

ALPH. Græci mensem in tres dividunt decadas: vocant primam ἱσταμένου, secundam μεσοῦντος, tertiam φθίνοντος. Deinde primæ decadis primam diem νουμηνίαν, secundam δευτέραν ἱσταμένου, ut ordine in tabula tuis subjecimus oculis. Tertiæ decadis primam diem appellare solebant πρώτην ἐπὶ εἰκάδα, vel Solonis inventu numeros dierum ad Lunæ decrementum minuendo ἐννάτην φθίνοντος, secundam ὀγδόην φθίνοντος, usque ad τριακάδα, quam etiam ἕνην καὶ νέαν, id est, *veterem & novam*, vocabant. Sed hæc satis (ut opinor) ad vivum in tabula pinximus. Menses qui uno & triginta diebus constant ἐνδεκάφθινοι, qui vero triginta diebus δεκάφθινοι dicuntur. Si de Calendis, Nonis, & Idibus dixero, diei partes discutiam.

CYAN. Quid habes de illis dicere?

ALPH. Calendæ ἀπὸ τοῦ καλῶ, ut tradunt Macrobius & Polydorus, dicuntur. Theodorus vero Gaza scripsit Plutarchum asseruisse Calendas dici a præpositione *clam*.

CYAN. Ha ha he!

ALPH. Quid rides? mene habes ludibrio?

CYAN. Non profecto, sed cum abs te audio Latinum a Græco hujus vocis Calendæ etymologiam, contra vero Græcum ejusdem nominis notationem a Latino mutuari voluisse, ob oculos quorundam stultitiam posuisti: ob quam vel Agelastus Crassus, vel etiam Heraclitus lachrymis confectus risu emoreretur.

ALPH. Quænam est illorum stultitia?

CYAN. Illi domestica nihili faciunt, externa suspiciunt & admirantur, exterorum vitia malunt insequi, quam domesticorum amplexari virtutem. Nosti, credo, nonnullos exteros quodam pronuntiationis vitio laborare: si enim v, quando non potest esse digamma Æolicum, efferre velint, tanquam ου diphthongum Græcam pronuntiare solent. Certe hac in urbe vixit quispiam, cujus esset non dicam, qui vitiosam illam exterorum pronuntiationem adeo sibi familiarem fecerat, ut externus & inquilinus haberetur. Ille (credo) hoc pronuntiationis vitium diligentius observabat, quam sabbatarius sabbato jejunium.

ALPH. Id faciunt plerumque nonnulli literatorum simii, quibus fortasse nocet affectata quædam pronuntiatio: μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ.

CYAN. Nunc, sed vix a risu temperavi, ad propositum revertamur.

ALPH. Unde digressi sumus me fugit.

CYAN. Dicebas Calendas nomen adipisci a præpositione *clam*.

ALPH. Memoria teneo. Calendæ a præpositione *clam* dicuntur, ut auctor est Plutarchus, quia Luna clam esse videtur, quando est in coitu. Hæc satis de Calendis. Nonæ quasi novæ, vel quia a Calendis ad Idus novem dies putantur, dici possunt Idus vero dici ab *iduare*, quod est apud Hetruscos *dividere*, placet Macrobio: si alias etymologias velis discere, legito Macrobium.

CYAN. Extremum est, diem illiusque partes explicare, de quibus sane velim audire.

ALPH. Dies quidam naturalis, quidam civilis. Naturalis dies est tempus ab exoriente Sole, ad Solis occasum. Diem civilem definit Agricola spatium illud, intra quod cœlum raptu suo Solem nobis eo loco, quo proxime abstulerat, sistit. Illam temporis intercapedinem complectitur diei noctisque vicissitudo: quam Græci voce composita νυχθήμερον vocant: sive, ut loquitur D. Basilius, ἡμερονύκτιον.

CYAN. An aliquid existimas esse discriminis inter hæc duo vocabula?

ALPH. In idem recidunt, compositione sunt diversa. Dies autem naturalis (ut institutum persequamur) nonnunquam dicebatur *diffisus*, sive, ut legit Budæus, *diffusus*: dicebatur etiam *fastus*

A atque *nefastus*, *festus* ac *profestus*, *intercisus*, *status*: at hoc loco de illorum dierum natura dicere non satis est opportunum.

CYAN. Videamus igitur deinceps unde initium diei auspicati fuerint Veteres.

ALPH. Babylonii inter duos Solis exortus diem observavere. Athenienses inter duos occasus. Umbri a meridie in meridiem. Vulgus omne a luce ad tenebras. Sacerdotes Romani, & qui diffiniere civilem, item Ægyptii, & Hipparchus a media nocte in mediam. Eadem fere scribit Gellius: quæ a Plinio & Gellio scribuntur, poteris cujusdam disticho memoriæ mandare:

B *Atticus occasum spectat, Babylonius ortum:*
Nox Media Ausoniis, medius Sol perplacet Umbris.

CYAN. Quid utilitatis nobis afferet has diei observationes pernosse?

ALPH. Plurimum certe: nam quispiam existimaret horam apud Judæos sextam meridiei nostri horæ non respondere, si existimaret idem fuisse initium diei apud Judæos & Romanos.

CYAN. Quid? arbitrarisne horam sextam Judæorum horæ duodecimæ meridianæ apud nos respondere?

C ALPH. Ita existimo.

CYAN. Non satis id intelligo.

ALPH. Duodecim horas Judæi tribuebant diei, noctique totidem: ac a crepusculo matutino horas diei metiebantur: horas vero noctis a crepusculo vespertino computabant.

CYAN. Id mihi jam scire videor: nunc de horis audiamus.

ALPH. Horæ, ut Platoni (qui rebus non hominum arbitrio, sed a rerum natura indita fuisse nomina immortalitati consecrans, in investigandis nominum notationibus diligentissimus fuit) placet, dicuntur ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν, quia horæ tempora terminent. Macrobius horas appellatas ait ab *horo*, quod *horus* Sol dicatur.

D CYAN. Quis primus horarum inventor?

ALPH. Id Trismegisto tribuendum esse scribit Polydorus. Trismegistus enim diem in duodecim horas divisit, quod animal Serapi dicatum duodecies pari semper intervallo meiere conspiceret. Horus vero Apollo prodidit Cynocephalum solitum utroque anni æquinoctio, duodecies in die, per singulas nimirum horas, urinam reddere, idemque noctu facere, ac per singulas horas adlatrare.

CYAN. Quibus causis ita duodecies in die æquali quodam intervallo adlatrabat?

E ALPH. Scribit Munsterus ex sententia R. Aben Ezra, idola quædam certis horis, & sub certa constellatione vocem edidisse, eo quod capacia essent cœlestium influentiarum. Ego vero id potius attribuendum cacodæmonum astutiæ & malitiæ crediderim, quorum tanta est in mortales invidia, ut vetustatem obcæcarint. Quod facile est videre apud Valerium, cap. *de Miraculis*: anguem enim qui raro, sed nunquam sine magno ipsorum bono videbatur, venerati sunt Epidaurii. Colebant draconem Babylonii, quem interfecit Daniel.

CYAN. Longum esset Veterum recensere dementiam: ad id quod agere cœpimus redeamus.

F ALPH. Horarum duo fuisse genera docent pleræque astrolabii usus propositiones: fuerunt quædam horæ æquales, quædam inæquales.

CYAN. Quæ instrumenta horarum intervalla discriminabant?

ALPH. Horologia, clepsydræ: primus omnium Anaximenes horologium, quod appellatur *sciotericon*, Lacedæmone ostendit. A Plauto dicitur *Solarium*:

Ut illum Dii perdant, qui primus horas reperit,
Quique primus hic statuit Solarium.

Clepsydræ vero vasa fuerunt, e quibus aqua guttatim effluebat. Quanta autem clepsydræ mensura fuerit, Budæo non constat.

CYAN. Quis clepsydræ inventor?

ALPH. Nasica clepsydris horarum spatia primus est partitus: nam in horologio solum serenis diebus gnomonis umbra horæ dignoscebantur. Hæc sint satis de horologiis & horis: longe plura possem commemorare, sed redolere ostentationem potius viderentur, quam ad rem facere.

CYAN. Te laudo plurimum, qui nullo velis uti fuco.

ALPH. Quid fucum appellas, & quos uti fuco censes?

CYAN. Eos uti fuco existimo, qui parerga compilantes suis auditoribus dictant, ut ab illis fiant magni.

ADMONITIO.

Ne legito *sanguineis*, ut in *lege Pompeja de parricidiis* mendose scribitur. Quid autem vocent Latini *sanguina*, docet Plinius *lib.* XXII. *cap.* II.

ALPH. Sacrilegum hominum genus, & tanquam parricida virgis sanguineis verberandum, in culeum cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia insuendum, atque in flumen dejiciendum. Juvenum siquidem est corruptela: juvenes enim dum bonas horas in excipiendo fuco (ut tu appellas) collocant, auctoris qui enarratur mentem, epicheremata, dilemmata, argumentorum locos, verborum & sententiarum figuras, compositionis curam, rerum & verborum significationem, non assequuntur.

CYAN. Non omnibus satis placeret tua sententia, famæ consulendum est, atque studendum: vulgus summo in pretio habet, qui librorum margines annotationibus refarciunt, illisque suos auditores onerant.

ALPH. Utinam dixisses gravant, scopum attigisses. An vero vulgus maximi facit hujusmodi homines?

CYAN. Ita certe.

ALPH. Pecus sane Antronium aut Arcadicum, quod in patriam remeat literis potius onustum quam imbutum, literarum potius expers, quam literas edoctum: an hæc Academia hoc nostro sæculo id hominum genus alit?

CYAN. Non quod sciam, id alias tamen factitatum temporum calamitate, ac avaritia dominante conspeximus. Sed receptui canendum est, ac finis faciendus: cogor tibi renuntiare, cum pegasario cursore conveni, ut in patriam equo me reducat: hora tertia debeo equum ascendere: instat hora tertia.

ALPH. Minime extremum vale dixeris, alias me vises.

CYAN. Ita faxit Deus Optimus Maximus.

ALPH. Te precor ut parum vini bacchanalia viventibus non ignoti una bibamus.

CYAN. Venit hora tertia: in præsentia non est otium, nam si ad horam tertiam non affuerim, quod arrharum nomine datum est perdam: alias dabitur opportunitas ad satietatem usque colloquendi & bibendi. Nunc itaque vale.

ALPH. Tu quoque, quia te vocat hora, vale: saluta precor nomine meo humanissimum patrem.

CYAN. Ita faciam: iterum vale.

ALPH. Et tu ipse bene vale.

FINIS.

JOANNIS LALAMANTII,

APUD HÆDUOS BURGUNDIÆ MEDICI,

DISSERTATIONES TRES,

I. DE TEMPORE ET EJUS PARTIBUS,
II. DE ANNO MACEDONUM,
SEU GRÆCORUM.
III. DE ANNO ATTICO,

RARA ET EXQUISITA RERUM SCITU DIGNISSIMARUM COGNITIONE, AC DIVERSI GENERIS AUCTORUM EXPLICATIONE REFERTÆ.

CAROLO, ANATOLIO
ET
HUGONI ALBOSIIS,
SUIS AB EORUM SORORE AFFINIBUS,
JOANNES LALAMANTIUS
S. P. D.



Hos veluti faſtos & hanc anni exterarum fere omnium & præcipuarum gentium cum Romano collationem magno a me non ſolum ſtudio veſtigatam, ſed & ex imis tenebris aliquando tandem erutam, ſub veſtro potiſſimum nomine & patrocinio, Fratres optimi, idcirco in vulgus exire & apparere volui, quod vos ut omnium aliarum artium liberalium, ſic & harum etiam rerum ſtudio teneri compertum ſatis haberem. Nam cum & concives & æquales eſſemus, memini ego vos a primis annis cura & liberalitate Petri Alboſii patris veſtri viri clariſſimi & Franciſci primi Galliarum Regis Medici, Hæduæ primum, deinde & Lutetiæ optimis præceptoribus operam literis vigilanter navaſſe: & ex illo nunquam deſiiſſe & literas colere & literatos amplecti. Quo factum eſt ut cum intellexiſſetis me affinem abs veſtra ſorore veſtrum in anni tractatione incubuiſſe, & quam dudum ſuſceperam ad umbilicum perduxiſſe; efflagitare pro ea quæ mihi vobiſcum intercedit affinitate & neceſſitudine non deſieritis, ut ne id ſcripti, quod in manibus habebam confectum, latitare apud me diutius & veluti ſepultum jacere paterer: ſed ut primo quoque tempore in communem omnium utilitatem publicandum curarem.

Ego & publicæ alioqui utilitatis ſtudioſus, & voluntatis meæ erga vos ſignificationem aliqua teſtificatione vobis notam facere cupiens, eo maxime quod æquam & honeſtam poſtulationem afferretis, & quod etiam quanti me faceretis hac veſtra efflagitatione abunde mihi ſignificaretis: libellum hunc, quanti quanti eſt, nulla mora fido Typographo committendum & commendandum putavi: ac inſuper literis meis ad illum contineri volui, ut ſi doctorum virorum judicio (quod lubens ſubeo) luce dignus judicaretur, quod commodo reipublicæ fieret, publicaretur: ſin contra, omnino ſupprimeretur, vel in vicum (ut ait Horatius) ad vendentem thus & odores deferretur, aut etiam blattis & tineis devoveretur: prodit libellus doctis, ut video, probatus, nec (niſi ipſe mihi ſum ſuffenus) uſquequaque ineptus.

Cedo enim quemvis arbitrum, & vos in primis judices fero, ni hæc tractatio mira rerum varietate & novitate non ſolum jucunda eſt, ſed & ad intelligentiam quoque Scripturarum & omnium pene Auctorum admodum accommodata. Primum enim, Quid magis varium, quid mage novum & admirandum quam tridui aut quatridui ſpatio (tot ſiquidem diebus totus hic libellus percurri poteſt) peragrata Ægypto, Chaldæa & Perſia, in Arabiam ac inde in Græciam & Latium tandem etiam appellere? ac ſingulas illas gentes luſtrando obſervare Romanos eas falſo barbaras appellaviſſe, quum aliæ ex his fere antequam nomen Romanum audiretur curſus ſyderum ita curioſe obſervaſſent, & aſtrologica ratione deprehendiſſent, ut Solis eodem reditum (quem Annum vocant) metatis ejus ſpatiis tot non ſolum menſibus & diebus, ſed & tot etiam ſupra dies & horas momentis conſtare memoriæ prodidiſſent, & in certum modum digeſſiſſent? Ex qua ad amuſſim

exactam facta Anni digestione chaos illud & confusio, quæ antea ex ejus rei ignoratione invaluerat, & genus humanum interturbarat, sublata est de medio.

Cui enim dubium esse potest absque eo fore ut frigus æstivis mensibus, & contra calor hyemalibus proveniat, & messium feriæ minime in æstatem, vindemiarum minime in autumnum incidant? Quo fit ut, ni ingrati esse velimus, tanti boni Auctoribus plurimum nos debere, fateri ingenue cogamur. Jam quod hæc tractatio ad intelligentiam plurimorum Auctorum conducat, ex ipsa lectione credo iri manifestum. Ex ejus quippe ignoratione fuerunt qui nomina mensium pro ducum nominibus usurparent: fuerunt & qui Atticorum mensium nomina a Macedonum mensium nominibus minime interstinguerent, ac nomen aliud pro alio supponerent. Fuere etiam qui Ægyptiorum, qui Arabum, qui Persarum etiam & Hebræorum & ordinem & nomenclaturam penitus ignorarent.

Etsi autem minime me latebat permultos in id studium & quidem particulare incubuisse, & hunc Attici anni tractationem, illum Latini sibi sumpsisse describendam: neminem vero adhuc extitisse cum intelligerem qui de præcipuarum gentium anno pro dignitate dicendum sibi suscepisset, hanc ego unus ex omnibus provinciam, quanquam duram, subeundam esse mihi putavi. Quo in opere quantum lucis attulerim permultis locis, qui sunt apud Galenum, Josephum, Zonaram, Thucydidem, Vegetium, Plinium, & alios auctores tam Græcos, quam Latinos, cuivis bono qui hæc percurrerit judicandum relinquo.

Habete igitur, Fratres optimi, hoc qualecunque opusculum, amoris in vos mei monimentum & pignus; quod (cum eo nihil habeam antiquius) vobis, quos unice diligo & colo, offero: imitatus eos de nostris civibus, qui aut numisma aliquod prisci alicujus Cæsaris imagine efformatum & effigiatum, aut monumentum aliquod aliud antiquum, recens e ruderibus & ruinis nostræ urbis Hæduensis quondam florentissimæ effossum nacti, statim illud, quantivis pretii sit, ei, quem charissimum habent, offerunt. Valete interim, & me amate. Ex Burgundionum Hæduis, Romanorum quondam sociis, Calendis Maii MDLXX.

AD LECTOREM.

Litteris uncialibus monendus es, benigne Lector, Lalamantii Dissertationem de ANNO ROMANO haberi in Thesauro ANTIQUIT. ROMANARUM, Vol. VIII. col. 259. ubi, si lubet, videre poteris.

BARTHOL. MONRAMBALDUS HÆDUUS IN LIBELLUM.

Ægyptum usque ferunt isse Eudoxum atque Platona
Certum anni ut possent inde referre modum:
Omnes namque alias gentes apud ordine nullo
Constans, incertus & vagus Annus erat.
Sed quæ tunc fuerit ratio tacitum hactenus, aut quam
Servaret legem cætera Barbaries.
Exiguo hic vulgat Lalmantius ecce libello,
Ut sit tam longam nil opus ire viam.

JOANNIS LALAMANTII
DE
TEMPORE
ET
EJUS PARTIBUS
DISSERTATIO I.



A EMPUS, quod Græcis χρόνος dicitur, est *διάστημα τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως*: id est, *intervallum motus mundi*: divisum in partes aliquot ab Solis & Lunæ cursu, a quorum tenore temperato tempus dictum notat Varro initio lib. II. *De Lingua Latina*. Alii apud Macrobium *Saturn.* cap. VI. sic diffinitunt, *Tempus est certa dimensio quæ ex cœli conversione colligitur*. Ari- B stoteli *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius*. Aliis *Tempus est mensura qua metimur motum corporum, ut Solis, Lunæ & Syderum*: quod ut cum mundi creatione cœpit, ita cum ejus dissolutione finem est habiturum.

TEMPORIS PARTES SUNT, SÆCULUM: Varroni est spatium centum annorum: *dictum a sene*, inquit, *quod longissimum est senescendorum hominum spatium*: sed is locus apud Varronem corruptus est. Festus Pompejus: *Sæculares*, inquit, *ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia Sæculum ad centum annos extendi existimabant*.

ANNUS, inquit Festus, ex Græco venit, quem C illi ἐνιαυτὸν dicunt: & quod nos *triennium*, illi dicunt τριέτες: & *Actorum* XX. versu 31. *τριετία triennium* etiam dicitur. Est autem Annus spatium temporis quo Sol Signiferum ambit: vel quo Sol duodecim signa Zodiaci percurrens, eodem unde profectus est redit. Julius Pollux *libro* I. *cap.* VII. *Annus*, inquit, *est duodecim mensium tempus, Solis circuitus, deo ex horis in horas transeunte*. Varro *de Lingua Latina*: *Tempus a Bruma ad Brumam dum Sol redit, Annus vocatur*. Cicero lib. *de Universitate*: *Annus est*, inquit, *ubi Sol suum totum confecit & peragravit orbem*. Porro hic *Annus vertens* dicitur ad differentiam magni Anni, D de quo post. Sed enim Annus vertens is est, qui ad Solis cursum accommodatus est: tempus scilicet a Calendis Januarii, vel a quolibet alio mensis die, ad easdem Calendas, vel alium quemlibet diem: qua significatione Juvenalis *saty.* VII. dixit,

Et cum se verterit annus.

Et Suetonius scripsit Caligulam immensas opes non toto vertente anno absumpsisse, quod est non expleto spatio unius anni Solaris.

MENSIS est spatium quo Luna Signiferum percurrens eodem revertitur. Cicero lib. *de Universit.* E *Mensis est quando Luna lustrato cursu suo Solem consecuta est*. Varro *de Lingua Latina*: *Mensis a Lunæ motu dictus, dum ab Sole profecta rursus redit ad eum Luna*. quæ Græcis μήνη, Latinis etiam *mene* dicitur: unde illorum *menes* οἱ μῆνες a nostris *menses* dicuntur, & μηνιαῖον triginta dierum tempus. Menses vertentes etiam sunt, cum Sol signi spatium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens transit, ut loquitur Vitruvius, & hac ratione menses vertentes, qui sunt tricenum plus minus dierum, a Lunaribus differunt: quia Luna die octavo & vicesimo & amplius circiter hora, cœli circuitionem percurrens ex quo cœperit signo ire ad id signum revertendo perficit Lunarem mensem. Cæterum

ANNUS capit menses duodecim, hebdomadas quinquaginta duas, & præterea diem unum & quartam fere diei: sed ad verum, quota pars diei sit Astrologi certant, & adhuc sub judice lis est.

MENSIS hebdomadas quatuor capit.

HEBDOMAS, quæ & septimana, dies septem.

DIES, quadrantes quatuor.

QUADRANS, horas sex.

HORA, quæ vicesima quarta pars est diei naturalis, puncta quatuor.

PUNCTUM, decem momenta.

MOMENTUM, uncias duodecim.

UNCIA, atomos quadraginta septem.

ATOMOS, ut vox sonat, dividi amplius non potest.

DIEM vero Itali & Bohemi a Solis occasu incipiunt, Umbri & Arabes a meridie, Athenienses & Hebræi a sole occaso, Babylonii ab exorto, Romani, Ægyptii, ut & Galli a media nocte: de quo Gellius *lib.* III. *cap.* II. Plin. *lib.* II. *cap.* LXXVII.

ASTROLOGI porro diem duplicem faciunt, Naturalem & Artificialem. Naturalis dies horarum est viginti quatuor: cujus partes sunt Dies & Nox. Artificialis est spatium ab ortu Solis ad ejus occasum: ut Dies Artificialis sit, quandiu Sol est supra terram. Nox contra. Iidem quinetiam Astrologi horas alias æquales, alias inæquales esse dicunt. Æqualis hora est diei naturalis pars vicesima quarta. Æquales autem horæ bis in anno contingunt, nempe Æquinoctio Verno & Autumnali: quibus temporibus dies æquales sunt noctibus. Inæquales horæ, quæ & temporariæ & artificiales dicuntur, potissimum fiunt circa Solstitium & Brumam. Nam cum circa Solstitium æstivum dies sint longiores noctibus, fit ut horæ etiam diurnæ nocturnis sint longiores: tunc enim dies habet horas sedecim, nox octo. In Bruma contra fit: nam cum tunc noctes sint longiores diebus, horæ etiam nocturnæ diurnis sunt longiores: ut nox sedecim horas, dies tantum octo habeat, æquales tamen inter se. Has vero si ad inæquales reducere volueris, ac verbi gratia, Solstitio totam moram Solis supra terram in partes seu uncias duodecim partiri, & Bruma totam etiam ejus moram sub terris, in totidem: assignes oportet unicuique unciæ e duodecim, unam horam æqualem, ac præterea unam horæ quartam cum momentis decem. Contra, his additamentis singulæ horæ e duodecim

noctis Solstitialis & diei Brumalis curtiores erunt hora æquali. Sic hæ horæ duodecim curtatæ, octo tantum æqualibus horis respondebunt: octo quippe tantum horas æquales habet nox Solstitialis: & totidem Brumalis dies. Horæ vero sedecim tam diei Solstitialis quam totidem noctis Brumalis, longiores factæ una quarta & momentis x. ut dictum est, duodecim etiam horis æqualibus æquipollebunt. Diebus porro crescentibus aut decrescentibus per magis & minus, horas etiam inæquales aut augeri aut minui contingit.

PRIMA autem hora diei aliis ab ortu Solis, aliis ab occasu, aliis a meridie, aliis a media nocte incipit: ut paulo ante ex Gellio de diei initio dictum est.

NUDIUSQUARTUS, ἡ παρελθοῦσα ἡμέρα γ΄. ἀπὸ τετάρτης, *Act.* X. vers. 30.

NUDIUSTERTIUS, compositum ex nunc & die tertio, Fest. Pompejo πρόχθες.

HERI, χθές, χθιζόν.

HODIE, σήμερον.

CRAS, αὔριον.

PERENDIE, ἡ ἐπιοῦσα ἡμέρα γ΄, ἡ ἡμέρα τρίτη, *Joan.* II. vers. I.

PRIDIE, est quasi heri non tamen hodierni diei, ἡ προτεραίᾳ.

POSTRIDIE, postera dies, quasi cras non præsentis diei, sed alicujus alterius præteriti aut futuri, ἐνήφι, ἡ ὑστεραία, ἡ ἐπαύριον, *Act.* XXII. vers. 30. & XXI. vers. 8. ἡ ἐπιοῦσα.

PRIMUM DIEI TEMPUS A MEDIA NOCTE INCIPIENDO MORE ROM. AUT ETIAM GALLICO.

MEDIÆ NOCTIS INCLINATIO, μεσονύκτιον, *Luc.* II. vers. 5. Περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠδάς, ὑπὸ τὴν ᾠδὴν ὄρνιθος, *sub galli cantum*. Macrob. lib. I. *Saturn.* cap. III. Alex. ab Alex. *lib.* IV. *cap.* XX. Pollux *cap.* VII. *lib.* I.

GALLICINIUM, Ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων.

CONTICINIUM, cum & galli conticescunt & homines quiescunt, περίορθρον, τετάρτη φυλακή, *quarta noctis vigilia*, ut *Matthæi* XIV. vers. 25. Veteres enim in quatuor vigilias noctem dividebant, & singulis vigiliis singulas *excubias* assignabant, quas Græci φυλακάς vocant.

CREPUSCULUM matutinum, ὄρθρον βαθύ, quasi *diluculum profundum*, *Luc.* XXIV. vers. I. Est autem id tempus cum adhuc multum noctis est, necdum lucescit, μήτι ἐπιφωσκούσης τῆς ἡμέρας: λίαν πρωΐ dixit Marcus, quod est *valde mane*, *cap.* XVI. versu 2. Idem Joannes dixit *cap.* XX. vers. I. πρωΐ σκοτίας ἔτι οὔσης, id est, *mane cum adhuc tenebræ essent*, nec dum illuxisset.

DILUCULUM, cum incipit dignosci dies, αὐγή, unde ἄχρις αὐγῆς, *in diluculum*, *in lucem*, *Act.* XX. vers. II. & ὄρθρος, ὑπὸ τὸν ὄρθρον, *sub diluculum*, *Act.* V. vers. 21. unde & ὀρθρίζειν *diluculo surgere*, *Lucæ* XXI. vers. 38. porro vero diluculo, exortu auroræ, albescente cælo, & exacta prope nocte sydera poetis cadere dicuntur, Virgilius:

—— suadentque cadentia sydera somnos.

Item:

Ergo age nate Dea primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces.

Id est, sub auroram: cum scilicet adventante Sole astrorum acies & fulgor hebescit & obscuratur,

A & *Lucifer* seu *Jubar*, Græcis φωσφόρος, sese prodit, subsequente statim aurora.

MANE seu AURORA, diei principium, inquit Varro: quod tum manat dies ab Oriente; nisi potius quod bonum Antiqui *manum* dicebant. Mane, inquit Macrobius, dum dies clarus est. Mane autem a Manibus dictum vult: quod a Manibus, id est, inferioribus locis, exordium lucis emergat. πρώτη ἕω, περὶ τὴν ἕω, πρωΐ. Nonius Marcellus. Manum dicitur clarum, unde & Mane post tenebras noctis diei pars prima. *Joan.* XXI. vers. 4. Πρωΐας δὲ γενομένης, id est, *Mane jam exorto*. Festus Pomp. Mane a Diis Manibus dixerunt.
B Sunt autem tria hæc tempora, Crepusculum matutinum, Diluculum, & Mane seu Aurora, adeo sibi vicina invicem & propinqua, ut vix interstingui possint, ut mirum non sit ea plerunque confundi.

DIES CLARUS, ἥλιος ἀνίσχων, γενομένη ἡμέρα, *ortus dies*, *Luc.* IV. vers. 42.

MERIDIES, quasi *medidies*, ut Antiqui dicebant, d, non r, in hac dictione ponentes, inquit Varro, medius est dies, μεσημβρία, μεσοῦσα ἡμέρα, μέση ἡμέρα, *Act.* XXVI. vers. 13.

TEMPUS OCCIDUUM, Occasus Solis. Sol oc-
C cidens. ὁ ἥλιος δύνων, *Lucæ* IV. vers. 40. περὶ ἡλίου δυσμάς.

SUPREMA TEMPESTAS, *Serum*, Ὀψία, *Sero*, Ὀψέ, diei novissimum tempus. Crepusculum, id est, dubium, quod tum dubium sit an dies an nox sit. Id tempus fere cum vespera confunditur, abs qua Hebræi diem suum inchoabant. *Matth.* XXVII. vers. 58. Ὀψίας δὲ γενομένης, id est, *Cum serum diei esset*. Et *Joan.* XIX. vers. 19. οὔσης δ᾽ ὀψίας, *cum ergo vespera esset*, seu, *cum serum esset*. Nam quia hæc tempora vicina sibi & propinqua sunt, ita ut finis unius alterius sit principium, fit ut plerumque confundantur inter se: quod & in
D aliis temporibus usu venire solet.

VESPERA, Εσπέρα: cum jam obtenebrata est terra, & tenebræ irrepserunt, oriturque stella, quam Græci ἕσπερον, Latini *vesperuginem* vocant. Idque tempus nox est: porro eadem stella mane ante ortum Solem *jubar* Latinis dicitur, quod ejus splendor diffundatur in modum jubæ leonis, inquit Festus Pomp. Catullus, quo Latine ἕσπερον nominaret, *Noctifer* dixit, ea forma qua *Lucifer*, in *Epithalamio*:

Nimirum Oeteos ostendit Noctifer ignes.

Prisci vero illi rationis cælestis ignari diversas
E stellas Phosphorum & Hesperum existimabant. Primus Parmenides, vel ut aliis placet Pythagoras, unam eandemque esse existimavit.

PRIMA FAX, Πρώτη νύξ, πρώτη φυλακή, πρώτος ὕπνος, noctis initium, quo tempore excubiæ agebantur, prima vigilia incipiebat, & tessera (quæ erat signum militare, quod verbum vigiliarum, nostris *le mot du guet* dicitur) dabatur: unde dare tesseram, *donner le mot du guet*: accipere & petere tesseram apud Auctores, *prendre & demander le mot du guet*.

NOX CONCUBIA, Δεύτερα φυλακή, *Secunda vi-*
F *gilia, quod fere omnes tunc cubent*, inquit Varro.

NOX INTEMPESTA, Τρίτη φυλακή, *Tertia vigilia*: *Quum tempus agendi nullum est*, inquit Varro: & Macrobius: *Quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis*. Id tempus nonnulli cum concubio confundunt, & Silentium etiam noctis vocant, *ab eo quod tum sileatur*, inquit Varro.

ANNI TEMPORA quatuor.

VER, Εαρ. *Ver*, inquit Varro, *quod tum incipiunt virere virgulta ac vertere se tempus anni: nisi forte a Græco* Εαρ.

AESTAS, Θέρος, *ab æstu: nisi forte a Græco αἰθέσται*, Varro.

AUTUMNUS, Φθινόπωρον & ὀπώρα Julio Polluci *cap.* VII. *lib.* I. Festus dictum putat, quod tum maxime augeantur hominum opes coactis agrorum fructibus. Varro a Sole: sed locum de mendo suspectum habeo. Autumnus etiam interdum Autumni simulachrum pictum significat.

Pingebatur autem ita, ut aut e vitibus vinum colligeret, aut uvas calcaret, & ab earum calcatione sordidus esset: pingebatur etiam & capite pomis redimito: Ovidius,

Stabat & Autumnus calcatis sordidus uvis.

Et Flaccus:

Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit.

HYEMS, Χειμών. *Hyems*, inquit Varro, *quod tum multi imbres*, &c.

DE HIS IV. TEMPORIBUS Hippocrates ita *lib.* III. *de Diæta*:

ANNUM in quatuor partes dividunt, quas plerique omnes noverunt,

HYEMEM, Ver, Æstatem & Autumnum.

HYEMEM quidem: A pleiadum occasu usque ad Æquinoctium Vernum.

VER: Ab Æquinoctio ad pleiadum exortum.

AESTATEM: A pleiadum ortu usque ad Arcturi exortum.

AUTUMNUM: Ab Arcturi exortu ad pleiadum occasum.

Vide infra quæ de his anni temporibus dicuntur ex Gal. in Artemisio mense Macedonico secundo.

Paulus Ægineta de his etiam hæc habet *lib.* I. *cap.* C. in fine:

A BRUMA usque ad Vernum Æquinoctium numerantur dies nonaginta.

AB Æquinoctio Verno usque ad Vergiliarum ortum dies sex & quadraginta.

A Vergiliarum ortu usque ad Solstitium æstivum dies quinque & quadraginta existunt.

A Solstitio Æstivo ad Æquinoctium Autumnale dies tres & nonaginta.

AB Æquinoctio Autumnali ad Vergiliarum occasum dies sex & quadraginta.

AB occasu Vergiliarum ad Brumam dies quinque & quadraginta.

Aetius sermone III. *Tetrabibli* I. cap. CLXIV.

MENSE Martio die vicesima tertia Æquinoctium Vernum.

Mensis Maii septima pleiades apparent.

Vicesima quinta Junii Solstitia æstiva.

Vicesima quinta Septembris Æquinoctium Autumnale.

Vicesima tertia Decembris Solstitium est hybernum, quam & Brumam appellant.

Aetii Interpres Dystrum Martio, Xantichum Aprili confert. Cæteros menses nominibus Latinis exprimit. Ego defectu codicis Græci mensium Macedonicorum ex Aetii descriptione nomenclaturam hoc loco inserere non potui: quam tamen suo loco videbis.

Varro lib. I. *de Re Rust.* cap. XXVIII. *Dies primus est Veris in Aquario. Æstatis in Tauro. Autumni in Leone. Hyemis in Scorpione. Cum uniuscujusque horum quatuor signorum dies tertius & vicesimus quatuor temporum sit primus, efficitur ut Ver dies habeat* XCI. *Æstas* XCIV. *Autumnus* XCI. *Hyems* XXCIX. &c.

Plinius *lib.* XVIII. *cap.* XXV. *Cardo*, inquit, *temporum quadripartita anni distinctione constat per*
A *incrementa lucis. Augetur hæc a Bruma & æquatur noctibus verno æquinoctio diebus* XC. *tribus horis. Deinde superat noctes ad solstitium diebus* XCIII. *horis* XII. *usque ad æquinoctium Autumni: & tum æquata die procedit ex eo ad Brumam diebus* LXXXIX. *horis* III. Et subdit: *Omnesque eæ differentiæ fiunt in octavis partibus signorum. Bruma, Capricorni ad* VIII. *Calend. Januarii fere: Æquinoctium vernum, Arietis: Solstitium Cancri: alterumque Æquinoctium, Libræ*, &c.

Jam Bruma Varroni *de Ling. Lat.* a brevitate dierum dicitur, nempe tunc est brevissimus dies.
B Et fortasse per syncopen a Græca dictione βραχύημαρ nuncupata sic a Latinis videatur. Quibusdam Bruma, Solstitium hyemale nuncupatur: ut Columellæ *lib.* XI. *cap.* II. & Macrobio lib. I. *Saturn.* cap. XXVII. quanquam sunt qui hoc minus Latine dici putent, in queis est P. Victorius in *Explicationibus suis in M. Varronis numerum* 46. *lib.* I.

Solstitium contra, dies est anni longissimus: sic dictus, ut Varroni placet, quod Sol eo die stare videatur, & ea forma dicitur qua Justicium. Etsi autem a Solstitio solstitialis deducitur, (nam & solstitialem morbum dicimus qui Solstitio, sub caniculam, & quicumque æstu sævit, & herbam solstitialem, quæ æstate media crescit) tamen ea di-
C ctio plerumque idem quod solaris significat. Livius, defunctque dies solido anno qui solstitiali circumagitur orbe: id autem est solari orbe, & solinus qua solstitiali plagæ obvia est, id est, plagæ solari quæ meridies est. Cæterum reversiones Solis, quæ a Latinis Bruma & Solstitium dicuntur, Græcis τροπαὶ appellantur θεριναὶ & χειμεριναί.

Æquinoctium est cum Sol venit in medium spatium inter Brumam & Solstitium, ut inquit Varro: quod dies æquus sit & nox æquinoctium dictum. *Æquidiale*, inquit Festus, *apud Antiquos dictum est, quod nos æquinoctiale nunc dicimus:*
D *quia nox diei potius quam dies nocti annumerari debet. Græci quoque in hoc consentiunt, ἰσημερίαν, id est, æquidiale, dicentes*. Hæc Festus Pompejus.

Est autem Æquinoctium duplex: Alterum Vernum, cum Sol est in Ariete: Alterum Autumni, cum Sol est in Libra, ut supra dictum est.

Notatu vero etiam dignum est Æquinoctium non tantum esse breve illud tempus unius aut duorum dierum, quo æquantur spatia diurna nocturnis, sed longiorem temporis tractum & intervallum, ut ab ipso verno Æquinoctio prope ad Vergilias: Cicero, nunc quidem nos moratur Æqui-
E noctium, quod valde perturbatum erat: atqui scribebat hoc Cicero, ut ex *epistola* liquet, XVII. Calendas Junias. Scribunt vero nostræ hujus tempestatis Astrologi Æquinoctium vernum die X. Martii hora prima a meridie minuto XXX. contingere. Autumnale vero die XIII. Septembris hora secunda.

DE MAGNO ANNO
EX VARIIS AUCTORIBUS.

OENOPIDES Chius Astrologiæ cumprimis peritus, cum dedicaret in Olympiis legum tabulam, inscripsit in ea Astrologiam annorum quinquagin-
F ta novem, affirmans hunc esse magnum annum. Hæc Ælianus titulo *de quibusdam Astrologis*.

Meton Lacedæmonius, vel, ut alii, Lacedæmoniensis, astrologiæ peritus columnas statuit, & in eis cursum Solis adnotavit, atque magnum annum, ut ipse dicebat, adinvenit, quem intra novendecim annorum curriculum conclusit, eoque ἐννεαδεκατηρὶς dicebatur. Quidam huic numero addunt intercalationes septem.

Josephus *lib.* I. *Antiquit. Judaicarum* cap. III.

aut secundum veterem tralationem cap. VIII. ex annis sexcentis magnum annum constare scribit: quo loco nonnulli *nongentis* scribunt.

Plutarchus *de Placitis Philosophorum* lib. II. cap. XXXII. & ultimo: *Annus*, inquit, *Saturni quidem est annorum ambitus vertentium* XXX. *Jovis autem* XII. *Martis duorum. Solis* XII. *menses: totidem Mercurii & Veneris: (pariles enim eorum cursus) Lunæ dies* XXX. *Hic enim perfectus mensis ab Luna ad intermenstruum: cæterum quidam annum octennium esse existimaverunt. Nonnulli annos undevicenos. Sunt qui undesexagenos. Heraclitus ex duodevicenis annorum millibus constare putat. Diogenes ex tricenis sexagenis quinis supra Heracliti annum. Alii ex septenis millibus tricenis septuagenis septenis.*

Democritus Abderites annum magnum confecit ex annis communibus seu vertentibus duobus & octoginta ac intercalatoriis mensibus octo & viginti.

Divinus Hipparchus trecentos quatuor annos in suo anno magno numerari voluit, in quo bis centies decies intercalabatur.

ANNUS MAGNUS Chaldaicus constat ex annis XII. vertentibus, ideoque δωδεκετηρὶς dictus est, sicut & ὀκταετηρὶς magnitudo octo annorum vertentium, quæ etiam ἐννεατηρὶς dicebatur, quia initium ejus nono quoque anno redibat. Illud *octennium*, hoc *novennium* Latine dicatur. Ludi Delphici, qui Pythia dicebantur, hoc intervallo temporis, id est, noni anni initio celebrabantur. Erat & τετρετηρὶς, id est, *quadriennium*: quod tempus quatuor annis vertentibus constat, & πεντετηρὶς etiam dicitur, quod quinto quoque anno rediret, ut certamen Olympicum Jovi ab Hercule dicatum quinto quoque anno incipiente conficiebatur: & Olympias hæc annorum magnitudo est nuncupata, qua Græci historiographi in notandis temporibus usi sunt. Idem tempus anni Romani magni fuit, quod *Lustrum* appellabant, a Servio Tullio Rege constitutum, ut quinto quoque anno redeunte, censu civium habito, Lustrum conderetur. *Lustrum*, inquit Varro, *nominatum tempus quinquennale a luendo, id est, solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia & ultro tributa per Censores persolvebantur.*

Fuit & annus magnus duorum annorum vertentium τριετηρὶς dictus, quod tertio quoque anno intercalaretur, unde mysteria, quæ alternis annis Libero Patri celebrabantur, *trieterica* a poetis dicuntur.

Aristoteles apud Censorinum annum maximum potius quam magnum appellat eum, quem Solis & Lunæ vagarumque stellarum orbes conficiunt: cum scilicet ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur. Cujus anni summa hyems est κατακλυσμὸς, nostri *diluvium* vocant. Æstas vero πύρωσις κόσμου, id est, *mundi incendium*, seu *conflagratio*. His enim alternis temporibus mundus tum ignescere tum exaquescere videtur. Hunc annum vere vertentem esse Cicero scribit, & Macrobius mundanum appellat, quia conversione plenæ universitatis fiat, earum etiam stellarum, quæ propter tardissimum eoque incomprehensibilem earum motum cœlo infixæ videantur. Hunc annum Aristarchus constare putavit ex annorum vertentium duobus millibus quadringentis octoginta quatuor: Aretes vero Dyrrachinus ex quinque millibus quadringentis quinquaginta duobus: Heraclitus & Linus decem millium octingentorum: Dion decem millium nongentorum octoginta quatuor maximum annum esse affirmavit. Macrobius annorum quindecim millibus eum censeri scribit. Alii infinitum esse, nec unquam in se reverti existimaverunt. Idcirco Cicero variæ hac in re opinionis non ignarus in *Somnio Scipionis* de hoc magno anno loquens ita ait: *In quo vix audeo dicere quam multa hominum sæcula contineantur.*

FIRMAMENTUM proprio motu in ducentis annis unum Zodiaci gradum percurrit, atque ita totum Zodiacum absolvit quadraginta novem millibus annorum: quod spatium magnum annum Platonis aliqui vocant, quo exacto omnia sint pristinum ordinem habitura.

Cicero libro *de Universitate*: Attamen illud prospici & intelligi potest absoluto perfectoque numero temporis, absolutum perfectumque annum tunc compleri: denique cum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerunt, cumque eos permensus est idem & semper sui similis orbis.

AB exortu canis matutino seu heliaco (canem autem diebus 24. post Solstitium oriri *lib.* XVIII. *cap.* XLVII. scribit Plin. Censorinus vicesimo die Quintilis) Ægyptii suum magnum annum inchoabant, quem κυνικὸν & ἡλιακὸν vocabant, quoties scil. primus dies Thoth cum hoc exortu canis congruebat. Continebat vero annus ille κυνικὸς dictus annos communes Ægyptios M. CCCC. LXI. Julianos vero annos M. CCCC. LX. Plinius lib. II. cap. XLVII.

CASTA *fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.*

Hæc dum canit Virgilius in *Bucolicis* alludere videtur ad principium magni anni, quem cecinit Sibylla procedere & decurrere a consulatu Pollionis, cui tunc temporis natus est Saloninus, quem natum tam fœlicem futurum adulatorie dicit poeta, ut visurus sit heroas suæ tempestatis cum diis permistos: haud secus quam in illa etiam integritate & probitate aurei sæculi deos versatos cum hominibus credebant; eo quod tum homines prope sublatis sceleris vestigiis vitam deorum vivebant. Innuit ergo poeta natales Salonini incidisse in principium aurei sæculi, eoque orbem Pollionis virtute pacatum a Salonino rectum iri in longa pace, & quæ in multos annos processura sit, non illos quidem vertentes & communes, cujus etiam menses vertentes sint, sed in magnos annos, & cujus etiam menses magni futuri sint: ut si, verbi gratia, magnus annus fuerit centum quadraginta quatuor vertentium? duodecim anni mensem unum magnum efficiant, & pro uno mense sint, qui magnus dicatur.

ANNUS JUBILÆUS, erat quinquagesimus quisque, qui pluribus cum suis ceremoniis describitur *Levitici* XXV. Deducitur a voce Hebræa, quæ *buccinam* significat, quod scil. ille annus buccina significandus & annunciandus erat. Primus autem Jubilæi annus fuit primus annus ingressionis in terram Chanaan, quintus annus Josue ducis, & annus Mundi 2494. A quo usque ad prædicationem Joannis Baptistæ & Baptisma D. Jesu Christi viginti novem quinquagenarii seu Jubilæi cum annis 49. fluxerunt.

DE VARIA INTERCALANDI RATIONE.

AEGYPTII dies quinque quotannis ad anni sui finem intercalant.

ARABES & Hebræi tertio quoque anno mensem unum dierum triginta trium ad anni sui finem intercalant: quam intercalandi rationem etiam aliquandiu secuti sunt Attici.

ATTICI tandem octavo quoque anno revoluto

mensſes tres dierum ſingulos tricenum ad anni octavi finem intercalant.

ROMANI quarto quoque anno incipiente diem unum intercalarium interſerunt ad ſextum calend. Martias.

Cicero actione IV. *in Verrem* fere ultra medium orationis aliam quandam intercalandi rationem affert, his verbis de Verre loquens: *Eſt conſuetudo Siculorum cæterorumque Græcorum, quod ſuos dies menſeſque congruere volunt cum Solis Lunæque ratione, ut nonnunquam ſi quid diſcrepet, eximant unum aliquem diem aut ſummum biduum ex menſe, quos illi* ἐξαιρεσίμους *dies nominant. Item nonnunquam uno die menſem longiorem faciunt aut biduo*, &c. Et poſt: *Tunc Cephaleditani decreverunt intercalarium* 45. *dies longum, ut reliqui menſes in ſuam rationem reverterentur*. Ex quo liquet dies exemptiles (hi ſic dicuntur, quod eximantur & tollantur de anno) contrarios eſſe intercalaribus, qui interſeruntur & adduntur: exemptiles etiam ἀφαίρετοι dicuntur.

MENSIUM QUORUNDAM SPARSIM AB AUCTORIBUS CITATORUM NOMINA, QUORUM INTEGRA RATIO NONDUM COMPERTA EST.

ALALCOMENIUS, Bœotis Mæmacterion, Plutarcho in *Ariſtide*: de hoc in Mæmacterione: Alalcomenas urbem Ithacenſium nominat Plutarchus *problemate Rom.* CLIII.

BUCATIUS primus menſis Thebanorum, Plutarcho in *Pelopida*.

CARNIUS vide in Metageitnione.

CRONIUS vide in Hecatombæone.

DAMATRIUS Bœotis, Athyr Ægyptiis, Pyaneпſion Athenienſ. vide in Pyaneпſione.

DELPHINIUS, Cœlius *lib.* VIII. *cap.* VI.

DIOSCURUS, *Machabæorum* XI. niſi vitiatus eſt locus pro *Dyſtron*: vide in Dyſtro.

GERASTIUS. Hujus meminit Thucydides *lib.* IV. *cap.* XV. vide in Elaphebolione.

HIPPODROMIUS Bœotis, Athenienſibus Hecatombæon, Plut. in *Camillo*.

LENÆUS vel Lenæon, Heſiodo: de quo & Gaza in *Menſibus Atticis*.

MERCIDINUS, Plutarcho in *Numa*: idem videtur qui in *Cæſare* eidem dicitur Mercedonius: vide in *Anni Romani* tractatione in *Numa*: & vide num ſit alluſio ad nomen id quod habetur *Machabæorum* II. cap. XV. quo loco ſcriptum eſt: *pridie Mardochei die*.

MÆSUIS lingua Oſca menſis Majus, Feſt. Pompejus.

MINOUS menſis apud beatorum inſulas, Luciano initio lib. II. *Verarum Hiſtoriarum*. Hactenus.

JOANNES LALAMANTIUS DE ANNO MACEDONICO

DISSERTATIO II.

DE MENSIBUS MACEDONUM, SEU GRÆCORUM.

1 XANTICHUS.
2 ARTEMISIUS.
3 DEUTIUS.
4 PANEMUS.
5 LOUS.
6 GORPIÆUS.
7 HYPERBERETÆUS.
8 DIUS.
9 APELÆUS.
10 AUDINÆUS.
11 PERITIUS.
12 DYSTRUS.

PARES omnes, dies habent XXIX.

IMPARES, dies XXX.

INTERCALARIUS menſis dierum XXXIII.

SI ergo Ephemeridem Macedonicam conſtruere voles, venare primam Lunam novam poſt octavum Idus Martii, ſicut alibi diximus, anno biſſextili Romano, & ab ea prima nova Luna primum & anni & menſis Xantichi diem auſpicare, & triennio conſcripto, continuato dierum & menſium ordine dum ad finem tertii anni deveneris, intercala menſem unum dierum triginta trium: ſic tibi Macedonici anni ratio conſtabit, & videbis cui menſi Latino Xantichus, cui Artemiſius, Deutius aut alius reſpondebit.

Quidam menſibus Macedonum, quos & Græcos vocant, hæc imponunt nomina, quæ mixta ſunt, ut videre licet, ex Hebræis menſium nominibus & Barbaris: fortaſſe ſunt nomina hodie inter Græcos & Turcas uſurpata:

1	TISRIM	1. OCTOBER.
2	TISRIM	2.
3	REMIZ	1.
4	REMIZ	2.
5.	SABATH.	
6.	ADAR.	
7.	NISAN.	
8.	IDAR.	
9.	HACIRAN.	
10.	THAMUZ.	
11.	ABH.	
12.	EYUL.	

MACEDONES, quod ad anni ſui ordinationem ſpectat, Hebræorum morem inſecutos, ac a prima Luna verna annum ſuum fuiſſe exorſos, vel hoc uno argumento poteſt conſtare, quod Joſephus in ſuis illis *Antiquitatum* libris crebro & fere ubique Hebræos nominibus Macedonicis exprimit: quod

quod & auctor *Machabæorum* facit. Huc adde quod Galenus & Aetius Medici præstantissimi ortu & occasu syderum ita ipsos designant, ut de eo dubitare nemo possit: quod & ex sequentibus palam fiet; de singulis enim mensibus ordine dicere institui. Ac primum de Xanticho.

1. XANTICHUS.

XANTICHI mentio fit apud Josephum *Antiq. Jud.* lib. I. cap. III. alias v. lib. II. cap. VI. alias XIII. lib. III. cap. IX. & X. & lib. XI. cap. IV. & præterea lib. II. *Machab.* cap. XI. in epist. Antiochi ad Senatum Judæorum: *His igitur qui commeant usque ad diem tricesimum mensis Xantichi damus dextras securitatis*, &c. Item in fine epistolarum Antiochi & Romanorum ad Judæos sic legitur, *Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xantichi mensis die* XV. Aetius Medicus Sermone III. *Tetrabibli* primæ, capite centesimo sexagesimo quarto: *Mense Xanticho*, inquit, *prima die intempesta nocte Pleiades apparent.* Cornarius Interpres *Aprilem* interpretatur. Euagrius *Historiæ Ecclef.* lib. IV. cap. IX. de Justiniano Justini ex sorore nepote loquens: *Hic Imperator*, inquit, *declaratus est prima mensis Xantichi, quem Aprilem vocant.* Suidas: Ξανθικὸς ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν ὁ Ἀπρίλιος.

2. ARTEMISIUS.

ARTEMISII meminit Josephus *Antiq. Jud.* lib. VIII. cap. X. Meminit & Galenus tam Artemisii quam Dii, Peritii & Loi initio Commentar. in I. *Epidem.* his post alia verbis: Οἷονεὶ οὕτως ἔτυχεν, ἐὰν προμάθῃ τὸ, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Δίου μηνὸς φθινοπώρου γίνεσθαι ἰσημερίαν, εἴσεται τὴν μὲν χειμερινὴν τροπὴν, ὡς μετὰ τρεῖς μῆνας ἐσομένην ἐν ἀρχῇ τοῦ καθ' ἑαυτοὺς Περιτίου μηνός. τοῦτο γὰρ σημαίνει κατὰ Μακεδόνας. τὴν δὲ ἐαρινὴν ἰσημερίαν Ἀρτεμισίου. καθάπερ γε καὶ τὴν θερινὴν τοῦ Λώου. κατὰ γὰρ τὰς ἀρχὰς τῶν εἰρημένων μηνῶν αἵ τ' ἰσημερίαι καὶ αἱ τροπαὶ γίνονται κατὰ Μακεδόνας. Id est, *Ut si, exempli gratia, antea didicerit Autumnale fieri Æquinoctium in principio mensis Dii, sciet Hyemale Solstitium fieri, quasi post tres menses in principio mensis secundum ipsos Peritii. (nempe hoc nomine a Macedonibus exprimitur) Vernum autem Æquinoctium principium Artemisii, veluti & Solstitium Æstivum initio Loi.* Sic autem ut scripsi legendum est apud Gal. Græcum, cum male legatur οἴσεται pro εἴσεται, & τοῦ καθ' ἑαυτὸν Περάτος, pro τοῦ καθ' ἑαυτοὺς (τοὺς Μακεδόνας) Περιτίου. Et Aetius *lib.* III. *cap.* CLXIII. *Mensis Artemisii*, inquit, *prima die Hyades simul cum Solis ortu oriuntur*: Cornarius *Majum* Latine expressit. Meminit & hujus Euagrius *Eccl. Hist.* lib. IV. cap. V. de temporibus Justini loquens: *Etenim*, inquit, *paulo post anno illius imperii septimo mense decimo, qui tum Artemisius. Majus videlicet erat, vicesima nona die mensis in primo puncto meridiei, die sexta hebdomadis concussio & terræ motus occupatam civitatem prope universam* (de Antiochia loquitur) *subverterunt.* Thucydides etiam *lib.* V. *Facta fuit pax*, inquit, *Plistola Ephoro Lacedæmone, diebus quatuor ante finem mensis Artemisii: Athenis Alcæo duce, sex diebus ante finem Elaphebolionis.* Quo loco Thucydides menses mensibus non confert: Artemisium dico Macedonicum mensem, cum Elaphebolione mense Attico: sed notat dies quibus pax Athenis, & quibus Lacedæmone proposita sit: quæ res temporis intercapedinem requirit. Suidas: Ἀρτεμίσιος παρὰ Μακεδόσιν ὁ Μάϊος.

3. DEUTIUS.

Δαίτιος, Suidæ Δέσσιος, Plutarcho Δαίσιος dicitur in fine *Arati*, cum scribit sacrificium Arato fieri quotannis die Dæsii mensis, quem Athenis Anthesterionem appellant: & in fine *Vitæ Alexandri*, scribit ipsum mortuum esse postrema die mensis Dæsii. Et *ibidem* circa medium: *Nonnulli*, inquit, *consuetudinem etiam observandam putabant, qua receptum erat, ne Dæsio mense exercitum Rex Macedonum educeret. Hoc quidem ita correxit Alexander, ut Artemisium denuo agi juberet.* Hujus mensis & sequentium credam Aetium meminisse *loco* ante in Artemisio *citato*. Interpres omissis nominibus Græcis, quibus auctorem usum fuisse credibile est, ut & in duobus præcedentibus mensibus fecit, Latina mensium nomina expressit. Ego defectu codicis Græci verba auctoris citare non potui.

4 PANEMUS.

SUIDAS, Πάνεμος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Ἰούλιος. Euagrius *Historiæ Ecclesiasticæ* lib. IV. cap. I. *Justinus*, inquit, *natione Thrax, purpuream togam usurpavit nona mensis Panemi, qui Julius apud Romanos nominatur.* Plutarch. in *Camillo*: *Contra Metageitnion*, inquit, *quem Panemum Bœoti dicunt, Græcis inauspicatus fuit.* Demosthenes in oratione *de Corona*, in epistola Philippi Regis Macedonum ad Peloponnesiorum fœderatos, magistratus, assessores & alios: Ὥστε συναντᾶτε μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν Φωκίδα, ἔχοντες ἐπισιτισμὸν ἡμερῶν τετταράκοντα τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς Λώου, ὡς ἡμεῖς ἄγομεν, ὡς δ' Ἀθηναῖοι Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι Πανέμου. Id est, *Quare armati nobis occurrite in Phocide, allato commeatu dierum quadraginta præsenti mense Loo, ut nos habemus, ut Athenienses Boedromione, ut Corinthii Panemo.* Qui locus si verus est, pro Panemo, mense ut hic dicit Corinthio, alium in ordine mensium Macedonicorum substituere oportet: nisi si fortasse Panemus Bœotis & Corinthiis ut & Macedonibus quoque communis est. Meminit & Panemi Plutarch. in *Aristide*, de pugna ad Platæas loquens: Ταύτην τὴν μάχην ἐμαχέσαντο τῇ τετράδι τοῦ Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου κατ' Ἀθηναίους, κατὰ δὲ Βοιωτοὺς τετράδι τοῦ Πανέμου φθίνοντος. Id est, *Hoc prælium commissum est quarto die instantis Boedromionis secundum Athenienses, secundum Bœotos vero quarto die Panemi desinentis.*

5. LOUS.

QUÆ Galenus de mense Loo dicat vide ante in tractatione mensis Artemisii. Item & quæ ex Demosthene citavimus ante in Panemo. Meminit & hujus Euagrius *Histor. Eccl.* cap. IX. lib. IV. scribens Justinum supremum vitæ diem obiisse primo die mensis Loi, id est, Augusti. Suidas: Λῷος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσι, ὁ Αὔγουστος. Meminit & hujus Plutarch. in *Alexandro*, ubi eum Hecatombæoni confert initio: *Natus est* (Alexander) *sexto die Hecatombæonis, quem Macedones Loum nominant*, &c.

6. GORPIÆUS.

GORPIÆI meminit Euagrius *Hist. Eccl.* lib. IV. cap. IV. in fine: *Factus est autem Severus*, inquit, *a sua sede profugus mense Gorpiæo, quem Romani Septembrem vocant.* Plutarch. in *Theseo* de Cypriis loquens: *In sacris*, inquit, *quæ fiunt Nonis Gorpiæi mensis*, &c. Suidas, Γορπιαῖος μὴν ὁ Σεπτέμβριος κατὰ Μακεδόνας.

7. HYPERBERETÆUS.

HUJUS mensis meminit Galenus lib. IV. *de sanitate tuenda*, his verbis: Εςι μὲν ὡραιότατον τῆς ἐλάτης τὸ σπέρμα περὶ ἐπιτολὴν τοῦ Ἀρκτούρου. ὅςις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβριος ἐςὶ, ἐν Περγάμῳ δὲ παρ' ἡμῖν Ὑπερβερεταῖος, Ἀθήνῃσι δὲ Μυςήρια. Id est, *Est quidem maturrimum abietis semen circiter Arcturi ortum; quod tempus Romæ Septembrem vocant, Pergami vero apud nos mensis Hyperberetæus, Athenis vero Mysteria*. Josephus *Antiquit. Jud.* lib. III. cap. X. & secundum veterem tralat. cap. XIII. *Septimo item mense, quem Macedones Hyperberetæum vocant, præter jam dicta taurum & arietem & septem agnos mactant*. Et lib. VIII. cap. VII. Menandrum citans loquentem de Ithobalo Tyriorum Rege: *Hoc regnante*, inquit, *pluviarum defectus fuit ab Hyperberetæo mense usque ad insequentis anni Hyperberetæum continuus*. In *Decret. Can.* Dist XXII. hæc verba habentur: *Secundum vero Concilium Idibus Octobris habeatur, qui dies apud Græcos Hyperberetæi mensis decimus invenitur*. Legendum vero ibi est *Hyperb. retæi*, non ut habetur, *Hyperbiti*. Suidas. Ὑπερβερεταῖος ὁ μὴν κατὰ Μακεδόνας, ὁ Οκτώβριος: quo loco miror Suidam scribere Hyperberetæum ultimum anni esse mensem: unde proverbium citat, *Hyperberetæus*, de tardantibus seu sero aliquid agentibus, aut etiam de longævis ætatem in multos annos protelantibus.

8. DIUS.

DE Dio vide Joh. Bapt. Pium *Adnotat. poster.* cap. LXV. & Josephum *Antiquit. Jud.* lib. I. cap. III. alias V. Suidas, Δῖος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσι, ὁ Νέος. Id est, *Dius nomen mensis apud Macedonas, November*.

9. APELLÆUS.

Euagrius *Historiæ Ecclesiasticæ* lib. IV. cap. XIX. *Factaque est Romanis Roma rursum subjecta post annos sexaginta, nona mensis Apellæi, quem Romani Decembrem vocant*. Josephus *Antiquit. Jud.* lib. XII. cap. X. al. XI. eum confert cum Chisleu mense IX. apud Hebræos. Suidas, Ἀπελλαῖος παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Δεκέμβριος μὴν.

10. AUDINÆUS.

Suidas, Αὐδιναῖος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσι, ὁ Ιανουάριος. Vide Aetium Græcum *lib.* III. *cap.* CLXIII.

11. PERITIUS.

PERITII meminit Galenus *loco* ante *citato* in Artemisio secundo mense Macedonico, & Aetius etiam *loco* supra *citato*. Suidas, Περίτιος μὴν κατὰ Μακεδόνας ὁ Φεβρουάριος, *Peritius mensis secundum Macedonas Februarius*.

12. DYSTRUS.

SUIDAS, Δύςρος ὁ Μάρτιος μὴν παρὰ Μακεδόσιν, *Dystrus apud Macedonas mensis est Martius*. Vide Josephum *Antiq. Jud.* lib. IV. in fine. Certe Dystrus videtur is esse quem Lysias Antiochi procurator & propinquus, *Machabæorum* II. cap. XI. in fine epistolæ, quam ad Senatum Judæorum scribit, Dioscorum vocat. Et certe credam legendum ibi esse mensis Dystri die 24. &c. cum legatur Dioscuri. Auget conjecturam, quod ibidem crebra fit mentio Xantichi mensis primi Macedonum Dystrum ordine sequentis anno revoluto. Aetius etiam *lib.* III. *cap.* CLXIII. Dystri meminit his verbis: *Mense*, inquit, *Dystro* (qui Martius est) *Equus oritur* XIX. *die*, ut conjiciam Aetium eo loco menses Macedonicos omnes expressisse, & suis nominibus appellavisse, ut dixi in Deutio: sed quia codice Aetii Græco destituebar, id pro certo affirmare non sum ausus: quia tamen ibi Xantichi, Artemisii & Dystri nomen Interpres retinuit, de reliquorum mensium nomine conjecturam facio. Hactenus de anno Macedonum seu Græcorum.



JOANNIS LALAMANTII
DE
ANNO ATTICO
DISSERTATIO III.

ATTICORUM DUODECIM MENSIUM EX ORDINE NOMINA.

Solstitiales menses.	1	HECATOMBÆON.
	2	METAGEITNION.
	3	BOEDROMION.
	4	MAIMACTERION,
	5	PYANEPSION.
	6	ANTHESTERION.
Æquinoctiales menses.	7	POSIDEON.
	8	GAMELION.
	9	ELAPHEBOLION,
	10	MUNYCHION.
	11	THARGELION.
	12	SCIRROPHORION.

IMPARES, dies habent XXX.
PARES, dies XXIX.
Post octo annos intercalant menses tres tricenum singulos dierum.

I. HECATOMBÆON.



ANTEQUAM Hecatombæonem primum esse Anni Attici mensem probare aggredior, monere primum lectorem operæ pretium duxi, Atticos ab æstivo Solstitio annum suum exordiri esse solitos. Cujus dicti locupletes testes esse possunt Plato & Simplicius. Ac Plato quidem sic infit lib. VI. *de Legibus: Omnes magistratus, tam anni quam longioris temporis, pridie Calend. mensis illius, quo post Solstitium æstivum novus annus incipit, in unum templum conveniant*, &c. Simplicius in lib. V. *Physicæ Aristotelis* sic scribit: Ἀς δ' ἡμεῖς ποιέμεθα ἀρχὰς ἐνιαυτοῦ μὲν περὶ θερινὰς τροπὰς ὡς Ἀθηναῖοι, ἢ περὶ μετοπωρινὰς ὡς οἱ περὶ τὴν νῦν καλουμένην Ἀσίαν, ἢ περὶ χειμερινὰς ὡς Ῥωμαῖοι, ἢ περὶ ἐαρινὰς ὡς Ἄραβες καὶ Δαμασκηνοί. *Quæ quidem*, inquit, *nos facimus anni initia vel circa Solstitium æstivum ut Athenienses, vel circa autumnale Æquinoctium ut terræ quæ nunc Asia dicitur incolæ, vel circa brumam ut Romani, vel circa ver ut Arabes & Damasceni*. Cum ergo his auctoribus a tropico æstivo Atticis Anni sui sit principium, reliquum est ut Hecatombæonem & primum anni mensem esse & Solstitio proximum ostendamus. Ostendere porro facile erit ex Aristotele, qui lib. V. *de Natura Animalium* cap. XI. docens pisces alios æstate, alios hyeme partus suos edere, tandem exempli gratia subinfert: Χειμῶνος μὲν Λάβραξ καὶ Κεστρεὺς, θέρους δὲ περὶ τὸν Ἑκατομβαιῶνα Θυννίδες περὶ τροπὰς θερινάς. Id est, *Hyeme quidem Lupus & Mugilis, æstate circa Hecatombæonem atque adeo circa Solstitium æstivum Thynnus*. Et *ibidem* lib. VI. c. XVII. Ὀχεύονται Θύννοι καὶ Σκόμβροι περὶ τὸν Ἑκατομβαιῶνα ἀρχόμενον. Id est, *Coeunt Thynni & Scombri circa Elaphebolionem desinentem, pariunt circa Hecatombæonem incipientem*. Nam quod hoc posteriore loco circa ineuntem Hecatombæonem

A Thynnos & Scombros parere dixit, in priore explicatius dixit circa Hecatombæonem & circa Solstitium, innuens scil. circa Hecatombæonem Solstitium contingere, præsertim tribus aut quatuor primis octennii annis: alias non semper Hecatombæone Solstitium contingit; ut constructa, si voles, Ephemeride deprehendere poteris. Siquidem aliis atque aliis octennii annis Solstitium in alium atque alium mensem incidit, nec statum semper & certum aut diem aut mensem habet. Nam in quarto & sexto octennii annis Metageitnione contingit: illo anno XIIII. die, hoc XXV. Eoque non temere est quod auctores his dicendi formulis
B utuntur, περὶ τὸν Ἐλαφηβολιῶνα, Ἑκατομβαιῶνα, περὶ τὰς τροπὰς, &c. id est, *circa Elaphebolionem, Hecatombæonem, circa Solstitia*, &c. Sed & ex Theophr. quoque licet ostendere Hecatombæonem primum Anni Attici mensem esse & Solstitio proximum. Is enim *lib.* IV. *cap.* XII. scribens calamum tibialem, cum adhuc simplici musica uterentur Græci, tempestive cædi solitam ante Antigenidem (*a*) sub Arcturo, mense Boedromione: nunc autem mutatam esse cæsuram subdit: Τέμνουσι γὰρ δὴ νῦν, φησὶ, τοῦ Σκιρροφοριῶνος καὶ Ἑκατομβαιῶνος ὥσπερεὶ πρὸ τροπῶν μικρὸν ἢ ὑπὸ τροπάς. *Cædunt, inquit, nunc Scirrophorione & Hecatombæone qua-*
C *si paulo ante Solstitium vel sub ipso*. Quinetiam id ipsum etiam liquet ex Demosthenis *Olynth.* III. his post alia verbis initio: Τότε τοίνυν μὴν ἦν Μαιμακτηριών: & paucis interjectis verbis: καὶ μετὰ ταῦτα διελθόντος τοῦ ἐνιαυτοῦ τούτου, Ἑκατομβαιὼν Μεταγειτνιὼν, Βοηδρομιών. τούτου τοῦ μηνὸς μόλις μετὰ τὰ μυστήρια δέκα ναῦς ἀπεστείλατε ἔχοντα Χαρίδημον κενὰς καὶ πέντε τάλαντα ἀργυρίου. Id est, *Tunc igitur mensis erat Mæmacterion*. (*b*) *Deinde vero eo anno elapso* (præteriere) *Hecatombæon, Metageitnion, Boedromion. Hoc demum mense vix post initia Cereris Charidemum decem naves habentem vacuas able-*
D *gastis & argenti* V. *talenta*; quo loco orator Mæmacterione nunciatum fuisse dicit Philippum Heræum castrum obsidere, Athenienſesque multis verbis & tumultu facto tandem decrevisse quadraginta triremes producere: post quod decretum mense anni quarto factum annus affectus fuit, & ad finem non solum deductus, sed & præterea de sequente anno & novo effluxerint Hecatombæon, Metageitnion & Boedromion (*c*) tres anni primi menses, priusquam Athenienses quod decreverant exequerentur: cum vix post initia Cereris mense Boedromione Charidemum ablegastis, &c. Sic scilicet socordiam notans Atheniensium, decreta sua
E in annum protelantium. Meminit & hujus Demosth. suppresso tamen ordinis nomine in oratione *de Corona*, aliisque locis, maxime *contra Timocratem* his verbis: Ἀλλὰ τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τοὺς νόμους ἀπεχειροτονήσατε, οὔσης ἑνδεκάτης τοῦ Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς, δωδεκάτῃ τὸν νόμον εἰσήνεγκεν οὗτος

(*a*) Antigenides Thebanus, musicus tibicen: de quo Gell. *lib.* XV. *cap.* XVII. Valerius lib. III. *cap.* VII. Plin. *lib.* XVI. *cap.* XXXVI. Cicero in *Bruto*.

(*b*) Interpres Wolfius *Octobrem*, *Junium*, *Quintilem* & *Sextilem* convertit.

(*c*) Mysteria die Boedromionis XX. celebrantur, Plutarch. in *Camillo* & *Phocione*.

τῇ ὑστεραίᾳ, καὶ ταῦτα ὄντων Κρονίων. Id est, *Sed cum concio, qua leges dijudicavistis, undecimo die Hecatombæonis* (a) *celebraretur, postridie statim duodecimo*, scil. die, *idque Saturnalibus, legem tulit*. Meminit etiam Theophrast. *lib.* III. *cap.* VI. scribens evenire, ut cum omnes aliæ arbores germinationem incœperint, eandem continuent: Τὴν πεύκην tamen καὶ ἐλάτην καὶ δρῦν διαλείπειν περὶ τὴν αὔξησιν, καὶ τρεῖς ἀφιέναι βλαστούς. τὸ μὲν πρῶτον ἄκρου ἔαρος, εὐθὺς ἱσταμένου τοῦ Θαργηλιῶνος (*b*). τὸ δὲ δεύτερον διαλειπούσας περὶ τριάκοντα ἢ μικρῷ πλείους ἡμέρας ἐπιβάλλεσθαι περὶ τὸν Σκιρροφοριῶνα μῆνα λήγοντα. τὸ δὲ τρίτον διαλειπούσας περὶ πεντεκαίδεκα ἡμέρας ἐπιβάλλεσθαι, ἓξ ἢ ἑπτὰ ἡμέρας Ἑκατομβαιῶνος. Id est, *Pinum tamen & abietem & robur intermittere germinationem, ternaque edere germina. Ac primam germinationem fieri summo Vere, statim ineunte Thargelione. Secundam intermissis diebus circiter* XXX. *aut paulo pluribus circa Scirrophorionem desinentem. Tertiam postea interjecto fere dierum* XV. *spatio emittere, sexto nimirum aut septimo die Hecatombæonis*. Ex his verbis etsi elicere non possis, quotus ordine sit Hecatombæon, inde tamen discas hos tres ordine sese consequi, & Thargelionem præcedere Scirrophorionem, & Scirrophorionem præcedere Hecatombæonem. Sane Plin. *lib.* IX. *cap.* LI. hos tres menses intelligere videtur, cum Aprilem, Majum, Junium nominat, scribens pisces plurima sui parte fœtificare tribus illis mensibus.

Nec vero prætereundum est quod hic locus vehementer torsit Gazam, qui in libello *de Mensibus Atticis*, titulo *de interp. mensium*, dissentaneum hoc esse scribit quod Theophrastus ait: ἄκρου ἔαρος εὐθὺς ἱσταμένου τοῦ Θαργηλιῶνος, id est, *summo* seu *ultimo Vere*, (ἄκρου γὰρ ἀντὶ τοῦ ἐσχάτου, id est, *summo pro ultimo*, accipit, quantum ex sequentibus illius verbis colligere licet) *Si enim*, inquit, *Thargelion est summum Ver, Solstitialis haudquaquam esse queat Hecatombæon, cum scilicet Scirrophorion inter hunc & illum intercedat, & multo minus Vernus & Æquinoctialis Munichion*. Et certe res dubitatione carere non videtur: quo factum ut aliquando crediderim conjunctionem disjunctivam ἢ, id est, *vel*, esse interponendam, & apud Theoph. legi oportere, ἄκρου ἔαρος ἢ εὐθὺς ἱσταμένου, &c. *summo Vere aut instante statim Thargelione*. Nam sic sensum constare & quadrare rationem existimabam: quanquam an ita legendum esset, ne audaculus in judicando & temerarius in emendando viderer, doctis æstimandum relinquebam: tandiu volens in mea opinione perstare, dum quid quis melius. Sed & dum ipse quoque hic hæreo, ac interim Plinium consulo, comperi ipsum hac ipsa de re in hæc verba loqui *lib.* XVII. *c.* XXV. *Et reliquæ quidem arbores*, inquit, *ut primum cœpere, continuant germinationem; robur & abies & larix intermittunt tripartito, ac terna germina edunt*. Paulo post: *Est autem prima earum incipiente Vere circiter dies* XV. *iterum germinant transeunte Geminos Sole*: & una linea interposita: *Tertia est earundem ad Solstitium, brevissima, nec diutius septenis diebus*. Hactenus Plin. qui Theophrasti dictionem quodammodo videtur explicare. Nam quod Theoph. de iisdem arboribus loquens dicit, ἄκρου ἔαρος εὐθὺς ἱστα. τοῦ Θαρ. Plin. interpretari videtur cum dicit, *incipiente Vere circiter dies* XV. quod ego interpretor diebus circiter XV. a Veris initio. Tum quod Theophrastus etiam habet περὶ τὸν Σκιρροφοριῶνα λήγοντα, Plin. hic dicit, *transeunte Geminos Sole*. Nimirum Scirrophorion Majo

A ut plurimum respondet. Denique quod ab eodem Theophr. dicitur, διαλειπούσας περὶ πεντεκαίδεκα ἡμε. ἐπιβαλ. ἓξ ἢ ἑπτὰ ἡμε. Ἑκατομβ. &c. Plinius item interpretari videtur cum dicit, *tertia est earundem* (germinatio) *ad Solstitium, brevissima, nec diutius septenis diebus*. Nempe Solstitium ut plurimum Hecatombæone contingit, & octennii initio Solstitialis semper est.

Sed nec ex hac interpretatione solvitur nodus abs Gaza propositus, qui scilicet Thargelione mense summum Ver, id est, extremum, (hac enim significatione, ut præmonui, Gaza ἄκρον usurpat) contingere possit: cum Scirrophorion mensium B Vernalium tertius sit & ultimus, & quo tandem ἄκρον ἔαρ, id est, *summum & ultimum Ver* sit. Sane cum & hic nihilominus etiam hærerem, rem ad amicos detuli, & inter alios D. Rivanum verbi Dei Ministrum Polyhistora & trium Linguarum præcipuarum cognitione dotatum, Lugduno huc ad nos ob pestis sævitiam confugere coactum, consului: qui ut nodum solveret, re perpensa censuit pro εὐθύς, ἐγγύς, id est, *prope*, apud Theophr. esse legendum: quippe ab hac dictione in illam facilem lapsum esse propter literarum affinitatem. In quam opinionem contra ut ne irem faciebat Gaza, C quem, ut qui Græcus natione esset, & magnorum virorum opibus sustentatus, optimis & emendatiss. codicibus usum fuisse verisimile esse judicabam: & qui εὐθύς non ἐγγύς legisset. Hoc igitur auctore lectionem receptam immutare mihi fuit religio. Jam quod idem Rivanus illud ἄκρου ἔαρος *ad multum Ver* interpretatur, hoc sensu, *Prima germinatio abietis, pinus & roboris fit ad multum Ver*, id est, Vere multum jam promoto, nempe circa instantem Thargelionem, quo mense Ver multum est, seu ad medium jam processit, (Vernales enim menses sunt Munychion, Thargelion, Scirrophorion) id quidem facit ut sensus convenire, neque ita a sententia aut Theophrasti aut Aristot. alienus esse videa- D tur. Sed in ea perstiti opinione, ut Theophrasti verba haudquaquam mutata ita interpretanda censerem, *Prima germinatio abietis fit primo Vere circa instantem Thargelionem* Nam ἄκρον ἔαρ mihi *non ultimum*, ut Theod. Gaza vult, sed *primum Ver*, seu, ut Græce dicam, τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔαρος significat: ut apud Hippocratem *Aphor.* XVIII. *Comm.* III. qui sic habet, κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος οἱ παῖδες καὶ οἱ τούτων ἐχόμενοι, &c. id est, *Quod ad tempora vero pertinet, Vere & prima æstate pueri & his ætate proximi optime degunt*. In quem locum Gal. hæc habet: Προσέθηκε δὲ τῷ ἦρι τὴν ἀρχὴν τοῦ E θέρους ὁ Ἱπποκράτης ἐπὶ πλάτος ἐκτείνων τὴν χρείαν ἑκάστου τῶν θεωρημάτων. ἀκριβέστερον δ᾽ ἦν εἰπεῖν, τὰ μὲν μειράκια τοῦ ἦρος, τοὺς δὲ παῖδας ἐν ἀρχῇ τοῦ θέρους ἄριστα διάγειν. Id est, *Adjunxit autem Hippocrates Veri æstatis initium, latius uniuscujusque extenden- theorematis usum. Exactius autem & apertius discere poterat, adolescentes Vere, pueri æstatis principio optime degunt*. Hac auctoritate liquere arbitror ἄκρον τὴν ἀρχὴν etiam significare: quo sensu appositissime & pulcherrime dictum sit a Theophrasto primam germinationem abietis, roboris & lar. fieri primo Vere statim ineunte Thargelione. Nam cum menses Vernales tres sint, Munychion, Thargelion F & Scirrophorion, ac totus, verbi gratia, Munychion sit summum, id est, primum, Ver (sic enim ἄκρον interpretor) totus Thargelion, secundum & medium: totus Scirrophorion, ultimum: non ita tamen exacte toti & integri menses sunt primum, medium & ultimum Ver, ut non initia mensium cum fine præcedentium symbolisent & illis etiam attribuantur. Nam quemadmodum in ætatibus contingit, ut scilicet constantis seu inclinantis ætatis pars extrema senectus etiam appelletur, etsi revera

(a) Interpres 3. *Idus Junii & pridie Idus* dixit.
(b) Gaza interpres Theoph. *Februarium, Martium & Aprilem* convertit.

non sit: Gal. v. *san tuen.* ita & fines mensium interdum principiorum, & contra principia finium nomen accipiunt: nihil ergo absurdi scripsit Theophr. cum inquit τ̄ πεύκην καὶ ἐλάτην καὶ δρῦν τρεῖς ἀφιέναι βλάστους, τ̄ μὲν πρῶτον ἄκρου ἔαρος εὐθὺς ἱσταμένου τ̄ Θαργηλιῶνος: quæ tamen dictio Gazam valde torsit, qui hic hærens scripsit tandem vetustissimos homines illos nulla ratione nulloque ordine mensibus esse usos & alios aliter annum esse partitos. Verum enim intelligere licet Attici anni principium, seu si vis primum diem Hecatombæonis primi illorum mensis, non stato semper die, sed ne mense quidem occurrere, sed pro aliis atque aliis octennii annis anticipare & in anteriora progredi per XI. quotannis dierum spatium. Sit, exempli gratia, mihi in animo Ephemer. Atticam, vulgo *Almanach* dicunt, construere in annos 8. nam apud Atticos annus perfectus esse ante decursos tot annos non poterat, cum non nisi revolutis 8. annis intercalarent. Primum quæram annum aliquem Latinum qui proximus sit a Bissextili. Sit autem pro exemplo annus M. D. LVII. nam præcedens annus M. D. LVI. Bissextilis fuit. Sint ergo anni 8. M. D. LVII. M. D. LVIII. M. D. LIX. LX. LXI. LXII. LXIII. & M. D. LXIV. primi anni hujus octennii, sc. M. D. LVII. primam novam Lunam vestigabo, quæ prima post Solstitium occurrat. Nam ab ea prima Luna nova Attici annum suum auspicantur. Eo vero anno prædicto novata Luna comperietur die Junii XXVII. Sic ergo conferam dies inter se,

		Ἑκατομβαιών.		
M. D. LVII.	XXVII. Junii	1	I. Julii	5
	XXVIII.	2	II.	6
	XXIX.	3	III.	7
	XXX	4		

Hoc ordine & hac via pergere, si voles, poteris dum ad anni finem devenias, singulis mensibus, qui duodecim sunt, assignando paribus quidem dies XXIX. imparibus vero dies XXX. & tandem comperies ultimum hujus primi anni diem in Junii XV. recidere. & in summa annum habere tantum dies 354. dies undecim minus quam annus Solaris habeat. Tot autem dies intercedere inter primum diem hujus anni, id est, Junii vicesimum septimum, & anni totius ultimum, id est, decimum quintum ejusdem Junii, comperies. Jam quod ad principii reliquorum annorum octennii vestigationem attinet, non est quod ad novilunium, quod primum post Solstitium occurat, confugias, (nam id tantum in primo anno octennii est vestigandum) sed pro primo die anni reliquorum annorum septem octennii sumes eum numerum qui ordine sequatur anni præcedentis ultimum. Sic hac ratione, quia ultimus dies primi anni octennii recidit in Junii XV. ut dixi, a XVI. die ejusdem Junii secundus annus incipiet, qui & ipse terminabitur Junii quarta, & quinta Junii annum tertium incipiet. Tertii vero anni dies ultimus incidet in XXIII. Maii, & quartus annus incipiet a XXIIII. ejusdem Maii. Jam quarti anni ultimus dies incidet in duodecimum Maii: itaque quinti anni primus dies erit XIII. Maii, quinti anni dies ultimus in primum Maii incurret. Sexti anni primus dies a secundo ejusdem initium sumet, & desinet in XX. Aprilis. Septimus annus a XXI. ejusdem sumet initium, & terminabitur octavo Aprilis. Unde nonus Aprilis initium dabit anno octavo & ultimo octennii, qui & ipse terminabitur XXVIII. Martii. Sic totum hic tibi octennium revolutum est. Vides autem ab hac XXVIII. Martii ad XXVII. Junii, unde primum octennii annum auspicatus sum, dies nonaginta deficere, eoque addendos esse ut annus ad sua redeat principia & in se sua per vestigia volvatur: quod ut fieret, Attici hic nonaginta illos deficientes dies in tres menses distribuebant, qui singuli dies 30. capiebant & sic intercalabant. Nec vero ulli mensi tres

A illi menses attribuebantur, sed nomine destituebantur, nisi quod primus mensis secundus, tertius mensis mensis Embolimus dicebatur, Latinis intercalarius. Conflantur autem menses hi Embolimi ex diebus undecim singulorum annorum octennii, quibus octo anni Solares Lunares superant. Græci enim tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur absumi quantum ad id anni tempus adduceret, quo cæli habitus instanti mensi aptus inveniretur: quod etiam Romulum fecisse testatur Macrob. l. I. *Sat.* c. XIII. circa finem: sed de hoc in *anni Romani* ratione. Additis ergo his ad finem scilicet octennii diebus nonaginta distributis in B tres menses æqualiter, annus redibit ad sua principia, nullo die aut deficiente aut superabundante. Ac si aliud octennium construere voles, modo ante dicto procedes: Venabere dico pro primo tantum anno primam novam Lunam, quæ prima post Solstitium seu post XII. Junii contingat, & ab ea primum diem anni Attici auspicabere: reliquos annos continuata numerorum anni præcedentis cum sequenti serie subnectens: ut modo dictum est.

Jam quia ita vagum est anni Attici principium, ut nonnunquam ex Junio in Aprilem retrolabatur defectu intercalationis, quæ non nisi octavo quoque anno apud illos fit, quoties auctores aliquid de C flore & germinatione plantarum, de satu, sementi & messe, & cæteris ejusmodi quæ stato semper tempore fieri habeant, scribunt, ea referenda sunt ad tres potissimum annos primos octennii, ne quid dissentaneum scribere videantur. Sed ad Hecatombæonem revertor: cujus meminit Plutarchus in *Camillo: Bœoti*, inquit, *quinto die ejus mensis, qui ipsis hippodromius est, Hecatombæon Atheniensibus, duas præclarissimas victorias paraverunt: unam in Leuctris, alteram ad Geræstum.* Et in *Theseo*: *Etenim venit*, inquit, (Theseus) *Athenas octavo die ejus mensis, qui Græcis Hecatombæon, ante* Κρόνιος, id est, *Saturnius, dictus fuit.* Et *ibidem*: *Metœcia* D *quoque sacrum a mutatis sedibus civium dictum* XVI. *die Hecatombæonis fecit.* Et in *Vita Alexandri magni* Hecatombæonem a Macedonibus Loon vocari tradit. Cælius Rhodig. *l.* X. *c.* VI. Hecatombæonem Aprili respondere scripsit: quod ultimis tantum annis octennii fieri constructa octennali Ephemeride ipse deprehendere poteris: anno vero post intercalationem ad sua principia regresso, Hecatombæon in Junium redit. Est enim Hecatombæon Solstitialis mensis.

2. METAGEITNION.

E Metageitnionem secundum esse Anni Attici mensem & Hecatombæoni in ordine succedere illis ipsis auctoribus, quibus Hecatomb. primum esse probavimus, etiam hic probare possumus. Primum Aristoteles de locustis scribens l. V. *de nat. Anim.* c. XVII. inquit: *Inter ea quæ crusta integuntur, ova quæ locustæ coitu conceperunt, tribus utero mensibus gerunt, Scirrophorione, Hecatombæone, Metageitnione.* Et Theoph. de semente quæ fit diversis temporibus sic scribit *l.* VII. *c.* I. Ἐπεὶ ἥγε σπορὰ δεχὸν ἐν τοῖς ἐναντίοις γίνεται. Χειμερινοῦ γὰρ ἀρχὴ μετὰ τροπὰς θερινὰς τοῦ Μεταγειτνιῶνος μηνός, καλοῦσι δὲ τοῦτον πρῶτον τ̄ ἀροτῶν· τοῦ δὲ δευτέρου πάλιν, μεθ' F ἡλίου τροπὰς χειμερινὰς τοῦ Γαμηλιῶνος μηνός. id est, *Siquidem satus fit contrariis fere temporibus. Principium enim hyberni, quam primam sementem appellant, post æstivum Solstitium est mense Metageitnione; at rursum secundi, mense Gamelione post Solstitium hybernum.* Demosthenes etiam loco supra ex *Olynthiaca* III. citato, Metageitnionem secundum ab Hecatombæone nominat: ut his auctoribus facile liceat intelligere hunc secundum in ordine mensium Atticorum locum tenere: cujus etiam meminit Plut. in *Camillo*: *Contra*, inquit,

A *Metageitnion,quem Panemum Bœoti dicunt,Græcis inauspicatus fuit : ejus enim die 7.pugna ab Antipatro victi in Cranone protinus perierunt*. Et in *Nicia*: *Fuit is dies* (quo Nicias captus est) 24.*Carnii mensis, quem Metageitnionem Athenienses cognominant*. Et in *Publicola* scribit Capitolium dedicatum esse εἴδοις Σεπτεμβρίαις, ὃ συντυγχάνει περὶ τὴν πανσέληνον μάλιστα Μεταγειτνιῶνος : ut velit Idus Septembres cum plenilunio Metageitnionis concurrere : credam tamen pro *Metageitnionos*, *Maimacterionos* esse legendum. Nam Maimacterion propius ad Septembrem accedit.

3. BOEDROMION.

B Quod Boedromion tertius sit mensis apud Atticos, liquere arbitror ex iis quæ ex Aristotele ante in Metageitnione de Locustarum partu citavimus. Nam postquam dixit illas tribus mensibus Scirrophorione, Hecatombæone & Metageitnione uterum ferre, subdit sub Arcturum eas ova excludere: Πρὸ Ἀρκτούρου τὰς καράβους ἐκτίκτειν : & ab Arcturo absolvere. Arcturum autem circa Boedromionem oriri ex eo patet,quod idem ipse Aristoteles *de Nat. Anim.*c.XXIX.l.VI. scribit,Cervas saliri ab Arcturo mense Boedromione. Et Theophrastus (ut & ante in Hecatombæone diximus) tibialem calamum ante Antigenidem tempestive cædi solitum esse scribit sub Arcturo mense Boedromione. Liquet etiam C ex *loco* ibidem *citato* ex *Olynthiaca* III. Demosth. quo loco orator tres hos menses ordine nominat, Hecatombæonem, Metageitnionem, & Boedromionem. Plut. in *Camillo* : *Neque sum nescius*, inquit, *circa tempus id, quo Mysteria Athenis celebrantur, Thebas ab Alex. dirutas, & Athenienses præsidium Macedonum accepisse circiter* XX. *Boedromionis*. Et paulo post: *Rursus Persæ mensis Boedromionis die* VI. *in Marath. feliciter pugnarunt*. Et in *Alexandro* : *Luna tum defecit mense Boedromione*. Et in *Theseo* rationem nominis reddit, loquens de Thesei cum Amazonibus pugna : D *Pugnatum est*, inquit, *mense Boedromione : cujus pugnæ causa in hunc usque diem Athenienses sacra Boedromia peragunt, mensisque inde nomen est Boedromion*. Vocabuli origo a clamore sublato cum ad auxilia accurreretur. Meminit & hujus passim Demosthenes, maxime in oratione *de Corona*, in *epistola Philippi*, ut videre est ante in Panemo mense IIII. Macedonico. Plut. in *Demetrio* : Ἀλλὰ τὰ μικρὰ Μυστήρια τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο, τὰ δὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶνος. Id est, *Parva*, inquit, *Mysteria Anthesterione, magna Boedromione celebrabantur*. Gal. l. IV. *de sanit. tuenda* dicit, *Maturrimum est abietis semen circa Arcturi ortum*, E &c. & vide quæ ante diximus in Hyperberetæo, in mensibus Macedonicis.

4. MAIMACTERION.

Quod etiam Maimacterion Boedromionem sequatur,liquet ex *præcitato* Arist. *loco* de cervorum coitu, cum inquit: Ἡ δὲ ὀχεία γίνεται μετ' Ἀρκτοῦρον περὶ τὸν Βοηδρομιῶνα καὶ Μαιμακτηριῶνα. *Coitus vero*, inquit, *fit post Arcturum circa Boedromionem & Maimacterionem*. Interpres *Augustum* & *Septembrem* convertit. Idem lib. VIII. cap. XII.*de Nat. Anim.*scribens animalia imbecilliora migrare prius in campos ad temporum vicissitudines, ait F Coturnices discedere Boedromione, Grues Maimacterione. Et certe Grues mense uno post Coturnices ex frigidis locis ad tepidos & apricos discedere conspicimus. Idem etiam auctor l.VI.c.XI. *de Nat. Animal.* Stellarem e Mustellorum genere coitum inire dicit Maimacterione, & bis mense partum edere : quod contingere ab Æquinoctio Autumnali piscatores Tarentini asseverant : quod & rationi consentaneum videatur, cum pauci pisces,ut idem auctor est, Autumno pariant. Quod si Stellaris Aristoteli Maimacterione parit, piscatoribus Tarentinis Æquinoctio, certe Æquinoctium autumnale Maimacterione contingere videatur. Astipulatur & ratio : nam cum annus mensibus duodecim constet & integretur : quatuor autem sint temporum vicissitudines,Solstitia duo & totidem Æquinoctia, fit ut quatuor in duodecim divisa tria dent : unde colligere licet singulas illas quatuor temporum vicissitudines tertio quoque mense contingere. Si quis ergo scierit Solstitium æstivum Hecatombæone contingere, certe & is quoque sciet Æquinoctium autumni, tertio similiter post mense:ut & ab hoc etiam Æquinoctio autumni,tertio mense post, Solstitium hyemale seu Brumam, & post Brumam item tribus mensibus post, Æquinoctium vernum contingere: quod & ante ex Galeno docui in Artemisio in *Anni Macedonici tractatione*. Quod autem ad Arcturum attinet, quem Aristoteles & Theophr. *locis* ante in Boedromione *citatis* ipso Boedromione oriri scribunt : & confirmat post ipsos Theod. Gaza in *Mensibus Atticis*, titulo, *Quod principium anni Attici sit Hecatombæon* : id quidem verum esse deprehendatur in duobus aut tribus primis octennii annis: non item in ultimis,quibus longius ab intercalatione absceditur: ut verum sit quod ante monui, dicta Auctorum ad tres fere primos octennii annos esse revocanda, quo nihil dissentaneum dicere videantur.Cæterum Columella *l.* XI. *c.*II.notat Arcturum oriri XVII.Calend.Septembris:quod est (ut Astrologi notant) 28. gradu Virginis,minuto 29.& Sol XV.Augusti in Virginem transitum facit.Arcturus tamen Constantino Cæsari oritur XV. die Septembris. Sic Romanis Arcturi ortus certus est quod ad mensem attinet: diebus pluribus, paucioribus. Sed apud eas gentes, quæ menses in duas partes inæquales secant,& alterum mensem dierum triginta, alterum viginti novem efficiunt, dies, imo ne menses quidem definiri possunt, quibus aut Æquinoctia, aut Solstitia, aut illustrium syderum exortus fiant. Quemadmodum apud eos fieri potest, qui menses pro ratione Solis numerant : ut & alibi ex Galeno docuimus.

Cæterum Demosthenes etiam Maimacterionis meminit multis in locis, quos ego in Hecatombæone citavi. Meminit & Plutarchus in *Aristide* his verbis : Οἱ Πλαταιεῖς ὑπεδέξαντο τοῖς πεσοῦσι καὶ κειμένοις αὐτόθι τῶν Ἑλλήνων ἐναγίζειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ τοῦτο μέχρι νῦν δρῶσι τοῦ Μαιμακτηριῶνος μηνὸς, ὅς ἐστι παρὰ Βοιωτοῖς Ἀλαλκομένιος τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα. Id est, *Platæenses se parentaturos receperant singulis anni Græcis illis qui cecidissent & occubuissent illic*, (in expeditione contra Persas) *id quod & in hunc usque diem faciunt die decima sexta Maimacterionis,qui Bœotis Alalcomenios dicitur*. Hunc mensem nonnulli a *Mæmacta*, id est, Jove,cui eo mense sacrificabatur, dictum volunt.

5. PYANEPSION.

Quotus ordine Pyanepsion sit, constare arbitror ex eo quod Plutarchus scribit in *Theseo* post alia, Συγκομιζομένης ὀπώρας Πυανεψιῶνος ὀγδόῃ ἱσταμένου, id est, *dum vindemia comportatur octavo die Pyanepsionis incipientis*. Gaza lib. *de Mensibus* scribit hunc videri continere Æquinoctium autumni potius quam Maimacterionem. Ex quibus apparet hunc ordine sequi Maimacterionem:ut ante in Hecatombæone diximus. Utrique vero mensi pro alio atque alio octennii anno Æquinoctium autumni convenire & vindemiam comportari solere, potissimum Pyanepsione,verum esse deprehenditur.Plutarch. in *Iside* de eo scribit ,& cum Athyr mense Ægyptio confert,ut ante eo loco docui. In *Theseo* Plut.sic:*Sepulto patre Theseus votum repræsentavit Apollini septima die mensis Pyanepsionis,qua die in urbem redierat*. *Quod autem coquuntur legumina* (hæc πύανα Græci dicunt, unde mensi nomen) *inde sumptum ferunt,quod reduces ciborum quidquid*

erat reliquum commiſcuerunt : ac in unam ollam conjectum coxerunt, tum ſimul epulati ſunt. Octavo etiam die hujus Pyanepſionis quotannis Pyanepſia celebrabantur Athenis in memoriam fœlicis reditus Theſei, qui interfecto Minotauro in Creta & liberatis a difficili tributo Athenienſibus, ac ſecum reducens incolumes Athenienſium liberos obſides datos, tali die urbem ingreſſus eſt. Idem Plutarchus in *Vitis Rhetorum*; & in *Demoſthene* his verbis de ipſo loquens: Κατέστρεψε δὲ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς, ἐν ᾗ τὴν σκυθρωποτάτην Θεσμοφορίων ἡμέραν ἄγουσι παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσαι αἱ γυναῖκες. *Obiit*, inquit, *die Pyanepſionis* XVI. *quo die auſteram admodum Theſmophoriων diem mulieres celebrantes apud Deam jejunant*. Theophraſtus *l.* III. *c.* XIX. Pyanepſione arbutum, κόμαρον Græci dicunt, florere ſcribit, & *l.* IV. *c.* III. eodem menſe in Ægypto prunum: quo loco Interpres Gaza *Julium* convertit. Ejus etiam meminit Lucianus in *notatione temporis*, quo & actionem inſtituit adverſus T, vocalibus judicibus.

6. ANTHESTERION.

Antheſterion. Nominis hujus menſis notatio, quam etymologiam dicunt, multis viris doctis negotium exhibuit. Nam cum nominis ratio declaret eo menſe florum eſſe privationem & carentiam, (ab ἄνθος, quod *florem*, & verbo στερέω, quod *privo* ſignificat, quaſi *floribus orbum* dicas) non deſunt tamen qui a copia florum, ſed per antiphraſin, Antheſterionem dictum velint: in queis eſt e Græcis auctoribus Iſtrus quidam, ſcribente Suida in hunc modum: Ἴστρος δέ φησι κεκλῆσθαι αὐτὸν, ὅτι ὡς τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ γῆς ἀνθεῖν τότε. Id eſt, *Iſtrus vero ait hunc* (Antheſterionem) *ſic dictum eſſe, quod pleraque eorum quæ e terra naſcantur tunc floreant*. Et Philoſtratus ſcribit morem fuiſſe Athenienſibus pueros trimos floribus coronari menſe Antheſterione. Quod dictum torſit Theod. Gazam & alios pleroſque: putantes ideo hunc menſem inter Vernos eſſe numerandum, quaſi etiam media hyems ſuos flores non habeat. E Latinis in ea opinione eſt Macrobius l. I. *Satur.* c. VIII. qui ſcribit menſem Aprilem, propter eas quas enumeravit cauſas, merito dici credendum eſſe, quaſi *Aperilem*: ſicut & apud Athenienſes, inquit, Antheſterion idem menſis vocatur, ab eo quod eo tempore cuncta floreſcant. Hunc inſecutus Joannes Baptiſta Pius *Adnotationum poſteriorum* c. LXV. Thargelionem etiam a quibuſdam Græcorum Antheſterionem a copia florum, qui eo menſe luxuriant, dictum eſſe adnotavit. Sed illi omnes falſi ſunt: nam revera Antheſterion Pyanepſionem in ordine ſequitur, & eſt ſextus, ut videre licet in Pyanepſione. Quod vero Philoſtratus de floribus memorat, non ita abſurdum eſt, cum Septembri (cui ut plurimum Antheſterion reſpondet) multi flores etiam in hortis, ut de repoſitis interim in tecta adverſus hyemis injurias taceam, reperiantur. Ejuſmodi flores eſſe poſſunt, flores roſarum muſcatarum, flos calthæ, leucoi albi, lutei, cerulei, flos betonicæ altilis, quem ocellos, quod ſcilicet oculis gratus ſit, vocamus, & ſimiles; quorum florum pars major etiam in mediis hortis Bruma media, pars etiam mulierum cura & diligentia in hypogæis aſſervata haberi poteſt. Meminit hujus menſis Plutarchus in *Sylla*, his verbis de Sylla loquens: *Captas Athenas a ſe ipſemet in Commentariis ait Calendis Martiis, qui dies*, inquit, *fere in novilunium Antheſterionis menſis incidit*: quo loco fortaſſe *Thargelionis* legendum; & in *Arato*, ut ante in Dæſio diximus. Demoſthenes item in *Corona*, & paſſim. Ptolemæus cum Januario confert; male Suidas hunc octavum eſſe ſcribit, ſi ſanus eſt apud eum locus. Thucyd. l. II. *Hiſtor.* duodecimo die Antheſterionis Dionyſia antiquorum Athenis celebrata fuiſſe ſcribit: ubi enumerans templa Athenarum arci propinquiora ſubdit: Καὶ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι. Et Suidas in dictione *Choes* confirmat: *Choes*, inquit, *feſtum erat apud Athenienſes celebratum* XII. *Antheſter*. Apollodorus ait Antheſteria generatim vocari totum feſtum Dionyſio celebratum, particulatim vero Pithœgia, Choas, & Chytram. Quod autem hoc menſe Myſteria parva celebrarentur, ante ex Plutarcho oſtendimus in Boedromione.

7. POSIDEON.

Poſideonem ſeptimum eſſe ab Hecatombæone, inde liquet, quod eo menſe Bruma ſeu Solſtitium Hyemale contingat. Solſtitia autem ſenis menſibus ut & Æquinoctia inter ſe diſtinguuntur. Liquet & ex Ariſt. ſcribente hunc in modum l. V. cap. IX. *Nat. Hiſt.* Ἡ δὲ Θυννὶς ἅπαξ τίκτει. Ἀλλὰ διὰ τὸ τὰ μὲν πρώϊα, τὰ δὲ ὄψια προΐεσθαι, δὶς δοκεῖ τίκτειν. ἔστι δ' ὁ μὲν πρῶτος τόκος περὶ τὸν Ποσιδεῶνα πρὸ τῶν τροπῶν· ὁ δ' ὕστερος τοῦ ἔαρος: *Thunnus ſemel parit. Sed cum fœtus alios citius, alios tardius edat, bis videtur parere. Edit autem priorem partum ante Brumam circa Poſideonem: poſteriorem Vere*. Liquet etiam ex eo quod idem auctor l. VI. c. XVII. *Nat. Hiſt.* de mugilibus ſcribens ait: Ἄρχονται δὲ τίκτειν τῶν κεστρέων οἱ μὲν χελῶνες τοῦ Ποσιδεῶνος, id eſt, *Parere vero incipiunt ex mugilibus labeones menſe Poſideone*. Quamquam de his piſcibus idem auctor aliter ſcribat *l.* V. *c.* XI. cum dicit thynnum parere æſtate menſe Junio circa Solſtitium, graveſcere menſe Decembri, id eſt, Hecatombæone & Poſideone. Quin & alcyon, quæ Ariſtoteli *l.* V. *c.* VIII. circa Brumam parit Poſideonis, avis, quaſi Decembriam dicas, a quodam dicta eſt, quod eo menſe pariat. Huc accedit quod Plutarch. in *Cæſare* hæc habet: *Cæſar ſexcentis deletis Equitibus & quinque Legionibus circa Brumam atque Januarii initium* (quem menſem Athenienſes videntur Poſideonem appellare) *mari ſe commiſit*. Ex quibus omnibus auctoritatibus apparet Poſideonem Solſtitialem eſſe, & ſeptimum in ordine menſium Atticorum locum tenere. Suidas: Ποσιδεών, inquit, μὴν παρὰ Ἀθηναίοις οὕτω καλούμενος, ὁ Δεκέμβριος, id eſt, *Poſideon menſis eſt Athenienſibus ita dictus, December*.

8. GAMELION.

Quod Gamelion Poſideonem ordine ſequatur, ac proinde octavum in ordine menſium Atticor. locum occupet, liquere ſatis arbitror ex iis quæ ante ex Theophr. in Metageitnione diximus: docente ſecundam ſementem menſe Gamelione poſt Solſtitium hybernum fieri ſolere. Inde enim conſtat Gamelionem primum eſſe a Bruma ſeu hyemali Solſtitio menſem. Hunc Lenæonem nonnulli ab Heſiodo dictum notant. Gamelionis meminit Ariſtot. l. *Meteor.* c. VI. cum ſcribit: *Apud Athenienſes Eucle Molonis filio Archonte ortam eſſe crinitam ſtellam menſe Gamelione cum Sol in Brumæ Solſtitio eſſet*: Interpres alius *Octobrem* non ſatis apte convertit, alius *Januarium*, aptius.

9. ELAPHEBOLION.

Jam vero quod Elaphebolion ſequatur Gamelionem, ſitque Elaphebolion inquam noviſſimus & ultimus menſium hyemalium, liquere arbitror ex eo quod Thucydides l. V. *Hiſt.* loquens de conditionibus pacis initæ inter Athenienſes & Lacedæmonios in annos quinquaginta, ſcripſit, *Pacem factam fuiſſe Lacedæmone Archonte Pliſtola Ephoro diebus 4. ante finem Artemiſii: Athenis Alcæo Archonte ſexto die Elaphebolionis deſinentis*, σπονδὰς γενέσθαι φησὶν, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀλκαίου Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος, *Ea ipſa fœdera inita eſſe*, τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι γενέσθαι, id eſt, *ſub hyemis finem & Vere ineunte*: quod & ipſe etiam

auctor *l.* IV. *Hist.* dixit de pace inter eosdem inita anno belli octavo, nempe *τετράδι ἐπὶ δέκα τοῦ Ελαφηβολιῶνος μηνὸς ὁμολογεῖσθαι*, id est, *decimo quarto Elaphebolionis confirmatam fuisse:* hoc tamen loco neque hyemem neque ver nominat, ut in superiore exemplo; quamquam id habet Gaza, emendatiore forte codice usus quam usi sint Claudius Episcopus Massiliensis, post Thurinorum Archiepiscopus, Gallicus Thucydid. Interpres & Franciscus Strozza Florentinus Interpres Italicus, cum quibus hæc loca contuli. Sed & Elapheboliónem esse novissimum hyemalium mensem testatur etiam Aristot. *l.* VI. *c.* XXX. dum scribit, ursam mense Elaphebolione coire ac uterum diebus XXX. ferre: parere vero eo tempore quo latet: *Οταν δ' ἐκθρέψῃ, τετάρτῳ μηνὶ ἐκβαίνειν ἤδη τοῦ ἔαρος, cum vero prolem enutrierit, tertio demum mense veris exire:* quod & idem repetit *l.* VIII. *c.* XVII. *Parit*, inquit, *etiam fœmina* (ursa) *eo tempore* (quo latet) *& tandiu latet quoad tempus sit ut suos catulos in apertum producat: quod Verno tempore, mense a Bruma tertio, facit.* Ex his apparet Elaphebolionem tertium & ultimum esse hyemalium mensium: cum ursa dum latet pariat. Latere autem ipsam certum est hyeme: sicut & pleraque terrestria quæ propter frigus solent delitescere. Elaphebolionis meminit etiam Demosthenes in oratione *de Corona*. Vide quæ ante in Artemisio secundo mense Macedonico diximus: & item quæ in Hecatombæone. Æschines in oratione κατὰ Κτησιφῶντος dicit Demosthenem tempora civitatis suffurantem decretum scripsisse, ut Prytaneis concionem convocarent octava incipientis Elaphebolionis mensis, cum sacra fierent Æsculapio.

10. MUNICHION.

Munichionem Elaphebolioni succedere, ipsoque Æquinoctium Vernum contingere, ex iis quæ Theophrastus *locis supra citatis* de semente dixit cuivis patere potest. Nam sic de tertia semente loquens scribit *l.* VII. *c.* I. *Ἀρχὴ τοῦ τρίτου ἀρότου ἀπὸ ἰσημερίας ἐαρινῆς, ὃν καλοῦσι θερινὸν, ἐστὶ Μουνιχιῶνος*, id est, *principium tertii satus ab Æquinoctio Verno, quem Æstivum vocant, Munichione contingit.* Idem confirmat Aristoteles c. XI. l. V. *Hist. Anim.* dum scribit plurimos pisces circa Æquinoctium parere, ac plurima parte tribus his mensibus, Munichione, Thargelione, Scirrophorione. Interpres *Martio*, *Aprili*, *Majo*, convertit, sicuti & Plin. *l.* IX. *c.* LI. Et vero Demosth. etsi non expresse, tacite tamen innuit Munichionem Elaphebolioni succedere, cum in oratione *de ementita legatione* ait: *Η μὲν τοίνυν εἰρήνη Ελαφηβολιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα ἐγένετο. Απεδημήσαμεν δ' ἡμεῖς ἐπὶ τοὺς ὅρκους, τρεῖς ὅλους μῆνας. καὶ τοῦτον ἅπαντα τὸν χρόνον ἦσαν οἱ Φωκεῖς σῶοι· ἥκομεν δ' ἀπὸ τῆς πρεσβείας τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρίτῃ ἐπὶ δέκα Σκιρροφοριῶνος.* Id est, *Pax Elaphebolionis* XVI. *die facta est: porro nos ad jusjurandum recipiendum tres integros menses abfuimus. Ique totum tempus salvi fuerunt Phocenses: rediimus vero ab ea legatione nobis ad jusjurandum recipiendum imposita*, XIII. *die Scirrhophorionis:* mensem scilicet Munichionem, ut de Thargelione taceam, tacite inter Elaphebolionem & Scirrhophorionem intercedere innuens. Æschines etiam in *defensione falsæ legationis* satis ostendit Munichionem Elaphebolioni succedere. Nam cum dixisset epistolam scriptam esse a Charete sexta Elaphebolionis desinentis, subintulit, *Auditis*, inquit, *rogationem in populo scitam fuisse die tertio Munichionis instantis:* Ακούετε ὅτι Μουνιχιῶνος ἐψηφίσθη τρίτῃ ἱσταμένου, & cætera. His auctoribus apparet Munichionem in ordine Elaphebolioni succedere. Varinus: Μουνιχιὼν ὁ δέκατος μὴν παρ' Αθηναίοις, id est, *Munichion decimus mensis apud Athenienses.* Idem habet Suidas: apud quem tamen male legitur δεύτερος pro δέκατος. Hoc vero mense Panathenæa celebrabantur.

11. THARGELION.

De ordine Thargelionis nemo dubitaverit, qui ea quæ mox in Munichione diximus meminerit. Tres enim menses Vernos enumerat Arist. c. XI. l. V. *Hist. Anim.* quibus pisces ut plurimum pariant, Munichionem, Thargelionem, Scirrophorionem. Et c. XXI. lib. VI. scribit bobus initium coitus esse Thargelione & Scirrhophorione plurimis. Lib. IX. cap. IX. Cervos præterea cornua amittere mense Thargel. Id vero mense Veris secundo evenire conspicimus. Plutarchus in *Symposiacis:* Εκτῃ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τὰ Σωκράτους ἀγάγοντες γενέθλιον, τῇ ἑβδόμῃ τὰ Πλάτωνος ἄγομεν. Id est, *Sexta Thargelionis incipientis Socratis natales celebrantes, septima Platonis etiam natales celebramus:* quod & notat Diogenes Laertius libro tertio, initio in *Platone.* Et lib. II. in *Socratis Vita* circa finem scribit Socratem natum anno 4. Olympiadis 77. Thargelionis mensis sexto die: quo die lustrant, inquit, Athenienses civitatem. Plutarchus in *Camillo* hunc mensem inter nefastos numerat: *Etiam Thargelion*, inquit, *aperte infœlix Barbaris fuit: eo enim mense Alexander ad Granicum regis duces superavit ejusque mensis* XXVII. *Carthaginenses a Timoleonte apud Siciliam victi sunt.* Circa eundemque diem Troja capta censetur, ut est ab Ephoro, Callisthene, Damaste & Plutarcho traditum. Et Dion. Halicarn. scribit Trojam captam fuisse sub finem Veris diebus XVII. ante Solstitium æstivum, XXIII. die mensis Thargelionis, ut quidem Athenienses solent supputare. Τὸ Ιλιον, inquit, *ἥλω τελευτῶντος τοῦ ἔαρος ὀγδόῃ φθίνοντος Θαργηλιῶνος ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς.* Sane hoc in loco credam hoc nomen mensis suppostititium esse, & pro Θαργηλιῶνος reponendum Σκιρροφοριῶνος. Nam cum Scirrhophorion inter Thargelionem & Hecatombæonem medius intercedat, Hecatombæone autem fere semper Solstitium, Scirrhophorione vero nunquam contingat, fit ut Troja Thargelione capi non potuerit, & simul diebus septemdecim ante Solstitium: quod tamen commode Scirrhophorione fieri potest: ut judicabis, si Ephemeridem, eo quo docui modo, construere voles. Sane facile est in mensium nominibus hallucinari, & nomen unius pro nomine alterius usurpare, præsertim auctori res alias agenti, aut alias properanti: ut etiam scriba in transcribendo nihil immutarit, aut vero calchographus fidelis fuerit. Certe apud Plutarchum mendum esse, ac Metageitnionem pro Maimacterione positum fuisse, ante in Maimacterione ostendimus.

12. SCHIRRHOPHORION.

Schirrhophorion vel Scirrhophorion, utroque enim modo scriptum reperio, mensis Atticorum est duodecimus & ultimus, docente Suida: Σκιρροφοριὼν, inquit, μὴν Αθηναίων δωδέκατος. Id verum esse deprehendi potest ex his quæ ante ex Theophrasti *lib.* IV. *cap.* XI. in Hecatombæone de cæsura tibialis harundinis diximus. Ex his enim apparet ipsum Scirrhophorionem Solstitio proximum esse, & Hecatombæonem præcedere: eoque etiam annum terminare: patet etiam nihilominus & ex his quæ de pinu, abiete & robore intermittentibus germinationem ex Theophrasto etiam ante diximus in ipso Hecatombæone. Liquet etiam ex eo quod ante ex Aristotele de locustis citavimus: quas tribus his mensibus, Scirrhophorione, Hecatombæone, & Metageitnione, idem auctor ova coitu concepta utero gerere ait. Item & Æschines *contra Ctesiph.* dicit decretum esse die Thargelionis pe-

penultimo, ut comitia haberentur ineuntis Scirrophorionis secundo die vel tertio. Sic habet eo loco Æsch. Ἐπὶ γὰρ Χαρώνδου ἄρχοντος Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος, ἐκκλησίας οὔσης ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν, Σκιρροφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσταμένου καὶ τρίτῃ, &c. Quin etiam & ex Demosth. κατὰ Μειδίου intelligere licet Scirrophorionem Thargelionem subsequi, ex eo quod Orator dicit Midiam observato arbitrorum die ulti- A mo, qui ultimo die Thargelionis contingeret, aut vero Scirrophorionis, persuasisse Consuli, ut sententiam de re controversa ferret, & Stratonem arbitrum loco moveret, ignominiaque notaret. Nempe mensium affinitate & propinquitate (Thargelion enim proximum habet Scirrophorionem) dicere non potuit pro vero Orator; Orationis cursu abreptus, utrius mensis ultimo die arbitrium finiretur. Hactenus de XII. Mensibus Atticorum.

JOANNES LALAMANTIUS DE ANNI ATTICI RATIONE ET EJUSDEM CUM ROMANO COLLATIONE.

ATTICI a meridie primi diei Hecatombæonis annum suum auspicabantur. Hecatombæonem autem a prima Luna nova, quæ proxime Solstitium (id olim vicesimo quinto Junii, nostris temporibus circa duodecimum ejusdem contingit) sequebatur, inchoare oportet, sicut ante ex Platone comprobavimus. Primus vero annus, unde Græci annos numerare inceperunt, primus est primæ Olympiadis annus, qui fuit ab Orbe condito, ex vera doctorum supputatione, ter millesimus centesimus octogesimus octavus, ante Christum natum annis septingentis septuaginta duobus. Nam Christus natus est anno mundi 3960. anno primo fere dimidio, id est, Olympiadis 66. anno tertio. Jam si addideris prædictos 772. annos ad annos Christi 1564. & (ut intelligas quotus iste annus Christi 1564. sit annus octennii Attici) totam summam per octo diviseris, ex divisa summa nihil restare comperies: unde colliges annum prædictum M. D. LXIIII. ultimum esse totius octennii annum eoque Embolimum. Simili ratione si prædictos illos septingentos septuaginta duos annos ad annum Christi hodiernum M. D. LXX. addideris, consurget summa annorum 2342. quam summam si per octo diviseris, sex restare comperies: unde colliges annum præsentem M. D. LXX. 6. anno octennii Attici respondere. Porro vero Attici mensibus imparibus dies XXX. paribus, ut dictum est, XXIX. attribuebant, ac demum annis octo elapsis tres menses dierum singulos tricenum interserebant, tum ut annus ad sua rediret principia, tum ne Solstitia & Æquinoctia retrolaberentur plus justo in antecedentia. Sciendum vero est, fuisse quoque tempus cum olim Græci tertio quoque anno intercalarent: ut constare potest ex his quæ alibi ex Herodoto citavimus. Ac quamvis Herodotus eo loco numerum dierum mensis intercalarii subticeat, tamen ex eo quod scimus annum Lunarem Solari esse diebus XI. curtiorem, inde facile conjicere est, mensem intercalarium dierum XXXIII. esse oportere, ut annus Lunaris in Solaris rationem revertatur. Nam ter undecim XXXIII. pariunt. Et sane Libanius auctor Argumenti orationis Demosthenis *in Androtionem* satis id explicat his verbis: Ἰστέον ὅτι οὐκ ἐψήφιζον οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς μῆνας κατὰ τὸν ἡλιακὸν δρόμον, ὡς ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν σεληνιακόν. κατὰ γὰρ τὸν ἡλιακὸν ἔχει ὁ ἐνιαυτὸς ἡμέρας τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε. ὥστε συμβαίνει ἔχειν τὸν μῆνα ἡμέρας τριάκοντα καὶ τρίτον. Δεκάκις γὰρ τριάκοντα, τριακόσια· Δὶς τριάκοντα, ἑξήκοντα· λοιπὰ πέντε. τὸ τρίτον τῶν δώδε- A κα, τέσσαρα. λοίπη μία. Δωδέκατον δὲ τῆς μιᾶς δύω (male in impressis cod. legitur δώδεκα) ὧραι ἐστίν· κατὰ δὲ σεληνιακὸν δρόμον ὁ ἐνιαυτὸς ἔχει τριακοσίας πεντήκοντα τέσσαρας. ὥστε συμβαίνειν τὸν μῆνα ἔχειν ἡμέρας εἴκοσιν ἐννέα ἥμισυ. Δεκάκις γὰρ εἴκοσι, διακοσία. Δὶς εἴκοσι τεσσαράκοντα. Δεκάκις ἐννέα, ἐνενήκοντα. Δὶς ἐννέα, δεκαοκτώ· καὶ τὶ ἥμισυ τῶν δώδεκα, ἕξ· ὥστε ὁμοῦ εἶναι ἡμέρας τριακοσίας πεντήκοντα τέσσαρας. ὑπολείπεσθαι δὲ κατὰ τὸν ἡλιακὸν δρόμον ἡμέρας ἕνδεκα. ἃς Ἀθηναῖοι κατὰ τριετείαν συνάγοντες ἐποίουν τὸν Ἐμβόλιμον μῆνα τριάκοντα τριῶν ἡμερῶν. Quæ verba Latine sic sonant: *Scire licet Athenienses mensium rationem* B *non ex cursu Solis ut nos, sed ex cursu Lunæ inivisse. Nam cursus Solaris habita ratione annus habet dies trecentos sexaginta quinque: secundum quam rationem mensis habet dies* XXX. *& trientem. Decies enim triginta, trecentos pariunt: Bis triginta, sexaginta; reliqui sunt quinque. At tertia pars, seu triens duodecim, sunt quatuor; reliquus est dies unus: duodecima vero pars unius diei duæ* (male legitur in impressis *duodecim*) *horæ sunt. Ad cursum vero Lunæ annus habet dies* 354. *quo fit ut mensis quilibet diebus constet* XXIX. *& semisse. Nam decies viginti, ducentos* C *pariunt: Bis viginti, quadraginta: Decies novem, nonaginta: Bis novem, decem & octo: dimidia pars duodecim sunt sex: ut in summa dies sint* 354. *cursu Solari summa breviore diebus* XI. *quos Athenienses post tertium quemque annum acervantes mensem ex illis Embolimum dierum triginta trium conflabant.* Hæc *in Orationem Demost. prædictam* Libanius. Cæterum menses impares, ut Galenus ait lib. III. cap. IV. *de Diebus Decret.* vulgus πλήρεις, id est, *plenos*, pares vero κοίλους, id est, *cavos*, seu *mutilos*, solet appellare. Quin illi qui pleni dicuntur & tricenarii sunt, a denario dierum supra vi- D ginti, numero, Δεκαφθινοί, qui vigenovenarii sunt seu κοῖλοι a noveno dierum supra XX. numero ἐναφθινοὶ nominantur. Porro vero de hac trium mensium tricenariorum in fine cujusque octennii, ut modo dixi, intercalandi ratione Macr. pluribus loquitur lib. I. *Sat.* cap. XV. cujus verba, quia in *Anni Rom. Tractatione* citavi & explicavi, hic ascribere supersedebo. Monebo tamen interim Callistum Niceph. in *Eccl. Hist.* l. XII. c. XXXII. eam etiam ad finem cujusque octennii intercalandi rationem approbare, scribens Lunam per octennium cum Sole convenire & ambo initium novum sumere.

Octennales item Lunæ cursus nonaginta & novem mensibus perfici: Diebus autem bis mille nongentis viginti duobus, quibus etiam Sol octonos absolvat cursus. Ita ut annus quilibet esse censeatur dierum trecentorum sexaginta quinque & quartæ unius diei partis. Idem testari videtur Plin. qui de æstu maris loquens, *lib.* II. *cap.* XCIX. & *lib.* XVIII. *cap.* XXV. *Per octonos*, inquit, *quoque* (dictio *quoque* male in impressis codicibus omissa est) *annos ad principia motus & paria incrementa centesimo Lunæ revocantur ambitu*, quod Plinii dictum de centesimo cursu incipiente intelligendum venit, & de nonagesimo, ut Nicephorus dixit, desinente. Sane ab hac intercalandi ratione non admodum diversa erat Numæ Pompilii ratio, qui ut est apud Liv. *lib.* I. *primæ decadis* ab U. C. omnium primum ad Lunæ cursum in duodecim menses describit annum: quem (quia tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno qui Solstitiali circumagitur orbe) intercalares mensibus interponendo ita dispensavit, ut vicesimo quoque quarto anno ad metam eandem Solis unde orsi essent, plenis annorum spatiis dies congruerent. Ex his enim verbis alioqui obscuris, intelligere licet Numam Pompilium octavo quoque anno primum dies nonaginta Græcorum more intercalavisse: sed quia ipse diem unum in honorem imparis numeri, superstitione potius Pythagorica quam ulla Astrologica ratione, Januario (ad cujus dies viginti octo adjecit unum diem, ut in totum, teste Macrobio, diebus XXIX. constaret) addiderat: nec ejus addititii diei tum sibi rationem habendam putaverat: dies octo ad octennii finem superesse comperiebantur, quibus octo anni Numæ totidem Græcos annos excedebant, eoque numerus atque ordo anni Græci cum Romano convenire non poterat. Sed hic error tandem deprehensus sic est emendatus, ut primo & secundo octenniis dies quidem nonaginta intercalarentur: tertio vero octennio, seu, si vis, vicesimo quoque quarto anno sexaginta sex tantum, ac non nonaginta intercalarentur: seu ut de diebus nonaginta qui in fine tertii octennii intercalari de more solito debebant dies XXIIII. subtraherentur, pro illis totidem diebus qui singuli, ut dictum est, in honorem imparis numeri annis singulis Januario per Numam additi in dies XXIIII. annis totidem accreverant, & quibus annus Numæ Græcum excedebat. Hunc Livii locum eo pluribus mihi explicandum putavi: & quod paulo obscurius a Macrobio esset explicatus lib. I. *Sat.* cap. XV. & quod quamplurimis ipsum negotium facessere intelligerem. Cæterum diagramma hic tibi tabellæ octennalis ascribere volui, ut simili via similes in annos infinitos possis construere. Hujus autem tabellæ septem primi anni communes sunt Atticis: octavus quisque tantum Embolimus: ut & quartus quisque Romanis Bissextilis. Qua autem via deprehendere possis, unde primum annum octenii auspicari possis aut venari quotus quisque annus Domini propositus, quoto anno octennii respondeat, paulo ante docuimus: & diximus id commode fieri posse addendo 772. annos ad annum currentem, verbi gratia ad annum 1570. & consurget summa annorum 2342. quæ venit per octo dividenda. Quod autem restat, ostendit tibi quotus anni Christi propositus quoto anno octennii Attici respondeat: ut quia ex proposita summa per octo divisa sex restant, elicimus annum 1570 anno sexto octennii respondere, atque ita annum 1572. ultimum octennii futurum: ut abs prima Luna nova quæ proxime Solstitium sequatur anni 1573. commode possis aliud octennium construere. Sed en tibi diagramma octennalis tabellæ.

Tabella octennalis.

1557.		1565.
1558.		1566.
1559.		1567.
1560.	--Bissextilis Romanis.--	1568.
1561.		1569.
1562.		1570.
1563.		1571.
1564.	--Bissextilis Romanis.--	1572.

In fine cujusque octennii ut ad finem 1564. & 1572. intercalabant menses tres singulos tricenum dierum: sic annus redibat ad eandem metam unde incepisset.

Hæc vero intercalandi in fine octavi cujusque anni ratio in media etiam Græcia magnos viros latuit, unde factum, ut cum de anni Græci ratione & mensium ejus cum nostris collatione verba facerent, Andabatarum pugnantium more clausis non oculis pugnarent, sed cæca mente disputarent. Qua autem ratione fiat ut annus Solaris Lunarem diebus XI. excedat, Severianus Græcus auctor lepido commento sic apud Angelum Politianum *Miscell.* centuria prima, capite nonagesimo quarto declarat his verbis: *Solem factum esse a Deo primitus & Lunam Legifer Hebræus prodit, quarta mox ut orbem inchoaverat die, qui tamen quoniam alterum diei, nocti alteram præfecisset, etiam illum in Orientis credi potest, hanc in Occidentis posuisse confinio. Nec autem debuit, quemadmodum quidam hic opinantur, sic a principio statim Lunam fingere Deus ut detrimento affecta, ut decerpta, ut gracilescens, ut discriminata, ut diluta, ut inanis, ut exhausta foret lumine, qualem nunc eam esse vel nascentem, vel intermenstruam, vel senescentem, vel in coitu, vel in ipso quoque deliquio videmus. Quin orbe pleno potius integroque, circulata, non gibbosa, non prætumida, non sinuata, non corniculans, non dividua, non silens. Etenim dein ista multiformitas temporum erat & noctium & dierum velut intervallaris & discriminatrix futura. Quocirca edito recens & matutinos ingrediente carceres Sole; Luna prorsus e regione metam finitoris radebat occiduam, munifex tum primum orbis & in suo quasi dixerim tyrocinio: sed ut ad Occidentem Sol ipse circumactus est, etiam invicem pervectа Luna suo curriculo est ad Orientis collimitium. Sic igitur audientes dicto diei pariter præfuerunt noctique. Cur autem non se tum potius quartæ Lunæ facies exhibuerit quota est edita die? Quoniam summum, inquit, Luna quarta tenere Occidentis limitem nequivisset, ita rotundata specie plenoque prorsus ore quintam decimam pro quarta exhibens, undecim sibi dies velut arrogaverat, ac totidem plane diebus Luna Solem natura prævertit. Ex quo fit ut etiam Soli jure dies illos* XI. *Luna quasi bona fide restituat. Nam cum sit undetriginta & semissis dierum menstruus Lunæ calculus, dissultat hinc numerus duodecim mensium annarius, e diebus omnino trecentis quinquaginta quatuor: quæ summa undecim illos sibi agglutinans, quos a primordio Luna sicut auctarium præsumpserat, annum constituit hunc Solarem trecentorum sexaginta quinque dierum.* Hæc apud Politianum loco prædicto Severianus Græcus auctor de his XI. diebus, quibus annus Lunaris Solari curtior est.

Sciendum quinetiam est Græcos mensem quemlibet in tres decadas distribuere solitos fuisse: quarum primam decadam, *μηνὸς ἱσταμένου* secundam, *μηνὸς μεσοῦντος*, tertiam, *μηνὸς φθίνοντος* exprimebant: quasi dicas *decade mensis instantis, decade mensis medii*, & *decade mensis desinentis*. Deinde primæ decadis primum diem Νουμηνίαν, secundum *δευτέραν ἱσταμένου*, tertium *τρίτην ἱσταμένου*,

& sic deinceps usque ad δεκάτlω ἱσαμϵνυ. Rursus secundæ decadis primum diem, πρώτlω ἐπὶ δέκα μεσῦντος: secundum, δευτέραν ἐπὶ δέκα μεσῦντος, & sic deinceps usque ad εἰκάδα seu εἰκοστlὼ, id est, *vicesimum*. Tum tertiæ decadis primum diem, πρώτlω ἐπὶ εἰκάδι vel πρώτlω μετ' εἰκάδα, id est, *primam post vicesimam, secundam, tertiam supra vicesimam*, &c. vocabant: vel etiam primum diem tertiæ decadis instituto Solonis, ut ferunt, δεκάτlω φθίνοντος, secundum ἐννάτlω φθίνοντος, &c. id est, *decimam desinentis, nonam, octavam, septimam desinentis*: & usque ad ultimum eodem modo imminuendo numero. Ultimus autem dies mensis ἕνη καὶ νέα dicitur Polluci *lib*. I. *cap*. VII. Suid. ἕνη καὶ νέα ἡ τριακὰς καλουμένη. Ἕνον γὰρ τὸ παλαιόν. Ἐκ τοῦ ἕνον δὲ καὶ νέον. Et paulo post: Ἕνη, inquit, καὶ νέα, οὕτω παρ' Ἀθηναίοις ἡ παρ' ἡμῖν τριακὰς, ἢ Νουμηνία. Ἐπειδὴ συμβαίνει ἐν αὐταῖς καὶ λήγειν τὴν Σελήνην καὶ γεννᾶσθαι. Ἕνη καὶ νέα, inquit, tricesima dies mensis vocata est: nam ἕνον vetus & antiquum significat: ex dictione autem ἕνον fit νέον, & ex veteri novum. Et paulo post, Ἕνη καὶ νέα sic Atheniensibus dicitur, quæ nobis est tricesima aut Neomenia. Nam iisdem diebus Lunam & desinere & novari contingit. Hactenus Suidas, qui male Neomeniam cum Ἕνη καὶ νέα confundit. Auctor *argumenti* orationis Demost. περὶ στεφάνου τῆς τριηραρχίας, id est, *de corona præfecturæ navalis*, de Ἕνη καὶ νέα sic loquitur post alia, τὸν δὲ μὴ πρὸ τῆς ἕνης καὶ νέας, ἥτις ἐστὶν ἡ τελευταία τοῦ μηνὸς, περιορμίσαντα τὴν ναῦν ἐπὶ τὸ χῶμα, δεθῆναι. Id est, *qui autem ante* ἕνlω καὶ νέαν, *quæ quidem ultima mensis est, navem ad vallum non perduxerit, in vincula conjiciatur*. Plutarch. in *Solone*: *Porro autem Solon conspicatus mensis rationem male constare, motumque Lunæ neque cum oriente neque cum occidente Sole concurrere, utque sæpe eodem die Luna Solem & assequeretur & præverteret, eam ipsam diem* ἕνην καὶ νέαν (*quasi veterem & novam diceret*) *vocavit: partem ejus quæ esset prior coitu Solis & Lunæ, mensi jam desinenti, reliquam ineunti attribuens. Primus enim intellexisse videtur Homeri hunc versum*, Ὀδύσ. Ξ. Macrob. lib. I. *Sat*. cap. XIX.

Τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς, τοῦ δ' ἱσταμένοιο.
Jam cessante alio mense, atque alio incipiente.

sequentem diem Νουμηνίαν, id est, *Novilunium appellavit: post vicesimum diem numero dierum nihil jam addidit, sed subinde detrahendo (quemadmodum & de lumine Lunæ videbat diminutionem sensim fieri) usque ad tricesimum diem numeravit*. Hæc Plutarchus. Sane Sotion, ut auctor est Constantinus Cæsar lib. I. *De Agricultura* cap. XIII. dies illunes appellavit eos qui sunt a vicesimo nono ad secundam novam. Id tempus alii coitum, ut inquit Plin. *lib*. XVI. *cap*. XXXIX. alii interlunium, alii silentis Lunæ appellant. Conjunctionem alii, & Novilunium, Græci Νουμηνίαν & Σύνοδον: ut & primam Lunam μηνοειδῆ, id est, *corniculatam* & *falcatam*, & nondum semiplenam, sed *cavam* & *cornutam*, κοίλlω. Porro autem etsi *Luna silere* dicitur cum intermenstrua est, neque lucet, tamen Maro *tacitæ amica silentia Lunæ* dixit, nocturnum ejus lumen intelligens: quod noctem silere dicerent, respectu diei, qui inquietus est & clamosus: & nox ipsa a poetis tacita & tranquilla dicitur.

Septimam vocant διχότομον καὶ ἡμίτομον, id est, *semiplenam, dimidiatam, dividuam, rectam* διάθεσιν.

Undecimam vocant ἀμφίκυρτος, id est, *gibbosam, gibberosam, turgidam*, & *tumidam*.

Decimam quintam πανσέληνον, id est, *plenilunium* & *oppositionem* vocant, Arist. II. *de Cælo*.

A plenilunio rursum fit ἀμφίκυρτος, id est, *gibbosa*.

Exin rursum διχότομος, & tandem fit μηνοειδὴς, dum iterum ad σύνοδον, id est, *conjunctionem*, redeat. Schematismi enim, id est, conformationes seu habitus, affectiones & visitationes Lunæ, qui sunt dum augetur, ordine immutato procedunt dum imminuitur. Omnes autem hæ Lunæ facies seu διαθέσεις, visitationes Latinis, Græcis φάσεις etiam dicuntur. Vitruvius, *Visitationem*, inquit, *facit tenuem extremæ rotundationis Luna*, id est, tenuiter & exiliter ejus extremitas cernitur. Hactenus de Anno Attico.

HECATOMBÆONIS & METAGEITNIONIS primi & secundi mensium Atticorum integra descriptio, ex qua aliorum mensium descriptionem construere, si volet, possit lector. Habet autem Hecatombæon, ut & impar quisque, dies XXX. Metageitnion, ut par quisque, dies XXIX.

HECATOMBÆON anni 1570. dierum XXX.

		Maii anni 1570.
1	Νουμηνία.	2
2	Δευτέρα ἱσαμϵνου.	3
3	Τρίτη ἱσαμϵνου.	4
4	Τετάρτη ἱσαμϵνου.	5
5	Πέμπτη ἱσαμϵνου.	6
6	Ἕκτη ἱσαμϵνου.	7
7	Ἑβδόμη ἱσαμϵνου.	8
8	Ὀγδόη ἱσαμϵνου.	9
9	Ἐννάτη ἱσαμϵνου.	10
10	Δεκάτη ἱσαμϵνου.	11
11	Πρώτη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	12
12	Δευτέρα ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	13
13	Τρίτη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	14
14	Τετάρτη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	15
15	Πέμπτη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	16
16	Ἕκτη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	17 Maii
17	Ἑβδόμη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	18
18	Ὀγδόη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	19
19	Ἐννάτη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος.	20
20	Εἰκὰς seu εἰκοστή.	21
21	Δεκάτη φθίνοντος.	22
22	Ἐννάτη φθίνοντος.	23
23	Ὀγδόη φθίνοντος.	24
24	Ἑβδόμη φθίνοντος.	25
25	Ἕκτη φθίνοντος.	26
26	Πέμπτη φθίνοντος.	27
27	Τετάρτη φθίνοντος.	28
28	Τρίτη φθίνοντος.	29
29	Δευτέρα φθίνοντος.	30
30	Ἕνη καὶ νέα.	31

Vicesima prima dies dicitur etiam πρώτη ἐπ' εἰκάδι, & πρώτη μετ' εἰκάδα: vicesima secunda, δευτέρα μετ' εἰκάδα, & sic deinceps.

METAGEITNION MENSIS SECUNDUS ATTICORUM DIEBUS CONSTANS XXIX.

		Junii 1570.
1	Νουμηνία.	1
2	β. ἱσαμϵνου.	2
3	γ. ἱσαμϵνου.	3
4	δ. ἱσαμϵνου.	4
5	ε. ἱσαμϵνου.	5
6	ς. ἱσαμϵνου.	6
7	ζ. ἱσαμϵνου.	7

8	η. ἱϛαμένȣ.		8
9	θ. ἱϛαμένȣ.		9
10	Δεκάτη ἱϛαμένȣ.		10
11	α. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		11
12	β. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		12
13	γ. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		13
14	δ. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		14
15	ε. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		15
16	ϛ. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος	16 *Junii* 1570.	
17	ζ. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		17
18	η. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		18
19	θ. ἐπὶ δέκα μεσȣ̃ντος.		19
20	Εἰκὰς ſive Εἰκοϛή.		20
21	α. μετ' εἰκάδα.		21
22	β. μετ' εἰκάδα.		22
23	γ. μετ' εἰκάδα.		23
24	δ. μετ' εἰκάδα.		24
25	ε. μετ' εἰκάδα.		25
26	ϛ. μετ' εἰκάδα.		26
27	ζ. μετ' εἰκάδα.		27
28	η. μετ' εἰκάδα.		28
29	Ενη καὶ νέα.		29

Viceſima prima dici poteſt πρώτη ἐπ' εἰκάδι vel πρώτη μετ' εἰκάδα. XXII. δευτέρα ἐπ' εἰκάδι vel μετ' εἰκάδα, vel inverſo numerorum ordine. θ. φθίνοντος. η. φθίνοντος. ζ. φθί. ϛ. φθί. quod eſt ἐννάτη φθίνοντος, ὀγδόη φθί. ἑβδόμη φθί. ἕκτη φθί. & ſic deinceps. Ex duorum iſtorum menſium deſcriptione, lector, reliquos, ſi videbitur, menſes adſcribere tibi erit integrum.

F I N I S.



PETRI CASTELLANI

DE

MENSIBUS ATTICIS

NEC NON DE

MENSIBUS ET ANNO

GRÆCORUM

ATHENIENSIUMQUE

DIATRIBA.

CENSURA.

VEl in hunc finem iſti priſcæ gentilitatis Ritus imprimi poterunt, ut etiam ex ejuſmodi ſuperſtitionum tenebris ſuam felicitatem pius Chriſtianus agnoſcat, quod erutus de poteſtate tenebrarum translatus ſit in lumen Dei & regnum.

GUILIELMUS FABRICIUS Noviomagus
Apoſtolicus & Archiducalis lib. Cenſor.

PETRI CASTELLANI DE MENSIBUS ATTICIS.



QUI Græcos authores Latino sermone descripserunt, dum Atticorum mensium nominibus Romana aptare conantur, neque inter se, aut cum aliis, neque secum adeo singuli conveniunt. Quod qui mihi non credit, facile, si Græca cum Latinis conferre velit, verum esse deprehendet. Ego qui rem plurimum habere controversiæ, minimeque explicatus faciles scirem, id sum secutus, quod & tutissimum erat, &, ni fallor, rectissimum. Reliqui ipsa Græca mensium nomina, ita ut lector in iis vertendis, & ad Romanum morem exprimendis, eum sequi potissimum interpretem atque authorem posset, quem vellet. Quo fiebat, ut neque ego interponere sententiam in re apud doctos controversa opus haberem; & lector nullo negotio, quid quisque scripsisset, videret. At quia plerique Gazæ (cujus aureolus extat *de Mensibus* liber) sententiam, ut hominis doctissimi, & accuratissimæ diligentiæ, sequuntur; priusquam de singulis dicam, omnes ordine vulgato recensebo, comparatis inter se ex ejus authoris opinione nominibus:

Januarius,	Γαμηλιών.
Februarius,	Ελαφηβολιών.
Martius,	Μυνυχιών.
Aprilis,	Θαργηλιών.
Majus,	Σκιροφορίων.
Junius,	Εκατομβαιών.
Julius,	Μεταγειτνιών.
Augustus,	Βοηδρομιών.
September,	Μαιμακτηριών.
October,	Πυανεψιών.
November,	Ανθεστηριών.
December,	Ποσειδεών.

Γαμημιών ergo Januarius est Gazæ. Jam illud primo omnium satis est verbo attigisse, quod extra omnem controversiam est positum; tametsi & Romani & Græci suos menses a novilunio seu conjunctione solis & lunæ auspicarentur, tamen inter se iis minime convenisse, ut ne si constaret quidem de ordine omnium, utrinque tamen præcise inter se componi, compararique possent. In causa fuisse, cum alia, tum astronomicarum rationum ignorationem atque incertitudinem liquet; quam intercalandi etiam importunitate haud raro auctam apparet. Verum hæc alio pertinent. Sane in *Romulo* Plutarchus (nam eum potissimum suis ipsius verbis explicandum puto) affirmat nihil convenire inter Græcorum & Romanorum novilunia: ubi Romæ natalem, qui in ipsum trigesimum mensis diem inciderit, celebrari a Romanis A.D. XI. Kal. Maji ostendit. Atque idem in *Aristide* de Plataicæ pugnæ die loquens, fatetur; quanquam suo tempore accuratius cœlestium corporum motus supputarentur, A tamen alios aliter menses inchoare suos. Suidas, nescio quo authore *Γαμηλιῶνα* quoque Januarium interpretatur. *Γάμος nuptias* significat; nuptiis autem præesse creditum fuit Junonem. Id quod Epitheta ejus varia apud Græcos & Latinos (quæ huc congerere nolo, & maxima eorum pars apud Julianum & Gyraldum legi potest) demonstrant. Inter alia etiam *Γαμηλία* a nuptiis dicta est; quibus eam præesse Cecrops Athenis docuit, colique eo nomine: & mensem, quo ei sacrificaretur, Gamelionem appellari voluit, Eustathius *Iliad.* Σ.

Februarius *Ελαφηβολιών* ex authoritate Gazæ B creditur. *Ελαφος cervus* est, *βολή*, *ictus*, vel *conjectus*, Cæterum apud Homerum *Ελαφήβολος* pro *Venatore* quoque dicitur, species pro genere, *Iliad.* XVIII.

——— *ὥσπερ λῖς ἠϋγένειος,*
Ὧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνήρ.

Elaphebolia sacrificia in Venatricis Dianæ honorem peragi solita referunt Græci Grammatici, quo tempore non invenio. Laudo autem Gazæ solertiam, qui hybernum esse mensem, & quidem Gamelione posteriorem, priorem Munychione demonstravit.

Sequitur *Μυνυχιών*, Martio adsignatus mensis. C Hunc in Plutarchi *Theseo Januarium* vertit Lapus, & Donatus Acciaolus in *Demetrio*: Guarinus in *Lysandrum Martium*. Munychia pars est Athenarum maritima, satis celebrata in historiis: describitur etiam a Strabone *l.* IX. Idem Munychiæ Dianæ meminit, quæ Pygelæ (urbs est Ionica, non procul Epheso) coleretur. Fuisse eam cultam Athenis, & nimirum a loco id nominis, aut contra, sortitam, patet ex *Atticis* Pausaniæ, & iis quæ sunt apud Gyraldum. Esse autem Martium, aut ei proxime respondere, æquinoctii etiam ratione Gaza demonstravit. Et quidem Varinus in *Lexico* suo annotavit; *Μουνυχιών, ὁ δέκατος μὴν παρ' Αθηναίοις οὕτω* D *καλεῖται*. Est autem Martius decimus a Junio, a quo incepisse ordinem, (quippe a solstitio æstivo) mensium, ipsumque adeo annum, perspicue docuit Theodorus. Existimo autem hoc Varinum, ex Suida (ut pleraque) aut utrumque eodem ex libro descripsisse. Nam quod apud Suidam *δεύτερος* legitur, non *δέκατος*, Librarii mendum est.

Proximus est Aprilis, cui respondet *Θαργηλιών*. Hunc in *Timoleonte Majum* Tudertinus, Donatus in *Demetrio Martium* transtulit. Sacrum fuisse Apollini & Dianæ, utpote natalem eorum, ac tum lustrari Athenas consuevisse, & Thargelia celebra- E ta; quibus sacris primitiæ eorum fructuum, quos jam terra a sole iterum elato calefacta (nam *θέρος calorem*, *γῆ terram* significat, quæ videatur vocis origo fuisse) ediderit, consecrarentur in olla concoctæ, quæ *θάργηλος* dicatur: hæc inquam & multa alia, apud Laertium in *Socrate*, Suidam, Hesychium, Varinum, & alios sunt in promptu. Scribit Plutarchus in *Camillo*, ubi de diebus nefastis disputat, Trojam captam fuisse circa 24. Targe-

lionis: authoresque hujus historiæ laudat Ephorum, Callisthenem, Damasten, Phylarchum. Adscribam etiam Dionysii Halicarnassei verba, sed Latina, eandem rem continentia: *Troja*, inquit, *capta est sub finem æstatis, septemdecim diebus ante solstitium æstivum, vigesimo tertio die mensis Thargelionis, ut quidem Athenienses tempus solent supputare. Restabant adhuc viginti post solstitium dies, ad explendum istum annum. Ergo harum 37. dierum spacio, quæ a capta Troja usque ad anni finem effluxerunt existimo Achæos, & res urbanas transegisse, & legatos eorum, qui defecerant, accepisse, & fœdus cum iis iniisse*. Torsit hic Dionysii locus Gazam haud leviter: accepit enim hæc verba ita, ut qui ab eo, aut Ephoro potius, unde hoc sit mutuatus, Hecatombæoni, mensi solstitiali proxime antecedere Thargelionem (quasi diceres Aprilem Junio) omisso, qui inter eos medius, Scirophorione, affirmari putaret. Itaque omisso Dionysio, de Ephoro ita disputat, ut vel eum lapsum incuria pro Scirophorione scripsisse Thargeliona, vel libros ipsius a Librario inerti fuisse corruptos judicet. Quam satisfaciat aliis Gaza non laboro: mihi quidem nequaquam satisfacit. Si quæcumque statim non assequimur in bonorum scriptorum libris, ea incuriæ eorum imputabimus: quid jam non convelletur, tot sciolorum examinibus circumvolitantibus? Aut qualis tandem fuisse existimabitur Ephorus, qui in mensium nominibus, & ratione temporum describenda, ita extra se (quod suspicatur Gaza) abripi se pateretur? Nam quod ei *σφάλμα* in Iberiæ homonymo vocabulo objicitur; longe aliud est falli ambiguitate, quam labi oscitantia, & in scribendo *οὐκ ἐντὸς εἶναι ἑαυτῶ* ne dicam fieri potuisse, ut Dionysius ex alio scriptore, ac non ex Ephoro, hoc desumpserit, cui hoc modo injuria fiat. Denique si tantam negligentiam Ephoro recte objicit Gaza, quid Dionysio fiet, qui id non senserit, sed cæcus cæcum sit secutus? Quid Plutarcho? scriptoribus plerumque abunde accuratis? nam locus, quem ex Plutarcho citavi, omnino id, quod de librario queri possemus, amolitur: & cum diserte ibi de iis quæ Barbari mense Thargelione acceperint incommoda scribitur, tum Ephoro alii tres testes apponuntur. Nisi fortassis & conspirasse in hanc corrumpendam historiam librarios omnes omnium ætatum & scriptorum opinabimur, & *ὑποβολιμαῖον* esse, quod de Ilio capto inter alia ibi refert Plutarchus: quorum neutrum persuaderi potuisse Gazæ persuasum habeo. Jam ut conemur locum Dionysii explicare, mirari satis nequeo, quid in mentem venerit iis, qui ex his verbis colligere voluerunt, Thargelionem Hecatombæoni contiguum indicari. Equidem diserte Dionysius dixit, triginta septem diebus ante novi anni initium captam esse Trojam. Quod si ergo Thargelioni (cujus die XXIII. ea capta fuisse hic perhibetur, si Atticam mensium seriem & rationem sequamur) de his tribuas septem, nonne triginta adhuc pro Scirophorione menses dies restabunt, & annus insequens a prima Hecatombæonis initium sumet? Hæc est, nisi vehementer *φιλονεικεῖν*, & nodum in scirpo quærere pergamus, apertissima & simplicissima Dionysii verborum sententia: & quidem facile eam ex tam claris verbis, mediocriter attentus homo, & non ineruditus eruerit. Atque haud scio, an omnes, quibus hactenus scrupulum hic locus injecit, meam opinionem sint amplexuri: quæ neque Thargelionem loco movet, neque Scirophorionem, neque omnino in illam incurrit absurditatem aut insolentiam. Quod si quos perturbat id quod septemdecim ante solstitium diebus capta Troja dicitur: cogitent non eum diem octavum præcipitis, seu decrescentis (*φθίνοντος*) Thargelionis a Dionysio appellari, (quum sit 14. Scirophorionis, siquidem Kal. Hecatombæonis in solstitium competerent) sed indicari errorem illius temporis hominum in ordinandis mensibus. Nam ratione anni, non solstitii, dies captæ Trojæ Attico more ab eo dicitur, id quod est 23. Thargelionis. Solstitium autem eo anno, non in plenilunium Hecatombæonis, verum in decimum Scirophorionis incidisse monet; quanquam non expresse, ita tamen, ut intelligenti satis sit dictum. Eo enim pertinet mentio viginti dierum, qui a solstitio ad complendum annum sequerentur. Hæc ego in medium proponere volui, ut locum Dionysii docte admodum scriptum, qua explicarem, qua tuerer, salvo interim eorum honore, qui aliquid verius afferent.

Sequitur Σκιροφοριών, qui sit Majus: *σκιὰ, umbra* est, inde *σκίρον* puto deductum, ut sit *umbraculum*, quasi *σκιερόν*. A Sciris, sive Scirophoriis sacrifici mensis nomen habet; quibus umbraculum ex arce solenni pompa deferebatur, signumque ædificandi dabatur. Ut brevis sim, te ad Scholiasten Aristophanis remitto, qui initio Ἐκκλησιαζουσῶν, ejusdem deinde verbis Suidas rem totam explanat. Mensem hunc proximum ante Hecatombæonem fuisse, diserte in *Agesilao* Plutarchus docuit.

Ἑκατομβαιὼν ergo Junio conferatur, nomen a sacrificiis majoribus habens. Solstitium æstivum in hunc incidisse, primumque Atticorum mensium fuisse Gaza demonstravit. Lapus in *Theseo* & *Majum* vertit, & *Aprilem*: Guarinus in *Alexandro Augustum*: quam recte satis liquet. Plutarchus in *Theseo* ostendit *Cronium*, id est, *Saturnalem*, antiquitus dictum fuisse, Hippodromium Bœotis, Macedonibus Loum: hoc in *Alexandro*, illud in *Camillo* indicat.

Subjungit huic Gaza Μεταγειτνιῶνα: quem nos Quintili sive Julio conciliemus. Carnium Syracuni, Panemum Bœoti appellabant, ut in *Nicia*, & *Camillo* Plutarchus refert. *Majum* Aretinus transtulit in *Demosthenis Vita*. Wolfius Gazam est secutus. Certe Plutarchus hunc videtur Septembri, non Julio comparasse: nisi locus in *Poplicola* de Capitolii dedicatione sit depravatus; quod non video qua sit factum occasione: & vero errasse in hac re, aut deceptum fuisse Plutarchum non facile crediderim. Idus quidem Septembris ibi plenilunio Metagitnionis tribuuntur. Metagitnia Apollinis sacra mensem denominarunt, ut Suidas scripsit.

Proximus huic Βοηδρομιὼν, qui Sextili, sive Augusto respondeat. Est autem *βοηδρομεῖν*, cum clamore & festinatione ad auxilia accurrere; hinc sacrum Boedromia; de quibus Plutarchus in *Theseo*, Suidas, & alii. Lapus *Junium* vertit in *Theseo*, in *Phocione Novembrem* extulit; ut etiam Guarinus in *Alexandro*; Donatus in *Demetrio*. Hunc quidem mensem fuisse Metagitnioni contiguum, ex Plutarchi *Aristide* colligitur, ubi de pugnæ Plataicæ tempore loquitur.

Subit huic Μαιμακτηριὼν, quem a Bœotis Alalcomenium dictum Plutarchus *ibidem* docuit: & conjici eo ex loco potest Boedromioni eum successisse. Opponitur nostro Septembri. *Μαιμᾶν*, *impetum dare* est. Sed Jovem Mæmacten, cui sacra tum Mæmacteria peragerentur, videntur non impetuosum tantum ob tempestates, sed & lustralem, seu placando aprum exponere Græci: quod hic non moror. Quintum hunc Atheniensium mensem Suidas & Januarium esse annotavit. Idemque habet Varinus: quorum neutrum cum Gazæ opinione convenit; imo si quintus sit, nullo modo Januarius esse possit. Arrianus lib. II. *de Expeditione Alexandri*, hoc mense scribit victum ab Alexandro

Da-

Darium Issica pugna: quam finita æstate, & jam incipiente autumno, commissam fuisse, a veritate non videtur alienum.

Secundum hunc ponitur, qui ad Octobrem nostrum quadret, Πυανεψιών: sic dictus a Pyanepsiis sacris, (πυανέψιαι etiam dici ea Suidas ex Lycurgi quadam *Oratione* docet) quæ tum Apollini fiebant, coctis, quæ πύανα dicerentur, etiam leguminibus, quasi κυαμέψια, ut annotavit Eustathius *in* XXII. *Iliad.* Sed consulendus est de hac re in *Theseo* Plutarchus: unde colligi potest autumnalem mensem fuisse, frugibus scilicet terræ jam collectis atque conditis ineuntem. Lapus eo non animadverso *Julium* vertit; itemque in *Cicerone* Aretinus. Plutarchus porro in libro *de Iside & Osiride* docet hunc mensem, quem Athenienses Pyanepsionem nominant, Bœotorum esse Damatrium, Ægyptiorum Athyr: nimirum circa occasum Pleiadis Cosmicum id est, autumnalem.

Ventum jam est ad Novembrem, cui a Gaza tribuitur Ανθεστηριών: nimirum quod cum singulis aliis videretur suum locum adsignasse, hic unus de duodecim restans huc competeret, cæteris locis occupatis. Id Gazæ argumentum quam sit validum, non disputo. Valeret quidem, si constaret certo, ea mensium nomina duodecim mensibus, singula singulis quadrare: neque ullum ex mensibus fuisse binominem, aliumque aliquem contra præteritum. Ego, Gazæ sententia in medio relicta, quid alii senserint obiter indicabo. Anthesteria in honorem Bacchi acta satis ex Græcis commentatoribus manifestum est. Neque hic de iis disputo, multo minus de etymo: nam ex eo velle aliquid certi colligere lubricum est. Reprehendit enim Gaza Philostratum, quod vernum hunc mensem scribens a floribus (ἄνθος *flos*, ἀνθεῖν *florere* est) vocem effictam senserit: & ipse hybernum haud minus commode inde exponi posse ait, quasi *floribus privantem*, παρὰ τὸ ἄνθος, καὶ στερεῖν: ut facile intelligi possit, si etymon debeat pro argumento ordinandorum mensium recipi, de nullius loco satis nobis constitutum. Suidas & alii octavum esse mensem Atticum annotaverunt. Ita non quidem November erit, sed Januarius: idem scilicet cum Gamelione. Sane Plutarchus in *Sylla* de Athenis captis scribens, factum id asserit Martiis Calendis, quæ maxime dies novilunio, id est, principio Anthesterionis, respondeat. Cui adstipulatur Appianus Alexandrinus, æqualis prope ejus, & doctus admodum bonusque scriptor. Is libro *Bellorum Civilium* II. de cæde C. Julii Cæsaris verba faciens, hæc ad extremum habet: Οὕτω μὲν οὖν Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν ἐν ἡμέραις αἷς καλοῦσιν εἰδοῖς Μαρτίοις, Ανθεστηριῶνος μάλιστα μέσου. Duæ postremæ voces in libro impresso desunt, sed leguntur in manuscripto Augustanæ Bibliothecæ codice. *Sic*, inquit, *Cajus Julius Cæsar obiit idibus Martiis, circa medium nempe Anthesterionis*. Hæc si recte ab iis dicta sunt, ut quidem consentaneum puto, Novembris porro Græcum nomen quæramus oportet aliud. Apud Macrobium quoque I. *Saturn.* cap. XII. inter vernos menses Anthesterion ponitur, qui sit Aprilis, & a floribus tum se exerentibus dicatur. Hæc igitur ita sunt controversa. Restat adhuc unus scrupulus. Plutarchus in fine *Arati* Anthesterionem cum Dæsio eundem facit. Idemque Alexandrum magnum vita excessisse sub finem Dæsii docet. Ergo si recte utrumque (ut non dubito) scripsit Plutarchus, non recte faciunt, qui in Junium mensem obitum Alexandri rejiciunt, eo quod Suidas Δαίσιον mensem Junium exponat. Quod si omnino Macedonum Dæsius, est Junius, malo tamen Plutarchum sequi, & Dæsium Sicyoniorum ab eo diversum putare.

Postremus in Gazæ serie est Ποσειδεών, quasi *Neptunum* diceres. Hic Posideon Suidæ December est, veluti & Gazæ. Plutarchus in *Cæsare*, cum quidem solstitium hybernum ei tribuit, Januarium interpretatur; qua in re nihil inest absurdi, quum olim solstitium id in finem Decembris inciderit. Hæc de mensium nominibus volui paucis commemorare. Nam quæ alia sunt nomina, ut Bucatii, Artemisii, Chyac, Thoth, Pharmuthi, hoc loco persequi non statui.

RATIO

NUMERANDORUM DIERUM APUD GRÆCOS.

1	Νυμηνία			
2	Δευτέρα			
3	Τρίτη			
4	Τετάρτη	Ισαμένυ μίωὸς, sive, Αρχομένυ μίωός.		
5	Πέμπτη			
6	Εκτη			
7	Εβδόμη			
8	Ογδόη			
9	Εννάτη			
10	Δεκάτη			
11	Πρώτη			
12	Δευτέρα			
13	Τρίτη	Μεσῦντος μηνὸς, sive, Επὶ δεκάδι, vel δεκάτη.		
14	Τετάρτη			
15	Πέμπτη			
16	Εκτη			
17	Εβδόμη			
18	Ογδόη			
19	Εννάτη			
20	Εἰκάς, sive Εἰκοστή.			
21	Δεκάτη		Πρώτη	
22	Εννάτη		Δευτέρα	
23	Ογδόη		Τρίτη	
24	Εβδόμη	φθίνοντος	Τετάρτη	Επὶ εἰκάδι,
25	Εκτη	μίωός· vel	Πέμπτη	vel,
26	Πέμπτη		Εκτη	Μετὰ εἰκάδα.
27	Τετάρτη		Εβδόμη	
28	Τρίτη		Ογδόη	
29	Δευτέρα		Εννάτη	
30	Ενη καὶ νέα.		Ενη καὶ νέα, sive Τριακάς.	

PETRUS CASTELLANUS
DE
MENSIBUS ET ANNO GRÆCORUM,
ET PRÆCIPUE
ATHENIENSIUM.



QUEMADMODUM Hebræi veteres ad folis, non ad lunæ congreffum æquinoctio verno propinquiorem, in anni exordio conftituendo refpexerunt: ita & Græci Athenienfes annum ab ea fynodo, quæ folftitio æftivo quam proxima fieret, aufpicati, menfes quoque duodecim, dierum tricenum & uno pauciorum, alternata difpofitione, fecundum lunæ motum æqualem, haud fecus atque illi, obfervarunt. Unde communium annorum conflati dies trecenteni quinquageni quaterni, tertio ut plurimum anno menfem, Herodoto tefte, relinquebant ἐμβόλιμον, id eft, *intercalarem*: qui duodenis illis adjectus, annum tanto efficeret longiorem, quo videlicet exacta Enneadecaeteride Metonica, folis ac lunæ conjunctiones ad eofdem dies reverfæ, principium anni non longe admodum a priori fuo loco recedere paterentur. Verumtamen aliam intercalandi rationem Græcis olim in ufu fuiffe, Macrobius in lib. primo *Saturnaliorum* tradit, hoc modo: *Cum*, inquit, *Romani in diftributione Pompilii ad lunæ curfum, ficut Græci, annum proprium computarent, neceffario & intercalarem menfem inftituerunt, more Græcorum. Nam & Græci, cum animadverterent temere fe trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinaffe annum: quoniam adparet de folis curfu, qui trecentis fexaginta quinque diebus & quadrante zodiacum conficit, deeffe anno fuo dies undecim & quadrantem: intercalares ftatuta ratione commenti funt, ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus treis menfes tricenum dierum compofuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operofum atque difficile, omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nafcuntur, fi quadrans cum diebus undecim octies componatur, inferere, in treis menfes, ut diximus, diftribuendos.* Hæc ille. Solinus idem plane refert his verbis: *Græci fingulis annis undecim dies & quadrantem detrahebant, eofque octies multiplicatos, in annum nonum refervabant: ut contractus nonagenarius numerus in menfes treis per tricenos dies fcinderetur: qui nono anno reftituti, efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos ἐμβολίμους ἢ ὑπερβάλλοντας nominabant.* Hucufque Solinus. Nos autem octoetericam hanc intercalandi rationem antiquioribus illis tribuendam putemus Græcis, quibus nondum aliqua percepta fuit Enneadecaeteridis demonftrata regula: cujus primum fuiffe authorem Leoftratum Tenedium, eumque fecutos plureis alios, qui fuas etiam Octoeteridas, faltem intercalandi paulo diverfa præfcripta lege, fimiliter ediderint, fcriptis nonnulli monumentis prodidere. Nec defunt, qui Eudoxum Gnidium ex Ægyptiorum difciplina, Platonis tempore, lunæ motum ad Octoeteridem redactum folis annuæ converfioni denuo conciliaffe contendunt. Quod tamen ut minus verifimile judicem, Herodotus facit: fiquidem is tertio quoque anno Græcos intercalarem menfem temporis gratia feciffe, vel ante Eudoxum tradidit.

Aliam præterea rationem intercalandi, viginti duorum quotannis dierum, Numam a Græcis mutuatum, Gaza refert: de qua me quidem nihil apud Græcos legere memini, nifi fortaffe rudiores aliquando Græcos ante Solonis & Thaletis Milefii tempora, nondum ulla neque Octoeteridis, neque Enneadecaeteridis deprehenfa norma, craffioribus intercalandi præceptis ufos arbitremur. Non enim magnorum modo annorum, quos pro vario lunæ motu, folis motui coaptando, diverfi authores, Æfchylus Athenienfium dux, Solon legiflator, Leoftratus, Harpalus, Nautelis, Meneftratus, Doxitheus, Meton, Philolaus, Oenopides Chius, Democritus, Heraclitus, Eudoxus, Calippus, Hipparchus, Jofephus, & fimiles, diverfis temporibus protulere: fed & vertentium, qui partim ex horum, quos jam diximus, partim vero Thaletis, Aphrodi, Ptolemæi, aliorumque multorum obfervationibus cenfebantur, propter crebriorem menfium dierumve intercalarium correctionem, eandem perpetuo confiftere rationem non potuiffe, certo conftat. Sed Gazam, cum illud fcriberet, ad eam puto Macrobii fententiam refpexiffe, quæ de Græcorum Romanorumque veterum non omnino diffimilibus intercalandi regulis in hunc fere poterit modum referri. Videbat utique Numa Pompilius, Romulæum annum ad Albanorum forfitan, aut alterius cujufpiam vicinæ gentis imitationem conftitutum, menfes tantummodo decem, qui dies trecentos quatuor præftarent, continere, & fic ab anni folaris quantitate longo admodum intervallo fuperari. Is igitur, five fuopte ingenio, five, quod magis eft verifimile, Græcorum obfervationibus inftructus, dies addidit quinquaginta: quo videlicet annum, numero dierum trecentorum quinquaginta quatuor, quibus luna juxta motum æqualem foli duodecies jungitur, includeret, eumque Græcorum anno maxima ex parte conformem exhiberet. Porro decem menfibus Romuleis in ordine quidem fuo relictis, dierum numeros tantum mutavit. Martio namque, Majo,

bri tricenos unum, reliquis undetricenos adsignavit: unde residuos adhuc dies quinquaginta sex, æqua proportione, duobus, quos adjicere decreverat, mensibus, Januario & Februario distribuit, ita ut vicenos octonos illi dies continerent. Quin etiam eorum, qui de numerorum mysteriis varie philosophari solebant, non omnino injucundas superstitiones reveritus, in imparis numeri honorem, Januario, quem a brumæ solstitio deductum, anni caput esse volebat, diem unum adjecit: ut eo modo tam in anno ipso, quam mensibus singulis, uno excepto Februario, expiatorio & diis manibus dicato, dierum numerus impar observaretur. Dies item nonaginta, Græcorum more, pro mensium initiis ad pristina sua loca reducendis, octonum annorum spaciis adjungendos esse, Numa certe non ignorabat: sed ne tantus dierum numerus in nonum usque reservandus esset annum, elapsis vicenis quaternis subinde mensibus, biennium conficientibus, dies vicenos binos, & uno plures, circa finem anni alternatim intercalari voluit: qua tandem ratione idem illud præstabant Romani, quod & Græci, qui nonaginta sex mensibus evolutis, hoc est, octavo quoque anno completo, antequam nonum auspicarentur, treis menses tricenum dierum subjungebant. At quia Romani, Græcorum hanc anni constitutionem in primis observare conati, nihilominus unicum illum diem, in imparis numeri gratiam, a Numa cæteris trecentis quinquaginta quatuor anni diebus superadditum, negligerent: evitare sane nullo modo potuere, quin præter Græcorum nonaginta dies intercalares, allapsi octo alii Romanam Octoeteriden Græca longiorem extenderent. Quocirca deprehensus error hujusmodi, sic demum correctus est, ut in tertiam quamlibet Octoeteriden sex tantum & sexaginta, perinde atque in duabus reliquis nonaginta dies intercalares distribuerentur: compensatis ea ratione viginti quatuor illis, qui per annos totidem supra Græcorum numerum excreverant. Cum autem Ovidius in *Fastis* aliam anni Romani dispositionem Decemviris adscribere videatur, equidem eo referendum esse opinor: quod ii mutata nonnihil Pompilianæ intercalationis forma, tertio quoque anno, recenti tum Atheniensium more, a quibus & legum tabulas eodem tempore accipiebant, mensem integrum intercalandum censuerint: quemadmodum id apud Romanos, non tamen sine crebris Pontificum erroribus, ad C. Cæsaris fere tempora fuit observatum.

Nec prætereundum est hoc loco, quod Februarius mensis, quem ultimi nomine (licet alioqui secundus in ordine consisteret) Romani censebant, intercalationibus fuerit deputatus: siquidem & Græci post exactum anni tertii mensem duodecimum, residuos dies, vel mensem ἐμβόλιμον, intercalare consueverant. Verum heic etiam a Græcis diffidebant nonnihil Romani: nam illi confecto jam ultimo mense, suas observabant intercalandi leges: cum hi Februario nondum absoluto, post vicesimum tertium ejus diem, peractis Terminalibus, intercalarent, ac residuos quinque dies post intercalares adderent: antiquo scilicet religionis suæ more, ut Februarium omnino Martius, quem Romulus anni principem statuerat, sequeretur. Hæc de annorum varietate dixisse satis sit.

Tanta vero in Græcorum mensium appellationibus & ordine confusio apud scriptores deprehenditur, ut quo pacto Romanis illi mensibus accommodari debeant, non ita facile possit definiri. Qua de causa laboravit in hoc præcipue Theodorus Gaza Thessalonicensis, ut mensium Atticorum nomina & justum ordinem, cæteris Græcorum neglectis provinciis, ex probatissimorum authorum, utpote Thucydidis, Demosthenis, Æschinis, Aristotelis & Theophrasti scriptis ostenderet ac exhiberet. Et licet non omnibus hujuscemodi rerum curiosis ubique satisfecerit, tamen ejus viri studium, diligentia & fides magni fieri merito debet: quod in re mirum in modum perplexa tantum præstiterit, quantum multis aliis perquam difficile fuerit præstare. Ordo sic se habet:

Εκατομβαιὼν,	*Junius.*
Μεταγειτνιὼν,	*Julius.*
Βοηδρομιὼν,	*Augustus.*
Μαιμακτηριὼν,	*September.*
Πυανεψιὼν,	*October.*
Ανθεςηριὼν,	*November.*
Ποσιδεὼν,	*December.*
Γαμηλιὼν,	*Januarius.*
Ελαφηβολιὼν,	*Februarius.*
Μουνυχιὼν,	*Martius.*
Θαργηλιὼν,	*Aprilis.*
Σκιροφοριὼν,	*Majus.*

Heic videre est, Gazam Junio nostro tribuere primum Atheniensium mensem Hecatombæona, cujus initium illi sumebant a Neomenia præcedente vel sequente quam proxime solstitium æstivum, quod quidem hodie duodecimo die Junii plerumque accidit: quanquam Christi Salvatoris nostri tempore, vicesimo quarto ejusdem mensis, adeoque antiquioribus porro temporibus, in Julio, prout nostratis anni dispositio se habet, contigerit: ita ut aliquot ante sæculis Εκατομβαιὼν solstitii respectu, nullo modo ad Junium, sed Julium potius fuerit referendus: atque hoc idem de cæteris mensibus, si eos Romanis nostris adplicare velimus, erit statuendum. Cocus Hesiodi Interpres, dum peregrinos Atticis mensibus immiscet, nonnullos Atticos omittit, totumque eorum ordinem, nulla fere scriptorum veterum observata authoritate, perturbat. Sic enim menses enumerat:

Εκατομβαίων.
Αλυαιών.
Κρόνιος.
Βοηδρομιών.
Πυανεψιών.
Μαιμακτηριών.
Ανθεςηριών.
Ποσιδεών.
Γαμηλιών.
Ελαφηβολιών.
Μουνυχιών.
Ακηφοριών.

Sunt item alii, qui partim ordine, partim appellationibus mutatis, Atheniensium menses in hunc modum recensent:

Πυανεψιὼν,	*Januarius.*
Ελαφηβολιὼν,	*Februarius.*
Μουνυχιὼν,	*Martius.*
Θαργηλιών, ἢ Ανθεςηριὼν,	*Aprilis.*
Σκιροφοριὼν,	*Majus.*
Εκατομβαιὼν,	*Junius.*
Μεταγειτνιὼν,	*Julius.*
Βοηδρομιὼν,	*Augustus.*
Μαιμακτηριὼν	*September.*
Υπερβερεταῖος,	*October.*
Γαμηλιὼν,	*November.*
Ποσιδεὼν,	*December.*

Hujus ordinis quæ fuerit occasio, facile ex iis, quæ de singulis mensibus annotata sequuntur, apparebit. At quæ varietatis tantæ apud scriptores causæ præcipuæ sint, breviter heic perstringendum duxi. Ac primum de iis, quorum authoritatem

Gaza ſecutus eſt, nihil dicendum video: cum ipſi florentiſſimis Athenienſium rebus interfuerint, earundemque non ſolum in Reipub. negotiis, ſed in temporum quoque diſpoſitione & ordine, de quibus heic agitur, haud dubie ſcientiſſimi fuerint: ita ut illorum authoritas hac etiam in re non immerito plerisque aliis mediocri temporis intervallo ſubſecutis ſcriptoribus longe præferenda cenſeatur. Non enim dubium eſt, quin ex poſterioribus nonnulli, nec ii pauci ſcriptores, prout diverſo modo Veterum ſcripta intellexerunt, diverſos menſium ordines, ut cuique viſum eſt, conſtituerint. Nam quis neget, Romanos Græcorum imperio potitos, in cauſa fuiſſe, ut Græcorum populus ad Romanorum menſium nomina & ordinem adſuefactus, ſuorum menſium priſtinas adpellationes abjecerit:& ſic ſcriptores quoque temporum iſtiuſmodi vocabuli tantummodo menſium antiquorum, quibus interdum uterentur, contenti, verum eorum ordinem aliquanto negligentius obſervarint? Huc adde, quod Græcorum nationes variæ, Macedonum ſcilicet, Atticorum, Bœotiorum, Siculorum, Aſiaticorum, & ſi quæ fuerunt aliæ, cum nec anni, nec menſium formam ubique obſervarent eandem, etiam in adpellationibus, ordine & initiis diverſum conſueverint: ideoque ſcriptores vel patriæ vel regionis, in qua ſcribebant, conſuetudinem ſecuti, ſæpius in adnotatione temporum, ab Athenienſibus, quorum urbs multis nominibus totius Græciæ reliquis urbibus celebrior & illuſtrior erat, diverſum conſiderarunt. Nec negaverim, unius menſis adpellationem, pro regionum & locorum, ita ut fit, recepta conſuetudine, diverſis menſibus, ſive diverſa nomina uni alicui menſi nonnunquam fuiſſe tributa, perinde atque olim apud priſcas Italiæ gentes factum eſt: ac idipſum hodie in diverſis Germanicæ linguæ dialectis, licet Romanis menſibus omnes utantur, ſimiliter contingit. Cæterum in hac noſtra Faſtorum ſerie, aliter atque apud Gazam, menſes Romanorum conſiderandi ſunt. Etenim Januarius primus in ordine menſis lunaris, cujus initium ante C. Cæſaris tempora, ſolſtitium hybernum circumſidere conſueverat, Poſideoni Athenienſium, qui ſeptimus ab æſtivo ſolſtitio, & ipſis brumam advehebat, potius quam Gamelioni, ſecundum ab hyberno ſolſtitio locum obtinenti, tribuendus videtur. Cum enim illius Neomenia in Decembrem Julianum ut plurimum, ac veluti ſingulis annis hac noſtra ætate cadat, ſic ut alias dimidia, alias minori, ſæpe & maxima ſui parte in ipſo Decembri, rarius Januario, deprehendatur: certe commodius fuerit, pro vetuſtarum rerum & hiſtoriarum, ante C. Cæſaris emendatam anni rationem geſtarum, adnotatione, Januarium Pompilianum cum Attico Poſideone, ad Julianum Decembrem (ſiquidem ab hujus poſterioribus diebus, hyberni ſolſtitii diem, elapſis tot jam ſæculis, procul ad priores progreſſum eſſe videmus) neglecta illa, quæ quidem in hoc negotio requiri, ſed propter tantam in antiquiorum temporum deſignatione, vel apud optimos ſcriptores ſubinde occurrentem confuſionem, a nemine præſtari facile poſſet, ſumma præciſione: ſaltem obiter, ϰὴ ἐν πλατει, referre, reliquoſque ſuo conſequenter ordine hoc modo ſibi invicem conſociare.

Ποσιδεὼν,	*Januarius* Pomp.	*Decemb.* Jul.
Γαμηλιὼν,	*Februarius.*	*Januarius.*
Ελαφηβολιὼν,	*Martius.*	*Februarius.*
Μȣνυχιὼν,	*Aprilis.*	*Martius.*
Θαργηλιὼν,	*Majus.*	*Aprilis.*
Σκιροφοριὼν,	*Junius.*	*Majus.*
Εκατομβαιὼν,	*Julius.*	*Junius.*
Μεταγειτνιὼν,	*Auguſtus.*	*Julius.*
A Βοηδρομιὼν,	*September.*	*Auguſtus.*
Μαιμακτηριὼν,	*October,*	*September.*
Πυανεψιὼν,	*November.*	*October.*
Ανθεςηριὼν Gazæ	*December.*	*November.*

In ſubſequenti Faſtorum opuſculo, Pompilianis menſibus, Julianorum Nonas, Idus & Calendas ideo adſcripſi, ut ſi quis ea quæ adnotata ſunt, noſtrorum menſium diebus, quod ſane poſt C. Cæſaris anni reformationem obſervatum fuit, adſcribere malit, citra aliquam vel leviſſimam moleſtiam id facere poſſit. Poſtremo notandum & hoc eſt, Græcorum menſium diem quemque tertium Minervæ, B Neptuno octavum peculiariter fuiſſe addictos: quemadmodum apud Romanos menſis cujuſque Calendas Juno, Idus Jupiter vendicabant: id quod Ovidius, una cum aliis quibuſdam ſimilibus, expreſſit his verſibus:

Vendicat Auſonias Junonis cura Calendas,
Idibus alba Jovi grandior agna cadit.
Nonarum tutela deo caret: omnibus iſtis
(Ne fallare) dies proximus ater erit.
Omen ab eventu eſt: illis nam Roma diebus
Damna ſub adverſo triſtia Marte tulit.

C Habuit & ſuum quiſque menſis tutelare numen: Januarius enim Junoni, Februarius Neptuno, Martius Minervæ, Aprilis Veneri, Majus Apollini, Junius Mercurio, Julius Jovi, Auguſtus Cereri, September Vulcano, October Marti, November Dianæ, December Veſtæ, fuerunt olim dicati.

DECEMBER Julian.

ΠΟΣΙΔΕΩΝ Athen. JANUARIUS Pompli.
Αἰγοκέρως. *Capricornus*

ΠΟΣΙΔΕΩΝ ſeptimus ab æſtivo ſolſtitio menſis apud Harpocrationem ex Hyperidis authoritate pronunciatur; quemadmodum id D ipſum ex Ariſtotele quoque Gaza probat. Nec diſſentiunt Suidas & Theophilus, qui Poſideona Decembrem noſtrum interpretantur. Plutarchus etiam hoc menſe ſolſtitium hybernum fieri, in *C. Cæſaris Vita* ſcribit: licet in eum cadere Januarium adfirmet: quod certe nemo, puto, mirabitur: ſiquidem brumæ ſolſtitium priſcis olim temporibus circa Januarii principium, & ſub finem Decembris, contigiſſe, certo conſtat.

ΛΗΝΑΙΩΝ apud Heſiodum, Jonice & Bœotice. Proclus enim a Bœotiis ait Lenæona vocari, quando ſol Capricornum ingreditur, incipiente jam poſt vindemiam hyeme. Nomen vero a Baccho E deductum eſt, quem Jones Lenæum vocabant, ſicut in eodem Heſiodi loco Theophilus & Joannes Grammaticus adnotarunt: ubi tamen hunc ipſum menſem ad Januarium, veterem (puto) ſolſtitii locum conſiderantes, retulerunt. Sed alius quidam ἀνώνυμος Heſiodi Scholiaſtes, nec ille quidem recens, Lenæona Decembrem Romanis, Ægyptiis Choeac dici, eoque Bacchi feſta celebrari docet.

ΒΟΥΚΑΙΡΟΣ Bœotice, quod idem ex Procli *in Heſiodum Commentariis* colligi poteſt.

ΑΠΙΛΛΑΙΟΣ Macedonice, Joſepho & Suida teſtibus.

F ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ Cypriis dictus.

DECEMBER a Romulo dictus, quod a Martio decimus eſſet: fuit in tutela Veſtæ, Saturno ſacer, Macrob.

DECEMBER	ΠΟΣΙΔΕΩΝ	JANUARIUS.
Julian.	*Athen.*	*Pompil:*
1	Νȣμηνια.	CAL. Januar.

Poſidonia ſacra hoc menſe celebrabantur, a Ne-

ptuni & Palladis certamine dicta. Sed & octavus cujusque mensis dies Neptuno sacer erat, Plutarchus.

Item 18. hujus mensis Æsculapii festum agebatur, 25. Theseo sacra erat.

JANUARIUS Julian.

ΓΑΜΗΛΙΩΝ Athen. FEBRUARIUS Pomp.

Ὑδροχόος. *Aquarius.*

ΓΑΜΗΛΙΩΝ proximus a mense brumali, dictus est quasi *Nuptialis*, propter Junonem, quæ B nuptiis præesse credebatur: id quod ex Demosthene, Harpocratione & Suida probari potest. Fuisse autem a Posideone alterum hunc mensem, Gaza ex Aristotele & Theophrasto disputat. Suidas item Gameliona Januarium interpretatur

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝ, ἢ ἀνθεστηριὼν, huc mihi videtur referendus: ita ut Gamelionis nomen aliud, non alterius cujusdam mensis peculiare fuerit. Nec dubium est, denominatum fuisse ab Anthesteriis, quorum celebritas Baccho sacra, variis nominibus apud Veteres vocari solebat. Etenim Theophilus Anthesteria Atheniensibus Dionysia, & Anthesteriona mensem, C quod terra reflorescere tunc incipiat, vel quod in illorum celebritate flores inferri soleant, dici scribit. Dionysia vero, propter Bacchum, cui festivitas ea fiebat: alias etiam Bacchanalia, Ambrosia, Pithœgia, Græcis: Romanis, qui Bacchum Brumum dicebant, Brumalia nominata fuisse, apud eundem Theophilum & Joannem Grammaticum legitur. Apollodorus universam illam in Bacchi memoriam observari consuetam solennitatem Anthesteria, sed partes Pithœgia, Choas, & Chytran, de quibus Thucyd. & Suidas, vocari tradit. Nos igitur si Lenæa, veluti convenit, D ad Dionysia sive Bacchanalia referenda censeamus, perfacile fuerit judicare, illa ad hanc hyemis partem brumalem, vel brumam proxime sequentem, esse collocanda: quantumvis Lenæon Ionicus mensis ab eo, quo Lenæa Athenis celebrata fuere, diversus videatur. Nam in ea re & Proclus certe hæsit, dum Lenæona, aut Bucæron, quo plures boves interirent, circa solstitium hybernum: aut Hermæon, qui post Budura fit, mense Gamelione, Lenæorum festivitate Atheniensibus celebri, poetam intellexisse suspicatur. Atque hac de causa, Val. Harpocrat. ut opinor, Anthesteriona Baccho sacrum, Atheniensibus octavum fuisse mensem: & sic dictum, E quod ex terra plurimi tum nascantur flores, secundum Histeris sententiam prodidit: nec diversum eadem in re Ptolemæum quoque sensisse constat. Plutarchus tamen & Macrobius vernum hunc faciunt mensem: siquidem alter ad Romanorum Aprilem, ad Martium alter in *Vita Syllæ* refert. Nec mirum, cum illud ex vocabuli significatione, quæ a floribus deducta videtur, potuerint opinari. Proinde Gaza, ut autumnalem Anthesteriona demonstret, tam esse verisimile ait, mensem a florum inopia, quam eorundem copia nominari potuisse, παρὰ τὸ ἄνθος στερῶ, quia tunc floribus priventur prata. Quin & Philostratum reprehendit, F qui morem Atheniensibus fuisse scribit, pueros trimos floribus coronari mense Anthesterione, quo Dionysia celebrari consuessent: quasi vero impossibile fuerit, vel sub ipsam brumam ex renascentibus jam flosculis pueriles in Græcia nectere corollas; cum id in frigidioribus multo regionibus fieri non raro videamus. Certum autem hoc est, plures Bacchi ferias diversis annis temporibus Græcis fuisse observatas. Quapropter ego scriptorum tantam in hujuscemodi rebus dissensio-

A nem diligentiori cuique lectori dijudicandam relinquo.

ΕΡΜΑΙΟΣ Bœotice, vel Ionice, sicuti ex Proclo colligere licet.

ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ, ἢ Νυχιὼν, Macedonice, Epiphanio & Suida testibus.

ΕΣΘΙΟΝ Cypriis.

JANUARIUS a Numa Pompilio primum nominatus est mensis hic brumalis, propter Janum, a quo rerum omnium initium esse deducendum Antiquitas credebat. Græcorum quidam Æonoarium, id est, sæculorum parentem adpellarunt: ut est apud Theophilum & Suidam.

JANUAR.	ΓΑΜΗΛΙΩΝ	FEBRUAR.
Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1.	Νεμηνία	CAL. Febr.

Gamelia Junoni, Lenæa Baccho apud Græcos hoc mense celebrabantur.
7. Isidis ἄφιξις, id est, *accessus*, Plutarch.
11. Limnis Baccho sacra fiebant, Thucyd. *lib.* II.
12. Ludi geniales triduo.
13. Choes, Suid. Pithœgia.
3. Chytra, pars Anthesteriorum: quam tamen Harpocration & Hesiodi Scholiastes ad Lenæonem mensem referunt.

FEBRUARIUS Julian.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ Athen. MARTIUS Pomp.

Ἰχθῦς. *Pisces.*

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΩΝ hybernorum mensium ultimus apud Gazam, ex Thucydide & Aristotele demonstratur. Nomen habuit a Dianæ quibusdam sacris, quæ propter cervorum victimas Elaphebolia dicebatur. Laurentius Valla, Thucydidis Interpres, hunc mensem pro Romano Decembri non recte exposuit.

ΓΕΡΑΙΣΤΙΟΣ, & Γεραιστιὼν, Lacedæmoniis ac Trœzeniis dictus est, Thucyd.

ΠΕΡΙΤΙΟΣ Macedonice, Josephus, Suid.

ΡΩΜΑΙΟΣ Cypriis.

FEBRUARIUS Neptuno, vel potius, ut habet Ovidius, diis Manibus sacer, Romanis dictus est a Februo, qui secundum Isidorum Pluto, vel, ut Servius putat, pater Ditis fuit. Sed aliis nomen sumpsisse videtur a februando, id est, expurgando: siquidem hoc mense per dies duodecim continuos februa celebrabantur, pro defunctorum manibus. Ideoque Plutarchus in *Romulo*, Februarium quasi expiatorium dici refert. Honorius a febrili rigore nominis etymon non satis bene deduxit. Ac Suidas multo incommodius, mensem adpellatum tradit a Februo quodam Romano Cos. genere Gallo, cujus opera Camillus in exilium ejectus, recuperata tandem e Gallorum manibus urbe, vestibus illum nudatum, scirpeaque storea indutum, lictoribus flagellandum, & urbe cum ignominia expellendum tradiderit. Inde vero mutilo mensi nomen istius impositum.

FEBRUAR.	ΕΛΑΦΗΒΟΛ.	MARTIUS.
Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1	Νεμηνία.	CAL. Mart.

Elaphebolia Dianæ sacra Græcis celebrata.
15. Induciæ inter Athenienses & Lacedæmonios octavo anno belli Peloponnesiaci, Thucyd. *lib.* IV.

MARTIUS Julian.

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ Athen. APRILIS Pompil.

Κειός. *Aries*.

MOYNYXIΩN decimus inter Atticos menses locum obtinuit, prout ex Hyperide recenset Harpocration. Dictus fuit a Dianæ sacris, quæ Munychia nominabantur: nam & ipsa diva nonnunquam isto nomine dici solebat. Suidas secundum in ordine collocavit: non satis memor, quod eum locum alibi adscripserit Metageitnioni.

ΔΥΣΤΡΟΣ Macedonice, Josephus, Suidas.

ΑΦΡΟΔΙΣΙΟΣ apud Cyprios.

MARTIUS, a Marte, primo Romanorum regi Romulo cujus ille pater credebatur, dictus est: in qua sententia, præter alios multos scriptores, fuerunt etiam M. Fulvius Nobilior & Junius. Hinc illud Ovidii:

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus:
Hæc generis princeps, ipsius ille pater.

Sed Varro non propter Martem Romuli patrem, sed quod Latina gens, a qua mensium nomina Romulus acceperit, bellicosa præ cæteris, hunc mensem totius anni primum observarit, ac in rei militaris honorem, a militari divo denominarit. Romanis etiam eodem nomine mensem eundem adpellatum fuisse prodidit. Ac idem plane sensit Festus, quod & Ovidius expressit hoc modo:

Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis:
Arma feræ genti remque decusque dabant.

Præterea Martium Latinis gentibus ubique sane observatum, non tamen eodem omnibus ordine habitum, his versibus idem poeta docet:

Quod si forte vacat, peregrinos inspice Fastos:
Mensis in his etiam nomine Martis erat.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliscis.
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos Albanaque tempora constat,
Factaque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer,
A tribus hunc primum turba forensis habet.
Et tibi cum proavis miles Peligne Sabinis
Convenit huic genti quartus utrique deus.
Romulus hos omnes ut vinceret ordine saltem,
Sanguinis authori tempora prima dedit.

MARTIUS	ΜΟΥΝΥΧΙΩΝ	APRILIS.
Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1	Νεμηνία.	CAL. April.

Munychia Dianæ sacra.

16. Dianæ sacratus dies ab Atheniensibus, quo Themistocles Græcæ classis dux, Persarum classem dejecit & profligavit ad Salaminam, die plenilunii, Plutarchus.

APRILIS Julian.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ Athen. MAJUS Pompil.

Ταῦρος. *Taurus*.

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝΑ penultimum Atheniensibus fuisse mensem, Gaza ex Æschine, Aristotele & Theophrasto docet. Dictus autem hoc nomine fuit, propter Thargelia Apollinis & Dianæ sacra, quæ hoc ipso mense, quo illos Delii natos credidere, Veteribus observabantur. Hyperides, Laertius, Suidas, Harpocration. Quidam ultimo loco Thargeliona putant habendum, eo quod Plutarchus Trojanum excidium ad vicesimum quartum illius diem referat: ac Dionysius Halicarnasseus eandem Trojanorum cladem octavo desinentis Thargelionis, qui decimus septimus ante solstitium æstivum fuerit dies, contigisse tradit. Qua de re Gaza varie disputat.

ΦΥΣΙΟΣ, ἢ Βύσιος, Delphice: quod ex Plutarcho colligitur in *Problematis*, ubi ait, Apollinem septimo hujus mensis die natum: idque Laertius in *Platonis Vita* Thargelioni adscribit.

ΞΑΝΘΙΚΟΣ, ἢ Ξανδικός, Macedonice, Josephus, Plutarchus, Suidas.

ΑΠΟΓΟΝΙΚΟΣ Cypriis.

APRILEM, quasi *Aphrilem*, Ovidius in *Fastis*, & Plutarch. in *Numa*, dictum putant: nimirum a Venere, quam Græci Ἀφροδίτην, ἀπὸ τῶ ἀφρῶ, id est, *a spuma*, ex qua illam poetæ natam fabulantur, plerumque nominarunt. Alii tamen ratione, ut videtur, magis probabili, Aprilem, quasi *Aperilem*, ab aperiendo, dictum existimant, quod tunc aperiatur terra, cunctisque rebus nascendi facultatem præstet. Cur enim a Venere nominetur, cum nulla ejus celebritas toto hoc mense sit apud priscos, vel Græcos, vel Romanos observata? sicuti ex Cincio & Varrone Macrobius refert. Adde quod Latino potius quam Græco nomine mensem hunc, perinde atque alios omnes, Romani nominandum haud dubie censuerint.

APRILIS	ΘΑΡΓΗΛΙΩΝ	MAJUS.
Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1	Νεμηνία.	CAL. Maii.

THARGELIA Apollini & Dianæ, Apaturia Veneri, Simplicius, Suidas.

6. ATHENIENSES civitatem lustrabant, Laert. Dianæ natalis, item Socratis, idem ex Apollodori *Chronicis*, Plutarch. Dionys. Hal.
7. APOLLINIS natalis, Plutarch. Apollodor. Laert. Platonis item & Carneadæ philosophorum, Plutarch. Quin hic dies etiam fatalis Platoni fuisse scribitur, cum annos vitæ complevisset octoginta unum. Quare & Magi, qui tum Athenis fuere, eidem, veluti amplioris quam humanæ sortis viro, ut qui perfectissimum numerum novies novenum annorum adsecutus esset, immolaverunt.
   Thargelia Athenis, quæ Carnia Cyrenæis, Plutarch.
   Natalis Castoris & Pollucis.
20. Bendideia celebrabantur Athenis in Portu Piræeo, Proclus.

MAJUS Julian.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ Athen. JUNIUS Pompil.

Δίδυμοι. *Gemini*.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ, Atheniensium ultimus mensis a Gaza demonstratur, ex Æschine, Aristotele, & Theophrasto. Nomen sortitus est ab umbraculis, propter ædificandi commoditatem: vel potius ab Atheniensium celebritate, quam ipsi σκίραν vocabant. Sunt alii, qui a Sciriade Minerva mensis adpellationem putent esse derivatam: cujus quidem divæ colendæ diversas occasiones, Philochorus, Praxion, & alii quidam Atticarum rerum scriptores, adnotarunt.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΣ, Macedonice, apud Suidam & Epiphanium. Galenus ad Martium refert.

ΑΙΝΙΚΟΣ Cypriis.

Majus unde nominatus primum fuerit, ex variis ſcriptorum veterum opinionibus Macrobius narrat, ubi ait, Fulvium Nobiliorem in *Faſtis* ſcriptum reliquiſſe, hunc menſem in ordine tertium a Romulo ſic dictum, a majoribus, id eſt, Senatoribus, qui conſilio Rempublicam Romanam gubernarent: ſicut & ſequentem a junioribus, qui armis Rempublicam tuerentur, Junium nominarit. Cincius a Maja Vulcani uxore, quam tamen Piſo Majeſtam dixit, menſi nomen obtigiſſe retulit, eodem Macrobio teſte. Ovidius a Majeſtate, Honoris & Reverentiæ filia, Maii nomen derivat. Plerique eum a Maja Mercurii matre, cui una cum filio mercatores hoc menſe ſacrificare conſueverint, nomen accepiſſe cenſent: præſertim quod Plutarchus Mercurio ſacrum fuiſſe Majum menſem ſcripſerit.

Mesius Oſca lingua dicebatur, ut ait Feſtus: cui ſi credimus, Maii menſis adpellatio vel ante Romam conditam extitit: id quod argumento foret, a Romulo nullum illi propter majores nomen inditum.

MAJUS	ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝ	JUNIUS.
Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1	Νεμηνία.	Cal. Jun.

ΣΚΙΡΑ feſtum umbraculorum, & Pallas Σκιράς.
12. Athenienſibus valde celebris ob victoriam ad Mantineam.
14. Bouphonia Athenis, Etymolog.

JUNIUS Julian.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ Athen. QUINTILIS Pomp.

Καρκῖνος. *Cancer.*

Ἑκατομβαιών menſis erat ſolſtitialis, a quo Athenienſes annum ordiri conſueverant: ſicut ex tertia Demoſthenis *Olynthiaca* probari poteſt. Dictus a Jovis, ſive, quod malim adfirmare, Apollinis quibuſdam ſacris, quæ a centum, vel etiam alia quapiam incerta boum in ſacrificiis obferendorum multitudine, Ἑκατόμβαια dicebantur. Etenim hoc menſe præcipuus Apollini cultus haud dubie fuit exhibitus, propter ſolſtitium, quo cis Cancri tropicum circulum habitantibus ſol quam maxime propinquus, Athenienſibus ob id anni principium faciebat.

ΚΡΟΝΙΟΣ, ἢ Κρονιὼν, id eſt, *Saturnius*, a vetuſtioribus Atticis fuit adpellatus, quod Jovis aut Saturni ſacra hoc tempore fierent, teſte Plutarcho.

ΙΠΠΟΔΡΟΜΙΟΣ Bœotice, Plutarcho itidem authore in *Camillo*. Sed hanc adpellationem nonnulli cum Xanthico Macedonum conjungunt, eo fortaſſe, quod Etymologicon Ἑκατομβαιῶνα Aprilem dicat: idque Plutarchi Interpretem in *Theſeo* decepiſſe arbitror, dum Κρόνιον Hecatombæoni conjunctum, *Aprilem* reddidit.

ΔΕΣΙΟΣ, ἢ Δαίσιος, Macedonice, apud Plutarchum in *Ariſtide* & *Alexandro*, Suidam & Theophilum.

ΙΟΥΝΙΟΣ Cypriis.

Junius Romanis, a Junone potius, quam a junioribus, dictus olim fuiſſe videtur: quandoquidem eo menſe Junoni a Veteribus maximi habebantur honores. Nec ſane deſunt ſcriptores, qui non ſolum apud Latinas aliquot gentes, ſed & Romanos antiquiores ipſos, Junonium ac Junonialem hunc menſem nominatum adfirment; Cincius, Niſus, Feſtus. Plura de Junii menſis nomine vide apud Ovidium in *Faſtis*.

JUNIUS	ΕΚΑΤΟΜΒ.	QUINTILIS
Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1	Νεμηνία.	Cal. Jul.

Hecatombæ Apollini fiebant.
5. Lacedæmonii prælio victi, ad Leuctra Bœotiæ oppidum, Plutarch. in *Camillo*. Thebani prælio vicerunt Lattamiam & Theſſalos ad Geræſtam, ducentis ante pugnam Leuctricam annis Plutarch. *ibid.*
5. Natus Alexander Magnus: quo die Philippus pater quadrigis victor in Olympiis evaſit, Plutarch. Diod. Sic.
Dianæ Epheſiæ templum conflagravit, eodem quo natus Alexander die, Plutarchus.
15. Caſtoris, & Pollucis.
16. ΟΙΚΕΣΙΑ Athenis.
28. Panathenæa magna Athenis, Proclus.

QUINTILIS, qui poſtea JULIUS.

ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝ Athen. SEXTILIS Pompil.

Λέων. *Leo.*

Μεταγειτνιών, Hecatombæoni proxime ſubjungendus, ſecundum in ordine menſium locum obtinet, prout ex Demoſthene, Ariſtotele, & Theophraſto, Gaza demonſtrat. Nomen a Metageitniis ſacris, quæ in Apollinis honorem celebrabantur, deductum eſt: quod quidem ex Suida colligitur. Plutarchus in *Publicola* Metageitnionem Septembri conjunxit, forſan ab aliquo, quem ſequebatur, deceptus.

ΚΑΡΝΙΟΣ apud Syracuſanos vocatus eſt, a ſacris itidem Apollinis, quæ Καρνεῖα dicebantur. Guarinus Veronenſis in Plutarchi *Nicia*, *Majum* interpretatus eſt: ſed non video cauſam.

ΠΑΝΕΜΟΣ, ἢ Πανέμιος, Bœotice & Macedonice: cujus diem viceſimum ſextum, quarto Boedromionis conjunxit Plutarchus in *Ariſtide*, ubi ait: Τετράδι τοῦ Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου, κατ' Ἀθηναίους, καὶ κατὰ Βοιωτοὺς τετράδι τοῦ Πανέμου φθίνοντος. Unde apparet non modo nomina, ſed & initia menſium diverſa, in Græcorum diverſis regionibus fuiſſe obſervata; ſiquidem Πάνεμος maxima ſui parte Metageitnionem occupans, poſtremis aliquot diebus in Boedromionem incidit.

ΚΑΙΣΑΡΙΟΣ Cypriis.

Quintilis Romanis primum dictus fuit, quod in ordine quintus eſſet a Martio, qui Romulo initium anni præſtabat. Duravit autem hæc adpellatio uſque ad annum, quo C. Julius Cæſar in ſenatu peremptus eſt; tunc enim M. Antonio Cos. illius collega ſtatuente, Julius nominatus eſt, propter natum hoc menſe C. Cæſarem, Feſt. Macrob. Cenſorinus.

JULIUS ΜΕΤΑΓΕΙΤ. SEXTILIS.

Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1.	Νεμηνία.	CAL. Sext.

METAGEITNIA & Carnia Apollinis sacra apud Græcos.

7. ATHENIENSES apud Chæroneam ingenti clade prostrati sunt a Philippo Macedonum rege: quo die & in Italia pugnatum est inter Lucanos & Tarentinos: ubi Archidamus Lacedæmoniorum rex, pro Tarentinis pugnans, victus & interfectus est, Plutarch. in *Camillo*.
Post mortem Alexandri, victi sunt iterum Athenienses, ab Antipatro, ad Cranonem.

15. ADONIA. Fœminæ Athenienses jejunium servabant, Adonidis mortem lugentes.

25. Athenienses cruento admodum prælio a Lacedæmoniis & Syracusanis victi sunt in Sicilia ad Asinarum fluvium. Quare dies hic Syracusanis festus quotannis agebatur, Plutarchus in *Nicia*.

SEXTILIS, qui postea AUGUSTUS.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ Athen. SEPTEMB. Pomp.

Παρθένος.	*Virgo*.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝ tertius Atheniensium mensis, ex Demosthene & Aristotele ostenditur. Celebrarunt autem Athenienses hoc tempore Βοηδρόμια, quæ in Apollinis Boedromii, cujus in *Bœoticis* Pausanias meminit, honorem, clamosæ alicujus excursionis specie facta traduntur. Suidas tamen & Harpocration honorem istum Ioni Xuthi filio, quod Atheniensibus contra Eumolpum, Erechthei regis tempore, commodissimam opem adtulisset, exhibitum scripsere. Plutarchus Thesei tempore, cum Amazones Athenas invasissent, eam celebritatem institutam fuisse scribit. Guarinus Veronensis in *Alexandro* Plutarchi pro Boedromione *Junium* reddidit: sicut & alii nonnulli ejusdem authoris Interpretes alibi fecerunt, quia mysteria circa solstitium Athenis celebrari consuevisse putarunt. Quamvis ex Demosthene & Plutarcho satis constet, hoc ipso mense nequaquam solstitiali, Mysteria magna priscis Atheniensibus fuisse celebrata.

ΛΟΩΣ Macedonice: at eum Josephus ab Atheniensibus Hecatombæona, ab aliis Mæmacteriona, a Romanis Augustum adpellari ait: quemadmodum Plutarchus etiam in *Alexandro* Λῷον cum Hecatombæone conjunxit, dum inquit, ἐγεννήθη δ' Ἀλέξανδρος ἱσταμένου μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος, ὃν Μακεδόνες Λῷον καλοῦσιν ἕκτῃ. Et hoc quidem Guarino causam præbuisse reor, cur in eo loco Hecatombæona *Augustum* sit interpretatus. Galenus quoque lib. 1. *Epidem*. Λῷον, modo in transcribendo non sit erratum, Junio Romano copulavit.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ Cypriis.

SEXTILIS apud Romanos erat, ordinis ratione: siquidem sexto post Martium loco reperitur: eo namque modo & reliqui menses ad Decembrem usque, juxta numerum quisque suum, nominati sunt.

AUGUSTUS vero dictus est in C. Octavii Cæs. Augusti honorem, C. Martio Censorino & C.

A Asinio Gallo Coss. anno ante Christi natalem quinto, vel sexto, Censorinus. Causæ, propter quas Augustum hoc modo venerati sunt Romani, exprimuntur apud Macrobium in Senatusconf. hac ipsa de re proposito: nimirum quod hoc mense Cæsar Augustus primum consulatum inierit, triumphos treis in urbem intulerit: ex Janiculo deductæ legiones, Augusti fidem & auspicia secutæ sint: Ægyptus denique in potestatem populi Romani redacta, finisque bellis civilibus fuerit impositus.

B SEXTILIS ΒΟΗΔΡΟΜ. SEPTEMB.

Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1.	Νεμηνία.	CAL. Septemb.

BOEDROMIA sacra Athenis celebrabantur.

6. PERSARUM ac Medorum exercitus ab Atheniensibus, duce Miltiade, fusus ac profligatus est ad Marathonem, Herodot. Thucyd. Plutarch. in *Camillo*.

12. CHARISTERIA Athenis pro libertate, Plutarch.

C 14. ATHENIENSES Chabria duce, navali prælio ad Naxum victores evasere, Plutarchus in *Camillo*.
Persæ Artabazum secuti, e Græcia profligati: & Jovi liberatori sacrificatum.
Græci victoria ad Platæas potiti, Thebas obsidione cinxerunt, petentes eos sibi dedi, qui cum Medis ante sensissent: in primis vero Timagenidem & Attaginum, factionis principes: quos nisi dedissent, non prius ab urbe discedendum, quam eversa foret, Herodotus.

20. MYSTERIA magna celebrabantur Athenis,
D quibus extra urbem mysticus Bacchus efferebatur, Plutarch. in *Camillo*.
Thebæ ab Alexandro Magno captæ ac deletæ, circa festum Mysteriorum, Plutarch.
Athenienses paulo ante victi ab Antipatro in Cranone, præsidia Macedonica in urbem recepere, Plutarchus in *Camillo*, & Demosth.

25. Darius Persarum ultimus Monarcha postremo prælio superatus ab Alexandro magno ad Arbelas, & vitam & imperium amisit anno Olymp. CXII. Diodor. Plutarchus.

E SEPTEMBER Julian.

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝ Athen. OCTOBER Pomp.

Ζυγός.	*Libra*.

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝ, primus Autumni mensis erat Atheniensibus, quemadmodum ex Aristotele colligere licet: ideoque Septembri nostro plerique eum tribuunt. Jovi autem sacra quædam tum fuisse peracta, vel inde constat, quod is Mæmactes, Harpocratione teste, fuerit cognominatus. Nec tamen negaverim,
F Græcos perinde atque Latinos, ab aeris perturbatione, quam illi μαιμακτὴν dicunt, mensi nomen dedisse: sic enim tam foret credibile, Jovem a mense, quam mensem a Jove, priscis Atheniensibus fuisse denominatum. Epiphanius & Suidas Januarium, Josephus Augustum, Octobrem alii pro Mæmacterione intellexerunt. Ac habet aliquid forsan rationis, cur October dici potuerit, cum ipsius major pars in Octobrem aliquando inciderit.

ΑΛΑΛΚΟΜΕΝΙΟΣ Bœotice, Plutarchus in A *Ariſtide*.

ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ Macedonice, apud eundem, Joſephum item & Suidam: ſed Epiphanius Γορπιαῖον cum Auguſto conjunxit.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙΚΟΣ Cypriis.

SEPTEMBER Romanis, quaſi ſeptimus imber, non tantum quod a Martio ſeptimus numeraretur, verum etiam ob imbres & aeris perturbationem, quæ ſub initium autumni accidere frequentius ſolent, dictus eſt: haud aliter ac reliqui menſes, ad finem uſque anni, ſuas adpellationes olim nacti ſunt.

B

SEPTEMBER ΜΑΙΜΑΚΤΗΡ. OCTOBER

Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1.	Νεμηνία.	CAL. Octob.

JOVI Mæmactæ, apud Græcos.

4. MUNDUS Cereris patet, Feſtus.
Thebani viceſimum diem a Græcis victoribus ad Platæas obſeſſi, dederunt eos qui cum Medis ante ſenſerant contra Græciæ libertatem. Attaginus tamen clam elapſus evaſit, Herodotus. C
16. Græci parentabant iis qui ad Platæas pro Patriæ libertate pugnantes contra Perſas occubuerant, Plutarchus.
19. Ægyptii ſacrificabant Thot numini, quem Romani Mercurium dicebant, Plutarchus.
20. Canem Marti immolabant Lacedæmonii.

OCTOBER Julian.

D

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ Athen. NOVEMBER Pompil.

Σκορπίος.	*Scorpius.*

ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ, alter a Mæmacterione menſis, ex Theophraſto potiſſimum oſtenditur, apud Gazam. Nomen habuit propter πυανέψια ſacra, quæ coctis fabis in Apollinis honorem fiebant: πύανα enim *fabæ* dicuntur. Lapus Plutarchi Interpres in *Theſeo*, ubi agitur de Oſchophoriis, Athenienſium celebritate in memoriam Theſei, feliciter ex Creta cum adoleſcentibus in urbem reverſi, primum inſtituta, τὴν ἑβδόμην, Πυανεψιῶνος ἱςαμένε, *Nonas Julii* non bene reddidit. Siquidem Plutarchus autumnalem hunc menſem alibi facit, dum Ægyptiorum Athyri, qui menſis ipſorum tertius eſt, illum conjungit. quod certe ad Octobrem ſpectabit, modo in Auguſto Thot menſem conſtituamus: ſicuti Plinius feciſſe videtur, viceſimum ſeptimum diem menſis Thot, quem ipſe *Thiatim* vocat, Auguſto tribuens. E

ΔΑΜΑΤΡΙΟΣ, ἢ Δημήτριος, Bœotice, apud Plutarchum. F

ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ Macedonice, ſecundum Joſephum & Suidam. Galenus tamen hunc menſem apud Pergamam patriam ſuam, Hyperberetæum Romæ Septembrem, Athenis Myſteria dici refert. Cujus quidem confuſionis menſium cauſam, hoc loco, ſicut & multis id genus aliis, in varietatem Emboliſmorum, quos non uno & eodem ſemper anno ac menſe diverſis nationibus obſervatos fuiſſe conſtat, rejiciendam arbitror.

ΔΗΜΑΡΧΕΞΑΓΙΟΣ Cypriis.

OCTOBER, octavus a Martio, Marti dicatus erat: Siquidem ei quotannis hoc menſe immolabatur a Romanis equus in Campo Martio, qui a menſis adpellatione October dicebatur, Feſtus.

OCTOBER ΠΥΑΝΕΨΙΩΝ NOVEMBER

Julian.	*Athen.*	*Pompil.*
1.	Νεμηνία.	CAL. Novemb.

ΠΥΑΝΕΨΙΑ Apollinis ſacra.

7. THESEUS Apollini votum perſolvit, pro felici reditu ex Creta, Plutarch.
8. PYANEPSIA Apollini, Suidas.
Ereſione, id eſt, ramus oleaginus plectitur, Plutarchus.
Oſchophoria, id eſt, Ramalia celebrabantur Athenis in memoriam Theſei. Plutarch. Suidas.
16. Theſmophoria, Cerealia Athenis, Plutarch. in *Demoſthene*.
18. Myſteria minora, Plutarch. Galenus.
21. Pambœotia ſacra Palladis.
22. Chalcea, Minervæ itidem ſolennitas, quam Phanodemum Volcani fuiſſe tradit, Harpocration.
25. Lacedæmonii quartarios vini Apollini offerebant.

NOVEMBER Julian.

ΑΝΘΕΣΤΕΡΙΩΝ DECEMBER

Athen. ſi tamen Gazæ credimus.	Pompil.
Τοξότης.	*Sagitarius.*

DILIGENTER quidem Gaza menſium Atticorum nomina & ordinem ex probatiſſimis authoribus conquiſita tradit: ſed cum Antheſteriona Romanorum Novembri conjungendum putet, equidem hærere me fateor: nec ſatis evidentes video rationes, cur ad aliud anni tempus referri non debeat: quandoquidem e tot ſcriptoribus, quorum de hujus menſis loco diverſæ admodum ſententiæ ſunt, nemo ad autumnum, plerique ad hybernum aut vernum tempus, eundem retulere. Quapropter ego Gamelioni non ſine cauſa jungendum illum opinor. Attamen hoc loco iis qui Gazæ opinionem ſequuntur, morem geſſi, dum Græcas quaſdam ſolennitates Antheſterioni convenientes, Novembri noſtro ſubjeci.

ΔΙΟΣ Macedonice, Suidas, Joſephus.

ΠΑΗΘΥΠΑΤΟΣ Cypriis.

NOVEMBER Romanis.

NOVEMBER *Julian.*	ΑΝΘΗΣΤΕΡ. *Athen.*	DECEMBER *Pompil.*
I.	Νεμηνία.	CAL.Decemb

ANTHESTERIA Baccho.
10. LIMNIS Baccho sacrificabatur, Thucyd.
Pithœgia, dum referarent vini dolia, Plutarchus.
13. CHOES, Suid.

A MINERVAL præceptoribus solvebatur Athenis, Athenæus.
Chytra, Suidas.
Hujus mensis dies aliquot fuere nefasti. Hesychius: Μιαραὶ ἡμέραι τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, ἐν αἷς τὰς ψυχὰς τῶν κατοιχομένων ἀνιέναι ἐδόκουν. *Nefasti dies & impuri mensis Anthesterionis, quibus mortuorum animas sursum redire arbitrabantur.*

F I N I S.



SAMUELIS PETITI
DE
ANNO ATTICO
ECLOGÆ CHRONOLOGICÆ.

AD LECTOREM.

CUM jam, ſtudioſe Lector, in *Theſauro Antiq. Roman.* editæ ſint *Eclogæ Chronologicæ de Anno Romano* eruditiſs. Sam. Petiti, conſultum etiam duximus illas ejuſdem Auctoris *de Anno Attico* huic *Theſauro Antiq. Græc.* adjicere.

INDEX CAPITUM.

SAMUELIS PETITI DE ANNO ATTICO ECLOGÆ CHRONOLOGICÆ.

CAP. I.

ANNI ATTICI MODUS ET CAPUT.



ANNI Græcorum modus fuit dierum trecentorum sexaginta, non plurium, non pauciorum; neque audiendi sunt viri summi, in his quæ pronuntiant, de duabus ἀνάρχοις ἡμέραις, quæ singulis annis appendebantur: Nam Herodotus testis est, annum fuisse dierum tantum tercentum sexaginta: meminit quidem embolimi mensis, ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον, sed nullius diei meminit, qui quotannis intercalaretur: ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζόης ἀνθρώπῳ προτίθημι, οὗτοι ἐόντες ἐνιαυτοὶ ἑβδομήκοντα, παρέχονται ἡμέρας διηκοσίας καὶ πεντακισχιλίας καὶ δισμυρίας, ἐμβολίμου μηνὸς μὴ γενομένου. Sed perspicue Plinius annum Græcorum facit sine ullis appendicibus: *Nullique arbitror plures statuas dicatas, quam Demetrio Phalereo Athenis. Siquidem trecentas sexaginta statuere, quas mox laceraverunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente*. Vides annum non excessisse numerum dierum trecentorum sexaginta: ergo nullas habuit bidui appendices: annumque trecentis sexaginta diebus absolvi testis est Varro in *Hebdomadibus* apud Nonium, ubi de hoc Demetrio agit, ex emendatione Illustrissimi Herois,

Hic Demetrius æneus tot aptu'st,
Quot lucis habet annus absolutus.

Non plures igitur trecentis sexaginta dies habuit annus veterum Græcorum, erantque omnes duodecim menses τριακονθήμεροι, sine ullis bidui appendicibus: atqui id adeo verum est, ut cum æquatio omnino esset necessaria, qua conciliandæ erant rationes Solis cum rationibus Lunæ, diligentissime caverent τῆς ἐξαιρέσεως beneficio, ne annus excederet dierum trecentorum sexaginta numerum, ut in sequentibus, Deo dante, dicemus.

Investigato anni modo, ejusdem caput est indicandum. Veteres Græci Solstitium committi putarunt, & posteris persuaserunt, die octavo Julii: fuitque hic dies politica Solstitii sedes. A Solstitio autem veteres Græcos annum fuisse auspicatos, tam certum est, quam quod certissimum. Existimarunt viri maximi caput anni fuisse postridie Solstitii, sed falsos fuisse rebus manifestis probabimus. Observant enim illi ex Aristotele ejusque discipulo Theophrasto, Solstitium Hecatombæoni, qui princeps est mensium, adtributum fuisse. Atqui, si semper Hecatombæonis Neomenia posterior fuisset die, qui sedes erat politica Solstitii, profecto nunquam Solstitium adtributum fuisset

A Hecatombæoni; quod dictum volumus de anno, qui Lunaris non est; nam quod ad Lunarem annum attinet, nemini dubium esse potest, Neomeniam Hecatombæonis, modo antevertisse, modo posteriorem fuisse ταῖς τροπαῖς θεριναῖς. Sed quid verba facimus? Neomeniam Hecatombæonis non Lunaris antevertisse Solstitium probamus illustri exemplo apud Plutarchum in *Romulo*, de Tarrutio Mathematico: Ἀνδρείως ἀπεφήνατο τὴν μὲν ἐν τῇ μητρὶ τοῦ Ῥωμύλου γεγονέναι σύλληψιν ἔτει πρώτῳ τῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος, ἐν μηνὶ κατ᾽ Αἰγυπτίους Χοιὰκ, τρίτῃ καὶ εἰκάδι, τρίτης ὥρας, καθ᾽ ἣν ὁ ἥλιος ἐξέλιπε παντελῶς. Dies mensis Choiac vicesimus tertius cadit in vicesimum quartum diem Junii: jamque cœperat annus primus Olympiadis B secundæ, nec est, quod quispiam existimet annum primum fuisse desinentem. Nam quod observat Tarrutius hoc die Solem defecisse, non sinit nos dubitare annum primum Olympiadis secundæ tunc primum incipere, non desinere. Erat enim annus ab Orbe condito (Sethum Calvisium in hujus Epochæ annis sequimur, quod semel dictum volumus) ter millesimus centesimus septuagesimus octavus, litera Dominicali A. Cyclo Solis vicesimo secundo, Lunæ nono. Quo anno die vicesimo quarto Junii, qui erat vicesimus tertius mensis Choiac, Eclipsis Solis repræsentatur e Tabulis Frisicis a viris magnis; nec alii negant eo die Novilunium inveniri, & latitudinem etiam Lunarem, quæ posset esse Ecli-C ptica. Quicquid tamen hujus rei sit, de quo jam non disputamus, certum est, ista referenda esse ad hunc ab Orbe condito annum MMMCLXXVIII. a cujus anni diebus æstivis cœpit Olympias secunda, quæ cum jam cœpisset die vicesimo quarto Junii, ut e Tarrutii affirmatione constat, omnino sequitur in Hecatombæonem cadere Solstitium, & falsos esse viros magnos, qui existimant semper primum Olympici sive Attici anni mensem μετὰ τὰς τροπὰς θερινὰς cœpisse, post octavum Julii diem.

Objicient Platonis verba e l. IV. *de Legibus* Ἐπειδὰν μέλλῃ νέος ἐνιαυτὸς μετὰ θερινὰς τροπὰς τῷ ἐπιόντι μηνὶ γίγνεσθαι, ταύτης τῆς ἡμέρας τῇ πρόσθεν πάντας χρὴ τοὺς ἄρχοντας συνελθεῖν εἰς ἓν ἱερόν. Sed cum de D Magistratibus agat Plato, nemo non videt loqui de anno Lunari, qui Magistratuum erat, & alludit ad annos πρυτανείας, quorum modus ex Enneadecaeteride Metonis observabatur, nullusque dubito alludi ad tempora, quibus a Platone scriptus est hic Liber, eratque nonus annus Metonicus incepturus decimo Julii die: ita ut ultimus præcedentis anni dies, quo Magistratus, qui Rempublicam gerere debebant anno imminente, jusjurandum erant concepturi, caderet in diem nonum Julii, postridie Solstitii.

Solstitii vero dies, hoc est, dies octavus Julii, fuit caput anni Græcorum, qui Lunaris non erat, idque manifesto colligere licet e Dionysii, sive potius Ephori apud Dionysium verbis: περιττοῖς δὲ

ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐκπληροῦσαι μετὰ τὴν τροπὴν εἴκοσι ἡμέραι. Non jam disputamus, an viginti fuerint περιτταὶ ἡμέραι, fiet a nobis, cum bono Deo, in sequentibus: hoc vero asserimus, ab Ephoro caput statui, a quo numerandæ sunt περιτταὶ ἡμέραι, Solstitii diem. Fuit igitur Solstitium anni Græcorum caput.

Adde, quod Hecatombæonis Neomenia, quæ vere Lunaris est, primi anni Olympici fuit die octavo Julii. Nam prima Olympias, a qua Græci sua numerant tempora, cœpit a diebus æstivis anni ab Orbe condito ter millesimi centesimi septuagesimi quarti, Novilunium fuit die Octavo Junii.

	DIES.	FERIAE.	HORAE.	I.	II.	☉.	☽.
3174. 3116.							
58.	81.	3.	17.	6.	56.	10.	5.
	9.	6.	23.	41.	37.	20.	
	71.	3.	17	25.	19.	18.	5.
	118.	6.	2.	56.	3.		
	189.	2.	20.	21.	32.		

Commissum igitur est Novilunium ipso Solstitii die, octavo Julii, feria secunda, anno ab Orbe condito ter millesimo centesimo septuagesimoquarto, atque exinde Olympiades numerant Græci: & caput anni Græcorum fuit Solstitium: ne vero Hecatombæon anteverteret Solstitium, mensem intercalarunt Græci, de quo Herodotus, ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον, μῆνες ἐμβόλιμοι γίνονται, isque annus, cui mensis intercalabatur, diebus trecentis nonaginta explicabatur.

Cum vero Græci etiam rationes Lunæ vellent conciliare cum anno quem observabant, Periodum instituerunt annorum quatuor, quam *Tetraeteridem* appellant, de qua paullo post, Θεοῦ διδόντος sumus dicturi. Non existimamus autem primis illis temporibus usurpatam fuisse Periodum, sive Olympicam, sive Atticam, quam construxerunt viri magni. Nam illa tota nititur ratiociniis & demonstrationibus Calippi, qui adeo inferior est prima Olympiade, ut σύγχρονος sit Alexandri Magni. Non igitur habuerunt Græci suas periodos & Tetraeteridas ad modum, qui ex Calippi rationibus, & calculo, ab eodem longe postea excogitatus est. Adde, quod exempla, quæ in medium adferuntur a summis viris, ut suas adstruant Periodos, nihil ad eas faciant, quod jam a nobis, cum bono Deo, demonstrandum est.

CAP. II.

AUCTORIS SENTENTIA DE PERIODO ET TETRAETERIDE.

PRIMUM exemplum est petitum ex Ephoro apud Dionysium, de Ilii excidio: Ἴλιον μὲν γὰρ ἥλω τελευτῶντος ἤδη τοῦ θέρους, ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, ὡς Ἀθηναῖοι τοὺς χρόνους ἄγουσι. περιτταὶ δὲ ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐκπληροῦσαι με- F τὰ τὴν τροπὴν εἴκοσι ἡμέραι. Sed non constat dierum numerus ex Periodo Attica. Quod vero dicitur, diem capti Ilii esse vicesimum tertium Thargelionis, ὡς Ἀθηναῖοι τοὺς χρόνους ἄγουσι, ostendit ista referenda esse ad modum anni, qui obtinebat publice, quando ista scribebat Ephorus: atqui is annus erat Metonicus, qui fingitur tunc fuisse: eratque annus decimus Metonis, qui annus cœpit die Julii septimo, estque Embolimæus, ac proinde dies vicesimus tertius Thargelionis cadit

A in diem decimum octavum Junii, a quo si numeres ad diem octavum Julii, dies sunt viginti. Rursum anno absolvendo supersunt a Solstitio, sive die octavo Julii, eo numerato, dies septemdecim: nam cœpit annus undecimus Metonicus die vicesimo quinto Julii. Quare rescribendum est apud Dionysium, Ἴλιον μὲν γὰρ ἥλω τελευτῶντος ἤδη τοῦ ἔαρος, εἴκοσι πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, ὡς Ἀθηναῖοι τοὺς χρόνους ἄγουσι. περιτταὶ δὲ ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐκπληροῦσαι μετὰ τὴν τροπὴν ἑπτακαίδεκα ἡμέραι. Dies περιτταὶ non numerabantur a postero Solstitii die, quanquam non dicantur περιτταὶ nisi quæ B post Solstitium annum absolvunt, & dixit Ephorus annum ἐκπληροῦσθαι μετὰ τὴν τροπήν, sed numerabantur αἱ περιτταὶ ἡμέραι ab ipso Solstitii die, qui caput erat anni non Lunaris, & intelligunt annum Lunarem, ut plurimum, veterum rerum Scriptores, ex quo annus ille obtinuit, & in Fastis usurpari cœpit, nisi distinguant. Annum autem Lunarem sive Metonicum intelligi probat, quod mensem hunc Thargelionem cavum pronuntient fuisse: nam quod alii conferunt Ilii excidium in ὀγδόην φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, Plutarchus habet ex Ephoro & aliis in *Camillo*, ἑβδόμῃ φθί- C νοντος Θαργηλιῶνος, ubi agit de memorabili Carthaginensium clade in Sicilia: καὶ Καρχηδόνιοι περὶ Σικελίαν ὑπὸ Τιμολέοντος ἡττῶντο τῇ ἑβδόμῃ φθίνοντος περὶ ἣν δοκεῖ καὶ τὸ Ἴλιον ἁλῶναι, Θαργηλιῶνος, ὡς Ἔφορος, καὶ Καλλισθένης, καὶ Δαμάστης, καὶ Φύλαρχος ἱστορήκασι. Nempe erat πολιτικῶς ἑβδόμη φθίνοντος Θαργηλιῶνος, propter ἐξαίρεσιν τῆς δευτέρας ἱσταμένου Θαργηλιῶνος in mense Lunari cavo: revera tamen ὀγδόη φθίνοντος Θαργηλιῶνος si ad ἐξαίρεσιν non attendas.

Secundum exemplum est anni Iphiti quadringentesimi primi, sive anni primi Olympiadis centesimæ primæ, quo anno die vicesimo sexto Boe- D dromionis, περὶ τὴν πανσέληνον, a Chabria ad Naxum pugnatum volunt, auctore Plutarcho. Sed miror ista excidisse viris magnis. Plutarchi verba sunt in *Camillo*: Τοῦτο δὲ αὖ πάλιν Πέρσαι μηνὸς Βοηδρομιῶνος, ἕκτῃ μὲν ἐν Μαραθῶνι τρίτῃ δ' ἐν Πλαταιαῖς ἅμα καὶ περὶ Μυκάλην ἡττήθησαν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων. πέμπτῃ δὲ φθίνοντος, ἐν Ἀρβήλοις Ἀθηναῖοι. τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν, ἧς Χαβρίας ἐστρατήγει, τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον. Imposuit illis vitiosa interpunctio. Distinguo: πέμπτῃ δὲ φθίνοντος ἐν Ἀρβήλοις. Referuntur ista ad victoriam Alexandri ad Arbela sive Gaugamela. Ἀθηναῖοι τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν, ἧς Χαβρίας ἐστρατήγει, E τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον. Non hic docet Plutarchus, (nisi exciderit numeri nota) quotus fuerit Boedromionis dies, sed alibi observat; fuisse diem Boedromionis sextum decimum: locus est in *Phocione*: Ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις, παρεῖχεν οἰνοχόημα Χαβρίας Ἀθηναίοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Βοηδρομιῶνος. Idemque lib. *de Gloria Atheniensium* emendandus, sive potius supplendus; nam exciderat numeri nota: clare item Polyænus *l.* III. Χαβρίας περὶ Νάξον ναυμαχῶν ἐνίκησε Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα. Erat hic annus quadringentesimus primus Iphiti, quinquagesimus septimus Periodi Metonicæ, cujus Hecatombæon cœpit die vicesimo septimo Julii, feria tertia: Boedromion die vicesimo quarto Septembris, feria sexta: Boedromionis dies decimus sextus fuit dies octavus Octobris, feria sexta, quia Boedromion Lunaris cavus est & exæresinæus: Novilunium commissum est die vicesimo tertio Septembris, feria quinta.

3574. 3572.	DIES.	FERIAE.	HORAE.	I.	II.	☉.	☽.
2.	100.	1.	13.	2.	41.	10.	6.
	11.	5.	10.	46.	14.	12.	
	89.	3.	2.	16.	27.	26.	6.
	177.	2.	4.	24.	19.		
	266.	5.	6.	40.	46.		

Plenilunium igitur commissum esse die octavo Octobris: cum ergo sextus decimus Boedromionis dies fuerit octavo Octobris die, optime Plutarchus observat pugnatum fuisse περὶ τὴν πανσέληνον. Quæ diximus nos admonent, ut expendamus tempus pugnæ ad Gaugamela. Existimant viri præstantissimi Eclipsim, cujus meminit Plutarchus in *Alexandro* & quæ undecim diebus pugnam præcessit, contigisse die vicesimo Boedromionis, & tamen pugnatum fuisse vicesimo sexto Boedromionis die. Sed longe falluntur, nam Eclipsis Lunæ accidit die v. decimo Boedromionis, circa initia Mysteriorum, pugnam invasit Alexander vicesimo sexto Boedromionis. Plutarchus in *Alexandro*; Ἡ μὲν οὖν Σελήνη τοῦ Βοηδρομιῶνος ἐξέλιπεν, περὶ τὴν τῶν Μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχήν. ἑνδεκάτῃ δὲ ἀπὸ τῆς ἐκλείψεως νυκτὶ, τῶν στρατοπέδων ἐν ὄψει γενομένων, &c. Idem in *Camillo*: πέμπτῃ δὲ φθίνοντος Βοηδρομιῶνος ἐν Ἀρβήλοις. Jam vero si a vicesimo sexto Boedromionis die retro numeres undecim, videbis primum Mysteriorum diem, quo Lunæ Eclipsis contigit, fuisse quintum decimum Boedromionis. Annus erat secundus Olympiadis centesimæ duodecimæ, sive annus Iphiteus quadringentesimus quadragesimus sextus, ac proinde vicesimus sextus Periodi Metonicæ, cujus Hecatombæon cœpit die decimo Julii, Boedromion die septimo Septembris: sed Boedromion Lunaris est mensis cavus, in quo fit exæresis, quare dies quintus decimus Boedromionis est vicesimus Septembris dies, quo Eclipsis Lunæ accidit.

De pugna ad Salamina, Metonisque primo Hecatombæone, cujus Neomenia cadit in tertium decimum Scirrophorionis diem, infra, σὺν Θεῷ, suo loco dicemus.

CAP. III.

AUCTORIS SENTENTIA DE PERIODO ET TETRAETERIDE.

HACTENUS ista dicta sunto adversus ea, quæ in exemplum suæ Periodi viri incomparabiles adferunt. Sequitur, ut quæ nostra sit de Græcorum Periodo sententia, doceamus. Tetraeteridem esse diximus, intra quam pariant Lunæ rationes cum annorum modo: sunt tamen Lunæ dies in hoc intervallo supra rationes Tetraeteridis, quæ embolimæa non sit, quinque, sive spectemus anni Lunaris modum, qui apud Antiquos obtinuit ante Cleostrati tempora, de quo agemus infra suo loco, Θεοῦ διδόντος, sive anni Lunaris, ut vulgo usurpatus fuit post illa tempora, sine triente formam: nam anni Græcorum simplices quatuor dant dies mille quadringentos quadraginta. Antiquissimus Græcorum annus Lunaris habuit dies trecentos quadraginta septem, Tetraeteris hujusmodi Lunaris habuit syzygia quinquaginta, sive dies mille quadringentos quadraginta quinque: Annus Lunaris vulgatus habuit dies trecentos quinquaginta quatuor, ac proinde Tetraeteris hujusmodi Lunaris syzygias quadraginta novem, quæ dant dies mille quadringentos quadraginta quinque. In Tetraeteride vero non Lunari, quæ embolimæa erat, dies erant mille quadringenti septuaginta. Lunaris Tetraeteris antiquissima syzygias habebat quinquaginta & unam, diesque faciebat mille quadringentos septuaginta quatuor. Lunaris vero Tetraeteris, quæ secuta est, habuit syzygias quinquaginta, id est, dies mille quadringentos septuaginta quinque. Tetraeteridi non Lunari mensis intercalabatur aliquando, τῶν ὡρέων εἵνεκεν, ut loquitur Herodotus, ne scilicet Hecatombæon Solstitium anteverteret, hoc est, ne Solstitium in Metagitnionem, non autem in Hecatombæonem incideret, quod unice cavebatur in anno non Lunari. Quod vero attinet dies illos quinque, sive quatuor, quibus Lunæ rationes superabant modum Tetraeteridis, ii quidem videbantur Tetraeteridi appendi (nam revera non appendebantur, nec fiebat pariatio Tetraeteridis non Lunaris cum annis Lunaribus, nisi intra viginti Tetraeteridas cum annis Lunaribus antiquissimis, & intra triginta Tetraeteridas cum annis Lunaribus vulgaris) id est, singulis Tetraeteridis annis unus dies, & uni, ex illis quatuor Tetaeteridis annis, duo: ne vero anni excederent numerum dierum trecentorum sexaginta, unus e singulis annis, quibus unus dies appendebatur, dies item eximebatur; ex illo autem, cui biduum erat appensum, biduum quoque eximebatur. Itaque tres anni Tetraeteridis erant ἐξαιρεσιμαῖοι, unus vero in singulis Tetraeteridibus simplicibus erat δισεξαιρεσιμαῖος, itemque in embolimæis Tetraeteridibus, si ad vulgati Lunaris anni Tetraeteridem attendas; quod si antiquissimum Lunaris anni modum spectes, omnes Tetraeteridis embolimææ anni quatuor erunt tantum ἐξαιρεσιμαῖοι. Mensis, cui competebat exæresis erat Boedromion; dies exæresimus erat ἡ δευτέρα ἱσταμένου Βοηδρομιῶνος. Habes apud Plutarchum lib. IX *Symposiacων* VI. Quæstione: Ἐκεῖνο δέ σε, εἶπεν, ὦ Μενέφυλλε, λέληθεν, ὅτι καὶ τὴν δευτέραν τοῦ Βοηδρομιῶνος ἡμέραν ἐξῃρήκαμεν, οὐ πρὸς τὴν Σελήνην, ἀλλ' ὅτι ταύτῃ δοκοῦσιν ἐρίσαι περὶ τῆς χώρας οἱ θεοί. Idem περὶ φιλαδελφίας lib. Τὴν γὰρ δευτέραν Ἀθηναῖοι ἐξαιροῦσιν ἀεὶ τοῦ Βοηδρομιῶνος, ὡς ἐν ἐκείνῃ τοῦ Ποσειδῶνι πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν γενομένης τῆς διαφορᾶς. Quibus verbis docemur, exemptum fuisse hunc diem, πρὸς τὴν Σελήνην, propter Lunæ quidem rationes, sed aliam commentos fuisse caussam, nempe litem, quæ Neptuno cum Minerva fuit. Unde licet concludere, diem illum itemque alterum, si duo erant, qui appendebantur, adtributos fuisse mensi Posideoni, cui a Neptuno nomen, & propter hunc embolimum Posideonis diem, τὴν δευτέραν τοῦ Βοηδρομιῶνος fuisse exemtam, quod accidebat quotannis; itaque optime notat Plutarchus, τὴν γὰρ δευτέραν ἐξαιροῦσιν ἀεὶ τοῦ Βοηδρομιῶνος semper exemptam fuisse: nam nullus erat in singulis Tetraeteridis annis, in quo non eximeretur ἡ δευτέρα τοῦ Βοηδρομιῶνος: erat etiam in singulis Tetraeteridibus unus, in quo biduum eximebatur & pro δευτέρα Βοηδρομιῶνος dicebatur τετάρτη Βοηδρομιῶνος. Cum Plutarcho paria facit M. Tullius lib. II. *in Verrem*: *Est consuetudo Siculorum cæterorumque Græcorum, quod suos dies mensesque congruere volunt cum Solis Lunæque ratione: ut nonnunquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem, aut summum, biduum ex mense, quos illi* ἐξαιρεσίμους *dies nominant: item nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt, aut biduo*. Sed distinguendæ sunt voces, *ut nonnunquam*, & *item nonnunquam*: estque *non nunquam*, quod Plutarchus dixit ἀεί. Semper igitur Posideonem uno die longiorem faciebant Athenienses, aliquando etiam, nempe in singulis Tetraeteribus semel, biduo, rursum e Boedromione

ſemper unum diem eximebant, etiam aliquando, A nempe in ſingulis Tetraeteridibus ſemel, biduum. Inveſtigemus vero cui anno Tetraeteridis competat bidui ἐξαίρεσις. Refert Plutarchus Platæenſem pugnam contigiſſe Βοηδρομιῶνος ἱσαμένα τετράδι. Eandem vero pugnam confer in *Camillo* in τρίτῃ Βοηδρομιῶνος ἱσαμένου. Jam vero e Plutarchi ſententia nullus erat Boedromion non ἐξαιρεσιμαῖος; ac proinde quæ τρίτη nuncupatur, erat revera ἡ δευτέρα. Plutarchus vero de Platæenſi pugna obſervat, contigiſſe die exæreſimo, hoc eſt: τῇ δευτέρᾳ Βοηδρομιῶνος, quæ in anno exæreſimæo τρίτη Βοηδρομιῶνος appellabatur: in anno vero δισεξαιρεσιμαίῳ, cujuſmodi fuit annus, quo ad Platæas pu- B gnatum eſt cum Perſis, dicebatur. τετάρτη, Βοηδρομιῶνος. Annus hic erat ſecundus Olympiadis ſeptuageſimæ quintæ, id eſt, annus Iphiti duecenteſimus nonageſimus octavus: fuit ergo decimus octavus noſtræ Periodi, ſive annus ſecundus Tetraeteridis. Unde concludimus annum Tetraeteridis ſecundum fuiſſe δισεξαιρεσιμαῖον: atque ita intra hoc quatuor annorum intervallum videbantu conciliari rationes Lunæ cum modo anni Græcorum.

Ut vero præpterea rationes Solis pariarent, atque in orbem repirent, opus fuit Periodo annorum quadraginta, ſive decem Tetraeteridum. Primæ C autem Tetraeteridis primus annus numeratur cum prima Olympiade, & cœpit a Novilunio, ipſo Solſtitii die, Julii octavo, anno ab Orbe condito ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto:

3174. 3116.	DIES.	FERIAE.	HORAE.	I.	II.	☉.	☽.
58.	81.	3.	17.	6.	56.	10.	5.
	9.	6.	23.	41.	37.	20.	
	71.	3.	17.	25.	19.	18.	D
	♈118.	6.	2.	56.	13.		
	189.	2.	20.	21.	32.		

Commiſſum igitur eſt Novilunium die octavo Julii, anno ab Orbe condito ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto, feria ſecunda, Cyclo Solis decimo octavo, litera Dominicali F. Cyclo Lunæ quinto. Primuſque hic fuit dies & caput Tetraeteridis Athenienſium, quam deſcribemus ſequenti Tabula; init quidem cum prima Olympiade, at longe tamen differt a Tetraeteride Olympica, ut exemplis manifeſtum fiet.

PERIODUS ATTICA
ANNORUM XL.

	ANNI PERIODI.	DIES A QUO INCIPIUNT.
	I.	8. Julii.
	II.	3. Julii.
	III.	28. Junii.
	IV.	22. Junii.
	V.	17. Junii.
ἐμβολ.	VI.	12. Junii.
	VII.	7. Julii.
	VIII.	1. Julii.
	IX.	26. Junii.
	X.	21. Junii.
	XI.	16. Junii.
ἐμβολ.	XII.	10. Junii.
	XIII.	5. Julii.
	XIV.	30. Junii.
	XV.	25. Junii.
	XVI.	19. Junii.
	XVII.	14. Junii.
ἐμβ.	XVIII.	9. Junii.
	XIX.	4. Julii.
	XX.	28. Junii.
	XXI.	23. Junii.
	XXII.	18. Junii.
ἐμβ.	XXIII.	13. Junii.
	XXIV.	7. Julii.
	XXV.	2. Julii.
	XXVI.	27. Junii.
	XXVII.	22. Junii.
	XXVIII.	16. Junii.
ἐμβ.	XXIX.	11. Junii.
	XXX	6. Julii.
	XXXI.	1. Julii.
	XXXII.	25. Julii.
	XXXIII.	20. Junii.
	XXXIV.	15. Junii.
ἐμβ.	XXXV.	10. Junii.
	XXXVI.	4. Julii.
	XXXVII.	29. Junii.
	XXXVIII.	24. Junii.
	XXXIX.	19. Junii.
ἐμβολ.	XL.	13. Junii.

CAP. IV.

PERIODUS AUCTORIS EXEMPLIS CONFIRMATUR.

CONFIRMANDA eſt hæc noſtra Periodus exemplis. Legitur in Oratione Demoſthenis περὶ στεφάνου iſtud pſephiſma: ἐπὶ Χαιρωνίδου Ηγεμόνος Αρχοντος, Γαμηλιῶνος ἕκτῃ ἀπιόντος, φυλῆς πρυτανευούσης Λεοντίδος, Αριστόνικος Φρεάῤῥιος εἶπεν. E ἐπειδὴ Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς, &c. Chæromides Archon fuit anno tertio Olympiadis centeſimæ decimæ. Erat igitur annus Iphiti quadringenteſimus triceſimus nonus. Quo anno vertente, Gamelionis die viceſimo quinto habita eſt κυρία ἐκκλησία, una ex tribus quæ ſingulis anni Lunaris menſibus cogebantur, καὶ ἐγίνετο ἡ πρώτη, ἑνδεκάτῃ τοῦ μηνός. ἡ δὲ δευτέρα, περὶ τὴν εἰκοστήν· ἡ δὲ τρίτη, περὶ τὴν τριακοστήν. Atqui inter has νομίμους κυρίας ἐκκλησίας, ἡ δευτέρα ἀνεῖται τοῖς βουλομένοις ἱκετηρίαν θεμένοις, λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων, καὶ τῶν δημοσίων. Hanc δευτέραν ἐκκλησίαν fuiſſe concionem, de qua F Demoſthenes, in qua verba fecit Ariſtonicus Phrearrhius, ut ſuſpicemur facit, quod Ariſtonicus verba fecerit περὶ τῶν ἰδίων, nempe de donando corona Demoſthene: fuit igitur hæc concio δευτέρα, quæ habebatur τῇ εἰκάδι τοῦ μηνός anni Lunaris, ſive Prytaneias. Annus Iphiti quadringenteſimus triceſimus nonus eſt triceſimus nonus noſtræ Periodi, cujus Hecatombæon cœpit die decimo nono Junii. Gamelion cœpit die ſexto decimo Decembris: dies viceſimus quintus Gamelionis cadit in diem nonum Januarii. Idem annus Iphiti qua-

quadringentesimus tricesimus nonus erat annus Metonicus decimus nonus, cujus Hecatombæon cœpit die vicesimo septimo Julii: Posideonis dies vicesimus (quo cogebatur ἡ δευτέρα ἐκκλησία κυρία) cadit in diem nonum Januarii:

439 / 420	FERIÆ.	DIES.	Θ.	☽.
19	4.	208.	16.	6.
420	4.		20.	
	0.	208.	24.	6.
		147.		
Adde dies		355.		

Ergo Posideon cœpit vicesimo primo Decembris die, quia vero mensis Lunaris plenus est, cadit vicesimus Posideonis dies in nonum Januarii.

Sequitur aliud exemplum illustre: Existimant viri magni anno secundo Olympiadis septuagesimæ quintæ pugnatum fuisse a Græcis adversus Barbaros navali certamine ad Salamina, die sexto decimo Munychionis: plenilunio: Eos in errorem induxit Plutarchus lib. *de Gloria Atheniensium*: Τὴν δὲ ἕκτην ἐπὶ δέκα τοῦ Μουνυχιῶνος, Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος. Sed anno præcedenti, qui erat primus Olympiadis septuagesimæ quintæ, pugnatum fuisse ad Salamina, testis est Herodotus, & pugnæ diem confert Plutarchus in *Camillo* in diem vicesimum Boedromionis: ἐν δὲ Σαλαμῖνι περὶ τὰς εἰκάδας Βοηδρομιῶνος Non igitur die sexto decimo Munychionis: Sed confundit Plutarchus pugnam, qua insulam Salamina sibi asseruerunt Athenienses, auctore Solone, adversus Megarenses, cum pugna, quam pugnarunt omnes terræ Græciæ populi adversus Barbaros ad Salamina: Ad Salamina igitur pugnatum est adversus Persas a Græcis die vicesimo Boedromionis. De Salamine pugnatum est ab Atheniensibus adversus Megarenses die sexto decimo Munychionis, plenilunio. Confert Anonymus in *Descriptione Olympiadum* hanc pugnam in annum primum Olympiadis quadragesimæ nonæ. Sed toto errat cœlo, meo judicio: Nam antequam Leges conderet Solon, Salamina suis vindicaverat Atheniensibus, ut constat e Plutarchi narratione: Leges autem tulit, cum Archon esset, anno tertio Olympiadis quadragesimæ sextæ, ut constat e Sosicrate apud Diogenem Laertium, & ex ipso Anonymo. Aliquot annis post victoriam de Salamine, Salaminii rebellarunt, & ad Megarenses defecerunt, Atheniensium civitate in partes acta, ob Cylonium piaculum. Quare arcessitur Epimenides; qui urbem lustraret, ut constat e Plutarcho in *Solone*: Lustratam urbem ab Epimenide volunt anno primo Olympiadis quadragesimæ sextæ, ut habet Anonymus in *Descriptione Olympiadum*. Habet præterea observatum ad annum primum Olympiadis quadragesimæ quintæ de Cylonio piaculo, & Salaminis insulæ defectione: Quod tamen non anno primo Olympiadis quadragesimæ quintæ accidisse puto, sed potius intra Olympiadem quadragesimam quintam: Nullus tamen dubito, victoriam de Megarensibus reportatam, & Salamina vindicatam fuisse ab Atheniensibus, auctore Solone, qui hoc facinore sibi magnum peperit nomen, anno quarto Olympiadis quadragesimæ quartæ, cum verteret annus ab Orbe condito ter millesimus ter centesimus quinquagesimus,

Cyclo Solis vicesimo sexto, litera Dominicali C. Munychionis die sexto decimo. Annus erat Iphiti centesimus septuagesimus sextus, sive sextus decimus nostræ Periodi, cujus Hecatombæon cœpit die decimo nono Junii, dies sextus decimus Munychionis cadit in diem tricesimum primum Martii: Novilunium commissum est die sexto decimo Martii:

3350 / 3344	DIES.	FERIÆ.	HORÆ.	I.	II.	Θ.
6.	86.	6.	13.	2.	15.	14.
3344.	10.	2.	17.	13.	56.	16.
	75.	3.	19.	48.	19.	26.

Fuit igitur ἡ πανσέληνος sexto decimo Munychionis die, sive tricesimo primo Martii, ut Plutarchus habet.

Annus natalis Alexandri Magni confertur in Olympiadem centesimam sextam ineuntem, sub ipsum ludicri tempus: Plutarchus: Ἐγεννήθη δ' οὖν Ἀλέξανδρος ἱσταμένου μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος ἕκτῃ, καθ' ἣν ἡμέραν ὁ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἐνεπρήσθη νεώς. Addit: Φιλίππῳ δ' ἄρτι Ποτίδαιαν ᾑρηκότι τρεῖς ἧκον ἀγγελίαι κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, ἡ μὲν Ἰλλυριοὺς ἡττῆσθαι μάχῃ μεγάλῃ διὰ Παρμενίωνος· ἡ δ' Ὀλυμπίασιν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι· τρίτη δὲ περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου γενέσεως. Annus erat Iphiteus quadringentesimus vicesimus primus, sive vicesimus primus nostræ Periodi, cujus Hecatombæon cœpit die vicesimo tertio Junii: sextus Hecatombæonis dies cadit in vicesimum octavum Junii, pridie ludicri Olympici. Nam Novilunium Olympicum commissum est die quinto decimo Junii: vertebatque annus ab Orbe condito ter millesimus quingentesimus nonagesimus quartus, Cyclo Solis decimo octavo, Lunæ septimo, litera Dominicali F.

3594 / 3572	DIES.	FERIÆ.	HORÆ.	I.	II.	Θ.	☽.
22	98.	1.	14.	23.	38.	2.	7.
3572	11.	5.	10.	46.	14.	12.	
	78.	3.	3.	37.	24.	18.	
	88.	4.	14.	12.	10.		
	266.	7.	17.	49.	34.		

Fuit igitur Novilunium quinto decimo Junii die, feria septima: Agon Olympicus celebratus est vicesimo nono Junii die: pridie Agonis Olympici natus est Alexander: Unde colliges, cum pridie Agonis Olympici sit sextus Hecatombæonis dies, differre Tetraeteridem Olympicam ab hac nostra Attica; facile tamen posse deprehendi ex Hecatombæone Attico, & Novilunii observatione. Sed ad Alexandri natalem redeamus: non defuerunt, qui Alexandrum natum dicerent anno quarto Olympiadis centesimæ quintæ, Agathocle Athenis Prætore: alii ad annum primum Olympiadis centesimæ sextæ, Elpino Archonte, referebant, ut videre est apud Anonymum in *Descriptione Olympiadum*: Sed unde hæc varietas? Nempe quia natus est Alexander Olympiade centesima sexta ineunte, cum adhuc Athenis Prætor Agathocles Fastos signaret: nam annus Metonicus, qui Magistratuum erat, atque ab eo Magistratum

inibant, cœpit tantum quinto decimo Julii die, feria ſecunda:

	DIES.	FERIÆ.	Θ.	D.
421				
420				
1	196.	5.	16.	7.
420		4.	20.	
	196.	2.	18.	

Ergo quia natus eſt, Agathocle adhuc Archonte, contulerunt nonnulli natalem Alexandri in annum quartum Olympiadis centeſimæ quintæ: Rurſum quia natus eſt Olympiade centeſima ſexta ineunte, Elpinum jam tum Faſtos ſignaſſe, & Prætorem Athenis fuiſſe, alii ſunt ſuſpicati: Cum tamen certiſſimum ſit, natum eſſe Olympiade ſexta ineunte, pridie Agonis Olympici, ſexto Hecatombæonis non Lunaris die, cum adhuc Agathocles Athenis eſſet in Magiſtratu, decimo ſeptimo die antequam Magiſtratum iniret Archon Elpinus, & inciperet Hecatombæon Metonicus, qui die Julii quinto decimo cœpit. Atque hinc lux præferenda eſt Plutarcho ſcribenti, ἐγεννήθη δ' οὖν Ἀλέξανδρος ἱσαμένου μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος, ὃν Μακεδόνες Λῷον καλοῦσιν, ἕκτῃ. Quamquam culpa non vacat, ſed miſere anni typos & tempora, tanquam jura coquus, confundit. Diximus jam, quomodo intelligendum ſit, quod habet de ſexto Hecatombæonis die, ſi quis confer at cum eo, quod paullo poſt addit Plutarchus, Alexandrum natum eſſe Olympiade centeſima ſexta ineunte, ſub ipſum Agonis Olympici tempus: Verum cum hoc Hecatombæone non Lunari conferri non poteſt Lous Macedonum. Jam vero non defuerunt, qui, ut diximus, exiſtimarent natum eſſe Elpino jam Archonte: Is annus erat primus Enneadecaeteridis Metonicæ, cœpitque Idibus Juliis Hecatombæon Metonicus. Rurſum fingamus, quod fingit Plutarchus, uſurpatum jam tum fuiſſe Periodum Calippicam Autumnalem: Vertebat igitur annus triceſimus ſecundus Periodi Calippicæ, cujus Hyperberetæus cœpit die ducenteſimo ſexageſimo ſexto a Kalendis Januariis, ſive nono Kalendas Octobreis anni ab Orbe condito ter milleſimi quingenteſimi tertii: Adde menſes Lunares decem: Ergo Lous cœpit die centeſimo nonageſimo ſexto a Kal. Januariis, ſive Idibus Juliis anni ter milleſimi quingenteſimi nonageſimi quarti: atque ita paria facit Lous Macedonum hujus anni cum Hecatombæone Athenienſium Metonico. At iſta non præſtabunt Periodi Olympicæ & Atticæ magnorum virorum, ſed potius turbas dabunt: nam hic annus Olympicus, ex illorum ſententia, cœpit die decimo ſeptimo Julii, biduo poſtquam Hecatombæon Metonicus cœperat: Olympicus Agon celebratus eſt pridie Kalendas Auguſti: quo die cœpit Hecatombæon Periodi Atticæ illorum: caditque dies Hecatombæonis illius ſextus in quintum diem Auguſti.

CAP. V.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

OBJICIT Vir Illuſtris, quod maxime adverſaretur noſtræ Periodo: Hacatombæonem Metonicum incidiſſe aliquando in Scirrhophorionem Tetraeteridis, quod verum eſſe non poteſt in noſtra Periodo, imo potius Hecatombæon noſtræ Periodi incidit in Scirrhophorionem Metonicum: Sententiam tuetur vir magnus auctore Demoſthene Oratione πρὸς Τιμόθεον, καὶ ὅτι οἱ χρόνοι ἦσαν περὶ Θαργηλιῶνα μῆνα ἐπ' Ἀστείου Ἄρχοντος. τῷ δ' ὑστέρῳ ἔτει ἀφικομένου Φιλώνδου. Si Thargelion Tetraeteridis erat ultimus menſis anni Prytaneias, ergo ὕστερον illud ἔτος incipiebat a Scirrophorione, in quem incurrebat Hecatombæon Metonicus. Et revera Scirrhophorion Metonicus incidebat in XIII. Thargelionis Tetraeteridis, Hecatombæon autem Metonicus in XII. Scirrhophorionis Tetraeteridis. Idem Orator ἐν τῷ κατὰ Μειδίου, τὴν τελευταίαν τοῦ Θαργηλιῶνος ait fuiſſe in negotio Διαιτητῶν ultimam anni, ſcilicet Prytaneias: φυλάξας τὴν τελευταίαν ἡμέραν τῶν Διαιτητῶν, τὴν τοῦ Θαργηλιῶνος ἢ τοῦ Σκιρροφοριῶνος γινομένην. Quem locum non aſſequitur Interpres: Nam Orator diſerte indicat, Metonicum menſem Prytaneias, nunc in Scirrhophorionem popularem, nunc in Thargelionem incidere, ac conſequenter Hecatombæonem Metonicum nunc in Scirrhophorionem Tetraeteridis, nunc in Hecatombæonem ipſum.

Sed vir magnus δουλεύων τῇ ὑποθέσει loca, quæ laudat e Demoſthene, penetrare noluit: Nam quod ad locum attinet ex Oratione πρὸς Τιμόθεον, non dixit Demoſthenes Thargelionem fuiſſe ultimum menſem, ſed Timotheum ad Regem profectum fuiſſe menſe Thargelione, ἐπ' Ἀστείου Ἄρχοντος, Philondam vero veniſſe anno ſequenti. Quod vero locum e *Midiana* ſpectat, videtur majoris eſſe difficultatis, cum tamen facillime poſſit expediri. Arbitri effecto anno, non abſoluto, rationes reddebant. Ulpianus *in Midianam*: ἐξιόντος δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ οἱ Διαιτηταὶ τὰς εὐθύνας ἐδίδοσαν, menſe nempe undecimo. Ulpianus *ibidem*: οἱ Διαιτηταὶ ἐν τῷ Σκιρροφοριῶνι τὰς εὐθύνας ἐδίδοσαν, ὃς ἦν ἑνδέκατος μὴν παρ' Ἀθηναίοις. Sed error eſt calami, ἐν τῷ Σκιρροφοριῶνι, omnino enim legendum eſt, ἐν τῷ Θαργηλιῶνι. Thargelione igitur menſe, qui undecimus menſis erat Lunaris & Prytaneias, (neque enim hic alii menſes intelligendi ſunt) rationes reddebant Arbitri, & quæ poſtrema erat in negotio τῶν Διαιτητῶν, ultima quoque erat menſis Thargelionis: nam rationes ſuas referebant ἐν ἡμέραις τριάκοντα, ὅταν τὰς ἀρχὰς ἀποθῶνται. Dixit autem Demoſthenes, φυλάξας τὴν τελευταίαν ἡμέραν τῶν Διαιτητῶν, τὴν τοῦ Θαργηλιῶνος ἢ τοῦ Σκιρροφοριῶνος γινομένην, eandem diem eſſe Thargelionis aut Scirrophorionis. Erat nempe ἡ τριακὰς Thargelionis, quæ cum ſit ἕνη καὶ νέα, etiam ad ſequentis menſis νουμηνίαν pertinet. Optime Ulpianus, ſi ἀντὶ τοῦ, τὴν τοῦ Σκιρροφοριῶνος, τὴν τοῦ Θαργηλιῶνος ſubſtituas: Μειδίας οὖν κακούργως ἐφύλαξε τὴν τελευταίαν ἡμέραν, τὴν τοῦ Θαργηλιῶνος, ἣν τινες ἕνην καὶ νέαν, τινὲς δὲ νουμηνίαν νομίζουσι. καὶ διὰ τοῦτο ἔνιοι τῶν Διαιτητῶν οὐκ ἀπήντων ἐπὶ τὰς εὐθύνας, νομίζοντες ἐκβεβηκέναι τὸν μῆνα. Ex his vides, quare dixerit Orator illum diem fuiſſe aut Thargelionis, aut Scirrhophorionis, quia nempe ἡ τριακὰς ſive ἕνη καὶ νέα etiam ad ſequentis menſis νουμηνίαν pertinere putabitur, itaque Θαργηλιῶνος ἕνη καὶ νέα τοῦ Σκιρροφοριῶνος γίγνεσθαι cenſebatur. Erant ergo hi duo menſes continui. Scirrhophorion Thargelionem excipiebat, & ad eundem anni modum, Lunarem ſcilicet, uterque pertinebat, non autem unus anni Tetraeteridis, alter anni Lunaris & Prytaneias erat.

Expendendus quoque eſt locus eximius apud Diogenem Laertium in *Zenonis Cittiei Vita*: Refert pſephiſma Athenienſium de Zenone: Ἐπ' Ἀρρενίδου Ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος, πέμπτης πρυτανείας, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ὑστέρᾳ, τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυ-

πανείας ἐκκλησία κυρία τῶν Προέδρων ἐψήφισεν, &c. Non injuria posset aliquis suspicari, Mæmacterionem, cujus hic mentio, esse Tetraeteridis, & anteverti a Mæmacterione Lunari sivePrytaneias pæne mense uno: ita ut Mæmacterion Tetraeteridis cadat in Posideonem Lunarem, quod rationes nostræ Periodi funditus everteret. Sed dicendum est Mæmacterionem hunc esse Lunarem: nam hujus Mæmacterionis die vicesima, (id est, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ὑστέρᾳ) habetur κυρία ἐκκλησία, quæ cogebatur non die vicesima mensis Tetraeteridis, sed tantum die vicesima mensis Lunaris. Dices vertere quintum orbem Prytaneias: & diem vicesimum Mæmacterionis, esse diem centesimum sexagesimum tertium anni Lunaris: at vero dies Mæmacterionis Lunaris vicesimus, est centesimus tricesimus septimus anni Lunaris: Ego vero isthuc ibam; asseroque non vertisse quintum orbem Prytaneias, (Prytaneiæ singulæ habent dies triginta quinque) sed quartum: diemque vicesimum Mæmacterionis fuisse diem tricesimum secundum quarti Prytaneias orbis vertentis, cum Acamantis, quæ quinta ordine imperabat hoc anno, regnum hujus diei obtineret; jamque undecies Tribus omnes, quæ tunc temporis duodecim erant, imperassent, & duodecimam jam vicem instaurarent. Quare rescribo: ἐπ' Ἀρρενίδου Ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος, τετάρτης πρυτανείας, (nisi quis malit πέμπτης πρυτανείας referre ad Acamantidem, quæ quinta ordine erat πρυτανεύουσα) Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ὑστέρᾳ, δευτέρᾳ καὶ τριακοστῇ τῆς πρυτανείας.

CAP. VI.

DE ANNO SOLARI GRÆCORUM.

NULLUM alium ab Atheniensibus observatum fuisse annum Solarem, præter Julianum, postquam Augusti Edicto imperatus est, suspicantur summi viri, nullo argumento, imo potius, audebo dicere, præter rei veritatem, ut in sequentibus, Deo dante, palam faciemus: nunc enim excutienda sunt, ὡς ἐν προθεωρίας μέρει, quæ ab Illustri Heroe dicuntur, Diatriba, *De Anno Juliano Atheniensium*. Interpres, inquit, Demosthenis Ulpianus non constat sibi, cum menses Atticos apud Demosthenem cum Romanis comparat: nam in ea περὶ στεφάνου ubi Orator dicit, μηνὸς Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος, Ulpianus exponit, Σεπτεμβρίου εἰκοστῇ τετάρτῃ, quasi Hecatombæon sit Januarius: Item μέχρι τοῦ Θαργηλιῶνος μηνὸς, ille Ἀπριλίου. Ergo non jam Hecatombæon, sed Anthesterion erit Ianuarius. Denique Μουνυχιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, ipse interpretatur, Ἰανουαρίου τριακοστῇ. En tres Januarios Ulpiani Sophistæ, Hecatombæonem, Anthesterionem, Munychionem. Ac male quidem ista Ulpianus ad Demosthenis ætatem, si excipias quod Thargelionem comparat cum Aprili, quod omnino verum est e modo anni Græcorum non Lunaris: nam quia Neomeniam mensis Hecatombæonis in Junium Julianum incidisse, ut plurimum, constat ex iis quæ in superioribus disputavimus: Noemenia enim Hecatombæonis nunquam remotior fuit die octavo Julii; vere Thargelion cum Aprili potest comparari: sed quod Elaphebolionem cum Septembri, Munychionem cum Januario comparat, fallitur, si ad Demosthenis ætatem referat: posteriora enim longe sunt, atque aliunde petenda: Nos ita censemus. Undecumque Athenienses anni caput dedu xerint, semper Hecatombæonem principem mensium constituerunt, & mensium ordinem ita inverterunt, quod etiam ex iis, quæ infra, σὺν Θεῷ δ' εἰπεῖν, sumus dicturi, clarius & illustrius demon-

A strabitur. Cum igitur admiserunt annum Julianum, cujus primus mensis est Januarius, e sede sua Hecatombæonem deturbarunt, & in Januario principem mensem statuerunt: atque ita, quod scribit Ulpianus, est factum, ut Elaphebolion comparetur cum Septembri. Rursum cum mensis Aprilis constitutus est a Christianis princeps mensium anni propter solenne Paschalis, Hecatombæon quoque ab Atheniensibus Christianis collocatus est in Aprilis sede: unde Munychion cum Januario comparatur.

His expositis, accedamus ad hoc argumentum de Solari anno Atheniensium. Liquido constat e B Plinii verbis *lib.* XXXIV. *cap.* XVI. Athenienses post Demetrii Phalerei tempora usurpasse anni Solaris modum: *Nullique arbitror*, inquit, *plures statuas dicatas, quam Demetrio Phalereo Athenis. Siquidem trecentas sexaginta statuere, quas mox laceraverunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente*. Vides Demetrii Phalerei ætate annum fuisse tantum dierum trecentum sexaginta: at vero post hæc tempora numerum hunc dierum excessit, factusque est Solaris, id est, dierum trecentorum sexaginta quinque: cum enim *nondum excessisse* dicat Plinius *numerum dierum trecentum* C *sexaginta*, Demetrio Phalereo Athenis rerum potiente, subindicat postea excessisse, & factum esse Solarem, sive dierum trecentorum sexaginta quinque: sed modum hujus anni excutiamus.

Nullus dubito, nihil ab Atheniensibus immutatum fuisse in mensium contextu, quos habuerunt τριακονθημέρους, ut prius, cum annus esset tantum dierum trecentum sexaginta: sed tamen ut annus fieret Solaris, extra ordinem mensium, explendis anni spatiis dies quinque, quæ Ἐπαγόμεναι dicuntur, appendebantur mensi ultimo Scirrhophorioni; atque ita annus fiebat dierum trecentorum sexaginta quinque; fuitque hic justus & legitimus D anni modus.

Caput vero anni a Solstitio ad Æquinoctium Autumnale traductum est, id est, a die octavo Julii ad diem septimum Octobris, quo Æquinoctium committi putarunt: idque acceperunt Athenienses ab Alexandri Magni successoribus, in quorum potestatem venerunt: estque traducta Hecatombæonis sedes a Solstitio ad Æquinoctium Autumnale: cæteri menses eum excipiunt eadem serie atque ordine.

Quanquam autem annus explicaretur diebus trecentis sexaginta quinque, ignorare tamen non poterant illi anno ad perfectionem, & ut paria cum E rationibus Solis faceret, quadrantem diurni temporis deesse, quo neglecto in centum viginti annis per mensem integrum recedit caput anni ab Epocha Solari. Huic rei ut medicina fieret, Athenienses annos centesimo vicesimo interkalarem mensem dierum triginta inseruerunt, fuitque annus centesimus & vicesimus dierum trecentorum nonaginta quinque: atque ita anni caput rediit in gratiam & in orbem cum Epocha Solari. Fuit igitur Periodus annorum centum & viginti, cujus hoc est Diagramma.

F

PERIODUS ANNORUM CXX.

ANNI PERIODI.	NEOMENIA HECATOMBAENIS.	DIES ANNI.
I.	7. Octobris.	365
II.	7. Octobris.	365
III.	7. Octobris.	365
IV.	7. Octobris.	365

ANNI PERIODI.	NEOMENIA HECATOMBAEONIS.	DIES ANNI.	
			A
V.	6. Octobris.	365	
VI.	6. Octobris.	365	
VII.	6. Octobris.	365	
VIII.	6. Octobris.	365	
IX.	5. Octobris.	365	
X.	5. Octobris.	365	
XI.	5. Octobris.	365	
XII.	5. Octobris.	365	B
XIII.	4. Octobris.	365	
XIV.	4. Octobris.	365	
XV.	4. Octobris.	365	
XVI.	4. Octobris.	365	
XVII.	3. Octobris.	365	
XVIII.	3. Octobris.	365	
XIX.	3. Octobris.	365	
XX.	3. Octobris.	365	
XXI.	2. Octobris.	365	
XXII.	2. Octobris.	365	
XXIII.	2. Octobris.	365	C
XXIV.	2. Octobris.	365	
XXV.	1. Octobris.	365	
XXVI.	1. Octobris.	365	
XXVII.	1. Octobris.	365	
XXVIII.	1. Octobris.	365	
XXIX.	30. Septembris.	365	
XXX.	30. Septembris.	365	
XXXI.	30. Septembris.	365	
XXXII.	30. Septembris.	365	D
XXXIII.	29. Septembris.	365	
XXXIV.	29. Septembris.	365	
XXXV.	29. Septembris.	365	
XXXVI.	29. Septembris.	365	
XXXVII.	28 Septembris.	365	
XXXVIII.	28. Septembris.	365	
XXXIX.	28. Septembris.	365	
XL.	28. Septembris.	365	
XLI.	27. Septembris.	365	
XLII.	27. Septembris.	365	
XLIII.	27. Septembris.	365	E
XLIV.	27. Septembris.	365	
XLV.	26. Septembris.	365	
XLVI.	26. Septembris.	365	
XLVII.	26. Septembris.	365	
XLVIII.	26. Septembris.	365	
XLIX.	25. Septembris.	365	
L.	25. Septembris.	365	
LI.	25. Septembris.	365	
LII.	25. Septembris.	365	
LIII.	24. Septembris.	365	F
LIV.	24. Septembris.	365	
LV.	24. Septembris.	365	
LVI.	24. Septembris.	365	
LVII.	23. Septembris.	365	
LVIII.	23. Septembris.	365	
LIX.	23. Septembris.	365	
LX.	23. Septembris.	365	
LXI.	22. Septembris.	365	
LXII.	22. Septembris.	365	
LXIII.	22. Septembris.	365	
LXIV.	22. Septembris.	365	
LXV.	21. Septembris.	365	
LXVI.	21. Septembris.	365	
LXVII.	21. Septembris.	365	
LXVIII.	21. Septembris.	365	
LXIX.	20. Septembris.	365	
LXX.	20. Septembris.	365	
LXXI.	20. Septembris.	365	
LXXII.	20. Septembris.	365	
LXXIII.	19. Septembris.	365	
LXXIV.	19. Septembris.	365	
LXXV.	19. Septembris.	365	
LXXVI.	19. Septembris.	365	
LXXVII.	18. Septembris.	365	
LXXVIII.	18. Septembris.	365	
LXXIX.	18. Septembris.	365	
LXXX.	18. Septembris.	365	
LXXXI.	17. Septembris.	365	
LXXXII.	17. Septembris.	365	
LXXXIII.	17. Septembris.	365	
LXXXIV.	17. Septembris.	365	
LXXXV.	16. Septembris.	365	
LXXXVI.	16. Septembris.	365	
LXXXVII.	16. Septembris.	365	
LXXXVIII.	16. Septembris.	365	
LXXXIX.	15. Septembris.	365	
XC.	15. Septembris.	365	
XCI.	15. Septembris.	365	
XCII.	15. Septembris.	365	
XCIII.	14. Septembris.	365	
XCIV.	14. Septembris.	365	
XCV.	14. Septembris.	365	
XCVI.	14. Septembris.	365	
XCVII.	13. Septembris.	365	
XCVIII.	13. Septembris.	365	
XCIX.	13. Septembris.	365	
C.	13. Septembris.	365	
CI	12. Septembris.	365	
CII.	12. Septembris.	365	
CIII.	12. Septembris.	365	
CIV.	12. Septembris.	365	
CV.	11. Septembris.	365	
CVI.	11. Septembris.	365	
CVII.	11. Septembris.	365	
CVIII.	11. Septembris.	365	
CIX.	10. Septembris.	365	
CX.	10. Septembris.	365	
CXI.	10. Septembris.	365	
CXII.	10. Septembris.	365	
CXIII.	9. Septembris.	365	
CXIV.	9. Septembris.	365	
CXV.	9. Septembris.	365	
CXVI.	9. Septembris.	365	

ANNI PERIODI.	NEOMENIA HECATOMBAEONIS.	DIES ANNI.
CXVII.	8. Septembris.	365
CXVIII.	8. Septembris.	365
CXIX.	8. Septembris.	365
CXX.	8. Septembris.	365

Peracta centum atque viginti annorum Periodo, quorum singuli diebus trecentis sexaginta quinque explicantur, excepto centesimo vicesimo, qui est dierum trecentum nonaginta quinque, eodem redit, unde cœperat primus Periodi annus, nempe in septimum Octobris diem; cujus rei nullum quidem Veterum auctorem habemus, sed exemplis e veteri historia petitis deprehendi potest.

CAP. VII.

DE DIE NATALI CHRISTI.

REFERT Epiphanius *Hæresi* Ἀλόγων natum esse Dominum, Augusto XIII. & Silvano Coss. die quinto Januarii, anno ab Orbe condito ter millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, litera Dominicali E. Cyclo Solis octavo, Lunæ decimo nono. Comparat vero quintum Januarii diem cum Mæmacterionis, ut vulgo editur, sexto: (atque ad ista Epiphanii referenda est Suidæ nota: *Μαιμακτηριὼν, ὁ πέμπτος μὴν παρ' Ἀθηναίοις, ὁ Ἰανουάριος*) *Γεννηθέντος γὰρ αὐτοῦ περὶ τὸν Ἰανουάριον μῆνα, τουτέστι, πρὸ ὀκτὼ Εἰδῶν Ἰανουαρίων, ἥτις ἐστὶ κατὰ Ῥωμαίους πέμπτη τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, κατὰ Ἀθηναίους Μαιμακτηριῶν ς'.* Rursum Christus baptizatus est, Silano & Nerva Coss. die quinto Novembris, (ita alibi probamus emendandum esse) anno ab Orbe condito ter millesimo nongentesimo septuagesimo septimo, litera Dominicali DC. Cyclo Solis nono, Lunæ decimo. Comparatur autem quintus Novembris dies cum septimo die Metagitnionis: *Καὶ ἐβαπτίσθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ τοῦ τριακοστοῦ ἔτους τῆς ἐνσάρκου γεννήσεως, τουτέστι, πρὸ ἓξ Νοεμβρίων Εἰδῶν, κατὰ Ἀθηναίους Μεταγειτνιῶνος ἑβδόμῃ.* Quæ hic dicuntur ab Epiphanio de modo anni Atheniensium, obscuriora sunt foliis Sibyllæ, itaque viri undecumque doctissimi tanquam conclamata deponunt, nos de via medici audebimus erigere, & medicinam facere, beneficio hujus nostræ Periodi. Annus Natalis Christi est, ut diximus, ex Epiphanii sententia, ter millesimus nongentesimus quadragesimus octavus ab Orbe condito, litera Dominicali E. Cyclo Solis octavo, Lunæ decimo nono. Dies natalis est quintus Januarii. Age vero, annum Atheniensium in nostra Periodo investigemus; eo nos deducet annus Baptismi, cujus dies, quintus Novembris comparatur cum septimo Metagitnionis. Anno igitur Natali Christi vertebat annus centesimus decimus nonus hujus nostræ Periodi Atticæ, cujus Hecatombæon cœpit die octavo Septembris anni præcedentis: adde menses quatuor tricenum dierum singulos, ultimus quarti mensis, id est, Pyanepsionis dies cadit in diem quintum Januarii anni ter millesimi nongentesimi quadragesimi octavi, feria prima: eodemque die, occaso Sole, cœpit Mæmacterionis Neomenia: quare expungendam censemus apud Epiphanium literam numeralem: *κατὰ Ἀθηναίους Μαιμακτηριῶν*, id est, imminente Mæmacterionis Neomenia.

Quod vero ad annum Baptismi attinet, fuit is, ex Epiphanii sententia, ter millesimus nongentesimus septuagesimus septimus, litera Dominicali DC. Cyclo Solis nono: Dies vero Baptismi est quintus Novembris, qui comparatur cum septimo die Metagitnionis. Vertebat annus vicesimus nonus hujus nostræ Periodi Atticæ, cujus Hecatombæon cœpit a die tricesimo Septembris ejusdem anni ter millesimi nongentesimi septuagesimi septimi; Ergo dies septimus Metagitnionis cadit in diem quintum Novembris, feria sexta.

CAP. VIII.

DE ANNO LUNARI GRÆCORUM.

ANTIQUISSIMIS ante Cleostratum Tenedium temporibus longe diversus fuisse videtur anni Lunaris modus: nam singulis quoque bienniis mensem intercalabant, ut constat e Censorino: *Veteres in Græcia civitates cum animadverterent, dum Sol annuo cursu orbem suum circuit, Lunam interdum tredecies exoriri, idque sæpe alternis fieri, arbitrati sunt Lunares duodecim menses & dimidiatum ad annum naturalem convenire: itaque annos civiles sic statuerunt, ut interkalando facerent alternos duodecim mensium, alternos tredecim: utrumque annum separatim vertentem, junctos ambos annum magnum vocantes: postea cognito errore hoc tempus duplicarunt, & Tetraeterida fecerunt.* Eximius est hic locus, e quo discimus anni Lunaris formam apud Græcos: Erat enim modus illius dierum trecentum quadraginta septem, qui in menses distribuebantur duodecim, quorum undecim erant dierum viginti novem, unus dierum viginti octo, quot dierum fecit suum Februarium Numa, Græcorum, ut puto, observatione instructus. Singulis vero bienniis mensis interkalabatur, alternis viginti novem, alternis viginti octo dierum. Sed hic magnus annus superabat rationes Lunæ diebus quindecim; itaque Tetraeterida fecerunt: Horum quæ diximus demonstratio patet: Nam magnus hic annus Lunaris, qui duos complectitur vertentes, singulos trecentum quadraginta septem dierum, & præterea mensem embolimum dierum viginti novem, dat dies septingentos viginti tres: at vero cum Luna spatia sua conficiat intra trecentos quinquaginta quatuor dies, hujusmodi biennium dies dat septingentos octo: Supersunt igitur dies quindecim, qui in sequenti biennio erogantur: Nam adde diebus septingentis viginti tribus, modum duorum annorum, dies scilicet sexcentos nonaginta quatuor, & præterea mensem interkalarem dierum viginti octo, fient dies mille quadringenti quadraginta quinque. Totidem dies dabunt quatuor anni Lunares, singuli trecentum quinquaginta quatuor dierum, cum embolimo mense dierum viginti novem. De hoc anno intelligendus est Geminus his verbis: *Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον, τοὺς δ' ἐμβολίμους παρ' ἐνιαυτόν.* Intelligit proculdubio hunc anni Lunaris modum, cui *παρ' ἐνιαυτὸν* alternis mensis interkalabatur: sed quod sequitur, *τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον*, commode est intelligendum; Nam menses numerabant perinde ac si essent triginta dierum, cum tamen esset tantum viginti novem dierum: unus etiam uno minor, nempe viginti octo, omnibus tamen imputabatur ἡ τριακὰς, beneficio τῆς ἐξαιρέσεως καὶ τῆς διεξαιρέσεως. Atque hoc imposuit proculdubio Herodoto, qui annum non Lunarem confundit cum hoc Lunari, *Musa* II. *Ἄγουσι δὲ τοσῷδε σοφώτερον Ἑλλήνων, ὅσῳ Ἕλληνες μὲν διὰ τρίτου ἔτεος ἐμβόλιμον ἐπεμβάλλουσι, τῶν ὡρέων εἵνεκεν.* Optime dixit, *τῶν ὡρέων εἵνεκεν.* Nam intra Octaeterida non differebant a ratiociniis Solis, nisi tribus diebus; sed fallitur cum *Musa* I. ex eo quod menses, qui erant, *ἦγον τριακονθημέρους*, putavit quoque esse tricenum dierum, & numera-

A vit dies anni non Lunaris, cum debuisset numerare dies anni Lunaris, cujus modus erat dierum trecentum quadraginta septem, & alternis annis accedebat mensis embolimus: itaque in annis septuaginta menses embolimi erant triginta quinque: *Εἰ δὲ δὴ ἐθελήσει τὤτερον τῶν ἐτέων μακρότερον γίνεσθαι, ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον, μῆνες μὲν παρὰ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα οἱ ἐμβόλιμοι γίνονται τριάκοντα πέντε.* Imo etiam plures: nam in singulis Octaeteridibus quinque menses interkalabantur, *ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον.*

Periodus anni non Lunaris erat annorum quadraginta, B atque ita conciliabantur rationes Solis, sive annus Julianus cum modo annorum Atticorum. At vero totidem hujusmodi anni Lunares, additis embolimis sex mensibus viginti novem dierum singulis, propter embolimæos annos non Lunares, dant dies decies & quater mille sexcentos & viginti quatuor. Itaque superant rationes Periodi annorum non Lunarium diebus quatuordecim. Ut vero paria tandem faciant, conjungenda est & altera annorum quadraginta Periodus, & anni totidem Lunares, additis tantum embolimis quinque mensibus dierum item viginti novem singulis, propter embolimæos annos non Lunares: C Nam dant dies decies & quater mille quingentos nonaginta quinque: atque ita octoginta anni Lunares hujusmodi dant dies vicesies & novies mille ducentos & novendecim, uno minus die, quam duæ annorum non Lunarium Periodi, quæ dant vicesies & novies mille ducentos & viginti dies, fitque conciliatio, ut & in Enneadecaeteride Paschali *καθ᾽ ὑποτομήν*. Est igitur Periodus annorum Lunarium octoginta, cujus primus annus incipit cum primo anno Periodi annorum non Lunarium, hoc est, octavo Julii die. Exemplo sententia nostra confirmanda est. Refert Plutarchus in *Camillo*, D pugnatum fuisse ad Marathonem die Boedromionis sexto: *τοῦτο δ᾽ αὖ πάλιν, Πέρσαι μηνὸς Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ μὲν ἐν Μαραθῶνι ἡττήθησαν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων.* idque circa plenilunium, ut ex Herodoto constat *Musa* VI. *Λακεδαιμονίων δὲ ἧκον ἐς τὰς Ἀθήνας δισχίλιοι μετὰ τὴν πανσέληνον, καὶ τριταῖοι ἐκ Σπάρτης ἐγένοντο ἐν τῇ Ἀττικῇ, ὕστεροι δὲ ἀπικόμενοι τῆς συμβολῆς*, &c. Annus erat secundus Olympiadis septuagesimæ secundæ, id est, annus Iphiti ducentesimus octagesimus sextus, & annus ab Orbe condito ter millesimus quadringentesimus quinquagesimus nonus, litera Dominicali G. Cyclo Solis vicesimo tertio, Lunæ quinto: Erat annus sextus octavæ Periodi annorum non Lunarium E vertentis, ac proinde annus quadragesimus primus Periodi annorum Lunarium cœpit diebus quatuordecim solidis post Solstitii sedem, diem Julii octavum: itaque cœpit vicesimo secundo Julii die: quadragesimus sextus, de quo nunc agitur, cœpit die decimo octavo Junii: unde sequitur Boedromionis diem sextum cadere in diem vicesimum Augusti, quo die commissum est plenilunio, hoc anno: Nam Novilunium fuit die sexto Augusti.

F

3459 3420	DIES.	FERIAE.	HORAE.	I.	II.	Θ.	D.
39.	82.	1.	0.	34.	37.	19.	5.
3420.	10.	5.	23.	4.	42.	24.	
	71.	2.	1.	29.	55.	23.	
	147.	7.	15.	40.	16.		
	218.	2.	17.	10.	11.		

Ergo plenilunium die vicesimo Augusti commissum est, eoque ipso die, qui sextus erat sive politius *πολιτικῶς* septimus, Boedromionis anni Lunaris antiquissimi, ad Marathonem pugnatum est.

CAP. IX.

DE OCTAETERIDE CLEOSTRATI.

CLEOSTRATUM Tenedium primum Octaeterida composuisse auctor est Censorinus, ad anni Lunaris modum, quem sibi aliisque persualit esse dierum trecentorum quinquaginta quatuor: atque intra hanc Octaeteridem pariare utriusque sideris rationes, & *τῶν φαινομένων ἀποκατάστασιν* fieri putavit.

Octaeteridem hanc, cujus menses omnes alternis sunt cavi & pleni, Posideon etiam *δεύτερος* plenus, scriptam fuisse a Cleostrato, anno secundo Olympiadis sexagesimæ primæ, annis decem post observatam ab Anaximandro obliquitatem Zodiaci, suspicatur Illustrissimus Heros, anno Periodi Atticæ quarto decimo, cujus Hecatombæon cœpit die septimo Augusti, Gamelion quinto Februarii die: at primus hujus Octaeteridis Gamelion Neomeniam habuit octavo Januarii die.

Caput quidem hujus Octaeteridis fuit octavus Januarii dies, sed cœpit Octaeteris Cleostratea anno primo Olympiadis sexagesimæ octavæ, anno ab Orbe condito ter millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, Cyclo Solis septimo, litera Dominicali F. octavo Januarii die, quo commissum est Novilunium.

3442 3420	DIES.	FERIAE.	HORAE.	I.	II.	Θ.	D.
22.	89.	1.	14.	23.	38.	2.	7.
3420.	10.	5.	23.	4.	42.	24.	
	78.	2.	15.	18.	56.	6.	
	295.	1.	7.	20.	31.		
	373.	3.	22.	39.	27.		
	365.						
	8.						

Octavo igitur Januarii die, feria tertia, anno primo Olympiadis sexagesimæ octavæ, cœpit Octaeteris Cleostrati, anno nostræ Periodi vicesimo nono, Gamelionis illius die secundo: atque ita optime Gamelioni hujus Octaeteridis Cleostrateæ convenit cum Gamelione nostræ Periodi: nam licet Gamelion Cleostrati cœperit die secundo Gamelionis nostræ Periodi, tamen sequens dies idem numeratur: nam nonus Januarii dies est *τρίτη Γαμηλιῶνος ἱσταμένου* nostræ Periodi: idem quoque est *τρίτη Γαμηλιῶνος ἱσταμένου* Cleostrati: erat enim Gamelion Cleostrati cavus; itaque propter exæresim pro *δευτέρα ἱσταμένου*, numerabatur *τρίτη ἱσταμένου.*

OCTAETERIS CLEOSTRATI.

ANNI PERIODI.		DIES A QUO INCIPIUNT.	LITERA DOMINICALIS.
ἐμβολ.	I.	8. Januarii.	F.
	II.	27. Januarii.	E.
ἐμβολ.	III.	16. Januarii.	DC.
	IV.	3. Februarii.	B.
	V.	23. Januarii.	A.
ἐμβολ.	VI.	12. Januarii.	G.
	VII.	31. Januarii.	FE.
	VIII.	19. Januarii.	D.

A

Sed non statim admissa est hæc Octaeteris, ut constat nobili exemplo pugnæ Marathoniæ, de quo in superioribus: Gamelionem Cleostrati diximus esse cavum: Nam omnis Lunaris anni primus mensis, item tertius, & ita deinceps, alternis erant cavi: habes exemplum in anno Lampsacenorum apud Aristotelem, *OEconomicῶn* lib. II. cujus verba adscribemus, ut a nobis illustrentur: *Τόν τε πρὸ τοῦ χρόνου διδοὺς τοῖς στρατιώταις τῇ δευτέρᾳ τῆς νουμηνίας τὰς σιταρχίας, τῷ μὲν πρώτῳ μηνὶ παρέβη τρεῖς ἡμέρας, τῷ δ' ἐχομένῳ πέντε. τοῦτον δὲ τρόπον προῆγεν, ἕως εἰς τὴν τριακάδα ἦλθε.* Hunc locum attigit vir summus, sed Aristotelis mentem

B

non videtur assecutus: non enim unum tantum integrum mensem esset lucratus Mnemo, sed etiam præterea, ut numerat Illustrissimus Heros, menses quinque, & dies octodecim. Quod est contra Aristotelis mentem, qui hoc tantum scribit, Mnemonem, ut numerabat, venisse *εἰς τὴν τριακάδα*, hoc est, dies tantum triginta exemisse, atque lucratum fuisse. Sensus igitur verborum Aristotelis hic est. Solebat olim, inquit, tyrannus postridie Kalendarum cujusque mensis militibus suis menstruam metiri annonam: quia autem postridie Kalendarum, id est, *τῇ δευτέρᾳ τῆς νουμηνίας*, stipendium numerabat, ratione dierum, qui

C

intercedebant *ἀπὸ τῆς δευτέρας τῆς νουμηνίας εἰς τὴν τριακάδα*, hinc fiebat, ut aliquot, singulis mensibus, dies lucraretur, nempe mense cavo, cujusmodi erat apud Lampsacenos mensis primus, ut hinc liquet, dies tres, nam *ἡ δευτέρα τῆς νουμηνίας* mense cavo, propter exæresim, *τρίτη ἱσταμένου* appellabatur, mense vero pleno, dies duos: atque ita triginta dies, hoc est, unum integrum mensem lucrabatur intra duodecim menses alternis cavos & plenos; nempe primo mense, qui cavus erat, tres dies lucrabatur: secundo mense, qui plenus erat, duos dies, qui tribus diebus præcedentis mensis additi faciunt quinque, atque ita

D

deinceps hoc modo dies, quorum ratione stipendium militibus & annonam metiebatur, mensium numerabat; XXVII. XXVIII. XXVII. XXVIII. XXVII. XXVIII. XXVII. XXVIII. XXVII. XXVIII. XXVII. XXVIII. Sic mensem integrum lucrabatur. Sed e diverticulo in viam. Boedromion est perpetuo *ἐξαιρεσιμαῖος*, inquit Plutarchus, quod non tantum intelligendum est in anno non Lunari, sed etiam in Lunari. Thargelionem cavum esse probat, quod ex Ephoro apud Plutarchum & Dionysium Halicarnasseum adfertur de Ilii excidio: itemque quod de die natali Apollinis in Veterum Commentariis legimus. Nam Apollinem natum perhibent *τῇ ἕκτῃ τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου*, & tamen appellatur

E

ἑβδομαγενής, & Thargelia celebrabantur Athenis *τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου*, nempe vere erat dies sextus Thargelionis, sed *πολιτικῶς* dicebatur *ἑβδόμη τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου*, propter *τὴν τῆς δευτέρας ἱσταμένου ἐξαίρεσιν*.

CAP. X.

DE OCTAETERIDE HARPALI.

OCTAETERIS Cleostratea ab Harpalo vitium facere est deprehensa: Quare Harpalus illam

F

interpolavit; fecitque Octaeteridem dierum bis mille nongentorum viginti quinque: tresque anni in hac Octaeteride dies habent singuli trecentos quinquaginta quinque. Nam secundus, quartus, & quintus annus menses habent singuli cavos quinque tantum. Ut igitur ex Octaeteride Cleostrati possimus assequi & deprehendere diem in Octaeteride Harpali, per triduum sunt promovendæ Neomeniæ Octaeteridis Cleostrati.

Exemplis rem illustrabimus. Cleo extra ordinem Strategus suffectus est mense Boedromione in locum Niciæ ultro se abdicantis præfectura, ut constat e Plutarcho in *Nicia*: eaque ipsa die contigit Lunæ Eclipsis. Aristophanes:

Εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα
Ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγὸν, τὰς ὀφρῦς συνήγομεν,
Κἀποιοῦμεν δεινά. βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς,
Ἡ Σελήνη δ' ἐξέλιπε τὰς ὁδούς.

Scholia: *ἐπειδὴ ἔκλειψις ἐγένετο Σελήνης τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Στρατοκλέους Βοηδρομιῶνι.* Illa ipsa die Boedromionis, qua extra ordinem electus est Cleo, Lunam esse passam Eclipsim, testis est Comicus, qui de electo Cleone ista habet:

—— οὗτος τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ
Ἐπρίατο δοῦλον, βυρσοδέψην Παφλαγόνα.

Acciderunt ista Stratocle Athenis Prætore, anno quarto Olympiadis octagesimæ octavæ, cum verteret annus ab Orbe condito ter millesimus quingentesimus vicesimus quintus, litera Dominicali BA. Cyclo Solis quinto, Lunæ quarto decimo: Luna defecit die nono Octobris. Annus erat Iphiti ter centesimus quinquagesimus secundus: si demas ex hoc numero annos ducentos sexaginta octo, habes annum tertium vertentem undecimæ Octaeteridis Cleostrati, cujus Gamelion cœpit die sexto decimo Januarii, Boedromion nono Septembris. Sed promovenda est Neomenia per triduum ex Harpali emendatione. Ergo Boedromion cœpit die duodecimo Septembris. Quare *τριακὰς* Boedromionis, erat autem cavus mensis, cadit in diem decimum Octobris, Luna vero defecit vesperi diei præcedentis, noni Octobris, cum jam cœpisset *ἡ τριακὰς* Boedromionis, ut quidem Athenienses suos numerant dies, *τριακὰς* vero, sive *ἕνη καὶ νέα*, etiam pars *νουμηνίας* mensis sequentis censetur; itaque optime dixit Aristophanes, *Equitibus*:

—— οὗτος τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ
Ἐπρίατο δοῦλον, βυρσοδέψην Παφλαγόνα.

Sequitur aliud exemplum. Cœpit primus Hecatombæon Metonicus anno quarto Olympiadis octagesimæ sextæ desinente, Prætore Athenis Apseude. Dies erat tertius decimus Scirrhophorionis, in quem incidit Neomenia primi Hecatombæonis Metonici. Diodorus Siculus *lib.* XII. *Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις Μέτων ὁ Παυσανίου μὲν υἱὸς, δεδοξασμένος δ' ἐν Ἀστρολογίᾳ ἐξέθηκε τὴν ὀνομαζομένην Ἐννεαδεκαετηρίδα, τὴν ἀρχὴν ποιησάμενος ἀπὸ μηνὸς ἐν Ἀθήναις Σκιρροφοριῶνος τρισκαιδεκάτης.* Annus erat Iphiti ter centesimus quadragesimus quartus desinens: ac proinde erat annus quartus decimæ Octaeteridis Cleostrati: annus ab Orbe condito ter millesimus quingentesimus decimus octavus, Cyclo Lunæ septimo, Solis vicesimo sexto, litera Dominicali C. Cœpit Gamelion anni quarti Octaeteridis Cleostrati die Februarii tertio, feria quarta: Scirrhophorion cœpit tricesimo Junii die, feria quarta: Sed promovenda est per triduum Neomenia Scirrhophorionis ex Harpali emendatione. Cœpit ergo Scirrhophorion die tertio Julii, feria septima, & tertius decimus Scirrhophorionis dies cadit in quintum decimum Julii diem, feria quinta: Novilunium autem hoc anno commissum est hac ipsa die.

	DIES.	FERIAE.	HORAE.	I.	II.	Θ.	☽.
3518							
3496							
22	89.	1.	14.	23.	38.	2.	7.
3496	11.	2.	4.	55.	28.	4.	
	78.	6.	9.	28.	10.	26.	
	118.	6.	2.	56.	13.		
	199.	5.	12.	24.	23.		

A Quare vere dixit Diodorus Metonem ſtatuiſſe primum ſuum Hecatombæonem die tertio decimo Scirrhophorionis : nam in hunc tertium decimum diem Scirrhophorionis Octaeteridis Harpaleæ cadit Novilunium, a quo Meto primum Hecatombæonem ſuæ Enneadecaeteridis auſpicatus eſt.

F I N I S.



STEPHANI PIGHII,

CAMPENSIS,

THEMIS DEA,

SEU

DE LEGE DIVINA

UBI

PRÆTER ALIA RECONDITÆ ANTIQUITATIS, MULTA

DE HORIS.

AD AMPLISS. ANTONIUM PERRENOTUM, CARDINALEM GRANUELLANUM.

STEPHANI PIGHII,

CAMPENSIS,

THEMIS DEA,

SEU

DE LEGE DIVINA.



VIDERER profecto, Illustrissime Domine, morem a me tantopere laudatum, cum de strenarum usu, origine & antiquitate scriberem, tacite nunc improbare, nisi & his anni novi Kalendis absentem patronum strenula nova prosequi, votis solennibus omnia prospera ac læta precari pergerem. Cujus rei causa cum his diebus schedas meas perlustrarem, & votis optarem a Deo, ut felicibus auspiciis annueret, measque invocarem Musas, ut offerrent boni ominis aliquod argumentum tuis rationibus quam maxime congruum, quod digne mitti a me posset, & a te feliciter accipi; repente oblatum est manibus meis Pantheum, quod olim variis veterum deorum dæmonumve simulachris atque elogiis instruere adornareque institueram. Cum itaque ejus templi sacraria, cellulas, adytaque studiose perlustrarem, & anxius inquirerem, quisnam ex illo cælestium cœtu nostris votis favens meo nomine tibi salutem prosperasque novi anni Kalendas perferre vellet; veneranda Themis spem pudibundo risu faciens mox se facilem præbet, & ad amicum notumque hospitium ituram pollicetur. Gratias itaque sancto Numini immensas egi; utque placidum, benignum, ac felix te adire vellet, supplicavi; nec sine causa: multiformis enim dea est, variasque induere personas novit. Veniet igitur, verum non incitata, armisve instructa, tanquam pravos impiosve castigare velit, cum vehemens, tristis ac severa est; sed, ut Orphei verbis dicam, ἀγλαόμορφος ϗ σεβάσμιος; quo vultu deorum concilium cogere solet, & rectæ rationis terminum præscribere, honesta, splendida, ac venerabili majestate decora. Hanc, patrone, tribus comitatam filiabus pedisequis tua solita humanitate benignius excipe; non enim ignotam mitto vel peregrinam, sed multo ante tibi familiarem, amicam ac domesticam, atque in sanctiore pectoris tui larario religiosissime semper, nec immerito cultam. Potens enim & magna est dea, nec nisi fausto felicique bonos visitat omine, in omnibus rebus salutifera atque officiosa, in dubiis viam monstrans tutam ac rectam, in prosperis consilia temperans, nec nisi moderata suggerens, repellit impetus superbos; in adversis fiduciam præbens, spem firmat, & victoriam

Introductio ad argumentum per prosopopœiam.

Themis αἰδοίη dicta Hesiodo.

Themidis virtutes.

A pollicetur certam, quamvis aliquando tardam ac difficilem, eo tamen magis securam ac gloriosam. Quis igitur non lætus hanc advenam excipiat? non curiose observet veræ solidæque felicitatis largitricem deam? quæ animam naturamque humanam perficit, virtutem ipsam docet, hoc est, ut Lucilii poetæ verbis dicam:

Jamblichus et Metopus Pythagoricus Metapontius.

— *Scire id quod quæque habeat res.*
— *Scire homini rectum, utile, quid sit honestum.*
B *Quæ bona, quæ mala, quid sit inutile, turpe, inhonestum.*
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum.
Contra defensorem hominum morumque bonorum.

Jam vero si Atheniensis ille populus Victoriam dubiam, levem, & inconstantem deam (quam idcirco Homerus ἑτεραλκέα, ϗ ἀμφήριστον νίκην appellat) alis solicite spoliarunt, & implumem colere, Pausania teste, voluerunt; ne scilicet ab ipsis avolaret, C quam nihilominus sæpenumero perdiderunt: Si Spartani Martem barbarum, homicidam, perniciosum, & sanguinarium dæmona catenis vinctum sibi retinere voluerunt, ut belli principem Deum præsentem semper haberent, qui imperium, urbem, Spartanumque nomen omne pessum tandem dedit: quanto magis tibi gratulandum, patrone amplissime, cujus rebus hoc salutare imprimis numen adesse cupiens, ac tanquam permansurum Termini personam, ne Jovi quidem cedentis, accipiens divino D atque invisibili gressu ϗ ἀχείρωτον ultro occurrit? Qua forma Romæ primum Themidis simulachrum vidi in Pario marmore exculptum apud Illustrissimum virum Cardinalem Rodolfum Pium Carpensem, quod postea delineatum accurate ad Antonium tuum Morillonum in Belgicam misi. In cujus quidem hominis, nobiscum & studiis iisdem & amicitiæ vetustate quondam conjunctissimi, ob eximias ipsius dotes mentionem lubenter incido: magna namque in eo vis ingenii erat, qua picturam sculpturamque difficiles alioquin artes puer sua sponte atque E αὐτοδίδακτος ad excellentiam usque perceperat. Magnum adolescenti optimarum disciplinarum studium, tum divina quædam rerum & verborum memoria, quam ipsemet arte quadam (cum omnia quæ a puero legerat sibi deinde profutura, succin-

Victoria ἄπτερος apud Athenienses.

Mars βροτολοιγὸς & αἱμοχαρὴς dictus Homero et Orpheo.

Themis terminalis.

Antonii Morilloni ingenium ac dotes.

ducte ordinateque in classes seu locos quosdam communes digessisset) ita firmarat, ut de quavis re difficili & obscura copiose & prompte eruditeque commentari ac disserere posset. Orationem vero ejus ornabat summa dicendi facilitas, atque grata quædam oris facundia, qua cum de rebus philosophiæ reconditis ac abstrusis loqueretur, omnes in sui admirationem rapiebat. Denique consuetudinem familiaritatemque illius rara quædam comitas mire dulcem atque suavem faciebat: neque hoc mirum; occurrebat enim mox animus ab omni fastu atque ambitione alienus, enitebatque confestim candor in eo eximius; atque si quam amplexabatur amicitiam, in ea colenda fidum ac sincerum pectus apparebat. Cum hoc autem adolescenti mihi primum litterario in tirocinio Lovanii quædam contracta fuerat amicitia, quam Romæ deinde, cum bona nos quædam fortuna junxisset ante annos ab hinc plus minus octodecim, in tantum adauxit studiorum similitudine ingeniique consensu crebrior illa consuetudo, arctiorque familiaritas, ut rari dies intervenerint biennio fere integro, quo Romæ mansit, quibus litterariæ societatis causa non una essemus. Molestior itaque nobis utrisque fuit discessus ac separatio, cum ille in Germaniam a te revocatus, urbem nosque relinquere cogeretur. At quæ corpora tunc sejunxit fortunæ invidia, animorum illud vinculum solvere tamen non potuit. Nam æque validum semper permansit, immo cum suavissimæ consuetudinis peractæ memoria & desiderio fortius hoc constrinxit frequens litterarum vicissitudo, cum ego de communibus studiis multa sæpe moverem, atque ipse diligenter usque de omnibus responderet. Quamvis igitur gratissima illa familiaritate ejus ac conversatione prima frui mihi deinde nunquam contigerit, (nam illud immortalitate dignum ingenium, illæ animi summæ dotes Antonii nostri præpropero fato extinctæ liberalibus studiis nobisque cum ipso sunt ereptæ, non admodum diu post meum ex Italia in Belgicam reditum, anno ab hinc fere decimo) memoria tamen tanti amici mihi perennis erit, quamdiu virtutem litterasque sum amaturus. Quæ quidem faciunt, ut lubenter admodum veteres ejus de studiis nostris sermones animo repetam, quia hac ratione mihi videor molestias ex ejus desiderio conceptas, usque animo inhærentes, nonnihil allevare. Inpresentiarum igitur de *Themide Dea* facturus verba, ipsum in partem sermonis vocabo, atque alias sæpenumero de rebus difficilibus disserentem oblata occasione inducam, ut amico gratiam, etsi illius ingenio meritisque nequaquam parem, at pro nostra benevolentia sinceram, certe debitam referamus. Sed antequam ipsum loquentem producam in medium, a te, patrone optime, cui dotes Antonii tui probe cognitæ sunt, impetratam veniam cupio, si minus acumini eloquentiæque illius hæc mea responderint, & si qua ἀπροσωποληπτως a me effusa senseris: ab aliis vero quibus ingenium illius minime perspectum fuit, & hæc forsan in manus sument, omnino postulamus, quod M. Cicero L. Crassi oratoris suo sæculo præstantissimi personam scriptis inducturus

Epilogus cum obtestatione.

A petiit, *de Oratore* lib. III. Ut scilicet majus quiddam semper de Antonio Morillono suspicentur opinenturque, quam quantum a nobis hic alibive dicetur vel exprimetur. Verum de his nunc satis multa. Quare ipsius jam verba *de Themide* tua referamus, cum prius dixero, quam bella & tempestiva occasio nos ad disputationem hanc perduxerit.

Transgressio ad argumentum. Occasio dialogi.

Cum ante annos aliquot Romæ Kalendis Januariis Pontificium in Vaticano sacrum, ad quod omnis Cardinalium Episcoporumque cœtus ac fere totius Christiani orbis B Principum Legati convenerant, accessissem: solennes illas (quæ tunc boni ominis causa fieri solent) salutationes attentius considerans, ut quasdam gratas, sinceras, & jucundas, sic plurimas rursum ineptas, fucatas, & frigidas esse vidi. Et quo magis ambitiose soliciteque obirentur, eo molestiores importunioresque accidere, non sine risu animadverti. Apparuit proximus mihi subito a dextris meus Morillonus, quem eo die non videram, atque tum opportune cum clarissimo viro Didaco Hurtado de Mendoza Cæsareo Legato advenerat. C Nec mora, quin salutem felicibus verbis invicem, ut mos est amicorum, precati, e turba discederemus.

Interim quam primum ille, Quid ridebas, inquit, Pighi, cum te accederem?

Molesta, inquam, atque importuna ambitiosorum istorum studia, quæ cum infeliciter pluribus evenire viderem, te conspecto, omnino probare illud Plautinum incœpi:

Nihil homini amico est opportuno amicius

D quemadmodum tu mihi.

Tum ille suo more renidens, Anne te pudet Democrite hic curis hominum illudere?

Eja, inquam, nunc Bithus contra Bacchium: alto tu quidem risisses cachinno si prius adfuisses, qui iisdem, ut ajunt, cæpis lubenter vesci soles. Sciscitantibus deinde nobis, si quid forte novi e Germania haberetur in ædibus Legati Mendozæ, in cujus tunc erat ipse familia atque ædibus E hospitio exceptus,

Respondit, nihil aliud ferre postremas litteras, quam ab exercitu Cæsareo Magdeburgum arcta admodum obsidione cingi, deditionisque conditiones eam urbem offerre.

Sed omitte, quæso, ista, inquit, quæ nec ipse percunctari, nec audire magnopere curo: quæro a te potius, ecquid hisce novi anni Kalendis antiqui nobis adfers, nuper in lucem eruti, quod magis intelligere lubet, quam quid per terrarum orbem moliantur Principes.

F Tum ego: Et ista a te rogare volebam, quem scio omnigenæ antiquitatis monumentis me multo instructiorem esse, & inter præcipuos versari quotidie, quorum cura hæc indagantur. Attamen, ne nihil adferre videar, intellexi hodie ab Antonio Augustino, quem hisce solennibus & feriatis diebus officii causa accedere nonnunquam soleo, Rodolfum Pium Cardin. Carpensem nuper dono, a nescio quibus amicis, accepisse pulcherrimum

Antonius Augustinus. Rodolf. Pius Carpensis Cardin.

A muliebris formæ Terminum marmoreum, quem Veneris esse nonnulli conjiciunt, propter tres imagunculas, quæ Deam consertis manibus circumdant, quas Gratias autumant. Sed dubitat Augustinus admodum, quod non nudas, sed stolatas videri dicant, atque alio, quam Gratiæ solent, ordine dispositas.

Ad hæc ita mox ille. De Venere Terminali quicquam me legere profecto non memini, cuperem itaque videre simulachrum illud, atque eam maxime ob causam cras ibo salutatum Cardinalem, cum quo mihi propter hæc studia, quibus admodum ille delectatur, familiaritas satis magna est.

B Idem & Augustinus animo statuit, inquam: Sed eum cum Cardinale vidi colloquentem, cum simul ædem intrarent sacram. Unde conjecturam capio, quod cœremoniis in templo finitis ipse Cardinalem, cum officii, tum videndæ hujus statuæ gratia, sit domum deducturus. Quin igitur huic obviam imus occasioni? & ad ædes Cardinalis præcedentes, redeuntem exspectamus? Non deerit spero salutandi, atque simul signum hoc videndi opportunitas, maxime si Augustinus adfuerit.

C Recte suades, mi Pighi, respondit Antonius, atque omnino eundum censeo. Cardinalem namque spero, qua est humanitate, quamprimum nos viderit, ultro de hac re verba facturum. Lubenter enim monstrat studiosis omnia quæ habet, (habet autem plurima atque insignia antiquitatis monumenta) mutuoque dat etiam alacriter. Quin etiam sæpenumero sua sponte me solet invitare, quando quid non antea visum nactus est.

D Finito igitur sacrificio confestim e Vaticano descendentes per pontem Ælium recta in Campum Martium ad ædes Cardinalis properamus, ibidemque in propylæo deambulamus, donec ex strepitu equorum advenire Cardinalem intelligimus. Obviam igitur procedentes ipsum Antonio, ut divinaram, Augustino comitatum reverenter, ut decebat, felicem anni novi cursum optantes salutamus.

E Et ille, Opportune, inquit, ades Morilloni cum tuo Pighio: jam enim conjicio, te non ob aliam quam Augustinum causam advenisse, nempe ut Terminum videres meum, qui mihi nuper est dono datus. Raro alioquin tui copiam nobis faceres, nisi quid simile te eliceret; Augustinum vero negotia aliquando impellunt, ut veniat, aliquando etiam idem ille studiorum amor, qui te tenet, nostri memorem facit. Sed nihil tunc ostendam ante prandium; jamdudum enim nos expectant œconomus & structor, eduliaque moram non pati diuturniorem clamitant. Atqui non immerito gemmis Indicis chariores æstimare possum, qualescunque conservo & colligo antiquitatis reliquias, quarum ob causam ipse aliquo sum in precio, atque ambior a vobis aliisque eruditis: & meæ insuper ædes hortusque in Quirinali a studiosis artium ingenuarum plerumque frequentantur.

Tum Augustinus. Non ob hæc tantum, Rodolfe Cardinalis illustrissime, te colendum observandumque judicamus, sed imprimis ob heroicas illas animi virtutes, quibus amplissimum hoc Ordinis tui fastigium adornas, & ob dignam homine nobili raramque tuam doctrinam, ut alias omittam dotes inæstimabiles, quas hic modestia tua recenseri non pateretur. Ob hoc vero, quod omnigenæ antiquitatis reliquias historia varia plenas diligenti cura & magno impendio rei litterariæ & artium bonarum in gratiam e tenebris extractas colligis, restauras, & conservas, doctisque hominibus benigne communicas, immortales profecto deberi tibi gratias ab omnibus, qui ingenuis studiis favent & delectantur, nemo non fatebitur, cui sensus virtutum insit aliquis. *Rodolfi Cardinalis laudes*

Hæc fere dum in atrium itur, ubi cum se Cardinalis toga illa sui Ordinis purpurea exuisset, Augustinum manu prehensum ducens, nos sequi jubet in cœnationem proximam, in qua repperit & alios convivas exspectantes, mensamque instructam. Itaque confestim lotis manibus, convivioque sacris verbis benedicto, Augustinum applicans lateri suo, consedit, nosque simul accumbere jussit. Sed, ut ad rem nostram veniamus, finito deinde hilariter prandio, dimissisque ceteris convivis, in interius cubiculum a Cardinale ducimur, qui accersito Martino suo elegantis ingenii juvene, provinciali nostro, (qui tum erat ex atriensibus illius) mandat, uti signum ex Musæo depromat. Adfertur, atque in tabula statuitur, ut commode conspici posset. Accedimus, diligentiusque contemplamur. Erat autem Terminus sesquipedali fere altitudine ex Pario marmore artifice manu sculptus. Ejus caput muliebri decora atque honesta facie, crinibus a fronte & occipitio vitta in nodum collectis, ita tamen ut duo longiores cincinni apte per humeros defluerent. Reliquum corpus justa proportione quadratum, æquilateram, ut Termini solent, columnam paribus angulis efficit: quam tres semiplanæ imagunculæ puellares ejusdem habitus & staturæ in imo coronant, ita ut prima dextrum latus tegat, altera medium frontispicium, tertia sinistrum. Et hæc quidem tali erant forma, quali totum opus hic delineatum posui. *Simulachri Themidis descriptio.*



Quod dum diligenter omnes conſideramus, Cardinalis, diſpoſitis ante focum ſellis, conſidere nos cum juſſiſſet, ita eſt exorſus.

Vehementer, Antonii, qui nunc duo adeſtis, aveo utriuſque veſtrum de ſigno hoc opiniones intelligere, quod jam multis antiquitatum peritis ingenioſiſque hominibus oſtendi. Quorum nonnullis Venus cum Gratiis tribus eſſe videtur; rationes tamen, quas hactenus attulerunt, mihi quidem nondum ſatisfaciunt. Nam quod indicari volunt, cupiditatem termino finibuſque ſuis coercendam eſſe; ad Ethicam magis quam ad Theologiam illam veterem ſpectat, atque interim de Gratiis nihil digni adducunt. Tu quæſo, mi Auguſtine, dicas primum, qui his doctis Antiquorum ſymbolis argumentiſque mirifice delectari ſoles: An tibi hæc Venus, an quicquam de ejus Termino apud Veteres, quos plurimos te diligenter pervolviſſe ſcio, legeris.

Tum ille; Nihil quidem expreſſe me legere memini, ut neque de Gratiarum hoc habitu atque poſitura: plurima tamen in ſimilibus Antiquorum reliquiis reperiri non diffiteor, de quibus majorum ſcripta, quæ ad noſtra pervenerunt tempora, memoriæ nihil prodiderunt: vel quia hæc admodum tunc vulgata atque omnibus nota fuerunt; vel quia etiam non pauca ad veteris Theologiæ ipſius normam communem in tanta religionis libertate minime facta apparent: ſed pro cujuſque opinione atque intellectu efficta vel variata, quæ vix ipſe magnus Apollo nunc nobis declararet, vixque Oedipus ſolveret.

Cur tam multa in antiquis ſymbolis obſcura ſint?

A Hic tamen Terminus, cujuſcunque ſit ille numinis, ab ipſo florentis ævi ſæculo reliquus, magni auctoris inſtar nobis eſſe poterit, quamvis talem non deſcripſerit in *Imaginibus* ſuis Philoſtratus Lemnius, nec Pauſanias, Plinius, aliive, qui de Veterum ſtatuis ſcripſerunt, ejus mentionem forte fecerint. Non enim ſine Theologica ratione compoſitum puto, cum ſine parergis, ſimplex, apertus, atque ad eam rem duntaxat demonſtrandam effictus videatur, cujus cauſa factus eſt. Attamen hoc tempore mihi difficile foret ipſum declarare, ejuſ-
B que ſignificata expromere, qui ſimilem nunquam viderim. Oneroſum inſuper hoc judicandi munus, cui jam annis aliquot, ut ſcitis, aſtringor, liteſque illæ forenſes, quæ vix me reſpirare ſinunt, felices has Muſas animum excolentes a me prorſus averterunt; quas tamen obſervare & colere diligentiſſime ſoleo. At illæ, proh dolor, me tanquam profanum vel proſcriptum fugiunt: adeo ut niſi rariſſime & quidem procul has videre mihi contingat, etſi non minus quam antea earundem amore tenear.
C Morillonus itaque hic noſter erit appellandus, ſi quid de his intelligere velimus, qui pene ſolus nunc eas hic poſſidet, apud quem eſſe volunt, quem exornant evehuntque non immerito, cum ſtudioſiſſime ab eo colantur: ut qui earum amore percitus ab extremis Galliarum finibus huc ſe contulerit. Age, mi Morillone, hanc rem nobis expedias; tu enim facile poteris, ex Camœnarum ibi faventium reſponſo, ſimulachri hujus myſteria aperire: Nam forſan ex earum & hæ

Termini præſentis ſimulachrum quale ſit?

Antonius Auguſtinus, Vir litium judicandi.

sunt consortio, quas Termino adjunctas videmus. Musas enim, ut novisti, primas vetustissimorum plerique tres tantum fuisse putarunt; atque hoc Ephorum in primis scribere, Eumeliumque poetam Corinthium, testantur commentator Hesiodi Joannes Tzetzes, & Arnobius in *Apologia contra Gentes*.

Musæ primum tres. Morilloni modestia.

Excepit mox orationem Augustini Cardinalis, Morillonumque insuper adhortari cœpit, ut quæ de hoc signo sentiret, ipse in medium proferret.

At ille se primum vehementer excusare, testarique nihil prorsus auditorio tanto dignum, ad quod ipse cum magno discendi desiderio venisset, adferre se posse: Alii instare vehementer, perurgereque; donec tandem Cardinalis auctoritate compulsus:

Admodum, inquit, me conturbat exspectatio vestra tam certa, tam firma, quæ vereor, ne vos ipsos primum fallat. Nam bovi, ut ajunt, clitellas, quæ quia gerendæ sunt, minus sane laboro, quam recte conveniant, quamque ea, quæ vestro jussus imperio male instructus adfero, valde probentur. Dicam enim ea tantum quæ temere occurrent: nec ea, in quibus a vobis aliisque me doctioribus non malim vinci quam vincere.

Hæc præfatus, signum ipsum manibus elevatum aliquanto diligentius intuetur, atque ita differere incipit.

Themidis fabula.

Themidis illius primævæ omnino atque antiquissimæ, mihi esse hoc simulachrum videtur, quam Cœli Tellurisque filiam, Jovisque secundam conjugem fuisse, Græci fabulantur: deprehensam enim, cum Jovis nuptias fugeret, apud Ichnas Macedoniæ, ductamque eidem Jovi primum peperisse tres filias; quarum nomina sunt, Eunomia, Dice, & Irene.

Ichnæ. Themidis tres filiæ ex Jove.

Tum Cardinalis: Recte tu quidem hæc, quemadmodum memini Hesiodum in *Theogonia* scribere, post primam uxorem Metin a Jove secundam Themida ductam esse:

Themis secunda Jovis uxor.

> Δεύτερον (inquit) ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν,
> ἣ τέκεν Ὥρας,
> Εὐνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν.

Quæ sic Latine sonant:

> *Sedula quæ ducta est Themis altera protulit Horas,*
> *Eunomiamque, Dicenque, Irenen atque virentem.*

Ad hæc Morillonus. Multo etiam ante Hesiodum hæc vetustissimum poetam Orphea scripsisse constat, qui Horas item Themidis Jovisque regis filias esse cecinit. Nam is auctor ætatibus aliquot (ut quidam volunt) ante bellum Trojanum vixit: immo, ut Eusebius in *Chronico* & Suidas tradunt, non usque adeo diu post Mosen, Judicum Hebræorum tempore: vir sapientia quadam divina, quisquis ille fuit, sublimique supra humanum ingenio præstantissimus, cujus *Hymnos* quosdam de diis adhuc habemus superstites, arcanis mysteriis refertissimos. Apud Suidam vero vos legisse puto, quæ de summo Deo mundi fabricatore, ac lumine supremo omnia complectente atque illustrante, tum de humani generis conditione sentit Mosaicæ Theologiæ haud incongruentia. Quinimmo Justinus Philosophus & Martyr in Ægyptum Orphea religionis ac sapientiæ adipiscendæ causa profectum memorat in *Parænetico ad Græcos*, atque ibidem ab Hebræis unius veri Dei pietatem & cultum didicisse, atque tum recantasse, quæ πολυθεότητα prius cecinisset: ejusque de hac re quosdam versus in medium ad Musæum filium (quem Mosen Græcorum tamen quidam fuisse existimant) scriptos veræ religionis lucem quandam præferentes: quos eosdem & Cyrillus Alexandrinus *contra Julianum Cæsarem*, & Aristobulus Judæus in eo quem *ad Ptolomæum* scripsit, commemorant. Ex Hebraicæ igitur Theologiæ limpidissimo fonte videtur Orpheus pleraque sua hausisse, variisque fabulis involuta promulgasse posteris: quæ etiamnum velut puræ quædam guttulæ, rivulique clariores, in turbulentissimo illo prophanæ Theologiæ fluento intercurrentes nonnunquam apparent diligenter advertentibus.

Orpheus antiquissimus poeta quo tempore fuerit? Orphea Hebraicam scivisse Theologiam. Moses Musæus a Græcis quibusdam appellatus.

Nam Orphica illa Theologia, variis multarum regionum populis infusa, sensim propagata est; in qua tamen pro temporum locorumve mutatione ac legislatorum libero judicio, qui respublicas nunquam sine religionis aliquo fundamento instituerunt, plurima frequenter sunt variata, immo contaminata. Horum enim consuetudo fuit, auctoritatem novorum institutorum accepto ac noto alicui numini attribuere: veterem vero religionem pro temporum statu immutare, atque non tam pietati antiquæ, quam usui reipublicæ accommodare. Hinc illa sacrorum rituum fabularumque diversitas, quam mirum in modum adauxit poetica illa libertas, qua impune licebat mortalibus ingeniis non solum inepta, ridicula & absurda, verum etiam turpia, indigna atque impia de diis confingere. Adeo ut ab Orphica illa prima puritate plurimum degenerarit Græcorum Theologia, ut quæ prorsus non sibi similis stolida opinionum colluvie contaminata appareat.

Unde religionum tanta diversitas apud Veteres? Legislatorum mos vetustus in instituenda rep.

Hesiodus tamen, atque Homerus, aliique poetarum vetustissimi Orphica imprimis observarunt, quemadmodum non solum demonstrant eadem deorum nomina & genealogiæ, sed etiam plurimæ de rerum principiis fabulæ, si non verbis omnino, at significatione Orphei *Hymnis* convenientes. Ab Orpheo igitur venire videntur, quæ Hesiodus, Pindarus, Lycophron, Diodorus Siculus, Pausanias, Apollodorus Atheniensis in *Bibliotheca*, Hyginus in *Fabulis*, aliique posteriores de Themide & Horis memoriæ prodiderunt. Quorum auctorum dicta non huc congeram; vobis enim nota esse existimo, & mihi ad commemorandum nunc minime necessaria: quandoquidem pro disputationis cursu probandi causa suis locis sparsim ea adducere, & inter se conciliare fortasse cogemur.

Quinam auctores Orphica sequantur?

Approbo tuum (inquit Augustinus) consilium; Terminum ipsum igitur aggredere: imprimis autem exspectamus, cur hac forma Themidem nobis exprimere, quidque per eam significare voluerit Antiquitas. Scio, mi Morillone, pro tuo singulari ingenio atque eruditione, eximiaque memoria disputationem te doctam non solum, sed & variam, jucundam, pulchramque nobis introducturum esse.

Tum ille: Equidem scio me rem arduam difficilemque aggredi, quæ juris divini hu-

manique fundamenta; immo ipſius naturæ, omniſque philoſophiæ principia in ſe complectitur. Cum philoſophiam hic dico; non ex Solonis atque Hippiæ ſophiſtæ ſententia polymathiam, vel omnium artium cupiditatem peritiamve intelligo: ſed eam dico, cujus duo eſſe officia, nos Plato in *Amatoribus* docet, *noſſe ſcilicet divina*, & *gubernare humana*: Magnum & minime opus humanum utrumque, ne dum noſtris par humeris onus, quod a me vel ferri vel exponi in medium recte poſſit. Quapropter admodum te rogatum cupio, mi Auguſtine, uti mecum provideas, ne in tam uberis materiæ ampliſſimo campo latius evagemur, noſve perdamus: immo Terminum termino etiam anguſtiore concludamus. Admonet enim id deæ ſignum, ultra quam fas eſt, divinitatis conditionem inquirere, non permiſſum eſſe demonſtrans.

Philoſophia quid?

Ejus duo officia.

Cur termini forma Themis, prima ratio?

Age, inquit Cardinalis, magna ex parte aperire cœpiſti, quid Terminus hic noſter velit: docet enim, ut videtur, certos fines a Deo omnipotenti propoſitos eſſe, quos etiam numinum inferiorum potentiis egredi non datum eſt: tanto magis nos tale quid ut conemur ingenii noſtri confidentia, ſacroſque terminos ut tranſgrediamur, omnino nefas, temerarium, atque impium fore. Neque hoc fugit ſagacem illam antiquitatem, quæ nobis complurium deorum Terminos idcirco prodidit, variiſque fabellis vulgus a divinitatis curioſa nimis inquiſitione deterrere voluit. Eo enim ſpectant, quæ de Gigantum, Promethei, Ixionis, Tantalique apud inferos pœnis legimus. Sed ne a Termino noſtro & ipſe diſcedam, jam mente repeto, quæ olim de Themide me apud Sex. Pompejum legere memini: *deam ſcilicet hanc eſſe, quæ præcipiat hominibus id petere, quod fas eſt: eamque id eſſe exiſtimari, quod & fas eſt*. Hæc quidem Pompeii verba non abſurda videntur. Quid enim aliud apud Græcos θέμις quam fas, honeſtum, ac licitum ſignificat? Atque ideo inſtitutum antiquitus, ut ad Themidis ſimulachrum concionaturi ſederent; quo dea hæc moneret, honeſta, juſta, & æqua eſſe debere, quæ dicere ac ſuadere quis publice vellet: Hinc *Agoræam* appellavit Homerus, & ejus commentator Euſtathius Themin & Juſtitiam deam eandem eſſe putavit: alii vero Themin dicunt deorum eſſe: Juſtitiam, quam δίκην appellat, hominum: de qua re plura Phavorinus diſputat. Nam Dice judicat homines; Themis vero Juſtitia eſt, qua dii judicant, quæ & ipſa hominum fora ſolvit. Itaque Plato *de Rep.* libro ſecundo, multis aſſerens, Deum cauſam eſſe boni, non mali, invehitur in poeticas illas Homeri aliorumque fabulas, quibus ſtulte Jovem ex duobus fortium doliis bonorum atque malorum velut promum condumque faciunt, reprehenſioneque dignum judicat, ſi quis deorum controverſias, diſſenſiones & judicia per Themin atque Jovem concitari, non terminari dicat.

Themida fas ac licitum in ſe complecti.

Cur ad Themidis ſimulachrum concionaturi ſederent?

Quid diſcrepet Themis a Juſtitia?

Deum boni cauſam eſſe, non mali.

Arguitur a Platone fabula Homerica de duobus fortium doliis.

Tum Morillonus. Bene quidem hæc, & eandem ob cauſam dicitur Themis deorum cogere concilium; quod in hoc niſi bona & juſta tractentur, numinumque inferiorum poteſtates huic deæ etiam ſubſint. Et pulchre Plato idem *de Legibus* IX. Themin inter jurisjurandi deos idcirco tertiam nomi-

Themis deorum concilium cogere cur dicatur?

A nat poſt Jovem & Apollinem: timore divino, veritate ipſa, ac æquitate ſumma ſanciri debere juramenta docens. In Jove enim ſummi numinis poteſtatem falſi ac perjurii vindicem, in Apolline veritatis lumen ſua ſe ſponte prodens, in Themide jus fas atque licitum eſſe intelligit. Eſt autem Themis, ut breviter dicam, ipſa lex æterna atque univerſalis, quam velut edictum perpetuum Deus mundo ac rerum naturæ præſcripſit. Hanc legem Cicero *de Rep.* libro tertio definire volens, *rationem rectam naturæ congruentem* appellavit, Chryſippus

Themida legem divinam eſſe.

Veterum definitiones legis divinæ ſeu naturalis.

B *vim divinam in ratione poſitam*, Zeno Stoicus *vim quandam divinam* eſſe cenſuit, *recta imperantem, prohibentemque contraria*; atque alibi rationem quandam vocat ad omnium naturam rerum pertinentem, per aſtra atque elementa corporaque omnia ſe motu quodam certo & ordinato diffundentem. Non igitur mali cauſa Themis, quatenus lex divina eſt. Atqui non nocebit altius diligentiuſque Deæ naturam conditionemque ſcrutari. Ipſa enim licet Termini forma hic ſit concluſa, ex ſeſe tamen hoc habet, ut labore ac ſtudio perquiri inveſti-

C garique velit. Nec enim ipſe Jupiter, quem animæ mundi mentem eſſe intelligit Plato, eam aliter aſſequi potuit: Nam ut habent fabulæ, fugientem Themida latentemque perſequendo deprehendit in locis, quibus pedum ejus impreſſa erant veſtigia, unde ipſa *Ichnæa*, & locus κατ' ἴχνας, id eſt, *ſecundum veſtigia*, eſt appellatus, oppidumque loco vicinum Ichnæ dictum, velut Stephanus Grammaticus *de Urbibus* ſcribens ex Philetа & Herodoto memoriæ prodidit. Strabo item *Geographiæ* libro IX. in Phthio-

Jupiter mens animæ mundi Platonicis.

Fabula de Jove & Themide explicatur.

Cur Ichnæa Themis dicta?

D tica Theſſaliæ plaga Phyllon eſſe dicit, ibidemque Phyllæi Apollinis fanum & oraculum, atque Ichnas, *quo in loco* (inquit) *& Ichnæa Themis colitur*. Quidnam igitur hæc aliud ſignificant? quam ſtudio veſtigationeque nobis opus eſſe diligenti, ut ad rectæ veræque rationis cognitionem perveniamus, quæ non prima ſtatim fronte imbecillo noſtro ingenio occurrit. Idcirco & Themida Heſychius ἰχνέμην vult dici, ab ἰχνάομαι, quod eſt ἰχνοσκοπεῖν, vel *per veſtigia ſcrutari*. At Lycophron in *Caſſandra Ichnæam*, ut alii, nominat, & Solis

Themis ἰχνέμης.

E filiam eſſe dicit; cujus verba ſunt hæc de Proteo juſtiſſimo judice:

> Κεῖνός σε γυιοῦς ὤσεν ἐργάτης δίκης,
> Τῆς θ' Ἡλίου θυγατρὸς ἰχναίας βραβεὺς
> Ἐπεσβολίσας λυγρὰ νοσφιεῖ γάμων.

Quo loco commentator Joannes Tzetzes *Ichnæam* vocari dicit, ab inſequendo per veſtigia & pedes Gigantum. Jovi enim bello Giganteo viam ad hoſtes monſtraſſe Themis fingitur, eo quod obſcura & latitans per

Veſtigia Gigantum detexit Jovi Themis.

F eam iniquitas recta ratione detegatur. Alii nutricem Jovis cum Amalthea nympha Themin faciunt, ut ex Orpheo Hyginus, quod animæ mundi mentem ipſam rectæ rationis lege ſubſiſtere ac vegetari Deus voluerit. Rationes inſuper affert Tzetzes non ineptas, cum Solis filiam Themin eſſe dicat Lycophron: quod videlicet Sol ipſe non ſolum omnia videat audiatque, verum etiam obſervet, viſitet, vegetet ac recenſeat, obſcura & occulta aperiat: quodque ipſa The-

Nutrix Jovis Themis.

Cur Solis filia Themis?

mis in morem Solis ſplendeat, ſeque poſſidentes animos, quemadmodum Sol inferiora corpora, illuſtret.

Mox Cardinalis, pulcherrimum ſane hunc locum non memini me vidiſſe. Adfer librum Martine, ut eum nobis prælegas. Allato libro Morillonus locum indicavit, quem Martinus ita legit: Η Θέμις Ηλία θυγάτηρ, διότι καὶ αὐτὸς πάντας ἐφορᾷ, καὶ πάντων ἐπακούει. ὅθεν ἰχναία; διὰ τὸ κατ' ἴχνας, καὶ κατὰ πόδας τῶν γιγάντων ἕπεσθαι, καὶ λάμπειν δίκην ἡλίου, ἢ διὰ τὸ λαμπρύνειν τοὺς αὐτὴν κεκτημένους, διότι εἰς γῆν ἀνεδόθησαν.

Quid per ſolem intelligant Platonici?

Tum rurſus Morillonus: Non lucidum illud corpus cæleſte diem nobis promens & condens, quod ferrum candens Anaxagoras, glebam auream Euripides appellarunt, commentator intelligit: ſed ſecundum Platonem, illud Ens, Bonumque incomprehenſibile Deum ſupremum mundi conditorem rectoremque. Quemadmodum & Brachmannorum philoſophia Deum ſolem ac lumen eſſe dicebat rationis, quo occulta myſteria ſapientibus videntur, ut ait Origenes. Quin & antiquos noſtræ religionis interpretes frequentiſſime Deum ſoli comparare conſtat. Nam Unum, Bonum, ac lumen animi Deus eſt, ſicut & Sol unus, a ſolitudine ſcilicet dictus, & lumen corpora omnia illuſtrans, & bonus, ut cognoſcitur ex effectibus, experimento quotidiano, cum omnia calore ſuo producat in vitam, nutriat & conſervet. Quare nullum ſole magis congruum Dei ipſius hieroglyphicum inter mundana corpora reperitur, de quo multa diligentiſſime Dionyſius Areopagita, & alii plures diſſerunt, quæ brevitatis cauſa prætereo. Quinimmo & ſæpe Sacræ Literæ Chriſtum Servatorem noſtrum Dei ſummi Filium, qui unus idem cum Patre eſt, cum imaginantur, Solem nominant fulgentem in terris, hoc eſt, in nobis, *quos viſitat Oriens ex alto, & illuminans in tenebris atque in umbra mortis ſedentes, dirigenſque pedes noſtros in viam pacis*. Sic etiam Eucherius interpretatur, quæ reprobos dicturos legimus apud Salomonem; *ergo ſol juſtitiæ non luxit nobis*. Hujus vero ſacroſanctam legem, qua nobis ut Deum ſupra omnia colamus, diligamuſque, proximumque etiam inimicum non minus, quam noſmetipſos præſcribitur, quid vetat, quæſo, noſtram dicere Themida? veræ pietatis ac juſtitiæ baſem ab ipſo poſitam velut Terminum vel ſcopum, in quem cogitationes & actus noſtros dirigamus, demonſtrantem nobis illud animæ ſalutiferum bonum, Dei quippe ſimilitudinem, ut appellat Plato, quod Deo ſummo bono nos vicinos collocat. Ab hoc enim illud promanat, quemadmodum lumen quoddam ab ipſo luminis primi fonte defluens. An ne igitur hæc Themis noſtra Chriſti veri Solis filia patrem ſuum referre, ſeque poſſidentes illuſtrare videri poterit? quando hanc ipſe nobis velut ſui ſplendoris imaginem offerat, ad quam in mente noſtra ab ipſo acceptam luminis ſcintillam foveamus excitemuſque. In eum quippe finem nobis hanc legem præſcriptam, hunc Terminum ſcopumve ab illo poſitum nemo negabit, ex iis quibus clarum illud vel a longinquo videre datum fuerit. Quod non omnibus datum, ut Homerus etiam affirmat:

Brachmanni.

Solem Deo cur compararent Chriſtiani?

Chriſtus ſol fulgens in terris.

Sol juſtitiæ.

Chriſtiana Themis lex Chriſti.

Οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.

Non enim cuivis, inquit, *manifeſta numina divum*, ſed iis duntaxat quibus ipſe Sol pater radiis ſuis interpoſitis hanc Themida ſuam oſtendere voluerit: magnum profecto bonum, ſed ad æternæ felicitatis faſtigium aſſequendum (animæ ſummum illud bonum dico) nec dum pollens potenſque ſatis: niſi ipſe Sol noſter Chriſtus nobis per tot tenebricoſos tramites tendentibus ſuæ divinæ gratiæ luciditſſimam facem aſſidue præferat, viam ineffabili miſericordia ſua non ſolum monſtret, ſed etiam cruce paſſionis ſuæ per abrupta imperviaque imbecillitati noſtræ loca pontem præſtruat, per quem immenſæ bonitatis ſuæ ſalutifera manu nos perducat. Hæc autem de noſtra, id eſt, Chriſtiana, Themide apud vos jam ſatis. Redeo igitur ad poetarum philoſophicam, cujus ſignum præ manibus eſt: quamque Solis filiam Lycophron aſſerit eſſe, reipſa nihil diſſentiens ab Orpheo, qui ex Cælo & Tellure prognatam fingit, Deum ac naturæ vim ſecretam intelligens, cui a Deo hanc legem impoſitam conſtat, atque per eam rebus creatis omnibus inductam. Nam Platonici quoque ſummum Deum appellant Cælum: quia ſicut iſtud ſublime corpus omnia corpora regit & continet, ſic Deus omnes ſpiritus excedit & gubernat. Nec diſſentiunt Heſiodus, Apollodorus & alii; qui Uranum deum primum apud vetuſtiſſimos homines Atlantides juſtitia & pietate celeberrimos regnaſſe, & Deorum genus omne procreaſſe fabulantur, velut longa hiſtoria declarat Diodorus Siculus lib. IX. *Bibliotheces rerum antiquarum*. Rem eandem aperte nobis & pulchre exponit Plato, ubi *de regno* diſputat, olim quippe aureo illo Saturni ſæculo regem unum humani generis, quem Homerico more *paſtorem* nominat, fuiſſe Deum: Atque ab hoc primo monarcha rerum omnium adminiſtrationem ſecundum unam quandam generalem regulam inſtitutam eſſe: fieri enim aliter non poſſe, ut tam vaſta rerum varietas, tam diverſæ gentes ad unum omnium communemque finem perducantur, niſi ab uno, per unam quandam legem communis boni cauſa latam, qua mundus tanto ſæculorum ambitu ſit adminiſtratus.

Chriſti meritum ac divinam gratiam nos beare.

Themis Cæli ac Telluris filia ſecundum Orphea. Cur Platonici Cælo Deum ſummum comparent? Uranus deus antiquiſſimus apud Atlantides. Aureo Saturni ſæculo Deus unus monarcha legem primam univerſalem inſtituit.

Atque hic cum Morillonus paullum reſpirando ſubſtitiſſet; Auguſtinus excepit.

Recta atque evidenti prorſus ratione hæc probat Plato, quem memini item aſſerere, non tantum ab initio hanc legem mundo univerſo, ſed rebus etiam ſingulis impoſitam: immo ſimul cum rationis lumine a Deo infundi hominum animis, velut rectiſſimum veri falſique, boni malique examen, ſecundum quod actiones vitæ ad bonum dirigantur. A qua deinde lex ſcripta ducit originem, ut in exordio libri *Legum* teſtatur, docens non ab homine, ſed ab ipſo Deo leges habuiſſe initium, ut etiam indicat in *Protagora*, cum dicit, Jovem per Mercurium, quem divinæ rationis cuncta percurrentis actum intelligunt eſſe Veteres, condidiſſe legem, qua jubeantur omnes civitatis eſſe participes, hoc eſt, temperantiam & juſtitiam colere, quæ ſolæ virtutes civitatem formant ac conſervant, harumque omnino expertes eliminandos eſſe cenſet. Sed quandoquidem hanc Themida legem eſſe illam primam divinam Morillone putas, quam Orcheus peculiari Hy-

Lex non mundo tantum univerſo, ſed rebus etiam ſingulis impoſita. A lege divina lex ſcripta promanat. Mercurius quid Platonicis Jovis prima lex.

Nomus Uranius deus apud Orpheum. Legis divinæ epitheta et proprietates.

Hymno nobis decantat, cur alio mascula Dei persona νόμον ὀυράνιον invocans, etiam hanc legem plurimis pulcherrimisque exornat epithetis? immortalium mortaliumque regem castum appellans, astrorum positorem, signaculum justum maris & terræ, atque inflexibile robur naturæ, seditione carentem, semper legibus observatum, quibus ipse supergreditur magnum cælum ferens & iniquam invidiam sibilo ingenti explodens. Quique mortalibus vitæ finem bonum excitat: ipse enim solus, inquit, viventium gubernaculum firmat, sententiis rectissimis agens, immutabilis semper; priscus, & multæ experientiæ, innocenter omnibus justis cohabitans, injustis ferens perniciem gravem. Quibus profecto verbis præclaras legis divinæ virtutes nobis exprimit Orpheus, atque ita in cælum evehit, ut Arnobio teste,

Zenonis sententia de lege divina.

Zeno Cittieus Deum ipsum hanc putaverit, & simul Æthera, quam Themida tu esse dicis, atque Orpheus etiam Nomum cælestem appellat.

Respondit illico Morillonus: Et hæc quidem difficultas me quoque aliquandiu perplexum tenuit: sed ubi animadverterem

Lunus Deus, et Luna Dea. Venus biformis. Nomina Deorum masculina quid significent, et quid feminina?

Lunum Deum Antiquos vocasse, & eandem Lunam Deam, maremque & feminam diverso tamen respectu ab Orpheo & Ægyptiis existimatam, Veneremque biformem appellare Jul. Firmicum, atque Platonicos insuper observasse nomina Deorum masculina significare in divinis actum efficientem, feminina vero virtutem ipsam ac potentiam capientem numinis. Et rursus nomina, quæ in divinis significant statum, referri ad numinis substantiam: quæ vero motum, ad ejus actionem applicari; mox est exemptus ille mihi scrupulus. Nam lex divina Themis a positione, ut mox dicam, nuncupata feminine, substantiam & potentiam capacem proprie signat, qua vim divinam in se recipit. Eadem cum νόμος dicitur, παρὰ τὸ νέμειν, *a distribuendo*: masculo nomine ejus efficientia atque operatio in inferiora corpora notatur. Et quamvis poetica illa libertas Veterum istas differentias non tam religiose observet, apud Orpheum tamen has diversas ejusdem numinis naturas ac proprietates utrumque hymnum diligentius perpendentes haud difficulter perspiciunt. Pulcherrimas enim legis cælestis & divinæ virtutes, quibus totum hoc universum administratur, abunde nobis expressit Augustinus ex *Nomi Hymno*: in Themidis autem

Legis divinæ perfectio.

cognoscimus variis epithetis potentiam & perfectionem legis, quam a Deo latore accepit, cum ex eadem honores beatorum, atque religionis vaticiniique mysteria pura provenire canat, Cæli, hoc est, Dei, castam filiam vocans, atque Telluris, seu primæ materiæ, novum germen: dicensque bonis parentibus ortam, beatam, præclaram, augustam, atque hominibus honoratam esse,

Lex divina a summo Deo præscripta.

gaudereque dulci & læto consilio. Hanc igitur Themida, ex qua leges omnes bonæ promanant, a summo Deo prognatam constat, sive hunc Solem appellare voluerit poetica libertas, quod unus sit; sive Uranum, eo quod omnia videat, finiat, & custodiat; sive Æthera, ἢ θεὸν, ἢ ἥλιον, a motu quo omnia creavit primum, creataque jam gubernat. Zeno quidem Stoicus, ut Augustinus paulo ante ex Arnobio, & etiam apud Ciceronem lib. *de Natura Deorum* primo legimus,

Deus Æther dictus.

Deum Æthera nominavit. Et amplius Orpheus poeta divinus incomprehensibilem quendam & omnium supremum, ac natu majorem, omniumque opificem hunc supremum dixit Æthera, ac Tellurem invisibilem vocavit. Unde Hyginum existimo

Themis Ætheris filia.

Themida filiam Ætheris dixisse: quod nomen exponunt Plato & Aristoteles, quasi ἀεὶ θεὶρ, quoniam *semper currat moveaturque*. A qua motus natura τὸν θεὸν quoque

Dei & Solis etymologiæ.

volunt appellari, καὶ ἥλιον ex eo quod ἀεὶ εἱλεῖ, id est, *semper revolvatur*. Nam, ut idem Plato tradit in *Cratylo*, cum Prisci illi Cælum, Solem, Lunam, Stellas, Ignem,

Cur ad motum nomina referantur divina?

Aerem, Aquam, Terram, & quæ ex his generantur, in perpetuo esse motu viderent, atque per hunc maxime conservari, deos etiam ipsos creatarum rerum numina ac potestates ejusdem esse naturæ putarunt; omnesque θεὺς, hoc est, *cursores*, appellandos, motorique omnium supremo ab eodem effectu nomen dandum esse censuerunt; non secus ac alia etiam nomina huic a diversis operationibus proprietatibusque attributa cognoscimus. Itaque & deorum antiquissimum & summum Atlantides, aliique vetustiores in orbe populi Uranum appellarunt

Uranus unde dictus?

παρὰ τὸ ὁρᾶν, τὸ βλέπω, *quod omnia Deus consideret ac videat*; ἢ παρὰ τὸ ὁρῶ, τὸ φυλάττω, *quod omnia custodiat, conservet & foveat*; ἢ παρὰ τὸ ὁρίζω, *quod omnia terminet ac definiat*.

Extremus cæli circulus deus dictus.

Tum ita Cardinalis: Atqui video M. Tullium ex Antiquorum opinione terminatorem extremum cælestem circulum Deum dixisse.

Verum est, inquit Morillonus, nam in *Somnio Scipionis*, ubi de novem mundanis orbibus disserit, ita loquitur: *Quorum unus est cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens & continens ceteros*. Quo loco Deum, supremum

Uranus Cælestus dictus. Cælus Deus.

motorem intelligit. Verum D. Lactantius Uranum Latine *Cælestum* interpretatur; a nobis autem, an ne *Cælus* masculino vocabulo appellari possit? Quid ais, Pighi? de ea namque re nescio quid heri adferebas.

Tum ego: Adferebam occasione, inquam, antiqui illius tituli:

OPTIMVS MAXIMVS CÆLVS
ÆTERNVS IVPITER.

Qui legitur in aræ marmoreæ fragmento nuper e ruinis castrorum peregrinorum effosso, velut mihi retulit vir eruditione varia & antiquitatis periti excellens Benedictus Ægius, qui hoc tanquam accessorium quoddam testimonium nobis attulit, rationem reddens cur Apollodori sui initium (quam *Bibliothecam* hactenus prælo non editam, simul Latinitate donatam, brevi, ut spero, studiosis publicabit) hoc modo transferre voluerit: *Cælus primus orbis totius imperio præfuit*. In qua quidem voce imprimis Ennii auctoritatem se sequi affirmat, qui Deum intelligens, *Quem Cælus genuit*, dixit. Atque ideo eundem hunc Ennii locum Flavius Sosipater Grammaticus probatissimus annotavit, indicans non male pro Deo singulariter & masculine hanc vocem pronunciari.

Deinde Morillonus: Sed hæc de Themidis patre, inquit, dicta sufficiant, quam merito

Εὐπατέρεια Themis.

vocat εὐπατέρειαν Orpheus, velut a summo bono procreatam: eandemque Telluri, id

eſt,univerſi materiæ primæ,vel naturæ principiis infuſam a Cælo fabulantur poetæ: e qua deinde per omnes mundi partes omniaque corpora propagatur. Tellus namque Græcis γῆ vel γαῖα dicitur a γῶ, τὸ χωρῶ καὶ τίκτω, quod omnia ſuſcipiat & pariat lege quadam divinitus impoſita: unde γεννήτειρα vocatur, & mater magna Romanis. Cujus filia Themis a Jove conjux adſciſcitur, eidemque gignit Horas. Non hic tamen eſt Jupiter ille optimus maximus, ſupremus Deus,quem nobis Orpheus apud Proclum deſcribit, ſed mens animæ mundi, atque vis illa benefica Dei providens rebus omnibus, ut volunt Platonici, qui poetarum deos diverſos unius ſummi numinis plures eſſe poteſtates interpretantur. His enim Cælus Deus prima ſimplicique nominis poſitione animam ſphæræ ſtelliferæ ſignificat: ſecunda Deum ipſum:tertia Dei fœcundam virtutem, qua omnia procreavit:quarta Dei aſpectum ad ſuperiora. Sic Jupiter his primo nominis intellectu anima eſt ſphæræ tertiæ,ſecunda mens animæ mundi, tertia voluntas benefica numinis omnibus providens, quarta numinis aſpectus ad inferiora. Igitur ſecunda & tertia nominis impoſitione Cælum vel Jovem intelligunt, cum Themida hic conjugem habere dicitur,ille procreaſſe. Ideoque Orpheum puto Jovem Horarum patrem appellare non βασιλέα, ſed ἄνακτα, cum dicit,Ὧραι θυγατέρες Θέμιδος, καὶ Ζηνὸς ἄνακτος. Iſocrati enim aliiſque Græcorum antiquiſſimis probatiſſimiſque ἄναξ minus eſt quam βασιλεὺς, unde Jovem ſupremum vocant βασιλέα, ceteros vero minores deos ἄνακτας. Verum hæc nimis prolixe; eas enim Cæli,Saturni,Jovis,aliorumque deorum poteſtates & ſignificantias exOrpheo,Platone,Triſmegiſto, Porphyrio, Proclo, & Jamblicho. harum rerum ſtudioſus colligere poterit.Nobis autem conſtitutus terminus hæc Themis noſtra,cujus interpretationem quærimus,per quam, ut dixi,prudens Antiquitas nihil aliud mihi videtur intellexiſſe, quam legem illam perennem a Deo naturæ impoſitam; atque ita ſancte præſcriptam, ut ſine hac ipſa nihil poſſit.Quæ quidem lex ἄλογον illud in ſe continet, quod Græcis κατ' οὐσίαν λόγος, ἢ ὁριστικὸς, μόνιμος, καὶ ἀμετάπτωτος appellatur,hoc eſt,ipſius eſſentiæ definitiva vel terminatrix,immobilis atque irrefutabilis ratio ejus rei cujus eſt interpres,quæque aliter eſſe non poteſt. Non mirum igitur ſi Termini forma deam effinxerint, quam a poſitione appellatam eſſe ipſum ejus nomen indicat: cujus etymologiam ita deducunt veteres Grammatici: Θέμις δηλοῖ καὶ τὸ πρέπον, καὶ τὴν σωματικὴν θεάν. γίνεται δὲ παρὰ τὸ θεσμὸν θέσμις, καὶ ἀποβολῇ τοῦ σ'. Θέμις. Τὸ δὲ θεσμὸς ὄνομα, ἀπὸ τῆς θέσεως. ἕκαστος γὰρ νομοθέτης, ὡς ἐβούλετο, ἐτίθετο τοὺς νόμους. ἐκ τοῦ θεσμὸς οὖν, ὃ σημαίνει τὸν νόμον, γίνεται Θέμις, ἐκ τοῦ τίθημι, θεμὸς καὶ θεσμὸς, καὶ θέσμις καὶ Θέμις. Hujus itaque legis nulla alia eſt ratio, quam quia legiſlatori Deo ſic viſum: a quo tamen nihil niſi ſumme bonum atque ἄλογον conſtituitur.Quapropter ipſum fas eſſe interpretatur Sex. Pompejus: Ἀξιὸν, πρέπον, ἀνάλογον, καὶ ἁρμόζον Heſychius, aliique Græci. Ea enim omnia lex iſta in ſe continet,atqueThemidis poteſtati conveniunt; cujus eſſe inter nos paciſci, compactaque cuſtodire Phurnutus ſcribit: Θέμις δὲ, inquit, ἡ τοῦ συντίθεσθαί τι μεταξὺ ἡμῶν καὶ φυλάττεσθαι. Cujus item actus omnes ad Dei cognitionem, hominum beatitudinem, rerumque omnium procreationem, ac naturæ conſervationem tendunt. Quod idem docent Deæ diverſa epitheta ab Antiquis ei attributa, quibus inſigniter adornatur, depingiturque pulcherrime. Orpheus enim ipſam appellat ἁγνὴν, παντιμὸν, σεβάσμιον, ἀγλαόμορφον, καὶ καλυκώπιδα κούρην: nempe ab innocentia, majeſtate, atque decore. Sic Heſiodus αἰδοίην vocat a pudore ingenuo ac temperantia. Pindarus σωτεῖραν καὶ εὔβουλον, a ſalute, providentia, & bono conſilio. Hæc enim præbet dona vere ſe colentibus, id eſt, fas ipſum obſervantibus. Hæc munera intelligit Catullus poeta *ad Mallium* ſcribens:

Tellus.

Jovis conjunx Themis.

Jupiter mens animæ mundi. Cæli dei variæ ſignificationes apud Platonicos. Jovis variæ ſignificationes apud eoſdem.

Lex divina terminus a Deo naturæ præſcriptus.

Themis unde dicta?

Θέσμις & θεσμὸς idem fere.

Themis ipſum fas.

Themida paciſci pa- ſtaque cuſtodire inter homines.

Themidis variæ laudes variæque virtutes. Αἰδοίη cur dicta Themis?

Huc addent divi quam plurima, quæ
Themis olim
Antiquis ſolita eſt munera ferre piis.

Atque hæc locutus, ſignum denuo manibus apprehenſum diligentius conſiderat, ... quam ad alia perrecturus. Tum ego ſumma diſputationis hujus amœnitate affectus, atque ſciſcitandi cupiditate inſtinctus: Atqui,inquam, eleganter admodum,mi Morillone, plures legis divinæ dotes, quibus animum perficit,nobis inThemide hac explicaſti.Sed quæſo ne prætereas cur σωματικὴν καὶ σωματοειδῆ θεὸν Veteres appellarint, iſtud item nobis explica.Neque hoc, inquit, caret myſterio, σῶμα namque,ſicut noviſtis,Plato in *Cratylo* παρὰ τὸ σῆμα vult derivari, quod non modo ſepulchrum animæ ſit corpus: ſed etiam ſignum monumentumve, per quod σημαίνει, id eſt, *ſignificat*, quæcunque ſignificare poteſt. Itaque *Somatica* vocatur dea Themis, quia nobis velut ſignum ac nota voluntatis divinæ eſt, rerumque agendarum terminus a Deo conſtitutus; vel quod ſervet animam & corpus lex divina: nam σῶμα vocant Orphici & Pythagorici idcirco corpus, quod anima in eo σώζηται, *ſervetur* & *cuſtodiatur*, ut ibidem Plato teſtatur in *Cratylo*. Quinetiam corporalis dea idcirco dici poterit, quod procreationem rerum promoveat, quæ legem a Deo ſtatutam excedere non poteſt. Quod ſi contingat monſtra portentaque naſcuntur, quibus iram divinam oſtendi volunt, graviſſimaque reipub. imminere pericula ob legem hanc cæleſtem ſpretam vel violatam. Non abs re igitur Somaticam vocarunt Deam, quando ad ejus proportionem juſtam elementa rerum congregantur coacervanturque ad corporum generationem. Eſt enim σωματοῦσθαι *concreſcere*, atque, ut Quintilianus loquitur, *in corpus ire*. Cum autem duæ ſint potiſſimum Themidis virtutes & tanquam binæ leges a Deo poſitæ, quarum una corpori eſt præſcripta, ut jam dictum eſt, quam σωματικὴν θεὰν, altera menti animæque, quam νοητικὴν appellarunt: duas etiam Themides multi Antiquorum putarunt eſſe, atque imprimis Romani, Carmentas eas nominantes. Quarum bina ſacra Carmentalia, pontificum unum, ad animorum curam pertinens, matronarum alterum ad corporum ſanitatem generationiſque felicitatem expetendam a Numa rege Januario menſe inſtituta fuiſſe, memini

Cur Somaticam Themin Veteres appellarint? Sepulchrum animæ corpus.

Themides ſeu Carmentæ duæ. Carmentalia bina.

te, Pighi, in tuo *Fastorum* seu *Kalendarii antiqui Commentario* non male exposuisse, atque eandem esse cum Themide Carmentam, ex Dionysii *Antiquitatum* l. I. & Plutarchi *Problematibus* abunde probasse, ut qui auctores atque etiam ipse Ovidius in suis *Fastis* ea de re hanc narrent fabulam. Arcadicam nympham Themida, quam & Nicostratam appellarunt Græci, velut vi rectæ rationis invictam, ex Mercurio Evandrum peperisse, intelligentes εὐανδρίαν, id est, *pulchram vim, generosamque virtutem*, nasci ex naturæ lege, motu divinæ rationis, qui Mercurius est. Deinde cum filio Evandro ex Arcadia ab improbis pulso, in Italiam navigasse, sexaginta ferme annis ante bellum Trojanum, atque eo loci ubi nunc Roma est, Palantium oppidum in colle Palatino post dicto cum suis extruxisse, ibidemque mansisse, & Aborigenes, rudem incultamque Italiæ gentem, deorum cultum, leges, mores bonos, atque litteras docuisse, rationisque gubernaculis subjecisse. Unde propter divinam sapientiam vaticinandique peritiam Latino nomine vocarunt pro Themide vel Nicostrata Carmentam seu Carmentem, a mentis scilicet raptu, vel privatione, aut διὰ τὰς θεοφορήσεις, ut Plutarchi verbis dicam. Hinc enim metra, quibus oracula legesque edebat divino afflata numine, nominarunt carmina. Unde & Dionysius Græce Carmentam θεσπιῳδὸν ob oraculorum cantu dici existimat. Ceterum, ut ante dixi, pro duplici numinis potestate, duas etiam Carmentas poetæ finxerant. Ut enim D. Augustinus *de Civitate Dei* l. IV. ex Varrone, ni fallor, scribit, *Jovi deas adesse putarunt, quæ fata nascentibus canunt, & vocantur Carmentes*. Quo loco fata intelligi debent, non necessitates illæ causarum primæ, sed naturæ leges a Deo nascentibus rebus datæ. Alioquin & oracula, quæ item leges divinæ sunt, appellantur fata, quod a Deo fantur. Tales duas nobis Carmentes monstravit nuper noster Pighius in arca sepulchrali marmorea in historia Judicii Paridis, ubi Juppiter medius inter duas hasce deas sedens conspicitur, quo nobis signatur, divinitatis aptissimas has esse comites, atque ab ipso Jove tanquam summo bono provenire, illique adhærere, sine eo nihil esse. Jam vero Carmentam cum Themide vel Nono eandem esse, illudque numen aliquando secerni, atque haberi duplex, satis constare ex jam dictis existimo. Cum enim elementa, ex quibus corpora inferiora componuntur, recte disponit & æque digerit, una videtur; cum mentes animosque ad pietatis, æqui, bonique cognitionem ac regulam format, actusque hominum ad hunc scopum dirigit, altera.

Quapropter uti prior a matronis colitur ob causas jam dictas, ita hæc ad animi bona adipiscenda sacro pontificio propitiatur, tanquam nobilius & majestate augustius numen, quanto mens animaque corpore est præstantior. Atque hæc etiam splendidioribus ornatur titulis, σωτεῖρα, βουλαία, εὔβουλος, αἰδοίης ab auctoribus appellata. Nec non ab Orpheo decorata non minus digno quam proprio elogio, dum ad Musæum hymnos Deorum & sacra scripturus, eam inter alios invocans Θέμιν τ' ἱερόσκοπον ἀνδρῶν, id est, *sacram observatricem hominum*, appellat: quippe quæ hominum cogitationes & acta

Themis cum Carmenta eadem. Carmentæ fabula.

Carmenta unde?

Carmina unde? Θεσπιῳδόν.

Carmentas Jovi adesse. Fata naturæ leges Oracula fata. Carmentæ in arca sepulchrali Romæ.

Carmentæ seu Themides qua ratione sint duæ?

Quæ Carmenta matronarum, et quæ pontificum?

Themis ἱερόσκοπος.

A

inspicere, & aruspicis in morem divini numinis voluntatem ipsis patefacere soleat. Hæc itaque est illa θεσπιῳδὸς & fatidica Romanis Carmenta, quæ mentes agitat, cujusque arbitrio oracula non solum omnia subjicit Ammianus Marcellinus, verum etiam Deos ipsos, a quibus illa provenire putabantur, quos substantiales vocat potestates. Immo & rationem nostram ex elementorum perennium spiritu, ut autumat, vim suam habentem, omniaque alia media, per quæ futurorum aliquam notitiam assequi possumus, huic Deæ subesse dicit. Indicat insuper summum Jovis numen fas illud primum seu legem hanc suam in se complecti, nihilque contra illam facere, cum in cubili Jovis Themin manere scribat, nimirum Orpheo atque aliis assentiens, qui hanc secundam Jovis conjugem volunt esse. Cum vero Atlantidum unam Themin fingunt, atque cum Amalthea nympha Jovem nutricasse, mentem animæ mundi cum Platone intelligentes, in lege illa æterna subsistere, & foveri docent.

B

Ad hæc ita Cardinalis: Haud sane vulgaria mihi videntur quæ memoras, sed cognitione prorsus digna. Quare ipsum Marcellinum lubenter audirem. Deprome librum, Martine, ut nobis locum prælegas. Is cum attulisset librum, verba ipsa ex *Historiarum* XXI. sic recitavit: *Elementorum omnium spiritus, utpote perennium corporum, præsentienti motu semper & ubique vigens, ex his quæ per disciplinas varias affectamus, participat nobiscum munera divinandi, & substantiales potestates, ritu diverso placatæ, velut ex perpetuis fontium venis, vaticina mortalitati suppeditant verba. Quibus numen præesse dicitur Themidis. Quam ex eo quod fixa fatali lege decreta præscire fas sit in posterum (quæ τεθειμένα sermo Græcus appellat) ita cognominatam, in cubili solioque Jovis vigoris vivifici Theologi veteres collocarunt.*

C

D

Tum Augustinus: An igitur existimas, Morillone, semper unam eandemque hanc esse Themin legemve, de qua hactenus es locutus?

Immo eandem, respondit Morillonus; non enim nisi unam Themida, unum lumen, unamque legem intelligo: quam non male Cicero, tam (ut dixi) *de Republica* l. III. quam *de Natura Deorum* secundo, rationem rectam summi Jovis appellat, perpetuam, atque ut alibi dicit a numine Deorum tractam, cum mundo natam, universitati singulisque rebus convenientem. Nec dissentire Platonem novistis, qui variis locis docet, non solum humanum genus, verum etiam mundum ipsum, atque ea quæ in eo producuntur, ad unum boni finem a Deo una quadam lege dirigi atque perduci. Quæ ab ipso promanans, tanquam a primo summi boni fonte ac luminum patre, per inferiorum Deorum dæmonumque potestates, & corporum cælestium elementorumque species, ideasve diversis radiis diffunditur, variisque rivis profluit, atque inde etiam in mentes animasque & corpora inferiora singula: sed certo pulchroque ordine & proportione justa, ut unumquodque pro suæ conditionis, naturæ, & materiæ qualitate, plus minusve accipiat a Themide muneris; quantum supremo rerum omnium gubernatori placuerit. Adeo ut videantur quidem multæ Themides, mul-

E

F

Fatidica Themis. Ammiani Marcellini sententia de Themide.

Themis in cubili Jovis. Themis Atlantidum una atque Jovis nutrix.

Themis et lex una.

Themis, ratio recta summi Jovis. Mundum una lege gubernari secundum Platonicos, atque per universa propagetur lex divina.

tæve leges, eo quod diverſis gradibus diſtinctæ plus minuſve polleant; cum tamen reipſa non niſi ſit una.

Legis divinæ quatuor gradus ſeu differentiæ.

Deinde rurſum Auguſtinus: Jam mihi in mentem, inquit, revocaſti, quod de legis divinæ vereque naturalis quatuor differentiis ſeu gradibus Platonici ſentiunt, quaſque pulchre Ficinus ex ipſo philoſopho collegit. Legem unam quippe æternam eſſe, ac penitus immutabilem, apudque omnes gentes eandem de rebus iiſdem. Nam quæ temporibus, locis, opinionibus permutatur, non legem, ſed conſtitutionem dici debere. Legis vero illius æternæ ſpecies quatuor Platonem ponere, quarum prima divina in ſummi Dei mente poſita ſit, quam providentiam, & ex Orpheo Saturni legem appellat. Secunda cæleſtis in ſuperiore animæ mundi parte, quam fatum vocans Jovis legem dicit. Tertia movens in movente inferioreque illius potentia, quam primæ Veneris. Quarta in hominis mente animaque rerum creatarum, quam ſecundæ Veneris legem nominat. Harum primam, ait, a ſummo bono, quod ſupra mentem eſt, profluere in univerſa: Secundam a mente & ſummo bono: Tertiam ab univerſali anima, mente & ſummo i idem bono: Quartam ab eodem, mente & anima; omneique ad ipſum bonum quoque reflecti. Primam verſari in Ideis circa ſummum bonum ſupra rationes: Secundam in rationibus circa Ideas ſupra ſemina: Tertiam in ſeminibus circa rationes ſupra formas: Quartam vero in notionibus ac formis circa rationes ſupra actus atque artes. Et hanc regiam appellat legem ſupernæ legis imitatricem, qua homines reliquaque animata gubernantur.

Regia lex, qua homines animataque gubernantur.

Hic denuo Morillonus: Non adeo quidem, inquit, hæc extra ſcopum; ad Terminum enim noſtrum quoque pertinent, quem quadrangulum nunc conſtituis; aperiſque illas ſpecierum inter ſe converſiones, utque ad unum idemque principium, a quo promanant, regrediantur. Sed hoc advertendum, duas priores ſapientiam illam divinam in ſe complecti, hoc eſt, cognitionem earum rerum, de quibus vix a nobis haberi ſcientia poteſt: ut ſunt ſumma rerum principia, & æternæ rationes, quas divinas appellat Plato, qui divinarum rerum ſcientiam aſſerit eſſe ſapientiam abſolutam. Ex his duabus itaque prior virgo etiamnum Themis Cæli vel Solis filia, ſupremi boni contemplationem ſacratiſſimam præſtat, Saturni aureum ſæculum menti repræſentans. Altera in rationibus circa Ideas verſatur, & oracula divina pandit, & nunc Jovis conjux eſſe Themis dicitur, atque in ejus habitare cubili, Parcaſque producere, ut tradit Heſiodus. Reliquæ duæ ſpecies ad inferiora hæc pertinent: quarum prior Horas Jovi, atque Mercurio Evandrum protulit, circaque rationis motum potens ſupra formas verſatur, quam Plato primæ Veneris appellat. Poſterior in notionibus ac formis efficax, ſecundæ Veneris Platoni, poetis Eurinome dicitur, atque Jovi Gratias gignit, generationi actibuſque præfecta. Atque hæ duæ non divinarum rerum, ſed humanarum ſcientiam docent, quam Plato prudentiam appellat. Harum quidem ſpecierum quatuor legis divinæ claram perceptionem atque intellectum ſine divini numinis ope nemo poterit aſſequi; nemo Themidis hujus noſtræ virtutes recte cognoſcere niſi a vitiis purgatus, mentem animæ nobiliſſimam partem lumine cælitus demiſſo illuſtratam habeat. Quamvis faculam rationis nobis Deus ſit largitus, qua cæteris animantibus præſtamus, quæ, ut Homerus ait, τὸ τῆς ψυχῆς κέαρ, hoc eſt, *illud animæ cor*, non habent. Hæc ſola nos aptiores reddit ad percipiendam Deæ virtutem, cui radius divini luminis ſi accedat, magis etiam viget, cauſas conſecutioneſque rerum facilius videt, celerrime multa ſimul agitat, ſimilitudines transfert, disjuncta conjungit, præteritis præſentia comparando, mox futura ſimul concipit. Hinc Romanis, ut Macrobius refert, Antevorta & Poſtvorta, vel ut Ovidius, Porrima & Poſtventa Deæ, quæ fatidicæ illius Thenaidis ſeu Carmentæ ſorores ne fuerint, an comites, poeta dubitat *Faſtorum* libro primo canens ita:

Noetica Themis ſeu duæ priores legis divinæ ſpecies quid contineant?

Themis virgo.

Themis Jovis conjux. Somaticæ Themidis ſeu legis divinæ poſteriores duæ ſpecies.

Quid ad legis divinæ verum intellectum requiratur?

Ratio, cor animæ Homero dicitur

Rationis divinitus illuſtratæ vis. Antevorta & Poſtvorta Deæ, vel Porrima et Poſtventa.

Si quis amas veteres ritus, adſiſte precanti,
Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placatur Poſtventaque, ſive ſorores,
Sive fugæ comites Mænali diva tuæ.
Altera, quod porro fuerat, ceciniſſe putatur;
Altera venturum poſt modo, quidquid erat.

Alii autem exiſtimant unius Deæ divinatricis hæc eſſe cognomina, quæ opinio mihi non diſplicet: nam eaſdem puto eſſe Carmentas duas, quarum Gellius *libro* & *capite* XVI. meminit, & ex Varrone nominat Proſam & Poſtvertam, a recti perverſique partus & poteſtate & nomine, quibus aras Romæ difficilis partus avertendi cauſa ſtatutas fuiſſe ſcribit, quæ σωματικῆς, vel procreatricis Themidis item videntur eſſe cognomina. Sed hæc Pighio declaranda relinquamus.

Profa et Poſtverta.

Mox Auguſtinus: Antequam tamen (inquit) progrediare ulterius, Morillone, velim explices latius, unde Themidi oracula, quæ deinde ipſam Apollini tradidiſſe legimus. Hoc eo familiarius a te poſtulare audeo, quo Pighio felicius ceſſiſſe video, quod tuam orationem de Somatica Dea interrogando paulo ante tam audacter interpellarit.

Ad hæc Morillonus: Quidlibet vobis pro veſtra in me auctoritate ac jure in his licitum putate, quod jamdudum Pighius ſibi licere pro noſtra amicitia & mutua benevolentia novit. Quæris unde Themidi oracula, rem certe quæſitu dignam: ſed magis tibi, Auguſtine, (ut autumo) quam mihi notam. Quia tamen pro ingenii tui elegantia diſſertatiunculis hiſce te plurimum delectari ſcio, lubenter ea quæ nunc occurrunt, in medium adferam. Indagatio enim hæc rerum cum maximarum, tum etiam occultiſſimarum habet oblectationem ſuam. Si vero quid occurrat prius non cognitum, amœniſſima completur animus voluptate; quæ quidem & me mirifice ad horum ſtudiorum amorem trahit, omnemque laborem leniens faſtidia procul abigit. Quapropter mea quoque cauſa interrogationibus hiſce veſtris lubenter reſpondeo. Jam vero ſatis demon-

Scientiæ fructus ac delectatio.

Cur Themis oraculis præfecit? Lex divina fontem oraculorum, ac divini nominis interpretationem continet. Lex non scripta legi scriptæ præcellit. Legis non scriptæ interpretationem a solo Deo infundi mentibus sanctorum hominum.

stratum puto, Themida nostram nihil aliud quam legem esse divinam ab ipso summo promanantem bono, naturæque universitatis ita præscriptam, ut sine hac consistere nequeat. Igitur & oraculorum divinationisque fontem purum continere arbitrantur Platonici; atque divini nominis (quod ipsum bonum ac verum est) claram complecti scientiam, planamque interpretationem. Cui scientiæ sapientes Hebræi tantam tribuerunt auctoritatem, ut eam non modo scientiis omnibus, verum etiam legi divinæ scriptæ præferant: affirmantes ipsam a Deo S. Patribus ac Mosi fuisse traditam: Mosen literis suæ legis imaginem quandam ejus expressisse; genuinam tamen ipsam mentibus sanctorum hominum, seu prophetarum a solo Deo infundi, quibus legem suam interpretandi dederit auctoritatem. Horum itaque effata atque interpretationes legitima oracula & vaticinia dici possunt, quippe cum mentem interpretum Deus suo lumine illustret, & Themis hæc gubernet. Cetera, quæcunque aliunde proveniunt, malorum geniorum præstigiæ, fascinationes, ac meræ sunt imposturæ. Lex autem summi boni regula, atque voluntatis divinæ signum est. Oraculum vero legis interpretatio, adeo ut nihil a lege differat; ita videlicet nuncupatum, quod in eo Dei contineatur oratio, quæ voluntatis est index. Hoc quidem Cicero in *Topicis* affirmat: *Oracula*, inquit, *ex ipso appellata sunt, quod est in his Deorum oratio*. Atque ab eodem etymo ducuntur fata, ϗ τὰ λόγια, nempe a fando, & oratione vel sermone: χρησμὸς autem oraculum vocatur, quasi index voluntatis divinæ, quodque indigentiam seu necessitatem quandam adferat vi rationis impellentem, ut illud sequamur quod jubet: τὸ τεθειμένον, vero (quo ipso & oraculum appellari testatur Marcellinus) ut ejusdem est significationis cum lege & Themide, ita ab una & eadem voce derivatur, qua θεμὸς, ϗ θεσμὸς, ϗ θέμις, nempe, a τίθημι, eo quod terminum ponant ac præscribant, quem excedere nefas est. Hinc etiam est, quod θεμιστεύειν tam significet *vaticinari*, & *responsa dare*, quam *leges ferre*, & *jura reddere*. Atque ex his manifestum opinor, cur Themin oraculis præesse dicant poetæ, cum ab ea provenire, legisque divinæ oracula esse interpretationes docuerimus. Ut autem his applicemus fabulas, Ovidius canit diluvii tempore Themin in Bœotica juxta Cephisum habuisse templum, & responsa ibidem dedisse Deucalioni & Pyrrhæ consulentibus post diluvium de reparatione generis humani. Orpheus autem in *Themidis Hymno* eam hominibus primam vaticinium purum declarasse dicit, ac Delphico in specu responsa dantem in Pythiis regnasse, Phœbumque regem æque recta consilia seu oracula docuisse, quæ pulchrius & brevius poeta sic cecinit:

Oracula et vaticinia interpretationes esse legis non scriptæ. Oraculum unde dicatur? Fata, ϗ τὰ λόγια unde? Χρησμὸς quid? τὸ τεθειμένον. Legis scriptæ, et oraculi vicinitas. Themidis oraculum in Bœotica diluvii tempore. Oraculum Delphicum Themida obtinuisse, et postea Apollinem. Python draco Delphicus.

Η πρώτη κατέδειξε βροτοῖς μαντήιον ἄγνον
Δελφικῷ ἐν κευθμῶνι θεμιστεύουσα θεοῖσι
Πυθίῳ ἐν δαπέδῳ ὅθι Πυθοῖ ἐμβασίλευεν,
Η ϗ Φοῖβον ἄνακτα θεμιστοσύνας ἐδίδαξε.

Vetustissimum autem atque olim toto orbe celeberrimum illud Delphicum antrum fabulantur primum a dracone bellua dira obsessum diu desertum, hominibusque interclusum fuisse. Quem natum ibi volunt ex terræ putredine post Deucalionis diluvium, & postea Apollinis occisum sagittis ibidem computruisse, inde & ipsi nomen Python, cum prius Delphines appellaretur, mansisse, ut refert Suidas. Apollinem deinde tam hac quam Cyclopum, qui Jovi fulmen fabricaverant, cæde pollutum, Olympo depulsum, divinaque potestate spoliatum, novem annos in Thessalia exulasse ad Tempe, atque Admeti regis boves pavisse. Cujus fabulæ interpretationem, quia ad nostrum scopum non adeo pertinet, nunc quærere supersedebimus. Alii non exilium illud fuisse volunt, sed eum hujus orbis solum alio orbe mutasse, & illic (ut refert Plutarchus *de Oraculum defectu*) novem magnorum annorum anfractibus purgatum, vereque Phœbum, id est, mundum, rediisse, atque oraculum apud Delphos a Themide accepisse. Ut autem jam *libro dicto* Plutarchus asserit, Apollo præstat idem menti, quod Sol corpori; cum eam foveat, illuminet, temperet, & expurget. Pura itaque & nitida mens esse debet ab affectuum passionumque tabe, priusquam divinorum consiliorum veram interpretationem assequi possit. Et illa ipsa supremi luminis a Deo promanantis agitatio ignea mentes commovens expurgando, quam Apollinem vocant, in illa putri inferiorum corporum corruptione diu plerumque laborat ac luctatur: sed tandem exsuperans divinæ legis cognitionem amplexa, veritatis ingens lumen adipiscitur. Hinc est quod Plutarchus idem *de sera numinis vindicta* scribat ex tripode Delphico splendidissimum lumen per Themidis sinus in Parnassum transparere, quo significat per divinam legem totum illud Musarum domicilium vera divinarum humanarumque rerum cognitione illustrari. Inde etiam Homerus Themin immortalibus manibus Apollini nectar & amabilem ambrosiam propinare dicit in *Apollinis Hymno*;

Apollinis exilium. Apollo cur Phœbus dictus? Apollinis et Solis comparatio. Apollo quid in mente? Per Themidis sinus lumen ingens in Parnassum transparere. Themis Apollini nectar et ambrosiam propinat.

Αλλὰ Θέμις νέκταρ τε ϗ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν
Αθανάτῃσιν χερσὶν ἐπήρξατο.

Et quidem scitissime. Sed quid intelligit quæso per nectar & ambrosiam? non aliud (ut autumo) quam ipsas Deæ seu legis divinæ virtutes, innocentiam atque immortalitatem. Deducunt enim νέκταρ παρὰ τὸ νε στερητικὸν, ϗ τὸ κτῶ, τὸ ἀναιρῶ, ἢ φονεύω, quasi minime destruens vel occidens. Et ἀμβροσία, ut ajunt Etymologici, σημαίνει τὴν ἀθανασίαν· ἀμβροσία δὲ, ἡ ὄντως σοφία τοῦ θεοῦ. ἀμβροσία, θεία τροφὴ, ἧς βροτοὶ οὐ μετέχουσιν. ἢ ἧς οὐχ οἷόν τε βροτὸν ἅψασθαι. ἔστιν οὖν βρόσις, ϗ βροσία, ϗ κατὰ στέρησιν ϗ πλεονασμῷ τοῦ μ. ἀμβροσία. Tria vero significare videmus apud Græcos veteres ambrosiæ vocabulum, nempe immortalitatem, sapientiam Dei, & divinum nutrimentum, cujus mortales non participant, aut cujus usus immortalitatem præstat. Itaque Plato de pulchritudine in *Phædro* nec non in *Philebo* de summo bono, ubi de cælesti & vera differit vita, animæ bonum esse probat integram divini luminis consecutionem. Id lumen in mente primo, in voluntatem deinde descendere dicit. In mente veritatem esse, vocarique poetico involucro ambrosi-

Nectar et ambrosia quid significent? Unde dicantur? Tria significare ambrosiam apud Veteres. Animæ bonum esse divini luminis consecutionem.

am : in voluntate gaudium, & appellari nectar. Gaudium vero illud in *Ione* de vaticinio differens a Deo provenire, mentemque supra hominis naturam erigere, ac velut in Deum transferre docet, furoremque esse quendam divinum ac poeticum, appellatque illustrationem rationalis animæ, per quam Deus eandem ex alto delapsam ad infera, ex imo retrahit ad supera, sibique vicinam collocat. Motus autem igneus ille divini luminis calore suo mentes exagitans, quem Apollinem nominarunt, eas illustrat per Themidis sinus, hoc est, per legis divinæ rationes atque præcepta, in Deum supra omnia mortalia vertit atque erigit, ibi demque veritatis æternæ cognitione tanquam ambrosia pascit, ejusdemque cognitæ gaudio vel nectare voluntatem inebriat, atque in furorem quendam divinum vertit, animumque totum felicem ac beatum & immortalem reddit. Igitur cum Apollini ambrosiam & nectar Themis infundere dicitur legis divinæ virtute, mentem æternæ sapientiæ participem fieri intelligunt; qua quidem sapientia non solum præteritorum ac præsentium, verum etiam futurorum certa continetur notitia. Quapropter mihi quidem est dubium, an nulla salubrior vel auspicatior reperiri possit salutationis formula, quam illa Græcorum, χαῖρε. Hac enim una voce accedentes abeuntesve simul valere, sapere, & gaudere jubemus, omnigenæ felicitatis ambrosiam atque nectar imprecantes.

Furor poeticus quid sit?

Χαῖρε, Græcorum salutatio.

Sed hæc de vaticinatrice Themide, quam νοητικὴν appellari diximus, ejusque oraculis jam satis multa. Somaticam vero, quam Pighio nostro monente obiter attigimus, eidem relinquemus alio loco exactius examinandam. Non male etenim hoc tempore me navasse operam arbitror, si priorem illam, quæ regit animos, utcunque explicarim. Neque enim quicquam obstat, quin plurima quæ de hac disseruimus, atque dicemus deinde, etiam de altera possint intelligi. Unam namque Themin unamque legem probavimus esse, eamque non aliter plures videri, quam diverso respectu, in quantum eadem est rebus diversis præscripta. Cur autem Termini quadrati forma hanc nobis repræsentarit Antiquitas, haud obscuras etiam rationes quasdam suis locis pro argumenti occasione adduximus. Neque vero legi divinæ convenientior figura reperiri posse videtur, quam illa quadrata, recta, alta, plana, simplex virtutibus ejus congruens, humanam quidem exprimens proportionem altitudine sua septem pedum, vel quatuor cubitorum; sed imaginem reliqua corporis forma minime, præterquam capite, in quo rationem cum virtute Platonici tanquam in arce collocant. Ideoque mentis animæque rationalis sedem appellat Galenus. Quam in vertice præsidere dicit Xenocrates, in cerebro cubare Hippocrates, vel circa cerebri fundamentum Erasistratus. Non inepte igitur Homerus & Democritus in *Phisiologumenis* caput Jovi sacrum esse dixerunt, quando is animæ mundi mens esse putatur. Sane caput præcipuum ac maxime divinum corporis membrum æstimarunt veterum philosophorum doctissimi quique, quod ad mundani orbis similitudinem compactum videatur; in eo-

Cur Themis Termini forma?

Caput mentis ac animæ rationalis sedes. Caput Jovi sacrum. Caput præcipuum membrum.

A que duos animæ divinæ circulos positos Plato tradat, rationis scilicet atque memoriæ. Quodque reliquorum omnino membrorum, velut princeps, ministerio utatur, significatque id ipsum quoque diadema regni insigne, seu fascia quæ caput Themidis cingit, indicans legem divinam, rectamve rationem mundo rebusque in eo creatis omnibus imperare. Quam idcirco Tullius aptissime *Tusculanarum Quæstionum* secundo, *dominam atque reginam omnium* appellat. Neque ab hac sententia discrepant nostræ religionis antistites antiqui, ut D. Augustinus B *de Civitate Dei* libro primo cap. XVI. affirmans virtutem qua recte vivitur ab animi sede membris corporis imperare, sanctumque corpus usu fieri sanctæ voluntatis. Caput item docet Hesychius Hierosolymitanus allegorice uniuscujusque animalis ratione pollentis mentem dici: *Cujus* (inquit) *sedes cerebrum, unde caput & cuncta, quæ adhærent jecori, super altare in holocaustum ponere jubemur*. Nam & cor & jecur concupiscentiæ nostræ impetum motumque continent. Quapropter (ut ad Terminum C nostrum redeamus) honoratissimæ apud Athenienses olim, aliosque Græcos fuerunt statuæ illæ terminales; effigiem tantum capite, sine manibus, sine pedibus, & humanam altitudinem recta quadrangula columna ab humeris deorsum exprimentes; ut quæ mentis ingeniique vim quandam divinam significent, cui nec manibus nec pedibus est opus, ut quod facere destinarit, efficiat. Nec minus firmam ac constantem designat justitiam recta & æqualis illa forma quadrata, proportionem undique justam, & immotam stabilitatem retinens. Quare D nec his statuis donabantur nisi heroes virtutis ergo, nempe ingenio, prudentia, doctrina, rebusve præclare gestis conspicui, quorum vita ad legis divinæ vel virtutis regulam probe facta erat, quos Plato passim sapientes ac divinos appellat. Homerus vero θεοεικέλους, καὶ θεοειδεῖς. Inter quos etiam referendos censet apud Tullium Africanus, qui præstantibus ingeniis in vita humana divina studia colunt.

Diadema Themidis quid signet?

Lex divina domina ac regina omnium.

Caput mentem significare.

Terminales statuæ honoratissimæ.

Forma quadrata quid notet? Heroum statuæ terminales.

Quinam heroes dicantur?

Hic denuo Cardinalis: Profecto verum dicis, mi Morillone; plures enim ejus generis statuas & illustrium ducum & doctorum E hominum adhuc videmus, quas partim e Græcia allatas, partim ad imitationem Græcarum factas arbitror. Multæ enim nomina sua pectori inscripta præ se ferunt, ut Miltiadis, Socratis, Platonis, Theophrasti, P. Valerii Publicolæ, aliorumque. Reperitur & Numæ Pompilii effigies terminali forma in denariis argenteis, qui Numa Terminum Deum Romæ primus consecravit.

Horoum statuæ quæ Romæ visantur.

Tum ego, Cardinalis verba comprobans: Recte, inquam; vidi enim denarium illum his diebus apud humanissimum eruditissimumque virum Achillem Maffæum, qui F cusus a M. Varrone fuerat cum legatus esset, proquæstore Cn. Pompeii Magni bello Piratico & Mithridatico. Ceterum plurimas ejus generis statuas e Græcia in villam suam Tiburtinam transtulisse Hadrianum Imperatorem colligo ex fragmentis, quæ nuper ibidem vidi cum titulis adhuc suis, utpote Themistoclis, Cimonis, Alcibiadis, Heracliti, Andocidis, Isocratis, Æschi-

nis, Ariſtotelis, Carneadis, Ariſtogitonis, & Ariſtophanis: ſed capita (quod dolendum) fere omnia temporis injuria perierunt: tituli Græci quadratis litteris elegantiſſime inſculpti permanent.

Quadratæ litteræ in heroum terminis.

Hic iterum Morillonus: O miram Antiquorum in obſervando decore, atque in exprimenda ratione diligentiam, qui quadraturam illam æquitatis & juſtitiæ non ſolum in æquilatero termino, ſed etiam in litterarum figura retinere voluerunt! Hanc enim vel in corpore, vel in plano, vel in numeris Mathematici inter rectilineas figuras perfectiſſimam exiſtimant: ideoque ut Veteres Fortunam in volubili globo ſolent pingere, propter inconſtantiam; ita Sapientiam in quadrato ſtatuebant, cujus ſedes firma atque inconcuſſa eſt, nempe ipſa lex divina, quæ vitiis omnibus reſectis exciſiſque, quadratum vitæ juſtioris tenorem & ex omni parte libratum demonſtrat. Quapropter apud Arcades non Mercurii tantum, verum etiam Jovis aliorumque Deorum, ut Pauſanias auctor eſt, ſtatuæ quadratæ fiebant, rectam, juſtam, & conſtantem numinis potentiam deſignantes. Nam & Poeta quidam cecinit:

Fortuna in globo. Sapientia in quadrato.

Deorum ſtatuæ quadratæ apud Arcades.

Jupiter ipſe manens ſtabilis facile omnia volvit.

Quadratum inſuper *hominem* antiquo proverbio virum omnibus numeris abſolutum, probum, ac juſtum appellarunt, veram felicitatem atque gloriam in animi bonis & lege divina collocantem: qui aſſidue faciet cogitabitque omnino, quæ ſunt virtutis & fortunæ caſus optime feret, ubique moderatus & rectus, ὅγ' ὡς (inquit Ariſtoteles *Ethicorum* primo) ἀληθῶς ἀγαθὸς, καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου, hoc eſt, *is vere bonus & quadrangulus ſine nota vel vitio*. *Rhetoricorum* quoque libro tertio ad Theodecten perfectum virum metaphorice quadrangulum vocari dicit. Sed raram ſemper fuiſſe hanc in terris avem, Sopatri verba demonſtrant, quæ apud Stobæum *Sermone* XLIIII. hæc legimus: Τίς ἂν οὕτω, κατὰ τὸν Σιμονίδου λόγον, τετράγωνος, ὅς κατὰ πᾶσαν τύχην καὶ πραγμάτων μεταστάσιν ἀσφαλῶς ἑστήξεται: συναρμόζων μὲν ἑαυτὸν τοῖς τε ἄρχουσι καὶ ἀρχομένοις, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἁρμόζων ἅπαντας, πᾶσαν δὲ πάντων διαφορὰν πρὸς ἕνα τὸν τοῦ καλοῦ συνυφαίνων λόγον. Dubitat enim vehementer quiſnam adeo juxta Simonidis poetæ dictum quadratus reperiri poſſit, qui per omnem fortunam rerumque mutationem firmiter conſiſtat, accommodans ſe principibus, ſimul & ſubditis, & ſibi ipſi concilians cunctos, atque omne rerum omnium diſſidium ad unam recti rationem componens. Igitur cum lex divina ſit optima atque perfectiſſima, Themin Deam aptiſſime Veteres quadrangulam quoque formarunt, quæ vere ſe colentes reddit bonos, perfectos, atque quadratos. Eademque figura quaternarii numeri vim atque perfectionem complectitur, æqualibus quatuor lateribus ſemper recta, & quatuor lineis totidemque angulis undequaque conſpicua, & ſibi ubique ſimilis. Adde quod Themis ipſa cum tribus filiabus quaternarium expleat, atque ita ut ſuper tria imponatur ipſum unum, principium ſcilicet omnium, auctore Pythagora. Cui uni quidam ex Veteribus adeo favere viſi ſunt, ut deum ſupremum illud eſſe dixerint, qui unus, ſimplex, & immobilis omnia ternario conficit, quem & ipſum in ſe complectitur. Trias namque princeps imparium perfectus numerus ipſum omne ſignificat, principio, medio & fine contentum, ut Ariſtoteles in libro *de Cœlo* diſſerit. Itaque Pythagorici rerum omnium menſuram eſſe dixerunt Triada, ob eam opinor cauſam, quod Deus per legem ſuam ternario mundum gubernet. Unde eſt & Maronis illud: *Numero Deus impare gaudet*, id eſt, bono, juſto, & pulchro. Bono, ubi creat: juſto, ubi diſponit: pulchro, ubi ſingula perficit. Huic igitur Triadi ſi monada ipſam adjungas, conficitur inſignis quaternio, ſeu τετρακτὺς illa Deum opificem cum toto univerſo ſuo opificio repræſentans, ſacerrimum Pythagoreis olim juſjurandum: quam perennis naturæ fontem in ſe complecti dicebant. Illud autem juſjurandum tale fuiſſe Plutarchus nobis prodidit *de Philoſophorum placitis* libro primo:

Homo quadratus qui dicatur.

Rarus vir quadratus.

Themida unum ac tria complecti.

Unum.

Trias.

Τετρακτὺς Pythagorica.

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτὺν
Παγὰν ἀεννάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.

Porro quaternarium cunctas tum numerandi, tum canendi proportiones continere, ex Pythagoricorum ſententia tradit Athenagoras. Quem idcirco numerum omnem vocabant, quod denarii numeri ab ipſis τέλειος appellati, atque mundo conſecrati, vim plenitudinemque contineat, velut cardo numerorum omnium. Nam unum, duo, tria, quatuor ſi jungantur, ſumma decadis conſtituunt: quam quadraturam primam appellant, trigono æquilatero conſiſtentem, cujus principium monas eſt.

I
I I
I I I
I I I I

Idem triangulus per decades iteratus centenarii ſummam explebit:

X
X X
X X X
X X X X

atque deinde per centenarios millenarii. Denique per millenarios myriada conficiet. Cum igitur quater variata tetras perfectiſſimam ubique ſummam conſtituat, profecto & ipſa ſummæ debet eſſe perfectionis, & quæ habeatur in precio digniſſima.

C
C C
C C C
C C C C

M
M M
M M M
M M M M

Omnia namque quæ ſunt, quaternarius numerus conficere colligareque videtur. Elementa namque rerum fere omnium quatuor eſſe conſtat: atque etiam conſenſu quodam tacito gentes pleraſque omnes præcipuum Dei nomen quatuor litterarum elementis ſcribere noviſtis; quod profecto fortuitum cenſeri non debet; nam abſque divinæ poteſtatis ordine non videtur eveniſſe. Appellatur igitur rectiſſime tetras ſolidi perfectio; nam omnia quæ conſiſtunt, punctum, li-

Quaternarius numerus omnis, mundo ſacer apud Pythagoricos.

Tetras quater variata.

Quaternarii numeri vis eadem quæ legis divinæ.

Tetras ſolidi perfectio.

neam, superficiem & corpus habent. Appellatur & harmonia; nam epitritus est ad ternarium, ad binarium diplasius, ad unitatem tetraplasius. Adjicere hic non fuerit fortassis absurdum symbolorum Themidis quaternionem mysticum, quem Græci olim religiosissime inter arcana servabant; videlicet origanum, lucernam, ensem, & pectinem muliebrem, quibus deæ virtutes designabantur. Per origanum enim notabant mentem elevatam atque contemplantem summum bonum, quæ legis divinæ vim nobis declarat: origanum namque montibus atque alto gaudere, & visum illustrare, nomen ipsum indicat. Summos autem montes, ut Olympum, cælo compararunt Veteres, atque ab Indis Caucasi summum vocatur deorum domicilium, ut Philostratus in *Apollonii Vita* libro secundo testatur. Sic Hanno Θεῶν ὄχημα rupem altam appellavit, hoc est, *Deorum vehiculum*. Quin etiam nunc temporis in Fori transitorii vetustis illis sculpturis Deos ex rupium cacuminibus se monstrantes videmus. Hos fingit & Homerus ex Ida monte prælia Græcorum Trojanorumque spectare. Sed hæc de montibus satis. Valet insuper origanum mirifice contra venena & serpentes, ut Aristotelem & Plinium auctores habemus. Quare sanitatis atque salutis quoque mysterium est, quæ cælestem illam contemplationem sequitur. Lucerna autem Antiquis vitam animumque signat; unde illud Euripidis, χαῖρε φίλον φῶς, quod morituri dicere solent. Hinc lampadum quoque ludus antiquissimus vitæ propagationem significat, cum per vices alter alteri succedunt,

Tetras harmonia. Quaternio mysticus symbolorum Themidis. Origanum quid notet? Origani natura. Montes altos cœlo comparari. Deorum vehiculum. Deorum simulachra in Foro transitorio. Ida mons. Origani vis. Lucernæ significatio. Lampadum ludus.

Et quasi cursores vitia lampada tradunt,

ut Lucretii verbis dicam.

Nec inepte Plutarchus lucernæ hominem comparat rationis lumine præditum, quo obscura & incognita nobis illustrantur. Cedunt enim tenebræ, ubi veræ scientiæ lumen effulserit, quod legis divinæ imprimis studio adipiscimur; quam ipsam lucernam nobis esse dicit magnus Propheta: *Lucerna pedibus meis lex tua & lumen semitis meis*. Mentem enim atque intellectum illustrat hæc sola, & veri vaticinii fontem detegit. Atque hæc duo Noeticæ Themidis sunt symbola. Sequentia ad Somaticam pertinere videntur. Per ensem namque malorum depulsionem, justitiam, atque recti exsecutionem intelligunt: potestatis enim publicæ indicium est gladius, quem a Deo non sine causa magistratui traditum affirmat Apostolus. Vindex enim legis divinæ is esse debet, atque eos punire qui contra eam male operantur. Quin etiam Origenes *Esaiæ* verba exponens, quibus fertur Dominus intentato nos gladio visitare, per gladium intelligit diffectionem, ut ait spiritus a carne, quam facit legis divinæ studium, virtutis amorem producens. Is enim rectæ rationis gladius affectuum, passionum, aliorumque vitiorum superflua ac fœda impedimenta ab animo abscindit ac aufert. Pecten denique muliebris generationis signum est, quam propagare Themida diximus. Nam & pudendum muliebre κτενὰ vocant Græci, atque hoc occulte per *pectinem* intelligi testatur Clemens Alexandrinus in *Protreptico ad Gentes*, ubi nobis hæc symbola sic prodit: Καὶ προσέτι τῆς Θέμιδος τὰ ἀπόῤῥητα σύμβολα, ὀρίγανον, λύχνος, ξίφος, κτεὶς γυναικεῖος, ὅ ἐστιν εὐφήμως καὶ μυστικῶς εἰπεῖν, μόριον γυναικεῖον. Itaque Veneri sacer pecten est, quem idcirco *Cytheriacum* appellat Naso poeta de Salmaci canens:

Ensis significatio. Pectinis significatio. Pecten Veneri sacer.

Sæpe Cytheriaco deducit pectine crines.

Verum hæc de Themidis symbolis hactenus; brevitati enim ut demus operam, nunc tempus suadet. Videmus igitur ut nihil ociosum in hoc simulacro, ut formarum excellentia, numerorumque sacerrimorum proportione legis illius primariæ virtutes atque ipsam divinitatem demonstret, ut Themidis antiquissimæ Horarumque pulcherrimarum potestates exprimat; quarum illius quidem contemplatio sapientes, harum vero cognitio prudentes, denique omnium plena τετρακτὺς percepta, prorsus divinos facit. De numeris hæc dicta sufficiant.

Jam enim tempus est, ut ad Horas descendamus, Themidis tres filias ἢ Ζηνὸς ἀνάκτος, quemadmodum Orpheus cecinit, & nos ante declaravimus ex Hesiodo atque aliis. Neque vero ineptas eas esse fabulas nunc docebo. Mundum, ut novimus omnes, Deus omnipotens sibi similem atque omnibus numeris absolutum creavit, tribusque dotibus a se provenientibus insignem Themide procreata, seu lege sua divina imposita, reddidit: nempe bono, justo, atque pulchro. Quæ primum, ut Platonici volunt, menti atque animæ universali mundanæ a Deo infusæ, ab eadem deinde in potentias cælestes lege illa cælesti propagantur, & hinc in rerum ideas, naturam, ac materiam, corporaque universa, ut his creata singula perfectionem suam declarent: scilicet utilitate bonum, ordine justum, ornamento pulchrum. Atque his dotibus ternæ Jovis ex Themide filiæ præsidere putantur, & quicquid in mundo commodorum felicitatisque provenit, divino quodam nutu suppeditare atque administrare. Quas idcirco cœli portas observare fabulatur Homerus, & ex eodem Lucianus & Pausanias. Apud Ovidium quoque *Fastorum* primo Janus sic loquitur:

Horæ Themidis ac Jovis Regis filiæ. Mundus absolutus, et tribus dotibus insignis. Horæ cœli janitrices.

Præsideo cœli portis cum mitibus Horis.

A cœlo namque virtutes omnes suggerentibus Horis atque disponentibus profluere, opinione receptum fuit. Quapropter Horatius poeta Lyricus Jovem patrem rerum omnium conditorem variis Horis mundum moderari pulcherrime cecinit:

—— qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat Horis.

Varias autem videtur appellare poeta a multiplici ac diversa dearum potestate, quæ cum omnia ad bonum justumque ac pulchrum dirigant, varia subeunt officia, omnigenæque sunt felicitatis largitrices, & ubique benefaciunt. Nam ab Orpheo propterea splendidis admodum laudantur epithetis a virtutum pulchritudine atque munerum

Horæ variæ. Horarum multæ virtutes.

nerum gratitudine multiplici, quibus tam animos quam corpora commode exornant atque afficiunt. Invocantur enim in *Hymno ejus* his verbis:

Εἰαριναὶ, λειμωνιάδες, πολυάνθεμοι, ἁγνεί,
Παντόχροοι, πολύοδμοι, ἐν ἀνθεμοειδέσι πνοιαῖς,
Ὧραι ἀειθάλεες, περικυκλάδες, ἡδυπρόσωποι,
Πέπλους ἑννύμεναι δροσερούς ἀνθῶν πολυτέρπων.

Quibus allegorice significat virtutes earum perpetuo in ambitum ire & florere, atque in usu, gratia, honore & oblectatione deorum hominumque semper esse. Quin diversa earum potestas atque administratio etiam unius & simplicis nominis diversa etymologia significatur. Appellantur enim Ὧραι, παρὰ τὸ ὠρεῖν, τὸ φυλάττειν. Credebantur enim non modo Jovis aulæ custodes esse cælive portis præsidere, atque elementorum supernos spiritus influentiasve (ut vocant) cælestes ad legis divinæ regulam dirigere, sed & hominum acta observare, inferioraque omnia in bono statu continere, quemadmodum Hesiodi Scholiastes tradidit. Sunt item ab ὁρίζειν Ὅραι nominatæ, ut quidam volunt, inter quos Plato magnus auctor est, veteri Attica lingua sic scribi per ο solere nomen affirmans, propterea quod limitibus suis omnia juste circumscribant, statum anni, ventos, & fructus æqua temporum proportione terminent, bonum a malo secernant, ad sua quæque redigendo, concordiam ac pacem concilient, generationem propagent. Has nobis saltantes, atque annum consertis manibus circumagentes graphice depingit Philostratus Lemnius, quadruplices eas faciens, vernas, æstivas, autumnales, & hybernas, ternario quater iterato tam diei quam anni partes æquas pulcherrime referentes.

Horæ a custodiendo dictæ.

Horæ a terminando dictæ.

Horæ quadruplices.

Tum ego: Bene quidem hæc, inquam, ad numerorum, quæ ante dixisti, sacra mysteria quoque pertinent. Atque hinc etiam Horas Solis asseclas dici existimo, quemadmodum legimus apud Ovidium *Metamorphoseos* lib. II. ubi Solis currum describit:

Horæ Solis asseclæ.

A dextra lævaque Dies, & Mensis, & Annus,
Sæculaque, & positæ spaciis æqualibus Horæ.

Sed cur quæso Athenienses Horis carnes lixas sacrificabant, ut Philochorus memoriæ prodidit?

Horarum sacrificium apud Athenienses.

Respondit mox Morillonus: Quo scilicet caloris humorisque justa temperie æstus siccitatesque nimias deæ averterent. Quarum erat fructuum omnis generis maturitatem atque abundantiam suggerere, elementa temperate distribuendo. Erant autem Atheniensibus antiquissima sacra Pyanepsia & Thargelia Soli & Horis primum instituta, sicut quidam Aristophanis Commentatores tradidere, in iisque pueri oleaginos ramos lana coronatos gestare solent: quos idcirco εἰρεσιώνας appellabant, omnis generis fructibus ex iis dependentibus atque etiam ipsis Horis, eosque deinde pro foribus ædium consecratos suspendebant, cantantes hos versus:

Pyanepsia et Thargelia sacra.

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους,
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀνεψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

Crates autem in suo *Commentario de sacrificiis Atheniensium* refert hunc ritum ex oraculo Apollinis institutum esse, cum olim magna fames & fructuum sterilitas urbem premeret. Alii ad Thesei votum referuntur, cum is in Cretam navigaret, ac tempestate actus ad Delum Apollini nova hæc sacra voveret, si interfecto Minotauro salvus rediisset. Sed multa de his Aristophanis Commentatores scribunt, item Plutarchus in *Thesei Vita*, & Suidas. Nos vero ad Horas nostras redeamus, quæ tertio nominis etymo dicuntur ab ὡραΐζειν, id est, *ab ornando*; nam ὥρα *pulchritudinem*, *formam* atque *decorem* significat. Unde & ὡραῖος dicitur *pulcher*, *maturus*, *semper florens*, atque *in vigore constitutus*. Hinc Floræ Deæ comites facit Ovidius *Fastorum* libro V.

Horæ ab ornando dictæ.

Conveniunt pictis incinctæ vestibus Horæ:
Inque leves calathos munera nostra legunt.

Satis itaque nunc demonstravimus, quam sub uno nomine triplex Dearum potestas atque virtus contineatur, quæ ab uno supremi numinis fonte profluens, in ipsa lege divina triplicatur. Ex qua deinde tres illæ florentissimæ filiæ, quibus cælestia terrestriaque omnia beantur atque perficiuntur, proveniunt. Has vero Jovem, vel mentem divinitus mundo infusam fingunt ex Themide seu rectæ rationis meditullio procreasse. Quarum Eunomia æquitas est ex boni ratione procedens, utilitatem ac bonam rebus qualitatem adducens, sesequе (ut asserit Plato) per omnia diffundens, cunctaque boni virtute conservans. Dice justitia est, ex justi ratione omnia distribuens, quæ rectum rebus ordinem constituit. Quocirca divinam mentem ordinatricem omnium eam appellat Anaxagoras. Plato atque Orpheus divinam voluntatem omnia penetrantem existimant esse. Tertia Irene, pax, concordia, atque dilectio dicitur, a ratione pulchri proveniens, rebus perfectionem atque ornamentum adjiciens. Mentem, visum, auditum allicit pulchritudo, cui semper adsunt amor, pax atque concordia. Potestatis igitur prorsus divinæ sunt hæ tres Jovis filiæ, in quibus mundi naturæque universæ consistit perfectio, nec minus initium ac fundamentum. Elementa enim

Eunomia.

Dice.

Irene.

Pulchritudinis vis.

Horas generationem promovere.

æquitate, ordine, atque concordia congregantur, generatio & vita promovetur, rerum omnium ſocietas coaleſcit ac fovetur. Hinc Orpheus deas invocans, generationes fæcundas atque irreprehenſibiles operationibus ſuis inducere dicit:

Εὐκάρπυς χειρῶν γενέσεις ἐπάγυσαι ἀμεμφῶς.

Horæ nutrices Junonis.

Oelenus poeta vetuſtiſſimus Junonem ab Horis educatam cecinit in *Hymno*, quo Deam exornavit, ut Pauſanias in *Corinthiaca* meminit. In Polycleti inſuper eximiæ magnitudinis ſigno ejuſdem Deæ celeberrimoque, quod Mycænis in fano ex auro & ebore fabricatum extitit, in Junonis corona Horas & Gratias exſculptas fuiſſe ſcribit idem Pauſanias. Nec temere iſta; Junonis enim numen Phyſiologi volunt naturæ, generationi, ac vitæ præeſſe. Quinimmo mundanæ animæ vim illam appellant, quæ auram vitalem promovet, unde & Jovis ſororem & conjugem atque etiam ἥραν, id eſt, *aera*, vocarunt. Junonem ergo, ſpiritumve vitalem corpori infuſum ab Horis æqua & matura conſtitutione materiæ, quæ Eunomia dicitur, juſtaque proportione atque ordine debito, quæ Dice eſt, denique amica elementorum concordia, quæ Irene putatur, nutricari foverique intellexerunt, nec non accedentibus ſimul Gratiis ſummi decoris corona cingi & exornari. Magna quidem, ut apparet, naturæ affinitas eſt, magnaque virtutum ſimilitudo inter Horas, Parcas & Gratias; quæ ter ternæ Jovis filiæ ſacrum Muſarum illum chorum conſtituunt novenario in numero, ex diſſimilibus ſcilicet quibuſdam, quæ tamen ad unum aliquod optimum, communem utilitatem, univerſique & ſingulorum conſervationem mirabili concentu legis divinæ vigore referuntur. Nam cum ordinem in rebus juſtum fere Parcæ, Gratiæ decorem adminiſtrent, cognoſcimus Horas hæc omnia eadem ſimulque bonam qualitatem, utilemque maturitatem ſuppeditare. Quapropter Horas in *Apollinis Hymno* Homerus cum Gratiis choreas ducere, id eſt, una operari coram Jove canit. Et ex iis tertiam Irenem pulchram Veneris & Charitum ſociam vocat Ariſtophanes in *Acharn.* Quam recte apteque igitur Orpheus in *Horarum Hymno* cecinit, Proſerpinam Deam has comitari cum Parcis & Gratiis, quando illam circularibus choris ad lucem reducunt Jovi gratificantes, & Cereri matri fructuum largitrici:

Horæ & Gratiæ in corona Junonis. — Juno quid? — Horarum, Parcarum, & Gratiarum conjunctio. — Horæ cum Gratiis choreas ducunt coram Jove. — Irene, Veneris & Charitum ſocia. — Proſerpinæ comites Horæ, Gratiæ, Parcæ.

Περσεφόνῃ συμπαίκτορες, ἡνίκα μοῖραι ταύτlω,
Καὶ Χάριτες κυκλίοισι χορεῖς πρὸς φῶς ανάγωσι,
Ζηνὶ χαριζόμεναι, καὶ μητέρι καρποδοτείρῃ.

Proſerpina quid?

Ubi Proſerpinam hic intelligit divinus poeta, atque ex eodem Platonici, non virtutem ſeminum, ſicut Euſebius *de Præparatione Evangelica* libro tertio dicit, ſed vim naturæ conceptivam a ſphæris cæleſtibus promanantem in elementa, atque permeantem corpora inferiora omnia: quæ deinde Jupiter mentis mundanæ vigor fæcundat, vis terræ generativa Pluto amplectitur. Hanc enim precatur idem poeta in *Hymno Perſephones*, ut fructum terra Horarum favore remittat:

Pluto.

Κλῦθι μακαίρα θεὰ καρπὺς δ' ἀναπέμπ' ἀπὸ γαίης
Εἰρήνῃ θάλλυσα, καὶ ἠπιόχειρ' ὑγιείᾳ,
Καὶ βίῳ ἐν ὄλβῳ λιπαρὸν γῆρας κατάγοντι.

Irene virens. — Dice Sanitas. — Sanitatem in juſta temperatura conſiſtere. Juſtitiæ harmonia ſanitas.

Verum hic Deas ſuis effectibus deſcribit, & nominat Irenen virentem, eo quod vivere, creſcere, & gaudere faciat: Dicen vero, quod aſpera, iniqua & noxia depellat, Sanitatem vocat dulces & lenes manus habentem. Conſiſtit enim hæc virtus in juſta elementorum complexione, atque in recta qualitatum primarum diſtributione, vel temperatura. Quapropter eleganter admodum Plato *de Republica* libro quarto, juſtitiæ germanam dicit eſſe temperantiam; iiſdemque rationibus Juſtitiæ harmoniam docet eſſe ſanitatem, probatque multis ibidem, tam animo quam corpori ſanitatem a juſtitia conciliari, cum omnia ad divinam naturæ legem diſponat ac digerat. Eadem denique ceſſante ab officio, ſuccedere morbum, adeo ut virtus ipſa per ſe tam animi quam corporis ſit ſanitas; pravitas ſeu injuſtitia, morbus. Hæc eſt illa Epicuri iſonomia, cujus vim ſummam atque infinitam Tullius *de Natura Deorum* libro primo dicit eſſe, ut per eam omnibus omnia, paribus paria reſpondeant. Quæ æquabilis diſpenſatio ubicunque fuerit, adeſſe profecto illi corpori debet ipſa ſanitas. Aptiſſime igitur juſtitiam Orpheus ab effectu ſuo vocat ſanitatem, non ſecus atque tertiam Horarum Eunomiam (quæ bona eſt qualitas, & recta materiæ conſtitutio) vitam beatam & prudentem appellat, quæ maturam vegetamque adfert rebus ſenectutem. Nec poſſet profecto melius Eunomiæ virtutes exprimere poeta, ſive mentem animumve, ſive corpus reſpicias. Nam εὐνομοῦμαι *bonis legibus regi*, & *bene lauteque vivere*, *nutririve* ſignificat: ita νομὸς *nutrimentum* & *legem* ſignificat, νομεὺς *paſtorem* & *regem*. Adeoque non temere principale illud regendi atque paſcendi munus unum idemque eſſe exiſtimarunt Homerus & Plato, pro ea quæ eſt inter animum & corpus connexione, gubernaculo & paſtu ſemper indigente. Et in utroque ſicut Themidis divinam illam poteſtatem aſſidue operari, jam ante diximus: ita & Horarum virtutes omnino quoque requiruntur in unum commune, ſingulorumque bonum cum matre conſentientes. Nec requiruntur ſolum in quovis genere mortalium ſingulatim, verum etiam in convictu familiari ac diſpenſatione domeſtica non minus, quam in omni adminiſtratione publica. Is igitur vere vir prudens dici poterit, qui harum plenam cognitionem rectumque uſum poſſidet. Eaſque merito felices domos, familias

Epicuri iſonomia. — Eunomia, vita beata. — Eunomiæ etymologia. — Vir prudens.

atque respublicas appellabimus, in quibus si vel patres vel principes potiuntur rerum, quorum cogitationes & studia hæ gubernant. Nam omnia quæ ad humanæ vitæ cultum commoditatemque pertinent, istas procurare Veteres crediderunt, ut Diodorus Siculus ex Cretensium antiqua philosophia libro *Bibliotheces* sexto memoriæ prodidit. Nescio igitur an quis unquam magis digne Corinthum laudarit, quam Pindarus poetarum extra controversiam in suo genere summus. Non potuisset enim in cælum altius haud dubio evehere felicem ejus reipublicæ statum, quam canendo in eadem versari tres aureas divitiarum dispensatrices Themidis bene consulentis filias coætaneas, urbium fundatrices, Eunomiam, Dicenque cautam, & concordem Irenen: quæ Saturitatis temerariæ & gloriose loquentis filiam Contumeliam semper profligare student. Sed ipsum quæso audiatis poetam, cujus verba hæc recensenti mihi in labris versantur: leguntur autem ode *Olympiorum* XIII. quam Xenophonti Corinthio scripsit, ejus patriam imprimis commendans:

Corinthum quomodo laudet Pindarus? Horæ dispensatrices divitiarum.

Contumelia Saturitatis filia.

Εν τᾶδε δ' Εὐνομία ναίει, κασίγνη-
ταί τε, βάθρον πολίων,
Ασφαλὴς Δίκα, καὶ ὁμό-
τροπος Εἰράνα, ταμίαι
Ανδράσι πλούτου, χρύσεαι
Παῖδες εὐβούλου Θέμιτος.
Εθέλοντι δ' ἀλεξεῖν ὕβριν, κόρου
Θυγατέρα θρασύμυθον.

Easdem deinde mox Horas pulchre florentes sæpe cordibus hominum veterem sapientiam, hoc est, excogitatas primum artes, immittere dicit:

—— πολλὰ δ' ἐν
Καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον
Ωραι πολυάνθεμοι ἀρ-
χαῖα σοφίσματα.

Quæ felix civitas?

Merito itaque beatam atque florentem dicemus illam civitatem, in qua ea politia est, ut in ipsa hæ deæ tres virgunculæ reperiantur, omnis boni cunctarumque, quas natura dare potest, opum largitrices. Nihil enim, ut dixi, naturæ magis amicum, nihil ad omnium rerum procreationem & conservationem est aptius, magisve necessarium, quam bona constitutio, justa distributio, & amica rerum conciliatio. Quæ tria dearum trium officia sunt, imo singulæ hæc simul omnia, atque omnes simul singula administrant. Itaque manibus inter se connexæ, conformes, unoquoque vestitu similes conspiciuntur, stolatæ, brevibusque palliis amictæ, vittis vel tæniis capita cinctæ, & pectora zonis. Qui habitus virgineum pudorem, continentiam, atque honestatem ingenuam designat. Castitas autem atque honestas, ut D. Cyprianus moris antiqui non imperitus asserit, non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus decore pariter ac pudore. Quocirca cujusque sexus, ætatis, conditionis, atque ordinis honestas in habitu semper observata & expressa fuit, tam apud Romanos, quam apud Græcos. Quod ipsum uno alterove hic exemplo, prout argumenti nostri ratio requirit, probare conabor. Valerius Maximus *libro* VII. *cap.* III. stolam verecundiæ vocat: & poeta Martialis inter indecora & insueta recenset, meretricem stola vestitam:

Cur manibus connexis Horæ visantur? Earum descriptio.

Stola pudoris & verecundiæ.

Quis, inquit, Floralia vestit? & stolatum
Permittit meretriculis pudorem?

Tænias, vittas, & zonas signare temperantiam continentiamve, Philostratum in *Vita Apollonii* auctorem habemus, idemque ostendit ipsa vocum etymologia, atque eorum vinculorum usus, cum tæniæ vel vittæ crines, zonæ mamillas contineant & compescant, ἀπὸ τοῦ ταινιόω, (namque ταινία dicitur,) quod *coronare*, *cingere*, vel *ligare* significat; & vittæ a viciendo nominatæ sunt. Jam dictas ob causas igitur Ovidius amandi præcepta daturus, e schola sua tales habitus abigit, cum admoneant castitatis & continentiæ:

Tæniæ, vittæ, & zonæ quid significent?

Este procul vittæ tenues insigne pudoris,
Quæque tegis medias instita longa pedes.

Et quamvis instita proprie extremam stolæ fasciam significet: hoc tamen loco eam poeta pro stola ipsa posuit, partem ejus pro toto accipiens. Zonam vero pectoris, quo fluxæ animorum cupiditates foventur, vinculum constat virginalem notare pudicitiam, quam idcirco sponsus Virginiensi Deæ, sive Dianæ virginis, in honorem, antequam novæ nuptæ conjungeretur, solvere solebat. Unde & Lysizonæ Dianæ nomen Theocrito, Orpheo, & Hesychio. Zonam igitur solvere, virginitatem eripere est, quo modo debet intelligi illud poetæ:

Instita quid?

Zona quid notet?

Virginiensis dea Lysizone Diana.

Λύσατο δὲ παρθενίην ζώνην.

Quod Catullus iisdem pene verbis sic Latine est imitatus:

Quod zonam solvit diu ligatam.

Eo etiam spectat Ovidii illud:

Castaque fallaci zona recincta manu.

Verum hæc nimis forsan curiose nunc persequimur, apud vos præsertim, quibus graviora sunt curæ, conveniuntque. Sed elatus differendi quadam cupiditate sistere cursum, retrahereque habenas, in curriculo præsertim tam late patenti, ac mihi prorsus insueto, facile non possum; ideoque non ægre ferendum, si aliquando a metis aberrem.

Imo perplacet, inquit Cardinalis, hæc tam varia, tam jucunda tua disputatio, quæ plena est omnigenæ eruditionis. Ideoque & hoc amplius a te velim intelligere, cum manibus inter se connexis Horas dixeris, cur videam tertiam chlamyde circumvoluta manibus demissis atque tectis seorsim stantem?

Cur Irene circumvoluta chlamyde.

Irene esse, respondit Morillonus: Pax enim tranquille per summam quietem operatur: & cum nihil agere videatur,

Cur chlamyde eam teneat Dice? Justitiam pax sequitur.

omnia tamen commoda, in quibus vitæ consistit felicitas, tacite producit. Non, ut apparet, tamen ab aliis plane disjuncta est, nam chlamyde apprehensam eam tenet media Dice, nec invitam ut videmus, non enim refragatur, aut contranititur. Justitiam enim haud illibenter pax ipsa plerumque comitatur, immo velut præmium operationes & acta duarum sororum usque sequitur. Bonarum enim legum atque justitiæ, quæ lites & bella dirimit, unicus est finis pax, amicitia, & quies. Cur autem priores duæ brachiis effictæ sint nudis, ut recte intelligamus, altius aliquanto repetendum erit. Themidis seu legis divinæ contemplationem a Platone perfectam atque absolutam appellari sapientiam superius diximus. Ex eadem nasci alteram in *Theage* multis probat, conditionalem quippe, omnibus artibus communem, quam prudentiam vocat, ac rerum humanarum inferiorumque omnium cognitionem. Hanc tunc principalem prudentiam, ac regiam scientiam esse dicit, quando cæteris artibus ut ministris utitur, nempe cum res civiles atque humanas regit. Tum autem duo imprimis ejus sunt officia, leges æquas & justas condere, & hæc Eunomia est; & conditas exequi, legitimum & justum cuique tribuendo, atque ea Dice vel justitia est. Dextera igitur Eunomia Dicen apprehensam tenet, quia sine hac ipsa manca atque imperfecta est; nam una operentur necesse est. Quarum duarum actiones, ut legitimæ & justæ, quia omnibus perspectæ & cognitæ esse debent, brachia visuntur nuda atque manus detectæ sunt.

Cur brachiis nudis Eunomia et Dice? Sapientia. Prudentia. Regia prudentia. Cur Eunomia Dicen dextera teneat?

Sed cur, ait Cardinalis, Eunomia sinistram tam late expandit?

Cur sinistram expandat Eunomia? Sinistræ significatio.

Ad hæc Morillonus: Quia olim Ægyptii docuere, sinistræ manus porrectæ palmam *discapedinatam* (ut Apuleii vocabulo dicam) innocentiæ atque æquitatis, quas maxime colit hæc Dea virtutes, symbolum esse: eo quod sinistra plerunque manus debilior sit, & ad rapiendum ineptior. Ceterum quia sæpe furta cælare, clamve operari solet, eadem occultata furacitatem, atque acta furtiva tenebrionum aliquando signari, plerique auctores satis indicant: quemadmodum Plautus in *Persa*, ubi Lena, cum Pechnii pueri manum deposceret, & ille dextram porrexisset, ait:

Ubi illa altera est furtifica læva?

Atque ita etiam increpat furacem sinistram Asinii Marrucini Catullus poeta:

Marrucine Asini, manu sinistra
Non bello uteris in joco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum,
Hoc salsum esse putas?

Irene cur dextram occultet?

Igitur Dearum nulla tegit sinistram, cum innocentiæ atque æquitatis sint cultrices omnes. Sola Irene dextram sub palla occultat, quam tacite & occulte quidem, sed bene atque honeste semper operari diximus. Accedit & alia ratio dextræ occultatæ non indigna relatu. Eo enim spectare Pythagoricum illud symbolum autumo, quod Plutarchus in libello *de multorum amicitia* refert μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν, *non unicuiq; dextram porrigendam*, hoc est, non temere quemvis in amicitiæ fœdus admittendum esse. Quandoquidem hoc ipsum sancte semper religioseque sit colendum viro bono: Idque etiam ex Solonis præcepto, suadentis *amicos non cito comparandos, comparatos autem nunquam abdicandos esse*: φίλους μὴ (inquit) ταχὺ κτῶ, οὓς δ᾽ ἂν κτήσῃ μὴ ἀποδοκίμαζε. Itaque fœderis ac fidei symbolum celeberrimum est dextra, ut palam indicat Virgiliana Dido, dum in Æneæ Trojani religione ac pietate famosi perfidiam decepta stomachatur:

Dextera fidei atque amicitiæ symbolum. Solonis præceptum

—— en dextra fidesque,
Quem secum patrios ajunt portare penates.

Ut etiam Anchises, cum sit ait:

Dat dextram, atque animum præsenti pignore firmat.

Mille sunt alia exempla, quæ hoc loco referre supervacaneum esset. Nam & hoc etiam tempore fidei, pacis, auxilii, atque amicitiæ signum dextra data solet esse, idque ex more antiquissimo, & a multis ante sæculis observato. Quid aliud enim ex Terentii poetæ verbis colligimus? qui sic in *Andria*:

Quot ego per hanc te dextram oro, & Genium tuum,
Per tuam fidem, per hujus solitudinem Te obtestor.

Dextera amicis servandam esse, nec temere cuivis dandam.

Ubi Commentator Donatus ait, fœderis ac fidei membrum erat dextra. Quapropter ad hanc velut ad aram sacram confugere solent afflicti. Occurrit enim nunc Juliani Cæsaris dictum, quod apud Ammianum Marcellinum legimus libro *Historiarum* XXI. ad cujus dextram cum Nebridius præfectus non admodum amicus, qui unus contra Constantium Augustum jurare noluerat, in summo vitæ periculo confugisset, atque ut eam porrigeret, suppliciter orasset: *Ecquid*, inquit, *præcipuum amicis servabitur, si tu dexteram attigeris meam?* Non mirum igitur, si Pax ipsa, quæ sine fœdere, fide, atque amicitia diu in statu suo permanere non potest, dextram velut charissimum fidei pignus sancte tuetur, religiose conservet, atque obtegat: nec cuivis temere violandam exponat, simul nos omnes docens, fidem sanctissime, ac summa cum cura custodiendam esse:

Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt.

Numa rex institutum Fidei sacrificabant dextera obvelata.

Quemadmodum Silius *Punicorum* secundo cecinit. Quod ipsum antiquissimo ritu Numa Pompilius rex Fidei sacra instituens Romanis suis, eodem fere modo demonstravit; jubens huic deæ sacrificare dextra panno obvoluta albo, sicut apud Servium Virgilii Commentatorem legimus. Et hæc quidem de dextera pacis obvelata satis; restat ut ad pedes dearum nos demittamus, ut (quod vobis placere video) nihil omittatur, at-

que ita finem sermoni huic imponamus. Socculis indutas esse Deas videmus, quod modestæ, lenes, nec non faciles sint: non iracundæ, superbæ, vel intractabiles. Hoc enim genus calciamenti apud Antiquos modestiæ, facilitatis, atque humilitatis erat indicium, ideoque Comicis personis proprium solet esse; ut econtra cothurnus calciamentum sublime atque altum Tragicis, quod idcirco superbiam significabat frequenter. Hinc Quintilianus *libro* X. *cap.* II. *Nec Comœdia*, inquit, *in cothurnos assurgit, nec contra Tragœdia socco ingreditur*. Jam ut Tragœdiæ argumentum grande, altum, ac sublime est, ita plerunque inamœnum & triste, cum interim Comœdia non nisi humilia ac læta tractet. Itaque Ammianus Marcellinus, cujus jam paulo ante memini, *libro* XXVII. non inepte Probi præfecti prætorio mores describens, ait: *Erat tamen interdum timidus in audaces, contra timidos celsior, ut videretur, cum sibi fideret, de cothurno strepere Tragico; & ubi paveret, omni humilior socco*. Et rursum *libro* XXVIII. eadem usus est metaphora, additque ex Ennio & Terentio personas Comicas & Tragicas aptissimas; *Cum mutuum*, inquit, *illi quid petunt, soccos & Mitiones videbis & Lachetas; cum adiguntur ut reddant, ita cothurnatos & turgidos, ut Heraclidas illos Cresphontem & Themenum putes*. Superbiam igitur designat cothurnus, velut ex antedictis patet: nec minus inconstantiam & lubricam fidem, prorsus aliena a moribus dearum vitia. Nam ambidexter erat cothurnus, & utrilibet conveniens pedi; ut etiam proverbio vetusto occasionem dederit, quo cothurnos, vel cothurno versatiliores appellarunt olim inconstantes: Socculorum contraria est significatio, de quibus nihil addam præterea: nam huic tempori & loco sufficiunt ea, quæ diximus.

Socculorum significatio.

Soccus Comœdiæ proprius, modestiam significans. Cothurnus Tragœdiæ, superbiam notans.

Vide rhetoricam ad Herennium secundo, et Non. Marcell.

Cothurnus ambidexter Cothurno versatilior.

Quin immo videmur, Rudolfe Cardinalis amplissime, jam abunde simulachri tui significata exposuisse, nisi prolixa nimis disputatione magis fatigaverimus, quam oblectaverimus. Vergit enim in noctem dies, adferuntque jam candelas pueri, adeoque partem ejus pomeridianam totam dicendo extraximus. Verum aurea illa virtutum catena, quam deæ tuæ connectunt, peramplam differendi materiam nobis præstitit.

Epilogus cum excusatione.

Tum Cardinalis: Profecto adventus, Morillone, cum Pighio tuus hodie mihi merito gratissimus fuit, ideoque kalendas anni novi primas nobis auspicatissimas existimo, quod his inexspectato ter felices hæ Deæ tuarum Musarum ductum tanquam de cælo descendentes, in nostram arctiorem familiaritatem notitiamque se insinuarint, quæ mihi quidem hactenus ignotæ & obscuræ fuerant. Qua de causa si unquam hoc signum mihi propter raritatem fuit charum, certe nunc in sanctiore ceimeliarchio inter res charissimas preciosissimasque servabitur.

Mox Cardinali assensus Augustinus: Admodum (inquit) dignæ sunt antiquitatis reliquiæ, quæ amentur serventurque ab homine virtutum studioso. Equidem mihi valde cuperem signi hujus typum ex gypso mea impensa effingi, quod esset ornamentum musæo proprium meo, studiisque atque professioni meæ prorsus accommodum.

Ad hæc Cardinalis: Immo sine tua impensa hoc habebis, nam plastes domi mihi est, qui probe curabit. Dabo suum quoque signum Morillono nostro, cujus ingenio & eruditioni debemus hoc lumen, quod hodie velut ex ipsius Themidis Deæ sinu, atque Delphico Tripode nobis clarissimum effulsit. Nec prætermittendus mihi Pighius est, cujus curæ & consilio nobis hæc tam opportuna jucundæ disputationis occasio est suggesta. Has igitur anni novi strenas a nobis exspectate, & quid vestris virtutibus magis dignum reprehendi possit, posthac cogitabo.

Dum nos hic reverenter, ut decet, Cardinali gratias agimus ob summam ejus humanitatem atque benevolentiam, leniter arridens Augustinus, ait:

Strenam nullam, Morillone, puta Cardinali unquam fuisse gratiorem, quam hodierna tua *de Themide* hac dissertatio ei accidit; nam virtutem veram recte novit æstimare, cujus limpidissimum fontem, has Deas diserte pro tuo ingenio dum explicas, nobis aperuisti: quæ cum adeo charæ fuerint ipsi necdum cognitæ, nunc multo magis eas pectore atque oculis est observaturus, elegorum Theognidis poetæ memor, qui nos cum bonis assidue conversari, comedere, bibere, atque una sedere jubet. Ab his enim quorum magna potestas est, nos bona perdicesre posse. Si vero malis adhæserimus, eam mentem, quam habemus, nos esse perdituros: versus apud Platonem extant in *Menone* & apud Xenophontem *de dictis & factis Socratis*;

Cum bonis vivendum.

Καὶ παρὰ τοῖσι πῖνε, καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
Ἵζε, καὶ ἅνδανε τοῖς ὧν μεγάλη δύναμις.
Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι. ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιγῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Optime dicis, Augustine, Cardinalis inquit; virtutem namque legis divinæ auxiliante Deo consequamur studio, usu assiduo, atque industria necesse est, quam hæ Deæ pulcherrime nobis demonstrant: in quarum familiaritate domestica si versemur assidue, non possumus tam honesto convictu, tam sancta consuetudine non fieri meliores. Utinam vero sæpe detur occasio hujusmodi conventus celebrandi; quo possimus in tam frugifera meditatione frequenter mentem animumque exercere. Quia ut hoc faciamus, res ipsa postulat, si perfectæ legis divinæ cognitionem plenius assequi velimus. Morillonus enim aperte satis nobis indicavit, ad hanc disputationem nostram pertinere etiam Parcas & Gratias, easque cum Horis, ut novenarii numeri plenitudinem constituere; ita & legis divinæ plenam perfectionem absolvere. Qui numerus perfectissimus ab impari primo quadratus, & impariter impar, in tres triadas, & earum quælibet in totidem unitates, divisus, Musarum dies est Heliconiadum, ut Hesiodus cecinit, summamque perfectionem demonstrat, utque Græci in-

Novenarii numeri plenitudo.

quiunt ἰσάκις ἴσος ἐςί. Qus igitur explicabit nobis Parcas? quis deinde Gratias? ut cyclopœdiam illam præclaram aliquando perficiamus? Te vero nunc rogarem, Auguſtine, ut, cum primum dabitur conve- Parcæ. niendi opportunitas, Parcarum, quæ ex juſto illo primo incomprehenſibili procedunt, & ad tuam imprimis profeſſionem ſpectant, interpretationem tibi ſumeres, niſi te prius tam anxie & accurate excuſaſſes, & niſi ſciremus omnes negotia publica talium ſtudiorum verum fructum in tui ſimilibus intercipere atque impedire; quæ quia animos hominum diſtractos particularibus rebus tenent, eos exſurgere ad ſublimes illas meditationes ægre patiuntur. Laborem itaque geminare Auguſtino, & aliorum incommodo a negotiis ipſum ſuis avertere non decet.

Tum Morillonus: Non labor hic futurus eſt Auguſtino, ſed laxamentum & recrea- Antonii Auguſtini laus. tio. Nam tanta facilitas ingenii, tantaque eruditionis copia eſt, ut facile poſſit ex tempore de his copioſe diſſerere, atque ex ſynthesi litteraria elegantiſſima ſua ſplendide hanc Spartam adornare. Excuſet ſe tamen ipſe licet a dicendi munere, ſed adeſſe omnino debet, atque Theſea ſuum adducere Jo. Metellus Sequanus. Jo. Metellum Sequanum, qui vices ejus in hac palæſtra ſubeat.

Quod cum approbaret admodum Cardinalis: Bene, (inquit Auguſtinus) ſi vobis ita videtur, Metello hanc ſarcinam imponere potero, atque hortari eundem, ut Parca- Parcarum penſo. rum penſa diligenter evolvat examinetque, ne male inſtructus vobiſcum in arenam deſcendat. Scio lubenter cum mea cauſa ſuſcepturum hanc provinciam, tum quia hiſce ſtudiis mirifice eſt deditus. Et dolebit procul dubio vehementer, cum intelliget a me inſignem hanc Morilloni noſtri diſſertationem, quod huic ſermoni non interfuerit. Tu vero, mi Pighi, ſocculos interim tibi novos etiam pares neceſſe eſt, præſultor enim Gratiarum eſſe debes, atque eas deas concinne in chorum ducere.

Hic ego cum verecundia ſuffuſus erubuiſſem: Male (inquam) mecum agitur, qui in foveam, quam Morillono meo paravi, nunc ipſe etiam incido. Nam veſtro imperio refragari non poſſum, quamvis intelligam, quam mihi curta ſit domi ſupellex, & quam ridiculus ſim futurus orcheſtes.

Hic Morillonus non ſine cachinno: Eia Dice Nemeſis. quam recte, inquit, hic tua Dice rem ſuam agit, Auguſtine; nam ut vetuſto proverbio fertur, *turdus ipſe ſibi malum cacavit*.

Subſecutus eſt aliorum riſus: nos accepta ab utriſque patronis licentia, domum ſimul inde conceſſimus.

NICOLAUS FLORENTIUS

STEPHANO PIGHIO SUO

S. D.

CUm nuper ad me ſcripſiſſes, mi Pighi, ut certiorem te facerem, ſi quid in tua Themide *eſſet, quod lectorem offenderet; reſpondi, ut noviſti, eam valde placuiſſe doctiſſimo noſtro Fulvio Urſino; verum me* A *eam nondum legiſſe. Accidit inde, dum Illuſtriſſimus Cardinalis Granvellanus exiſtimaret me eam vidiſſe, ut ſerius ad ejus lectionem pervenerim, quam tu forte expectabas. Ceterum ubi poſtea eandem ipſe Illuſtriſſimus per occaſionem ſummis laudibus extuliſſet: ac ex me præſente agnoviſſet, viſam a me non eſſe, confeſtim qua eſt in omnes ſtudioſos humanitate ac benignitate propenſus, eam ad cubiculum meum transferri curavit, quam tum quidem ſtatim legi, poſteraque die iterum ſumma cum admiratione ideo relegi, quod non modo ſingularem in ea* B *inventionem, rerumque applicationem, verum etiam conciliationem tot diverſorum auctorum in re tam perplexa adeo felicem ſuſpicerem, ut nihil ſimile a multis annis legiſſe me fatear. Quare ingenti perfuſus lætitia, & quaſi prurigine inflammatus, vix me continere potui, quin tertio eam aggrederer. Sed quia alia quædam me detinebant, tum etiam quod me parum inſtructum eſſe ſentirem, ad intelligentiam eorum præcipue, quæ ſub Morilloni perſona a te referuntur: conſultius eſſe ſtatui, dies aliquot* C *intermittere, ac minus inidoneum ad intermiſſam redire. Hinc accidit, ut nunc tandem eam abſolverim, retulerimque non minus fructus quam voluptatis, ita tamen ut tuam præſentiam valde deſiderarem, qui cum conferre poſſem, neſcio quid ſcrupuli; quod etſi ego per me extricare nequeam, non deſpero tamen, immo nihil dubito, quin ut alia non minus difficilia feliciſſime diſſolviſti, ſic id quoque planum extricatumque reddes, mihique hunc ſcrupulum aut litteris, aut in ipſa operis editione eximes. Id (ut jam abſens agam, quod præſens mallem) ex* D *duobus locis maxime dependet, & primum ex his tuis verbis, quibus in ſubſequentem modum ita agis:* Quam Veneris eſſe nonnulli conjiciunt propter tres imagunculas, quæ deam conſertis manibus circumdant, quas Gratias autumant: Sed dubitat Auguſtinus admodum, quod non nudas, ſed ſtolatas videri dicant, atque alio quam Gratiæ modo diſpoſitas. Ad hæc ita mox ille: De Veneris termino quicquam me legiſſe profecto non memini; cuperem itaque videre ſimulachrum illud, &c. *Ac aliquanto poſt hiſce ſequentibus, quibus Cardinalem Car-* E *penſem ita loquentem inducis:* Tu quæſo, mi Auguſtine, dicas primum, qui his doctis Antiquorum ſymbolis argumentiſque mirifice delectari ſoles, an tibi hæc Venus, an quicquam de ejus Termino apud Veteres, quos plurimos te diligenter pervolviſſe ſcio, legeris. Tum ille: Nihil equidem expreſſe me legiſſe memini, ut neque de Gratiarum hoc habitu atque poſitura: plurima tamen in ſimilibus Antiquorum reliquiis reperiri non diffiteor, de quibus majorum ſcripta, quæ ad noſtra pervenerunt tempora, memoriæ nihil prodiderunt.

F *Quæ verba ita videntur accipi poſſe, ut ideo videaris negare imaginem hanc Veneris eſſe, quod Veneris ſtatuam aut ſignum a nemine ſub Termini forma deſcriptam eſſe legeris. Similiter Gratias illas eſſe, ideo ex parte refellere videris, quod nudæ non ſint, ſed ſtolatæ, cum tamen non dubito quin apud Pauſaniam videris, quid de his ipſe referat, ad quem nullo alio addito te remitterem; ſi cum hæ meæ litteræ Bruxellam per-*

ferrentur, te ibidem in maxima selectorum librorum copia fore certior essem. Sed dum dubito, num te alibi locorum hæ meæ deprehendent, volui quemadmodum partem illam strenæ tuæ supra ob eandem causam descripsi, sic etiam ex Pausania ea hic subjungere, quæ cum tuis aliquantum mihi dissentire videntur. Ea ita se habent in translatione Romuli Amasæi, edita Florentiæ, Anno CIƆ IƆ LI.

Libro I. *nempe in* Attica;

De ea urbis regiuncula quam Hortos vocant, & Veneris in ea templo signoque quod templo assistit, figura ut Hermæ quadrata, nihil fide dignum est ab Atheniensibus traditum. Epigramma autem indicat, cælestem Venerem esse, earum quæ Parcæ appellantur natu maximam.

Idem libro VI. Eliacorum;

Suum habent & Gratiæ templum, simulacra lignea sunt, veste inaurata, facies, manus, & pedes e candido marmore, earum una rosam, talum altera, myrtum tertia præfert.

Idem libro IX. *in* Bœotica;

At qui primus Gratias vel finxerit, vel pingendo nudas ostenderit, nusquam comperi. Apud priscos enim homines cum vestimento eas tam a fictoribus quam a pictoribus factas novi. Nam apud Smyrnæos cum in Nemesium fano, præter cetera signa, ipsæ etiam Gratiæ aureæ dedicatæ sunt, quas Bupalus fecit; tum vero in Cantorum statione, odeum ipsi vocant, Gratiæ imago Apellis opus est, Pergameni etiam in Attali thalamo & in eo templo, quod Pythium nuncupant, suas habent & ipsi Gratias, quas pinxit Pythagoras Parius: Socrates ad hæc Sophronisci filius, ante arcis vestibulum, Gratiarum Atheniensibus e marmore signa fecit, quæ sane omnia sunt veste relata. Qua vero his posteriores ratione ita Gratiarum ornatum immutaverint, ut omnes plane nudas fecerint, quibus eas vel fingendo vel pingendo exprimere curæ fuit, mihi certe compertum non est.

Atque hæc, mi candidissime Pighi, sic accipias velim, tanquam a tui studiosissimo prolata; & ignoscas quæso, si quod paucis verbis indicare potui, dulcedine colloquii tui detentus, prolixiore epistola retulerim. Nam cum te præsentem non habeam, habuerim tamen plus quam justam causam tui (etiam prius) interpellandi, neque ita temperare mihi potui, quin aliquanto majore tempore tecum quasi hærerem confabularerque, quam ipsa rei necessitas exigeret. Vale, ac studiis tuis, tibi, principibusque dignis, ut & amicis, immortalitatem prorogare pergas. Romæ die quarta Decembris CIƆ IƆ LXVII.

STEPHANUS PIGHIUS

NICOLAO FLORENTIO

SUO S. D.

ACCEPI tuam epistolam, mi Florenti, tertio Kalend. Januarias, quæ profecto gratissima mihi fuit, quod meis tandem precibus locum feceris, atque ea demonstraveris, quæ fortasse offendere lectorem in nostra *Themide* possent. Atqui vellem appulisset aliquanto maturius tua epistola, po-

A tuissem tum profecto vel paucis verbis tuis scrupulis, ad argumentum quippe nostrum non pertinentibus, occurrere. Sed cum jam *Themin* fere Plantinus typographus absolvisset, ut novæ strenuæ argumentum novi hujus anni initio in lucem prodiret, nihil in eadem mutare tum facultas fuit. Quapropter nostra fretus amicitia, epistolam hanc tuam cum mea responsione *Themidi* adjicere non dubitavi, ut lector quivis intelligat consilium in hac re meum, quod te ex ipsa *Themide* non percepisse video, ne deinde quis alius in eundem forte lapidem
B offendere pedem posset. Jam vero si præter tuam expectationem hoc facio, per amicitiæ sacra te rogo, ne ægre feras, sed sorti potius quam meæ temeritati imputes, qua factum ut tua serius ad me pervenerit epistola, quam ut potuerim in ipso opere has offensiunculas summovere. Sed ut ad rem transgrediar, novisti, mi Florenti, in Dialogis omnibus duo imprimis esse quam diligentissime observanda, decorum videlicet atque imitationem: decorum quidem, ut habeamus rationem argumenti, temporis,
C loci atque personarum: imitationem vero, ut ita instituamus sermonem stylo vulgari, remisso ac simplici, ut non studio confictus, non longe accersitus, sed fortuitus & verus appareat, ut in eo etiam reluceat, quantum fieri poterit, personarum, quas inducimus, non solum eruditio, ingenium, atque eloquentia, verum etiam modus loquendi aliquando ab ipsis usitatus. Quod M. Tullium *Dialogis* suis frequenter fecisse animadvertimus, ut *de claris Oratoribus* disputans M. Bruti formulas cum eum inducit loquentem, sæpe imitatur, quamvis dictionem ipsius
D non probaret, atque is Ciceroni, ut Tacitus ait, videretur otiosus atque disjunctus: loca quædam annotavit Corradus, in quibus a suo dicendi genere Tullius eam ob causam discessisse videtur. Itaque & nos Morillonum nostrum, cum quo Romæ tum familiarissime viximus, & jocos ejus utcunque imitari cum in illa disputationis præfatione, tum in fine voluimus, qui cum opiniones suas dissimulare vellet, plerumque dicere solebat, se non meminisse; & cum accusarem aliquoties ejus illam ὑπόκρισιν, non ignarus ipsum fingere, dissimulabat am-
E plius, humanum esse dicens, non meminisse mox omnium quæ olim vel audivimus vel legimus; temerarii vero, velle scire confestim universa; & hæc plerumque, cum vel alios audire vellet, vel de aliis rebus differere. Sic Augustinum quoque fingo dissimulare & se non meminisse dicere, ut Morillonum audiret differentem, non secus ac Socratem Plato quam frequentissime εἰρωνεύοντα inducit, dubitantem quippe, interrogantem, ac omnium fere ignarum, ut aliorum errores expiscaretur, ac deinde per inductiones suas exagitaret & refelleret. Augu-
F stinum vero tunc temporis etiam in sublimiori gradu positum nobiscum velut parem in arenam descendere noluimus, ut decorum servaremus; quamvis pro multifaria ejus eruditione & antiquitatis peritia, vel primas ejus disputationis obtinere debuisset. Excusat igitur occupationes forenses ipse, velut per has abstraheretur ab amœnioribus hisce studiis, & excusatur etiam a Cardinale postea, ne in secundo vel tertio

A dialogo, quos adhuc ad legis divinæ argumentum desiderari fatemur, onus præcipuum disputationis subeat, licet pro ingenii sui fœcunditate felicitateque quamlibet multis occupationibus sufficere possit: Cardinalem enim & Augustinum tanquam judices vel censores huic nostro *Dialogo* adjunximus, quique nihil aliud quam aliquando dicentes extimulent, iisve frigidam (quod ajunt) suffundant. De Venere & Gratiis autem, quas αἰολομόρφους appellat Orpheus, studio omnia præterimus in illa transitione ad scopum nostrum, vulgo receptam de Venere & Gratiis opinionem vix attingentes: B nam quæ de harum dearum natura, cultu, diversisque formis varie Pausanias aliique Veteres memoriæ prodiderunt, tertio *Dialogo* reservamus, in quo de pulchro legis divinæ acturi, & Veneris Gratiarumque historiam diligentius examinaturi sumus. Eaque de causa Morillonum & Augustinum fingo non meminisse de Venere & Gratiis, idque aperto potius mendacio quam occulta dissimulatione, ut eo citius intelligat lector hanc historiam alio loco reservari. Atque nihil metuo, quin uterque apud doctos omnes vel κατὰ πρόληψιν excusetur facile ab C ignorantiæ culpa: quando hujus præclara opera jamdudum in lucem edita abunde testentur summam doctrinam multifariamque omnigenæ antiquitatis peritiam; illius autem ingenium, memoriam, ac dotes variamque eruditionem ipse in *præfatione* ad Cardinalem nostrum, quia ejus nulla in publico adhuc extare scripta existimem, satis declarem. Nec denique his memoriæ lapsum, nisi ficticium, impingi posse existimo. Non enim is videtur, vel Erasmo teste, memoria lapsus esse, qui negat se meminisse, alioquin nemo non labitur memoria, quando nullus est, quin quædam non meminerit: verum qui per oblivionem aliud scribit & asseverat, quam res habet, is demum labitur memoria, & negligentiæ accusari poterit. Habes consilii mei rationem, & juvat apud te, mi Florenti, caussam dicere, velut æquum & amicum judicem, cujus candor eximius mihi probe cognitus est: sed cum me laudibus immodicis oneras, quas agnoscere non possum, quando me meo metior pede, profecto pudorem mihi insignem incutis, ad quas nihil habeo quod respondeam, nisi te amantissime de me errare, atque affectionis nimio studio prorsus cæcutire. Non enim usque adeo me vexat philautiæ illa tentigo, quin sentiam meam imbecillitatem, & vix quicquam doctis auribus, nedum immortalitate dignum a me provenire posse. Vale.

FINIS.



STEPHANI PIGHII,

CAMPENSIS,

MYTHOLOGIA

ΕΙΣ ΤΑΣ ΩΡΑΣ,


VEL

IN ANNI PARTES,

EX SYMBOLIS ANTIQUI CUJUSDAM TOREUMATIS ARGENTEI, QUOD EXTAT APUD REVERENDISSIMUM D. ANTONIUM PERENOTTUM EPISCOPUM ATREBATENSEM.

DOMINICI LAMPSONII
EPIGRAMMA
IN TOREUMA
ANTONII PERENOTTI
ARGENTEUM ANTIQUISSIMUM.

QUOD *tibi in Atrebatum campis, Perenotte, repertum*
Nobile Mentoreæ Sors dedit artis opus,
Tempora perpetuo labentis quattuor anni
Arcanis ſignans irrequieta notis,
Ceu prius, obſcura tectum tellure jaceret,
Nilque videretur Diva dediſſe tibi:
Pighius antiqui niſi conſultiſſimus ævi,
Ut vixiſſe virum plurima ſæcla putes,
Sculpta retexiſſet divinis ſymbola chartis
Non tibi, non aliis, ſat bene nota prius,
Scilicet huic debes, dulce hoc, atque utile donum
Ut Crœſi anteferas divitiiſque Midæ.
Dulce, quia ars melius facit intellecta, vel auro,
Vel gemma ut ſpreta ſuavius inde bibas:
Utile, purgatam tacita quia voce bibenti
Perſonat auriculam: DUM BIBIS, HORA FUGIT.


AVTVMNVS
LIBERI PATRIS
SOLSTITIVM
ÆSTIVVM
ÆSTAS
PANIS
VER
VENERIS

STEPHANI PIGHII, CAMPENSIS, MYTHOLOGIA ΕΙΣ ΤΑΣ ΩΡΑΣ, VEL IN ANNI PARTES.

AD REVERENDISSIMUM D. ANTONIUM PERRENOTUM EPISCOPUM ATREBATENSEM.



TOREUMA illud argenteum in Atrebatum agro repertum, Præsul amplissime, antiquissimum esse, tam forma, quam artificis non imperita, sed plane secura, manus indicat. Videtur autem ex eo poculorum genere esse, quæ apud Veteres ob cælaturæ argumentum vocabantur
B
Dionysiaca, tam in mensis quam in sacrificiis usu cognita, & a Græcis ob formam κότυλοι, vel si minora erant κοτυλίσκοι vocabulo proprio appellata. De quorum forma & usu hic adjicere quædam, non absurdum videtur.
Dionysiacum poculum. Cotyliscus.

Cotylorum forma.
Forma cotylis erat orbiculata, profunda, & sine marginis latitudine ampliore. Apollodorus poculi genus altum & profundum esse vult: *nam omne concavum Antiqui κοτύλην (inquit) appellarunt: ut manuum & etiam coxendicum concavitatem*. Sic Æschylus cymbala vocavit cotylas, ut apud Athenæum legimus. Et in polypi flagellis extremi caliculi quibus sorbent & adhærent, derivative cotyledonas dixere Græci, acetabula vocant Latini, a simili vasculo, quo in mensis acetum apponi solebat, quod Græcis item cotyledon, vel oxybaphum nuncupatur. Variasse sæpius cotyli formam Veteres, ex Athenæo facile colligitur: apud quem Alcæus aurem aliquoties unam habuisse prodidit. Diodorus aures non habere, & labello profundo simile esse contendit, adeo ut quandoque ansatum, quandoque vero sine ansa fuisse, fiat verisimile. Vino autem potando commodum fuisse & usitatum docet Ion Chius, Cotylum vino plenum dicens. Probat hoc itidem vulgatissimum antiquitus proverbium, quod ex Clitarcho & Zenodoto ita citat Athenæus:
Cotyle quid? Polyporum caliculi. Cotyledon. Cotyli usus.

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κοτύλης, καὶ χείλεος ἄκρου.

Quod paulo apud Gellium aliter recitat Sulpicius Apollinaris Grammaticus, pro cotyla calicem ponens: jam vero ut in sacrificiis etiam usui fuerit, ex Platone, Eubulo, Aristophane, & Polemone latius explicat idem Athenæus *lib.* XI. adjicitque ex Pamphilo proprium Dionysio esse poculum, cui sententiæ suffragatur etiam Julius Pollux *libro*
Cotylus Dionysio proprius.

A
VII. ἔστι δέ τι κότυλος (inquit) Διονυσιακὸν ἔκπωμα. De cotylisco idem sentit Athenæus *libro supramemorato*, κοτυλίσκος δὲ καλεῖται, ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος. Et vas, ex quo Bacchi mystæ effundunt, etiam cotyliscus appellatur, uti Nicander ait Thyatirenus illud ex Aristophanis *Nebulis* apponens, μηδὲ στέψω κοτυλίσκον. Non igitur mirum quod Bacchici argumenti cælatura videamus plerunque ornata Dionysio sacra hæc pocula, qualia extant duo magnitudi-
B
ne & artificio conspicua. Alterum Neapoli in S. Restitutæ templo ex basalte marmore durissimo, ansas habens duplicatas, hederaceis obvinctas coronis, larvas insuper, thyrsos, & elementorum symbola continens. Alterum Cajetæ sine ansis ex marmore Pario candidissimo, exprimens Bacchi infantis educationem, sculptura peritissimi artificis, qui nomen suum operi præclaro adscribere non erubuit; legitur enim ita ejus titulus:
Cotyliscus. Cotylus Neapolitanus. Cotylus Cajetanus.

C
ΣΑΛΠΙΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ.

Tantæ autem sunt capacitatis hæc vasa, ut nunc in templis pro sacri baptismatis lavacris commode serviant, qualia plerumque heroibus solis dicari, & ῥυτὰ appellari ob amplitudinem & pondus, auctor est Athenæus, licet alibi rhyta inter capacia quoque vasa enumeret, quæ refrigerando erant accommoda.
Salpion Atheniensis sculptor. Ῥυτὰ quid?

Sed hæc de cotylorum forma atque usu satis multa, si illud unum adjecerim, tuum
D
illud Toreuma mihi videri nobilis alicujus & perchari adolescentuli aliquando cinerarium fuisse. Nam aureis argenteisve vasis Principum ac nobilium cineres condi solere quis nescit? Cæterum a paucis forsan animadversum est, Romanos symbola, tabulas, & historias, quibus monumenta, aras sepulchrales & loculos ornabant, plerumque ætati vitæ & conditioni in iis conditorum accommodare consuevisse, id quod nos diligenti observatione didicimus. Imo &
E
deorum personas ad ejus effigiem sæpius effictas vidimus, cujus in gratiam opus illud elaboratum erat, neque secus in hoc tuo argenteo cotylo. Panis larva imberbis, ac plane juvenilis, (Panisci diceres magis proprie) cornibus pusillis, ac primum enascentibus, ætatem indicare videtur immaturam, morte subrepti præpropera, cujus cineres in eo clausos fuisse suspicamur.
Cinerarium. Mos effingendi imagines in sepulchris.

Eo tendunt etiam cervi & bovis cornua tenella, ex quibus facile animalium anni colliguntur. Animalia quatuor inſuper perniciſſimi curſus, in hoc electa apparent, ut vitæ brevis ſpatium citiſſime præterlapſum exprimerent.

Argumentum Toreumatis.

Sed ut argumentum operis breviter aperiamus, illud non videtur ex indocti ſculptoris arbitrio confictum, verum (ut priſci moris erat) omnino eſt eruditum: non magis oculos intuentium paſcens, quam animos antiquæ religionis, vel potius philoſophiæ, fundamentis imbuens. Complectitur enim larvas deorum, qui quatuor anni partibus præſident, intermixtis & adjectis non temere ſymbolis aliis, quibus cæli annuam circumvolutionem, elementorum conjunctiones, Solis ac Lunæ in rebus omnibus procreandis ſocias vires & effectus demonſtrat. Naturæ igitur ſpeculum hoc tuum Toreuma recte ne nuncupabimus? ſi Theopompus Thericleum calicem ſuum affabre factum & vino plenum laudans, ita alloquitur aptiſſime:

Naturæ ſpeculum, Theopompi calix Thericleus.

> Χώρει σὺ δεῦρο Θηρικλέους πιστὸν τέκνον
> Γενναῖον εἶδος, ὄνομά σοι τιθώμεθα
> Ἆρει κάτοπτρον φύσεως, ἣν πλῆρες δοθῇς.

Litterata pocula.

Imo litterata non minus videri poſſunt hujus generis pocula: quam quæ ob litteras inſculptas a Græcis γραμματικὰ ποτήρια vocari prodidit Athenæus, quale fuit illud Enalli aureum, quod e mari extractum Methymnenſibus attulit, cujus in circulo undecim litteræ ΔΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ conſpiciebantur, veluti refert Anticlides Athenienſis libro XVI. *de Reditibus*; & illud argenteum quod Capuæ quondam Artemidi depoſitum fuiſſe ſcribit idem Athenæus, Homericis carminibus inſignitum.

Porro morem ornandi Toreumata & quævis etiam vaſa, Bacchi, Apollinis, Herculis, aliorumque deorum fabulis, atque iis etiam philoſophiæ ſymbolis, quibus æque nobis mundi imaginem & naturæ ordinem tacite demonſtravit Vetuſtas, multis ante ſæculis, quam Romanum floruit Imperium, apud Græcos in uſu fuiſſe, atque ab his ad Romanos defluxiſſe exiſtimo, a quibus philoſophiæ, religionis, & artium bonarum omnium ingens habuerunt augmentum. Docent hoc Græcorum commenta & fabulæ, quæ occaſionem & materiam ampliſſimam artificibus ingeniis primum dedere, ut potuerint diverſimode in hiſce picturæ atque ſculpturæ delitiis etiam ſerio ludere.

Sed quare in poculis curſum Solis frequenter notis variis expreſſerint, dicendum erit. In cauſa eſſe videtur, quod ut Baccho & Herculi, ita Soli cognato numini pocula ſacrarit capacia Græcorum religio. Habere enim Solem aureum poculum a Vulcano fabrefactum fingunt Steſichorus, Antimachus, & Æſchylus poetarum vetuſtiſſimi, in quo Oceanum ab Occaſu Orientem verſus navigare ſolet. Theoclytus autem ἐν δευτέρῳ ὡρῶν, lebetem vocat Solis hoc navigium, veluti & ille, qui multo prior *Titanomachiam* conſcripſit. Plutarchus vero περὶ σαρκοφαγίας oratione prima, ex poeta forſitan aliquo vetuſto, calycem appellare videtur, quaſi receptaculum in ſe continens florum & fructuum omnium ſemina. Dicit e-

Solis aureum poculum.

Lebes navigium Solis.

Solis calyx.

A nim mundi atque aurei illius ſæculi primordio Solem curru ſuo incertum tenuiſſe tramitem, & vix auroram ab occaſu ſeparaſſe, neque ut nunc converſas anni partes frugiferis calycis coronis circunduxiſſe. Extant Mimnermi poetæ verſus pulcherrimi apud Athenæum, quibus Solem fingit in aureo lecto dormientem, in hunc uſum ſibi a Vulcano facto, ab Heſperidum terris per ſumma Oceani ad Æthiopes trajicere: per ænigma tale poculi profunditatem ſignificans, ut ait Athenæus.

Solis lectus.

B Ejus itaque generis fabulas, occaſionem dediſſe Veteribus arbitror, ut voluerint cæli & aſtrorum rationes, Solis atque Lunæ meatus per fabuloſa ænigmata in ipſis etiam poculis repræſentare, & apte compoſitis figuris rerum cauſas, tanquam muta quadam poeſi exprimere: ut non ſolum inani ſpectaculo delectarent oculos, ſed animos etiam tacitis religionis & philoſophiæ præceptis inſtruerent, & vitam humanam ad bonos mores pellicerent. Multa enim in hoc videntur efficta, ut templis, aris, atque ſepulchris convenirent, plurima etiam reperta cognoſcimus, quæ cœnaculis, balneis, C tricliniis, & vaſculis etiam omnis generis ſunt accommoda. Nonnulla quoque ob argumenti fæcunditatem & præſtantiam, tam ſacris quam profanis locis ſunt apta. Sic quatuor anni tempeſtates, quæ a Græcis unico vocabulo ὧραι vocantur, in Bacchi, Apollinis & Herculis templis, Solis & Lunæ operationes effectuſque demonſtrant. In ſepulchris vitam mortalium terminis circumſcribunt, & omnia in lucem exorta, ad mortem & tenebras neceſſario recidere docent. Auferunt vitæ præſentis deſiderium, D & ad immortalitatis ſtudium animos accendunt: in profanis autem locis, nempe cœnaculis, balneis & conviviis oblatæ τῶν ὡρῶν picturæ, temporis præterlabentis & vitæ fugacis memoria, ab ocio & ludicris ad ſeria & res agendas, & luxu ad frugem ſollicitant, vel ſaltem (quod corruptiſſimo illo ſæculo non raro interveniſſe puto) mortis neceſſitate perſuaſa, explofis curis, animos ad lætitiam excitant, illud poetæ auribus hominum tacite occinentes:

Cur fabulæ in poculis?

Fabularum rationes diverſæ.

E
> *Quid cineri ingrato ſervas bene olentia ſerta?*
> *An ne coronato vis lapide iſta tegi?*
> *Pone merum, & talos, pereat qui craſtina curat.*
> *Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.*

Adeo nihil tam præclare inventum, quod non tandem in abuſum trahant humana vitia. Sed in meliorem profecto finem, clariſſime Antiſtes, magnam veteris picturæ partem excogitatam videmus luce clarius. Monſtrat idem tui Toreumatis cælatura. F Namque eos typos, non Gryllos eſſe, (ut Plinius appellat varias & ridiculas picturas) ſed ſerii quid omnino continere viſo opere ipſemet primo ſtatim aſpectu agnoviſti. Igitur me accerſito, poculoque tradito, ut viderem omnino voluiſti, nunquid abſtruſi poſſem ex iis quæ complectitur, e tenebris in lucem eruere. Parui tuis juſſis ex animo lubens. Et licet ab ea philoſophiæ parte me non parum alienarit hiſtoriæ ſtudium, quod me jam quadriennium fere tenuit, nihilomi-

Grylli.

nus pro mei ingenioli modulo, symbolorum omnium contextum ordine interpretari, & quam potui brevissime eorum rationes veterum auctorum testimoniis probare conatus sum. In quo labore, si vel ex parte aliqua tuæ expectationi me satisfecisse intelligam, nihil est quod cerebrosa morer amplius quorundam judicia, animusque ad majora in hujusmodi argumento tentandum tuis auspiciis mihi plurimum augebitur. Sed interim ut instituimus, ad rem ipsam pergamus.

VER.

Ordinis symbolorum ratio. ET in primis, ut ordine sequamur naturæ, (quem artifex ex vetustissimo scribendi usu in dirigendis per vasis ambitum symbolis, cursum Solis diurnum imitando observavit) a notis verni temporis nobis etiam aptissime incipiendum erit. Ver mundi initium. Veri enim adscribunt philosophorum probatissimi quique, non solum anni, sed etiam mundi & sæculi initium. Ejus autem est symbolum Veneris larva, quæ Dea præsidet verno tempori, & in ejus peculiari tutela est mensis Aprilis, animalium generationi accommodus: cum enim omnia per eam veniant, id est, oriantur, recte Venus est dicta, ut testatur Cicero *de Natura Deorum* libro secundo. (Ver Veneri sacer. Venus unde dicta?)

Pulchre igitur *operis* sui exordio Lucretius, ubi Venerem invocat:

Per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis.

Et iterum:

Nam simul ac species patefacta est verna diei;
Aeriæ primum volucres te, diva, tuumque
Significant initium perculsæ corda tua vi.

Et postea:

Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur.

Sic alia multa ibidem canit, quibus vernam illam temperiem, & animantum omnium procreationem Veneri attribuit. Rationes plurimas enarrarem latissime ex Ovidio, Macrobio, & aliis multis auctoribus, nisi propositum esset obiter tantum causas rerum attingere, quæ ad præsens spectant argumentum: alioqui nimis longa texenda mihi esset historia.

De hastarum religione & significatione varia, quas summa superstitione colebant Veteres, nos multa in sacris Quirinalibus. (Hastæ Deorum sacræ.) In hac autem cælatura singulas singulis Deorum larvis adjunctas videmus cuspidum varietate differentes, sed vittis obligatas omnes, ut diis sacratas esse constet: quod signum etiam victimis addere solent ad aram ducendis. Alioquin & propriam hoc loco habent interpretationem hastæ tæniis obvinctæ. (Hastæ Osiridis. Vittæ Isidis.) Solis enim & Lunæ consensum in rebus procreandis indicant. Nam hastam Osiridi vel Soli, tænias vero seu vittas Isidi (quæ Luna est) tribuere solent Ægyptii. Isidis ideo statuas multicoloribus fasciis vestiebant, Lunæ varias in elementorum co-

A augmentatione operationes & effectus his repræsentantes: licet Heliodorus ad varias Lunæ φάσεις, id est, facies, vel aspectus, hanc tæniarum diversitatem referat. In tabula tua hieroglyphica, quam ex ahenea Bembi antiquissima depingi tibi curavit vir omnigena eruditione præclarus Antonius Morillonus, (ut haberes etiam typum ejus philosophiæ, cujus in gratiam philosophorum omnium præstantissimi quique sunt peregrinati) videmus Isidem alibi candidis, alibi versicoloribus toto corpore vittis obvolutam. (Tabula ahenea Bembi.)

B Sed quod ad Veneris hastam attinet, in ejus cuspide vides pomum rosæ foliis cinctum, quod florum & fructuum primitias signare videtur advenientis æstatis. (Pomum ac rosæ quid notent?) Poma autem Veneris in tutela esse, maxime ἐαρινά, καὶ γλυκέα, auctor est Artemidorus: & licet pomorum inventorem Dionysium velit Theocritus, Veneri tamen ea tribuunt Antiphanes, & alii quidam. (Pomum Veneris.) Romani ob victoriam formæ, quam Paridis judicio est adepta, Victricem Venerem cum pomo & palmæ ramo depingunt, qua specie frequenter videmus in antiquis statuis & numismatibus. (Venus Victrix.)

C Addunt fronti diadema, ut in larva ejus vides, victoriæ & Imperii insigne, quod simul cum triumpho invenit primum Dionysius devictis Indis, ut apud Plinium legimus. (Diademata Venus.)

Rosis autem gaudere Venerem poetæ fabulantur omnes, quod odorum suavitate, & aspectus lepore, & gratia excitetur Venus. Ob pulchritudinis sane opinionem Veneri rosam esse sacram & propriam testatur Pausanias in *Eliacis*. (Rosa Veneri cur sacra?) D Quam ipsa primum invenit odoris gratitudine ducta, cum in formæ controversia a Junone & Pallade cestum amoris fasciam deponere cogeretur, veluti diserta ludit fabella Libanius Sophista. Cum igitur pulchritudinis augmentum & victoriæ adminiculum fuerit Veneri rosa, non mirum in delitiis illi esse poetas canere, ut Martialis ad rosam *lib*.VII.*epig*.LXXXVIII.

I felix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris,
Quas tu nectere candidas, sed olim;
Sic te semper amet Venus, memento.

E Eandem quoque fingunt suo sanguine ex alba rubram fecisse, pede in rosarum spinis vulnerato, cum Adonidi sub apro periclitanti vellet succurrere. (Rosa rubra ut facta sit?) Fabulam lepidissime recitat Aphthonius in *Progymnasmatibus*. Attingit etiam Claudianus *de raptu Proserpinæ* libro secundo de Venere in campis Siculis rosas colligente, ita canens;

—— *sic fata, cruoris*
Carpit signa sui.

Quam lectionem sequitur Politianus. In multis tamen exemplaribus, *doloris*, non *cruoris*, habetur, quod neque potest improbari, F ut de Adonio etiam flore locus intelligatur. Tam enim in rosa, quam in Adonio flore signa doloris sui reliquit Venus, sanguinem amasii in hunc mutando, & illam proprio cruore tingendo. (Flos Adonius.) In *rosæ* autem *elegidio*, quod quidam Virgilii, quidam vero Ausonii esse volunt, auroræ rosa comparatur aptissime, & in Veneris tutela esse sic canitur:

Ambigeres raperet ne rosis aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, & unum mane duorum,
Sideris & floris est domina una Venus.
Forsan & unus odor, sed celsior ille per auras
Difflatur, spirat proximus iste magis.
Communis Paphiæ dea sideris, & dea floris
Præcipit unius muricis esse habitum.

Facis symbolum. Fax ardens & erecta ut orientis & ascendentis est Solis, ita etiam amoris ac vitæ nota creditur: hinc Veneri non tantum & Cupidini tribuitur, sed etiam Ilithyiæ, quæ parientibus adest, & Lucina vocabatur, id quod Homerus testatur aliquoties, neque præterit Pausanias. [Ilithia.]

Mater Magna. Quin etiam Matrem Magnam, quam terram credebant, cum face erecta & tympano pingebant: cujus sacra quotannis Megalesia principio mensis Aprilis summo cultu celebrabant Romani.

Tympanum. Per tympanum vero, quale etiam Veneris larvæ subjacet, terræ superficiem intelligebant aeri contiguam, quæ magis fertilis & germinabunda, animantibus vitam & alimenta suppeditat. Hæc de Verni temporis symbolis hoc loco satis.

ÆSTAS.

Panis larva. SEQUITUR Panis larva, Solis æstivi hoc loco symbolum, quando cooperante cæli & astrorum virtute vim genitalem per orbem universum distribuit, omnia prognata vegetat, & calore suo matura reddit: semina enim mundi propellere & diffundere credebatur Pan Deus, (qui Sol est) ut multis probat Macrobius, vimque genitalem illi curæ esse dicebant. Quam ob causam τραγοπρόσωπον Pana fingunt Ægyptii, & μένδην eodem quo hircum nomine vocabant. [Hircus Pan.] Hoc enim animal natura libidinosissimum Pani sacrum est, & maxima religione colunt Mendesii apud Ægyptios. Auctores sunt Herodotus, Diodorus, Suidas, & alii.

Porro ad vegetandi augmentandique potentiam Solis pertinet, quod ἁδρὸς ϰ αὐξητὴς Pan appellatur a Græcis; quo etiam respiciunt principes poetæ, cum Orpheus de Pane Deo in *Hymnis* ita canens: [Pan ἁδρὸς & αὐξητή.]

Βόσκων ἀνθρώπων γενεὴν κατ' ἀπείρονα κόσμον.

tum Homerus, qui Deum pastoralem appellat dicens:

Πὰν ἀνακεκλόμεναι νόμιον θεὸν ἀγλαέθειρον.

Pedum pastorale Panis dici. Sic pedum pastorale datur illi pro hasta, baculus scilicet incurvus & impolitus, qui res quascunque e terra natas, pro cursu temporis rursum in terram redire significat.

Cornua & jubæ. Cæterum cornua & jubæ in Panis fronte, item capilli setarum in modum obdurati, silvas ac segetes, æstivo Solis calore adultas & maturas, signare volunt quidam, sed radios solis intensos interpretantur Macrobius, Placiades, D. Augustinus, Eusebius, Valerius Probus, & alii multi. Neque dissentiunt Græcorum vetustissimi quique, qui aurea illi cornua & rutilam splendentemque comam tribuunt. Ex quibus Homerus in superiore versu ἀγλαέθειρον, & alius quidam apud Hephæstionem χρυσοκέρειον Pana invocant, radiorum Solis splendorem intelligentes.

Fistula Panis. Larvæ adjacet Panis fistula ex septem cannis compacta, quam ejus inventionem esse testatur Virgilius: ait enim:

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

In septemplici hac fistula licet aliqui spirantium in orbe toto ventorum imitationem esse velint: plures tamen harmoniam cælestem, hoc est, mundi, septem planetarum, aliorumque siderum consensum interpretantur. Quibus accedit Orphei auctoritas, qui Pana Deum ἁρμονίαν κόσμοιο κρέκειν scribit, & amplissimis nominibus κοσμοκράτορα ϰ ἀστροδίαιτον appellat, insinuans quod mundi & astrorum concors virtus Solis vigori vivifice subserviat, & materiam seminum suppeditat per corpora inferiora distribuendam.

Pini conus. Adest larvæ pini vel piceæ conus in patella, sacrificiis frequentissimus fructus, flammis adhibitus gratissimi odoris. Cæterum non solum Matri Magnæ, sed & Pani Deo sacra pinus est, Solis ac naturæ imaginem quandam referens, vertice videlicet globato altissime crescens, foliis radios solares imitantibus, quæ prætenuia, longa, & acuta nunquam decidunt, & semper virent. Ipsa etiam nux pinea flammæ ascendentis speciem præbet, lacunatis reticulatim toris, & in turbinem ascendentibus. Sed qua ratione Matri Magnæ tribuatur, & naturæ terræve symbola contineat, exponere hujus loci non est. Etenim nostro argumento subservisse sufficiet. Adjiciemus tantum ob alimenti præstantiam & ubertatem pastorali deo hanc arborem quoque sacrari, quam ἀπὸ τ̃ πιτυᾶς πίτυς appellari posse existimo, licet a πίπτω quidam deducant: ejus enim πιτυίδες, id est, *nuclei*, vel *strobili*, plurimum (ut auctor est Diphilus) præbent nutrimenti. [Pani sacra pinus.] Mnasitheus vero pinguefacere corpora scribit, & ad bene digerendum conferre plurimum, urinam ciere, & ventrem bene disponere. Recte igitur Pani Deo, quem semina universi propellere ac omnia vegetare diximus, pinum sacrasse Veteres videntur. De Pityde vero Nympha, ob amorem Panos in arborem pinum conversa Boreæ rivalis invidia, pulchram fabellam ex Pausania cecinit Achilles Bochius, *Symbolicarum Quæstionum* libro ultimo. [Pitys Nympha.] Ob quam causam pinum volunt Pani Deo in delitiis esse.

AUTUMNUS.

Bacchi larva. TERTIA est Bacchi larva, qui Romanis Liber Pater dicitur, & Græcis Dionysius, quasi διδοίνυσος, quia sit vini dator, ut apud Hesiodi Interpretem legimus. Autumno autem præesse constat, ideoque ab Orpheo βοτρυφόρος, & Homero πολυστάφυλος nuncupatur. Nam Solis tertiam anni stationem peragentis, vel declinantis in hiemem, symbolum est Bacchus, qui τρίγονος inde ab Orpheo quasi tertiæ geniture, vel ætatis: quam Sol autumnali conversione peragit. [Trigonus Bacchus.] Porro Lysium, vel Alysium, & Lyæum a Græcis a solvendo vocari constat, & [Lyæus & Liber.]

Liberum Romanis a liberamento, uti Varro auctor est, non solum quod animum a curis liberet vinum, sed etiam quod Sol autumnalis semina & fructus maturos a stirpibus suis dissolvat & separet.

Corona hederacea. Thyrsus & scutum.

Insignia larvæ sunt Bacchicæ corona hederacea, quam primus portavit, auctore Plinio, thyrsus & scutum, victoriæ atque triumphi Indici argumenta, ob cujus rei memoriam in solennibus Bacchi sacris thyrsos, galeas, & scuta hederæ foliis adornata ferre solent Thraces, de quo nos latius alibi.

Hedera cur Baccho sacra?

Hedera vero Bacchum gaudere ab omnibus decantatum est, quam ideo Dionysium vocant Græcorum aliqui, & ipse Deus κισσοφόρος & κισσόβελος a poetis frequenter appellatur. Causam nonnulli ad fabulam referunt. Bacchum videlicet infantem a nutricibus nymphis hedera occultatum fuisse atque servatum, cum a Junone noverca quæreretur. Plutarchus autem in *Problematibus* Baccho sacram dicit, quod sit quædam hederæ species, quæ comesta absque vino ebrios reddat, & mentes ad furorem incitet. Atque hinc etiam poetarum corona est hedera, ut apud Persium in *Prologo*:

Quorum imagines lambunt hederæ sequaces.

Et apud alios frequenter. Poetis enim facilius est κατ' ἐνθουσιασμὸν καὶ μετ' οἰνοποσίαν carmina condere. Sed quod scopo nostro convenit, Baccho hederam sacram ob id etiam esse volunt, quod plantas omnes, veluti Sol autumnalis, quibus adhæret, in senium cogat, alimenta subtrahendo. Testatur hoc non solum Plinius, sed extant etiam Laberii carmina, in quibus pulchre hederam senio comparat dicens:

Ut hedera serpens arborum vires necat:
Ita vetustas ambitu annorum necat.

HIEMS.

Liberæ larva.

RESTAT ultima Liberæ deæ larva, extremi temporis symbolum. Cognoscitur ex thyrso; nam Romani eam cum Cerere & Libero consecrarunt. Ex Cerere autem natos Liberum & Liberam affirmat Cicero, & in *Verrinarum* sexta Liberam Proserpinam esse dicit, quam terræ vim genitalem esse, qua fruges & herbas producit, ex Mythologorum sententia docet D. Augustinus. Unde Proserpinam dictam volunt Latinis a proserpendo, ut & Hecaten Græcis, ob fœcunditatem, quod in centuplum plerumque propaget accepta semina; qui numerus frequenter a Græcis pro multitudine incerta solet accipi. Recte igitur canitur in Orphicis Persephone καρποῖσι θρύουσα & iterum λειμωνιάσιν χαίρουσα πνοῇσιν. Eam enim in Ennensium nemore (qui locus, cum quod in media insula est, tum quod perpetuo floreat & fertilissimus sit, Umbilicus Siciliæ nuncupatur) a Plutone raptam fingunt poetæ, quod per hiemem vis illa genitalis ob Solis absentiam & circumstantia frigora deficiat, & terræ visceribus abscondatur. Sic inferorum reginam vocant Proserpinam, & Plutonis conjugem fabulantur, cui Deo terrena vis omnis est sacra, Cicerone auctore.

Proserpina. Hecate. Proserpinæ raptus. Liberæ symbolum.

Adferemus & aliam rationem ex Macrobio, huic loco non inconvenientem, quæ Proserpinam vel Liberam hibernum tempus referre docebit. Astronomi Zodiacum in duo hemisphæria secare solent, superius videlicet, & inferius. Superius autem ascendentis est Solis, lucemque adaugentis & vitam, quod Venerem inhabitare tradunt, cujus terminos ponunt ab Arietis signo ad Libram. Inferius vero, quod a Libra per ultimos Pisces extenditur, qua Solis declinantis est via, ut tenebrarum & mortis, ita Proserpinæ domicilium appellant. Eadem ratione Physici terram ipsam patiuntur, superius ejus hemisphærium, cujus partem incolimus, Venerem appellantes: inferius vero aliqui Plutona, aliqui Proserpinam vocaverunt. Adonim igitur Veneris delicias (quem Solem esse volunt) Assyrii summa religione coluerunt, & sex mensibus esse apud Proserpinam dixerunt, id est, in inferiori hemisphærio, quod lucem & calorem ejus minuit, & sex apud Venerem, cum incipit alterum ascendere cum incremento caloris & luminis. Sacra vero, quæ Adonia ab ejus nomine vocabantur, quotannis per omnem Syriam celebrari solent, per flebiles ululatus & lugubres sonitus mense Julio, quem D. Hieronymus ideo Adonium appellat, quo ut in venatione ab apro occisum plangebant, iis ritibus sacris discessum Solis ad inferius hemisphærium prosequentes.

Veneris domicilium in Zodiaco. Proserpinæ domicilium. Adonidis fabula.

Fingebatur & Venus plangens amasii ad Proserpinam abitum, cujus simulachrum visebatur in Libano monte (quod ipsius Adonidis quidam volunt esse) capite obnupto, specie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens, lachrymæ, ut testatur Macrobius, uberes visione conspicientium destillare ex oculis credebantur. Quæ omnia speciem nobis hiemis describunt, quo tempore terra languens & tristis Solis calore destituta est, atque is ipse nubibus obtectus rarum ac brevem sui dat conspectum; aer vero pluviosus fontium ac fluminum alveos exturgescere cogens, omnia passim lachrymis suis madefacere videtur.

Venus plangens.

QUATUOR FERARUM SIGNIFICATIONES.

DICENDUM nunc erit de quatuor feris, quas larvis intermixtas videmus. Sunt autem ex quadrupedum silvestrium genere pedum, ac corporis naturali pernicitate notissimæ, atque in hoc argumentum selectæ, ut properantis anni fugacitatem exprimerent. Sunt etiam Dianæ ob venationem sacra, quam Lunam esse auctorum utriusque linguæ consensu receptum est. Recte autem Solis annum conficientis adjiciuntur symbolis, quod in generatione propaganda Solis adjutricem esse Lunam Physici tradant. Vitalem enim spiritum & sentiendi vim a Sole, alimentum vero & augmentationem a Lunari globo sortiri animata, humore denique unius, & calore alterius inferiorum corporum substantias omnes subsistere volunt.

Ferarum pernicitas. Luna.

Hebræorum autem arcana, quæ vulgo *Cabalistica* vocantur, contendunt siderum atque idearum cælestium virtutes omnes ad inferiora manantes Lunari globo primum excipi, atque inde tanquam ex Amaltheæ quodam cornu per subjecta elementa, ut genitale semen diffundi atque erogari. Itaque lunam elementorum temperamentis, & inferorum corporum coaugmentationi & dissolutioni

Virtutum cælestium fluxus.

lutioni non leve momentum adferre constat.

Sed animalium larvis quibusque additorum rationes indagandæ sunt aliquanto diligentius, si prius illud cornu unicum inter Veris symbola locatum quidnam sibi velit explicaverimus.

Cornu.

Quod etiam ad Lunæ significationem referendum videtur, quam Solis in generando adjutricem diximus. Ejus enim primam φάσιν, ut Græci vocant, cum exoritur emergitque a Sole, corniculationem appellant: qua specie cum visitur, μηνοειδὴς dicitur, hoc est, *falcata*, si Martiano Capellæ & Firmico credimus. Scarabæorum quoque secundum genus, quod bicorne est, Lunæ ab Ægyptiis simili ratione consecratur, ut auctor est Orus, quæ ταυροκέρως etiam nuncupatur in Orphicis, & Lunæ altitudinem Taurum esse tradunt Astrologi.

Luna ταυροκέρως. Isis cornuta.

Item Isis cum cornibus ab Ægyptiis colitur, quæ eadem Luna est, ut Diana apud Græcos, cujus numini cornua sacravit Antiquitas, non radios tantum solares significantia, (ut supra retulimus) sed etiam summam rerum abundantiam & fertilitatem, cum ex humoris ac alimenti superfluitate nascantur in corporibus animantium. Igitur Lunæ aquis & humoribus omnibus dominanti τῷ φερεκάρπῳ (ut Orpheus ait) atque Dianæ, quam καλὰς καρπὰς ἀπὸ γαίης ἄγειν dicit idem, non inepte cornua dedicarunt. Æque etiam fluvios passim ταυροκράνας, cornigeros, vel bicornes nominant poetæ, ob ubertatem & rerum omnium abundantiam commoditatemque, quas vicinis regionibus subministrant.

Fluvii cornuti.

Qua forma Acheloum atque alios fluvios aliquando pingere solent Romani, apud quos etiam fuit usitatissimum fluviis cornu omnium fructuum copia & varietate conspicuum adjungere, veluti etiam Felicitati, Liberalitati, Copiæ, Annonæ, & Fæcunditati, quorum omnium symbolis plena sunt Veterum numismata, ut & aliorum numinum quæ beneficiis suis egestatem & rerum inopiam ab humano genere arcere credebantur. Eo respicere videtur Horatius de Italiæ felicitate *ad Iccium* scribens:

—— aurea fruges
Italiæ pleno diffudit Copia cornu.

Quid igitur mirum, si Lunæ ac fæcunditati proprium cornu, feracissimi Veris symbolis adjungatur.

Ut ordinem a nobis propositum servemus, ex quatuor animalibus occurrit imprimis Veneris larvæ additus Hinnulus, anni novi, Solis crescentis, vel Verni temporis argumentum adjuvans.

Hinnuli symbolum.

Est enim cervorum fætura a Græcis νεθρὸς appellata, quasi νεωστὶ βορὰν ἐνδεχόμενος, id est, *nunc recens alimentum admittens*, ut pulchre Anacreon insinuat, νεβρὸν, νεοθηλέα γαλακτινὸν nuncupans, id est, *nuper virescentem & lactentem.* Attici & Iones indifferenter tam fœminas quam mares νεβρὺς nominant. Primogenios etiam cervos procas vocari, veluti repente ac nuper natos, observavit ex Græcis auctoribus Cœlius Rhodiginus, πρὸξ, ἐλάφυ γέννημα ajunt Suidas & Varinus.

Procæ.

Licet Gaza damas velit esse procas, & Plinius capreas ita videatur appellare. Sane diversitas hæc nominum & animalium similitudo non parum adfert obscuritatis, ut dorcadis, damæ, capreæ, cervi, nomina plerumque confundant auctores, utque omnes cervi appellatione comprehendere Aristotelem dicat Augustinus Nyphus. Sed parum aut nihil huic nostro argumento illud adfert difficultatis, sive enim nebrum dicamus esse hoc tui Toreumatis symbolum, sive cervam, semper nascentium cum anno exsurgente rerum nobis erit nota. Ejusdem namque generis sunt animalia, ætate tantum differentia. Cerva etiam huic loco non male conveniet, ob Telephi fabulam, quem a cerva nutritum fingunt poetæ, Solem orientem nobis describentes, τήλεφος enim quasi τηλεφῶς procul radians lumen est: licet sint qui rationem nominis ad historiam ipsam referant, ut διὰ τὸ θηλάσαι αὐτὸν ἔλαφον Telephus sit nominatus.

Telephus a cerva nutritus.

Auges fertur filius, αὐγὴ *splendorem* significat & *auroram*. Cerva quæ eum lactavit, principium motus esse vult, & temporis; ἔλαφος enim quasi ἐλαφρὸς, *agilis*, *levis*, & *velox*.

Auge.

Sed nos ad cervum transeamus, qui alto jugo apud Panis larvam insidens solstitii æstivi nobis imaginem præbet, quando Sol Cancri Tropicum occupans, toto die quiescere videtur, viæ reliquum sibi declive respiciens.

Cervi symbolum.

Habet enim hoc ex natura cervus, ut in ipsa pernicissima fuga stationem faciat, & requiem interponat, donec qui sequitur appropinquet, tum fugam rursus arripit. Esse autem nondum ætatis perfectæ, curta & non valde ramosa cornua indicant, ut juniori larvæ Panicæ aptius accommodaretur; quod cur ita factum fuerit, superius declaravimus. Cemadem igitur potius appellabimus, quæ proxima adultis species est.

Cemades.

Nominant & dorcades τὰ τῆ ἐλάφυ γεννήματα ob acutiem visus, ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον ἐστὶ, καὶ εὐόμματον, inquit Varinus.

Dorcades.

Quapropter non inepte Soli, quem mundi oculum & luminis fontem nuncupant philosophi, potest attribui.

Sol mundi oculus.

Nocte etiam videre & oculis apertis dormire dorcades, auctores asserunt: denique non solum perspicere acerrime, sed etiam humorem quendam habere intra viscera, qui caliginem depellit oculorum, tradunt: ut apud Originem legimus in una ex *Homeliis* quæ extant *in Cantica Canticorum*. Porro Solis æstivo calori recte cervum comparasse Veteres, ex variis, quas habet huic sideri convenientes proprietates, animalis naturam indaganti facile patebit.

Cervi proprietates Soli convenientes.

Vivacissimum in primis est, ob idque Soli vitæ principia excitanti sacrum, ut corvus Apollini, qui Sol est exoriens. Mutat annuatim semel cornua, & iis amissis semet abscondit, quoad altera renasci cœperint, veluti Sol hieme a nobis refugere videtur, radiorum vigore destitutus. Seriatim tranant maria ac flumina porrecto ordine, & capita cornibus ponderosa præcedentium imponunt clunibus, & primus defatigatus postremum se in locum recipit, requiem capiti quærens, atque ita in orbem redeuntes Solis revolutionem seriatim dies connectentis imitari videntur. Denique quod Panicæ libidini vel Solis vigori vivificæ convenit, cum coitum appetit cervus, (post Arcturi illud sidus mense Augusto contingere scribunt Aristoteles & Plinius) calore exasperatur, & fit ferocior, neque una tantum contentus est, sed mutat sæpius, & discurrens aliam atque aliam subito supergreditur, subigitque non stando, sed currendo, atque implet unus multas brevi tempore. Veluti Sol in continuo motu passim & ubique gene-

generationem propagat, diversissimisque plagis rerum naturæ satisfacit. Hæc ex Aristotele, qui item simos natura libidinosos esse conjicit, ex cervorum similitudine, de quibus nunc satis multa diximus.

Pantheræ symbolum.

Panthera Indiæ atque Orienti notissimum animal Bacchi larvæ tertio loco adjunctum est, quod ex mammarum ordine cognoscimus. Auctores enim habemus Aristotelem & Plinium, quatuor mammas medio ventre gerere Pantheram. Difficile alioquin est in picturis vel sculpturis antiquis Leopardos, Lynces, Tigrides & Pantheras cognata & similia fere animalia ab invicem discernere, quæ Bacchο (in cujus tutela Autumnum esse diximus) ob similes fere causas sacrarunt Veteres. Sed de pardali sive panthera, ne nimis longi simus, quædam solummodo adferemus; quam Baccho dedicatam esse ex variis auctoribus facile probabimus. Refert Philostratus libro secundo *de Vita Apollonii*, Pantheram captam fuisse in Pamphilia, magnitudine & aurea torque insignem, in qua scriptum erat Armeniis litteris, *Regem Arsacem Armeniæ Nisæo deo sacrasse feram*, quam ex eo tractu styracis odore illectam per Caucasi juga in Pamphiliam penetrasse volunt. Gaudet enim mirum in modum aromatibus hoc animal. Vidimus Venetiis apud Æneam Vicum Parmensem, antiquitatis studiosissimum virum, nummos Gallieni Imperatoris quamplures, & inter eos unum cum Panthera, & hoc titulo: LIBERO P. CONS. AVG. Recte ait Varinus, Lyæus, a Lycophrone & aliis, tauro atque pardali comparatur, cujus causam referunt Plato *de Legibus*, & Athenæus *libro* secundo: nos eam brevitatis causa omittemus, cum huic nostro argumento parum serviat.

Baccho sacra Panthera.

Baccho imprimis Pantheras sacrarunt Veteres, quod vino delectentur, & inebriatæ facilius capiantur. Hinc φιλάκρητοι ab Oppiano nuncupantur, qui Bacchi nutrices in Pantheras fuisse mutatas, & Panthea dilaniasse scribit libro tertio *de Venatione*.

Bacchi nutrices in pantheras mutatæ.

Ob macularum quoque varietatem Bacchus Autumni præses habet hoc peculiare sibi animal: nam autumnalis temporis inconstantiam naturæ perfidia, & colorum diversitate refert. Porro moribus varium hominem pardalea vestitum dicunt Græci, atque etiam παρδαλωτὸν appellant, teste Varino. Pantheræ item hieroglyphico hominem dolosum & fraudulentum signant Ægyptii, si Oro Apollini credendum est. Itaque per somnium visam Pardalim ab insidis & maleficis periculum portendere docent Onirocriti, ob varietatem animalis. Significat etiam morbos, ut Artemidorus auctor est, quorum Autumnus est ferax.

Capræ silvestris symbolum.

Ex caprarum silvestrium genere est quartum animal hiemali Liberæ deæ symbolo additum, αἰγαγρίονα Græci vocant, parum aut nihil discrepans ab Ibice: neque enim adeo superstitiosam hoc loco differentiam requirimus. Idem est forte Homero animal αἶξ ἴξαλος: summos autem vertices alpium incolit, ubi perpetuæ nives, ubi glacies nunquam solvitur.

Ibicis natura.

Natura enim sua frigus requirit Ibex, quod per calorem cæcutiat, & visum omnino perdat, ut nonnulli scribunt, qui ejus animalis naturam diligentius sunt perscrutati. Cervum cruribus, capite, & corpore exprimit, sed color masculo subfuscus est, caput oneratum vastis cornibus in cervicem leniter reclinantibus, ad quorum magnitudinem respicit Homerus, qui Pandari arcum sedecim palmarum ex feræ capræ cornu fuisse concinnatum fabulatur *Iliados* lib. quarto: femellæ autem minus fuscæ masculis sunt, & capris villaticis aliquanto majores. Ex quarum imagine Capricorni signum traxere Astronomi: quod parti Zodiaci attribuerunt, in qua Sol stationem hiemalem facit, dies perbreves, & tenebras longissimas terris distribuens.

Solstitium hibernum.

Tropas Chimærinas appellarunt Antiqui solstitium illud, ut vetus Kalendarium rusticum monstrat, χίμαιρα enim *capra* est *hieme nata*. Hesychius capram feram exponit, & χίμαρῥοι *torrentes* vel *rivi*, qui ex nivibus liquefactis præcipitantur montibus. Ex hieme autem deducta sunt hæc vocabula Græcis, quibus χιμὼν *hiems* est, eodem Hesychio & Varino auctoribus. Quam pulchre igitur hibernæ tempestati caprarum omne genus adsignarunt Antiqui, facile patebit, non oscitanter, sed cum judicio auctorum scripta perlegentibus:

Αἴξ.

αἴξ autem apud Græcos commune vocabulum est caprigeno pecori, (liceat poetæ verbis uti) ut ἔλαφος cervis, ἵππος equis. Magnos item fluctus caprarum vocabulo αἶγας vocari, ex Homero docet Artemidorus, qui λάβρος ἐπαιγίζων dixit, hoc est, *fortis caprisans*, vel *undosus*; αἶγις, καὶ καταιγὶς *ventus* est, *turbo*, vel *procella*: αἰγίζω denique *capras pascere*, & insuper *vehementius flare* significat.

Ægæum mare.

Et idem Artemidorus ait, mare omnium tempestuosissimum, ideo vocari Ægæum, quod fluctibus & navigandi periculo sit terribile, cujus etiam Dionysius poeta & Suidas meminere.

Caprarum silvestrium pernicitas.

Sed jam de caprarum significatione satis multa, si unum hoc de feris adjecerimus, quo Solis in hiemem euntis præcipitem lapsum imitantur. Stupendæ enim sunt pernicitatis, itaque venationibus actæ altissima montium petunt, quo etiam si venator evadat, ex præruptissimis scopulis leniter semet præcipitantes cornibus illæsæ suscipiuntur. Tangit hanc eorum naturam Virgilius *Æneidos* quarto:

Ecce feræ saxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis.

Refert Varro ex Catonis *Originibus* in Soracti monte Fiscelio capras feras reperiri solere, quæ saliant e saxo pedes plus sexagenos, ab his capras quas pascimus ortas esse.

FUNDI TOREUMATIS EXPLICATIO.

Reliquum est ut ad vasis ὑγροδεκτὸν, vel fundum capax liquoris, descendamus, quod undis marinis (me Hercle) circumluitur aptissime. Eas secant blandi delphines, Bacchi & Veneris delitiæ. Continet insuper quatuor animalia terrestria in pisces desinentia, superiori argumento haud incongrua. Repræsentat enim nobis elementa cum quatuor anni partibus, quibus quæque dominantur. Sed quia alterius nobis commentarii sufficientem materiam commodiore occasione præbere poterunt, leviter saltem & quasi per transennam hoc loco monstrare proposui. Terrestria sunt quidem, sed

Terra & aqua generationi sedem præstant.

in pisces desinunt: ut terram & aquam conjuncta elementa exprimerent, quæ generationi sedem præstant, & animata omnia in lucem proferunt. Ex his aquam facilius in materiam genitalem transformari, philosophorum quorundam opinione receptum est, rerum principia ex aqua constituentium.

Chaos.

Nam chaos illud primum, ex quo omnia nata fingit Hesiodus, fluidum atque aqueum valde fuisse volunt, qui ἀπὸ τῆς χύσιος illud nomen derivant, χυτὸν γῆ, ἢ ῥυτὸν τὸ ὕδωρ, ut inquit ille. Suam opinionem hausisse videtur ex eodem fonte Thales Milesius, qui rerum naturas penitius indagavit, Deum mentem cuncta ex aqua formasse adserens. Virgilius etiam ex Cleanthis & Anaximenis sententia Deum æthera appellans, eum fæcundis aquis terram imprægnasse scribit, canens pulcherrime:

Tum pater omnipotens fæcundis imbribus æther,
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omneis
Magnus alit magno permistus corpore fœtus.

Venus ex aqua.

Neque aberrat Græcorum theologia, quæ Venerem ex aqua progratam fingit, & aquam illi sacravit. Nascitur enim ex pluvia hoc piscis genus, & apud ignem solvitur rursus in aquam. Non igitur mirum, quod tantopere aquam laudaverit Pindarus, cum generationis primordia ex ea prodiisse credere videatur, ut etiam qui hæc quatuor animalia solis circumvagi, atque anni quadrifidi, tum elementorum generationisque symbola in aquis exponere nobis voluit.

Cur in aqua quatuor animalia visantur?

Quæ quid singula sibi velint, quam brevissime potero (ut commentariolo finem imponam) percurrere visum est.

Bos.

Bos terram & Vernum tempus significat, Telluri enim Cererique & Lunæ sacer est, cum ob agriculturam, tum quod fæcunditatem naturæ multis proprietatibus demonstret. Quam ob causam Verni temporis medium mensem Tauro designarunt Astronomi, sub Veneris almæ quasi productorum omnium matris tutela existentem, quam sub bovis effigie a Phrygibus cultam fuisse legimus.

Gryphus.

Gryphus, ignis & æstatis symbolum est, quem Soli vel Apollini sacrarunt. Inter Gallieni nummos Venetiis vidimus etiam cum Grypho, & hoc titulo APOLLINI CONS. AVG. Ejus autem currum trahere fingit Claudianus. Ab Indis Soli Gryphos dedicari auctor est Philostratus, quos in Æthiopia atque Hyperboreis montibus reperiri scribit Plinius. Nihilominus fictitium animal esse constat, Romanis in Hieroglyphicis frequens, & varie depictum, plerumque tamen ex aquila & leone compositum. Sed addunt aures, ob Apollinem, qui a Lacedæmonis τετράωτος colebatur. Ignita autem prorsus est leonum atque aquilarum natura:

Leonum & aquilarum natura.

hujus enim pennæ cæterarum avium plumis commixtæ, Plutarcho tradente, eas calore suo consumunt; ex illius vero ossibus inter se collisis ignem excitari scribit Ælianus.

De Panthera, quæ aerem & autumnum hoc loco notat, superius nonnulla, sed alibi plura dicemus.

Equus.

Superest equus, aquam & hiemem nobis signans. Neptuno enim sacer est, qui in equum mutatus cum Cerere concubuit, & suo tridente ex undis illud animal primus excitavit, ut habent fabulæ. Extat etiam Gallieni nummus inter alios quos Venetiis vidimus cum equo in piscem desinente, & his litteris, NEPTVNO CONS. AVG. Coluerunt autem Neptunum equestrem Romani, & in ejus Dei tutela dicebant esse mensem Februarium, quando Sol gelidum & udum occupat Aquarium, quem prodigum urnæ dicit Poeta. Parthi igitur & Thraces equum fluminibus mactabant, ut Lacedæmonii ventis, Lunam quoque, quæ aquis dominatur, φίλιππον cognominat Orpheus. Sed horum omnium rationes alibi commodiore occasione declarabimus latius.

Hæc sunt, Patrone dignissime, quæ huc reversus, & studiorum ocium nactus, in tui Toreumatis symbola commentatus sum. In quibus si quæ offendant delicatiora forsan ingenia, excusabit me spero vix exiguum temporis spatium, quod huic operi impendere licuit, cum me alio vocarent occupationes. Gravis insuper atque perplexa est materia, quæ summam philosophiæ cognitionem & omnigenam veterum auctorum lectionem omnino requirit, quam in me (nisi plane sim perfrictæ frontis) nullo modo possum agnoscere. Alio igitur opus esset Oedipo, imo Morillono quodam, qui hoc argumentum ex plena litterariæ supellectilis suæ synthesi digne potuisset excolere, nisi eum virum, proh dolor! fata nobis invidissent. Ego autem tibi satisfaciendi studio παρέργως hæc effudi; ex iis si vel paucula tuo judicio probari sentiam, non omnino me oleum atque operam perdidisse putabo. Bene vale studiosorum Mæcenas optime.

F I N I S.

JACOBI USSERII,

ARMACHANI,

DE

MACEDONUM ET ASIANORUM ANNO SOLARI

DISSERTATIO.

CUM

GRÆCORUM ASTRONOMORUM

PARAPEGMATE,

AD

MACEDONICI ET JULIANI

ANNI RATIONES ACCOMMODATO.

INDEX CAPITUM.

JACOBI USSERII,

ARMACHANI,

DE

MACEDONUM ET ASIANORUM ANNO SOLARI

DISSERTATIO.

CAP. I.

De mensibus Solaribus a Macedonibus, Græciæ dominatu jam potitis, Lunarium loco in usum civilem introductis; & iisdem Asiæ imperium postea obtinentibus, a Syro-Macedonibus & Asiæ proprie dictæ incolis varie usurpatis.



PHILIPPUS rex Macedonum ab Amphictyonibus, ex quibus commune Græciæ constabat Concilium, [1] Belli sacri contra Phocenses Dux constitutus, ad Peloponnesiorum magistratus scripsit literas, a Demosthene in *Oratione de Corona* recitatas: in quibus mandatum ipsius, hisce verbis expressum legitur: *Ὥστε συνιαντᾶτε μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν Φωκίδα, ἔχοντες ἐπισιτισμὸν ἡμερῶν τετταράκοντα, τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς Λώου, ὡς ἡμεῖς ἄγομεν· ὡς δὲ Ἀθηναῖοι, Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι, Πανέμου. Quare armati nobis occurrite in Phocide, allato commeatu quadraginta dierum, hoc mense Loo, ut nos agimus; ut autem Athenienses, Boedromione; ut Corinthii, Panemo*. Ubi ut *Boedromionem* Atticum Lunarem Metonicum fuisse constat: ita ejusdem generis & Macedonicum *Loum* & Corinthiacum *Panemum* tunc extitisse, ipsa prudentiæ militaris ratio, cujus callentissimum Philippum fuisse nemo dubitat, plane exigere videtur. [2] *Si enim tuba illius incertum dedisset sonum; quis præparavisset se ad prælium?* Si Atticus *Boedromion* fuisset, ut erat, *Lunaris*; Macedonum vero *Lous*, aut Corinthiorum etiam *Panemus*, Solaris: incertum omnino fuisset, quando in Phocide armatus Philippo occurrere teneretur Peloponnesiorum exercitus.

In *Alexandri* autem *Vita* docet Plutarchus, Macedonas *Loum* mensem appellavisse eum, qui Atheniensibus erat *Hecatombæon*: menseque *Dæsio* superatas ab eis ad Granicum fuisse Regis Persarum copias: quod mense Atheniensium *Thargelione* factum, confirmat idem in *Camillo*. Quum enim Darii duces in trajectu Granici fluvii ingentem suam aciem instruxissent; a quibusdam Alexandro, ne [3] cum illis congrederetur, religionem mensis objectam fuisse narrat: *Δαισίου γὰρ οὐκ εἰώθεισαν οἱ βασιλεῖς τῶν Μακεδόνων ἐξάγειν τὴν στρατιάν. Mense enim Dæsio non erat moris regum Macedonum educere exercitum.* Quod correxit ille, *κελεύσας δεύτερον Ἀρτεμίσιον ἄγειν, edicens ut secundum agerent Artemisium*. Mensis vero *Thargelionis* die *sexto* (qui, juxta nostrum calculum, in Julianæ Periodi anno 4380. Maii 20. fuit) pugnam illam commis-

A sam fuisse; ex illis Æliani, in II. *Variæ Historiæ* libro cap. XXV. colligimus: *Πέρσαι δὲ ἡττήθησαν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, Persæ hoc die clade affecti sunt*: Et post: *Ἀλέξανδρον δὲ τὸν Μακεδόνα, τὸν Φιλίππου παῖδα, τὰς πολλὰς μυριάδας τὰς τῶν βαρβάρων φθεῖραι καὶ αὐτὸν λέγουσιν ἕκτῃ ἱσταμένου. (ὅτε καὶ Δαρεῖον καθεῖλεν Ἀλέξανδρος) καὶ ὁμολογοῦσι τοῦ αὐτοῦ μηνὸς πάντα. Alexandrum vero Macedonem, Philippi filium, multas Barbarorum myriadas fudisse dicunt die sexto; (quando & Darium prostravit Alexander) & de eodem mense magnus omnium est consensus*. Ut enim ad mensem *Thargelionem*, de quo institutus ab eo fuerat sermo, ita ad primam hanc a Persis reportatam victoriam, referenda ista esse dubita-

B re non possumus; si prælium ad *Issum* mense *Mæmacterione*, ad *Gaugamela* mense *Boedromione* fuisse factum, ipsumque tandem Darium mense *Hecatombæone* cæsum a Besso fuisse, meminerimus. Sed & ad eundem *sextum* ejusdem *Thargelionis* mensis diem, Alexandri quoque mortem referri, Ælianus subjicit: quam sub fine Macedonici *Dæsii* contigisse, ex Diariis Regiis & Aristobulo, suo in loco declarabimus.

Ex quibus inter se collatis liquet, in Philippi quidem litteris *Loum* Macedonicum *Boedromioni* Attico respondisse; succedente vero tempore, Ma-

C cedonicum *Loum* in *Hecatombæonem*, ac *Dæsium* in *Thargelionem* incurrisse: & quod inde est consequens, in universi anni dispositione hanc inter priores & posteriores menses intercessisse differentiam.

MENSES

Lunares Attici.	Lunares veteres Macedonici.	Solares novi Macedonici.	
Pyanepsion.	*Gorpiæus.*	*Dius.*	Autumnales
Mæmacterion.	*Hyperberetæus.*	*Apellæus.*	
Posideon.	*Dius.*	*Audynæus.*	
Gamelion.	*Apellæus.*	*Peritius.*	Brumales.
Anthesterion.	*Audynæus.*	*Dystrus.*	
Elaphebolion.	*Peritius.*	*Xanthicus.*	
Munychion.	*Dystrus.*	*Artemisius.*	Vernales.
Thargelion.	*Xanthicus.*	*Dæsius.*	
Scirrhophorion.	*Artemisius.*	*Panemus.*	
Hecatombæon.	*Dæsius.*	*Lous.*	Æstivi.
Metagitnion.	*Panemus.*	*Gorpiæus.*	
Boedromion.	*Lous.*	*Hyperberetæus.*	

D

Inter Olympiadis igitur CVIII. annum *secundum*, quo scriptæ a Philippo ad Peloponnesios sunt

E literæ, (vel illius Olympiadis *primum*, si in eo finem bello Phocico Philippus fecerit, ut in *libri* X. initio tradidit Pausanias) & CXI. *secundum*, quo ad Granicum a filio ejus cum Persis est pugnatum; Macedones Lunares suos menses in Solares commutarunt: quos & deinceps retinuerunt, eo quo proposuimus modo, Lunaribus Atheniensium aliqua sui parte respondentes. Neque ut ab hoc rece-

1 Diodorus Sicul. *lib.* XVI. ad ann. II. Olymp. CVIII. 2 D. Paulus I. *Cor.* XIV. 8. 3 Non cum *Thebanis*: ut, fallente eum memoria, *ad annum Mundi* 3665. Jacobus Capellus tradidit.

damus, aliquid nos movet ἐπιγραφὴ illa, quæ apud [A] Josephum libro XIV. *Antiquit.* c. XVI. Atheniensium Decreto, in gratiam Hyrcani Judæorum Pontificis & Ethnarchæ edito, præfixa cernitur: Ἐπὶ πρυτανέως καὶ ἱερέως Διονυσίου τοῦ Ἀσκληπιάδου, μηνὸς Πανέμου πέμπτῃ ἀπιόντος, ἐπεδόθη τοῖς στρατηγοῖς ψήφισμα Ἀθηναίων, ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος. Εὐκλῆς Μενάνδρου Ἀλιμούσιος ἐγραμμάτευε, Μουνυχιῶνος ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ τῶν προέδρων. *Sub judice & sacerdote Dionysio filio Asclepiadis, mensis Panemi desinentis die quinto, traditum est ducibus decretum Atheniensium, archonte Agathocle. Eucles Menandri Alimusius scriba retulit, Munychionis undecimo die prytaniæ, habito præsidum concilio in theatro.* B Unde nonnulli, *Panemi* Macedonici diem XXVI. sive *quintum desinentis*, cum *Munychionis* Attici die XI. concurrisse colligunt. Verum, quemadmodum in *Codice*, Constitutionibus Imperatoriis mensium notationes diversas videmus appositas, (ut alia, exempli gratia, dicatur [1] *Data* XV. *Kalend. Jul. Thessalonicæ; item rursus Constantinop.* XIII. *Kalend. Januar.* alia, [2] *Data Idibus Aug. Arelato; proposita Idib. Octob. Thebeste*: alia, [3] *Data* simul & *proposita Kalend. Jul.*) ita nihil obstat, quo minus & Atheniensium hoc psephisma scriptum quidem *Munychionis* XI. ducibus vero postea XXVI. C *Panemi* die fuisse traditum, existimemus.

Ut vero Athenienses, a neomenia Solstitium Æstivum proxime subsequente, primum mensem Lunarem, ita Macedones ab Autumnali Æquinoctio primum mensem Solarem deduxerunt, a *Dio* annum suum inchoantes, & cum *Hyperberetæo* terminantes. Παρὰ γὰρ Μακεδόσιν ὁ τελευταῖος μὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ Ὑπερβερεταῖος ἀνεγράφη. *Apud Macedones enim ultimus anni mensis Hyperberetæus descriptus est*: inquit Zenobius in *Proverb.* Centur. VI. num. 30. ubi Ὑπερβερεταίου appellationem ἐπὶ τῶν ὑπερχρονίων, *de intempestivis & cunctatoribus*, proverbialiter usurpari ostendit. Solares autem fuisse novos D hosce Macedonum menses, & ad Solis ingressum in signa cœlestia adaptatos; partim ex veteribus Indiculis cognoscimus, [4] in quibus Zodiaci dodecatemoriorum nomina hisce mensibus reperiuntur imposita: partim ex Galeni primo *ad primum Epidemiorum Hippocratis librum Commentario*; in quo, civilium mensium nominibus retentis, ab Autumnali æquinoctio *Dii*, a Brumali solstitio *Peritii*, a Vernali æquinoctio *Artemisii*, & ab Æstivo solstitio *Loi* principium ille repetit. Verba, quia emendatione indigent, adscribam integra:

Ἐὰν προμάθῃ τὸ κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Δίου μηνὸς καὶ φθινοπώρου γίνεσθαι ἰσημερίαν. εἴσεται τὴν μὲν χειμερινὴν E ὡς μετὰ τρεῖς μῆνας ἐσομένην ἐν ἀρχῇ τοῦ καθ᾽ ἑαυτοῦ πέρατος μηνὸς, vel potius, τοῦ κατ᾽ ἐνιαυτοῦ Περιτίου μηνὸς, (τοῦτο γὰρ σημαίνει κατὰ Μακεδόνας) τὴν δ᾽ ἐαρινὴν ἰσημερίαν Ἀρτεμισίου, καθάπερ γε καὶ τὴν θερινὴν (τροπὴν) τοῦ Λώου. Κατὰ γὰρ τὰς ἀρχὰς τῶν εἰρημένων μηνῶν αἵ τ᾽ ἰσημερίαι καὶ αἱ τροπαὶ γίνονται, κατὰ Μακεδόνας ἀριθμούντων τε καὶ ὀνομαζόντων τοὺς μῆνας. Ὁ τοίνυν ταῦτα μαθὼν, εἰ προσεπιμάθῃ, τὸν μὲν Ἀρκτοῦρον ἐπιτέλλοντα πρὸ ἡμερῶν ὡς δώδεκα τῆς φθινοπωρινῆς ἰσημερίας, Πλειάδας δὲ δυομένας ὡς μετὰ πεντήκοντα· γνώσεται πόσῃ τοῦ καθ᾽ ἕκαστον αὐτὸν (lege ἐνιαυτὸν) μηνὸς ἑκάτερον τῶν ἄστρων ἐπιτέλλει· παραφυλάξει τε, βουλόμενος ἀκολουθεῖν Ἱπποκράτει, τὴν μεταβολὴν τῆς περὶ F τὸν ἀέρα κράσεως, ὁποία τις ἐγένετο. *Si quis didicerit in principium mensis Dii autumnale incidere æquinoctium; intelliget brumale quidem solstitium post tres circiter menses futurum, ineunte quotannis mense Peritio, (nam hoc nomine denotatur apud Macedonas) vernum vero æquinoctium Artemisio, sicut & æstivum solstitium Loo. Nam circa initia dictorum mensium æquinoctia & solstitia contingunt iis qui secundum Macedonas menses numeraverint & nominaverint. Hæc qui perceperit, si ante autumnale æquinoctium duodecim circiter diebus oriri Arcturum insuper didicerit, Vergilias vero post dies circiter quinquaginta occidere; sciet quoto mensis cujusque anni die utrumque sidus exoriatur; observabitque, si sequi Hippocratem velit, cujusmodi acciderit aeri temperamenti mutatio.*

Admonitionem deinde hanc Galenus subjicit: Χρὴ δὲ δηλονότι τοὺς μῆνας οὐ πρὸς Σελήνην ἀριθμεῖσθαι, καθάπερ ἐν ταῖς πλείσταις νῦν τῶν Ἑλληνίδων πόλεων, ἀλλὰ πρὸς Ἥλιον (ὡς) καὶ ἐν ἁπάσαις τε τῶν ἀρχαίων, (lego Ἀσιανῶν) καὶ ἐν πολλαῖς τῶν ἐθνῶν ἀριθμεῖται. *Cæterum non sunt ad Lunam menses numerandi, quod multis jam Græciæ civitatibus est solenne, sed ad Solem, ut & in Asianorum omnibus, & in gentium compluribus civitatibus numerantur.* Tum, de mensibus Romanorum Solaribus & Lunaribus Palæstinorum aliis inter jectis, demum concludit, ab his qui Lunares sequuntur rationes præstari hoc non posse, sed ab eis qui ad Solem annum suum agunt: Ὥσπερ ἔφην ὑπό τε Ῥωμαίων, καὶ Μακεδόνων Ἀσιανῶν τε τῶν ἡμετέρων, καὶ πολλῶν ἄλλων ἐθνῶν. *Id quod a Romanis dixi, & Macedonibus nostratibusque Asiaticis, & vero etiam aliis nationibus observari non paucis*: quemadmodum Hermannus Cruserius locum reddidit. Unde apparet, & veram fuisse emendationem nostram, qua Ἀσιανῶν pro ἀρχαίων substituimus; &, ex Galeni (qui hoc ignorare non potuit) sententia, non solum a *Macedonibus* Solares annos fuisse receptos, sed etiam ab *Asianorum* suorum civitatibus omnibus; sive eo nomine Asiæ proprie dictæ (quod vero est similius) universas, sive Lydiacæ solum in ea Asiæ urbes intelligat, intra Lydiæ mediterraneæ & littoralis (hoc est, Ioniæ & Æolidis) terminos comprehensas.

Quare autem Galenus *Macedonum* menses exempli gratia, potius quam *Romanorum*, penes quos eo tempore erat Imperium, proponendos censuerit; ea causa videtur fuisse potissima, quod a *Pergamenis* suis, non universi solum Macedonici anni rationem, (uti a reliquis *Asianis* omnibus) sed eandem etiam singulorum mensium appellationem retentam fuisse animadverteret. Neque enim omnes qui in Asia (sive majore, sive minore, sive proprie dicta, sive Lydiaca) novam hanc Solaris anni formam receperunt, illos a Galeno memoratos menses ab æquinoctiis & solstitiis similiter deducendos censuerunt. Nam ut aliqui ordinem, ab Europæis Macedonibus receptum, intactum illibatumque conservaverunt, ita non defuerunt alii, qui commune ab autumno initium, & reliquam Macedonici anni dispositionem sic retinuerunt; ut primum tamen suum mensem postremi Macedonum *Hyperberetæi* nomine, cæterosque deinceps antecedentis cujusque Macedonici mensis appellatione designarent. Quod in honorem primæ illius ad Granicum de Persis partæ victoriæ, quæ viam Macedonibus in universam Asiam patefecerat, observatum credibile est. Post hanc enim victoriam, *majorem partem Asiæ* (proprie dictæ) *defecisse* ad Alexandrum, ex Trogo, *l.* XI. narrat Justinus, indidemque Darii eversionem non solum Ælianus, sed etiam Strabo arcessit, in fine *l.* XVI. ita de eo scribens: Τοῦτον δὲ καταλύσας ὁ Ἀλέξανδρος, αὐτὸς ἦρξε δέκα ἢ ἕνδεκα ἔτη. *Hunc autem evertens Alexander, per decem vel undecim annos imperavit ipse.* Inter hoc enim prælium & excessum Alexandri, justum *undecim* annorum positum est interstitium: intra quod, & quidem non totorum *decem* annorum spatio, (ut in *Cæsaribus* scribit Julianus) tum Persas tum Indos imperio suo ille subjugavit. Sicut igitur, quum primaria illa ad Granicum cum Persarum copiis facta est congressio, qui in Macedo-

[1] *l. Quicunque* rem *C. de litigiosis*. [2] *l. Ex illo C. de Appellationibus*. [3] *l. Si post Testam. C. de posthumis hæred.* [4] Vid. fin. *cap.* IV. & init. V.

nia erat *Dæsius*, Alexandri jussu (ut audivimus) in Asia dictus est *Artemisius*: ita, ad futuram tantæ victoriæ memoriam, in compluribus novorum colonorum civitatibus usu receptum fuisse videtur, ut *Hyperberetæi* postremi mensis nomine ad primum designandum traducto, circumeunte quoque anno Macedonum ea ratione *Dæsius* perpetuo *Artemisii* gauderet nomine.

Id in proprie dicta Asia a *Smyrnæis* factum fuisse, ex [1] *Actis* Polycarpi colligo; quæ Smyrnæ passum eum fuisse narrant, *mensis Xanthici die secundo, septimo Kalendas Apriles, in magno Sabbato*: id est, sub Solis in Arietem ingressum; neutiquam vero in Pisces, ut in Xanthico fieri solet Macedonico, quum in eadem tamen Asia ab *Ephesiis* & *Pergamenis* Macedonum Europæorum nomenclaturam retentam hic fuisse, inde animadverterim; quod illorum *Peritium* in antiquis [2] schedis D. Henrici Savilii cum *Januario*, horum *Hyperberetæum* a Galeno cum *Septembri* Romanorum conferri viderem. Galeni in libro IV. *de sanitate tuenda* c. VIII. de abiete verba hæc sunt: Ἔστι μὲν ὡραιότατον τὸ αὐτοῦ τὸ σπέρμα περὶ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ Ἀρκτούρου, ὅστις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ μὲν ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβριος ἐστὶν, ἐν Περγάμῳ δὲ παρ' ἡμῖν Ὑπερβερεταῖος, Ἀθήνησι δὲ Μυστήρια. *Est igitur ejus pulcherrimum* (vel, *maxime maturum*) *semen circa Arcturi emersum: quo tempore, Romæ quidem September vocatus mensis est, apud nos vero Pergami Hyperberetæus, Athenis autem Mysteria.* Duodecim vero circiter diebus ante Autumnale æquinoctium, & initium primi Macedonum mensis *Dii*, Arcturum oriri, ex eodem Galeno jam antea audivimus. Unde consequitur, postremum Macedonum simul & Pergamenorum mensem fuisse *Hyperberetæum*: cui in superiori Indiculo *Boedromionem* Atticum videmus appositum; in quo magna illa Eleusinia *Mysteria* ab Atheniensibus celebrari fuisse solita, cum ex aliis, tum ex Plutarcho in *Alexandri*, *Camilli* & *Phocionis Vitis* intelligimus.

Eundem Macedonicorum & Pergamenorum mensium consensum Oribasius quoque confirmat, Juliani τοῦ Παραβάτου Medicus *Pergamenus* & ipse, quemadmodum in *ejus Vita* docet Eunapius; non *Sardianus*, ut a Philostorgio *Histor. Ecclesiast.* l. VII. fin. eumque secuto Suida, habetur traditum. Ille enim, libro IX. *Collect. Medicin.* cap. VIII. quum dixisset, quod totidem verbis ante ipsum Galenus dixerat, *Comment.* I. *in l.* I. *Epidemior. Hippocrat.* Ἡ μὲν γὰρ ἰσημερία κοσμικόν τι πρᾶγμα ἐστὶ, οἱ δὲ μῆνες ἐπιχώριοι καθ' ἕκαστον ἔθνος. *Est enim equinoctium mundana quædam res, menses vero uniuscujusque gentis proprii*: de suo statim subjicit: Μηνὸς Λώου φθίνοντος πέμπτῃ δ' αὖ ἀνατέλλοντος ἡλίου, ὁ Κύων ἐπιτέλλειν παρ' ἡμῖν ἐν Περγάμῳ πεπίστευται. Ἐγὼ δὲ εὗρον ἔκ τινος μεθόδου μετὰ δεκάτην ἡμέραν τῆς προθεσμίας ταύτης. *Mensis Loi desinentis quinta* (sive, die XXVI.) *oriente Sole, Canem exoriri apud nos Pergami creditur. Ego vero methodo quadam post decimam ab hac præscriptione diem id fieri comperi.* Mensis Loi πέμπτῃ φθίνοντος (quod VI. *Kalendas Loi*, pessime hic reddidit Latinus Interpres) in *Ephemeride* Dissertationi huic annexa, *Julii* Juliani dies XX. respondere cernitur: quo & Canis ἐπιτολὴν a Diophane Bithyno, in libris *de Re Rustica*, quos Dejotaro regi misit, relatam notavimus, in *Geoponicorum* l. I. c. VIII. referri videmus. Oribasius vero, ex methodo a Galeno superius præscripta (unde & illum de Æquinoctio & Mensibus ἐπιχωρίοις locum desumpserat) post decimum abhinc diem eam fieri collegit. In *Loi* enim Macedonici initium Solstitium æstivum incidisse, Galenus ibi docuerat. Post Solstitium vero illud *triginta* circiter diebus Caniculæ exortum contingere, ab [1] Hipparcho Bithyno est traditum: in Rhodio nimirum climate, quemadmodum a Gemino etiam, in XV. *Isagoges* suæ capite, est annotatum. Atque hinc, non ad Julii diem XX. eique respondentem XXVI. *Loi* Pergameni æque ac Macedonici, sed ad Julii XXX. vel XXXI. Heliacus Canis ortum fuisse referendum Oribasius concluserat.

1 Vide infra, *cap.* II. 2 Infra, *cap.* IV.

Septembris Juliani proleptici dies XXIV. omnibus qui Macedonicam formam receperant commune erat anni principium: cum quo & Syri Antiocheni, ante anni rationem a Julio Cæsare constitutam, eorumque postea exemplo Romanorum Imperatores, *Indictionum* circulum inchoarunt. Sed primum suum mensem, Macedonum Europæorum more, Antiocheni (ut Ephesii & Pergameni) *Dium* nominaverunt; quem Syro-Macedonum alii (cum Smyrnæis) *Hyperberetæum* adpellare maluerunt. Quod de Antiochenis, ex Juliani *Misopogone* colligimus, qui *decimum* eorum mensem *Loum* fuisse indicat: de cæteris, ex Euthalio Diacono (sive quis alius scriptor [2] Martyrii B. Pauli fuerit, anno Domini CCCXCVI. exarati) qui capite truncatum Paulum Apostolum fuisse tradit, πέμπτῃ ἡμέρᾳ κατὰ Συρο-Μακεδόνας Πανέμου μηνὸς, ὅστις λέγοιτο παρ' Αἰγυπτίοις Ἐπιφὶ, παρὰ Ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν Ἰουλίων, μηνὶ Ἰουνίῳ κθ'. *quinto die juxta Syro-Macedones Panemi mensis, qui apud Ægyptios dici potest Epiphi, apud Romanos vero tertio Kalendarum Julii, nempe vicesimo nono mensis Junii.* initio Syro-Macedonici *Panemi* in XXV. die Junii posito.

Ubi tamen & illud tenendum, tum Antiochenos, tum reliquos etiam Syros atque Palæstinos, sub Romanorum imperio viventes, præter menses suos proprios etiam Julianos usurpasse: sed nominibus ad Syro-Macedonum, non ad Macedonum Europæorum menses proxime conformatis expressisse. Quum enim a XXV. Augusti die, hi quidem *Hyperberetæum*, illi vero *Gorpiæum* suum inchoarent, Septembri Juliano *Gorpiæi* nomen est adaptatum, eademque in cæteris servata ratio: ut in Josephi *de Bello Judaico* libris posterioribus. Anatolii Laodiceni Episcopi [3] Canone Paschali, Concilii Antiocheni (anno CCCXLI. habiti) XX. Canone, & aliis videre licet. Atque ita, paulatim obliterata Macedonici anni forma, non apud Syros solum reliquos, sed apud ipsos etiam *Antiochenos*, ejusmodi mensium Julianorum usus est retentus. Indeque XXI. *Martii* diem ad quem Nicænum refertur æquinoctium, κατὰ Σύρους, Ἀντιοχέας, καὶ Μακεδόνας, *Dystri* esse XXI. in Prologo Paschalis sui laterculi, circa annum CCCLXXXVIII. Theodosio Aug. dicati, Theophilus Alexandrinus asserit: neque alios quam hujusmodi menses cum æra *Antiochena* Johannem Malelam & Evagrium Scholasticum conjunxisse animadvertimus.

C A P. II.

De communi mensium Macedonicorum & Asianorum, a numeris ordinalibus ducta, denominatione: ubi & de Epiphania quinto die Januarii celebrata, Hieronymi; & de Paschalis festivitatis tempore a Montanistis in Phrygia observato, Sozomeni locus illustratur.

QUOMODO in proprie dicta Asia, ab *Ephesiis*, *Pergamenis* & *Smyrnæis*, Macedonicæ mensium appellationes retentæ fuerint, jam vidimus. *Magnesiæ* vero in eadem ad Mæandrum inco-

1 In Arati *Phænomenis* pag. 26. Editionis Florentin. 2 Præfix. Oecumenii *scholiis in Acta Apostol.* 3. Apud Euseb. lib. VII. *Histor. Eccles.* cap. XXVI.

A læ, mense *Lenæone* cum *Smyrnæis* fœdus ineuntes (inter Arundelliana marmora a Seldeno nostro editum) Ionicis potius usos se fuisse subindicant. *Ionum* enim proprium hoc fuisse vocabulum docet Proclus, ad illud Hesiodi:

Μῆνα δὲ Ληναιῶνα κάκ' ἤματα, βούδορα πάντα.

Quum in eadem igitur anni forma, non eadem a Macedonibus & Asianis omnibus mensium usurparentur nomina; ipsæque Macedonicæ mensium appellationes non modo ab *Asianis*, sed etiam ab *Achivis*, *Chaldæis*, *Tyriis*, & *Gazensibus* (ut de *Julianis* mensibus ab eisdem denominatis non dicam) ad alia atque alia tempora denotanda applicatæ fuerint: B consensui inter Macedones & Asianos omnes inducendo, & confusioni (ex tanta mensium ὁμωνυμίᾳ ortæ) devitandæ hoc excogitatum est remedium, ut a numeris, communem & ab omnibus (tam Asianis quam Macedonibus) receptum mensium ordinem exprimentibus, iidem denominarentur; a primo autumnali mense ducto numerationis principio. Hoc enim commune fuisse non Macedonibus solum, (quod in capite præcedente est ostensum) sed etiam τοῖς περὶ τὴν νῦν καλουμένην Ἀσίαν, *in librum* v. *Physicorum Aristotelis* scribit Simplicius; ut circa Autumnale æquinoctium annum suum inciperent.

C Hinc in *Timothei* Actis Polycrates (cum aliis *Sanctorum Vitis* Lovanii anno 1485. editus) ab Ephesiis occisum eum fuisse narrat, *in festivitate eorum quam vocabant Scitagiorum*, (vel *Catagogiorum* potius) *quæ est secundum Asianos quidem* (quarti) *mensis tricesima*, *secundum Romanos autem mensis Januarii* XXII. *die*, *regnante Nerva*. Ubi numerum mensis, qui librarii negligentia exciderat, ex aliis ejusdem Timothei Actis a Petro Halloixio (in *Notationibus ad cap.* VII. *Vitæ Polycarpi*) citatis supplevimus: in quibus ita scriptum legebatur: Ἐτελειώθη δὲ ὁ ἅγιος καὶ ἔνδοξος Ἀπόστολος, καὶ Πατριάρχης, καὶ Μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Τιμόθεος, D μετὰ τρεῖς ἡμέρας τῶν καλουμένων Καταγωγίων· ἥτις ἐστὶ κατὰ μὲν Ἀσιανοὺς μηνὸς τετάρτου τριακάδι, κατὰ δὲ Ῥωμαίους μηνὸς Ἰανουαρίου εἰκάδι δευτέρᾳ, βασιλεύοντος μὲν τῆς Ῥωμαίων βασιλείας τοῦ προῤῥηθέντος Νερούα, ἀνθυπατεύοντος δὲ τῆς Ἀσίας Περεγρίνου. *Obiit autem sanctus & gloriosus Apostolus, & Patriarcha, & Martyr Christi Timotheus post tres dies festivitatis eorum, quæ Catagogiorum nomen obtinet; qui dies secundum Asianos mensis quarti est tricesimus, juxta Romanos autem vicesimus secundus Januarii, imperante Romanis jam dicto Nerva, Proconsulatum vero Asiæ gerente Peregrino.* Ex qua collatione intelligimus, a Romani Decembris die XXIV. Asianorum quartum mensem iniisse.

E Eadem quoque denominandorum mensium & *Macedonas* & *Asianos* usos fuisse formula, ex Arriano observavimus, initium navigationis, ab Indi fluvii ostiis in sinum Persicum, a Nearcho & sociis institutæ, hisce temporum characterismis in *Indicis* suis designante: Ὡς δὲ τὰ ἐτήσια πνεύματα ἐκοιμήθη (ἃ δὴ τοῦ θέρεος τὴν ὥρην πᾶσαν κατέχει, ἐκ τοῦ πελάγεος ἐπιπνέοντα ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ταύτῃ ἄπορον τὸν πλοῦν ποιέοντα) τότε δὴ ὥρμηντο, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Κηφισοδώρου, εἰκάδι τοῦ Βοηδρομιῶνος μηνὸς, καθότι Ἀθηναῖοι ἄγουσιν, ὡς δὲ Μακεδόνες τε καὶ Ἀσιανοὶ, F ** τὸ ἑνδέκατον βασιλεύοντος Ἀλεξάνδρου. *Ut autem etesii venti cessarunt, (qui æstatis totam tempestatem occupabant*, [1] *ex mari in terram spirantes, atque ita navigationi viam præcludentes) tum vero propere solverunt, archonte Athenis Cephisodoro, die vicesimo mensis Boedromionis, quemadmodum Athenienses agunt tempora, ut autem Macedones & Asiani, ** undecimo ex quo Alexander regnabat anno*. Ubi tamen in archontis Atheniensis nomine errorem esse commissum, certum est. Cum enim, Alexandro vivente, & cœptam & peractam fuisse navalem istam expeditionem constet: non ante proximum post obitum illius annum, in archontum ἐπωνύμων Catalogo *Cephisodorus* locum aliquem obtinet.

Scribit autem *Nearchus* ipse: (Strabone, in libro XV. *Geographiæ* suæ, referente) ἤδη τοῦ βασιλέως πλεῦντος τὴν ὁδὸν, αὐτοὶ μετοπώρου κατὰ Πλειάδος ἑσπερίαν ἐπιτολὴν ἄρξασθαι τοῦ πλοῦ, μήπω μὲν τῶν πνευμάτων οἰκείων ὄντων. Alexandro *rege iter jam peragente, se in autumno sub vespertinum Pleiadum exortum navigationem cœpisse, cum nondum apti venti spirarent*. Jam, si *Ephemeridem* nostram consulas, ad mensis primi (Asiani æque ac Macedonici) octavum, & *Octobris* Juliani diem primum, ex Gemini *Parapegmate*, videbis annotatum, *Euctemoni vespertinas apparere Pleiades*. cum quibus diebus & Attici *Boedromionis* εἰκάδα, Olympiadis CXIII. anno III. concurrisse invenimus. In anni enim illius Olympiadici *Boedromione* & *Dio*, iniisse regni Alexandri Macedonici annum *undecimum*, ex iis quæ de Alexandri Temporibus alibi a nobis sunt disputata, intelligitur. Jam vero quum illo in loco, quem mutilum esse, asteriscis appositis, indicavimus, τοῦ Α μηνὸς ὀγδόῃ ἱσταμένου scripsisset Arrianus, librarius primam illam alphabeti literam numeralem esse nesciens, & num *Apellæum*, an *Audynæum*, an *Artemisium* ea significaret, ignorans, totum hoc comma, ut mininime a se intellectum, negligendum putavit. Hæc certe de lacuna ista conjectura mea fuit: quam prudentiorum Criticorum calculo, vel probandam vel improbandam, lubens relinquo.

In Tomo quinto *Operum* Chrysostomi, nunquam satis laudatæ editionis D. Henrici Savilii, inter Sermones Panegyricos dubiæ fidei, habentur *in Pascha* orationes septem: quarum postrema tamen *octavæ* titulum præfert, non solum in Gabrielis Archiepiscopi Philadelphiæ, quo ille usus est, MS. sed etiam in Barocianæ Bibliothecæ (ad Bodleianam nunc translatæ) altero; quomodo & a Theodoro Balsamone citatam notavimus, in *Commentariis ad septimum Apostolorum canonem* hunc nos ita remittente: Ζήτει καὶ τὸν η λόγον τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Χρυσοστόμου, ὃν συνεγράψατο εἰς τὸ Πάσχα. *Quære etiam octavam orationem sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi, quam scripsit in Pascha*. In nostris enim codicibus penultima videtur desiderari oratio; cujus, in ultimæ principio, non obscuram factam mentionem licebit animadvertere.

In postrema vero hac Homilia, *Theophania* peragi refert auctor, ἡμέρα ὡρισμένη, τρισκαιδεκάτη τετάρτου μηνὸς κατ' Ἀσιανοὺς, *die certa & definita decima tertia* nimirum *quarti mensis*, *secundum Asianos*. A vicesimo quarto vero (ut jam audivimus) Decembris die incipiebat *quartus* Asianorum mensis, maxima sui parte Romano Januario respondens: cujus die *quinto* Theophania apud illos celebrata fuisse, hinc colligimus; non, ut apud alios, die *sexto*. Quod Hieronymi loco lucem non modicam præfert in *Commentariis ad c.* I. *Ezechielis*: ubi tempus visioni illius, *anno tricesimo, die quinto quarti mensis* exhibitæ, ad Christum, anno ætatis *tricesimo* in Theophaniis vel Epiphaniis baptizatum, ita per anagogen accommodat: *Illud intelligendum, quod in tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptisma venerit: in quarto mense, qui apud nos vocatur Januarius, & est in anni primus exordio; præter Nisan mensem novorum, in quo Pascha celebratur. Apud Orientales enim populos, post collectionem frugum & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, & Janua-*

[1] Vid. eund. Arian. *de reb. Alexandri*, Lib. VI. p. 137. Edit. Græco-Latin.

nuarius quartus. Quintam autem diem mensis adjungit, ut significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cœli, & Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est (non, ut quidam putant, Natalis in carne: tunc enim absconditus est, & non apparuit) quod huic tempori congruit, quando dictum est; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

De Montanistarum quoque hæresi, in Asiæ proprie dictæ regione Phrygia commorantium, Paschalis nostræ Homiliæ author (qui & ipse Asianus fuisse videtur) verba faciens: τεσσαρεσκαιδεκάτην, inquit, μηνὸς τοῦ πρώτου φυλάττει, τουτέστι, μηνὸς ἑβδόμου κατ' Ἀσιανοὺς, οὐ τεσσαρεσκαιδεκάτην δὲ σελήνης. *Decimam quartam primi mensis observat, hoc est, mensis secundum Asianos septimi, non decimam quartam Lunæ.* De Paschatis celebratione loquitur: in qua τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ἀπὸ τοῦ ἡλιακοῦ μηνὸς, οὐκ ἀπὸ τοῦ σεληνιακοῦ, *a Solari mense,* (qui Asianis in usu) *non a Lunari quartam decimam* suam desumpsisse istos narrat. Quod ipsum pluribus, in *Ecclesiasticæ suæ Historiæ* lib. VII. cap. XVIII. Sozomenus hunc in modum explicat; Μοντανισταὶ, οὓς Πεπουζίτας καὶ Φρύγας ὀνομάζουσι, ξένην τινὰ μέθοδον εἰσαγαγόντες, κατὰ ταύτην τὸ Πάσχα ἄγουσι. τοῖς μὲν γὰρ ἐπὶ τούτῳ τὸν τῆς σελήνης δρόμον πολυπραγμονοῦσι καταμέμφονται. Φασὶ δὲ χρῆναι μόνοις τοῖς ἡλιακοῖς ἕπεσθαι κύκλοις τοὺς ὀρθῶς ταῦτα κανονίζοντας. καὶ μῆνα μὲν ἕκαστον εἶναι ἡμερῶν τριάκοντα, ἄρχεσθαι δὲ τὸν πρῶτον ἀπὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας, ἣ ῥηθείη ἂν κατὰ Ῥωμαίους, πρὸ ἐννέα καλανδῶν Ἀπριλλίων. ἐπειδὴ, φασὶν, οἱ δύο φωστῆρες τότε ἐγένοντο, οἷς οἱ χρόνοι καὶ οἱ ἐνιαυτοὶ δηλοῦνται· καὶ τοῦτο δείκνυται, τῷ τὴν σελήνην διὰ ὀκταετηρίδος τῷ ἡλίῳ συνιέναι, καὶ ἀμφοῖν κατὰ ταυτὸν νουμηνίαν συμβαίνειν. καθότι ἡ ὀκταετηρὶς τοῦ σεληνιακοῦ δρόμου πληροῦται ἐννέα καὶ ([1] ἐνενήκοντα μησὶν, ἡμέραις δὲ δισχιλίαις ἐνακοσίαις εἴκοσι δύο) ἐν αἷς ὁ ἥλιος τοὺς ὀκτὼ δρόμους ἀνύει, λογιζομένων ἑκάστῳ ἔτει τριακοσίων ἑξήκοντα (πέντε) ἡμερῶν, καὶ προσέτι τετάρτου ἡμέρας μιᾶς. Ἀπὸ γὰρ πρὸ ἐννέα καλανδῶν Ἀπριλλίων, ὡς ἀρχῆς οὔσης κτίσεως, ἡλίου καὶ πρώτου μηνὸς ἀναλογίζονται τὴν εἰρημένην ταῖς ἱεραῖς γραφαῖς τεσσαρεσκαιδεκαταίαν· καὶ ταύτην εἶναι λέγουσι τὴν πρὸ ὀκτὼ ἰδῶν Ἀπριλλίων, καθ' ἣν ἀεὶ τὸ Πάσχα ἄγουσιν, εἰ συμβαίη, καὶ τὴν ἀναστάσιμον αὐτῇ συνδραμεῖν ἡμέραν. (εἰ δὲ μὴ[2]) ἐπὶ τῇ ἐχομένῃ Κυριακῇ ἑορτάζουσι. γέγραπται γὰρ, φησιν, ἀπὸ τεσσαρεσκαιδεκάτης μέχρι εἰκοστῆς πρώτης. *Montanistæ, quos Pepuzitas & Phrygas appellant, peregrinam quandam rationem commenti sunt, secundum quam Pascha celebrant: siquidem eos, qui in hoc negotio Lunæ cursum curiose observant, reprehendunt: ac dicunt solos esse Solares circulos iis sequendos, qui ista recte ordinare volunt. Et menses quidem singulos esse triginta dierum statuunt: incipere autem diem primam ab æquinoctio verno, quæ Romanorum more dicatur nona Kalendas Apriles: quandoquidem, inquiunt, duo ista Luminaria tum creata sunt, quibus & tempora & anni declararentur. Idque eo demonstratur, quod Luna elapso unoquoque octennio cum Sole conjungatur; & utrisque eodem tempore, novilunium* (sive novi mensis principium) *contingat. Siquidem octennii spatium in cursu Lunari nonaginta novem mensibus, diebus vero bis mille nongentis viginti duabus completur: intra quas Sol octo cursus absolvit, destinatis unicuique anno diebus trecentis sexaginta* (quinque) *cum quarta insuper unius diei parte. Etenim a nona Kalendas Aprilis, ut ab exordio creationis Solis ac primi mensis, supputant memoratam in Sacris Literis decimam quartam diem: & hanc esse dicunt octavam Idus Aprilis, in qua Pascha perpetuo celebrant; si cum hac die dies resurrectionis forte concurrat. Alioqui sequenti Dominica festum peragunt. Scriptum est enim,* (Exod. XII. 18.) *inquiunt, A decima quarta die usque ad vicesimam primam.*

In qua narratione duo mihi videntur ab ipso Sozomeno commissa fuisse errata: atque ut ea sibi consentanea redderentur, a librariis admissa fuisse totidem alia. Unum quidem, quod *Phryges* sive *Pepuzitæ* isti (a *Phrygiæ* vico *Pepuza* ita denominati) menses singulos *triginta* dierum numero definiverint: quum Asianorum mensium, utpote Solarium, alii XXX. fuerint dierum, alii XXXI. ut in sequente *capite* videbimus. Quandoquidem vero menses duodecim τριακονθήμεροι 360. tantum dies conficiebant, numerum πέντε superadditum temerarii correctores subduxerunt: quem tamen & Nicephorus (in XII. *Ecclesiasticæ suæ Historiæ* libro, cap. XXXII. ex Sozomeno sua mutuatus) diserte expressit, & *quadrantis* diei subjecta mentio, totusque Octaeteridis epilogismus, adjiciendum necessario flagitat. Dies enim Octaeteridis 2922. in annos octo distributi, unius anni quantitatem, dierum 365¼. relinquunt.

Alter Sozomeni videtur fuisse error, quod *decimum quartum* diem mensis Paschalis Montanistarum (quem *decimum quartum septimi Asianorum mensis* fuisse, ex Paschali Homilia jam audivimus) cum *Octavo Id. Aprilis* comparaverit; *octavo* (dierum ratione negligentius fortasse subducta) posito pro *septimo*. Et ut calculus iste sibi constaret, primum Paschalis illius mensis diem in *nonum Kalend. Aprilis* a correctoribus fuisse transformatum, vel inde non levis oritur suspicio, quod *octavum Kalend. Aprilis*, in *Tripartitæ Historiæ* libro IX. capite XXXIX. retentum hic videamus ab Epiphanio Scholastico, vetustissimo Sozomeni Latino Interprete.

Etsi enim, quarto quoque anno (ut videbimus) propter diversum diei intercalaris in utroque anno situm, septimi sive Paschalis Asianorum mensis Kalendæ in *nonum Kalend. Aprilis* Juliani anni inciderint: cum *octavo* tamen (ut ex Actis Polycarpi, in sequente *capite*, docebimus) ordinarie concurrebat; quo & æquinoctium & principium Mundi contigisse, Cæsareensis Synodi sub Theophilo habitæ Episcopi (si qua fides vulgatis illius Concilii *Actis* sit adhibenda) definiverunt: ad quod comprobandum importuna illa *Octaeteridis* descriptio a Sozomeno huc est inducta. Phryx nimirum iste, a quo is hæc acceperat, quum in VIII. vel IX. Kalend. April. novilunium forte incurrisse animadvertisset, & nono quoque anno redeunte similem eo die ab initio Solis & Lunæ factum fuisse concursum sibi persuasisset (ratus, octo annorum periodo confecta, exactam futuram utriusque sideris ἀποκατάστασιν) hoc ut ἡμέρας πρωτοκτίστης argumentum homo imperitus arripiebat. Alias enim Octaeteridis, in Paschate constituendo, a Montanistis, Lunarem omnem calculum hinc abdicantibus, nullam omnino rationem fuisse habitam exploratum est.

1 Inclusa hæc, in Genevensi Editione Græco-Latina, Typographi negligentia desiderantur.

2 *Alioqui*, ita vetus Interpres, Epiphanius Scholasticus, in *Histor. Tripartit.* lib. IX. cap. XXXIX. ex quo, inclusas istas particulas interposuimus; quas & ipse sensus necessario postulabat.

CAP. III.

Tempus, quo passus Polycarpus, & comprehensus est Pionius, ex Asiani anni ratione patefactum. Diei magni & Sabbati magni differentia explicata.

EX Smyrnensis Ecclesiæ, de Martyrio Polycarpi, *Epistola encyclica* excerpta quædam *Historiæ suæ Ecclesiasticæ*, lib. IV. κεφ. ιε. inseruit Eusebius: in quibus comprehensus ille fuisse traditur, ὄντος σαββάτου μεγάλου, *cum esset dies magni Sabbati*. Juxta rationes hodierni Computi Judaici, anno Mundi 3927. die XV. mensis Adar, hoc est, æræ Christianæ CLXVII. die XXII. mensis Februarii, festum Purim cum die Sabbati concurrebat: quem idcirco *magnum Sabbatum* fuisse dictum scripsit, in *Chronologia* nondum edita, vir doctissimus Edovardus Liveleius. Atque hoc die captum fuisse Polycarpum ille existimat, sequente vero passum; die nimirum XXIII. Februarii, qui in Græcorum *Menologiis* pro illius Natali commemorandus proponitur.

Verum ut omittam, Judaicum istum Computum Polycarpi temporibus recentiorem esse, & in ipso Sabbato passum fuisse Martyrem, non die proximo: illud maxime huic sententiæ officit, quod non a Judæis Martyrii hujus Acta descripta habeamus, sed ab hominibus Christianis, quibus cum festo Purim nihil erat commune, quique aliud nullum *magnum* agnoscebant Sabbatum, quam quod Pascha proxime antecedebat: nempe vel immediate, quod illi faciebant qui, juxta Patrum Nicænorum decretum, Pascha die Dominico semper agentes *diei Paschalis vigiliæ* (ut eam in *epistola* XIX. *ad Hieronymum* Augustinus appellat) *magni Sabbati* titulum constanter tribuebant: vel diebus aliquot interdum interjectis, quod illis usu veniebat, qui eodem cum Judæis tempore Pascha celebrabant, in quamcunque hebdomadæ feriam dies ille incidisset In quorum numero & Polycarpus ipse fuit (ut ex Irenæi *ad Victorem epistola* manifeste constat) & Smyrnensis Ecclesia, quam ille rexit, quæque in *magno Sabbato* ipsum passum fuisse literis suis est testata.

In integræ vero Epistolæ Smyrnæorum exemplari (quod brevi, Deo volente, simul cum antiqua Latina ejusdem metaphrasi, sum editurus) martyrium subiisse Polycarpus dicitur, μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσαμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων, σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρᾳ ὀγδόῃ: quod vetus noster Interpres reddidit: *mense Aprilio*, VII. *Kalend. Maii, majore Sabbato, hora octava.* Observaverat nimirum ille in scriptis Ecclesiasticis, juxta Antiochenorum & Syro-Macedonum morem, *Aprili* Romano *Xanthicum* semper respondisse; ideoque *secundum* mensis illius diem, quem *septimo Kalend. Maii* respondere non potuisse noverat, in versione sua prætermittendum putavit: nec consideravit tamen, VII. illum Kalend. Maii non modo cum secundo Aprilis, sed nec cum *magno Sabbato* concurrere unquam potuisse. Constantinopolitanus Chronographus, *Fastorum* in Sicilia repertorum author (quos Græce Scaliger *Casauboniani*, Græce & Latine Raderus *Alexandrini* Chronici titulo evulgavit) correctiore Smyrnensis *Epistolæ* usus exemplari, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων, τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, ὥρᾳ η'. Polycarpum passum retulit: vera VII. *Kalendarum Aprilium* lectione nobis conservata. Sed quia nec illum mensis Romani diem cum *secundo* Antiocheni Xanthici conciliare poterat, Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσαμένου pariter omittendam censuit.

Qui Græcis author fuit in XXIII. *Februarii* Polycarpi Natalem conjiciendi, ad Europæorum Macedonum annum, in primaria Asiæ urbe Ephesina receptum, respexisse videri posset: in quo *secundus Xanthici* cum illo *Februarii* die concurrebat. At nos *Xanthici* nomen, ab Macedonibus *sexto* Solari suo mensi impositum, Smyrnæos ad *septimum* transtulisse, eumque a *Martii* die XXV. inchoasse, in superiore *capite* declaravimus. Et quidem anno æræ nostræ Christianæ CLXIX. Cyclo Solis X. Dominicali litera B. existente, terminus Paschalis Alexandrinus fuit Martii die XXIX. Calippicus Mart. XXX. vel XXXI. quo & juxta hodiernum Judæorum calculum Pascha fuisset celebrandum. Sabbatum quod præcessit Lunam hanc XIV. (quo Polycarpus cum Asianis suis Pascha agere erat solitus) in Martii diem XXVI. incurrit, hoc est, in VII. *Kalendas Apriles*, quo passum fuisse Polycarpum, Constantinopolitanum jam nos docuit *Chronicon*.

Eodem etiam anno & die Tabulæ Periodi 84. annorum Judaicæ ab Ægidio Bucherio constructæ, Lunam Hebræorum XV. exhibent, sive primam Azymorum: quam ob hunc concursum [1] is *Sabbatum magnum* appellatam censet, ut illam tempore Passionis Christi, *Johan.* XIX. 31 Sed (ut de Bucherianarum Tabularum fide nihil hic dicam) notandum est, aliud apud Judæos fuisse *diem magnum*, aliud *Sabbatum magnum*. In tribus enim רגלים, *Exod.* XXIII. 14. quibus masculi omnes quotannis comparere tenebantur coram Domino, quinque illi dies festivi, in quibus sacri jubebantur haberi conventus (primus videlicet & septimus Azymorum, dies Pentecostes, primus & octavus Tabernaculorum) ab Hebræis טובים ימים ab Hellenistis μεγάλαι ἡμέραι dicebantur; sive in Sabbatum illi incidissent, sive in septimanæ diem quemvis alium. Unde קרא מקרא *convocationem cœtus*, *Esaiæ* I. 13. Græci μεγάλην ἡμέραν reddiderunt: quo & Tertulliani illud spectat, in libro V. *adversus Marcionem*: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos, & Sabbata, ut opinor, & cœnas puras, & jejunia, & dies magnos.* Ideoque in *Evangelio suo* Johannes, non solum Sabbatum, Passionem Domini proxime insecutum, in μεγάλην ἡμέραν incidisse notat, *c.* XIX. 31. sed etiam postremum festi Tabernaculorum diem, Sabbati nulla consideratione habita, ἡμέραν τὴν μεγάλην τῆς ἑορτῆς, *c.* VII. 37. similiter appellat. At שבת הגדול *Sabbatum magnum* unoquoque anno recurrebat unicum; idque non cum ipsa Paschalis agni festivitate conjunctum, sed illam antecedens proxime: de quo in tractatu *Schulchan Aruk* inscripto legimus, שבת הגדול, שבת מלפני הפסח קורים אותו *Sabbatum quod proximum est ante Pascha, Sabbatum magnum vocant.* De quo etiam nos commonefecit in *Synagogæ suæ Judaicæ* capite XII. Judaicorum rituum scientissimus Johannes Buxtorfius: quorum plane ignarus Acron, homo Ethnicus, [2] Horatii *tricesima Sabbata* exponens, *Sabbatum magnum in renovatione Lunæ a Judæis hodie celebrari* retulit.

In Asianorum Martyrum *Actis*, quæ in unum codicem redacta olim circumferebantur, simul conjunctæ legebantur binæ Smyrnensis Ecclesiæ *Epistolæ*. de *Polycarpi* martyrio, cujus hactenus meminimus, una; de *Pionii*, altera, quæ, propter omissam fortasse posterioris Epistolæ ἐπιγραφήν, quum pro una continuata essent acceptæ; erroris inde data est occasio, ut eodem anno uterque Martyr Smyrnæ passus fuisse existimaretur: idque imperante, vel *Decio*, (sub quo Pionium vitam finiisse *Acta* illius docent, & quousque Polycarpum vitam non protendisse ætas ipsius evincit) ut in *Menæis* suis Græci volunt; vel *M. Aurelio Antonino*, (sub quo Polycarpum excessisse constat) ut, tum in *Chronico*, tum in

1 Bucher. Tractat. *de Paschali Judæor. Cyclo*, cap. VIII.
2 *Sermon.* lib. I. satyra IX.

Ecclesiastica sua Historia l. IV. κεφ. ιε. sensit Eusebius: quem (præter Pseudo-Dextrum, & Latinorum alios) Beda & Ado hic sunt secuti, tam in *Martyrologiis* (ad Calendas Februarias) quam in *Chronicis* etiam suis.

Altera hæc de *Pionii* certamine Smyrnensis Ecclesiæ *Epistola* ab Eusebio, una cum aliis Martyrum *Actis*, olim est edita: ex qua, in ea quoque quæ apud Simeonem Metaphrastam de Pionio hodie leguntur, translata esse aliqua, vel unicus ille locus fidem fecerit: *Cum ignis extinctus esset, nos qui præsentes eramus, talem ipsum vidimus, quale vigentis ornatique pugilis corpus existit*. In hisce vero quæ habemus Actis, *pridie natalis diei S. Polycarpi prævidisse* dicitur Pionius *se postridie comprehensum iri*. Quod ipsum argumento est, alio quam Polycarpum anno Martyrium eum subiisse: ut de diversis Asiæ Proconsulibus, *Statio quadrato* sub quo Polycarpum, & *Proclo Quintiliano* sub quo passum Pionium *Acta* indicant, nihil hic dicere necesse sit. In Metaphrasta vero deinde sequitur; Pionium, postquam *Sabbato sanctum panem & aquam cepisset*, captum & per urbem ductum fuisse. *Impletum* autem esse *totum forum & superiores porticus tum viris Græcis atque Judæis, tum etiam mulieribus*: quia, *cum magnum esset Sabbatum, feriebantur*. Ex quibus colligimus, nobile illud Polycarpi Martyrium, quod in insignem Sabbati magni diem incidit, eodem die recurrente, annua memoria ab antiquis illis Christianis fuisse celebratum: ita ut Natalis illius non inter fixas, sed inter mobiles festivitates connumeraretur. quomodo & hodie *Alenæ* virginis memoriam *Foresti*, Dominica die ante natalem Johannis Baptistæ, celebrari notavit, in *Natalibus Sanctorum Belgii*, Johannes Molanus. Anno enim æræ Christianæ CLXIX. quo Polycarpus passus est, Sabbatum magnum in Martii XXVI. incurrisse ostendimus; quo die, in Decii imperio, sub quo agonem suum peregit Pionius, id est, anno ejusdem æræ CCL. vel CCLI. neque Sabbatum magnum, neque ullum omnino Sabbatum fuit.

In vitiatis quidem hisce *Actis* [1] Pionius dicitur *comprehensus* (XXII. *mensis Februarii die*) *cum Sabbatum magnum instaret; natali scilicet beati Martyris Polycarpi, vigente Decii Imperatoris persecutione*. Ubi vel a Metaphrasta, vel a sciolo aliquo alio, de *die* XXIII. *Februarii* illud, ex recepta Græcorum *Menæorum* sententia, additum fuisse videatur: quum certissimo constet, neque in Polycarpi natali, neque in Pionii comprehensione, neque omnino unquam fieri potuisse, ut magnum Sabbatum cum XXIII. Februarii die concurreret. Ait quidem Jacobus Capellus, in suis *Evocharum thematismis*, anno Dom. CCLI. captum fuisse Pionium, *nocte quæ intercessit inter Februar.* XXII. *&* XXIII. *Adar* XIII. *&* XIV. *feriam* VII. *&* I. additque *μέγα σάββατον hic dici, diem Judæis duplici nomine ἑορτάσιμον: vel primum Sabbatum τῆς τεσσαρακοστῆς. Pascha enim eo anno celebratum Martii* XXX. Atqui ex *Actis* manifestum est, non nocte quæ inter feriam septimam & primam, sed die præcedente, Judæis Smyrnæ in magno suo Sabbato clara luce feriantibus, captivum per urbem ductum fuisse Pionium. Deinde & illud certum, neque XIII. diem Adar, (qui, ob Nicanoris cædem, in 2. *Maccab.* XV. 36. observandus præscribitur) neque XIV. (quo Purim sive *Sortium* dies prior, *Estheræ* IX 21. celebrandus statuitur) multoque minus Christianæ Quadragesimæ Sabbatum primum (in cujus calculum, a Capello positum, inquirere hic non libet) *magni Sabbati titulum* unquam obtinuisse: quem Sabbati Pascha proxime antecedentis, & apud Judæos & apud Christianos proprium fuisse jam ostendimus. Anno vero Domini CCLI. qui cyclum solarem VIII. literam Dominicalem E habebat, Paschati Smyrnæorum (& reliquorum Asianorum, qui cum Judæis *decimum quartum* lunaris mensis diem constanter observabant) proximum Sabbatum, in Martii XXII. incidit: cujus die XXV. etiam juxta hodiernum Judæorum Computum, Pascha fuisset celebrandum.

Eo anno Consulatum gesserunt, *Messius Quinctus Trajanus Decius Aug.* III. & filius ejus *Quinctus Etruscus Decius Cæsar*: quum anno præcedente Consules fuissent, idem *Messius Quinctus Trajanus Decius Aug.* II. & *Annius Gratus*: qui ad *Actorum* Pionii marginem fortasse ab antiquario aliquo annotati (ex *Fastis Consularibus*, qui hoc in loco sunt perturbatissimi) in textum postea recepti, & cum alteris illis temere commixti, ineptam illam temporis notationem nobis reliquerunt, quæ in hodiernis libris cernitur. *Hæc acta sunt, Julio Asiæ Proconsule, Proclo Quintiliano magistratum gerentibus, Consule tertium Mesio Quinto, Trajano, & Deltio Grato secundum, Trajano Decio Augusto, ante* IV. *Idus Martias, more Romanorum; Asiæ autem more, septimi mensis undecimo, die Sabbati, hora decima*. Ubi, non *Julium* solum, sed etiam *Proclum* & *Quintilianum* pro uno & eodem Asiæ Proconsule esse accipiendum ex Constantinopolitano Chronographo intelligimus; qui in *Fastis Siculis*, sub Decio Imperatore passum Pionium fuisse notat: Ἐν Σμύρνῃ τῆς Ἀσίας, ἐπὶ Πρόκλου Κωντιλλιανοῦ ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, πρὸ δ'. εἰδῶν Μαρτίων, ὅ ἐστι κατὰ Ἀσιανοὺς, μηνὶ ἕκτῳ ιβ'. σαββάτῳ, ὥρᾳ δεκάτῃ. Ubi, ex *Actis* numerus mensis Asianorum in *Fastis* est restituendus, VII. pro VI. & ex *Fastis* rursus, dies mensis XI. in *Actis* reponendus pro XII. licet IV. *Iduum Martiarum* error utrobique sit admissus: quem mensis Romani diem, neque anno hoc, neque in toto Decii imperio, cum Sabbatica feria concurrisse certo certius est.

Ad eum itaque errorem corrigendum, Jacobus Capellus, vel (*ante* V. *Idus Martias, Asiæ autem more, septimi mensis undecimo*) legendum existimat, & *Sabbatum vocasse Acta Proconsularia diem Judæis ἑορτάσιμον, nempe neomeniam Nisan*; (Martii die XI. feria III. hoc anno factam) vel (*ante* VIII. *Idus Martias, Asiæ autem more, septimi mensis*, id est, Phamenoth, *duodecimo*.) Atqui prius captum, quam passum fuisse Martyrem oportuit: ante XI. vero Kalendas Aprilis, in quem *magnum Sabbatum* eo anno incidit, comprehensum eum non fuisse declaravimus. Deinde, ut Judæi neomeniæ Nisan Sabbati appellationem tribuerint: quid hoc ad *Acta Proconsularia*, quæ *Sabbati* nomen hic omnino non habent; aut Sanctorum passiones a Christianis descriptas, qui *neomeniarum* Judaicarum nulla religione tenebantur, spectabat? Et licet verum sit, Phamenoth, *Alexandrinorum* mensis septimi, diem duodecimum in Sabbatum hebdomadicum incidisse: ad *Asianos* tamen quid illud attinebat? quorum menses ad Ecclesiæ *Antiochenæ* & *Constantinopolitanæ*, potius quam *Alexandrinæ*, calculum, justiore ratione fuissent exigendi.

Atque ita quidem res se habuit. Cum in *Epistola* Ecclesiæ Smyrnensis facta hæc fuisse dicerentur, *κατ' Ἀσιανοὺς μηνὸς ἑβδόμου δωδεκάτῳ, more Asianorum mensis septimi die duodecimo*; & horum quæ habemus *Excerptorum* Author non alios Asianorum menses cognovisset, quam Constantinopolitanorum, qui a *Gorpiæi* sive *Septembris* Juliani Kalendis novi sui anni & Indictionis initium

[1] Tom. VII. Lipomanni, fol. 8. Edit. Venet.

deducebant: ad IV. *Idus Martias*, id est, diem *Martii* septimi ipsorum mensis *duodecimum*, referenda ista fuisse existimavit. Ad quam normam & *Acta Proconsularia* conformanda fuisse ratus, hunc in modum correcta, vel corrupta potius, ea nobis exhibuit: *Ante* IV. *Idus Martii Quintilianus Proconsul, sedens pro tribunali, sic interrogavit*. Quum in authentico exemplari *Nonas Apriles* fuisse positas, & Smyrnæorum reliquorumque Asianorum *mensis septimi dies duodecimus* exacte illis respondens, & *Sabbati* cum eis feria pariter concurrens, plane nobis persuadeat. Ut concludere tandem nihil vereamur, anno Domini CCLI. cum sociis passum fuisse Pionium, *Asiæ Proconsule Julio Proclo Quintiliano magistratum gerente, Consule tertium Messio Quinto Trajano Augusto, & Decio Cæsare; Nonis April. more Romanorum, Asiæ autem more, septimi mensis duodecimo, die Sabbati, bora decima*.

CAP. IV.

De Græcorum & Macedonum mensibus varie ab Epiphanio usurpatis. De Cypriorum & Bithynorum mensibus ad anni Macedonici formam accommodatis. Variorum mensium & inter se & cum Julianis comparatio.

MACEDONICORUM mensium appellationes quatuor modis ab Epiphanio usurpatas animadverto: quorum unum tantum κατὰ Μακεδόνας, reliquos vero καθ' Ἕλληνας ille nuncupat; *Græcorum* nomine non eis solum qui in Græcia, sed etiam qui in Syria & Asia proprie dicta habitabant, attributo. Quum enim in *Hæresi* XI. de Sebuæis agens, Græcorum *Apellæum* cum Romanorum *Augusto* & Ægyptiorum *Mesori* confert, *Achivorum* rationes spectasse videatur: quos Macedonicis hisce mensium nominibus fuisse usos, ab auctoribus illis est traditum, quos, in *Scholiis ad caput* IX. *libri Bedæ de Temporibus*, Johannes Noviomagus est secutus. *Achaia* vero proprie dicta, Ptolemæo Peloponnesiaca illa est, *Sicyoniæ* contermina: cujus Duci Arato Sicyonios (qui, eo suasore, in nomen & Rempublicam transierant Achaicam) *quintum mensis Dæsii diem, quem Athenienses Anthesterionem nominant*, dicavisse, in *illius Vita* narrat Plutarchus. Quod si Atheniensium *Anthesterion* Achivorum *Dæsio* responderit, atque ita in Romanorum *Februarium* inciderit: ut *Atheniensium* quoque *Metagitnioni* Achivorum *Apellæus* respondeat, & in Romanorum *Augustum* uterque incurrat, pariter consequetur.

Anni æræ Seleucidarum, quæ in *Syria* maxime obtinuit, *Græcorum* anni in libris Maccabæorum appellantur: quemadmodum & in Ulugbeigi (Samarcandæ Principis & magni Tamurlani nepotis) *Astronomia Persica*, non *Græcorum* solum ea epocha, sed etiam menses, quibus cum ea ad hunc usque diem utuntur *Syri* Juliani quidem, sed Syriacis designati nominibus, *Græcorum* menses nuncupantur. Ita & Epiphanius, in *Hæres*. LI. Macedonicis hic, Antiochenæ & Constantinopolitanæ Ecclesiæ more, adhibitis nominibus octavum Romani Novembris diem, καθ' Ἕλληνας octavum esse *Dii* notat; & sextum *Audynæi* κατὰ Σύρους, εἴτουν Ἕλληνας (*secundum Syros, sive Græcos*) Januarii itidem sextum.

Idem Epiphanius, in libro *de ponderibus & mensuris*, Valentinianum juniorem Aug. *Arcadio* II. & *Rufino* Consulib. sepultum fuisse refert ipsa *Pentecostes* die; quæ tum fuerit *secundum Ægyptios Pachon* XXI. κατὰ δὲ Ἕλληνας Ἀρτεμισίου τρίτη καὶ εἰκὰς, (*secundum Græcos Artemisii* XXIII.) *secundum Romanos vero* XVII. *Kalendas Junias*. Et quidem anno æræ Christianæ CCCXCII. hic designato, Maii die XVI. Dominica Pentecostes contigit: die Artemisii XXIII, si *Smyrnæorum* calculum consulamus: quos, cum reliquis Asianis sub Ἑλλήνων nomine comprehensos, vel unicus ille Galeni locus ostenderit, libro I. *de alimentorum facultatib.* cap. III. Οἱ μὲν πυγνῖται παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενοι, παρ' ἡμῖν δὲ τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἕλλησι πυγανῖται, σκευάζονται δι' ἐλαίου μόνου. Placentæ, *quas Attici quidem πυγνίτας, nos autem Græci qui Asiam incolimus πυγανίτας, appellamus, ex solo oleo parantur*.

Atque ut hoc *Smyrnæorum*, ita & illud *Macedonum* annali rationi a nobis declaratæ consentaneum est; quod in jam *citata Hæresi* XI. Romanum mensem *Augustum* cum *Gorpiæo* Macedonico, & in LI. *sextum Idus*, id est, *octavum Novembris* diem cum *decimo sexto Apellæi* κατὰ Μακεδόνας confert Epiphanius. Ubi clarissimus Scaliger, libro V. *de Emendatione Temporum*, in *diatriba* de morte Valentiniani junioris, non alios quam puros putos Julianos menses ob oculos habens, miratur *decem dies supra formam Julianam* numeratos hic esse, &, in superiore de excessu Valentiniani loco, *septem*: atque ista se *non intelligere* profitetur ingenue: quum tamen hic, non *decem*, sed *octo* tantum dierum deprehendatur differentia: (neque enim *sextum* simpliciter, sed *sextum Iduum* Novembriarum diem Epiphanius commemorat) & de integro mense movenda potius fuisset quæstio: unde factum, ut cum Novembri *Apellæus* hic componatur, qui cum Decembri comparari debuisset, si Majus cum *Artemisio*. Quorum utrumque Macedonici & Smyrnensis anni rationes a nobis jam descriptæ expediunt: quæ tanto dierum intervallo horum mensium initia Julianis fuisse anteriora, Macedonumque *Apellæum* & Smyrnæorum *Dium* per omnia sibi respondisse, atque in Romanum Novembrem incurrisse, declarant.

A Patribus fuisse constitutum refert in *Barnabæ encomio* Alexander Monachus, ut anniversaria Apostoli illius celebraretur memoria *tertio Idus Junii, ut Romani numerant: ut vero Cyprii Constantienses, die undecimo ejusdem mensis, qui ab illis dicitur Mesori, & decimus numeratur; ut autem Asiani homines vel Paphii numerant, decimo nono mensis, qui Phthithipatus* (vel *Plethypatus* potius) *dicitur, & nonus numeratur*. Unde apparet, in *Cypro* insula duas receptas fuisse annorum formas: a *Paphiis* unam, quæ eis cum *Asianis* fuerit communis, eodem ab utrisque retento mensium ordine, licet sub appellationibus diversis; a *Constantiensibus* alteram, quæ menses cum *Alexandrinis* habuerit communes, ordine tamen alio dispositos. Qui enim Constantiensibus *Mesori* mensis erat *decimus*, & a Kalendis Juniis inchoabatur, idem Alexandrinis *duodecimus*, & a XXV. die Julii ducebat initium.

Plethypatus mensis *nonus* numerabatur a *Paphiis*: qui, cum *Asianis* & *Macedonibus*, a XXIV. die *Septembris* annum suum exorsi, primum habebant mensem *Aphrodisium*, a Latino Interprete Eusebii, lib. IV. *de Præparat. Evangel.* c. XVI. cum nostro *Martio* perperam comparatum. Verba, ex *Porphyrii* περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων *libro* II. ab Eusebio eo in loco citata, hæc sunt: Ἐν τῇ νῦν Σαλαμῖνι, πρότερον δὲ Κορωνίδι (Κορωνείᾳ, apud Eusebium) ὀνομαζομένῃ, μηνὶ κατὰ Κυπρίους Ἀφροδισίῳ, ἐθύετο ἄνθρωπος τῇ Ἀγραύλῳ τῇ Κέκροπος καὶ νύμφης Ἀγραυλίδος. *In ea quæ nunc Salamina, prius Coronis appellabatur, mense juxta Cyprios Aphrodisio, Agraula Cecropis nymphæque Agrau-*

lidis filiæ homo mactabatur. Ex quibus fortasse A quis collegerit, Porphyrii ætate *Paphiorum* menses hosce, non reliquis solum *Cypriis*, sed ipsis etiam *Constantiensibus* sive *Salaminiis* fuisse communes: atque in tota illa Insula non aliam eo tempore in usu fuisse anni formam, quam Macedonicam illam, tum a Syro-Macedonibus cæteris, tum ab Antiochenis quoque ac Asianis (licet variatis mensium nominibus) usurpatam.

Verum ubi postea inter Antiochenum Syriæ Patriarcham & Constantiensem Cypri Metropolitam de πρεσβείοις lis esset orta: ne, ut anni formam, ita & Metropolitæ dignitatem a sede Antiochena Constantiensis accepisse argueretur, Alexandrino- B rum potius & mensibus τριακονθημέροις & mensium nominibus usus ille fuisse videri posset; ordine tamen immutato, ne ad αὐτοκεφαλίαν, quam sibi vendicabat, minuendam, vel illud etiam in argumentum trahi posset. Sed quæcunque differentiæ hujus causa fuerit: illud certum est, Epiphanii Constantiensi Episcopi tempore, alio *Constantienses* anni genere fuisse usos, *Paphios* alio. Novembris enim Juliani diem XVI. *Salaminiorum sive Constantiensium* suorum *tertii* mensis *Chœac* diei *sexto*, *Paphiorum* vero *Apogonici* diei *decimo sexto*; pariterque VI. Januarii diem, *Cypriorum sive Salaminiorum* mensis C *quinti* diei *quinto*, *Paphiorum* vero *Iuli* diei *quarto decimo* respondisse, in *Heresi* LI. ille confirmat.

Ubi duo hæc observare fuerit operæ pretium. I. *Chœac* Salaminiorum *tertium* fuisse mensem, & a tertio Novembris die incepisse: quum idem apud Alexandrinos *quartus* ordine fuerit, & a 27. vel 28. ejusdem Novembris die inierit. II. Licet & Paphii & Asiani a XXIV. Decembris quartum suum mensem inchoaverint; in XIII. tamen mensis illius die Asianos, in XIV. Paphios Theophaniorum festivitatem collocasse: quia illi (ut in II. *capite* notatum est) *quinto*, hi (receptissimo aliarum Ecclesiarum more) *sexto* Januarii die, eam celebrare D consueverunt. Apud Epiphanium quidem hoc in loco (*sect.* XXIV. Edit. Græco-Latin.) πέμπτη τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, sed rectius postea, (*sect.* XXVII.) ἕκτη Ἰανουαρίου μηνὸς, scribitur: quam veram esse lectionem, & Romanorum VIII. *Id Januar.* simul connotatus evincit, & *undecimus* dies fixi Ægyptiorum sive Alexandrinorum mensis *Tybi*; quem *quinto* Januarii nunquam respondere certum est. Neque aliquid in eo modo *mysterii* cum diligentissimo Animadversore nos cernere, neque *Constantinopolitanos postea* V. *Januarii die Baptismum Christi celebravisse*, vel ex *Manuelis Novella de feriis*, E vel ex *Curopalata*, colligere possumus.

Anno Domitiani XII. mensis *Metroi* secundum Bithynios die VII. hora 2. noctis incipiente, anno a Nabonassaro 840. Tybi die 2. Agrippa Astronomus Lunam australi suo cornu cum australi succedente Vergiliarum conjunctam in Bithynia observavit: Ptolemæo, in magnæ suæ *Syntaxeos* libri VII. cap. II. referente. Factum hoc, anno æræ Christianæ XCII. Novembris die 29. Unde sequitur, *Metroum* Bithyniorum a 23. Novembris Juliani incepisse: & tertii mensis *Bithyniorum* idem fuisse initium, quod tertii mensis Macedonum & Asianorum. In veteri enim manuscripto [1] Henrici Stephani, Græco Johannis Crispini Lexico, & Johannis Noviomagni *Scholiis ad Bedæ de Temporum ratione* cap. IX. inter *Bithyniorum* menses tertio in loco ponitur Metrous: sicut inter *Cypriorum* (& in eis *Paphiorum*) in secundo recensetur *Apogonicus*, & in quarto *Iulus*; licet apud Crispinum & Noviomagum *Junios* per errorem nuncupetur. A XXIV. Decembris sumebat ille initium, a vigilia nimirum Natalis Dominici; quem, id est, *Iuli diem*, in Borealibus Britanniæ partibus adhuc appellitant. Antiqui enim Anglorum populi (ut in XIII. nominati *libri capite* notavit Beda) *incipiebant annum ab octavo Kalendarum Januariarum die, ubi nunc natale Domini celebramus; & ipsam noctem, nunc nobis sacrosanctam, (tunc gentili vocabulo* Modrenecht*) id est, Matrum noctem* (vel potius, *Matrem noctium*) *appellabant*: mensibusque *Decembris* & *Januarii*, *a conversione Solis in auctum diei* (quam *unus eorum præcedit*, *alius subsequitur*) nomen *Giuli* tribuebant.

Neque prætereundum, quod inter aliarum gentium & civitatum menses, Cypriorum etiam Ἰούλιος, & *Bithyniorum* Διονύσιος, cum Romanorum *Januario* in vetere fragmento Saviliano, ita compositus reperiatur:

Ρωμαίων,	Ἰαννάριος.
Αλεξανδρέων,	Τυβί.
Ελλώων,	Αὐδιδαῖος. (legend. Αὐδυναῖος.)
Τυρίων,	Απελαῖος.
Αράβων,	Αὐδιδαῖος. (Αὐδυναῖος.)
Σιδονίων,	Δῖος.
Ηλιουπολιτῶν,	Θόειν.
Λυκίων,	Δῖος.
2 Ασίων.	Ποσειδεών.
Κρητῶν,	Μετάρχιος.
Κυπρίων,	Ἰούλιος.
Εφεσίων,	Περίτιος.
Βιθυνῶν,	Διονύσιος.
Καππαδοκῶν,	Λύπανος.

Unde hanc tandem diversorum mensium, in eadem Macedonici anni forma receptorum, inter se collationem (simul cum eorum uniuscujusque dierum numero & initiis, in sequente *capite* deinceps explicandis) sub unum conspectum visum est proponere.

1 Append. *Thesauri linguæ Græcæ*, col. 225.
2 Αθηναίων, legendum.

Ordo mensium Macedonibus & Asianis omnibus communis.	Signa cœlestia, eos apud Macedones denominantia.	Macedonum Europæorum, Antiochenorum, Pergamenorum & Ephesiorum, menses politici.	Syro-Macedonum, & Smirnæorum.	Cypriorum, & præcipue Paphiorum.	Bithyniorum.	Dierum numerus.	Mensium initia, in anno Romano.
I.	Ζυγός.	Δῖος.	Ὑπερβερεταῖος.	Ἀφροδίσιος.	Ηρεος.	30	Sept. 24
II.	Σκορπίος.	Ἀπελλαῖος.	Δῖος.	Ἀπογονικός.	Ηρμιος.	30	Oct. 24
III.	Τοξότης.	Αὐδυναῖος.	Ἀπελλαῖος.	Αἰνικός.	Μητρῷος.	31	Nov. 23
IIII.	Αἰγόκερως.	Περίτιος.	Αὐδυναῖος.	Ιυλος.	Διονύσιος.	30	Dec. 24
V.	Ὑδροχόος.	Δύςρος.	Περίτιος.	Καισάρειος.	Ηράκλειος.	30	Jan. 23
VI.	Ἰχθύς.	Ξανθικός.	Δυςρος.	Σεβαςός.	Δῖος.	31	Feb. 22
VII.	Κειός.	Ἀρτεμίσιος.	Ξανθικός.	Αὐτοκρατορικός.	Βενδιδαῖος.	31	Mart. 25
VIII.	Ταῦρος.	Δαίσιος.	Ἀρτεμίσιος.	Δημαρχεξάσιος.	Στρατήγιος.	30	Apr. 25
IX.	Δίδυμος.	Πάνεμος.	Δαίσιος.	Πληθύπατος.	Αρειος.	31	Maj. 25
X.	Καρκῖνος.	Λῷος.	Πάνεμος.	Ἀρχιερεύς.	Περιέπιος.	30	Jun. 25
XI.	Λέων.	Γορπιαῖος.	Λῷος.	Ἐσθιος.	Ἀφροδίσιος.	31	Jul. 25
XII.	Παρθένος.	Ὑπερβερεταῖος.	Γορπιαῖος.	Ῥωμαῖος.	Δημήτρειος.	30	Aug. 25

CAP. V.

Mensis cujusque dierum numerus, & in anno Romano sedes declaratur. Ex quatuor sibi invicem succedentium annorum Dominicis Paschalibus cum tempore passionis Polycarpi comparatis, locus Intercalationis, Epocha, & ratio collationis cum Periodi Julianæ & Æræ Christianæ annis, eruitur.

EXTAT Græce in publica Oxoniensis Academiæ Bibliotheca *Quæsitorum Responsorumque sacrorum* liber, quem Latine a se versum, sub *Anastasii Nicæni* nomine, Gentianus Hervetus jam B pridem edidit. In eo, *Quæstioni* XCIII. subjicitur fragmentum Ιωάννε Δαμασκηνῦ, περὶ τῶν Μακεδόνων μηνῶν, ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἐκδόσεως, ubi recensentur Μῆνες κατὰ Μακεδόνας, α Ταῦρος, β Δίδυμος, & sic deinceps: neque Ecclesiastici, neque etiam civilis Macedonici, sed Georgici anni observato principio; de quo in primo *Georgicorum* Virgilius:

Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, & adverso cedens Canis occidit astro. C

Et in IV. *Astronomicon* Manilius, similiter de *Tauro* canens:

Ille suis Phœbi portat quum cornibus orbem,
Militiam indicit terris, & segnia rura
In veteres revocat cultus.

Neque enim in civilem usum recepta unquam a Macedonibus ista sunt nomina, sed ab iis qui rei rusticæ operam dabant præcipue usurpata; quibus Solis per signa cœlestia transitus, atque cum eo conjunctus Stellarum inerrantium Ortus & Occasus Heliacus, agendi opportunitates indicabat, & D

[1] *Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.*

Sequuntur deinde in Damasceno Μῆνες κατὰ Ἕλληνας (de quibus videnda quæ, in præcedente *capite*, ad Epiphanium diximus) α Ξανθικὸς β Ἀρτεμίσιος, &c. Ecclesiasticæ ἐκδόσεως ordine retento; quem in Pseudo-Clementinis Apostolorum *Constitutionibus* confirmatum ille invenerat. In iis enim [2] *primus* nominatur mensis Xanthicus, [3] *duodecimus* Dystrus; in cujus etiam die XXII. vernale statuitur Æquinoctium, sicut in [4] XXV mensis *noni* Natalis Domini, & in VI. *decimi* Epiphania: mensibus pure Julianis usurpatis, sed ab *Aprili* facto numerationis initio. Huic vero Damasceni per omnia similem & Hellenicorum & Macedonicorum mensium Indiculum, tum in alio e- E

1 Virgil. *Eclog.* 2 *Constitut. Apost.* l. v. c. XIV.
3 *Ibid.* c. XVII. 4 *Ibid.* c. XIII.

A ejusdem Oxoniensis Bibliothecæ MS. invenimus, tum in illis ex quibus Cypriorum & Bithynorum mensium seriem jam descripsimus: nisi quod in hisce omnibus, Macedonicorum mensium primus nominetur Αἰγόκερως, a Brumali solstitio, more Romano, repetito anni principio; juxta Nasonis illud *Fast.* I.

Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

B Ut autem numeri dierum & initii cujusque mensis, in Tabella apposita propositi, ratio nobis constet; adeoque totius anni cum Romanorum Juliano justa institui possit comparatio: a quo principio Epocha illius sit deducenda, quo in anno intercalaris diei sedes sit figenda, & quibus anni mensibus dies illi *quinque* adjiciendi sint, diligentius inquirendum est.

Quo anno *Paschalis Homilia*, falsum Chrysostomi titulum præferens, est habita [1] XIV. Lunam *biduo ante æquinoctium* factam fuisse, author significat: ideoque pro Paschali termino proximam C Lunam XIV. assumptam esse, quæ inciderit in mensis VII. diem XXIV. eamque Dominicam. Hoc autem contingere non potuit; nisi quum aureus numerus Dionysianus esset VIII. litera Dominicalis C. Numero enim aureo VIII. existente, Luna XIV. in 19. Martii incidit, (quod biduum est ante Nicænum æquinoctium) & terminus Paschalis necessario incurrit in 18. Aprilis, litera C. insignitam. Quod si 18. Aprilis Romani respondeat diei 26. septimi mensis Asiani: necesse est ut pri- D mus ejusdem septimi mensis diei 24. Martii eadem ratione respondeat. Cumque ob diei Dominicæ & termini concursum, diem Paschalem in sequentem Dominicam translatum fuisse author indicet; a die videlicet XXVI. mensis VII. ad diem II. mensis VIII. hoc est, ab Aprilis 18. ad 25. consequens quoque est, primum mensis octavi Asiani diem 24. Aprilis Juliani respondisse.

Porro inter annum Domini CXL. quo Montanistarum hic damnata hæresis nondum emerserat, & DCCCCXIX. quousque durasse eam non est verisi- E mile, quatuor tantum occurrunt anni, in quibus aureus numerus VIII. & litera Dominicalis C. simul concurrunt: annus nimirum æræ Christianæ CCCLXXXVII. CCCCLXXXII. DLXXXVII. & DCLXXII. in quibus omnibus, Pascha ὠπαςάσιμον Aprilis die 25. est celebratum; quem secundum octavi mensis author nominat: ut octavum mensem

1. Tom. v. Chrysost. Edit. Savil. pag. 948.

a 24. Aprilis tunc incepiſse nullum ſit dubium. Sed in trium ſequentium Paſchatum continuatione, aliqua contingit variatio. Nam poſt annum CCCLXXXVII. Dominica Paſchalis in tribus annis conſequentibus occupavit Aprilis diem 9. 1. & 21. poſt annum CCCCLXXXII. Aprilis 10. 1. 21. poſt annum DLXXII. Aprilis 10. 2. 22. quibus omnibus, propter diverſum intercalationis in anno Juliano ſitum, illa convenire poteſt authoris notatio: Νῦν μὲν γίνεται δευτέρα ὀγδόου ἡ ἀναστάσιμος. εἰς δὲ τὸ ἐπιὸν ἑπτακαιδεκάτη ἑβδόμου μηνὸς γίνεται· καὶ πάλιν εἰς τὸ ἑξῆς ἐννάτη ἑβδόμου μηνός. καὶ αὖθις εἰς τὸ τρίτον ἔτος, εἰκάδι ἐννάτῃ τοῦ μηνὸς ἡ ἀναστάσιμος γνωρισθήσεται. *Nunc quidem ſecunda octavi menſis dies exiſtit Reſurrectionis; ſequente vero anno decima ſeptima ſeptimi menſis erit; atque iterum proximo nona menſis ſeptimi: & rurſus anno tertio, viceſima nona menſis Reſurrectionis dies celebrabitur.*

Dies omnes notati, cum Paſchales fuerint, in primam feriam incidere neceſſe eſt: ex quorum collatione manifeſtum fit, ſub finem primi anni (quo iſta habita eſt oratio) diei intercalationem eſſe factam, ſequentes vero tres fuiſſe ordinarios dierum 365. Si enim eo anno, dies XXVI. menſis VII. & II. menſis VIII. & ſequente anno XVII. & conſequenter XXIV. dies menſis VII. inciderit in diem Dominicam, (ut author confirmat) neceſſe eſt ut prior annus intercalaris fuerit, ſequens ordinarius: alioqui fieri non potuit, ut priore anno in diem XXVI. poſteriore in XXIV. feria prima incideret. Sed, licet in quadrienniis illis quæ jam nominavimus quatuor, primus quiſque annus juxta Aſianorum rationes fuerit intercalaris: in Julianis tamen, eis reſpondentibus, ſubinde mutatum eſſe intercalationis ſitum, ſequens Tabella demonſtrat; quæ in unaquaque Tetraeteride quis annus fuerit biſſextilis, & cui diei Juliano primus dies menſis Aſianorum *ſeptimi*, in 16. Chriſtianæ æræ annis propoſitis, reſpondeat, oculis ſpectandum exhibet:

		I.		III.
A. C. 387		Mart.24.fer.4.	577	Mart.24.fer.4.
388	*Biſſ.*	Mart.24.fer.6.	578	Mart.25.fer.6.
389		Mart.24.fer.7.	579	Mart.25.fer.7.
390		Mart.24.fer.1.	580 *Biſſ.*	Mart.24.fer.1.
		II.		IIII.
482		Mart.24.fer.4.	672 *Biſſ.*	Mart.24.fer.4
483		Mart.25.fer.6.	673	Mart.25.fer.6.
484	*Biſſ.*	Mart.24.fer.7.	674	Mart.25.fer.7.
485		Mart.24.fer.1.	675	Mart.25.fer.1.

Ex his videndum jam, an tempus elici poſſit, quo Paſchalis iſta prolata fuerit Oratio; &, quod cum eo eſt conjunctum, quænam Tetraeteris, ex iſtis quatuor, pro Aſiani anni Canone ſit aſsumenda. Et quidem ſi verum illud eſset, quod Theodorus Balſamon credidit, Johanni ipſi Chryſoſtomo *Sermonem* hunc fuiſse tribuendum: non alio haberi potuiſse anno certum eſset, quam 387. cujus tam diu dilati Paſchatis occaſione, & ante quinquennium celebris illa ab Ambroſio Mediolanenſi ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos miſsa eſt *Epiſtola*, & proximo (niſi me fallo) poſt eum anno, a Theophilo Alexandrino Epiſcopo ad Theodoſium ſeniorem Paſchale 95. annorum ſcriptum eſt Laterculum, ac deinde ab Aniano & Panodoro magnus 532. annorum Cyclus, juxta Alexandrinorum calculum (quem & hujus *Sermonis* author ſequitur) primum eſt editus. Verum & totum tractandi genus a Chryſoſtomi conſuetudine maxime eſt alienum, & impurior dicendi character ſequioris ævi fœtum eſse arguit.

Neque primam hanc Tetraeteridem Aſiani anni rationibus convenire, vel illud argumento eſt, quod juxta eam omnes *ſeptimi* menſis Kalendæ a 24. die Martii eſsent deducendæ: quum tamen in anno æræ Chriſtianæ 169. quo Polycarpus paſsus, in 25. Martii eas incidiſse docuerimus. Qui annus, cum primus a biſsexto fuerit, & ejuſdem tamen ordinis annus 485. in ſecunda, & 577. in tertia Tetraeteride, eaſdem menſis *ſeptimi* Kalendas ab eodem 24. Martii die repetant: pro anni Aſiani norma Tetraeteris ſolum quarta aſsumenda relinquitur: ex qua colligimus, & anno 672. orationem hanc fuiſse habitam; & quandocunque in anno Juliano ante 24. Februarii biſsextus fuiſset inſertus, ante 24. ſequentis Septembris in fine anni Macedonici & Aſiani ſimilem diei intercalationem fuiſse obſervatam. Quod etiam annus obitus Valentiniani confirmat: in quo Dominicam Pentecoſtes in Maii Romani diem 16. Græcorum vero Artemiſii, ſive menſis Aſianorum *octavi* diem 23. incidiſse, ex Epiphanio didicimus. Nam cum annus ille intercalaris eſset, utpote Chriſtianæ æræ 392. *octavi* menſis Kalendæ in eo, non minus quam in anno 672. cum Aprilis 24. concurrebant. In omni enim anno intercalari, poſteriorum ſeptem anni Macedonici & Aſiani menſium Kalendæ dies initiales Tabellæ menſium a nobis appoſitos (propter biſsexti in Februario interpoſitionem) uno ſemper die antevertebant.

Atque ex hoc diei intercalaris ſitu inſuper colligimus, in 4. Olympiadis cujuſque anno, primum poſt intercalationem annum quemque ſedem ſuam hic obtinuiſse. Cujuſmodi annus Olympiadicus cum ante prælium ad Granicum, (cujus tempore novum hunc annum a Macedonibus receptum fuiſse declaravimus) in regni Alexandri initiis occurrat nullus: a poſtremo patris Philippi, & Olympiadis CX. anno 4. id eſt, ab ipſo Macedonici Imperii exordio, primam Macedonici & Aſiani noſtri anni Tetraeteridem deducendam eſse concludimus. Tunc enim Græciæ dominus factus *Philippus, omnium civitatum legatos, ad formandum rerum præſentium ſtatum, evocari Corinthum juſſit: ubi pacis legem univerſæ Græciæ pro meritis ſingularum civitatum ſtatuit, conciliumque omnium veluti unum Senatum ex omnibus elegit;* uti ex Trogi Pompeii *lib.* IX. refert Juſtinus, communibus denique Græcorum (præter Lacedæmonios) ſuffragiis, Imperator eorum contra Perſas eſt electus; quemadmodum in libro *Bibliothecæ* ſuæ XVI. ad 4. hunc Olympiadis illius annum, narrat Diodorus Siculus. In hoc igitur termino, anno videlicet ante æram Chriſtianam 337. Periodi Julianæ 4377. Septembris die XXIV. feria VI. Macedonici & Imperii & Anni novi, a Philippo conſtituti, παράπηγμα figendum fuiſse cenſuimus.

Reſtat jam, ut de dierum illorum initialium, &, a quo illi maxime dependent, cujuſque menſis dierum numero, aliquid dicamus: & de *quinque* dierum, qui ex τριακονθημέροις 31. dierum menſes efficerent, diſtributione quod promiſimus, exſolvamus. In prioribus exemplis, ex LI. apud Epiphanium *Hæreſi*, ab Octobris 24. *ſecundum*; ex Agrippæ aſtronomica obſervatione, a Novembris 23. *tertium*; & ex *Actis* Timothei, a Decembris 24. *quartum* menſem iniiſſe docuimus: unde ut *ſecundum* illum 30. ita *tertium* 31. fuiſſe dierum, concludimus. Qui Xanthici diem ſecundum, quo paſſum fuiſſe Polycarpum declaravimus, cum 23. Februarii contulerunt, *ſextum* noſtrum menſem a 22. Februarii die incepiſſe crediderunt; ut veriora ejuſdem *Acta*, que ad 26. diem Martii ejus retulerunt, a Martii 25. *ſeptimum* deduxerunt: inter quos 31. dies intercipiunt, menſi illi *ſexto* aſſignandi. Anno quidem intercalari, in 24. Martii principium menſis *ſeptimi* incurriſſe oſtendimus:

Quod eo anno contigit, quo toties citata illa *Paschalis Homilia* est habita: quando & Lunam XIIII. in mensis *septimi* diem 26. incidisse author indicat, & quod ea Dominica esset, in Dominicam proximam Pascha fuisse translatum; nempe in *octavi* mensis diem secundum, quem 25. fuisse Aprilis, ex Cycli Paschalis ratione demonstravimus. Et cum mensem *septimum* a 24. Martii, & *octavum* a 24. Aprilis inchoatum tunc fuisse constet: ut dies 31. haberet mensis septimus, omnino necesse est. Neque fieri potuit, ut die 26. mensis *septimi*, & similiter die 2. mensis *octavi*, ageretur dies Dominica, nisi tot dierum mensis *septimus* extitisset.

Alexander Monachus Natalem Barnabæ in Julii Romani diem XI. & Asianorum *noni* mensis diem XIX. Euthalius Diaconus excessum Pauli in Junii XXIX. & Syro-Macedonum Panemi sive mensis Asianorum *decimi* diem V. confert: qua ratione *nonus* a XXIV. Maii, *decimus* a Junii XXV. die incepisset.

Sub Nerone martyrium subiisse Paulum, anno a Nativitate Domini LXIX. a Passione XXVI. scribit Euthalius, annum vulgaris æræ Christianæ LXVII. ea supputatione indicans. Sequente enim anno LXVIII. qui intercalaris fuit, ante Junii diem 29 martyrio Pauli assignatum, vitam Neronem finiisse certum est. Inter 25. vero Junii, a quo *decimum* mensem hoc anno cœpisse notatum est, & Aprilis 25. a quo, in simili anno communi mensis *octavus* ducebat initium, dies numerantur 61. in *octavum* & *nonum* mensem distribuendi. Si jam annum excessus Barnabæ, quo a 24. Maii *nonus* mensis inierit, communem fuisse supposuerimus: mensis *octavus*, ab Aprilis 25. in consimili anno incipiens, 29. fuisset dierum; & consequenter *nonus* 32. cujusmodi numeri, utcunque a mensibus Solaribus Astronomicis alieni non fuerint (ut in Parapegmate, quod *Isagogæ suæ in Phænomena* subjecit Geminus, videre licet) in Solaribus tamen politicis locum non habent. Etsi enim antiqua Romanorum superstitio, a Numæ ducta temporibus, Februario dies 28. tribuens, non quinque jam, sed septem dies inter menses suos Solares partiendos reliquit: maluit tamen Cæsar septem menses 31. dierum constituere, quam 32. dierum numerum, qui in mensibus usu civili receptis omni carebat exemplo, alicui eorum adscribere. Quod si annum, quo a Cypriis cæsus est Barnabas, intercalarem fuisse admiserimus (quam hypothesin ne admittamus, nulla nos cogit ratio) & a Maii 24. *nonus*, & ab Aprilis 24. *octavus* mensis inchoabitur: atque ita, & mensi *nono* 31. dierum constabit numerus, & *octavo* mensi 30. quot illum revera habuisse, non 29. tantum, Aristobuli (apud Plutarchum) evincit authoritas, qui τριακάδι Δαισίου μηνὸς *Dæsii*, octavi Macedonum mensis die *tricesimo*, Alexandrum Magnum decessisse tradidit.

Ex diebus nostris *quinque*, unum adhuc superest disponendus: quem & in postremo trimestri (ne brumalis quadrans anni alias æstivo fieret productior) & in medio ejusdem mense, id est, *undecimo*, collocandum judicavimus. Si enim in postremum anni mensem dies 31. contulissemus, quarto quoque anno, die intercalari ad eum accedente, diebus constaret 32. quod in anno civili hactenus inauditum fuisse diximus. *Decimum* vero mensem 30. tantum fuisse dierum, ex historia captæ ab Alexandro Tyri deprehendimus. Cum enim mensis illius, quo urbem haud dubie capiendam Aristander aruspex prædixerat, extremus jam adesset dies; de eventu adhuc dubius Alexander (licet eodem urbs postea expugnata sit die), ἐκέλευσε μηκέτι τριακάδα τὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἀλλὰ τρίτην φθίνοντος ἀριθμεῖν, *non trigesimum, sed vigesimum octavum mensis illum diem numerari præcepit*: ut in *Vita ejus* Plutarchus narrat. Archonte autem Athenis *Aniceto* (qui *Nicetas* Dionysio Halicarnasseo, *Niceratus* Diodoro Siculo est, Olympiadis CXII. anno I.) mense *Hecatombæone*, occupatam ab Alexandro fuisse Tyrum, in II. *de Gestis illius* libro confirmat Arrianus. Erat is Cycli Metonici 6. in quo cum 20. Julii die Kalendas *Hecatombæonis*, & cum quinto consequenter Attici illius mensis die *Loi* mensis Macedonici *decimi* diem *trigesimum*, eundemque ultimum, concurrisse invenimus. Atque hisce ducti rationibus, *quinque* istos dies per totum annum ita dispertivimus: ut in priore semestri, binos quosque τριακονθημέρους unus exciperet 31. dierum mensis; in posteriore vero, 31. & 30. dierum menses alternatim dispositi cernerentur.

CAP. VI.

Anni totius Macedonici & Asiani dispositio atque methodus exponitur. Cycli Solaris & Lunaris, & Christiani Paschatis, in eo indagandi ratio. Veterum Parapegmatum ad eundem accommodatio.

RESTAT jam, ut anni Macedonici & Asiani methodum universam exponamus; quam sequentibus hisce Regulis licebit comprehendere.

I.

Dato anno Periodi Julianæ, vel æræ Christianæ, annum congruentem epochæ Macedonicæ invenire.

A dato anno Periodi Julianæ subductis 4377. ad datum vero annum æræ Christianæ additis 336. exsurget annus epochæ Macedonicæ, in cujus *quarti* mensis diem *nonum* Kalendæ Januariæ illius anni incurrunt; sequente 24. Septembris ejusdem anni die novum Macedonicum annum inchoaturo.

Exempli gratia. A dato anno Periodi Julianæ 4391. subductis 4377. relinquitur Macedonicæ epochæ annus 14. a mensis 4. die 9. Kalendis illius Januariis respondens, cum 24. sequentis Septembris die, 15. Epochæ Macedonicæ anno post inituro. Item, ad datum annum æræ Christianæ 672. additi 336. annum Macedonicæ epochæ 1008. exhibent; a mensis 4. die 9. Kalendis illius Januariis respondentem; a 24. Septembris sequentis anno Macedonico 1009. deinde inituro.

II.

Dato Macedonici anni mense & die, mensem & diem Julianum illi respondentem deprehendere.

Macedonicæ epochæ anno dato per quaternarium diviso (millenariis, si placet, centenariis & vicenariis, compendii causa, prætermissis) si quid ultra integros numeros superfuerit, ordinarium; si nihil, intercalarem esse annum indicat, & ad finem 12. mensis diem ex quadrantibus confectum esse adjiciendum. Inspecta igitur anni Macedonici & Asiani Ephemeride: menses & dies anni Juliani e regione positi ita sunt cum eis conferendi; ut in anno intercalari ex linea extima postremorum 7. mensium dies assumantur, non ex interiore, ut alias fieri par est.

Anno

A Anno Periodi Julianæ 4391. *Δαισίυ τρίτη φθίνοντος*, ſive menſis Macedonici 8. die 28. Alexandrum M. vitam finiiſſe oſtendimus. Erat ille (juxta præcedentem Regulam Macedonicæ epochæ annus 14. qui per 4. diviſus, in Quoto ultra 3. integros numeros etiam $\frac{2}{4}$ exhibet. Quod cum anni ordinarii ſit indicium, ex interiore linea 22. Maii diem, ut 28. diei menſis 8. Macedonici reſpondentem, aſſumendum eſſe pronuncio.

Iam ſi in anno æræ Chriſtianæ 672. quæratur, cui diei Juliano dies 2. menſis 8. Macedonici ſive Aſiani reſpondeat; eſſe eum Macedonicæ epochæ annum 1008. (ex eadem præcedente Regula) intelligo. Is numerus (millenario, ſi libuerit, neglecto) per 4. diviſus, ultra numerum integrum, partem nullam in Quoto relinquit. Quæ cum anni intercalaris certa nota ſit: ex linea extima 25.
B diem Aprilis quæſito diei Macedonico vel Aſiano reſpondere aſſero.

III.

Dato anno Macedonico, Cyclum Solarem invenire.

Diviſo per 28. Macedonicæ epochæ anno dato: ſi quid ultra integros numeros in Quoto reliquum fuerit, Cycli Solaris index erit; ſin nihil ſuperfuerit, 28. pro quæſiti anni Cyclo erit aſſumendus.

Ita in exemplis præcedentibus; annus epochæ Macedonicæ 14. per ſe indicat eſſe ipſum Cycli Solaris 14. annus vero 1008. per 28. diviſus, in Quoto 36. exhibet, integrum numerum, ſine fractione ulla adjecta. Fuit igitur Cycli Solaris 28. & ultimus.

IV.

Dato Cyclo Solari, literam diei Solis ſive Dominicam, & per eam ferias hebdomadicas totius anni Macedonici ſive Aſiani, invenire.

Literam diei Dominicæ, ſive primæ feriæ Hebdomadicæ, in Macedonica Ephemeride indicem, cuivis Cycli Solaris anno congruentem, appoſita monſtrat Tabella, a litera C. inchoata; quia, primo anno Macedonico a feria *ſexta* incipiente, tertius ejuſdem dies, in Ephemeride litera C. ſignatus, in feriam *primam* ſive diem Solis incidit. Quartus vero quiſque Cycli annus, in Tabula hic notatus, Intercalaris eſſe intelligitur.

1.	C.
2.	B.
3.	A.
4.	G.
5.	E.
6.	D.
7.	C.
8.	B.
9.	G.
10.	F.
11.	E.
12.	D.
13.	B.
14.	A.
15.	G.
16.	F.
17.	D.
18.	C.
19.	B.
20.	A.
21.	F.
22.	E.
23.	D.
24.	C.
25.	A.
26.	G.
27.	F.
28.	E.

In anno Macedonicæ epochæ 1008. qui (per præcedentem Regulam) Cycli Solaris 28. inventus eſt, dies 2. menſis 8. Dominica Paſchalis fuit. Anno Cycli 28. litera E. reſpondet: quæ eadem diem 2. menſis 8. in Ephemeride Macedonica & Aſiana appoſita, feriam primam ſive diem Dominicum eum eſſe indicat.

Polycarpum anno æræ Chriſtianæ 169. menſis Aſianorum 7. die 2. in magno Sabbato; Pionium anno æræ ejuſdem 251. menſis Aſianorum 7. die 12. eodemque Sabbati, martyrium ſubiiſſe, in *cap.* III. declaravimus. Ad annum æræ Chriſtianæ 169. additis (juxta primam Regulam) 336. exſurgit Macedonicæ epochæ annus 505. qui per 28. (ex tertiæ Regulæ præſcripto) in Quoto, ultra integrum numerum 18. etiam 1. exhibet; anni 1. Cycli Solaris, & cum eo literæ Dominicalis C. in Tabula conjunctæ, indicem. Inſpecta deinde anni Macedonici & Aſiani Ephemeride, 7. menſis diei 2. literam B. appoſitam invenio: quæ cum in circulo hebdomadico locum a C. ſeptimum obtineat, feriam *ſeptimam* ſive *Sabbati* diem eſſe illum ſignificat.

C Similiter, ad annum æræ Chriſtianæ 251. additis 336. prodit Macedonicæ æræ annus 587. qui per 28. diviſus, præter numerum integrum 20. etiam $\frac{2}{28}$. in Quoto relinquit: quod indicio eſt, eſſe annum illum Cycli Solaris 27. cui litera Dominicalis F. reſpondeat. Inſpecta vero Ephemeride, menſis 7. dies 12. litera E. ſignatus reperitur: quæ cum in ſerie hebdomadica ab F. feriæ 1. indice, ordine ſit 7. feriam quoque 7. ſive Sabbaticam diem eſſe illum confirmat.

V.

Dato anno Macedonico ſive Aſiano, Cyclum Lunarem invenire.

Dividatur annus datus per 19. ſi præter integros Quoti numeros relictus fuerit aliquis alius, is Cycli Lunaris quæſitus erit numerus: ſi nullus, 19. erit. Ita annus ille Macedonicæ epochæ 1008. per 19. diviſus, præter integrum numerum 53. etiam 1. in Quoto exhibet. Ut igitur Cycli Solaris erat ille poſtremus, ita Cycli Lunaris deprehenditur eſſe primus. Enneadecaeteridis, inquam, ab æræ
D Macedonicæ exordio numeratæ, *primus*; Alexandrinæ vero, ab æra Diocletiani deductæ, *octavus*.

VI.

In dato anno Macedonico vel Asiano Paschalem Dominicam, & Montanistarum & Alexandrinorum, designare.

Montanistis, Solares rationes tantum spectantibus, septimi mensis (quem illi primum appellabant) vel 14. dies semper Paschalis erat, si is esset Dominicus, vel primus Dominicus dies qui eum sequebatur: quemadmodum in 11. *capite* declaravimus. Qui vero proprie dictam Asiam incolebant Orthodoxi, Lunari quoque calculo adhibito, cum reliquis Orientalibus Paschales Alexandrinorum Terminos respiciebant: Lunas videlicet 14. quæ vel in *Martii* diem 21. (quo vernum Æquinoctium, ex Nicænorum Patrum sententia, fieri credebatur) incurrebant, vel eum proxime insequebantur. Ejusmodi, in annis ordinariis, mensis VI. & VII. dies illi erant, quos, simul cum hebdomadicis suis literis ex Ephemeride descriptis, unicuique Lunaris Cycli anno in subjecta Tabula apposuimus: nam in intercalaribus, dies notatum proxime sequens est semper assumendus.

Asianæ Enneadecaeteridis Paschales Termini.

Cycl.	Mens.	Dies.	
1.	VII.	25.	D.
2.	VII.	14.	G.
3.	VII.	3.	C.
4.	VII.	22.	A.
5.	VII.	11.	D.
6.	VI.	31.	G.
7.	VII.	19.	E.
8.	VII.	8.	A.
9.	VI.	28.	D.
10.	VII.	16.	B.
11.	VII.	5.	E.
12.	VII.	24.	C.
13.	VII.	12.	E.
14.	VII.	1.	A.
15.	VII.	20.	F.
16.	VII.	9.	B.
17.	VI.	29.	E.
18.	VII.	17.	C.
19.	VII.	6.	F.

Auctor *Homiliæ Paschalis*, anno æræ Christianæ 672. Macedonicæ 1008. habitæ, Lunam 14. in diem 26. septimi mensis Asianorum tum incidisse; & quod ea Dominica esset, in proximam Dominicam, sive mensis octavi diem 2. Pascha fuisse dilatum, significat. Annus ille 1008. (ut ex præcedentibus patuit) Cycli *Solaris* erat postremus, literam Dominicalem habens E. *Lunaris* vero primus, ad quem in præsente Tabula, mensis septimi diem 25. litera D. signatum vides. Sed quia annus intercalaris hic erat, dies proximus cum sua litera, nempe VII. 26. E. pro Luna 14. sive ipso Termino Paschali, ex Regulæ præscripto est assumendus. Et quia E. anni hujus litera Dominicalis est, & in Luna 14. sive ipso Termino Pascha celebrari sanctio Nicæna vetat; in proximo E. proximo diei Dominici indice, quærendum Pascha est, id est, in mensis 8. die 2. quem litera item E. notatum in Ephemeride videre licet.

Ut autem hoc anno, mensis 8. die 2. ita in tribus sequentibus, mensis 7. die 17. 9. & 29. Dominicam Paschalem celebrandam fuisse, auctor subjicit. Annus 1009. cum Cycli *Solaris* primus sit, literam Dominicalem C. & cum *Lunaris* secundus, Terminum Paschalem habet VII. 14. G. ideoque in proximo C. sive mensis VII. die 17. Dominica Paschalis constituenda est. Annus 1010. Cycli *Solaris* 2. literam Dominicalem B. Lunaris 3. Terminum VII. 3. C. indeque in sequente B. hoc est, in mensis 7. die 9. Dominicam Paschalem habet. Annus 1011. Cycli *Solaris* 3. literam Dominicalem A. *Lunaris* 4. Terminum VII. 22. A. adscriptum habet. Quia igitur Dominica in Terminum incidit, (quod concursus ille A. ostendit) in sequente A. id est, in mensis VII. die 29. Dominica Paschalis est hic figenda.

A Atque ita quadriennii hujus Paschata ab Orthodoxis juxta Alexandrinum calculum sunt celebrata. Montanistæ vero, diem 14. mensis VII. litera G. signatum, ut unicum suum Canonem respicientes, in sequentibus E. C. B. A. quæ quatuor horum annorum (ut vidimus) literæ erant Dominicales, hoc est, in 19. 17. & 16. 15. mensis die, Paschales suas Dominicas observabant.

Quandoquidem vero in *cap.* 1. Galenum nos docentem audivimus, qua ratione ortus & occasus siderum, & cum eis conjunctæ tempestatum in orbem recurrentium vices, in anno Solari Macedonum inveniri possent: præclaro hoc additamento B Macedonicum nostrum Hemerologium locupletare visum est; collectis undique tanquam ex naufragio, quæ reperiri poterant, hujusmodi Tabularum reliquiis, de quibus, *in Aratum*, ita scribebat olim Theon Alexandrinus: Οἱ μετὰ Μέτωνα ἀςρόνομοι ϗ πίνακας ἐν ταῖς πόλεσι ἔθηκαν περὶ τ̃ τοῦ ἡλίου περιφορῶν τ̃ ἐννεακαιδεκαετηρίδων· ὅτι καθ᾽ ἕκαςον ἐνιαυτ̀ τοιόσδ᾽ ἔςαι χειμὼν, ϗ τοιόνδε ἔαρ, ϗ τοιόνδε θέρος, ϗ τοιόνδε φθινόπωρον, ϗ τοιοίδε ἄνεμοι, ϗ πολλὰ πρὸς βιωφελεῖς χρείας τοῖς ἀνθρώποις. *Post Metonem astronomi etiam tabellas in urbibus posuerunt de Solis in XIX. annorum periodo circuitibus: quod per unumquemque annum ejusmodi futura esset hyems,* C *& ejusmodi ver, & ejusmodi æstas, & ejusmodi autumnus, & ejusmodi venti, & ejus generis multa humanæ vitæ usibus accommoda.* Et quia Tabellæ istæ publicis affixæ locis, omnium oculis spectandæ proponebantur, *Parapegmatum* inde nomen eis est impositum. Vitruvius, *l.* IX. *c.* VII. *Siderum occasus & ortus, tempestatumque significatus, Eudoxus, Eudæmon,* (Euctemon) *Callistus,* (Calippus) *Melo,* (Meto) *Philippus, Hipparchus, Aratus, cæterique ex Astrologia Parapegmatorum disciplinas invenerunt, & eas posteris explicatas reliquerunt. Quorum scientiæ sunt hominibus suspiciendæ; quod tanta cura fuerunt, ut etiam videantur divina mente* D *tempestatum significatus post futuros ante pronunciare: quas ob res hæc eorum curis studiisque sunt concedenda.* A Laertio quoque, ex Thrasyllo, inter *Democriti* scripta Παράπηγμα recensetur: cujus, ut & aliorum illorum a Vitruvio commemoratorum (præter *Aratæa*, quæ integra supersunt) etiam in nostra hac Tabularum congerie fragmenta licebit recognoscere.

De eisdem, in *Isagogæ suæ* c. XV. doctissimus Geminus: Αἱ δὲ γινόμεναι προῤῥήσεις τ̃ ἐπισημασιῶν ἐν τοῖς παραπήγμασιν, οὐκ ἀπὸ τινῶν παραγγελμάτων ὡρισμένων γίνονται, οὐδὲ τέχνῃ τινὶ μεθοδεύονται κατη- E ναγκασμένον ἔχουσαι τὸ ἀποτέλεσμα, ἀλλ᾽ οἱ ἐκ τοῦ ὡς ἐπίπαν γινομένου διὰ τ̃ καθ᾽ ἡμέραν παρατηρήσεως τὸ σύμφωνον λαμβάνοντες, εἰς τὰ παραπήγματα κατεχώρησαν. *Prædictiones autem significationum quæ in Parapegmatibus sive tabulis affixis fiunt, non fiunt ex quibusdam certis præceptis, neque arte quadam traduntur, ut habeant necessarium effectum, sed qui ex eo quod plerumque sit, per quotidianam observationem, quod erat consonum ceperunt, in Tabulis illud disposuerunt.* Οἱ γὰρ ἀπ᾽ ἀρχῆς παρατηρήσαντες, ϗ συνταξάμενοι τὰ παραπήγματα, ἐξετάσαντες τοὺς τόπους τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, ἐν οἷς ὡς ἐπίπαν αἱ μεταβολαὶ τοῦ ἀέρος γίνονται, ἐπεσκέψαντο κατὰ τοὺς F χρόνους τούτους τίνα τ̃ ἄςρων ἀνατέλλει ἢ συγκαταδύνει, ϗ ταῖς τούτων ἐπιτολαῖς ϗ δύσεσι σημείοις ἐχρήσαντο εἰς τὴν πρόγνωσιν τ̃ προειρημένων. *Nam qui a principio observaverunt, & Parapegmata illa composuerunt, exploratis locis Zodiaci circuli, in quibus ut plurimum mutationes aeris fiunt, consideraverunt, quæ astra temporibus illis orirentur aut simul occiderent, atque horum ortibus & occasibus pro signis sunt usi ad prædictionem prædictorum.*

In XI. ejusdem Operis *cap.* ψηφίσματα quoque ea

A appellant: Ἐν τοῖς ψηφίσμασιν, inquit, αἱ φαινόμεναι τῶν ἄστρων ἐπιτολαὶ προλέγονται. αἱ μὲν γὰρ ἀληθιναὶ ἀθεώρητοί εἰσι καὶ ἀπαρατήρητοι, αἵδε φαινόναι καὶ προλέγονται καὶ παρατηροῦνται. *In judiciis, apparentes astrorum ortus prædicuntur. Nam veri ortus sunt invisibiles atque inobservabiles: apparentes vero, & prædicuntur & observantur.* Ubi notandum tamen, veteres Astronomos in Parapegmatibus suis, quibus Plinius & ipse Geminus quoque usus est, Ortus, quos appellant Cosmicos, utcunque ἀθεωρήτους, locum concessisse; non quidem ut notis temporum conspicuis, sed ut ἐπισημασιῶν occultis indicibus: quippe qui siderum ortus & occasus, non B cum Gemino simpliciter ut signa, sed etiam ut causas tempestatum & variarum aeris mutationum, in meteorologicis suis observationibus consideraverint: quanquam in suo Ptolemæus, non solum stellarum omnium ortus Cosmicos & occasus Acronychos, ut plane ἀθεωρήτους καὶ ἀπαρατηρήτους, consulto prætermiserit; sed etiam ipsas *Sagittæ*, *Pleiadum*, *Hædorum*, *Vindemiatoris*, *Delphini*, ἐπιτολὰς καὶ κρύψεις Heliacas, διὰ τὸ δυσδιακρίτους καὶ δυσκατανοήτους εἶναι παντάπασιν τὰς τῶν οὕτω σμικρῶν ἀστέρων ἐσχάτας καὶ πρώτας φαντασίας.

Ptolemæi autem nomen præferentia, quatuor vidimus Parapegmata. *Primum*, hoc ipsum & illius C proprium, hujusmodi prænotatum titulo, Κλαυδίου Πτολεμαίου φάσεις ἀπλανῶν ἀστέρων, καὶ συναγωγὴ ἐπισημασιῶν: ubi ἐπισημασίας ex Veterum Tabulis, φάσεις vero, suo tempori congruentes, ex proprio calculo exhibet; secundum diversitatem climatum, quæ, horarum maxime in unoquoque diei numero apposito, designat. Hujus exemplar Græcum integrum communicavit nobis D. Henricus Savilius: cujus partem tantum, eamque ipsam admodum mutilam & depravatam, Græco-Latina Dionysii Petavii continet editio; licet XXXVIII. ante illum annis, Federicus Bonaventura Urbinas totum La- D tine a se versum in lucem emiserit.

Secundum, falso Ptolemæi nomine venditatum Parapegma, vulgatus ille est de stellarum inerrantium significationibus libellus, qui ex Græco per Nicolaum Leontium in Latinum translatus fuisse dicitur: cum vel ab ipso Nicolao, vel ab alio aliquo rerum harum imperitissimo, ex Ovidio & aliis Latinis auctoribus, nullo judicio, fuerit congestus. *Tertium*, & brevius & nullius plane momenti, anno 1345. Astrologicæ suæ Summæ inseruit Johannes Eschenden. *Quartum* subjectum habebatur *Isagogico Astrologiæ Ptolemæi, ex Arabico ab Abrahamo de Balmes converso*: quod non aliud est quam Gemini *Isagoge in Phænomena*; cujus editio- E nem ex codice, quem Viennæ a Johanne Sambuco Savilius noster nactus est, expressam, non solum cum Arabico isto Isagogico, sed etiam cum alio MS. Græco & Vaticani exemplaris διττογραφίαις (ab eodem præstantissimo viro acceptis) diligenter contulimus: quod ideo monendum duximus, ne quis erratum putaret, si quid a libro edito varians in nostra Ephemeride deprehenderet: in qua, ex *Gemino* desumpta ea omnia intelligenda sunt, quæ *Plinii* & *Ptolemæi* & *Aetii*, non habent nomen appositum.

CAP. VII.

F *Cœlestium mensium disparilis mensura, in Parapegmatum descriptionibus a Metone, Eudoxo & Chaldæis adhibita. Ortuum & occasuum stellarum ipsarum, pro varia temporum & locorum ratione, discrepantia: locorumque & temporum, quibus diversorum auctorum Parapegmata sunt adaptata, designatio.*

Coelestium mensium, ad Solis in signa Zodiaci ingressum conformatorum, quum Macedonicus noster annus a rege Philippo primum reciperetur, apud Græcos duo præcipua fuerunt genera: a *Metone* & *Euctemone* ante annos XCV. introductum unum, ab *Eudoxo* noviter excogitatum alterum. Hoc vero an illud ipsius Solis in cælo motui rectius responderet, considerandum sibi proposuit Calippus Cyzicenus; qui, 1 cum populari suo atque Eudoxi familiari Polemarcho Cyziceno primum, deinde cum Aristotele communicato consilio; in integra anni Periodo constituenda *Eudoxi*, anno Tropico dies 365. & quadrantem assignantis, (detracta diei parte 76. quam Meton & Euctemon insuper adjecerant) in anni vero Quadrantum partitione, *Metonis* & *Euctemonis* sententiam præferendam fuisse statuit. Cum enim Eudoxus unius tantum Sphæræ, idem cum Terra centrum habentis, circumvolutione Solem per totam Zodiaci longitudinem periodicum suum motum conficere, &, quod cum eo connexum est, borealem & australem illius semicirculum pari temporis spatio percurrere, statuisset: duas præterea alias homocentricas sphæras necessario hic adhibendas contendit Calippus, τὰ φαινόμενα εἴ τις μέλλοι ἀποδιδόναι, *si quis apparentia salvare velit*; ut in lib. XII. *Metaphysicorum* habet Aristoteles, vel ut Historia sua Astronomica, ex ipso Calippo, refert Eudemus; εἴπερ οἱ μεταξὺ τῶν τροπῶν καὶ τῶν ἰσημεριῶν χρόνοι τοσοῦτον διαφέρουσιν, ὅσον τῷ Εὐκτήμονι καὶ τῷ Μέτωνι ἐδόκει. *Si inter æquinoctia & solstitia temporum tanta sit differentia, quanta Euctemoni & Metoni visa fuit.*

Extat insignis hic Eudemi locus apud Simplicium, in lib. II. *de Cœlo*: sed hactenus minus animadversus, quod ut Vitruvio *Eudæmonis* & *Melonis*, in Arabum versionibus *Octimonis* & *Matheonis*, ita & hic Ἀλμαίωνος ac Μέμνονος nomen, pro *Euctemonis* & *Metonis*, scriptorum vitio irrepserit, quorum utrumque nos, non ex nuda conjectura, sed ex clarissimi Savilii apographo (quod ex Jo. Vincentii Pinelli exemplari descriptum, si memoria non fallit, ille nobis indicavit) integritati suæ restituimus. Atque ut ex eo Calippum, Euctemonis observationibus simpliciter acquievisse, & ad earum normam Eudoxi hypotheses emendasse, intelleximus: ita ex Gemino quoque in Parapegmate suo Calippum cœlestes Euctemonis menses adhibuisse, atque ad eos ipsum Geminum tam Eudoxi quam aliorum Astronomorum differentia Parapegmata reduxisse, animadvertimus. Hinc ad diem 15. id est, medium Scorpionis sui Geminus ex Euctemone annotat: Ὠρίων ἄρχεται καὶ μεσοῦντι καὶ λήγοντι ἐπιχειμάζειν: per Orionem in medio & fine mensis, tam Euctemonici quam sui, futuras tempestates significari innuens. Ad Zygonis 1. Εὐκτήμονι ἰσημερία μετοπωρινὴ & Καλίππῳ ἰσημερία μετοπωρινὴ, ab Euctemonis simul & Calippi *æquinoctio autumnali* mense inchoato: ad Ægonis item 1. Εὐκτήμονι τροπαὶ χειμεριναὶ, & Καλίππῳ τροπαὶ χειμεριναὶ a brumali solstitio tum Euctemonis, tum Calippi principio mensis similiter deducto. Unde, cum ad primum Crionis, Calippi ἰσημερία ἐαρινὴ, & ad primum Carcinonis, ejusdem τροπαὶ θεριναὶ, appositæ ibidem cernantur: quin Euctemonis quoque & *æquinoctium vernum* & *solstitium æstivum* eodem sint referenda, nullum est dubium. A *Metone* vero & *Euctemone* observatum fuisse *solstitium æstivum* Athenis archonte *Apseude*, mensis *Phamenoth* secundum Ægyptios die 21. sub finem videlicet anni 4. Olympiadis LXXXVI. Junii nostri proleptici die 27. ex Ptolemæi *lib.* III. μεγάλης Συντάξεως didicimus. Unde hujusmodi nascitur Kalendarum mensium cœlestium Metonis, Euctemonis & Calippi, in Gemini Parapegmate, ad Julianorum nostrorum mensium dies accommodatio.

1 Vid. Simplic. *in Aristot.* l. II. *de cœlo*, fol. 120. a. & 123. init.

Carcinon, dier. 31.	Jun. 27.	di. 92.
Leonton, dier. 31.	Jul. 28.	
Parthenon, dier. 30.	Aug. 28.	
Zygon, di. 30.	Sept. 27.	di. 89.
Scorpion, di. 30.	Oct. 27.	
Toxon, di. 29.	Nov. 26.	
Ægon, di. 29.	Dec. 25.	di. 89.
Hydron, di. 30.	Jan. 23.	
Ichthyon, di. 30.	Feb. 22.	
Crion, di. 31.	Mart. 24.	di. 95.
Tauron, di. 32.	Apr. 24.	
Didymon, di. 32.	Mai. 26.	

Euctemonem occasum matutinum Vergiliarum XLVIII. diei post æquinoctium autumni tribuere, in *Naturalis suæ Historiæ* lib. XVIII. cap. XXV. scribit Plinius: Cæsareum utique æquinoctium, in 24. Septembris a Sosigene collocatum, intelligens. Est vero ille dies Novembris 10. Scorpionis Euctemonici & Calippici 15. ad quem, in Gemini Parapegmate, similiter annotatum invenimus, Εὐκτήμονι Πλειάδες δύνουσι, *Euctemoni Pleiades*, sive Vergiliæ, *occidunt*. Ortus vero & occasus siderum, quos in *Attica* fieri idem notavit Plinius, tempus a Gemino ex *Euctemone* assignatum uno plerumque die antecedunt, aliquando etiam & sequuntur. Aprilis enim 15. Hyades, & 25. Canis, *Euctemoni* apud Geminum occultantur: quæ apud Plinium die 16 & 26. *Atticæ* occidunt vesperi. Contra, Septembris 5. apud Plinium *Atticæ Arcturus matutino exoritur, & Sagitta occidit mane*: quum die 6. *Euctemoni*, apud Geminum, ἐπιτέλλει ἀρκτοῦρος, καὶ οἰστὸς δύεται ὄρθρου: quod idem etiam in Ephemeride nostra, ad Octobris diem 2. & 3 Decembris 30. & 31. Aprilis 2. & 3. Julii 23 & 24. observare liceat. Quin & Julii die 5. Plinio, *Atticæ Orion totus exoritur*; ubi die 7. Εὐκτήμονι Ὠρίων ὅλος ἐπιτέλλει: quæ *bidui* differentia est, vel si MSS. Gemini exemplaria sequi libeat (ad diem 13. Carcinonis ortum istum referentia) etiam *quatridui*.

Ad *Eudoxi* vero Parapegma spectat ille Plinii locus, *lib.* II. *cap.* XLVII. *Omnium quidem (si libeat observare minimos ambitus) redire easdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat; non ventorum modo, verum & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et est principium lustri ejus semper intercalari anno Caniculæ ortu*, non vero & ἀθεωρήτῳ, sed apparente & Heliaco: a quo, cum ab aliis, tum a *Galeno* (*Commentario* I. *in lib.* I. *Epidemiorum Hippocratis*, & *Commentario* III. in ejusdem librum *de Humoribus*) *Oporæ* deducitur principium: de qua (in *Commentariis ad lib.* I. *Meteororum Aristotelis*) *Olympiodorus*: Τὸ θέρος εἰς δύο διαιρεῖται· εἰς θέρος, ὅταν ἥλιός ἐστιν ἐν Καρκίνῳ καὶ Παρθένῳ· καὶ εἰς ὀπώραν, ἡνίκα ἐστὶν ὁ ἥλιος ἐν Λέοντι· ὅταν ὁ Σείριος φαίνεται λοιπὸν, ὃν καὶ ὁ Ποιητὴς διὰ τὴν ὀπώραν ὀπωρινὸν ἐκάλεσεν. *Æstas in duo dividitur; in æstatem* proprie dictam, *quando Sol est in Cancro & Virgine; & in Oporam, quando Sol in Leone est; quando Sirius præterea apparet, quem & Poeta eam ob causam Oporinum appellavit*. Homerum intelligit, qui *in Iliad.* E. Sirium sive Caniculam ἀστέρ᾽ ὀπωρινὸν nominat.

A Solis igitur in *Leonem* ingressu, cœlestium suorum mensium exordium deduxit Eudoxus: in Alexandrinorum *Mesori* die 5. sive *Julii* nostri 29. principium *Oporæ*; & in Metonici *Ægonis* die 4. qui nostris Decembris 28. est, τροπὰς χειμερινὰς sive solstitium brumale collocans: quorum hoc Geminus, illud in Parapegmate suo nos edocuit Ptolemæus. Unde in *intercalari* illo anno, a quo lustrum suum est exorsus, hujusmodi orta est mensium dispositio.

Leonton, dier. 30.	Juli. 29.	di. 92.
Parthenon, di. 31.	Aug. 28.	
Hygon, di. 30.	Sept. 28.	
Scorpion, di. 31.	Oct. 28.	di. 91.
Toxon, di. 30.	Nov. 28.	
Ægon, di. 31.	Dec. 28.	
Hydron., di. 30.	Jan. 28.	di. 92.
Ichthyon, di. 31.	Feb. 27.	
Crion, di. 30.	Mart. 29.	
Tauron, di. 31.	Apr. 28.	di. 91.
Didymon, di. 30.	Maj. 29.	
Carcinon, di. 31.	Jun. 28.	

in anno intercalari; sed 30. tantum in ordinario.

Homocentrica utique Eudoxi illa hypothesis, quæ in septentrionali & australi Zodiaci semi-circulo æqualem Soli moram tribuebat, ut æstivum etiam semestre & brumale eodem temporis spatio conficeretur, postulabat: quo ad dies integros reducto, in anno illo intercalari, quem (ut lustri sui primarium) in Parapegmate suo Eudoxus proposuerat, menses dierum 31. & 30. alternatim positi, in alterutro semestri 183. dies æquabiliter exhibebant. Unde, ut ex duodecim mensibus ἐναλλὰξ 30. & 29. dierum, Lunaris annus dierum 354. ita ex totidem mensibus eadem alternata ratione 31. & 30. dierum constitutis, Solaris annus 366. dierum enatus est: quot etiam naturali anno dies tribuisse *Ennium*, Censorinus auctor est. Quod si anno 3. Olympiadis CIII. Octaeterida suam in Ægypto Eudoxus conscripserit (quod, ut concessum, in lib II. *de Emendat. Temporum*, assumit Scaliger) in intercalari ejus anno contigisset etiam bissextus anni nostri Juliani Proleptici. Et circa illam sane Olympiadem claruisset Eudoxum, ex ipsius Γῆς περιόδῳ confirmat Laertius: ad tertium vero, vel illius vel præcedentis alicujus Olympiadis, quam ad annum quempiam alium, principium lustri ejus & nos referre maluimus, quod mense Februario 29. dierum ea ratione hic admisso, *Crionis* Kalendæ in Martii 29. incurrerent; nempe in Metonici Crionis diem 6. ad quem, in Gemini Parapegmate, Eudoxi *ἰσημερία* cernitur apposita.

Ex his quæ hactenus sunt dicta satis apparet, neque Metonis & Euctemonis, neque Eudoxi menses cœlestes, in novo suo anno Solari secutos fuisse Macedones: sed a quibus eos mutuati fuerint, non tam proclive est dicere. Ego certe quod huc faciat, aliud nihil afferre possum, quam quod a Columella *lib.* XI. *cap.* II. annotatum reperio: *Nono Kalendas Januarias Brumale solstitium, sicut Chaldæi observant, significat*. In anno autem Macedonico, ab Asianis item recepto, mensis quarti initium a *brumali solstitio* fuisse deductum, cap. I. ex Galeno; & a *nono Kalendas Januarias*, sive XXIV. Decembris Juliani die, fuisse numeratum, cap. II. ex *Actis* Timothei declaravimus. Unde & in reliquis pariter anni partibus ordinandis Chaldæos quoque secuti illi fuisse videantur, quorum hic opera rex Philippus fuerat usus; & inter eos præcipue Aristoteles: quem, ut cœlestium observationum, *ab Ægyptiis & Babyloniis a plurimis annis factarum*, non ignarum fuisse ex l. II. *de Cœlo* intelligimus: ita Parapegmata eum latuisse non est credibile, quorum usum *ab Ægyptiis & Chaldæis ad Græcos* pervenisse, in *Commentariis ad*

Aratum Theon Alexandrinus confirmat. *Ægyptiacum* quoque illud & *Chaldaicum* (eo nomine & *Aſſyria* & *Babylonia* comprehenſa Plin. *lib.* XVIII. *c.* XXV.) inter alia Parapegmata, conſuluiſſe ſe Plinius indicat: de eorum inter ſe diſcrepantia, ita præfatus: *Addidere difficultatem & auctores diverſis in locis obſervando, mox etiam in iiſdem diverſa prodendo. Tres autem fuerunt ſectæ, Chaldæa, Ægyptia, Græca. His addidit quartam apud nos Cæſar Dictator, annos ad Solis curſum redigens, Soſigene perito ejus ſcientiæ adhibito.* Nos vero in ſequentem Ephemeridem, quæ ex *Chaldæa* & *Græca* ſupererant, conjecimus; *Ægyptia* & *Cæſarea* ſuum in locum ſepoſita, & ad Græcanicas præterea obſervationes, a Gemino & Ptolemæo commemoratas, aliis nonnullis ex Plinio adjectis: quem longe quam illos pluribus generis hujus ſcriptoribus fuiſſe uſum, tum ex auctorum ex quibus *liber* XVIII. conflatus eſt Indice, clarum eſt; tum, ex *capitis* XXXI. ejuſdem *libri*, verbis illis: *Deinde conſentiunt, quod eſt rarum, Philippus, Calippus, Doſitheus, Parmeniſcus, Conon, Criton, Democritus, Eudoxus, Ion, IV. Kalend. Octobr. Capellam matutino exoriri, & III. Kalendas Hædos.*

Quod ita inter ſe auctores diſſenſerint, qui *diverſis in locis* obſervarunt, nihil eſt quod quiſquam miretur: quum in aliis atque aliis terræ climatibus alios atque alios eorundem ſiderum ortus & occaſus neceſſario fieri, Sphæræ ratio demonſtret. *Τὸ γὰρ αὐτὸ παράπηγμα οὐ δύναται συμφωνεῖν ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ ἐν Ῥόδῳ, καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· ἀλλὰ ἀνάγκη διαφόρους τὰς παρατηρήσεις εἶναι ἐν διαφόροις ὁρίζουσι. Unum enim Parapegma non poteſt congruere in urbe Roma, & in Ponto, & in Rhodo, & in urbe Alexandrina; ſed neceſſe eſt, ut diverſæ ſint obſervationes in diverſis horizontibus*: quemadmodum, in capite *περὶ ἐπισημασιῶν*, confirmat Geminus. Nam *Canicula*, exempli gratia, in *Rhodo* quidem (ut ait ille) poſt æſtivum ſolſtitium diebus *triginta* oritur, in aliis vero locis *quadraginta*, & *quinquaginta* in aliis. Licet enim ad 400. fere ſtadia inſenſibilis fiat climatum varietas; in majori tamen diſtantia, *προανατολὰς καὶ προδύσεις*, *præortus & præoccaſus* notari, in præcedente capite idem præſtantiſſimus ſcriptor docuerat. Cujus mente non recte perſpecta, ſecundum Mathematicos ſingulis gradibus mutari ad ſenſum Meridianos, & cuique gradui 400. reſpondere ſtadia, minus conſiderate in *Manilianis ſuis* pronunciavit Scaliger.

Sed cum Parapegmatum ſcriptores ortibus & occaſibus ſiderum inerrantium ut *ἱσταμένοις τισὶ σημείοις*, *ſtatis & immotis quibuſdam ſignis*, ad tempeſtates deſignandas uſos fuiſſe, in capite illo *περὶ ἐπισημασιῶν* Geminus notaverit; *iiſdem in locis diverſa prodita* ab eis fuiſſe, magis illi mirum videri potuiſſet, quam Ptolemæo, qui, ipſis ſtellis fixis motum proprium tribuens, tantum *ἐπὶ πολὺν χρόνον τὰς αὐτὰς φάσεις ταῖς ὁμωνύμοις ἡμέραις* Canonem ſuum potuiſſe reddere profeſſus eſt. Hic enim, Hipparchi inſiſtens veſtigiis, *centum* annis in conſequentia ſignorum per unum gradum ſtellas provehi cenſuit: quem *ſeptuaginta* annorum ſpatio ab illis confici, R. Joſua Judæus (in tractatu Thalmudico, הוריות dicto) Alzuphi Arabs, Naſſir-eddinus Thuſinus & Ulugbeigus Perſæ, multo rectius tradiderunt; ita ut annuus earum motus ſit minut. 0′. 51″. 25‴. 42⁗. qui item *ὑψωμάτων*, ſive apogæorum, Solis, Saturni, Jovis, Martis, Veneris & Mercurii, in Tabulis Perſicis MSS. (a Georgio Chryſococca Græce converſis) annuus motus eſſe ſtatuitur. Quocunque vero motu Periodico ſtellarum inerrantium poſito, illud conſequitur; labentibus ſæculis, iiſdem in locis eaſdem ſiderum *φάσεις*, eiſque reſpondentes tempeſtatum *ἐπισημασίας*, certa quadam ratione a prioribus diebus paulatim recedere. Unde & decem illorum Græcorum, e quibus ſequens Ephemeris collecta eſt, Aſtronomorum tempora libuit hic ſubjicere: locis quoque ex Ptolemæo appoſitis, quibus illi Parapegmata ſua adaptarunt.

	Auctores.	*Tempus, Periodi Julianæ.*	*Circa annum Ante æram Chriſtianam*	*Loca.*
1 2	Meton & Euctemon Athenienſes.	4282	432	Athenæ, Cyclades, Macedonia, & Thracia: a maximi diei quantitate horarum $14\frac{1}{2}$ uſque ad 15.
3	Democritus Abderitanus.	4284	430	Macedonia & Thracia: ubi maximus dies eſt horarum 15.
4	Eudoxus Cnidius.	4348	366	Aſia, Sicilia & Italia: a maximi diei quantitate horarum $14\frac{1}{2}$ uſque ad 15.
5	Philippus Medmæus.	4374	340	Peloponneſus, Locris & Phocis: ubi maximus dies eſt horarum $14\frac{1}{2}$
6	Calippus Cyzicenus.	4384	330	Helleſpontus: a maximi diei quantitate horarum $14\frac{1}{2}$ uſque ad 15.
7	Conon Samius.	4444	270	Italia & Sicilia: a maximi diei quantitate horarum $14\frac{1}{4}$ uſque ad 15.
8	Doſitheus Colonienſis.	4514	200	Colonia, prope Athenas: ubi maximus dies eſt horarum $14\frac{1}{2}$
9	Hipparchus Bithynus.	4584	130	Bithynia: ubi maximus dies eſt horarum 15.
10	Metrodorus Scepſius.	4634	80	Italia & Sicilia: a maximi diei quantitate horarum $14\frac{1}{2}$ uſque ad 15.

Nobis vero, ad quos integra horum Parapegmata non pervenerunt, alia adhuc difficultas ſupereſt; quod qui reliquias eorum nobis conſervarunt, Geminus & Ptolemæus, ad diverſos dies eorundem non locorum modo & temporum, ſed etiam hominum obſervationes retulerunt. Cujuſmodi error, in variis annorum cœleſtium formis ad unum aliquem alium anni modum transferendis, facillime potuit obrepere. Ut enim Metonis & Calippi menſes cœleſtes Geminus; ita Alexandrinorum ſuorum menſes civiles, reliquorum omnium Parapegmatum communem menſuram Ptolemæus conſtituit.

Et ſæpius quidem in eundem diem Julianum Gemini & Ptolemæi notationes coincidere animadvertimus: quod argumento eſt, ex male a nobis conſtituto menſium cœleſtium apud Geminum exordio (de Alexandrinorum enim apud Ptolemæum ad noſtros applicatione nullum ſubeſt dubium) differentiam illam nequaquam proveniſſe. Ita, verbi gratia, apud utrumque Martii die 7. *Democrito* frigidi flant venti, Ornithiæ appellati, per dies novem. *Calippo*, Septembris 1. Eteſiæ deſinunt, & Martii 26. eſt *ὑετὸς ἢ νιφετός*. *Eudoxo*, April. 25. Mai. 4. &

Decemb. 9. eſt ὑετός. *Doſitheo*, Octob. 29. & *Euctemoni*, Novemb. 10. χειμάζει. Non raro tamen unius diei diſcrimen cernitur. Inde *Euctemoni*, Septembris die 15. apud Ptolemæum, 16. apud Geminum, eſt Autumni principium: & apud illum Januarii 6. die, apud hunc 7. mediam hyems. Eidem, apud Ptolemæum Martii 4. & 8. apud Geminum 5. & 7. flat frigidus Boreas. *Democrito*, juxta Ptolemaicas rationes, Decembris die 10. tonitrus, fulgura, aqua, ventus; Januarii 4. Auſter flat ut plurimum; Februarii 6. Zephyrus incipit flare, & 24. varii ſunt dies, qui Halcyonii appellantur; Junii 3. aqua exiſtit, & 22. ſignificare ſolet: quæ ſingula Gemini Canon in dies ſequentes conjicit.

Aliquando hic & bidui occurrit differentia. *Euctemoni* enim, apud Ptolemæum Martii die 13. apud Geminum 15. Ornithiæ flare incipiunt, & Milvus apparet. *Eudoxo* juxta Ptolemæum Februarii die 3. ſerenitas eſt, quandoque etiam flat Zephyrus; Martii 8. Milvus apparet; Julii 25. Auſter flat; Septembris 4. pluvia, tonitrus, ventus exiſtit: quæ in Gemini Tabula, Februarii die 5. Martii 10. Julii 27. & Septembris 6. conſignata leguntur. Sed & ipſi nos, in Ephemeridis noſtræ tractatione, priuſquam lineis ductis dierum numeros ab invicem diſcreviſſemus, uſu comperimus, in phaſibus & ἐπισημασίαις excerpendis, uno aliquoties & (ubi dies hiſce vacuus intercurrebat) duobus aliquando diebus errorem a nobis fuiſſe admiſſum: adeo proclivis lapſus eſt in numerorum & notarum appoſitarum recta accommodatione: ad primorum ſcriptorum ἀβλεψίαν poſteriorum librariorum præſertim accedente negligentia. Quod prudenti Lectori æſtimandum ex ipſius Ephemeridis inſpectione relinquimus: cui ne quid deeſſet, etiam ex Aetii *Tetrabiblo* ſerm. III. cap. CLXIV. recentius Parapegma interſerere libuit; qui circa annum Chriſti CCCL. Amidæ in Meſopotamia claruit, in illo videlicet climate, cujus medius parallelus diem maximum habet horarum $14\frac{1}{2}$.



EPHEMERIS

Anni Macedonici & Asiani, cum Juliano collati: addito etiam Stellarum inerrantium ortu & occasu, ac tempestatum præsagiis; ex veterum Astronomorum, quæ Asiam, Thraciam, Macedoniam *&* Græciam *spectabant*, Parapegmatum *reliquiis.*

I. DIUS Macedonicus, dierum 30. *Sol in Libra.*

1	A	Νουμηνία.		Sept. 24
2	B	δευτέρα ἱσταμένου.	*Eudoxo*, significat. *Ptolem.* *Aetio*, Æquinoctium autumnale: & est maxima aeris turbatio trib. dieb. antea.	25
3	C	τρίτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, signific. *Democrito*, Pluvia & ventorum turbatio. *Ptol.*	26
4	D	τετάρτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, *Philippo*, & *Cononi*, significat. *Ptol.* *Euctemoni*, Æquinoctium autumnale, & significat. *Calippo*, Aries incipit occidere. Æquinoctium autumnale.	27
5	E	πέμπτη ἱσταμένου.	*Hipparcho*, significat. *Ptol.* *Philippo*, *Calippo*, *Dositheo*, *Cononi*, & *Democrito*, Capella matutino exoritur. *Plin.*	28
6	F	ἕκτη ἱσταμένου.	*Eisdem*, Hœdi exoriuntur. *Plin.* *Hipparcho*, Auster vel Zephyr. *Eudoxo* & *Euctemoni*, signific. *Ptol.* *Euctemoni*, Hœdi vespertino oriuntur. Tempestas est.	29
7	G	ἑβδόμη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Caprea vesperi oritur.	30
8	A	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Calippo*, Tempestas est, & aeris intemperies. *Euctemoni* & *Philippo*, Pluvia. *Ptol.* *Euctemoni*, vespertinæ apparent Pleiad. *Calippo*, Virgo cessat oriri.	Oct. 1
9	B	ἐννάτη ἱσταμένου.	*Atticæ* Corona exoritur mane. *Plin. Euctemoni*, Tempestas est. *Ptol.*	2
10	C	Δεκάτη.	*Asiæ* Heniochus occidit matutino. *Plin.* *Euctemoni*, Corona oritur. Tempestas.	3
11	D	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Pluvia & ventus inconstans. *Dositheo*, significat. *Ptol.* *Eudoxo*, Pleiades oriuntur.	4
12	E	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Tempestas est. Sementis tempus. *Ptol.*	5
13	F	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, (Spica) mane oritur. *Aetio*, Corona mane oritur: & est vehemens aeris mutatio.	6
14	G	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, Auster. *Ptol.* *Aetio*, Hœdi vespere oriuntur.	7
15	A	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Scorpius vesperi incipit occidere; & tempestas insuper oritur, & ventus flat magnus.	8
16	B	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, significat. *Hipparcho*, Subsolanus. *Ptol.*	9
17	C	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.		10
18	D	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Dositheo* & *Eudoxo*, significat. *Ptol.*	11
19	E	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.		12
20	F	Εἰκάς.	*Dositeo*, Ventus inconstans. *Calippo*, significat. *Ptol.* *Eudoxo*, Scorpius vesperi occidit. Capra (mane) occidit. *Calippo*, Chelæ incipiunt oriri. Significat.	13
21	G	δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, significatio. *Ptol.*	14
22	A	ἐννάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Boreæ & austri spirant.	15
23	B	ὀγδόη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Ventorum mutationes. Tonitrua. *Ptol.*	16
24	C	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auster vel Boreas. *Ptol.* *Aetio*, Hyades vespere oriuntur: & magna fit aeris turbatio.	17
25	D	ἕκτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hyades vesperi oriuntur.	18
26	E	πέμπτη φθίνοντος.	*Dositheo*, significatio. *Ptol.*	19
27	F	τετάρτη φθίνοντος.		20
28	G	τρίτη φθίνοντος.		21
29	A	δευτέρα φθίνοντος.	*Aetio*, maxima aeris turbatio.	22
30	B	πρώτη φθίνοντος, ἢ Τριακάς.	*Eudoxo*, significat. *Ptol.* *Aetio*, oriente Sole Pleiades occidunt.	23

		II. APELLÆUS, dierum 30. *Sol in Scorpio.*		
1	C	Νουμηνία.	*Calippo*, Significat. *Euctemoni* & *Calippo*, Varius aer. In mari, tempestas magna. *Ptol.* *Calippo*, Tauri cauda occidit. Significat.	24
2	D	δευτέρα ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Boreas & auster spirant.	25
3	E	τρίτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, Magna per mare tempestas.	26
4	F	τετάρτη ἱσταμένου.		27
5	G	πέμπτη ἱσταμένου.		28
6	A	ἕκτη ἱσταμένου.	*Dositheo*, Tempestas est. *Democrito*, Frigus vel pruina. *Hipparcho*, Auster continuus. *Ptol. Dositheo*, Tempestas est.	29
7	B	ἑβδόμη ἱσταμένου.	*Euctemoni* & *Philippo*, Ventus magnus flat. *Ptol. Democrito*, Pleiades matutino occidunt. Venti hyberni plerumque, & frigora & pruina. Solet audiri flatus. Folia abjicere maxime incipiunt arbores. *Calippo*, Scorpii frons oritur, cum ventis.	30
8	C	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Calippo* & *Euctemoni*, Venti vehementes. *Metrodoro*, Venti & tempestas. *Ptol. Euctemoni*, Arcturus vesperi occidit, magnique spirant venti.	31
9	D	ἐννάτη ἱσταμένου.	*Cononi* & *Eudoxo*, Intemperies ventorum. *Ptol.*	Nov. 1
10	E	Δεκάτη.	*Calippo*, Intemperies aeris. *Hipparcho*, Auster vel Boreas frigidi *Ptol.*	2
11	F	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Boreas, vel auster. *Metrodoro*, Intemperies aeris. *Euctemoni*, & *Philippo*, & *Hipparcho*, Pluvia. *Ptol. Eudoxo*, Arcturus acronychus (mane) occidit, & significat, & ventus spirat.	3
12	G	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Pluvia. *Euctemoni*, Significat. *Ptol.* *Calippo*, Tauri caput (mane) occidit. Pluviæ.	4
13	A	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Lyra mane oritur: & tempestas est, cum pluvia.	5
14	B	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Dositheo*, Tempestas. *Ptol. Aetio*, Pleiades mane occidunt, & incipit aer sedari.	6
15	C	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, Argestes (seu Corus) frigidus. *Ptol.* *Eudoxo*, Orion vesperi incipit oriri.	7
16	D	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Lyra oritur una cum Sole ascendente: & aer fit tempestuosus plerumque.	8
17	E	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, Tempestas est, & procella. *Euctemoni*, Pluviæ & tempestas. *Ptol. Eudoxo*, Pluvia est.	9
18	F	ὀγδόη ἐπὶ δεκατῃ.	*Philippo* & *Euctemoni*, Tempestas & procella. *Hipparcho*, Boreas vel auster frigidus, & pluvia. *Ptol. Euctemoni*, Pleiades occidunt, & significant. Et Orion incipit cum medianti mensi cum desinenti tempestatem excitare.	10
19	G	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, Hyemis initium. *Metrodoro*, & *Calippo*, & *Cononi*, Significatio. *Ptol. Calippo*, Splendida in Scorpio stella oritur, significat: & Pleiades occidunt apparenter. *Aetio*, Lyra mane oritur.	11
20	A	Εἰκάς.	*Euctemoni* & *Dositheo*, Tempestas est. *Ptol.*	12
21	B	δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Scorpius incipit oriri mane.	13
22	C	ἐννάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hyemis principium; & Significat. *Democrito*, Tempestas, tum in terra tum in mari. *Ptol. Eudoxo*, Pleiades mane occidunt; & Orion incipit occidere, & tempestas est.	14
23	D	ὀγδόη φθίνοντος.		15
24	E	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Lyra mane oritur.	16
25	F	ἕκτη φθίνοντος.		17
26	G	πέμπτη φθίνοντος.		18
27	A	τετάρτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hybernus cœli status. *Ptol.*	19
28	B	τρίτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Boreas frigidus. *Ptol.*	20
29	C	δευτέρα φθίνοντος.	*Euctemoni* & *Dositheo*, Tempestas & pluvia. *Ptol. Aetio*, Hyades mane occidunt.	21
30	D	πρώτη φθίνοντος, ἢ Τριακάς.	*Eudoxo*, Tempestas vehemens. *Ptol.* *Euctemoni*, Hyades occidunt, atque insuper pluit. *Aetio*, Turbatio fit circa aerem.	22

III. AUDYNÆUS, dierum 31. *Sol in Sagittario.*				
1	E	Νουμηνία.	*Hipparcho*, Auſter frequens. *Eudoxo* & *Cononi*, Hybernus aer. *Calippo* Pluvia. *Ptol.* *Calippo*, Tauri cornua occidunt; & pluvia.	23
2	F	δευτέρα ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Hyades occidunt, & magna eſt tempeſtas.	24
3	G	τρίτη ἱσταμένου.		25
4	A	τετάρτη ἱσταμένου.		26
5	B	πέμπτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Intemperies aeris. *Doſitheo*, Significatio. *Democrito*, Cœlum turbidum & mare utplurimum. *Ptol.* *Aetio*, Orion oritur, & Corona occidit.	27
6	C	ἕκτη ἱσταμένου.		28
7	D	ἑβδόμη ἱσταμένου.		29
8	E	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Cononi*, Tempeſtas eſt. *Ptol.*	30
9	F	ἐννάτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, & *Eudoxo*, & *Calippo*, Tempeſtas. *Ptol.* *Aetio*, Canis mane occidit.	Dec. 1
10	G	Δεκάτη.	*Metrodoro*, Hybernus ſtatus. *Euctemoni*, & *Philoni*, (f. Philippo) & *Calippo*, Ventorum intemperies. *Ptol.* *Euctemoni*, Canis occidit; & fit tempeſtas. *Calippo*, Sagittarius incipit oriri, & Orion occidere apparenter. Tempeſtas eſt.	2
11	A	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Cononi*, Tempeſtas eſt. *Ptol.* *Eudoxo*, Orion mane occidit.	3
12	B	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, & *Eudoxo*, Tempeſtas. *Ptol.*	4
13	C	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Doſitheo*, & *Democrito*, Tempeſtas: *Ptol.* *Euctemoni*, Scorpii aculeus oritur.	5
14	D	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, & *Doſitheo*, Hybernus aer. *Ptol.*	6
15	E	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, Boreas aſſiduus. *Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.* *Eudoxo*, Canis mane occidit: tempeſtas eſt.	7
16	F	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, & *Eudoxo*, & *Calippo*, Hybernus aer & pluvia. *Ptol.*	8
17	G	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, & *Eudoxo*, & *Calippo*, Hybernus aer & pluvia. *Ptol.* *Eudoxo*, Pluvia.	9
18	A	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Calippo*, Hybernus ſtatus. *Democrito*, Tonitrus, fulgura, aqua, venti. *Ptol.* *Euctemoni*, Aquila oritur; flat Auſter. *Aetio*, Hœdi mane occidunt.	10
19	B	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Auſter; & ſignificatio. *Eudoxo*, Hybernus aer. *Ptol.* *Democrito*, Aquila oritur ſimul cum Sole; & ſignificare ſolet tonitru & fulgur, cum aqua, aut vento, aut utroque ut plurimum. *Eudoxo*, Canis veſperi oritur. *Calippo*, Gemini tranſeunt occidentes; fit pluvia. *Aetio*, Capra mane occidit.	11
20	C	Εἰκάς.	*Aetio*, Perturbatio aeris fit.	12
21	D	ἐνδεκάτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auſter multus vel Boreas. *Ptol.*	13
22	E	δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Tempeſtas eſt. *Ptol.* *Euctemoni*, (Capra) occidit.	14
23	F	ἐννάτη φθίνοντος.		15
24	G	ὀγδόη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Scorpius mane oritur; & eſt tempeſtas.	16
25	A	ἑβδόμη φθίνοντος.		17
26	B	ἕκτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auſter. *Ptol.* *Eudoxo*, Capra mane occidit.	18
27	C	πέμπτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, & *Doſitheo*, Africus vel Auſter. *Ptol.*	19
28	D	τετάρτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hybernus aer. *Ptol.*	20
29	E	τρίτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Aquila mane oritur.	21
30	F	δευτέρα φθίνοντος.		22
31	G	πρώτη φθίνοντος.	*Aetio*, Solſtitium hybernum.	23

IV. PERITIUS, dierum 30. *Sol in Capricorno.*				
I	A	Νουμηνία.	*Hipparcho* & *Metoni*, Significat. *Ptol. Chaldæis* Brumale ſolſtitium eſt. *Columel.*	24
2	B	δεύτερα ἱσταμένου.	*Cononi*, & *Metoni*, & *Calippo*, Tempeſtas. *Metrodoro*, Significationis intemperies. *Ptol.* *Euctemoni*, Solſtitium brumale. Significat. *Calippo*, Sagittarius deſinit oriri. Solſtitium brumale. Tempeſtas eſt.	25
3	C	τρίτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, & *Metrodoro*, Hyemalis aer. *Hipparcho*, Tempeſtas veſpertina. *Ptol. Euctemoni*, Delphinus oritur. Tempeſtas eſt.	26
4	D	τετάρτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Significat. *Democrito*, Tempeſtas. *Ptol.*	27
5	E	πέμπτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Solſtitium brumale. Tempeſtas eſt.	28
6	F	ἕκτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, & *Philippo*, & *Democrito*, Significat. *Ptol.*	29
7	G	ἑβδόμη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, Significat. *Ptol. Atticæ* & finitimis regionibus Aquila veſperi occidit. *Plin.*	30
8	A	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, Aquila veſperi occidit: fitque tempeſtas.	31
9	B	ἐννάτη ἱσταμένου.		Jan. I
10	C	Δεκάτη.	*Doſitheo*, Significat. *Ptol. Eudoxo*, Corona veſperi occidit.	2
II	D	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.		3
12	E	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Auſter flat ut plurimum. *Ptol.* *Aetio*, Delphinus oritur.	4
13	F	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Auſter flat ut plurimum. *Aetio*, Aquila veſperi occidit.	5
14	G	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni* & *Philippo*, Media hyems. *Ptol.*	6
15	A	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho* & *Eudoxo*, Tempeſtas eſt. *Ptol.* *Euctemoni*, Media hyems. Auſter multus flat hybernus per mare. *Aetio*, turbatio vehemens.	7
16	B	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Philippo*, & *Calippo*, Auſter. *Ptol.* *Calippo*, Capricornus incipit oriri. Flat auſter.	8
17	C	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Auſter vehemens, & pluvia. *Ptol. Euctemoni*, Auſter hybernus per mare.	9
18	D	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.		10
19	E	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo* & *Doſitheo*, Auſter cum tempeſtate. *Hipparcho*, Ventorum intemperies. *Ptol.* (Euctemoni) Veſperi occidit Perſeus, & ſpirat auſter.	11
20	F	Εἰκάς.		12
21	G	δεκάτη φθίνοντος.		13
22	A	ἐννάτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auſter vel Boreas, Tempeſtas eſt. *Ptol.*	14
23	B	ὀγδόη φθίνοντος.		15
24	C	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Subſolanus ſpirat. *Ptol.*	16
25	D	ἕκτη φθίνοντος.		17
26	E	πέμπτη φθίνοντος.	*Euctemoni* & *Philippo*, Tempeſtas. *Metrodoro*, Inconſtantia aeris. *Ptol.*	18
27	F	τετάρτη φθίνοντος.	*Euctemoni*, Tempeſtas. *Ptol.*	19
28	G	τρίτη φθίνοντος.	*Calippo*, Tempeſtas, pluvia. *Hipparcho*, Boreas flat. *Euctemoni* & *Democrito*, Pluit. *Ptol.* *Euctemoni*, Delphinus veſpertinus occidit. *Calippo*, Cancer occidit. Tempeſtas eſt.	20
29	A	δευτέρα φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hyems media. *Ptol.*	21
30	B	πρώτη φθίνοντος. Τριακάς.	*Aetio*, Motus aer.	22

V. DYSTRUS, dierum 30. ☉. *in Aquarius.*				
1	C	Νουμηνία.	*Hipparcho*, Significatio. *Ptol.*	23
2	D	δευτέρα ἱσταμένου.	*Calippo*, & *Euctemoni*, Pluit. *Democrito*, Media hyems. *Ptol.* *Calippo*, Leo incipit occidere. *Democrito*, Tempeſtas.	24
3	E	τρίτη ἱσταμένου.	*Hipparcho*, Subſolanus flat. *Ptol.* *Aetio*, Lucida ſtella in Leone occidit.	25
4	F	τετάρτη ἱσταμένου.	*Metrodoro*, Pluvia. *Doſitheo*, Tempeſtas. *Ptol. Eudoxo*, Delphinus veſperi occidit.	26
5	G	πέμπτη ἱσταμένου.		27
6	A	ἕκτη ἱσταμένου.	*Aetio*, Delphin veſperi occidit.	28
7	B	ἑβδόμη ἱσταμένου.	*Hipparcho*, Auſter vel Cauri. *Ptol.* *Aetio*, Lyra veſperi occidit.	29
8	C	ὀγδόη ἱσταμένου.		30
9	D	ἐννάτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol,*	31
10	E	Δεκάτη.		Feb. 1
11	F	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Lyra veſperi occidit: exiſtit pluvia.	2
12	G	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Serenitas: quandoque vero flat & Zephyrus. *Ptol.*	3
13	A	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.		4
14	B	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Serenitas: quandoque etiam flat Zephyrus.	5
15	C	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Zephyrus incipit flare. *Ptol.* *Aetio*, Zephyrus ſpirat.	6
16	D	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Veris principium. Zephyrus incipit flare: & interdum tempeſtas eſt. *Ptol.* *Democrito*, Zephyrus incipit flare: & manet per dies 43. a Tropis.	7
17	E	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Pluvia, *Hipparcho*, & *Calippo*, & *Metrodoro*, Zephyrus flare incipit. *Ptol.* *Euctemoni*, Zephyrus flat. *Calippo*, Aquarius medius oritur: flat Zephyrus,	8
18	F	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, Veris initium: & Zephyrus flare incipit. *Ptol.*	9
19	G	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.		10
20	A	Εἰκάς.	*Eudoxo*, Zephyri flant. *Hipparcho*, Veris principium. *Calippo*, & *Metrodoro*, Tempeſtas. *Ptol.*	11
21	B	δεκάτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Boreas vel Subſolanus flat. *Ptol.*	12
22	C	ἐννάτη φθίνοντος.		13
23	D	ὀγδόη φθίνοντος.		14
24	E	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auſter flat. *Euctemoni*, & *Philippo*, & *Doſitheo*, Tempeſtas. *Ptol.*	15
25	F	ἕκτη φθίνοντος.	*Euctemoni*, (Sagitta) veſperi occidit: & magna eſt tempeſtas.	16
26	G	πέμπτη φθίνοντος.		17
27	A	τετάρτη φθίνοντος.		18
28	B	τρίτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Boreas frigidus flat. *Ptol.*	19
29	C	δευτέρα φθίνοντος.		20
30	D	πρώτη φθίνοντος.		21

VI. XANTHICUS, dierum 31. *Sol in Piscibus.*

1	E	Νȣμηνία.	*Hipparcho*, & *Euctemoni*, Ornithiæ incipiunt flare, frigidi: & tempus est ut Hirundo appareat. *Ptol. Aetio*, Malus navis vesperi occidit; & est turbatio aeris magna.	22	
2	F	δȣτέρα ἱϛαμένȣ.	*Philippo*, & *Calippo*, Hirundo apparet; & ventosus aeris est status. *Cononi*, Boreæ incipiunt flare, frigidi. *Eudoxo*, Pluvia cum Chelidoniis: & per quatuor dies spirant Boreæ, Ornithiæ vocati. *Ptol.* Hirundinem apparere tempus est: & spirant Ornithiæ. *Calippo*, Leo occidit, & Hirundo apparet. Significat.	23	
3	G	τρίτη ἱϛαμένȣ.	*Hipparcho*, Boreæ frigidi. *Metrodoro*, Hirundo apparet, & significat. *Democrito*, Varii dies, qui Halcyonii appellantur. *Ptol.*	24	
4	A	τετάρτη ἱϛαμένȣ.	*Dositheo*, Tempestas. *Ptol. Democrito*, Varii sunt dies, qui Halcyonii appellantur. *Eudoxo*, Arcturus vesperi oritur, & existit pluvia, (& Hirundo apparet:) & per sequentes dies 30. Boreæ spirant, & maxime illi, qui Proornithiæ vocantur. *Aetio*, Arcturus vesperi oritur.	25	
5	B	πέμπτη ἱϛαμένȣ.	*Aetio*, Hirundines volant, & apparent.	26	
6	C	ἕκτη ἱϛαμένȣ,		27	
7	D	ἑβδόμη ἱϛαμένȣ.	* *In anno intercalari.*	28	
8	E	ὀγδόη ἱϛαμένȣ.	*Hipparcho*, Boreas vel Auster frigidus flat. *Ptol.*	*29 Mar. 1.	
9	F	ἐννάτη ἱϛαμένȣ.	*Hipparcho*, Boreas frigidus flat. *Ptol.*	Mar. 2	1
10	G	Δεκάτη.		3	2
11	A	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Boreas frigidus flat. *Ptol.*	4	3
12	B	δȣτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Arcturus vesperi oritur, & Vindemiator fit apparens: flat frigidus Boreas.	5	4
13	C	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.		6	5
14	D	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Venti frigidi: Ornithiæ per dies novem. (*Ptol.*) *Democrito*, Frigidi flant venti, qui Ornithiæ vocantur, per dies maxime novem. *Euctemoni.* Equus mane occidit: & frigidus flat Boreas.	7	6
15	E	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	Aquilonius Piscis exoritur. *Plin. Eudoxo*, Hirundo & milvus apparent: & significat. *Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Philippo*, Boreas frigidus flat. *Hipparcho*, Veris initium. *Ptol.*	8	7
16	F	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	In *Attica* Milvus apparere observatur. *Plin.* *Metrodoro*, & *Euctemoni*, Boreas flat. *Dositheo*, Milvus apparere incipit. *Hipparcho*, Auster multus. *Ptol.*	9	8
17	G	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Boreas frigidus flat. *Ptol. Eudoxo.* Tempestas existit; & Milvus apparet. *Calippo*, Australis Piscis exoritur; desinit Boreas.	10	9
18	A	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.		11	10
19	B	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Boreas moderatus flat. *Ptol.*	12	11
20	C	Εἰκάς.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Ornithiæ incipiunt flare, & tempus est ut Milvus appareat. *Ptol.*	13	12
21	D	ἐνδεκάτη φθίνοντος.	*Euctemoni*, Boreas spirat. *Dositheo*, Ornithiæ spirare incipiunt. *Hipparcho*, Boreas vel Caurus. *Ptol. Eudoxo*, Corona vesperi oritur: Ornithiæ spirare incipiunt.	14	13
22	E	δεκάτη φθίνοντος.	*Euctemoni*, Boreas frigidus flat. *Ptol.* *Euctemoni*, Milvus apparet: Ornithiæ spirant usq; ad æquinoctium.	15	14
23	F	ἐννάτη φθίνοντος.		16	15
24	G	ὀγδόη φθίνοντος.	*Calippo*, Boreas flat, & Milvus apparet. *Ptol.*	17	16
25	A	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Democrito*, Tempestas, ventus frigidus. *Ptol.*	18	17
26	B	ἕκτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Boreas flat. *Ptol.* *Aetio*, Equus mane oritur.	19	18
27	C	πέμπτη φθίνοντος.		20	19
28	D	τετάρτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Milvus apparet; & Boreas flat. *Ptol.*	21	20
29	E	τρίτη φθίνοντος.	*Euctemoni*, Scorpii primæ stellæ occidunt: flat frigidus Boreas.	22	21
30	F	δȣτέρα φθίνοντος.	*Hipparcho*, Pluvia. *Ptol. Calippo*, Piscis Borealis oriri desinit: Milvus apparet, Boreas flat. *Aetio*, Æquinoctium vernum est, & maxima aeris turbatio.	23	22
31	G	πρώτη φθίνοντος.	*Philippo*, & *Calippo*, & *Euctemoni*, Pluvia vel lenis imber. *Hipparcho*, Significatio. *Ptol. Calippo*, Vinculum Piscium oritur: fit Æquinoctium vernum, & pluvia minutula; magna fit tempestas, significat.	24	23

VII. ARTEMISIUS, dierum 31. *Sol in Ariete*.

1	A	Νουμηνία.	*Cononi*, & *Netoni*, Æquinoctium. *Eudoxo*, Boreas flat. *Ptol.*	25	24
2	B	δευτέρα ἱσταμένου.	*Calippo*, Pluvia vel nix. *Ptol. Calippo*, Aries incipit oriri : existit pluvia aut nix.	26	25
3	C	τρίτη ἱσταμένου.	*Metoni*, & *Calippo*, & *Eudoxo*, Pluvia. *Euctemoni*, & *Democrito*, Significat. *Ptol.*	27	26
4	D	τετάρτη ἱσταμένου.	*Dositheo*, & *Metoni*. Pluvia. *Ptol.*	28	27
5	E	πέμπτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Æquinoctium : Fit pluvia .	29	28
6	F	ἕκτη ἱσταμένου.	*Cononi*, Significat. *Eudoxo*, fit pluvia. *Ptol.*	30	29
7	G	ἑβδόμη ἱσταμένου.		31	30
8	A	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Aetio*, Pleiades ineunte nocte apparent .	Ap. 1	31
9	B	ἐννάτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, Pleiades vesperi occultantur .	2	Ap. 1
10	C	Δεκάτη.	Pleiades in *Attica* vesperi occultantur. *Plin.*	3	2
11	D	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	Pleiades in *Bœotia* vesperi occultantur. *Plin.*	4	3
12	E	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	Pleiades *Chaldæis* vesperi occultantur. *Plin. Hipparcho*, Auster & ventorum turbines. *Ptol. Eudoxo*, Pleiades vesperi occidunt, & Orion incipit occidere. A vespertino occasu Orionis pluvia existit. *Democrito*, Pleiades occultantur simul cum sole ascendente, & invisibiles fiunt per noctes 40.	5	4
13	F	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, & *Dositheo*, Significat. *Ptol.*	6	5
14	G	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.		7	6
15	A	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.*	8	7
16	B	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.		9	8
17	C	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Ventorum intemperies. *Ptol.*	10	9
18	D	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Zephyrus & cum leni imbre intemperies. *Ptol.*	11	10
19	E	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.		12	11
20	F	Εἰκάς.	*Dositheo*, Pluvia. *Ptol. Eudoxo*, Hyades vesperi occidunt.	13	12
21	G	ἐνδεκάτη φθίνοντος		14	13
22	A	δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, & *Euctemoni*, Pluvia & grando. *Ptol. Euctemoni*, Hyades occultantur : & grando post existit, & flat Zephyrus. *Calippo*, Libra incipit occidere : copiosa existit & grando .	15	14
23	B	ἐννάτη φθίνοντος.	Hyades *Atticæ* occidunt vesperi. *Plin.* *Metrodoro*, & *Calippo*, Grando. *Euctemoni*, & *Philippo*, Zephyrus *Ptol.*	16	15
24	C	ὀγδόη φθίνοντος.	*Cononi*, Grando vel Zephyrus. *Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.*	17	16
25	D	ἑβδόμη φθίνοντος.		18	17
26	E	ἕκτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Lyra vesperi oritur, *Aetio*, Pleiades vesperi occultantur.	19	18
27	F	πέμπτη φθίνοντος.	*Assyriis* Hyades occidunt vesperi. *Plin.*	20	19
28	G	τετάρτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auster & Aparctias frigidus. *Ptol. Aetio*, Pleiades cum ortu Solis oriuntur : & est maxima circa aerem turbatio .	21	20
29	A	τρίτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.*	22	21
30	B	δευτέρα φθίνοντος.		23	22
31	C	πρώτη φθίνοντος, ἢ Τριακάς.	*Metrodoro*, & *Calippo*, Quandoque grando. *Democrito*, Significat. *Ptol. Eudoxo*, Orion vesperi occidit : fit pluvia. *Calippo*, Aries desinit oriri : fit pluvia, plurimum autem & grando .	24	23

VIII. DAESIUS, dierum 30. *Sol in Tauro*.

1	D	Νουμηνία.	*Eudoxo*, Stillans imber. *Ptol.* *Euctemoni*, Canis occultatur; & grando exiſtit. Lyra oritur. *Eudoxo*, Canis veſperi occidit; & fit pluvia. *Calippo*, Tauri cauda oritur; exiſtit humiditas.	25	24
2	E	δευτέρα ἱσταμένου.	*Bœotiæ* & *Atticæ* Canis veſperi occultatur: & Fidicula mane oritur. *Plin.* *Euctemoni*, & *Philippo*, Pluvia vel grando. *Ptol.*	26	25
3	F	τρίτη ἱσταμένου.	*Metrodoro*, & *Calippo*, Humiditas. *Ptol.* *Aetio*, Orion veſperi occultatur.	27	26
4	G	τετάρτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.* *Aſſyriis* Orion totus abſconditur. *Plin.*	28	27
5	A	πέμπτη ἱσταμένου.	*Aſſyriis* Canis abſconditur. *Plin.*	29	28
6	B	ἕκτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Ventorum tranquillitas, lenis imber. *Ptol.* *Eudoxo*, Pluvia exiſtit.	30	29
7	C	ἑβδόμη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, Capra mane oritur. *Aetio*, Hyades cum Solis ortu oriuntur.	Mai 1	30
8	D	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Capra mane oritur.	2	Mai 1
9	E	ἐννάτη ἱσταμένου.		3	2
10	F	Δεκάτη.	*Eudoxo*, Scorpius mane occidere incipit: & pluvia exiſtit. *Aetio*, Lyra veſperi oritur, & aer multum alteratur.	4	3
11	G	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Doſitheo*, Pluvia. *Ptol.*	5	4
12	A	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Pleias oritur: Æſtatis eſt initium, & ſignificat. *Calippo*, Tauri caput oritur: ſignificat. *Aetio*, Capra mane oritur, & valde alteratur aer.	6	5
13	B	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Aetio*, Pleiades mane apparent, & aer ſedari incipit.	7	6
14	C	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo* & *Doſitheo*, Pluvia. *Ptol.*	8	7
15	D	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.		9	8
16	E	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni* & *Philippo*, Significat. *Ptol.*	10	9
17	F	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Doſitheo*, Significat. *Ptol.*	11	10
18	G	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, & *Eudoxo*, & *Hipparcho*, Significat, & Æſtatis eſt initium. *Ptol.*	12	11
19	A	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.		13	12
20	B	Εἰκάς.	*Eudoxo*, Scorpius totus mane occidit.	14	13
21	C	δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo* & *Cononi*, Pluvia. *Ptol.* *Eudoxo*; Pleiades oriuntur; & ſignificant.	15	14
22	D	ἐννάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, & *Calippo*, Significatio. *Ptol.*	16	15
23	E	ὀγδόη φθίνοντος.	*Aetio*, hoc vel ſequenti die, aer valde alteratur.	17	16
24	F	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Euctemoni*, Aquila veſperi occidit.	18	17
25	G	ἕκτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Pluvia. *Hipparcho*, Auſter vel Aparctias. *Ptol.* *Aetio*, Hyades mane apparent.	19	18
26	A	πέμπτη φθίνοντος.		20	19
27	B	τετάρτη φθίνοντος.	Canis in *Attica* veſperi occidit. *Plin.* *Doſitheo*, Auſter. *Ptol.*	21	20
28	C	τρίτη φθίνοντος.	*Aetio*, aer movetur.	22	21
29	D	δευτέρα φθίνοντος.		23	22
30	E	πρώτη φθίνοντος, ἢ Τριακάς.	*Euctemoni* & *Philippo* Significatio. *Ptol.* *Euctemoni*, Aquila veſperi oritur. *Aetio*, Capra veſperi occultatur.	24	23

IX. PANEMUS, dierum 31. *Sol in Geminis.*					
1	F	Νουμηνία.	*Euctemoni*, & *Philippo*, & *Hipparcho*, Significatio. *Ptol. Euctemoni*, Arcturus mane occidit; Hyades oriuntur: Significat. *Calippo*, Taurus desinit oriri.	25	24
2	G	δευτέρα ἱσταμένου.	*Calippo* & *Euctemoni.* Significat. *Ptol.*	26	25
3	A	τρίτη ἱσταμένου.	*Metrodoro* & *Calippo*, Humiditas. *Ptol.* *Calippo*, Gemini incipiunt oriri: existit humiditas.	27	26
4	B	τετάρτη ἱσταμένου.	*Democrito*, Pluvia. *Ptol.*	28	27
5	C	πέμπτη ἱσταμένου.	*Hipparcho*, Auster vel Zephyrus. *Ptol.*	29	28
6	D	ἕκτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Hyades mane oriuntur.	30	29
7	E	ἑβδόμη ἱσταμένου.		31 Jun.	30
8	F	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Eudoxo* & *Dositheo*, Humiditas. *Ptol. Eudoxo*, Aquila vesperi oritur.	1	31 Jun.
9	G	ἐνάτη ἱσταμένου.	*Aetio*, Aquila vesperi oritur.	2	1
10	A	Δεκάτη.	*Assyriis* Aquila vesperi oritur. *Plin. Democrito*, Aqua existit. *Ptol.*	3	2
11	B	πρώτη ἐπὶ δεκάτη.	*Democrito*, Aqua existit.	4	3
12	C	δευτέρα ἐπὶ δεκάτη.		5	4
13	D	τρίτη ἐπὶ δεκάτη.	*Aetio*, Arcturus mane occidit.	6	5
14	E	τετάρτη ἐπὶ δεκάτη.	*Eudoxo*, Arcturus mane occidit.	7	6
15	F	πέμπτη ἐπὶ δεκάτη.		8	7
16	G	ἕκτη ἐπὶ δεκάτη.	*Aetio*, Delphinus vesperi oritur.	9	8
17	A	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτη.		10	9
18	B	ὀγδόη ἐπὶ δεκατη.		11	10
19	C	ἐνάτη ἐπὶ δεκάτη.	*Eudoxo*, Delphinus vesperi oritur.	12	11
20	D	Εἰκάς.		13	12
21	E	ἑνδεκάτη φθίνοντος.		14	13
22	F	δεκάτη φθίνοντος.		15	14
23	G	ἐνάτη φθίνοντος.		16	15
24	A	ὀγδόη φθίνοντος.	*Dositheo*, Significatio. *Ptol.*	17	16
25	B	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Euctemoni*, Orionis humerus oritur. *Eudoxo*, Orion incipit oriri.	18	17
26	C	ἕκτη φθίνοντος.		19	18
27	D	πέμπτη φθίνοντος.		20	19
28	E	τετάρτη φθίνοντος.		21	20
29	F	τρίτη φθίνοντος.	*Democrito*, Significat. *Ptol. Aetio*, Aer valde alteratur.	22	21
30	G	δευτέρα φθίνοντος.	*Hipparcho*, Zephyrus vel Auster flat. *Ptol.* *Democrito*, Orion incipit oriri: & significare solet.	23	22
31	A	πρώτη φθίνοντος.		24	23

X. LOUS, dierum 30. *Sol in Cancro.*

1	A	Νȣμηνία.	*Aetio*, Orion mane oriri incipit: Solſtitium æſtivum eſt.	25	24
2	B	δεύτερα ἱςαμένȣ.		26	25
3	C	τρίτη ἱςαμένȣ.	*Democrito*, Zephyrus flat. *Ptol. Calippo*, Cancer incipit oriri: Solſtitium æſtivum; & ſignificat.	27	26
4	D	τετάρτη ἱςαμένȣ.	*Calippo*, & *Doſitheo*, ſignificat. *Democrito*, Auſter, & pluvia: deinde Boreæ Prodromi per dies ſeptem *Ptol.*	28	27
5	E	πέμπτη ἱςαμένȣ.	*Eudoxo*, Significat *Ptol.*	29	28
6	F	ἕκτη ἱςαμένȣ.		30	29
7	G	ἑβδόμη ἱςαμένȣ.		Jul. 1	30
8	A	ὀγδόη ἱςαμένȣ.		2	Jul. 1
9	B	ἐννάτη ἱςαμένȣ.	*Aetio*, Orion totus oritur.	3	2
10	C	Δεκάτη.	*Aſſyriis* Zona Orionis exoritur. *Plin.*	4	3
11	D	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Chaldæis* Corona occidit matutino. *Atticæ* Orion totus exoritur. *Plin. Metrodoro*, Caurus. *Calippo*, Auſter. *Hipparcho*, Auſter vel Zephyrus. *Ptol. Eudoxo*, Flat Auſter.	5	4
12	E	δεύτερα ἐπὶ δεκάτῃ.		6	5
13	F	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Orion mane oritur. *Euctemoni*, Orion totus oritur.	7	6
14	G	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metoni*, Humiditas. *Ptol.*	8	7
15	A	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Humiditas & Prodromorum initium. *Ptol.*	9	8
16	B	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.		10	9
17	C	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.		11	10
18	D	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, Zephyrus vel Caurus *Ptol.* *Doſitheo*, Corona mane incipit occidere.	12	11
19	E	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, Ventorum intemperies. *Ptol.*	13	12
20	F	Εἰκάς.	*Hipparcho*, Boreas ſpirare incipit. *Ptol.* *Aetio*, Procyon mane oritur.	14	13
21	G	δεκάτη φθίνοντος.		15	14
22	A	ἐννάτη φθίνοντος.	*Democrito*, Aqua, procellæ. *Ptol.*	16	15
23	B	ὀγδόη φθίνοντος.	*Aſſyriis* Procyon exoritur. *Plin. Doſitheo*, Humiditas & æſtus. *Ptol.* *Aetio*, Maxima aeris turbatio.	17	16
24	C	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Eteſiæ flare incipiunt. *Ptol.*	18	17
25	D	ἕκτη φθίνοντος.	*Doſitheo*, in Ægypto Canis apparet. *Aetio*, Canis mane oritur: & contingit maxima aeris turbatio.	19	18
26	E	πέμπτη φθίνοντος.		20	19
27	F	τετάρτη φθίνοντος.	*Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Philippo*, Eteſiæ ſpirant: & Oporæ initium. *Ptol.* *Metoni*, Canis oritur mane.	21	20
28	G	τρίτη φθίνοντος.	*Philippo*, Aeris intemperies: Prodromi ſpirant. *Ptol. Aetio*, Aer movetur.	22	21
29	A	δεύτερα φθίνοντος.	*Atticæ* Aquila matutino occidit. *Plin.* *Metrodoro*, & *Calippo*, Ventoſus aeris ſtatus. *Euctemoni*, Tempeſtas in mari. *Ptol.* *Euctemoni*, Canis oritur. *Eudoxo*, Canis mane oritur: & per dies ſequentes 55. Eteſiæ ſpirant; e quibus diebus primi quinque vocantur Prodromi. *Calippo*, Cancer oriri deſinit; flatuoſus.	23	22
30	B	πρώτη φθίνοντος. Τριακάς.	*Eudoxo*, Eteſiæ ſpirant. *Metrodoro*, & *Calippo*, Ventoſus aeris ſtatus, *Ptol.* *Euctemoni*, Aquila mane occidit: tempeſtas per mare excitatur.	24	23

XI. GORPIÆUS, dierum 31. *Sol in Leone.*

1	D	Νουμηνία.	*Eudoxo*, Auster. *Ptol. Aetio*, Aquila mane occidit.	25	24
2	E	δευτέρα ἱσταμένου.	*Metrodoro* & *Calippo*, Lucida Piscis australis stella mane occidit. *Cononi*, & *Democrito*, & *Hipparcho*, Auster & æstus. *Ptol. Calippo*, Leo incipit oriri: Auster spirat, & Canis oriens fit conspicuus.	26	25
3	F	τρίτη ἱσταμένου.	*Euctemoni* & *Dositeo*, Humiditas & æstus. *Ptol. Eudoxo*, Auster spirat.	27	26
4	G	τετάρτη ἱσταμένου.	*Euctemoni*, Canis est conspicuus; post fit æstus: Significat.	28	27
5	A	πέμπτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Humiditas & Oporæ principium. *Dositheo*, Etesiæ incipiunt. *Ptol.*	29	28
6	B	ἕκτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Etesiæ spirant. *Ptol.*	30	29
7	C	ἑβδόμη ἱσταμένου.		31	30
8	D	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Hipparcho*, Æstus. *Ptol. Eudoxo*, Aquila mane occidit.	Aug 1	31
9	E	ἐννάτη ἱσταμένου.		2	Aug. 1
10	F	Δεκάτη.	*Eudoxo* & *Dositheo*, Humiditas, & lucida Aquilæ stella mane occidit. *Ptol.*	3	2
11	G	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Æstus magnus. *Ptol.*	4	3
12	A	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Dositheo*, Æstus; & postea Etesiæ. *Ptol.*	5	4
13	B	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Corona occidit.	6	5
14	C	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.		7	6
15	D	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Leo medius oriens æstus maxime efficit.	8	7
16	E	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.		9	8
17	F	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Æstus maxime fiunt.	10	9
18	G	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Ventus maximus. *Hipparcho*, Ventorum perturbatio. *Ptol.*	11	10
19	A	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Atticæ* Equus oritur vesperi. *Plin. Eudoxo*, Significat.	12	11
20	B	Εἰκάς.	*Euctemoni*, Lyra occidit, & pluit, & Etesiæ cessant; & Equus oritur.	13	12
21	C	ἑνδεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Delphinus mane occidit. *Dositheo*, Vindemiator vesperi oritur.	14	13
22	D	δεκάτη φθίνοντος.	*Aetio*, Lyra mane occidit.	15	14
23	E	ἐννάτη φθίνοντος.		16	15
24	F	ὀγδόη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Significat. *Ptol.*	17	16
25	G	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Lyra mane occidit; Significat.	18	17
26	A	ἕκτη φθίνοντος.	*Democrito*, Significat aquis & ventis. *Ptol.* *Aetio*, Delphinus mane occidit; & est mutatio æstatis ad frigiditatem.	19	18
27	B	πέμπτη φθίνοντος.		20	19
28	C	τετάρτη φθίνοντος.	*Assyriis* Vindemiator exoriri mane incipit. *Plin.*	21	20
29	D	τρίτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Tonare solet. *Ptol.*	22	21
30	E	δευτέρα φθίνοντος.		23	22
31	F	πρώτη φθίνοντος.	*Eudoxo* & *Metrodoro*, Significat. *Ptol.*	24	23

XII. HYPERBERETÆUS, dierum 30. *Sol in Virgine.*

1	G	Νουμηνία.	*Eudoxo*, Significat. *Hipparcho*, Auster, & Etesiæ cessant. *Ptol. Eudoxo*, Significat. *Calippo*, Virgo oritur: Significat.	25	24
2	A	δευτέρα ἱσταμένου.	*Hipparcho*, Ventorum convolutio. *Ptol.*	26	25
3	B	τρίτη ἱσταμένου.	*Calippo*, Significat. *Ptol.*	27	26
4	C	τετάρτη ἱσταμένου.	*Assyriis* Sagitta occidit, & Etesiæ desinunt. *Plin. Aetio*, Vindemiator mane oritur, & malus navis occidit; & est finis dierum 40. post exortum Canis.	28	27
5	D	πέμπτη ἱσταμένου.	*Hipparcho*, Etesiæ cessant. *Eudoxo*, Pluvia, tonitrua. Etesiæ cessant. *Ptol.*	29	28
6	E	ἕκτη ἱσταμένου.	*Hipparcho*, Significat. *Ptol.*	30	29
7	F	ἑβδόμη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Venti inconstantes. *Hipparcho*, Subsolanus flat. *Ptol.*	31	30
8	G	ὀγδόη ἱσταμένου.	*Calippo*, Tempestas est; & Etesiæ cessant. *Ptol. Eudoxo*, Ventus spirat magnus & tonat. *Calippo*, Humeri Virginis oriuntur & Etesiæ desinunt.	Sep 1	31
9	A	ἐννάτη ἱσταμένου.	*Metrodoro*, Aeris intemperies. *Cononi*, Etesiæ desinunt. *Ptol.*	2	Sept. 1
10	B	Δεκάτη.	*Eudoxo*, Ventus, tonitru, aeris intemperies. *Hipparcho*, Ventus, humiditas. *Ptol.*	3	2
11	C	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, Aeris intemperies. *Calippo*, *Euctemoni*, *Philippo*, Aeris intemperies, & varia permixtio. *Eudoxo*, Pluvia, tonitru, ventus inconstans. *Ptol.*	4	3
12	D	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Atticæ* Arcturus matutino exoritur, & Sagitta occidit mane. *Plin.*	5	4
13	E	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Vindemiator apparet; oritur & Arcturus, & Sagitta occidit mane: tempestas fit per mare. *Eudoxo*, Pluvia, tonitrua, ventus magnus spirat.	6	5
14	F	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Philippo*, Aeris intemperies. *Dositheo*, tempestas est. *Ptol. Aetio*, Capra vesperi oritur.	7	6
15	G	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ		8	7
16	A	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.		9	8
17	B	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Dositheo*, Aeris intemperies. *Ptol.*	10	9
18	C	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.		11	10
19	D	ἐννάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Venti australes. *Ptol.*	12	11
20	E	Εἰκάς.	*Calippo* & *Cononi*, Significat. *Ptol. Calippo*, Virgo media oriens significat: & Arcturus oriens est conspicuus.	13	12
21	F	δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Boreæ cessant. *Metrodoro*, Significat. *Democrito*, Significat: & Hirundo non apparet. *Ptol.*	14	13
22	G	ἐννάτη φθίνοντος.	*Dositheo*, humiditas. *Euctemoni*, Autumni initium. *Ptol. Eudoxo*, Arcturus mane oritur; & per sequentes dies 7. spirant venti. Serenitas est plerunq; Cessante hoc tempore, ventus ab aurora existit.	15	14
23	A	ὀγδόη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Aeris intemperies, & pluvia per mare; & Autumni initium. *Ptol. Euctemoni*, Arcturus conspicuus; Autumni initium, & Capra oritur, stella magna in Auriga; & deinde significat. Tempestas per mare.	16	15
24	B	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Metrodoro*, Pluvia per mare, & aeris intemperies. *Ptol. Aetio*, Arcturus oritur. Aer alteratur.	17	16
25	C	ἕκτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Autumni principium. *Ptol.*	18	17
26	D	πέμπτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Humiditas. *Ptol. Assyriæ* (Etesiæ desinunt:) significant. *Plin. Aetio*, Spica mane oritur.	19	18
27	E	τετάρτη φθίνοντος.	*Calippo*, & *Metrodoro*, Pluvia. *Ptol. Calippo*, Spica Virginis oritur: pluit.	20	19
28	F	τρίτη φθίνοντος.		21	20
29	G	δευτέρα φθίνοντος.	*Aetio*, Aeris maxima turbatio.	22	21
30	A	πρώτη φθίνοντος ἢ Τριακάς.	*Eudoxo*, Pluvia. *Hipparcho*, Zephyrus vel auster. *Ptol.*	23	22

(31. *In anno Intercalari: cui hic addenda* ἑνδεκάτη φθίνοντος.)

F I N I S.

JOSEPHI LAURENTII, LUCENSIS, DE ANNIS, MENSIBUS, DIEBUS, HORIS, &c. TRACTATIO.

AD

JO. BAPTISTAM CONTARENUM

PHILOSOPHUM EXCELLENTISSIMUM.

INDEX CAPITUM.

JOSEPHI LAURENTII, LUCENSIS, DE ANNIS, MENSIBUS, DIEBUS, HORIS, &c. TRACTATIO.

CAP. I.

Variorum populorum Anni, ac eorum in iisdem enumerandis ratio. Annus solaris qualis? Intercalandi ratio a quo instituta? Exæresimi dies quinam? Epacta, cyclus solaris, aureus numerus, quid? Annus lunaris quotuplex? Anni initium diversum. Mensis quid, & unde dictus? Varii menses recensentur. Singulorum numina. Dies quotuplex, ac ejus partes. Noctis divisio. Dies festi ac profesti quales?



TEMPORA annorum, anni mensium, menses dierum dimensionibus terminati. Annos Hebræi ab Orbe condito aliquando enumerarunt, ab inundatione ejusdem aliquando, Diluvio dicto, quod incidit anno ejusdem conditi 1600. ab exitu etiam Israelitarum ex Ægypto, aut a prima templi Salomonii ædificatione. Ægyptii & Persæ certam ἐποχὴν, seu radicem temporum, non habuere, sed Regum ætatibus tempora definivere.

Græci, vel a Trojæ excidio, quod accidit An. Orbis C. 2784. vel ab Heraclidarum reditu in Peloponnesum, quando Pelopidas expulerunt Anno Orb. C. 2864.

Postremo ab Olympiadibus 3187. Olympias erat spatium 4. annorum, cujus 1. 2. 3. 4. annus numerabatur, quo Olympiæ conveniebant ad ludos in honorem Jovis Olympici, & dies intercalaris inserebatur. Incipiebat autem Olympias a meridie primæ diei primi mensis Græcorum, qui fere primæ diei mensis Julii congruit; vel a Plenilunio, quod Solstitio æstivo est proximum, Cælius *lib.* XII. *cap.* XVII.

Attici annos a Dionysiis enumerabant, iterabantque ea tertio quoque anno, Trieterica dicta.

Cretenses lætos dies albo calculo, tristes vero nigro notabant.

Romani a condita urbe, A. U. C. quod factum a condito orbe, Anno Orbis C. 3215. post Ilium captum 432. Annos primum numerarunt per lustra, quæ quinto quoque anno claudebantur. Deinde singulis annis, per Consules, & per clavos, qui idcirco annales vocati, in pariete Jovis Ædis affixi, qua erat Minervæ templum, numerorum inventricis. Prætorque maximus Id. Septembr hoc munere fungebatur. Inde Coss. demum Dictatores.

Volsini quoque clavo fixo in templo Deæ Nortiæ annos recensebant.

Christiani demum sero admodum a Christo nato, seu orbe redempto 600. a partu Virginis epocham sunt exorsi, qui partus incidit Anno Orb. C. 3965.

Annus est integra Solis revolutio, motu proprio, in Zodiaci circulo; qui annus ab Astronomis consideratus dicitur Astronomicum, Naturalis, & Vertens: & consideratus a Politicis, ut olim a Judæis, Arabibus, Græcis & Romanis, dicitur Politicus, Civilis, & Mundanus.

Annus Solaris (omisso anno magno, cum videlicet omnia inerrantia sidera suam cursus peragunt periodum, quod longissimo fit temporis intervallo) peragitur, cum Sol ad idem punctum Zodiaci, unde recesserat, redit, quod fit spatio 365. dierum cum quadrante, quæ pars quater ducta cogit unum interponi diem, dictum bissextum, quod videlicet, mense Februario intercalari, bis sexto Kal. Martii dicatur, atque ille annus constat diebus 366. quod a Cæsare dictatore institutum, ad nostra usque tempora permansit; Gregoriana tamen correctione emendatum, ob defectum minutorum, quæ hoc temporis curriculo a J. Cæsare ad Gregorium usque decem diebus verum Solis motum præoccuparunt: hinc dempti illi x. dies, idque necessario faciendum iterum, post hujusmodi temporis lapsum. Ante J. Cæsarem Romulus primus Urbis parens annum ex trecentis & quatuor diebus constituit, sed cum ea dierum ratio neque Lunæ, neque Solis cursui conveniret, Numa Pompilius sex & quinquaginta dies addidit.

Verum quia ad Solis cursum conficiendum aliquot adhuc dies deerant, Græcorum more, mensem intercalarem adhibuerunt, ex Macrobio *Saturn.* cap. XIV. Livio *lib.* I. & XXXVII. Sed quia intercalandi munus ad Pontifices spectabat, hi Publicanis morem gerentes pro arbitrio illorum intercalabant, annumque perturbabant adeo, ut Feriæ messis non æstate, Vindemiæ non autumno, inciderent. Cæsar Dictator Fastos correxit, ut supra dictum; neque amplius Mensis additus intercalaris, 20. quoque anno, ut olim, sed dies, quarto quoque anno. Hæc consuetudo intercalandi etiam usu recepta apud Siculos & Græcos, qui dies suos congruere cum Solis & Lunæ ratione volentes, eximunt unum aliquem diem, ad summum duos, quos illi *exæresimos* vocant, ita aliquem mensem uno die aut ad summum biduo longiorem faciunt.

Annus igitur Astronomicus constat 12. Lunationibus, qui communis dictus, quarum singulæ continent dies 29. horas 21. min. 44. quare hic constat ex diebus 365. horis 8. min. 48.

Alter dicitur Embolismicus, id est, insititius, quod ei Lunatio una extraordinaria inseritur, & ideo constat 13. Lunationibus, diebus scilicet

A 383. horis 13. min. 32. Annus civilis non confiderat horas atque minuta, uti Astronomicus, ex Blancamo. Cum igitur singulis mensibus singulæ sint Lunationes, alternis dierum 29. & 30. ut videre est in Kalendario, constetque, hic annus lunaris diebus 354. qui annus minor est solari 11. diebus, ut supra dictum est, & sic novilunia sequentis anni 11. diebus prius contingant, quæ dicuntur Epactæ, donec iterum annis 19. eodem die contingant novilunia, hinc Cyclus ille solaris inventus, Aureusque numerus, quia aureis numeris in foro erat notatus, complectens annos 19. dictus quibusdam annus Metonis, seu Metonicus, a Metone Atheniensi primo inventore.
B Annus igitur Lunaris triplex: unus continet spatium temporis, quo luna motu proprio totum Zodiacum percurrit, quod fit spatio dierum 27. horis 3. min. 54. Altera Solis cum Luna coitu ad coitum denuo, factus spatio dierum 29. horis 12. min. 44. & hæc est vulgaris Lunæ periodus, unde vulgo dicta Novilunia, Plenilunia. Tertius complectitur Lunationes 12. quod factum diebus 354. ut supra dictum, undecim diebus minor solari, qui dies dicti Epactæ, ut dictum. Additur quartus constans 13. Lunationibus, dictus ἐμβολισμός, qui apud Hebræos ab initio mensis Paschalis incipit, ibidemque finitur.

C Apud Romanos anni initium ab incipiente Luna mensis Januarii, ibique terminatur: at apud varias gentes varium; Apud Hebræos, æquinoctio verno; Apud Græcos, solstitio; Apud Ægyptios, autumno; Apud Romanos, non semper eodem tempore; a Romulo vero institutum anni principium Calendis Jan. bruma vigente & solstitio hyemali. Quoad vero Comitia, ineundosque magistratus, variatum; nam Q. Ebusio & Q. Servilio Coss. Calendis Sextilibus principium anni agebatur, magistratusque tunc inibantur; Decemviris regnantibus, Idibus Maiis; Tribb. militum, Consulari potestate præditis, Idibus Decembris;
D Secundo bello Punico Idibus Martii; Donec, Augusto regnante, rursus ad Cal. Jan. magistratus principia redierunt. Mensis vero Martii Calendis, perpetuo in aris a Vestalibus novus ignis accensus: laureæ virides in consularibus fascibus, in ædibus Regis sacrorum, Flaminum, Vestalium, atque Curiæ additæ, merces soluta magistris, vectigalia locata, servis a Matronis cœnæ exhibitæ, Matronalibus, ut ab heris Saturnalibus Decembribus.

E Mensis a mensurando dictus a Græcis μὴν, sive *Luna*, cujus cursus menstruo peragitur spatio. Mensis vel Physicus, vel Politicus. Physicus, quo Sol, aut Luna Signiferum percurrit, qui vel Solaris dictus, vel Lunaris. Solaris, quo Sol unumquodque Zodiaci signum percurrit, duodecima nempe anni parte. Tales menses habuere Ægyptii, triginta diebus æque constantes. Lunari, quo Luna unumquodque signum percurrit, idque bifariam, vel cum Luna Signiferum perambulat, rediens ad idem punctum Zodiaci a quo incœperat; hic dicitur motus Periodicus. At Synodicus, quo Luna ad Solem redit, & cum illo veluti congreditur, de quo dictum, cum supra de anno.
F Politicus mensis ille dicitur, quem unaquæque gens, ad negotia sua, tam sacra, quam profana accommodatum observat. Unde Ægyptii, Persæ, Arabes, Græci, Romani a conjunctione Lunæ mensem auspicati: hi vero in Calendas, Nonas & Idus dispertivere. Mensium diversorum diversa quoque apud diversos fuere nomina, numinaque cuique addicta. Quippe Januarius Junoni sacer, Neptuno Februarius, Minervæ Martius, Veneri Aprilis, Apollini Majus, Mercurio Junius, Jovi Julius, Cereri Augustus, Vulcano September, Marti October, November Dianæ, Vestæ December. Cæsares mensibus nomina a se indidere, de quibus vide Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXIV. & alios.

Dies est spacium temporis constans horis 24. uno cœli circuitu terminatum; hic vocatur civilis.

Dies naturalis est tempus, ab exoriente sole ad ejusdem occasum.

Diem civilem, ex Censorino *de Die Natali*, c. X. Babylonii a solis exortu ad exortum, Umbri, a meridie ad meridiem, Athenienses, uti nos Itali, ab occasu in occasum, Romani a media nocte in mediam noctem statuerunt.

Diei partes primum duæ apud Romanos ante meridiem, & duæ post meridiem, sive quatuor. Prima, Tertia, Sexta, sive meridies, Nona, & Vesper, sive duodecima, cum quilibet dies naturalis tam æstate quam hyeme 12. horis constaret, sed pro temporis varietate inæqualibus, ut dictum alibi. Nox quoque divisa in 12. horas, aut quatuor vigilias, quarum singulæ ternis horis constabant. Diem præterea naturalem dividebant in Mane, ad Meridiem, Meridiem, De Meridie, sive tempus occiduum, Solis occasum, sive supremam tempestatem. Noctis vero partes hæ recensentur, Vesper, Prima fax, Concubium, Nox intempesta, Ad mediam noctem, Media nox, De media nocte sive noctis inclinatio, Gallicinium, Conticinium, Diluculum demum.

Dierum præterea apud Romanos, alii Festi, alii Profesti, alii Intercisi, alii Præliares. Festi dicebantur, qui Diis sacri erant. Profesti, qui negociis gerendis. Intercisi, partim Deorum, partim hominum. Profesti divisi in Fastos, quibus Prætori fari licet tria illa verba, *Do*, *Dico*, *Addico*; Comitiales, quibus cum pop. agi licebat; Comperendinos, quibus vadimonium licet dicere; Statos, qui judicii causa eum peregrino instituuntur. Præliares erant, quibus, vel fas est repetere res ab hostibus, vel eos lacessere.

Dies sacri nefasti omnes, quibus insunt Sacrificia, Epulæ, Ludi, Feriæ, vel publicæ, vel privatæ; dicti etiam Festi dies.

Dies negociosi, qui hominum causa instituti negociis peragendis; aut Fasti erant, divisi in Comitiales, Comperendinos, Nundinas, Statos: aut Nefasti, ut supra dictum. De quibus a me alibi, & ab eruditissimo Censorino, & Rosino *libro* IV. *cap.* III. & aliis.

CAP. II.

Horæ quales fuerint apud Antiquos? Earumdem divisio ac variæ denominationes. Horologia ob quid olim incerta? Horum variæ species. Solarium quid? Clepsydræ, & Horologii quis inventor? Hora XII. ædificare *quale adagium? Servi Horas recitabant apud Veteres. Cœnæ illas quinam nunciabant? Horis templa olim dicata. Eædem quando tintinnabulo indicatæ? Horologium excitatorium quodnam?*

DE Horis antiquis, an cum nostris consentirent, ita Martialis *lib.* IV. *epigr.* VIII.

Prima salutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia caussidicos.
In quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies laxis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris;
Imperat extructos frangere nona toros.

Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum;
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte jocos, gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

Loquitur de die Naturali, quem Romani inchoabant salutationibus, commessationibus claudebant. De horis Antiquorum a prima luce ad noctem usque hoc Epigramma ἐξήγησιν habet, quæ tantum duodecim, & totidem nocturnæ quolibet anni tempore, eæque inæquales; longiores diurnæ æstivæ, breviores brumales. Sed in hoc mihi præcurrit, lampada ferens Censorinus ardentissimam, & ita differens *lib.* x. *Dies partim Naturalis, partim Civilis. Naturalis dies, tempus ab oriente Sole ad Solis occasum, cujus contrarium est tempus Nox, ab occasu Solis ad ortum; Civilis autem dies vocatur tempus, quod fit uno Cœli circuitu, quo dies verus & nox continentur. Hic constat ex integro Solis ambitu, qui in viginti quatuor partes æquales dividitur, dictus νυχθήμερος, quæ dicuntur æquinoctiales.*

At quia totum Solis spatium ab ortu ad occasum toto anni tempore in 12. erat divisum partes, dictas horas diei; hæ, quia toto hoc tempore variæ, & modo majores æstatis, modo minores hyemis, hinc Antiquis dictæ, temporales, naturales, & planetariæ; tum, quod secundum temporum varietatem, dierum nempe, & noctium, ipsæ quoque varientur; tum, quod Natura magistra homines didicerunt, per tales horas distingui Planetarum dominia. Unde illud in sacrosancto Evangelio: *Nonne duodecim sunt horæ diei?*

Illas quoque inæquales, *æquidiales*, ἰσημερίνας; has æquales καιρικάς, *temporales*, nuncuparunt. Id in causa, cur incertæ, modo breves, modo longæ, & horologia etiam incerta. Seneca mihi adstipulatur: *Facilius inter Philosophos, quam inter horologia conveniet*. Lex vero *duodecim Tabularum*, ortus tantum, & occasus meminit. Post aliquot annos, meridies est adjectus, Accenso Consulum id pronunciante. Necessitate deinde urgente quadripartitum fecere diem, sicuti castra quadripartitam noctem. Ideo in Historiis passim legitur de tempore nocturno, prima, secunda, tertia, & quarta vigilia. Quatuor vigiliæ noctis, in singulis terni vigiles erant, & ut unusquisque pro sua hora excubaret, tres enim horas habet una vigilia, Auson.

—— *noctisque per umbram tergemini vigiles*.

Horarum ratio ex umbra pendebat, quam Gnomonicen dixere, quæ in horologio scioterico observabantur, id est, umbratili; quod erat concha hemicyclia, lineis debita proportione distincta, cui prælongus ex ære, aut ligno baculus; seu gnomon Soli appositus, ex quo umbra in lineas incidens horas ostendebat, ut hac nostra tempestate. Lucianus Dial. *Lexiphanes*: *Nam ut gnomon medium jam horologium umbra designat*. Hæc solaria dicta, quod ex Sole horæ cognoscerentur. Quamvis Isidorus proprie *Solarium* vocet locum Soli & auris patentem in summa ædium parte. Solarium apud Jurisconsultos, ut docet Alciatus, est vectigal, quod publico præstatur ob soli publici occupationem, de quo meminit Ulpianus: *Si quis in lapidicinis cædere voluerit, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum solarium domino præstet*. Solaria autem horologia eo libramento Antiqui habuere distincta, ut sexta diei hora meridies designaretur, ut, cum lege naturæ radii solares, alii æstivi sint, & singuli dies æstu pariter, frigore, & æquinoctio duodenis hisce horis continerentur. Hinc umbrarum aliæ æquinoctiales, aliæ æstivæ, aliæ hybernæ. Hybernas, æstivas, & æquinoctiales horas horologia designabant. Hujusmodi horologii picturam ob oculos tibi proponerem, nisi passim apud Scriptores de Gnomonica repetere facile liceret.

Verum, cum aliquoties ob nubes Sol non cerneretur, & ita incertæ diei horæ essent, Scipio Nasica primus eas aqua divisit, Clepsydras ingruenti necessitati remedium commentus, & diem & noctem dividens.

In horologiis solaribus ultra undecimam horæ olim non notatæ. Salmas. 225.

Ægyptiorum horologiis, sive clepsydris, insculptum fuisse Cynocephalum, e cujus natura guttatim aqua deflueret, asserit Horus *lib.* I. *cap.* XVI. quasi vasculum illud in modum tubi fistulatum in cynocephali formam artificiose dolaretur. Sunt qui tradant, cynocephalum non modo meiere, sed etiam latrare singulis horis; & horas dictas ab urina, ὅρος enim *urina*, hinc hora, vide L. Gyraldum, *de Anno & Mensibus*.

Primus Horologii inventor Anaximenes Milesius, Anaximandri discipulus, Lacedæmone ostendit quod appellavit *Scioтericon* ex Plinio *lib.* II. *c.* LXXVI. & *lib.* VII. *cap.* LX. cujus verba in medium producemus: *Princeps Romanis horologium statuisse ante* 12. *annos, quam cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini, Lucius Papirius Cursor, cum eam dedicaret a patre suo votam, a Fabio Vestali proditur*. Sed neque facti horologii rationem, vel Artificis nomen significat; nec unde translatum sit, & apud quem id scriptum invenerit. Marcus Varro primum statutum in publico secundum Rostra in columna, tradit bello Punico primo a Marco Valerio Messala Consule, Catina capta in Sicilia, deportatum inde post triginta annos, quam de Papyriano horologio traditur, A.Ur. CCCCLXXVII. nec congruebant ad horas ejus lineæ; paruerunt tamen ei annis undecentum, donec Q. Martius Philippus, qui cum Lucio Paulo fuit Censor, diligentius ordinatum juxta posuit: id munus inter Censoria opera gratissime est acceptum. Etiamnum tamen plerumque incertæ fuerunt horæ usque ad proximum lustrum. Tunc Scipio Nasica Collega Lenati primus aqua divisit horas, æque noctium, ac dierum, idque horologium sub tecto dicavit, anno Urbis DXCV. Tam diu Populo Romano indiscreta lux fuit.

Hujusmodi horologia Clepsydræ appellantur, (ut Græci nominis vis indicat) quod aquam, qua horæ notabantur, inclusam & occultam haberent. Vitruvius *lib.* IX. *cap.* IX. secundas mihi agit in fine. Hinc brumales horæ diurnæ brevissimæ ipsimet Vitruvio ibidem: *Rediensque circumactione ad Capricorni partem octavam, restituitur celeritate salientis* (aquæ) *ad brumales horarum brevitates*. Plautus etiam in *Pseudolo*, hybernam horam pro angusta posuit. Longissimæ Solstitiales eidem Vitruvio, ubi supra, *tardius fluendo dilatat morando spatia, & efficit horas in Cancri signo Solstitiales*. Legatur ibidem ille Auctor. Has vocat Martialis æstivas *lib.* XII. *epigr.* I.

Quod vero hora duodecima esset ultima diei, clare apparet ex omnibus Antiquitatibus. Id mihi adagium illud plane indicat, *Hora duodecima ædificat*, quod de eo intelligitur, qui jam Senex, Acherontius, & Capularis multa molitur, tanquam diu victurus, & in prima hora vitæ ageret; quasi vita nostra duodecim horis, ut dies, constet. Sed de Clepsydra a me alibi.

Has horas plerumque Pueri seu Servi observabant, ut colligit Athenæus *lib.* IX. ex Ulpiano: *Ego vero, qui non sum mercenarius horarum nunciator, ut ille apud Timonem, qui horas ante cœnam observat, de Hegemone dicam, quæ habeo comperta*. Quoniam vero horas non audiebant, sed

eas ex umbra in foro, aut alio patente loco, conjiciebant, illuc semper eundum, ut scirent *πλωΐκα λῶ τῆς ἡμέρας*, *quæ spatia essent diei*, ut Attici loquuntur. Propterea in divitum ædibus servorum propria & peculiaris cura horas observare & numerare. Quod colligo ex variis: Plinio *lib.* VII. *Cneus Babius Pamphyliæ Prætura functus obiit, cum a puero quæsisset horas*. Martiale *lib.* VIII. *epigr.* LXIII.

Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tu,
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.

Juvenale,

—— clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.

Nunciabant igitur servi & pueri horas; sed potissimum parasiti horam nonam destinatam cœnæ. Ideo dixit Martialis:

Imperat extructos frangere nona toros.

Et Cicero *ad Pœtum*: *Accubueram hora nona*; quæ aliquando serior, aliquando tempestivior pro tempore: verno, & autumnali, tertia ante noctem: æstivo plus, hyemali minus tertia. Sexta vero hora semper meridiei addicta quieti, aut prandio, de quo a me alibi. Reliquas horas Martialis ingeniose describit. Horis templa instituta docet Pausanias.

An vero tintinnabulo horas indicarent? Tempore sequenti negare non ausim, (ut alibi dixi) cum idem Martialis in suis *Epigr.* cecinerit:

Redde pilam, sonat æs Thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Habebant præterea horologium excitatorium, quo nostrates utuntur ad excitandos juvenes. Id quoque ex Luciani Dial. *de mercede conductis* elicio: *Deinde mane ad tintinnabulum expergefactus, discussa ab oculis dulcissima parte somni, una sursum ac deorsum circumcursas*: loquitur de aulicis incommodis Erat præterea horologium portatorium, quod circumferebant, de quo Vitruv. *l.* IX. *cap.* IX. meminit appellatque *viatorium pensile*. Hodie multiplicis formæ fiunt elegantissima gestanturque passim. Verum enim vero, *Hoc quoque, quam volui, plus est, cane Musa receptui.*

CAP. III.

Mane unde dictum? Cerus Manus quis? Horæ ante meridiem sacræ Priscis habitæ. Gravissima quæque mane, levissima vesperi administranda. Meliores anni quinam dicantur? Primitiæ fructuum Deo dicatæ, & cur? Militiæ matutinæ ratio. Lustrationes matutinæ. Meridies finis negotiorum. Matutinis horis omnia suaviora, gratiora. Ægyptiorum mos matutinus.

DE Mane cum agimus in ipso limine, in nomine scilicet, bonum ac faustum omen. Nam ex Varrone & Festo, *Manum*, bonum dicitur. Festus: *Manes, Aurelius ait, significare bonos, unde Dii Manes pro bonis dicuntur*. Alibi: *Manes Dii ab auguribus vocabantur, quod per eos omnia manare credebant*. Unde dictus Cerus Manus, in Saliari carmine, id est, Creator bonus: num a *Creo*, interposita vocali, *Cereo* dicitur: a *Cereo*, *Cerus*, ut & Cererem non inepte derivent, frugum creatricem. Unde, Dii Manes, Dii boni dicti; *μανικά* a mane Phrygio adagio, ingenita egregiaque facta dicebantur. Nominis hæc ratio, unde Mane melior pars diei dicitur a Virgil. IX. *Æneid.*

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest lætis bene gestis corpora rebus.

Epigram. Græcum, Latine redditum:

Sex horæ tantum rebus tribuantur agendis,
Vivere post illas littera Zetha monet.

Paulus Jurisconsultus *lib.* I. subscribit: *Cujusque*, inquit, *dici major pars, est horarum septem, primarum diei, non supremarum.*

Si quidem postquam somnus domitor curarum demulsit pectora, mane sub galli cantum, quam animus integrior, corpus validius, nullo labore defatigatum, ingenium vegetius, nullis curis exagitatum! Hinc illa frons gravis, prudens, severa, matutina. Mart. *lib.* XIII. *epigr.* II.

Et matutina si mihi fronte venis.

Et *lib.* IV. *epigr.* VIII.

—— gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

Mane, Plautinus ille in *Persa*, *quod tu occeperis negotium agere, id totum procedit diem*. Itaque horæ ante meridiem sacræ Antiquis habitæ, uti & nobis, & *ἱερὸν ἦμαρ*, *sacer dies*, dicitur a Plutarcho ὁ πρωΐ, &c. *ideo tunc Diis cœlitibus sacrificabant, a meridie inferis*. Virgil. VIII. *Æn.* id innuit:

Surge, age, nate Dea, primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces, &c.

Cui loco facem præbet Interpres Apollon. ita: *Mortuis circa occasum Solis parentamus, cœlestibus autem auroræ tempore, sub exortum Solis sacrificamus*. Superis enim sacrificandum diluculo: ideo Orientem spectabant orantes: subdit Virgil.

—— spectans orientia Solis
Lumina.

Hinc templa Antiquorum ex Vitruvii *l.* VI. *cap.* V. ad orientem versa, ut adorantes orientem spectarent, ita Judæorum & Christianorum ædes sacræ, ut a me alibi indicatum. Romæ cautum lege hac: *In Comitio, aut in foro ante meridiem causam conjicito: post meridiem fœdus ne facito, ne auspicator, ne Magistratus fœdus pactumve conventum facito post meridiem*. Plutarchus *Quæst. Roman.* CLXXIV. *Meridies multis finis est tractandi, quæ publica sunt & seria; nihil vero gravius Regni administratione*. Ideo apud Sidonium Theodoricus Rex, mane administrandi Regni curam sibi deputat. Seneca *de Tranquil.* cap. XV. *Quidam medio die interjunxerunt, & in pomeridianas horas aliquid levioris operæ distulerunt*. Quare, & meliores anni dicuntur & melior ætas juveniles, deteriores seniles. Sic fructuum omnium primitiæ Deo antiquitus dicabantur; cur non, & primitiæ cogitationum, & operum? Hinc manna olim, precationis matutinæ symbolum, ante solis ortum legi debuit, quia contactum solis radio evanescebat:

Qui mane sumptis nequiter
Non erubescit poculis;
Cum sit libido temperans,
Castumque nugator sapit.
Nunc, nunc severum vivitur,
Nunc nemo tentat ludicrum,
Inepta nunc omnes sua
Vultu colorant serio.
Hæc ora cunctis utilis,
Qua quisque, quod studet, gerat.

Militiæ quoque matutinarum horarum ratio habita, ut rite omnia fierent. Juvenalis:

—— *ortu*

A ——— *ortu*
Luciferi, quo signa duces & castra movebant.
Lustrationibus quoque hoc tempus destinatum. Audi Persium *sat.* II.

Mane caput, bis, terque, & noctem flumine purges

Idem de sacris:

Et matutinis operantur festa lucernis.

Ita ut matutinis horis omnia rite beneque peragantur, quæ proprie vereque negotiis destinatæ.
B Græcum Epigramma Hesiodi Latine redditum:

Sex horæ ad laborandum appositæ;
Aurora tertiam operis partem partitur.

Martialis *lib.* IV. *epig.* VIII. in diei divisione septem primas horas rebus forensibus, reliquas palæstricis, ludis, balneis, symposiis præscribit:

Sexta quies fessis, septima finis erit.
Imperat extructos frangere nona toros.

C Quapropter Plutarchus affirmat, meridiem negociis publicis finem facere. Hinc illud: *Is, cujus operas conduxisti, potest te invito meridiari, & etiam diem diffindere:*

Sufficit in sextam labor horam, deinde sequentes
Ut vivas, numeri littera Ζῆθι, *monet (vive).*

Ad sextam enim diei horam operari docet, post hanc edere, ut vivas.

His adderem flores, poma, herbas, matutinis horis magis odora, & quicquid ad meridianas vergit, hebetari. Genistam mane tantum odoram; elementa mane salubriora, omnia jucundiora, cœ-
D lumque ipsum arridere, avesque cantu auspicari, atque ad opus provocare. Quid mirum, si aurora gratissima Musis; siquidem syncerius fortiusque adglutinantur, quæ, proferente se die, percipimus. Quod si tenacissimi nos sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus; cur non & eorum, quæ primis diei horis? Hinc Antiquis dicta (ut refert doctissimus Rhodiginus *lib.* XX. *cap.* VIII.) memoria matutina, firma constansque.

Ægyptiæ gentis morem matutinum nobis prælibat Rhodig. *l.* XXIV. *c.* XXII. hujusmodi. Ut e lectulis sese proripiebant, mox resina suffibant cor-
E pus, ut sic aerem expurgarent disgregatione, & innatum corpori spiritum aliquo modo contabescentem odoris vehementia resoverent. Rursus meridie, sideris vi ex terra vaporationem exhalante, myrrheo retunderent thymiamate: dissipat enim ac disjicit caliditas aeris turbulentiam circumjecti: hinc pestilenti affectione grassante ignium crebritate malo occurritur. Hæc fortasse non spernenda, cum pestilenti aere laboratur, Quod omen Deus avertat, salutemque nobis perpetuo propitiam faciat.

Sed hæc certiora, quam, quæ ad Sagram gesta. Nec Lyncea Aristarchi censura in his opus; neque formido blateronum & sciolorum aculeos, dum
F tu aliquid de summo addas, quod vix ego de imo pectore sumpsi:

Instar ego apis Matinæ
More, modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum.

Hoc mane volitans huc illuc circum varios flores, hæc legi carptim, quæ in alvearia tui viridarii porto; aliæ apes me ingeniosiores
Dulci distendunt nectare cellas.

G. Tom. IX.

C A P. IV.

Mercurius pacis arbiter. Iridis munia. Lustrati Dii per Iridem. Ejus parentes quales fingunt Poetæ? Iridis descriptio. Ejus color triplex unde provenit? Variæ opiniones de ea afferuntur. Quomodo fiat in nube? Eadem cur semicircularis? Cur fugientem sectetur, & sectantem fugiat? Iris meridionalis cur a Septentrionalibus non videatur? A sole ac luna tantum, non vero a reliquis stellis, fit. Iridis solaris & lunaris differentia. Tria ad Iridem necessaria. Ejusdem prognostica signa, ac de ea Poetarum vaticinia. Ipsamet mutationis aeris indicium.

MERCURIUS superis Deorum gratus & imis, internuncius, pacis arbiter, & effector Antiquis nuncupatus, Jovis potissimum Imperio. Iris vero contentionis & litium, dicta ob ἔριν, id est, contentionem & litem; alii mitius interpretantur ob ἐρεῖν, id est, loqui, quia Junonis ἄγγελος; ut ille, Jovis; hinc Poeta canit Apollon. in *Argon.*

Iri veni dilecta mihi, mea jussa, per auras,
Si optatis unquam favisti sedula nostris,
Ad Thetidem defer.

Cui præterea injunctum munus, ut Junonis lectum sternat, Theocritus *Idyllio* XXVII.

Unumque torum sternit Jovi & Junoni, ut indormiant,
Iris adhuc virgo manibus unguento nitentibus.

Illius cura, lustrare Deos Deasque, si quando inferorum contactu polluti. Ovid. lib. IV. *Met.*

Læta redit Juno, quam cœlum intrare parentem,
Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.

Quod si mortis seu fati ultimi instaret momentum, Mercurius mares corporeis nexibus, Iris vero fœminas liberare dicebatur. Virg. l. IV. *Æn.*

Ergo Iris roseis per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, & supra caput astitit: hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.

Ab Jove tamen aliquando hæc nuncia mittitur. Homerus *Iliad.*

Iris & auratis alis tunc nuncia missa.

Illius parentes (vide quam bene Poetæ philosophentur) Electra, ac Thaumas; illa solem, cœlumque significat: ἥλιος, *sol*, αἴθρος, *serenus*, *cœlestis*: Iris enim non sine sudo serenoque cœlo fit; neque sine Junone & Jove, nempe sine aere & cœlo: Pater Thaumas, admiratio videlicet, nam θαυμάζειν, *admirari* significat, quid enim hoc arcu admirabilius? At dum hujus rimari causam conor, pedem referre præ pudore cogor: qui enim meum calculum dissentientibus philosophorum tribubus, penes quos in his prærogativa, addam? in quo vix stare videbor, cum omnium puncta tulero. Princeps centuriæ philosophantium Peripateticus hæc, loco sententiæ, de Iride profatur, Ἶρίς ἐστιν ἔμφασις, Latine refero: *Iris, seu arcus cœlestis, est species segmenti solaris, vel lunaris, edita in nube humida, & cava, & perpetua, quam veluti in speculo intuemur, imagine relata in species circularis habitus:*

Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine cœlum,
In quo diversi niteant cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

Describitur igitur arcus τρίχρως *tricolor*, apparens in nube rorida, soli ex adverso opposita, proveniens ex triplici radiorum reflexione. Colores, ἐν μετεωρολογικῶς qui dicuntur apparentes, ex permixtione luminis cum opaco fieri ὀπτικοὶ afferunt,

ubi lumen majus, major albedo: ubi plus corporis opaci, ibi major obſcuritas: medii colores ex utriuſque permixtione, perſpicui ſcilicet, & opaci prodeunt, qui noſtro viſui conſpicui apparent ex reflexione hujus ad Solem. In Iride tres tantum colores, qui oriuntur ex fulgido nigro nubis roridæ permixto. Quare primo in primo extimo ambitu, ſeu arcus peripheria, quæ minus nigra fit, puniceus color, minus niger aliis. In ſecunda viridis, qui nigrior. In tertia purpureus, qui adhuc nigrior. Verum præter hos tres aſpectus ex reflexione ad noſtrum viſum, alter non datur, quo in roridæ nubis conſiſtentia poſſit fieri coloris apparentia. Quartus, qui eſt color flavus, ſeu xanthus, apparet hac ratione: puniceus prope nigrum, habet apparentiam albi: viridis niger apparet. Hinc ex his juxta poſitis naſcitur apparentia flavi, qui eſt nigrior puniceo, & magis albus viridi, quaſi medius. Quocirca quartus his color non exiſtit, ut alii ex reflexione noſtri viſus ad Solem, atque ideo non dicitur proprius Iridis color, ita ut cum aliis numeretur. Quod autem ex juxta poſitis colorem referat apparentem, apertiſſime cernitur in texturis, & collo columbarum. Hæc ex Ariſtotelis penu. Alii aliter nec pedarii ſcriptores; ideo quidni tergiverſer, neque ad decretorium ſtylum me convertam? Carceres aperio; equos alios ad hanc palmam emitto.

A Sole radii in nubem oppoſitam gemini; directus alter ad perpendiculum e Solis centro recta ad Iridis centrum protenditur. Alter obliquus ad illius latera infirmior, qui ob triplicem ab axe receſſum, permixtionemque luminis cum opaco, triplicem in Iride efficit colorem, puniceum, viridem, purpureum, ſeu violaceum.

Directus, ſeu rectus radius, ut qui fortiſſimus, nubem penetrat, neque reflectitur; hinc in medio Iridis nullus color; obliqui vero, qui reflectuntur, colorem tantum referunt lucidi, cum, ob exiguitatem materiæ, figuram non poſſint.

Puniceus color ſupremus, (grani punici maturi ſimilis) quia maxime a perpendiculari radio recedit, maxime reflectitur, coloremque lucidum maxime refert ſimilem Solis. In infima vero nube, quia radii propiores recto fortiores ſunt, magis nubem penetrant, minuſque reflectuntur, ac propterea videntis aſpectum minus moventes, minorem repræſentant colorem; violaceum, alurgum, phœniceum, puniceum, ſive purpureum, ex Gellio. (perfectiſſima enim reflexio perfectiſſime rem refert) Medius viridis, cum medium inter utrumque teneat locum, utriuſque coloris quodammodo particeps fit. Sed hic hærebo, & qui vadum hoc transferat, opperiar.

Corollarii vice addo, Iris non niſi in nube oppoſita fit, ventis non exagitata; rorida, & in minutulum rorem concreta cadente, oculo interpoſito; quæ licet diſcretæ ſint, quia tamen ex ſenſus judicio individuæ & continuæ, non Solis figuram, ſed colorem tanquam continuum referunt. Semicircularis tantum apparet, quia centrum ſolis, Iridis, & horizontis conveniunt ad amuſſim in eodem, ſi Sol in linea horizontis: & quanto magis Sol attollitur, dum non ultra 41. gradus, tanto nobis minor Iridis arcus apparet.

Strabus in hoc ſane minime Strabo, quia oculatiſſimus & lynceus, duos potiſſimum in Iride animadvertit colores, cœruleum videlicet, & igneum, qui duo nobis divina indigetant judicia. Cæruleus aquæ color diluvium, quod jam illo primæva terrarum eluvione præteriit, dictum κατακλυσμός; ex quo hoc ſignum, alias naturale, voluntarium divinitus effectum, fœderis ſymbolum, & pacis. Igneus futuram conflagrationem, hoc terrarum orbe corruente poſtremum, qui dicitur ἐκπύρωσις, *incendium*.

De Iride, ejuſque colorum formatione, varia a variis, eaque inter ſe valde diſcrepantia ex variis diverſiſque optices principiis. Ut veritatis ſtudioſis compendio ſatisfaciam, paucis multa volui complecti, & quaſi ſuccum ex diverſis herbis exprimere auctorum, de Iride tractantium.

Primo vitellum addo ex Vitellione, qui ita diſſerit, de Iridis coloribus eruditiſſime & acutiſſime, ut cætera. Sed prius de radio, ex quo Iris, quædam præmitto. Radius eſt ſplendor a lucido emicans. Radius, rectus, ab uno puncto rei viſibilis progreſſus, qui ob corpora, per quæ, vel ad quæ incidit, triplicia, triplex eſt.

Directus, quando abſque angulo in perſpicuum fertur. Reflexus, quando per diaphanum corpus in opacum impactus, in idem diaphanum revertitur. Refractus, quando ab uno perſpicuo in aliud diverſæ naturæ provehitur, & in hoc caſu poſt punctum incidentiæ, linea recta radioſa progreſſa angulum facit cum priore ad punctum incidentiæ, quod appellatur punctum refractionis, quia in eo primus radius incidentiæ eſt divulſus a directo ſuo itinere, & quodammodo fractus. Iris fit (ex Vitellione) ob multitudinem luminis, cujus copia & vigor naſcitur ex radiorum aggregatione; quæ aggregatio cum non niſi per reflexionem, aut refractionem fieri poſſit, patet Iridem fieri per alterutram illarum. Clarum autem eſt, fieri per utramque; nam cum Iris nil aliud ſit, quam ſolaris radius; manifeſtum eſt, hunc ad viſum a Sole averſum, ad Iridem vero converſum, non aliter poſſe pervenire, quam per reflexionem. Rurſus cum Iris fiat per radios in diaphanum aere denſiorem, nempe in nubem immiſſos, cumque corpora diaphana medio diaphano denſiora, non ſolum radios reflectant, ſed etiam ad perpendicularem refrangant, uti videre eſt in lymphis tranquillis, quæ radium Solis ad fundum uſque admittunt, & ſimul alio reverberant, neceſſe eſt, radium in nube frangi ad perpendicularem.

Fit igitur Iris per reflexionem, & refractionem; quibus radius aggregatur & invaleſcit.

Ex hoc patet materiam Iridis eſſe in profundo irradiatam, cujus rei ſignum eſſe poteſt, quod natura Iridis talis ſit, ut fugienti, inſequenti, & quocumque ſe conferenti oculo, ſemper aliqua Iris appareat; hoc enim accidit propter diverſas reflexiones luminis, a diverſis partibus & ſuperficiebus materiæ Iridis ad viſus diverſos in diverſis conſtitutos punctis, ad quæ reflexi radii concurrunt, & propter diverſarum pyramidum axes diverſos, a centro Solis per puncta diverſa ſuæ ſuperficiei exeuntes. Iridem vero neceſſario in vapore rorido generari palam eſt, nam cum fiat in aeris regione, cumque ibi nullum ex planis ſolidis eſſe poſſit, non generabitur, neque in aqua continua, hæc enim, ut gravis, ad centrum mundi ruens Iridis imaginem diu permanere non ſineret, ſed aliquandiu durat. Præterea ex ipſa totum lumen integrum reflecteretur propter ſui ipſius continuitatem, quod falſum apparet; neque naſcitur in aere craſſo, hic enim nullos colores efformaret, ſed certam quandam albedinem proderet, ut apparet in crepuſculis matutinis; neque tandem fiet in vapore continuo, hujus enim ſuperficies, utcumque diſpoſita, nunquam radios reflectere ad oculum poſſet, neque propter continuitatem permitteret ipſum in profundum vaporis penetrare. Ergo fit in vapore rorido, in illo nempe, quem frigus incipit condenſare, & in formam propriam, ſcilicet, aquæ reducere, tunc enim denſantur vaporis raræ partes quæ diſtare inter ſe quidem incipiunt, nondum tamen propter agentis debilitatem ad propriam formam redactæ deorſum tendunt; tunc autem illæ vaporis particulæ ſunt quaſi quædam parva ſpecula ſphærica, radios ſolis reflectentia, & refrangentia.

Videtur porro Iris circularis, concava; quia cum secundum angulos æquales incidant & reflectantur radii, non potest in omnibus corpusculis prædicti vaporis, talis servari conditio, & idcirco interiores & exteriores radii ad punctum unum in axe radialis pyramidis, nempe ad visum concurrere, & ab illo percipi nequeunt; qui autem radii talem conditionem subeunt, in circulo dispositi sunt, id quod apud Mathematicos demonstratione non indiget. Quod vero tricolor appareat omnis Iris, nempe in exteriori limbo color puniceus, in medio viridis, in intimo alurgus, hæc potest causa assignari.

Lumen induit colorem rerum, a quibus reflectitur, vel a quibus aliquo modo recipitur. Lumen ergo natura sua fulgidum, dum se in suam superficiem vaporis roridi, natura sua nigri, immittit, colorem puniceum, quasi rubeum quendam componit; ac tali imbutus colore ad oculum reflectitur, & puniceum repræsentat. Quoniam vero lumen penetrat vaporem, & a diversis interioribus superficiebus, invicem tamen, & exteriori quoque, ex qua fit prima reflexio, parallelis ad visum reflectitur; accidit, ut radii reflexi ab interioribus superficiebus, (tum quia ex medio vapore, qui, ut remotior a Sole, densior, est nigrior, & magis aqueus, multum nigri recipiunt, tum quia interius vapores ingredientes a remotiori videntur, quæ autem a remotiori videntur, debiliores videntur) accidit, inquam, ut tales radii obscuriores appareant. His accedunt aliæ causæ, nam radii ab intimi vaporis superficiebus sub majori angulo ad visum reflectuntur; unde, ut minus lumini uniti, sunt debiliores. Præterea sub minori angulo a visu percipiuntur, & ideo minus videntur; lumen enim per angulum minorem comprehensum aliquantulum suæ lucis amittit, id quod candelam, stellas, & cætera, contractis, seu semiclausis palpebris intuenti, patere potest. Clarum autem est, tales radios ab interioribus superficiebus vaporis reflexos efformare limbos Iridis interiores, & arcus viridem & alurgum pingere. Quare, quo magis radii nubem penetrant, eo nigriores evadunt, & limbos arcus Iridis interiores (ex Polluce hi colores coincidunt, ἀλυργὶς, πορφυρὶς, φοινικὶς) repræsentant; & inde fit, ut medius illius color sit viridis, nempe puniceo obscurior, & intimus alurgus purpureus, nempe viridi nigrior, qui tamen tres colores non sunt præcise distincti, sed in extremis alter cum altero sensibiliter immiscentur: ex qua mixtione alii inter tres dictos medii colores resultant.

Verum hujus colorum phænomeni totalis causa videtur esse immixtio umbrarum cum fulgore luminis; cum enim vapor roridus sit materia Iridis, a cujus corpusculis fit reflexio luminis ad visum; cumque omnia corpora densa, in partem Soli adversam, umbras projiciant, hinc accidit, ut radii a remotiorum corpusculorum superficiebus reflexi umbras anteriorum incurrant, & illis se immisceant, quo autem a profundiori vaporis parte radii reflectuntur, eo major umbrarum multitudo illis occurrit; & secundum quod plus, vel minus umbrarum nigredine permiscentur, secundum hoc diversificant actum suæ (ut ita dicam) luminositatis in varios colores. Quod autem umbræ & luminis mixtio sit colorum Iridis causa, hæc signa habe.

Primum ad radios Solis oculos obverte, inde palpebras contrahe, illico videbis radios Solis pilorum palpebrarum umbris immixtos, colores Iridis efformare; & si tales oculi, vel lacrymis, vel aqua sint madefacti, certiorem habebis causam. Alterum signum erit nigredo maris tranquilli, quæ accidit propter multiplicationem & mixtionem A umbrarum cum lumine penetrante, & umbras efficiente, cum e contra mari perturbato & procelloso, cujus aquas lumen non penetrat, nec umbras ideo efficit, non nigredo, sed viriditas quædam insit. Tertium collum anatum, pavonum, & columbarum inspice, in quibus diversi semper colores apparent; hoc enim evenit, quod ex motu colli, plumulæ illius modo crispentur, modo eleventur, & umbras hinc inde projiciant, modo in nitidam planitiem deprimantur, idcirco modo umbris mixtum, modo purum reflectunt, & varios colores spectantium oculis objiciunt. Tandem aspice vel Solem, vel corpus a- B liquod fulgidum, postea fortiter claude oculos, quod prius fulgidum vidisti, puniceum videbis, deinde prasinum, postea purpureum, tandem in nigrum colorem forma lucis desinens exterminatur.

Quod vero Iris meridionalis ab oculis septentrionalibus conspici non possit, hoc ex prædictis satis patere potest, cum enim debeat esse oculus constitutus, ad hoc, ut Iridem (de qua principaliter hic est sermo) videat, inter nubem roridam & solem, palam est; si nubes meridionalis Soli opponatur, radios reflexos non posse ad oculos nostros, qui septentrionales sumus, pervenire, cum C semper Sol sit inter nubem & oculum; sive dicas, id potius evenire, quia Sol nubi proximus illam resolvit vel in pluviam, vel in aerem lucidum, qui Iridem causare non valet. Dixi autem, (de qua principaliter hic est sermo) nam aliæ impressiones Iridis colores simulantes inveniri possunt, quæ per alios modos efficiuntur, quandoque enim ex fortibus radiis Solis reflexis a nube aquosa, integra ad locum, in quo est vapor roridus a latere aliquo Solis, possunt colores Iridis generari incompletis circulis, vel circulorum portionibus, & sic per duplicem reflexionem videntur in rorido vapore colores Iridis.

D Non autem a Sole tantum, sed a Luna quoque Irides posse generari manifestum est; a Sole quidem propter efficaciam radiorum, id quod omnibus constat; a Luna vero propter vicinitatem, id quod sæpe apud Septentrionales contingit, semel, & bis, in anno; cætera vero astra, tum propter radiorum debilitatem respectu Solis, tum propter nimiam distantiam respectu Lunæ, nullam Iridem efformare valent. Sed Solares & Lunares Irides in hoc differunt, quod illæ obscuriores, hæ vero quodam modo albiores videntur, quod evenit in illis propter tum diei, tum nubis majorem circumstantem claritatem, in his vero propter & E noctis & nubis majorem circumfusam obscuritatem; intensior enim fit omnis color medius inter extremos positus.

Ex Joannis Archiepiscopi Cantuariensis Prospectiva communi, hæc perspicua. In generatione Iridis certum est, radiationes trium generum concurrere, nempe rectas, reflexas, & refractas. De radio recto patet: quia Iris generatur ex opposito Solis. De reflexis, quoniam stillæ sphærulæ quædam sunt speculares, levis superficiei, in modum aquæ radios reflectentes. De refractis, quo- F niam lumen solare intrans in profundum aquæ simul refrangitur & reflectitur. Causam autem rotunditatis Iridis ita demonstrat Quando nubes regulariter suspensa, est terræ æquidistans, certum est, quod roratio regulariter descendit, & hoc ad circularitatem sufficit, aquæ enim nebulosæ suspensæ & irregulares non habent in se impressionem regularem.

Alii ponunt causam ex parte radiorum, afferentes, lumen radiorum penetrans nubem roridam, inde ultra illam concurrere, in puncto uno; post

concursum autem, ipsum lumen iterum dilatari in pyramidem, cujus medietas cadat in nubem, & faciat per consequens impressionem semicircularem, alia medietate in terram cadente. Sed experientia obstat, nam radius solaris per foramen rotundum cadens, rotundus est; opponatur & lapis hexagonus generans colores Iridis, certum est, quod generat Iridem, sed non in figuram lapidis, quæ est columnaris. Præterea Iris generatur e Sole sine aliquo interposito, in nubem roridam radiante, ut patet sensui. Alii ponunt rotunditatem in radio ex se ipso, dicunt enim quod radii pyramidaliter egrediuntur a Sole, ut medietas ejus cadat in nubem, & faciat dictam figuram. Sed hoc nihil est; quoniam si de toto lumine solari; ergo quilibet punctus Solis implet totum hemisphærium lumine suo, si de particulari aliqua pyramide; igitur pyramides non sunt a se distinctæ, & ab invicem divisæ, sed unum est corpus continuum lucis in se potentialiter infinitas pyramides continens, quarum quædam habent conum in luminoso, & quædam in subjecto, vel medio. Sed hæc aliis discutienda relinquo.

Diversitatem vero colorum Iridis, tam ex nubis quam luminis variatione provenire, hinc patet. Siquidem nubis variatio ex hoc accidit, quod roratio descendit ad centrum & angulum. Est igitur per consequens inferior strictior, & superior latior.

Certum enim est, quod omnia gravia descendunt ad angulum, & ita non potest esse pyramis rotunda, quæ habeat conum sursum, & latitudinem deorsum. Superius igitur est lata, & paulatim descendendo densior; tum propter pyramidis coangustationem, descensu ad angulum provenientem: tum propter hoc, quod crassiores partes citius descendunt, aptius est superius ad colores nobiliores, & luci conformiores, & inferius minus. Potest etiam esse diversitas a parte luminis directa in nubem cadentis, & magis facti in singulis partibus nubis.

Ex Josephi Blancani locis Mathematicis Aristotelis hæc noto de Iride, dicentis, tria ad Iridis visionem esse necessaria, Solem, oculum, & nubem tenuem ac roscidam, quæ scilicet minutis guttulis illæ innumera erunt veluti parva specula, quæ lumen Solis ob pravitatem, imperfecto quodam modo repræsentare possunt: ex tali enim repræsentatione Iris apparet. Quæ tria debent esse ita disposita, ut Sol, oculus, & centrum Iridis, sint in eadem recta linea constituta, oculusque medium locum inter Solem & Iridis centrum obtineat. Quod autem necessaria sit nubes roscida, pulcherrima hac experientia comprobatur.

Si enim in Sole positi ore aquam efflantes levi aspergine aerem Soli nobisque adversum irroremus, actutum Iridis arcum, guttulis illis quamvis volitantibus inhærentem, summa voluptate spectabimus. Hæc de Iride, ex probatis scriptoribus.

Prognosticum Iridis signum, plerumque, pluvia alicubi jam cadens, & jam jam imminens. Poetarum vaticinia passim decantata de hoc. *Pluvius Arcus* ab Horatio nuncupatur. Virg. I. *Georg.*

Bibit ingens arcus.

Plautus:

Ecce autem bibit arcus, credo, hercle hodie.

Propertius *lib.* III.

Cæruleus pluvias cur bibit arcus aquas.

Tibullus *lib.* I.

Quamvis prætexens picta ferrugine cœlum,
Venturam admittit imbrifer arcus aquam.

Lucanus lib. IV. *Pharf.*

Hinc imperfecto complectitur aera gyro
Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
Pertulit, & cœlo diffusum reddidit æquor.

Seneca in *Oed.*

Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curvata picto nunciat nimbos sinu.

Ammiani de hoc mirum elogium: *Iris indicium est permutationis auræ a sudo aere nubium concitans globos, aut contra, ex concreto immutans in serenam lætitiam cœlum.* Ideo legimus passim Irim missam de cœlo, cum præsentium status sit mutatio. Serenitatem innuit apud Flaccum:

Emicuit reserata dies, cœlumque resolvit
Arcus, & in summos redierunt nubila montes.

Sed in his mihi Pyrrhonia hæsitatio, & potissimum de coloribus, quare ego cum Academicis inter ἀπορητικὼς, id est, *hæsitantes*, meum nomen profiteor.

F I N I S.

PHLEGONTIS TRALLIANI
DE
OLYMPIIS
FRAGMENTUM,
CUM LATINA INTERPRETATIONE
ET NOTIS
JOANNIS MEURSII.

ΦΛΕΓΟΝΤΟΣ ΤΡΑΛΛΙΑΝΟΥ [1]ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΟΛΥΜΠΙΩΝ.

ΔΟΚΕΙ μοι χρῆναι εἰπεῖν τὴν αἰτίαν, δι' ἣν τὰ Ὀλύμπια τεθῆναι συμβέβηκεν. Ἐστι δὲ ἥδε. Μετὰ Πεῖσον καὶ Πέλοπα, ἔτι δὲ Ἡρακλέα, τοὺς πρώτους τὴν πανήγυριν καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπιάσιν ἐνστησαμένους, ἐκλειπόντων τῶν Πελοποννησίων τὴν θρησκείαν χρόνῳ τινὶ, εἰς ὃν ἀπὸ Ἰφίτου Ὀλυμπιάδες ὀκτὼ πρὸς ταῖς εἴκοσι καταριθμοῦνται εἰς Κόροιβον τὸν Ἠλεῖον, καὶ ἀμελησάντων τοῦ ἀγῶνος, στάσις ἐνέστη κατὰ τὴν Πελοπόννησον. Λυκοῦργος

PHLEGONTIS TRALLIANI DE OLYMPIIS FRAGMENTUM.

EXPONENDA mihi videtur causa, ob quam Olympia institui contigit. Est autem hæc. Post Pisum, Pelopem, atque Herculem, qui primi solennem conventum ac certamen Olympicum instituerant, cum Peloponnesii eam festivitatem aliquandiu intermisissent, per id scilicet tempus, quod ab Iphito ad Corœbum usque Eleum duodetriginta Olympiadum numeratur, certamenque neglexissent, seditio in Peloponneso fuit coor-

---

1 Totum Opus, cujus hoc fragmentum tantum, in sedecim libros tributum fuit. Suidas de eo: Ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις ις'. ἔστι δὲ μέχρι τῆς σκθ'. Ὀλυμπιάδος τὰ πραχθέντα πανταχοῦ. Et observa in istis verbis, desiisse in Olympiade CCXXIX. Clare id ipsum etiam Anonymus in *Descript. Olymp.* in ejus Olympiados anno IV. Μέχρι τούτου Φλέγων Τραλλιανὸς, ἀπελεύθερος Ἀδριανοῦ Καίσαρος, ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις ις'. Photius ait, legisse se ad CLXXVII. Olympiadem. Accipe verba: Ἀνεγνώσθη Φλέγοντος Τραλλιανοῦ, ἀπελευθέρου τοῦ αὐτοκράτορος Ἀδριανοῦ, Ὀλυμπιονικῶν καὶ Χρονικῶν συναγωγή. προσφωνεῖ τὸ σύνταγμα πρός Ἀλκιβιάδην τινὰ, ὃς εἷς ἦν τῶν εἰς τὴν φυλακὴν τεταγμένων τοῦ Ἀδριανοῦ, ἄρχεται δὲ τῆς συναγωγῆς ἀπὸ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος. Διότι τὰ πρότερα, καθὼς καὶ οἱ ἄλλοι σχεδόν τι πάντες φασὶν, οὐκ ἔτυχεν ὑπό τινος ἀκριβοῦς καὶ ἀληθοῦς ἀναγραφῆς· ἀλλὰ ἄλλοτε ἄλλως τῶν ἐπιτυχόντων καὶ οὐ συμφώνως ἔγραψαν, ὅσοις καὶ γράψαι πεφιλοτίμηται. τὴν μὲν οὖν ἀρχὴν τοῦ συγγράμματος, ὥσπερ ἔφημεν, ἀπὸ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος ποιεῖται. κάτεισι δὲ, ὡς αὐτὸς φησὶ, μέχρι τῶν Ἀδριανοῦ χρόνων. ἐμοὶ δὲ ἀνεγνώσθη μέχρι τῆς ροζ'. Ὀλυμπιάδος. Inscripsit autem Alcibiadi cuidam, uni e custodibus corporis Hadriani. Habes in *citatis* statim Photii *verbis*: Προσφωνεῖ τὸ σύνταγμα πρὸς Ἀλκιβιάδην τινὰ, ὃς εἷς ἦν τῶν εἰς τὴν φυλακὴν τεταγμένων τοῦ Ἀδριανοῦ. De stylo mox judicium suum subjungit Photius: Ἔστι δὲ τὴν φράσιν οὔτε λίαν χαμαιπετὴς, οὔτε τὸν Ἀττικὸν ἐς τὸ ἀκριβὲς διασώζων χαρακτῆρα. ἄλλως τε δὲ καὶ ἡ περὶ τὰς Ὀλυμπιάδας, καὶ τὰ ἐν αὐταῖς τῶν Ὀλυμπιακῶν ἀγωνισμάτων ὀνόματα, καὶ τὰς πράξεις, καὶ ἡ περὶ τοὺς χρησμοὺς ἄκαιρος φιλοπονία τε καὶ φιλοτιμία, εἰς κόρον ἀπάγουσα τὸν ἀκροατὴν, καὶ μηδὲν ἄλλο τῶν ἐν τῷ λόγῳ προκύπτειν συγχωροῦσα, ἀηδῆ τε σχεδὸν τὸν λόγον δεικνύει, καὶ χάριτος οὐδὲν ἔχειν παρατίθησι. Χρησμοῖς δὲ παντοίοις εἰς ὑπερβολήν ἐστι κεχρημένος. Vides autem titulum Operis, ΟΛΥΜΠΙΟΝΙΚΩΝ ΚΑΙ ΧΡΟΝΙΚΩΝ ΣΥΝΑΓΩΓΗ. Itaque bifariam citatus, & *Olympiadas* alii indigetant, alii *Chronicorum libros*. Olympiadas quidem laudat Constantinus Porphyrogeneta lib. II. *Them.* XII. Μαρτυρεῖ δὲ καὶ ὁ Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδι πεντεκαιδεκάτῃ. Et pluries Stephanus. Ac primum *in* Γέργις: Ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων πρώτῃ. Iterum *in* Διὸς ἱερόν: Τὸ ἐθνικὸν, Διοσιερίτης. ὡς Φλέγων ἐν πρώτῃ Ὀλυμπιάδι. *In* Αὔγουσται: Οἱ πολῖται, Αὐγουστανοί. Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδι ὀγδόῃ. Et *in* Λῆνος. Ὁ πολίτης, Ληναῖος· Φλέγων τεσσαρακοστῇ ὀγδόῃ Ὀλυμπιάδι. Vide eundem *in* Βέλιτρα, Μαιανδρούπολις, Νίβις, Ταρραχίνη. *Chronicorum* nomine laudat Origenes *in Matthæum* Tractatu XXIX. & XXXV. Et distincte librum VIII. Stephanum *in* Κρίμη: Φλέγων ἐν ὀγδόῳ Χρονικῶν: Eusebius XIII. nominat in *Chron.* Γράφει δὲ, καὶ λέγει, ὁ τὰς Ὀλυμπιάδας γράφων Φλέγων, περὶ τῶν αὐτῶν ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ, ῥήμασιν αὐτοῖς τάδε. Τῷ δὲ ἔτει τῆς σβ'. Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον. καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο. Ubi habes ecce fragmentum item Operis. Ex Eusebio autem transtulit Paulus Diaconus, *Hist. Misc.* lib. VII. *Scribens autem inter cæteros & Phlegon, qui Olympiadas super ipsis enumerat, in tertiodecimo sermone eisdem verbis adserit. Porro quarto anno* CCII. *Olympiadis facta est defectio solis maxima, & nox hora sexta diei facta est: ita ut etiam stellæ in cœlo apparerent. Terræmotus etiam magnus in Bithynia factus plurimam Nicææ partem urbis subvertit.* Et Maximus in *Scholiis ad Dionysii Areopagitæ epist.* VII. Μέμνηται μὲν καὶ Φλέγων, ὁ Ἑλληνικὸς Χρονογράφος, ἐν τρισκαιδεκάτῳ Χρονογραφιῶν, ἐν τῇ σβ'. Ὀλυμπιάδι, τῆς ἐκλείψεως ταύτης. Ante omnes vero Origenes *contra Celsum*, lib. II. qui de numero tamen ambigit: Φλέγων μέντοι ἐν τρισκαιδεκάτῳ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ, οἶμαι, τῶν Χρονικῶν, καὶ τὴν περί τινων μελλόντων πρόγνωσιν ἔδωκε τῷ Χριστῷ. Et mox: Περὶ δὲ τῆς ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος ἐκλείψεως, οὗ βασιλεύοντος καὶ ὁ Ἰησοῦς ἔοικεν ἐσταυρῶσθαι, καὶ περὶ τῶν μεγάλων τότε γενομένων σεισμῶν τῆς γῆς, ἀνέγραψε καὶ Φλέγων ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ, οἶμαι, τῶν Χρονικῶν. Ego rectum numerum censeo XIV. Nam, ut calculum subducamus, justa Operis dividendi proportione, in singulis libris fuerint Olympiades quindecim; ac postremus, imperfectus, quatuor tantum in se habuerit; plures habiturus, si Phlegonti vita diuturnior fuisset. Ergo Olympias CCII. pertractata lib. XIV. fuerit. Supergressum autem Phlegontem annum quartum Olympiadis ducentesimæ vicesimæ nonæ, ita ut ulterius etiam progredi eum voluisse non inanis sit conjectura, inde certum est, quod in *lib.* Περὶ Θαυμασίων, *cap.* X. Consules nominet M. Plautium Silvanum & Sentium Augurinum, qui Consulatum administrarunt Olymp. CCXXXII. anno IV. qui fuit Anton. Pii XVII.

δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος, υἱὸς ὢν τοῦ Πρυτανέως, [2] τοῦ Εὐρόπου, [3] τοῦ Σώσου, τοῦ Προκλέως, τοῦ Ἀριστοδήμου, τοῦ Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδαίου, τοῦ Ὕλλου, τοῦ Ἡρακλέους καὶ Δηϊανείρας, καὶ Ἴφιτος ὁ Αἵμονος, ὡς δὲ ἔνιοι Πραξωνίδου, ἑνὸς τῶν ἀπὸ Ἡρακλέους, Ἠλεῖος· καὶ Κλεοσθένης ὁ Κλεονίκου Πισάτης, βουλόμενοι εἰς ὁμόνοιαν καὶ εἰρήνην τὸ πλῆθος αὖθις ἀποκαταστῆσαι, τήν τε πανήγυριν τὴν Ὀλυμπικὴν ἔγνωσαν ἀνάγειν εἰς τὰ ἀρχαῖα νόμιμα, καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν ἐπιτελέσαι. στέλλονται δὴ εἰς Δελφοὺς χρησόμενοι τῷ θεῷ, εἰ σφισιν συνεπαινεῖ ταῦτα ποιῆσαι. ὁ δὲ θεὸς, ἄμεινον, ἔφη, ἔσεσθαι ποιοῦσιν καὶ προσέταξεν ἐκεχειρίαν ἀγγεῖλαι ταῖς πόλεσιν, ταῖς βουλομέναις μετέχειν τοῦ ἀγῶνος. ὧν περιαγγελθέντων κατὰ τὴν Ἑλλάδα, καὶ ὁ δίσκος ἐγράφη τοῖς Ἑλλανοδίκαις, καθ᾽ ὃν ἔδει τὰ Ὀλύμπια ἄγειν. Οὐκ ἄγαν δὲ προσιεμένων τὸν ἀγῶνα, ἀλλὰ δυσχεραινόντων, τῶν Πελοποννησίων, λοιμὸς ἐπιγενόμενος, καὶ φθορὰ καρπῶν, ἐλυμαίνετο αὐτούς. οἱ δὲ ἀποστάντες πάλιν τοὺς περὶ τὸν Λυκοῦργον ᾐτοῦντο τοῦ λοιμοῦ παῦλαν καὶ ἴασιν τινά. ἡ δὲ Πυθία χρᾷ τάδε.

Ω γῆς ἀκρόπολιν πάσης Πελοπηΐδα κλεινὴν
Ναίοντες, πρέσβεις τε βροτῶν πάντων, καὶ ἄριστοι
Φράζεσθ᾽ ἐξ ἐμέθεν χρησμὸν θεοῦ ὅττι κεν εἴπω.
Ζεὺς ἡμῖν τελετῆς μῆνιν ἔχει ἣν διέχρησεν,
Οὕνεκ᾽ ἀτιμάζοντες Ὀλύμπια λᾶσι ἄνακτος
Ζηνός· τοῦ πρῶτος μὲν ἱδρύσατο καὶ θέτο τιμὴν
Πεῖσος, καὶ μετὰ τόνδε Πέλοψ, ὅτε δημονναῖαν
Ἑλλάδα, θῆκε δ᾽ ἔπειτα ἔροτιν * καὶ ἔπαθλα θανόντι
Οἰνομάῳ. τρίτατος δ᾽ ἐπὶ τοῖς παῖς Ἀμφιτρύωνος
Ἡρακλῆς ἐτέλεσσ᾽ ἔροτιν καὶ ἀγῶν᾽ ἐπὶ μήτρῳ
Πέλοπι Ταντάλιδῃ φθιμένῳ τὸν δήτοθεν ὑμεῖν
Λείπετε καὶ τελετήν, ἧς χωσάμενος κατὰ θυμὸν,
Ὦρσε κακὸν λιμὸν παρὰ τοῖς καὶ λοιμὸν, ὃν ἔστι
Παῦσαι, ἀνορθώσαντας ἑορτὴν τῷ πάλιν αὖθις.

Ταῦτα ἀκούσαντες, ἀπήγγειλαν τοῖς Πελοποννησίοις· οἱ δὲ, ἀπιστήσαντες τῷ χρησμῷ, ἀπέστειλαν πάλιν καὶ αὐτοὶ ἀπὸ κοινοῦ δόγματος ἐπιστρεφέστερον ἐπερωτήσοντας τὸν θεὸν περὶ τῶν χρησθέντων· ἡ δὲ Πυθία λέγει τάδε.

Ω Πελοποννήσου ναέται, περὶ βωμὸν ἰόντες
Θύετε, καὶ πείθεσθε τά κεν μάντεις ἐνέπωσιν,
Ἠλείων πρόπολοι, πατέρων νόμον ἰθύνοντες.

ta. Ibi Lycurgus Spartanus. Prytanei filius, Europi N. Sosi pro N. (qui Sosus patrem habuit Procleum, avum Aristodemum, proavum Aristomachum: fuit autem hic Cleodei filius, cujus pater Hyllus, Hercule & Deianira fuit natus) & Iphitus Hæmonis, aut (ut alii perhibent) Praxonidæ F. ab Hercule prognati, Eleus domo; ac Cleosthenes Cleonici F. Pisæus, ut populum ad concordiam pacemque reducerent, cum Olympicam festivitatem statuerunt ad pristinam formam redigere, tum certamen gymnicum edere. Itaque Delphos miserunt, qui Deum percontarentur, an hoc eorum probet consilium. Is respondit, bona eventura, si id exequantur: jussitque ferias indici urbibus, quæ certaminis esse vellent participes: quo oraculo in Græcia renunciato, discus etiam conscriptus est a Græcorum judicibus, quos ipsi Hellanodicas vocant, formam agendorum Olympiorum indicans. Cæterum Peloponnesios non admodum id certamen gratum habentes, molesteque id ferentes, pestis invasit, frugumque pernicies afflixit. Itaque ii, qui ante a societate istorum ludorum desciverant, denuo Lycurgum pestis amolitionem ac remedium poposcerunt. Pythia vero sic respondit;

O qui telluris famosam totius arcem
Mortales inter natuque & laude supremi
Incolitis, quæ fata Dei cano discite jussu.
Neglecta altitonans irascitur ob sacra vobis
Jupiter, immenso qui maximus imperat orbi
Cujus Olympia vos cultu spoliastis avito:
Quæ princeps Jovis ut Pisus celebraret honorem
Instituit: post huncque Pelops, quo Græcia rege
Floruit, unanimesque habuerunt mœnia cives,
Oenomao instituit certamina lumine casso.
Tertius hæc Pelopi satus Amphitruone dicavit
Tantalidæ, grati servans pia jura nepotis.
Hæc sacra, & ludos abolere hoc Jupiter ausis
Iratus pestem immisit, diramque famemque.
Verum instauratis cessabunt hæc mala sacris.

Peloponnesii, ubi hoc eis renunciatum oraculum fuit, fidem derogantes, denuo communi de sententia miserunt ipsi, qui accuratius DEUM de oraculo interrogarent. Pythia autem hæc retulit:

O Peloponnesi cives, altaria circum
Ite, sacris factisque animis advertite dicta
Vatum, qui leges & jura paterna sequuntur,
Vatum Eleorum monitis parete volentes.

* Petrus Faber lib. I. *Agonistici* cap. XVI. putat legendum esse ἐροτιν, ut ἑορτὴν significet, translata more poetico literula.

2 Τοῦ Εὐρόπου.) Pausan. in *Laconicis* Eurypon dicitur, Εὐρυπῶντος υἱὸς γίνεται Πρύτανις. Et hoc verum viri nomen fuit, hic corruptum. Ecce iterum alibi apud eundem Pausan. in *Corinthiacis*: Λακεδαιμονίων δὲ, καὶ τοῦ βασιλέως Νικάνδρου, τοῦ Χαρίλλου, τοῦ Πολυδέκτου, καὶ Πρυτάνιδος, τοῦ Εὐρυπῶντος, ἐς τὴν Ἀργολίδα ἐσβαλόντων στρατιᾷ, συνεσέβαλόν σφισιν οἱ Ἀσιναῖοι. Estque geminus isti locus in *Messenicis*. Corruptus quoque Plutarchi locus in *Lycurgo*, ubi Εὐρυτίων pro Εὐρυπῶν scribitur, proclivi lapsu: Δοκεῖ πρῶτος ὁ Εὐρυτίων τὸ ἄγαν μοναχικὸν ἀνεῖναι τῆς βασιλείας. Restitue itaque, ὁ Εὐρυπῶν. Et paullo ante: Πατροκλέους μὲν τοῦ Ἀριστοδήμου γενέσθαι Σόον. Σόου δὲ, Εὐρυτίωνα. Iterum repone, Εὐρυπῶντα. Ab ejus nomine posteri ipsius Εὐρυπωντίδαι nuncupati. Pausan. in *citatis Laconicis*: Εὐρυπῶντα δὲ τὸν Σόου φασὶν ἐς τοσοῦτον ἀφικέσθαι δόξης, ὡς καὶ τὴν οἰκίαν ταύτην Εὐρυποντίδας ὄνομα ἀπ᾽ αὐτοῦ λαβεῖν. Et mox: Ἐπὶ δὲ τῷ πέρατι τῆς Ἀφεταΐδος, ἐγγύτατα ἤδη τοῦ τείχους, Δικτύννης ἐστὶν ἱερὸν, καὶ βασίλειοι τάφοι τῶν καλουμένων Εὐρυπωντιδῶν. Themistius in *Oratione*, quæ Βασανιστὴς, ἢ Φιλόσοφος inscribitur: Λακεδαιμονίους δὲ ἐγὼ πυνθάνομαι τά τε ἄλλα τὸν Λυκοῦργον αἰσχύνειν, καὶ ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς Ὀρθίας ὁμοίως μὲν δούλους, ὁμοίως δὲ ἐλευθέρους ἀνάγειν, τόν τε εἵλωτα, εἰ τύχοι, τόν τε Εὐρυπωντίδην, ἢ Ἀγιάδην. Ita etiam illic scribo; nam editur hactenus in vulgatis, τόν τε Ἐρυποντίδην. Quamobrem emendandus rursum Plutarchus in *citato* jam *Lycurgo*: Οὐκ ἀπὸ τούτου τὴν οἰκίαν, ἀλλὰ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ προσηγορευθῆναι Εὐρυπωντίδας. Et in *Agide*: Ἆγις μὲν Εὐρυπωντίδης, καὶ Εὐδαμίδα παῖς. Perperam enim isthic editum, Εὐρυτιωνίδας; hic, Εὐρυτιωνίδης. Minus corruptus idem in *Lysandro*: Ἐβασίλευον ἐκ δυεῖν μόνον, Εὐρυτιωντίδαι καὶ Ἀγιάδαι προσαγορευόμενοι. Corrige ad præscriptum, Εὐρυπωντίδαι.

Τοῦ Σώσου.) Scrib. τοῦ Σόου. Nam Sous, non Sosus, nomen viro. Pausan. in *Laconicis*: Προκλῆς ὁ Ἀριστοδήμου τῷ παιδίον ὄνομα τίθεται Σόον. Εὐρυπῶντα δὲ τὸν Σόου φασὶν ἐς τοσοῦτον ἀφικέσθαι δόξης, &c. Plutarch. in *Lycurgo*: Πατροκλέους μὲν τοῦ Ἀριστοδήμου, γενέσθαι Σόον. Σόου δὲ, τὸν Εὐρυπῶντα. Ita enim jam illic scribendum esse ostendi; non, Εὐρυτίωνα. Et mox: Λέγεται δὲ τὸν Σόον, ἐν χωρίῳ χαλεπῷ καὶ ἀνύδρῳ πολιορκούμενον ὑπὸ Κλιτορίων, ὁμολογῆσαι τὴν δορίκτητον γῆν αὐτοῖς ἀφήσειν. Contracte Σοῦς dicitur apud Platon. in *Cratylo*: Λακωνικῷ δὲ ἀνδρὶ τῶν ἐνδοκίμων, καὶ ὄνομα ἦν Σοῦς. τὴν γὰρ ταχεῖαν ὁρμὴν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῦτο καλοῦσι. Ubi habes simul rationem nominis, quæ etiam apud Aristotelem occurrit *de Cœlo* lib. IV. c. VI. φησὶ γὰρ οὐκ εἰς ἓν ὁρμᾶν τὴν σοῦν· λέγων σοῦν τὴν κίνησιν τῶν ἄνω φερομένων σωμάτων.

A Hoc oraculo accepto Peloponnesii concesserunt Eleis, ut certamen Olympicum instituerent, & ferias urbibus denunciarent. Porro autem postea temporis Elei, cum opitulari vellent Lacedæmoniis, Elos urbem oppugnantibus, Delphos consultum miserunt: respondit Pythia in hanc sententiam;

Exsortes belli patriam defendite vestram,
Et pacis Græcos communia jura docete
Autores, anni veniant dum gaudia quinti.

Hoc oraculo dato, Elei bello abstinuerunt, & Olympia curaverunt. Quinque Olympiades ita sunt exactæ, ut coronaretur nemo. Sexta placuit oraculum scitari, an victoribus coronæ essent imponendæ, eamque ob rem missus ad fanum Dei rex B Iphitus. Deus sic est fatus;

Iphite, victorem malo donare caveto.
Verum sylvestris fructu redimitor olivæ,
Quem circum teneris inclusit aranea filis.

Cum ergo venisset Olympiam, inque luco multi essent oleastri, unum eorum deprehendens araneis circumdatum, ædificio cinxit: atque ea ex arbore corona data est victoribus. Primus coronatus est Daicles Messenius, Olympiade septima stadio victor.

Cætera desunt.

τέτων χρηθέντων, οἱ Πελοποννήσιοι ἐπέτρεψαν τοῖς Ηλείοις ἀγῶνα τιθέναι τῶν Ολυμπίων, καὶ ἐκεχειρίαν ἀγγέλλειν ταῖς πόλεσιν. καὶ Ηλεῖοι δὲ μετὰ ταῦτα βυλόμενοι βοηθεῖν Λακεδαιμονίοις, ὅτε Ελος ἐπολιόρκουν, πέμψαντες εἰς Δελφὺς, ἐμαντεύοντο. καὶ χρᾷ ἡ Πυθία τάδε.

Τὴν αὐτῶν ῥύεσθε πάτραν, πολέμυ δ' ἀπέχεσθε,
Κοινοδίκυ φιλίας ἡγύμενοι Ελλήνεσσιν,
Ες' ἂν πενταετὴς ἔλθῃ φιλόφρων ἐνιαυτός.

Χρησθέντων δὲ τέτων, τῦ μὲν πολεμεῖν ἀνέχοντο, τῶν δὲ Ολυμπίων τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιῦντο. καὶ ἐςέφετο μὲν ὐδεὶς ἐπὶ πέντε Ολυμπιάδας. τῇ δὲ ἕκτῃ ἔδοξεν αὐτοῖς μαντεύσασθαι, εἰ ςέμματα περιθῶσι τοῖς νικῶσι. καὶ πέμπυσι τὸν βασιλέα Ιφιτον εἰς θεῦ· ὁ δὲ θεὸς ἔφη τάδε.

Ιφιτε μήλειον καρπὸν μὴ θῇς ἐπὶ νίκῃ,
Αλλὰ τὸν ἄγριον ἀμφιτίθει καρπώδη ἐλαιῶν,
Ος νῦν ἀμφέχεται λεπτοῖσιν ὑφάσμασ' ἀράχνης.

Παραγενόμενος ὖν εἰς τὴν Ολυμπίαν, πολλῶν ἐν τῷ τεμένει κοτίνων ὄντων, εὑρὼν ἕνα περιεχόμενον ἀραχνίοις, περιῳκοδόμησεν αὐτὸν, καὶ τοῖς νικῶσιν ἐκ τούτυ ἐδόθη ὁ ςέφανος. [4] πρῶτος δ' ἐςεφανώθη Δαϊκλῆς Μεσσήνιος τῇ ἑβδόμῃ Ολυμπιάδι ςάδιον ἐνίκα.

ΛΕΙΠΕΙ.

4 Πρῶτος δ' ἐςεφανώθη Δαϊκλῆς Μεσσήνιος τῇ ἑβδόμῃ Ολυμπιάδι ςάδιον ἐνίκα.) Scribe E. Μεσσήνιος, ὃς τῇ ἑβδόμῃ Ο'. Habes hæc ipsa de Daicle apud Dionysium Halicarnasseum *Antiquit. Rom.* lib. 1. Anonymum in *Olymp. Descript.*

F I N I S.



ERYCII PUTEANI

OLYMPIADES,

SOLA MANU,

UT VERE ANNIS MUNDI RESPONDENT,

COMPUTATÆ.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO,

ALPHONSO DE LA CUEVA,

S. R. E. CARDINALI,

ERYCIUS PUTEANUS

Dedicat Consecratque.

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.



STUDIORUM ut flores, ita & fructus sunt; mixta amœnitati maturitas. Quicquid Eruditio habet, amœnum puto; quicquid Historia, tanquam maturum colligas. Ut meum quidem munus est, nunc flores spargo, nunc fructus promo; & quoties ingenii stilique amænus sum, maturitatem; quoties maturus, amænitatem tamen complector. In Historia quidem scribenda quid conatus sim, satis, ut opinor, fluctus lacus Larii, & vicini flamma belli, per nives Alpesque grassata Rhæticas: satis etiam MIRACULA DIVÆ ASPRICOLLIS (quæ sacra Historia est) ostendunt. Inprimis tamen æstimare, vel tuo judicio, IRRUPTIONES BARBARORUM IN ITALIAM audeo, licet cum Typographis adhuc luctentur: BELLA audeo Belgica, quæ a magno, & digno Nobilissima sua stirpe viro, JO. BAPTISTA TASSIO congesta, sub mea adhuc manu & lima hærent. Eruditio autem otiosa mihi nequaquam fuit, sed nec vocis officio terminata. Dedi varia, ut argumentum ex occasione natum est; cæpta etiam in volumina plura colligi, ne parva dicerentur: magna vel ideo, quia a TE lecta. Sed eo aliqui sensu sunt, vile putant, quicquid laboris mole non tumescit: humile putant, quicquid amœnum est; periturum, quicquid flores habet. Quid igitur de OLYMPIADIBUS his dicturi sint, nunc experiar, sed benevolentia Sacræ Purpuræ tuæ munitus. Foliorum non adfero numerum, sed annorum: brevis fui, & tempora omnia complexus sum: imo, si licet dicere, longus fui, quia argumentum implevi: quod cum rarum selectumque sit, pretium omne a se capit. Sed satis jam pertinaciter modestia mea fatigata est: judicium tuum invoco. Dum nihil multi, aut magna agunt; hoc saltem quia ago, otiosus non videor. Etenim Veterem explicare Eruditionem, Historiamque, ut Novam scribere, munus meum est: sed profecto ad Olympiades vetus Eruditio facit; quæ magnis viris parva nunquam fuit, tibi semper maxima est: ad Historiam Olympiades; quæ nisi hac face illustretur, cæca est, & cum dare legenti debeat oculos, eripit. An plura? Non jam dicam, SIC SCRIBO, sed, SIC DOCEO. Nam Olympiades istæ, Prælectiones aliquæ meæ sunt, e Schola magis, quam Museo; non auribus tantum, sed oculis simul Juventutis commissæ; prorsus editæ, priusquam in lucem venirent. Tanquam magnæ essent, magno concursu auditæ sunt, & adhuc audiuntur: cum legi extra Academiam incipient; pretio fama accedet. Sed inverto formulæ verba: Prælectiones aliquæ meæ, Olympiades sunt, dignæ non voce tantum, sed stilo; quia multa sui parte hactenus latuerunt. Qua origine, caussa, modo institutæ sint, erui: cum Græcæ essent, Ægyptiæ factæ: cum vario quidem errore fluctuarent, ad lineam limitemque redactæ sunt; imo in Digitos digestæ, annis Mundi aptatæ; adeo faciles, ut quæ tot tabulis & libris fatigantur & fatigant, vel a puero queant numerari. Sic quidem scire Olympiades, magna Eruditionis & Historiæ, tam Sacræ quam Profanæ, pars est: ut sciri possint, operam istam dedi, & in publicum contuli. Pulchrum

ſane, immenſam annorum ſeriem, & quot Mundus habet, manu tenere: Faſtos Græciæ, Jovi olim Olympio conſecratos, & in delubro ſuſpenſos, manu circumferre: Piromes intelligere: Luſtra Capitolina ad calculos ſimul ducere: normam his omnibus a ratione Biſſextili dare. Nemo difficilem jam Hiſtoriam dicat; in promptu tempora ſunt: nemo tempora; ex tempore Olympiades computantur. Statui vero, hoc exemplo, quæ deinceps docturus ſum, typis pariter tradere, eruditionis negotium (ſumptus modo Reſpublica ſuppeditet) quantum ingenio poſſum, promovere. Succedent igitur INDIGITAMENTORUM libri reliqui, & in hunc finem parati, quibus tempora omnia, ſive præterita, ſive futura, tanquam præſentia numerentur, ſine labore ullo, ſine moleſtia, ſine mora. Succedent, ut alia taceam, Doctrinæ Politicæ FONTES, quemadmodum ab Ariſtotele fluxerunt; & continuis deſcripta Aphoriſmis Reſpublica, oſtendet alienam a Litteris Philoſophiam non eſſe. Sed Olympiades, vel maturrimæ amænitatis flores, vel amæniſſimæ maturitatis fructus ſunt; & quia non protritæ aut proletariæ doctrinæ, ejus potiſſimum ſacrandæ nomini, qui omnem ingenii laudem excedens, in ſummo virtutum faſtigio, neſcio an Purpura auguſtior, an doctrina clarior, teneriores omnes Litteras, velut feliciſſimæ vitæ delicias complexus eſt. Tibi nec flores iſti viles erunt, nec fructus inſipidi: intelligis enim, quid in omni eruditione vel pretium, vel ſaporem habeat: ſed jam quoque admirabili humanitate profeſſus es, eſſe flores, eſſe fructus, quicquid ab ingenio Puteani tui prodit. Ne plura dicam, prodeunt Olympiades: & prodeunt, ut tuæ ſint, meque tuum eſſe omnes intelligant: denique prodeunt, ut pignus, non ut munus ſint. Pignus, inquam, muneris, quod Urbis nuper & Academiæ noſtræ nomine pollicitus ſum, cum præſidiario onere levaretur. Cape igitur Cardinalis optime Doctiſſime, pignus: & quod exigere ab Urbe & Academia munus jure poſſis, a me quacunque ratione exſpecta. Ad Regem vero cum IRRUPTIONES meæ ibunt, ad te EPISTOLARUM APPARATUS, de Urbe & Academia bene rurſus merebor. Vale, & quas leges Olympiades, vive. In Arce Regia Palladis, VII. Eid. Maii, ∞. IↃC. XXVI.

AMICE LECTOR.

QUID *Manus possit, si ingenium accedat, res omnes indicant. Magna non est, magna tamen efficit. Atque Liber nunc iste quem dono, non tam liber, quam Manus est: in ea ingenio, ut quid sint Olympiades, & quomodo computentur, videas; tua usu, ut computet. Quantum hoc vero sit, imo quanti sit, agnoscet ille, qui parvum non putat, in veteri Historia recte & cum fructu versari. Tolle distinctionem temporum, quid Historia erit? Neglige Olympiades, quæ distinctio temporum? Librum manum dixi: si recte calculum ponis; Olympias Historiæ temporumque Manus est. Satis ista.*

INDEX CAPITUM.

ERYCII PUTEANI
OLYMPIADES,
SOLA MANU,
UT VERE ANNIS MUNDI RESPONDENT,
COMPUTATÆ.

CAP. I.

PRÆFATIUNCULA. *Inter Epochas temporum sive Æras annos Mundi, & Olympiades peculiari laude eminere: Minores etiam temporis limites constitui, tam Sacri quam prophani.*



CHRONOLOGIÆ fundus ac fundamentum Epocha, sive Æra est, annorum limes ac παράπηγμα. Hæc ab ære & calculis, Hispanis olim computata: illa a verbo ἐπέχω, id est, *inhibeo*, continuum temporis lapsum signato velut charactere suspendens ac sistens. Nobilissimam puto, quæ a rerum origine tanquam fonte & capite profluit, terminosque omnes temporis complexa, quicquid numerari potest exhibet: non usurpata Græcis Romanisque, quia ignorata. Ita Censorinus libro *de Die Natali*: *Si origo Mundi in hominum notitiam venisset, inde exordium sumeremus*. Venit vero, nec celare Auctorem potuit: sed homines Dei obliti, quomodo a Deo Mundi Machina originem duceret, ignorare cœperunt. Eo deinde ventum est, ut æternum plerique statuerent Naturæ opus, & sine principio fluxisse tempora, sine termino prolapsura. Ita aut ruditate impietas cumulata fuit, aut impietate ruditas. Dei populus, ut Deum coleret, agnovit a Deo Mundi incunabula, & hinc ætatem rerum computavit. Postea ut in terris memorabile quid exstitit, minores temporum limites constituti sunt; quasi toties in Mundo nasceretur Mundus, quoties novam temporum Epocham acciperent. Hujusmodi Diluvium est, anno Originis ∞. IↃC. LVII. secunda ætas. Natalis Abrahami Patriarchæ, anno ∞. C∞. L. tertia ætas. Exitus Israelitarum ex Ægypto, anno ∞ ∞. CCCC. LV. quarta ætas. Regnum Davidis, anno ∞ ∞. IↃCCC. XCII. Captivitas Babylonica, anno ∞ ∞ ∞. CCC. LXII. Tandem Deus homo natus Christus Jesus, anno ∞ ∞ ∞ C. ∞. LXVIII. Atque hoc Salutis initium fuit; quasi denuo conderentur omnia, quia natus, qui auctor est omnium, & factus homo, qui hominem creaverat. Hucusque progressa pietas: sed neque impietati solertia sua defuit. Græci enim, ut in infinito principium invenirent, a Troja capta, deinde a reditu Heraclidarum in Peloponnesum, tandem ab Olympiis tempora deduxerunt, quaternos annos una pentaeteride complexi. A ludis,

A inquam, Olympiis, unde Olympiades appellatæ: litteris historiæque etiam Sacræ utiles, & sic ab Eusebio, Hieronymo, aliisque usurpatæ. Ut liberius dicam, lampades quædam Olympiades sunt, quæ nisi luceant, multa sane caligine & nocte etiam eminentium rerum anni laborent. Viri Docti epiphonema est, opportune hic nobis, & rei causa depromendum: *Salve veneranda Olympias, custos temporum, vindex veritatis historicæ. Absque te foret, omnia etiamnum atro tenebrarum tegmine operirentur: cum autem hodie inveniantur, qui noctuinis oculis ad fulgorem tuum caligent, per te non solum ea quæ post te, &*
B *quæ ante te gesta sunt, explorata sunt. Per te Epochas Sacræ Historiæ deprehendimus.*

CAP. II.

Distinctio temporis. Epocham Trojæ, licet anteriorem, Olympiadibus dirigi. Hasce perperam hactenus per annos Mundi digestas esse. GODEFR. WENDELINI *laus.*

C VARRO autem, ut est apud Censorinum, tria discrimina temporum esse tradit, ἄδηλον, sive *obscurum*; μυθικὸν, sive *fabulosum*; ἱστορικὸν, sive *verum*. Verum a prima demum Olympiade, & certa rerum gestarum memoria constare. Diodorus tamen, *Præfatione* Operis, Verum ad Trojam captam extollit. Capta autem ea annis CCCC. XIII. ante Olympiades, id est, Mundi anno ∞ ∞. IↃCC. LXXXV. Quasi dicas aliquid adhuc luminis ante Olympiades fuisse, sed hinc retro flexum; atque in eo demum crepusculo rerum memoriam desinere. Tolle igitur Olympiades, & omnia tempora Trojanis similia erunt, velut nube obsepta. Tolle, & Roma quoque Troja fiet, fide
D Historiæ in fabulam desinente. Bene sit Iphito, qui ut Olympiades nascerentur, Olympia instauravit, qui reliquit posteris characterem, quo aliquid in rebus Græcanicis certi esset; Sacræ autem novo robore adversus errorem starent. Sed mihi satis non fuit, Græciæ fastos ad calculos ducere, nisi & omnem manu seriem complexus, familiarem redderem, Annosque Mundi ad Olympiades, Olympiades ad annos Mundi reciproco indigitamento revocarem. Sane cum vetus Historia Sacra annis Mundi, Profana Olympiadibus distincta sit, nihil in ratione temporum conficias, nisi binæ hæ Epochæ in concordiam veniant, & pari gestu computentur. Sed concordiam illam omnes

hactenus tentarunt Chronologi; nec minori aliqui fastu fiduciaque, quam labore: nemo tamen (liceat dicere) solide, absolute, vere. Unus erit, cui hæc gloria debebitur, incomparabilis ingenii & doctrinæ Vir, GODEFRIDUS WENDELINUS, ille meus, ille quamdiu tempora erunt, ubique & ab omnibus æstimandus: qui & Mundi, & Olympiadum Epocham, non opiniosis & allegoricis sæpe Sacrorum locorum interpretamentis, sed demonstrationibus Mathematicis, & ex ipso cœlo, tanquam Promethæa ferula petitis, ideoque anantilogetis, ordinavit, & feliciter litigia omnia consopivit. Unus ille, qui aut scit omnia, aut, si hoc homini negatum, quam paucissima ignorat, major sæculo nostro, quia ad antiquum se composuit, cum Eudoxo, Metone, Calippo, Hipparcho, sublimibusque illis mentibus olim nominandus. Omnes exhausit scientias, ut unam sciret, & summus esset, atque sacris studiis ornamentum a Mathesi adferret: omnes perdidicit linguas, ut nullo ævo, nullo in populo peregrinus, rusculum suum, tanquam Orbem terrarum haberet. Profer, Vir Magne, divina Scripta tua, ut si te nosse Academiæ incipiant, fateantur infra virtutes tuas encomium meum stetisse. In Chronologia vero, cum tuum calculum, meum fortassis laudabunt calamum, si quod cœptum nobis est opus, ad exitum perducatur. Tua erunt tempora, ego temporum lineis numerisque addam Historiam, inde ab origine rerum ad PHILIPPUM DOMINICUM VICTOREM, Regem Maximum perducendam: qui ut suo imperio felicem Orbem terrarum faciet, ita novam aurei ævi Æram mortales accipient, tranquilla pace tempora numeraturi. Nunc quod meum est molior, & quod in manu est ago, Annosque Mundi SOLA MANU relaturus, eruditionis hujus fundamenta curiosius lustro.

CAP. III.

Inter Græciæ ludos Olympia prima & præcipua, idque auctore Hercule; non Græco, sed Ægyptio; & in honorem Jovis Olympii, pariter Ægyptii. Ipsæ Olympiades nonnisi ab Ægyptiis, & tanquam Piromes.

QUATUOR in Græcia olim ludi, sive certamina, Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia; quibus lyram ingeniumque Pindarus illustravit. Ut vero inter elementa Aqua, (ne frustra dictum putes, ἄριστον μὲν ὕδωρ) inter metalla aurum, velut αἰθόμενον πῦρ: ita inter certamina Olympicum. Si & astra recenseas, tanquam Solis jubar, prorsus ἐν ἁμέρᾳ φαεινὸν ἄστρον. Celeberrimum, inquam, Olympicum fuit: in Eleorum agro, & valle Olympia, hinc dicta, ad Cronium collem, haud procul Pisa urbe, & amne Alpheo. Si originem quæris, ab Hercule est: quem Græci suum, & Alcmenæ filium, nos Ægyptium facimus, fide & testimonio bonorum Scriptorum. Ac primo fuisse Herculem aliquem Ægyptium, etiam Tacitus agnoscit, libro II. *Annalium*, de oppido Canopo: *Proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenæ ortum apud se, & antiquissimum perhibent; eosque qui postea pari virtute fuerunt, in cognomentum ejus adscitos.* Adde, & Jovem fuisse Ægyptium, appellatione Olympium; ne aliunde Olympiorum nomen derives. Testis Diodorus est, libro III. *Bibliothecæ*, Latine hic mihi, & contracto verborum syrmate repræsentandus: *Liber Ammonis & Amaltheæ filius, Ægypto occupata, Jovem, Saturno ac Rhea genitum, sed adhuc puerum, Regem provinciæ dedit: dedit & puero ἐπιστάτην, sive Rectorem Olympum. Ab eo egregie Jupiter eruditus, & ad summum virtutis gradum evectus, Olympii cognomen accepit.* Dubites jam, ampliusne sit, sic institutum esse, an regnum accepisse: fecit appellatio, ut meruisse videretur: *Ammon interea cum in Cretam trajecisset, a Titanibus oppugnatur. Suppetias laboranti fert Jupiter, sed victoriæ impares, & bello sustinendo magis quam finiendo. Libero opus erat: atque is ex India exercitum reducens, cum Minerva, cæterisque Deorum loco censis, gravi Titanes prælio aggressus est, & profligavit. Ammone vero & Libero ex hominum natura ad immortalitatem translatis, Rex unus omnium Jupiter haberi cœpit.* Ille Jupiter, ille Olympius, in cujus honorem Hercules ὁ στρατηγικὸς, qui vocatur Idæus (verba Diodori sunt, signato *lib.* III. & V.) συνεστήσατο τὸν Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα, *Agonem Olympicum instituit.* Quid clarius? Idæus vero, & sic tamen Ægyptius. Postquam enim Cretensis haberi Jupiter cœpit, etiam Hercules Idæus factus est, & Nutricius Jovis. Subjicit igitur Diodorus: Τὰς δὲ ὕστερον γενομένους ἀνθρώπους διὰ τὴν ὁμωνυμίαν δοκεῖν, τὸν ἐξ Ἀλκμήνης συστήσασθαι τὴν τῶν Ὀλυμπίων θέσιν: *Posteros tamen, similitudine nominis deceptos, existimasse, ab Alcmenæ filio, ludos Olympicos conditos esse.* Sic jam quoque Pausaniam accipe in *Eliacis*: Ἡρακλεῖ οὖν πρόσεστι τῷ Ἰδαίῳ δόξα τόντε ἀγῶνα διαθεῖναι πρώτῳ, καὶ Ὀλύμπια ὄνομα θέσθαι: *Herculi igitur Ideo, velut primo auctori, gloria ludorum tributa est: a quo & Olympia appellata.* Idæo, qui vel Ægyptius fuit, vel a Jove saltem Ægyptio ludos nominavit; Olympia ab Olympio: ut prorsus existimem, non a loco ludos, sed a ludis locum primitus dictum esse. Observa Judæos quoque a Tacito l. V. *Hist.* tanquam Idæos nominari. Nomen ipsum quid si Ægyptium faciamus? עולם, *holam*, sive *holim*, sæculum illis gentibus denotari Sacræ linguæ alumni sciunt. Sed Olympia nonne sæculis temporibusque notandis nata sunt? Olympiades pepererunt. Verisimile saltem putes, Olympum ipsum, Jovis Pædagogum, a sæculo nuncupatum esse, & sic dignum Jove nomen factum. Saturnus quoque, nonne Græcis Κρόνος, tanquam χρόνος? Omnino, ut Deorum pater, etiam temporis haberetur. Haud frustra igitur Olympiades Quadriennia sunt: quippe manifesto & exemplo & mysterio Ægyptiorum; qui pari annorum numero Piromes suos computabant. Dixeris Græciæ Olympiades Ægypti Piromes esse, accuratius mox, & suo loco explicandos.

CAP. IV.

Olympia ab Iphito restituta: sed non statim Olympiades, sive Fasti exstitere. Phlegontis Tralliani De Olympiadibus *Fragmentum. Olympia Dii, ad Actium, Romæ.*

LUDI ab Hercule instituti, intermitti mox cœperunt; quos Iphitus Eleus, Praxonidæ, sive Hæmonis filius, restituit, anno Mundi ∞ ∞ ∞. LXXXV. Quo tempore Spartanis Leges Lycurgus dabat, totis quidem XXVII. Olympiadibus, antequam victores, quos Ὀλυμπιονίκας Græci appellabant, in fastos referri inciperent: qui sunt anni CVIII. Quasi fuisse Olympia dicas, cum Olympiades adhuc non essent: essent ludi, priusquam fasti. Hi vero in delubro Jovis Olympii, anno Mundi ∞ ∞ ∞. C. XCIII. notari cœperunt, uti postea ostendam, cum victor esset Chorœbus

Eleus. Sic intelligendus Plinius, *lib.* IV. *cap.* V. *Intus, delubrum Olympii Jovis, ludorum claritate Fastos Græciæ complexum.* Fasti igitur Olympiades sunt, imo Fasti in templo sive delubro, & velut consecrati: quo pulcherrimo exemplo res omnes eximias, & quæ præsertim singulari numinis beneficio naturæ ordinem excedunt, scribi & velut dedicari in locis sacris velim; ut consecrata memoria sit, & ad auctorem Deum redeat. Sed de Iphito quidem sic Pausanias scribit, *lib.* V. Ἴφιτος, γένος μὲν ὢν ἀπὸ Ὀξύλου, ἡλικίαν δὲ κατὰ Λυκοῦργον τὸν γράψαντα Λακεδαιμονίοις τοὺς νόμους, τὸν ἀγῶνα διέθηκεν ἐν Ὀλυμπίᾳ, πανήγυρίν τε Ὀλυμπιακὴν αὖθις ἐξ ἀρχῆς, καὶ ἐκεχειρίαν κατεστήσατο, ἐκλίποντα ἐπὶ χρόνον. *Iphitus ab Oxylo oriundus, æqualis Lycurgi, a quo scriptæ Lacedæmoniis Leges, ludos in Olympia ordinavit, nundinas Olympicas denuo indixit, & ludorum caussa inducias instituit, quæ omnia aliquandiu intermissa.* Vide quæ reliqua sunt Phlegontis Tralliani, περὶ τῶν Ὀλυμπίων. Vixit is sub Trajano, opusque suum ad Olympiadem CCXXIX. perduxerat, teste Suida, sive Mundi annum ∞ ∞ ∞ ∞. CV. Sic quidem Iphitus Herculem imitatus est, Iphitum Archelaus Macedoniæ Rex, Augustus postea, & Domitianus. Archelaus quidem, ut Elidem in Macedonia haberet, a suo Olympo, abesse Olympia noluit. Rem nobis Ulpianus, ille Demosthenis Scholiastes, explicat, *ad Orationem* περὶ τῆς Παραπρεσβείας, ubi de Philippo: Ὀλύμπια ἐποίει, *Olympia celebrabat:* Τὰ Ὀλύμπια δὲ πρῶτος Ἀρχέλαος ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας κατέδειξεν. ἤγετο δ' ἐπ' ἐννέα, ὥς φασιν, ἡμέρας, ἰσαρίθμους ταῖς Μούσαις. *Olympia vero primus Archelaus Dii Macedoniæ oppido* (ad radicem montis Olympi) *instituit: eaque novem diebus, ut ajunt, agebantur, ad numerum Musarum.* Nec mirum: *hic Musarum parens, domusque Pieria,* ut Melæ verbis utar, *hic Libethra, carminumque fontes.* Quinque enim diebus in Elide celebrata fuisse Olympia, alii adnotarunt. Sed Augustus, *quo Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset*, ut scribit Suetonius, *Urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic Quinquennales constituit.* Addo: Apollini, non Jovi, sacros. Nomen quoque a nova urbe novum fuit, & Straboni expressum, *l.* VII. Ἀποδέδεικται δ' ὁ ἀγὼν Ὀλύμπιος τὰ Ἄκτια, ἱερὸς τοῦ Ἀκτίου Ἀπόλλωνος· τὴν δ' ἐπιμέλειαν ἔχουσιν αὐτοῦ Λακεδαιμόνιοι. *Actia certamen sunt Olympicum, in Actii Apollinis honorem; procurant Lacedæmonii.* Videndus quoque Dio Cassius, *lib*, LI. Domitianus vero, ut amplius ageret, Romam ipsam nobilitavit Olympiis, & Agonem Capitolinum instituit: a quo nova ratione tempora quoque numerarentur, & Romanæ, ut sic dicam, Olympiades essent. Sed de his deinceps uberius.

CAP. V.

Olympias quo annorum numero. Τετραετηρὶς, *&* πενταετηρὶς *pro Olympiade, Sacra* πενταετηρικά. *Censorinus quo tempore scripserit. Dactyli Idæi cur quinque, & quomodo auctores Olympiorum.*

ET Ludi quidem origine sua sic se habent: Olympia sunt, tanquam originem nomine indicent: imo Olympia sunt, statisque in orbem annis redibant. Hinc Olympias, *spatium temporis a Ludis ad Ludos, interjecto solitos triennio renovari.* Ne fortassis in re plana hæreas, rationem ac methodum Bissextilem cogita, imo compara; eandem invenies. Triennium igitur sine Ludis erat, otiosum scilicet & vacuum,

> *Cum Stadio jam pigra quies* ——

quadriennio semel celebrati, & hæc τετραετηρίς; quinquennio bini jungebantur, & hæc πενταετηρίς: quemadmodum Sacra ipsa ludicra πενταετηρικὰ dicta sunt, & ipsa conjuncto numero Olympias, significanter τετραπενταετηρίς. Censorini apposita imprimis verba sunt, libro *de Die Natali*: *Pentaeterides maxime notandis temporibus Græci observant, id est, quaternum annorum circuitus, quas vocant Olympiades. Et nunc apud eos* CCLIV. *Olympias numeratur, ejusque annus hic secundus.* Mundi nempe ∞ ∞ ∞ ∞. CCVI. Christi vulgata Epocha, CC. XXXVIII. Gordiano ad Imperium evecto. Atque hinc jam scire licet, quo tempore doctissimus hic libellus, aut potius thesaurus, ad Cærellium scriptus sit. Neque inepte Isidorus, l. V. *Originum* cap. XXXVII. *Et hoc certaminis tempus Olympiadem vocaverunt, quadriennio in una Olympiade.* Quinquennia igitur cum apud Poetas Latinos leges, ad πενταετηρίδα refer. Ut apud Ovidium l. IV. *de Ponto*, elegia VI.

> *In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:*
> *Jam tempus lustri transit in alterius.*

Et apud Tragicum, *Hercule Furente:*

> *Qualis Eleum coit ad Tonantem,*
> *Quinta cum sacrum revocavit æstas.*

Numera Agonis annum, & ad Agonem redi; Quinquennale spatium, & Quintam æstatem, cœptam, non finitam habebis. Hoc Græcis est, τὴν Ὀλυμπιάδα διὰ πέντε ἐτῶν ἄγεσθαι, non autem, μετὰ πέντε ἔτη: *Olympiadem incipiente quinto anno constitui, non finito.* Sed ad Quadriennia quod attinet, res manifestissima est; nec aliter Olympiades computatæ. Eusebii *Chronica*, alia aliorum monumenta vide: sic distincta sunt. Πενταετηρὶς vero Pausaniam fortassis induxit, ut scriberet *l.* V. *Olympia a Dactylis Idæis fratribus, qui numero quinque erant, & inter quos eminebat Hercules, instituta esse.* Sed quomodo Quinque, si a Decem digitis Dactyli appellati: Τοῖς ἐν ταῖς χερσὶ δακτύλοις ἰσάριθμοι? (ut *libro* pariter V. ait Diodorus) *Tot numero, quot in manibus digiti sunt?* Sunt autem Decem. Quid dicemus? quod e Sophocle Strabo, *lib.* X. Πέντε τοὺς πρώτους ἄρσενας γενέσθαι, πέντε δὲ καὶ ἀδελφὰς τούτων. Ἀπὸ δὲ τοῦ ἀριθμοῦ Δακτύλους κληθῆναι. *Quinque primos, mares fuisse, quinque etiam his fuisse sorores. A numero autem Dactylos*, id est, Digitos, *nuncupatos esse.* Hi & Curetes nonnullis, Corybantes, Telchines, & Telchinii. Quod ad Ludos attinet, ad Herculem tota originis gloria referenda est: ac profecto nisi inter Dactylos Idæos Hercules esset, ne Olympiorum quidem auctores Idæi censerentur. Recte sane idem Strabo, *lib.* VIII. & de iisdem Idæis, Ludisque: Τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα πολλαχῶς λέγεται, καὶ οὐ πάνυ πιστεύεται. *Hæc talia varie solent dici, nec admodum credi.* Quicquid sit, non frustra hæc periodus annorum; nec casu, sed consilio & caussa: quæ curiosius nunc quidem, & in gratiam Ægyptiorum, investiganda est, & vel ideo, quia delituit.

CAP. VI.

Caussa & origo Quadriennii. Annus, & menses Ægyptiorum. His Intercalatio diei e Quadrantibus conflati repudiata. Annus Canicularis, Magnus, & Parvus. Piromis Quadriennium, & tanquam Olympias. Herodoto, Diodoro, Melæ lux.

UT Jovem Olympium, & Herculem Olympiorum auctorem, Ægyptios feci: ita ab eo-

dem hoc cælo Olympiadum Quadriennia deduco; a mysterio intervallum, & rursus ab intervallo mysterium. Putes, non voluptatis caussa, sed doctrinæ, ludos institutos; certamen tempore, tempus certamine consecratum. Apud Ægyptios igitur Quadriennii ratio inter arcana olim Regni & Religionis fuit. Tanti erat, recte tempora computare; imo tanti, scire, qua lege & methodo computanda essent. Annus quidem, ut Solem sequeretur, CCC. LX. diebus, & V. ἐπαγομέναις, sive *Intercalaribus*, sed omisso Quadrante, numeratus est. Menses XII. & tricenum dierum singuli: *Thoth, Paophi, Athyr, Choiac, Tybi, Mechir, Phamenoth, Parmuthi, Pachon. Payni, Epiphi, Mesori.* Sed annus iste, defectu bissextili vagus, initium tamen aliquando suum habuit: Canicula nimirum oriente, anno Mundi ∞ ∞. IↃCC.V. atque adeo III. Non. Julii; quo die & Solstitium & Noviluvium erat. Omissus vero diei Quadrans: non quia eum ignorabant Sapientissimi mortalium; sed quia repudiabant. Idcirco enim Reges inaugurandi, sacramento adigi solent, ne anni formam intercalatione ulla horaria, aut quæ hinc nasceretur, perturbarent. Ad rem Germanici Scholiastes, Signum Capricorni explicans: *Deducitur autem Rex a Sacerdote Isidis, in locum qui nominatur Adytos, & jurejurando adigitur, neque mensem, neque diem intercalandum, quem in festum diem immutarent; sed* CCC. LXV. *dies peracturos, sicut institutum est ab Antiquis.* Ex quo simul loco discimus, non sine vitulatione tempus Intercalarium fuisse. Quid factum? Solstitia & Æquinoctia quarto quoque anno ad diem unum procedebant: vel certe initium mensis *Thoth* retrorsus tantundem agebatur, donec in orbem retractus cursus maximam periodum, annus ∞. CCCC. LXI. Ægyptiis, sive ∞. CCCC. LX. Julianis, conficeret: qui annus Κυνικὸς, sive *Canicularis Magnus* fuit appellatus, & eadem significatione *Sothiacus*: Sothis enim apud Ægyptios Canicula. Hæc e Censorino, *de Die Natali*, manifesta sunt; cujus quidem verba lucem jam simul accipiant: *Ad Ægyptiorum vere annum Magnum Luna non pertinet, quem Græci* Κυνικὸν, *Latine Canicularem vocamus: propterea quod initium illius sumitur, cum primo die ejus mensis, quem vocant Ægyptii* Θωὺθ, *Caniculæ sidus exoritur. Nam eorum annus Civilis solos habet dies* CCC. LXV. *sine ullo intercalari. Itaque Quadriennium apud eos, uno die minus est, quam naturale Quadriennium: eoque fit, ut anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo* (male hic *bis millesimo* scriptum erat) *ad idem revolvatur principium.* Veri in Firmico numeri, *Præfatione lib.* I. *Major ille Annus, mille quadringentorum & sexaginta unius annorum circuitu terminatur.* A Sole etiam Heliacus a quibusdam dicitur, & ab aliis ὁ θεοῦ ἐνιαυτός. Sed magis tamen est, ut Heliacus, & ὁ θεοῦ ad Quadriennium referantur: ad annum, inquam, Canicularem Parvum, dies complexum ∞. CCCC. LX. sive ut Hierophantæ numerabant, ∞. CCCC. LXI. cujus caput, ut dixi, retrorsum die uno movebatur. Sic quidem Ægyptii, tanquam cæli & temporis Mystæ, cum negligerent diem Intercalarem, maxime observabant. Annus Bissextilis erat, cum non esset, non tempore modo, sed mysterio: totque anni in Magna periodo erant, quot dies in simplici anno. Quid attinet dicere? tota Quadriennii observatio quo ingenio constituta est, ea religione consecrata: tantique jusjurandum illud Regium fuit, ut dignum Simulacro haberetur. Quot igitur repudiato Bissextili quadriennia, tot Colossi Regum lignei, sive *Piromes* Ægyptiorum lingua erant, & in grandi quodam fano per seriem collocati. Ita Herodotus *lib.* II. & fanum μέγαρον τὸ μέγα appellat, Piromes κολοσσοὺς ξυλίνους: quos Græci καλοὺς κἀγαθοὺς dicerent, id est, *honestos & bonos*. Verba quidem sunt: Πίρωμις δέ ἐστι κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν, καλὸς κἀγαθός: *Piromis, si Græce efferas, honestus & bonus est.* Recte, ita me Deus: tanquam honectus ille & bonus, &, ut verbo dicam, Rex, qui sacramenti ritusque veteris constans, integram anni rationem servasset. Adjungit enim idem Scriptor, nec frustra: Ἤδη ὦν τῶν αἱ εἰκόνες ἦσαν, τοιούτους ἀπεδείκνυσαν σφέας πάντας ἐόντας: *Eos autem, quorum hæ imagines erant, demonstrabant* (Sacerdotes Ægyptii) *tales omnino exstitisse*. Hinc igitur multitudo Regum Ægyptiorum: ubi enim singuli fuere, quatuor errore computati, & anni Reges facti sunt. Sed si recte calculum ponis, quot Reges, tot Quadriennia fuerunt, & mystica ratione, ut dixi, repræsentare diei unius defectum placuit. Hoc sensu ad tempora Hecatæi λογοποιοῦ Colossus, sive Piromes fuisse CCC. XLV. idem Herodotus & eodem *libro* scribit, atque adeo ἕκαστον τῶν Κολοσσῶν Πίρωμιν ἐκ Πιρώμιος γεγονέναι: *In serie Colossorum Piromin ex Piromi genitum.* Trecenti igitur quadraginta quinque Piromes, ∞. CCC. LXXX. anno continent. Jam vero, ut errorem detegamus, Diodorus Siculus *libro* I. tmemate II. Reges ad suam ætatem numerat CCCC. LXXV. Ἄνδρας μὲν ἑβδομήκοντα πρὸς τοῖς τετρακοσίοις, γυναῖκας δὲ πέντε: *Viros quidem septuaginta supra quadringentos, feminas vero quinque.* Ex quo colligas, ab Hecatæo ad Diodorum Reges fuisse CXXX. Vixit enim Hecatæus quasi cum Amasi: Amasis autem Rex factus est Olympiade XLIX. quam Mundi ducit annus ∞ ∞ ∞. LXXXVIII. De Diodoro si quæris, in Ægyptum venit, ut ipse de se narrat, Olympiade CLXXX. cœpta Mundi anno ∞ ∞ ∞. C. ∞. IX. sub initia belli civilis, regnante Ptolemæo, novo illo, ut vocari voluit, Baccho. Unde inter Hecatæum & Diodorum anni intercedunt quasi IↃ. XX. Atqui toto eo tempore Reges duntaxat fuisse XXXII. partim indigenas, partim Persas, partim Macedones, ex ipsa serie liquet. Quid igitur est? & quid facient nobis Reges isti CXXX. antea collecti? Quid? Piromes sunt, & Quadriennia denotant. Piromes enim CXXX. si in quaternos ducas annos, IↃ. XX. illos, qui vero numero ab Hecatæo Diodorum disjungunt, colligas: ut sic quidem res ipsa confessionem Quadrienniorum videatur extorquere. Argumenti caussa locus simul Pomponii Melæ expendendus est, *libro* I. *cap.* IX. *Ipsi* (Ægyptii) *vetustissimi, ut prædicant, hominum, trecentos & triginta Reges ante Amasim, & supra tredecim millium annorum ætates, certis Annalibus referunt: mandatumque litteris servant, dum Ægyptii sunt, quater cursus suos vertisse sidera, ac solem bis jam occidisse, unde nunc oritur.* Vestigia Herodoti hic vides, sed diverso tamen pede signata. Ille enim, *l.* II. *a primo Rege ad Vulcani Sacerdotem* (qui Sanacharibum Ægypto imminentem non armis, sed pietate fugavit) ἀνθρώπων γενέας, sive *progenies hominum fuisse* CCC. XLI. Piromes intellige. Ait enim, *totidem* ἀρχιερέας καὶ βασιλέας, id est, *Sacerdotes & Reges recenseri.* Piromes vero, sive Quadriennia CCC. XLI. annos ∞. CCC. LXIV. conficiunt: quæ vera supputatio est. Unde in Mela, vel male *trecentos & triginta Reges* vides scriptos esse, vel non recte *ad Amasim* extendi; qui aliquot Pirombus posterior fuit. Similiter, quæ in Mela *supra tredecim millium annorum ætates sunt*: in Herodoto, sed mendose, *undecim* duntaxat sunt *millium, trecentorum quadraginta*. Collectio Herodoti hæc est: *Trecentæ quadraginta una progenies sunt*: Piromes jam vocavimus;

vimus: *ſed tres progenies centum anni ſunt*: *γεναὶ*, inquit, *τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστί*. Fiunt igitur *undecim millia annorum, trecenti quadraginta*. Itane? imo fiunt, *undecim millia, trecenti ſexaginta ſex*. Quid dicam? Piromes iſti CCC. XLI. ita videntur ſcribentis animum occupaſſe, ut manum in errorem traherent. Quia enim numerus trecentenarius in annis redibat, qui in Piromibus fuerat; etiam quadragenarius ſequela ſua adhæſit. Facile autem omitti monas potuit: niſi arbitrari malim, non ab Herodoto, ſed in Herodoto omiſſam eſſe. Reliqua Melæ verba, quaſi hieroglyphica ſunt, ac pariter tranſcripta: *Quater curſus ſuos vertiſse ſidera, ac Solem bis jam occidiſse, unde nunc oritur*. Plenius Herodotus: Τὸν Ἥλιον ἔνθατε νῦν καταδύεται, ἐνθεῦτεν δὶς ἐπαντεῖλαι· καὶ ἔνθεν νῦν ἀντέλλει, ἐνταῦθα δὶς καταβῆναι: *Solem bis quidem illinc exortum eſse, ubi nunc occidit; bis autem, unde nunc oritur, illic occidiſse*. Ænigma vides: ſed an Oedipo tamen opus? Breviter: Annus Canicularis Magnus hic ſignificatur; qui annos, ut dixi, Julianos ∞. CCCC, LX. Ægyptios ∞. CCCC. LXI. continet. Sol a menſe *Phamenoth*, ſive a Bruma (hic magnus ille ortus eſt) aſcendens, bis ad *Thoth* progreſſus eſt, & quaſi occidit: ſed a menſe *Thoth*, ſive a Solſtitio deſcendens (hic magnus ille occaſus eſt) bis ad *Phamenoth* rediit, & quaſi ortus eſt. Duravit hæc ratio, quamdiu Vagus quidem annus Ægyptius fuit, & Juliano obniſus eſt: ab Auguſto, capta jam Alexandria, firmatus, & tanquam Fixus annali hoc clavo. Fixus autem, cum ad diem IV. Kalend. Septembris *Thoth* perveniſſet. Cenſorinum vide, ubi de anno Auguſtorum.

CAP. VII.

Annus Magnus apud Græcos ratione Biſſextili conſtitutus. Olympias nonniſi annus Magnus. Agon Capitolinus, Capitolia. Quoto anno a Biſſextili Agon Olympicus, & quoto Capitolinus celebrati. Luſtri ratio.

TANTI erat, Quadriennii cauſſam Olympiadici inveſtigare. Piromes, qui a notitia quaſi hominum fugerant, inventi ac reſtituti ſunt; & nova, non libris tantum, ſed temporibus antiquis lux acceſſit. Agones mehercle, quia ut Piromes digeſti ſunt, non patiuntur originem ſuam ignorari. Erant in Ægypto Piromes & nunc ſemper erunt: in Elide Agones, & nunquam jam deficient. Erant Piromes; ne quartus quiſque die intercalari annus creſceret, ſed immotus hæreret: erant Agones, ut creſceret, & Magnus vocaretur. Sane ſiquid hac in re ſibi Græci vindicant, non poſſunt tamen niſi ad anni Magni rationem Olympia referre. Annus autem Magnus Græcus, quemadmodum Coloſſus Ægyptius & Coloſſus quia Magnus, ratione Biſſextili conſtitutus eſt. Ita dico, & Cenſorini auctoritate, tanquam fulcro, nunc etiam nitor; *Annus magnus apud Græcos, ex Quadriennio commodior viſus eſt, ut annus Solis conſtaret ex diebus trecentis ſexaginta quinque, & diei parte circiter quarta, quæ unam in Quadriennio diem conficeret. Quare Agon, & in Elide Jovi Olympio, & Romæ Capitolino, quincto quoque anno redeunte, celebratur*. Non fruſtra autem Agoni hic Olympico Capitolinus adjunctus eſt; quippe ad illius exemplum Romæ a Domitiano inſtitutus. Huc Suetonii verba faciunt: *Inſtituit & Quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex: Muſicum, Equeſtre, Gymnicum*. Quinquennale, quia quincto anno repetitum; quemadmodum Olympicum; & Jovi Capitolino ſacrum; quemadmodum illud Elidenſe Olympio. Cogita Olympia, non jam Græca tantum, ſed Romana eſſe: illa a Deo, hæc a loco in quo Deus colebatur, dici: illa Olympia, quibus fervere Græcia ſolita erat; hæc Καπιτώλια, & Καπετώλια, quibus Græciam Roma referebat. Exſtare aliqui nummum Domitiani volunt, & inſcriptum ΚΑΠΕΤΩΛΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ; quem videre mihi non contigit. Agone quoque Capitolino annum Magnum, quem & Luſtrum appellabant, Romæ ſtabilitum eſſe, Cenſorinus indicat: *Annus Magnus per Capitolinos agonas cœptus diligentius ſervari; quorum agonum primus a Diocletiano inſtitutus fuit, duodecimo ejus & Ser. Cornelii Dolabellæ Conſulatu*. Alio tamen periodi anno agon Olympicus, alio Capitolinus. Olympicus, proximo poſt Biſſextilem; Capitolinus, proximo poſt Olympicum, & Biſſextili quaſi ἐν διαμέτρῳ objectus. Si adhuc verba non ſatisfaciunt, lineas vide:

AGON OLYMPICUS

I.

V.

AN. BISSEXT. IV. ———— ———— II. AG. CAPITOL.

III.

ANNUS VACUUS.

Hæc quæ dico, imo hæc quæ ostendo, sic se habere, liquida veritate stabiliam. Et Capitolinum quidem agonem (nam de Olympico postea) altero post Bissextilem anno actum esse, e laudato proxime Censorini loco, breviter conficio. Primus agonum in XII. Domitiani Consulatum refertur: is vero annus certissimo calculo Christianæ & vulgaræ Epochæ est LXXXVI. & ἀκολούθως Mundi, ∞ ∞ ∞ ∞. LIV. Olympiadis CC. XVI. secundus. Etenim Christianam Epocham trahi ex anno post Bissextilem proximo, extra controversiam est: sed XII. Domitiani Consulatum in Christi LXXXVI. incidere, & quæ reliqua assumo, solidis rationum momentis mox evincam, suum & ordinem & numerum tam annis Mundi, quam Olympiadibus vindicaturus. Mantissæ autem loco, de Lustro hic nunc addo; cujus appellatio ad annum Romanum Magnum, atque adeo ad Agonem transiit: a Quinquennio, vel alio numero, ad Quadriennium. Prompta ejusdem Censorini verba sunt: *Idem tempus* (quaternum annorum circuitu, sive Olympiade comprehensum) *anni Magni Romani fuit, quod Lustrum appellabant*. Lustrum, inquam, Agonale; tanquam Julianum, & Bissextile: quod & Capitolinum Statius appellat, in *Silvis* suis, ad Claudiam uxorem:

Et Capitolinis Quinquennia proxima Lustris.

Ubi *Quinquennia*, Quinquennalia sunt, ut apud Ovidium *Quinquennis Olympias*. Integro autem Quinquennio Lustrum Servianum, & interdum postea Septennio, Decennio, Septemdecennio impletum est: illud quoque Indictionum Quinquennio. At in Capitolino non nisi Quadriennium invenitur. Pulchre ingeniosissimus Poetarum, & rationem Bissextilem comprehendens, libro V. *Fastorum*:

Hic anni modus est, in Lustrum accedere debet,
Quæ consummatur partibus una dies.

Lustra Capitolina, tanquam Olympiades numerata esse, & ad Constantini durasse tempora, frustra dico. Is enim publico edicto Agonem utrumque, ut e Zosimo colligas, cessare voluit: quo factum est, ut & Lustra, & Olympiades simul desierint, inductis Indictionibus, ne ratio deinceps temporum cespitaret. Putem igitur Olympiadem CCLXXIII. quo Indictiones institutæ, ultimam fuisse: ultimum Lustrum, LVIII. Ad hanc Lustri rationem vetus ista, & eruta ab Onuphrio, laudata a Scaligero, Inscriptio facit, digna quæ hic quoque exprimatur:

L. VALERIO L. F. PVDENTI
HIC CVM ESSET ANNORVM XIII.
ROMÆ CERTAMINE JOVIS CAPITOL.
LVSTRO VI.
CLARITATE INGENII CORONATVS EST
INTER POETAS LATINOS
OMNIBVS SENTENTIIS JVDICVM
HVIC PLEBS VNIVERSA HISCONIENSIVM
STATVAM AERE COLLATO DEDICAVIT.

Hic vero Lustrum Agon est, primus Lustri VI. annus: qui est Mundi ∞ ∞ ∞ ∞ LXXIV. Olympiadis CCXXI. secundus; Christi, ut hæc Epocha computatur, CVI. Inscriptio an versuum ordine ac divisione lapidem referat, nescio. Scaligerum, suo fortassis ingenio usum, secutus non sum; quia & ille ab Onuphrio discessit.

CAP. VIII.

A quoto Mundi anno Olympiades cœperint. WENDELINI *sententia, & solido ratiocinio æstimata.*

NULLUM menti iter longum est. In Ægypto fui, ut in Græcia Olympiades invenirem: Romæ fui, ut magis intelligerem. Amplius nunc etiam quam egi, agendum est: neque satis, in origine caussam, modum, auctorem habere; nisi & tempus constituatur. Temporis caussa esse caussam, modum, auctorem dixeris. Agon profecto mihi (ut imaginem hic quoque Ægyptus præbeat) tanquam Nilus est:

——— *nihil est quod noscere malim,*
Quam fluvii causas, per sæcula tanta latentis,
Ignotumque caput.

Fluunt Olympiades, & aquæ naturam habent: fontem si ignorem, temporisque caput, frustra sciam reliqua. Hoc caput non potest, nisi in annis Mundi quæri, & magno hactenus Chronologorum tumultu quæsitum est. Quid attinet omnium opiniones persequi? Temporum series Constantinopolitana annum assignat ∞ ∞ ∞ ∞ IↃCC. XXXIII. Eusebius, ∞ ∞ ∞ ∞. CCCC. XXV. Chronicon quod fuit Africani, ∞ ∞ ∞ ∞. IↃCC. XXV. Hieronymus, & Beda, ∞ ∞ ∞. C. LXXVII. De aliis frustra sollicitus sum: sed post alios GODEFRIDUS WENDELINUS, qua doctrina, ea modestia Vir, & divinitus nobis ad tempora ordinanda datus, annum demonstrat ∞ ∞ ∞. C. XCIII. Observa prima Olympiade Thoth Ægyptium in diem III. Non. Martii incidisse. Hic igitur limes nobis erit: ab hoc fonte Olympiades deducam. Limes certus & solidus: a fonte feliciter tandem reserato. Qua longum aut alienum non est, rei specimen ad calculos revocemus. Ab Adamo ad initium Diluvii, anni sunt ∞. IↃC. LVI. menses II. Ad finem, ∞. IↃC. LVII. menses II. Eo enim tempore mersa aquis terra jacuit. Jam vero situs astrorum, quem ingeniosius nescio, an felicius Atlas noster constituit, in genitura Mundi renascentis diem exhibet VI. Kalendarum Julii Juliani, a quo ad Epocham Christianam sunt anni ∞ ∞. CCC. X. menses V. Sed quia Epocha Adami ab Æquinoctio Verno sumitur, duo adhuc quasi menses adjiciendi; fiuntque a Mundo condito ad Epocham Christianam anni ∞ ∞ ∞. C∞. LXVII. menses IX. Præterea a prima Olympiade ad Epocham Christianam anni sunt IↃCC. LXXV. menses IV. fere. Hi subducti ab annis Mundi ∞ ∞ ∞. C∞. LXVII. mensibus IX. annos relinquunt ∞ ∞ ∞. C. XCII. menses V. Itaque labente jam anno ∞ ∞ ∞. C. XCIII. prima Olympias originem habuit.

CAP. IX.

Quo anni tempore Olympia. Æstatem ab Antiquis signari: sed præcipitem, adeoque Plenilunio Septembris fuisse. Cicero adversus Bosium & Scaligerum vindicatus.

INITIUM Olympiadum initium adhuc non est, nisi in ipso quoque anno reperiatur. Ut enim in tempore anni; ita in anno partes & partium partes sunt: & cum ab Horis ordimur divisionem, in Horas desinimus. Ab Horis, quæ Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem continent: in Horas, quæ diem nobis revolvunt. Medii deinde Menses, Diesque sunt, expendendi, ut natalem suum Olympiades inveniant. Tota in eo quæstio versatur, ut sciamus, Quo anni tempore Olympia celebrata sint. Hinc enim Olympiades cœptæ numerari. Censorinus, in hoc mihi argumento

A Antesignanus, Æstatem assignat: *Varro, pro cætera sua sagacitate, lucem ostendit, per quam numerus certus non annorum modo, sed dierum perspici possit: secundum quam rationem, nisi fallor, hic annus, cujus velut index & titulus quidam est Ulpii & Pontiani Consulatus, ab Olympiade prima millesimus est & quartus decimus, ex diebus duntaxat Æstivis, quibus agon Olympicus celebratur.* Observa obiter hunc esse Olympiadis CCLIV. ut supra expressit, annum secundum; quem Mundi diximus ∞ ∞ ∞ ∞. CCVI. Christi, ut vulgo computant, CC. XXXVIII. Æstatem quoque Tragicus, ante a nobis citatus, nominat:

B *Quincta cum Sacrum revocavit Æstas.*

Et Historici Græci, imo Latini. Inter Græcos Thucydides *libro* v. *Ὀλύμπια δ' ἐγένετο τοῦ θέρους τούτου, ea Æstate Olympia celebrata.* Inter Latinos Livius, *libro* XXVII. *Olympiæ ludicrum ea Æstate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebratur.* Sed Diem Æstatis non eodem tempore omnes definiunt. Josephus Scaliger, qui Onuphrium sequitur, Plenilunio post Solstitium proximo commissum primum certamen Olympicum putat, libro I. *De Emendatione Temporum:* atque Solstitium, ut de suo adderet, ad VIII. Eiduum Julii comminiscitur. Erasmus Reinholdus,

C *Tabularum Prutenicarum* auctor, Plenilunio post verum Solstitium proximo. Sed alio vocat Scholiastes Pindari, qui Plenilunium mensis Παρθενίου, vel Ἀπολλωνίου notat, quando Sol τὸν Παρθενὸν, id est, *Virginem*, occupat. Si & Pausaniam audimus, post Etesias. Ita enim *lib.* v. *ἀνέμους* accipias, quibus impeditum in Cycladibus Apollonium Rhantem scribit, quominus statis ille Ludorum diebus adfuisset. Non frustra igitur Tyaneus apud Philostratum, *lib.* v. *cap.* II. interrogatus de Nerone Imperatore, in Olympiis certaturo, *Victorem non Victorem fore* respondit: quod suo tempore certamen non fieret. Quid?

D Verba Philostrati sunt: *Πατρίου μὲν γὰρ τοῖς Ὀλυμπίοις τοῦ πέρυσιν ἐνιαυτοῦ ὄντος, ἐκέλευσε τοὺς Ἠλείους Νέρων ἀναβάλλεσθαι αὐτὰ ἐς τὴν ἑαυτοῦ ἐπιδημίαν: Cum enim consuetudo exigat, ut circa anni finem Ludi celebrentur, Nero Elienses jussit in adventum suum illos differre.* Finis autem anni, finis Æstatis erat, ut non obscure Thucydides insinuat, *l.* v. *Argivos sociosque post Olympia Corinthum perrexisse* (& quantillum hoc iter!) *ut fœdus inirent Venisse & Lacedæmoniorum Legatos: cumque frustra sermones haberentur, & inde rursus domum quisque suam discederent, Æstatem exspirasse.*

E Addenda his, quæ de consilio itineris sui in Græciam, tanquam ad Olympia profecturus, Cicero, l. XV. ep. XXV. *ad Atticum: Etiam scribe, quo die Olympia: cum Mysteria scilicet.* Scire cupit Ludorum diem; ut si in tempore veniret, venisse ob Ludos videretur. Simeon Bosius, in *Animadversionibus* suis, verba in hunc modum refingit: *Etiam scribe, quo die olim piaclum: Mysteria scilicet.* Per Mysteria, si Dis placet, eum capit diem, quo patere mundus dicebatur, ac religiosum erat navigare. Pulchre quidem: quasi Fastos Romanos Cicero ignoraret. Quid ais Bosi? *Eos rursus, Cæsare mortuo, Pontificum negligentia confusos & perturbatos esse?* At nulla adhuc, Cæsare mortuo, intercalatio facta erat. Mortuus enim anno post Correctionem proximo, Urbis IↃCC. VIII.

F Observandum autem hic & alibi, in annis Urbis Romæ calculum nos Livianum sequi. Imo Cicero ipse ante intercalationem Pontificum interiit. Interiit enim Urbis IↃCC. IX. Intercalatum autem, IↃCC. XII. Scaliger autem *Olympiadum Mysteria* hic legit, & Romana intelligit; quæ quidem nunquam fuerunt. Sed vel ab ipso Cicerone satis opinionis ista curiositas rejecta est. Locus inter alia præcipuus unus, & decumanus, *l.* XVI. *ep.* VII. *Nam* XVI. *Kal. Septemb. cum venissem Veliam, Brutus audivit.* Paulo post: *Dii immortales, quam valde ille reditu, vel potius reversione mea lætatus!* Deinde: *Quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Hoc vero nihil turpius, quovis Reipublicæ tempore.* Itane Ciceroni turpe ad Mysteria ire? Romam redire? ut jam concedamus etiam, aliqua Romæ Mysteria fuisse. Imo turpe Romano homini, turpissimum Ciceroni, in Græciam proficisci, si Olympiorum caussa: turpe, vel *existimari ad Olympia.* Fidem facio? Sed verbis illius, qui de Vita Excellentium Imperatorum scripsit, & limen libri hac censura nobilitavit: *Non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari.* Quæ ad rem sunt, excerpo; *Magnis in laudibus tota fere fuit Græcia, Victorem Olympiæ citari; in scenam vero prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur.* Ad Ciceronem quod attinet, sive ut pompæ Olympicæ, sive ut solius voluptatis pars fieret, ire voluit: sed quomodocumque voluerit, quia non ivit, *vituperationem effugit.* Olympia igitur illa, Olympia sunt; Græca, non Romana; Ludi, non Piacula. Ludi, inquam, eadem illa acti Æstate, qua post cædem Cæsaris Respublica fluctuabat; acti, vel ipso Cicerone teste, *post diem* XVI. *Kalend. Septembris.* Eo enim venerat die Veliam, consiliumque profectionis mutaverat. Imo acti Plenilunio Septembris, sive Boedromionis Attici, qui Æstatis ultimus est. Plenilunium autem eo anno, nimirum Ordinationis Julianæ secundo, in diem VI. Kalendarum Octobris incidit, & Olympia dedit. Cæsar quidem utrumque respiciens sidus, Solis annum, annum suum, annum novum, *habitis* (ut Macrobii verbis dicam, l. I. *Saturnal.* c. XIV. *ad Lunam dimensionibus constituit:* imo a Novilunio exorsus est, pleno (quemadmodum nostræ hæ notæ sunt) Epactarum numero scribendum. Et quis plenus est? XXX. sive *. Hinc profecto sequitur, Primo anno Juliano, sive Mundi ∞ ∞ ∞. C∞. XXIV. Plenilunium Septembris, in diem V. Eiduum incurrisse: secundo autem, qui Olympicus, ut dixi, fuit, sed cæde Cæsaris funestus, in VI. Kalendarum Octobris. Ludi erant, & sanguine Romano ludebant Triumviri: Olympia erant, atque ea, Olympiadem C. LXXXIV. numerabant. Ad hos Ludos, ad hæc Olympia si nunc rursus Cicero, nihil quidem opus sit, diem ab Attico sciscitari.

CAP. X.

Agoni quoque Capitolino suus & Mensis & Dies assignati. De Balbino & Pupieno, quando & quamdiu Imperatores: Agone XXXIX. *interempti.*

SATIS jam firmum, ut opinor, limitem Prima Olympias accepit: satis hinc etiam, primum Lustrum, sive Olympias Romæ computata, accipiat. Quia enim Agon Capitolinus in XII. Consulatum Domitiani cadit, non potest alium sibi, quam Olympiadis CCXXI. annum secundum; sed nec alium, quam Mundi ∞ ∞ ∞ ∞. LIV. ut supra, capite VII. computavimus, assumere. Reliquum tamen est, imo præcipuum, ut de Mense ac Die pariter pronunciem. Incertus enim fine gemina hac nota annus sit, & tanquam non computetur, inutilis, imo otiosus. Itaque ne in caligine deinceps micandum Antiquariis & dimicandum sit, novam hic temporis accendam facem, ignoratæ hactenus eruditionis arcanum in lucem & usum protracturus. Balbinus & Pu-

pienus Imperatores a Senatu adversus furorem Maximini electi sunt, VII. Eidus Julii: (non VII. *Kalendas Junii*, aut *Julii*, ut legitur in Julio Capitolino, vel corrigitur) *Ludis*, ut idem Scriptor ait, *Apollinaribus*. Ludi autem Apollinares, quemadmodum in Hemerologio veteri Juliano videmus, diebus Eiduum Juliarum committi solent. Sufficere uterque Imperio poterat; *alter bonitate, virtute alter ac severitate clarus*, ambo senes; nisi inter se cœpissent diffidere. Ecce, a Prætorianis, qui intelligebant, *facile discordes Imperatores posse interfici*, fœde interfecti sunt; nec aliam ob caussam, quam quod a Senatu Imperium accepissent. Interfecti autem, ut ad rem nostram veniam, B circa vindemiarum tempus, quod non obscure Herodianus insinuat, *libro* VIII. pontem describens, a Maximino e cupis vinariis structum; quas κενὰ οἰνοφόρα σκεύη περιφερῆ ξύλα appellat: *Vasa vacua vinaria, e ligno, ac rotunda*. Imo vero cum Ludi Capitolini ex more fierent. Verba ejusdem Herodiani sunt, ubi cædem describit: Ἐπιτελουμένου δὲ ἀγῶνος τοῦ τῶν Καπετωλίων, πάντων τε περὶ τὴν πανήγυριν καὶ τὰς θέας ἀσχολουμένων; *Cum celebrarentur Ludi Capitolini, & festo spectaculisque omnes intenderent*. Capitolinus, Ludos Scenicos nominat: *Ludis denique Scenicis, cum multi & milites & aulici occupati essent, & in Pa-* C *latio soli cum Germanis Principes remansissent, impetum in eos fecerunt*. Mensis nunc ac Dies, quibus cædes contigit, investigandi pariter sunt, ut ad Ludos veniam. Nec id difficile. Etenim imperarunt senes hi Principes, non ut Capitolinus, *anno uno*; sed, ut consensu Scriptores omnes Græci testantur, μῆνας γʹ. *menses tres*; vel ut accurate Chronicon Alexandrinum, ἡμέρας ἑκατὸν, *dies centum*. Occisi igitur Postridie Eidus Octobris, cum ad id spatii ductus a die VII. Eidus Julii, sive a Ludis Apollinaribus, calculus procurrat. Confeci quod volui. Agon enim ille, ut vides, Balbino & Pupieno fatalis, Postridie Eidus D Octobris fuit celebratus: Agon, ut numerum exprimam, XXXIX. anno Christiano (supra indicavi) CC. XXXVIII. Olympiadis CCLIV. secundo. Quid amplius? ad XII. Consulatum Domitiani, & Primum Agonem redi; nec difficile erit, reliquos invenire. Confer cum Olympiis; deprehendes, non posse nisi in proximum ab Olympiis annum cadere. Deprehendes etiam, Olympiadem Bissextili, Lustrum Olympiis, quod ostendere voluimus, claudi. Denique, & verba jam superflua, & lineas esse.

CAP. XI.

E *Anni Mundi ad Centurias redacti. Centuriarum Olympiades. Centuriæ compendio computatæ.*

TANQUAM strata hæc via sit, gressum profero. Fixo limite, controversiæ sopiuntur. Primam quidem Olympiadem in annum Mundi ∞ ∞ ∞. C. XCIII. incidere, hactenus ostendi: a mense Septembri initium esse, nemo nisi cæcus dubitavit. Et quia unaquæque Olympias quaternos claudit annos; ultimus primæ, Mundi ∞ ∞ F ∞. C. XCVI. evadit, ultimus secundæ, ∞ ∞ ∞. CC. Quo quidem calculo omnis Olympias in Bissextilem Julianum desinit, Agonesque Olympici annum Bissextilem sequuntur. Sed ab anno ∞ ∞ ∞. C. XCIII. ipso, inquam, Olympiadum capite ac fonte, si centurias recenseam, annus Mundi ∞ ∞ ∞. CC. XCIII. Olympiadem ducet XXVI. annus ∞ ∞ ∞. CCC. XCIII. Olympiadem LI. annus ∞ ∞ ∞. CCCC. XCIII. Olympiadem LXXVI. Quæ tota varietas est, quatuor velut terminis definita.

A Ultra enim, si classis unaquæque centuria una augeatur, iidem Olympiadum numeri recurrunt. Itaque annus ∞ ∞ ∞. IↃ. XCIII. Olympiadem dabit CI. annus ∞ ∞ ∞. IↃC. XCIII. Olympiadem CXXVI. annus ∞ ∞ ∞. IↃCC. XCIII. Olympiadem CLI. annus ∞ ∞ ∞. IↃCCC. XCIII. Olympiadem CLXXVI. Et sic deinceps. Anni enim Mundi centuriatim aucti, vicenisquinis Olympiadibus surgunt: quæ quater sumptæ centuriam & ipsæ conficiunt. Res in laterculo clarior fortassis & expeditior erit:

A. MUND.	OLYMP.
3193	I.
3293	XXVI.
3393	LI.
3493	LXXXVI.
3593	C. I.
3693	C. XXVI.
3793	C. LI.
3893	C. LXXVI.
3993	CC. I.
4093	CC. XXVI.
4193	CC. LI.
4293	CC. LXXVI.
4393	CCC. I.
4493	CCC. XXVI.
4593	CCC. LI.
4693	CCC. LXXVI.
4793	CCCC. I.
4893	CCCC. XXVI.
4993	CCCC. LI.
5093	CCCC. LXXVI.
5193	IↃ. I.
5293	IↃ. XXVI.
5393	IↃ. LI.
5493	IↃ. LXXVI.

Discriminis caussa, anni Mundi notis Arithmeticis Barbaris expressi sunt, Olympiades Latinis, sic deinceps usurpandis. Plures etiam, ad istum, si quis velit, modum classes extendat. Verumenimvero, quia a Mundi anno Nonagesimo tertio ad Nonagesimum tertium numerare molestum & morosum est, laboris compendium ab ingenio petam. Ac primo quidem non primum cujusque Olympiadis annum, sed ultimum computaturus sum: claudam numerum, non incipiam; & neglectis Ludis, Bissexti rationem habebo. Deinde tanquam primam Olympiadem negligam a secunda ducam initium: quæ cum annum Mundi habeat 3200. annum, inquam, Bissextilem, pleno justoque deinceps numero omnem feriem extendet. Vel si hoc placet, adjectis Mundi annis septem postulatitiis, numerum qui in nonagesimo tertio hærebat anno, ad centesimum producam, plenasque centurias computabo. Ita II. Olympias loco primæ erit, XXVII. loco vigesimæ sextæ, LII. loco quinquagesimæ primæ, LXXVII. loco septuagesimæ sextæ: ut hic vides:

A. MUND.	OLYMP.
3200	II.
3300	XXVII.
3400	LII
3500	LXXVII.
3600	C. II.
3700	C. XXVII.
3800	C. LII.
3900	C. LXXVII.

4000	CC. II.
4100	CC. XXVII.
4200	CC. LII.
4300	CC. LXXVII.
4400	CCC. II.
4500	CCC. XXVII.
4600	CCC.LII.
4700	CCC. LXXVII.
4800	CCCC. II.
4900	CCCC. XXVII.
5000	CCCC. LII.
5100	CCCC. LXXVII.
5200	IƆ. II.
5300	IƆ. XXVII.
5400	IƆ. LII.
5500	IƆ. LXXVII.
5600	IƆC. II.
5700	IƆC. XXVII.
5800	IƆC. LII.
5900	IƆC. LXXVII.
6000	IƆCC. II.
6100	IƆCC. XXVII.
6200	IƆCC. LII.
6300	IƆCC. LXXVII.

CAP. XII.

Olympiades, una cum annis Mundi in digitos digestæ: quarum aliæ præcipuæ numerant, aliæ numerantur.

UT hactenus ista, parœmiæ fortassis locus sit, *Manum de tabula*. At ego ad manum hic tabulam ipsam referam, vel potius in ma-
A num commutabo tabulam; ut vicissim & Mundi anni ad Olympiades, & Olympiades ad Mundi annos nullo prorsus negotio revocentur. Hos igitur per articulos digitorum ordine & centuriatim digero; illas partim superne, quæ & ipsæ centuriæ sunt, partim ad latus adscribo: isthic Barbaris, hic Romanis notis. Initium a sinistra esto, boni ominis caussa. Annus 3200. coryphen Indicis occupet: 3300. proximum articulum: 3400. sequentem: 3500. radicem: 3600. coryphen Medii digiti: 3700. proximum articulum: 3800. sequentem: 3900. radicem: 4000. coryphen Medici; 4100. proximum articu-
B lum; 4200. sequentem: 4300. radicem; 4400. coryphen Medici: 4100. proximum articulum: 4200. sequentem: 4300. radicem: 4400. coryphen Minimi: 4500. proximum articulum: 4600. sequentem; 4700. radicem. Deinceps in dextera, annus 4800. coryphen Minimi digiti; 4900. proximum articulum: 5000. sequentem: 5100. radicem: & sic de reliquis. Dextera absoluta, redire ad sinistram licebit, & numeros in orbem ducere. Olympiades quatuor, quæ æquis portionibus centuriam dividunt, tanquam Proliminares a latere annos Mundi, in
C articulis locatos, respiciunt; II. summo loco, XXVII. secundo, LII. tertio, LXXVII. imo. Deinde superne Index sinistræ vacuus est, Medio digito Centuria prima incumbit, Medico Centuria secunda, Minimo Centuria tertia; Minimo dextræ Centuria quarta, Medico Centuria quinta, Medio Centuria sexta, Indici Centuria septima: quod, si longum est legere, vide. Ipsæ manus expressæ sunt.

MANUS SINISTRA.
Anni Mundi ab origine ad 4700. Olympiades a prima ad ccc.

MANUS DEXTERA.
Anni Mundi a 4800. ad 6300. Olympiades a CCCC. ad IƆCC.



Anni Mundi initium a Vere capiunt.

Olympiades a sequenti Autumno.

CAP. XIII.

Computationis usus. Mundi anni ad Olympiades gemino Problemate ducuntur,

AURO, partim æstivo, partim hiberno circumdari digiti & insigniri solent: tempus nobis tanquam aurum est; Anni, annuli; Olympiades, gemmæ. Hæc ornamenta, ut pretiosa, ita perpetua sunt, nec quisquam detrahet. Computabimus annos, sed quotquot Mundus habuit, quotquot habiturus est: computabimus Olympiades, sed quotquot fuerunt hactenus, quotquot erunt: computabimus Manu, sed facili, prompta, & paucis istis quidem, quos vides, numeris, ad usum vero copiosis, inscripta. Usus duplex est: *Mundi annos ad Olympiades, & Olympiades ad Mundi annos revocare.* Alterum ordior, & in duo Problemata distinguo. Vel enim Mundi annus Centesimus proponitur: vel alius partiliter adhærens. His enim duobus modis προτασις ista inclusa est.

PROBLEMA I. *Annum Mundi centesimum quemcumque ad Olympiadem revocare.*

Dato Mundi anno Centesimo quocumque, Digitum ejus articulumque observa. Olympiades, quæ superne eidem digito, & quæ a latere eidem articulo respondent, conjunge: summa Olympiadem, in qua datus Mundi annus continetur, indicabit. EXEMPLUM. Scire lubet, in qua sit Olympiade annus Mundi 3800. Huic anno 3800. superne respondent C. a latere LII. Conjunge C. & LII. conficies CLII. Est igitur annus Mundi 3800. in Olympiade CLII. estque ultimus ratione Bissextili. Quia enim ultimus Olympiadis cujusque, Bissextilis est; primus, secundus, tertius sponte se insinuant. Bissextilis autem ille est, quem duo pares numeri dividunt: cujusmodi viginti quinque in una Centuria inveniuntur. An explicatius? Anni omnes Decimi Pares (sic distinguo) Bissextiles sunt, aut tanquam Bissextiles numerantur. 20, 40, 60, 80, 100. Impares, Bissextiles non sunt: 10, 30, 70, 90. Item Quarti, & Octavi supra Decimos Pares, Bissextiles sunt: 24, 28, 44, 48, 64, 68, 84, 88. ut Secundi quoque, & Sexti supra Decimos Impares: 12, 16, 32, 36, 52, 56, 72, 76, 92, 96. Cæteri omnes, Bissextiles non sunt, & numerum a Bissextili capiunt, ordine suo, primi, secundi, tertii. Quartus enim omnis Bissextilis est, & in hac investigatione tanquam primus.

PROBLEMA II. *Annum Mundi, Centesimo cuicumque partiliter adhærentem, ad Olympiadem revocare.*

Dato Mundi anno, qui partiliter Centesimo cuicumque adhæret; eum ipsum, neglecto Centesimo, ad Olympiades redige, imperfectas tanquam plenas computando. Adde Olympiades, quæ a latere, & quæ superne respondent: summa hæc indicabit Olympiadem, in qua datus Mundi annus continetur. EXEMPLUM. Scire lubet, in quota sit Olympiade annus Mundi 3827. Annos 27. qui partiliter adhærent, ad Olympiades redige, VII. invenies. Septima enim non plena, pro plena hic habetur. Junge Proliminares LII. fiunt LIX. Item junge C. Superliminares, conficiunt CLIX. Est igitur annus Mundi 3827. in Olympiade CLIX. estque penultimus ratione Bissextili.

Remoram dices, annos partiliter adhærentes, præsertim si majori sint numero, ad Olympiades statim ducere. Eam aufero, etiam Arithmeticorum auxilio neglecto. Annos observa Decimos Pares, 20, 40, 60, 80. Observa simul, annis 20. Olympiades V. constitui, 40, X. 60, XV. 80. XX. In reliquis quæ difficultas? 1, 2, 3, 4. dant. I. 5. 6, 7, 8, II. 9, 10, 11, 12, III. 13, 14, 15, 16, IV. 17, 18, 19, quemadmodum & 20, V. Ad rem: Epocha Christiana in annum cadit Mundi 3969. qui numerus, si Pythagoreorum mysteriis locum facimus, quadratus est ex 63. Ter enim sexagies 63. constituunt 3969. Ne plura dicam, anni 69. qui partiliter annumerantur, ad Olympiades redigendi sunt. An hæreas? 60. dant Olympiades XV. seorsim 9. dant III. non plenas: simul igitur XVIII. Adjice nunc Proliminarem quartam, sive Olympiades LXXVII. fiunt XCV. Est igitur annus Mundi 3969. sive Epocha Christiana, in Olympiade XCV. estque primus ratione Bissextili.

CAP. XIV.

Olympiades ad Mundi annos tergemino Problemate redeunt.

NON infrequentior fortassis altera hæc Computatio, aut inutilior, Annos Mundi ex Olympiadibus eruens: ter gemino nobis hic nunc Problemate absolvenda. Triformis enim ipsa præcipue Quæstio est, De Centesima quacumque Olympiade, De minori numero, De majori. Quasi dicam, Centuriam velut lineam esse; prout declinas, defectum, vel excessum investigari.

PROBLEMA I. *Centesimam quamcumque Olympiadem ad annos Mundi revocare.*

Data Centesima Olympiade quacumque, Mundi annum proxime subjectum cape. Hic Primam Proliminarem coryphæ Indicis præfixam, duas, inquam, Olympiades, sive annos 8. illos, inquam, postulatitios aufer: summa relicta Mundi annum, quo data Olympias clauditur, exprimet: EXEMPLUM. Scire lubet, quotus Mundi annus Olympiadem claudat CC. Huic Olympiadi CC. proxime subjectus est annus 4000. Aufer 8. quos duæ dant Olympiades, reliqui sunt 3992.

PROBLEMA II. *Olympiadem Centesima Minorem quamcumque ad annos Mundi revocare.*

Ea vel Proliminaris est, vel Prima, vel Una e reliquis.

Si Proliminaris; Hæc ipsa adjunctum sibi in Indice annum Mundi, quarto loco numerandum, repræsentat: II. 3200, XXVII. 3300, LII. 3400, LXXVII. 3500.

Si Prima; Olympiadem unam, id est, annos 4. a primo Mundi numero, sive 3200. subtrahe: summa reliqua annum 3196. sive ultimum primæ Olympiadis dabit. Primus enim in Mundi annum 3193. incidit, & Fastorum Olympicorum, ut satis confirmavimus, caput est.

Si Una e reliquis; Ab ea numerus Olympiadicus Proliminaris proxime minor auferendus: summa reliqua ad annos revocata, annisque Mundi vicinis, quos Index continet, addita, numerum quæsitum reddet. EXEMPLUM. Scire lubet, quotus Mundi annus Olympiadem claudat VII. A VII. numerus Olympiadicus proxime minor, sive Olympiades II. auferendæ sunt: reliquæ erunt V. quæ in annos resolutæ, 20. conficiunt. His 20. ab articulo Indicis adde 3200. fiunt 3220. Est igitur ultimus Olympiadis VII. annus Mundi 3220. tertius post Urbem Romam conditam; quo Θεὸς in diem VI. priorem Kalend. Martii nostri incidit: in ipsum, inquam, diem, qui Juliana ratione Intercalaris est.

Ne molestum hic quoque sit Olympiades in annos explicare, expende qua ratione anni in Olympiades contracti sint. Et vin' simplicius? Datas Olympiades duplica: summam rursus bis summe, & annos habes. Id enim est quater Olympiadum

numerum sumere: ut e quatuor unaquæque annis conflata est. Nunc quod dico, facio. Olympias proponitur XCVIII. quæ Centesima minor est: aufer Proliminarem proxime minorem LXXVII. reliquæ erunt XXI. Hæ XXI. in annos solvendæ sunt. Quid igitur? 21. duplica, fiunt 42. hanc rursus summam bis sume, habebis annos 84. qui e XXI. Olympiadibus exsurgunt. Progrediamur. His 84. adde 3500. annos, in radice Indicis Olympiadi Proliminari LXXVII. oppositas, fiunt 3584. Est igitur ultimus Olympiadis XCVIII. annus Mundi 3584. Cujus Olympiadis anno secundo, sive Mundi 3582. capta a Gallis Roma fuit, a conditu suo 366. Liviano, tertium jam mensem inchoato.

PROBLEMA III. *Olympiadem quamcumque Centesima quacumque Majorem ad annos Mundi revocare.*

Ea simili discrimine, vel Proliminars est, Centesimæ cuicumque adhærens, vel Prima, vel Una e reliquis.

Si Proliminaris, Centesimæ cuicumque adhærens; Numerus, in quem decussatim Centesima & Proliminaris concurrunt, Mundi annum, quarto loco censendum, exhibet. EXEMPLUM. Scire libet, quotus Mundi annus Olympiadem claudat CCC. LXXVII. Seorsim CCC. superne, LXXVII. a latere considera, & in communi articulo, sive radice digiti Minimi 4700. invenies. Est igitur ultimus Olympiadis CCC. LXXVII. annus Mundi 4700.

Si Prima, Centesimæ cuicumque adhærens; Olympiadem unam, sive annos quatuor a Mundi aufer numero, Centesimæ datæ proxime subscripto: summa reliqua annum Mundi indicabit. EXEMPLUM. Scire libet, quotus Mundi annus claudat Olympiadem IↃCI. Olympiadem unam, id est, annos 4. 5600. (hic numerus Sexcentesimæ subjectus est) subtrahe: reliqui erunt 5596. Est igitur ultimus Olympiadis IↃCI. annus Mundi 5596. qui Christianus erit ∞. IↃC. XXVIII. Bissextilis: nostrum hunc præsentem biennio secuturus.

Si Una e reliquis, Centesimæ cuicumque adhærens; Ab ea numerus Olympiadicus Proliminaris proxime minor auferendus: summa reliqua ad annos revocata, annisque Mundi in communi articulo Olympiadum super, & Proliminarium addita, annum Mundi conficiet. EXEMPLUM. Scire libet, quotus Mundi annus Olympiadem claudat CCXXXV. A XXXV. numerum Olympiadicum Proliminarem proxime minorem, sive Olympiades XXVII. tolle: reliquæ erunt VIII. quæ in annos explicatæ, 32. exhibent. His e communi articulo adjice 4100. constituentur 4132. Est igitur ultimus Olympiadis CCXXXV. annus Mundi 4132. quem Imperii Quartum M. Aurelius Antoninus cum fratre Lucio habuit.

CAP. XV.

Piromes quoque Olympiadibus sociantur. Quando & quo Auctore instituti. Modus numerandi.

MANU sic quidem, & Olympiades, & anni Mundi computantur: ut & Piromes, qui Olympiades velut sorores habent, ne manu quidem opus. Limitem statue, & suo numero series nascetur: originem nosce, & limitem invenies. Origo, vetustissima est, & ut plus quam Ægyptiam scias, ab Abrahamo: Regum deinde imaginibus nobilitata. An clarius dicam? cœperunt Piromes, haud dubie eo tempore, quo in Ægyptum Abrahamus venit, & Astronomiæ simul studia intulit. Tantus ille erat pulcherrimis artibus, ut cum cœlum & astra ingenio penetraret, Deum reppererit: cum Deum coleret, astra & cœlum

A Ægyptiis quoque commonstrarit. Carum hac de caussa & clarum apud eosdem illos fuisse Josephus scribit, libro I. *Antiquitatum*, ingenio summum, intelligendo acerrimum, persuadendo, quicquid docturus esset, eloquentissimum. Ipsius Josephi verba exprimenda sunt, sed Latine: *Auxit admirationem peritia numerorum ac siderum, quam primus gentibus his impartiit. Ante adventum enim Abrahami in has regiones, Ægyptii istarum rerum imperiti fuere. A Chaldæis autem scientia tota in Ægyptum, atque inde in Græciam translata est.* An & nomen alienum? Piromis quidem quasi *Abiramis*, unde *Biramis* & *Biromis*: ut jam

B scire possis, cur καλὸς κἀγαθὸς, *honestus & bonus*. Abrahamus enim honestus ac bonus erat, & qualem virtutis exemplo, temporisque symbolo, Regem esse oportebat. Initium igitur Piromes eo tempore habuere, quo in Ægypto Abrahamus fuit: fuit autem anno Mundi ∞∞. XXV. cum suum ipse LXXV. ut e sacra *Genesi* manifestum est, ageret. Imo initium habuere a Bruma, tanquam a magno & vero Ortu: quemadmodum non frustra Censorinus Brumam *Novum Solem* appellat. Postea tamen, provolutis ad semissem circuli temporibus, a Solstitio ordiri caput placuit, (Θωθ nominant) & a Canicula simul oriente, anno huic

C magno nomen dare. Piromes vero omnes si a primo, sive Abrahamico recenseas, CCC. XCIII. in Olympiadem primam incidet: reliqui facile deinceps numerandi. Dato Olympiadum numero quocumque, 300. adjice: & hinc rursus 8. deme: quod reliquum erit, Piromin constituet. Possis & simpliciter, ne quid detrahas, 292. addere: sed hæc via quo brevior, eo morosior, cum plures Oympiades sunt. Malo per ambages interdum, quam per scrupos ire; circumire, cum in compendio sufflamen est. Sed tenuius hoc erat, quam ut moneri debuerit: rem ipsam ad EXEMPLUM du-

D co. Scire libet, Quis Piromis Olympiadem CXCV. sive principium Epochæ Christianæ comitetur. Ad 195. adde 300. fient 495. deme 8. restabunt 487. Mutemus calculos: ad 195. adde 292. consurgent 487. sed lentiori nisu. Pari ratione hoc anno ∞. IↃC. XXVI. quo primus Olympiadis IↃCI. ad Septembrem usque labitur, labi, sed ad Brumam Piromin IↃCCC. XCIII. deprehendes.

CAP. XVI.

CLAUSULA, *iteratam Olympiadum laudatiunculam complexa. Annus quo hæc scripta sunt, simul*

E *assignatus.*

SED Piromes computare, ut novum, ita curiosum est: Olympiades, & Mundi annos, tam necessarium, quam solemne. Ad Manum mentem cujusque revoco: in Manu computandi modum, methodumque designavi. Dixeris profecto, tam facile jam haberi Olympiades, quam utiliter sciuntur: sciri autem, quia annos Mundi referunt. Concordia hæc temporis unica rerum & Historiæ lux est; sed tanquam a manu manet, prompta cuique erit. Licebit quidem & a Mundo condito, quæ prima Epocha est, & a renovato, quæ Chri-

F stiana est, omnem temporis seriem Olympiadibus computatam distinguere. Laudo manum, numeri epitome est: & laudo Olympiadem, in epitomen numeros annorum ducit. Quemadmodum operosum semper fuit, atque adeo ἀδύνατον, in dies cuncta digerere: ita collectis quoque annis Quadriennia, sive Lustra placuerunt. Placuerunt, inquam, Olympiades; ut ad annos, imo ad dies suos rediret quicquid olim gestum est: essent Annales, imo Diaria, & Historiæ tamen vocarentur:

A effent Hiftoriæ, fed Luftris inclufæ. Exiftimes velim, non rerum tantum, fed temporis quoque breviarium effe, certiufque Quadrienniis, quæ narrantur ac traduntur pofteris, diftingui. Nimirum, qui Mundum depingunt, cum certis provincias fingulas limitibus definiunt, felicius oppidorum, montium, fluminum, & modum & fitum exhibent. Quid? amant etiam, qui cœlo occupati funt, collectis in imagines ftellis, picturæ compendio numerum in infinito, ut fic dicam, collocare. Olympias igitur quadrijugo temporis
B quafi curriculo vehit annos; & cum Græcorum res omnes ob oculos nobis ponit, reliquas, more Græco, complectitur. Facit Olympias, ut attingere Hiftoriam audeas, fi recte computetur: ut moleftia libereris, fi ad Manum veniat. Nolo plura. Tu qui optima amas, hæc magna puta: & ut de magnis judices, hæc vide; fcire, five magna, five parva incipies, quæ a plerifque ignorantur. Ego fic quidem ingenium meum ad ufus tuos transferre volui; dare omnibus, quæ in Lovanienfi Academia, muneris ratione, publice dicta & docta funt, Anno Mundi CIↃ. IↃ. XCIV. Piromeos IↃCCC. XCIII. primo, Olympiadis IↃCI. pariter primo, Chriftianæ ætatis Cenfualis ∞. IↃC. XXVI. meæ denique LII. Temporis Auctori laus, honor, gloria.

F I N I S.



JOANNIS MEURSII

DENARIUS PYTHAGORICUS:

SIVE,

DE NUMERORUM,

USQUE AD DENARIUM, QUALITATE, AC NOMINIBUS, SECUNDUM PYTHAGORICOS.

LIBER SINGULARIS.

VIRO CLARISSIMO, AC PRAESTANTISSIMO,

GERARDO JOANNI VOSSIO,

ELOQVENTIAE, CHRONOLOGIAE,
ET LINGVAE GRAECAE
PROFESSORI,
VT MVLTIPLICIS DOCTRINAE
FAMA CELEBRI,
SIC VIRTVTE ETIAM
VARIA EXCELLENTI,
PIETATIS, PROBITATIS,
HVMANITATIS, ET CANDORIS,
EXPRESSO EXEMPLO,
HOC MEI IN IPSVM AFFECTVS
MONVMENTVM,
A QVO DOLVS MALVS ABEST,
APVD EXTEROS, POSTEROSQVE,
EXTARE VOLVI

JOANNES MEURSIUS.

DABAM SORAE DANORVM,
AD DIEM X. MARTII,

CIↃ IↃC XXX.

NOMINUM,
QUIBUS
PYTHAGORICI
NUMEROS APPELLARUNT,
INDEX.

NUMERUS DESIGNAT CAPITA.

INDEX CAPITUM.

INDEX CAPITUM.

JOANNIS MEURSII
DENARIUS PYTHAGORICUS:
SIVE,
DE NUMERORUM, USQUE AD DENARIUM, QUALITATE, AC NOMINIBUS, SECUNDUM PYTHAGORICOS.
LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

Numeros invenit Minerva, aut Palamedes; Arithmeticen Pythagoras, ejusque, & sectatorum, de numeris opinio: atque illa libris propriis pertractata, ab Aristæo, Megillo, Nicomacho, Philolao, & Auctore innominato. Gregorii Nysseni liber, De Anima, *ex Nemesii duobus capitibus transscriptus: aut contra. Gregorii in eo locus emendatus. Numerus* Anima, Mundus, Deus, *appellatus. Lysis, & Opsimus Pythagorici: ac de Opsimo Athenagoras restitutus. Numerus etiam* Principium *dictus.*



NUMERORUM inventio attribuitur Minervæ. Livius *lib.* VII. *Eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus a Minerva inventus sit.* Ab aliis numeros invenisse Palamedes memoratur. Athanas. in *Orat. adversus Gentes*: Τῶν δὲ γραμμάτων τὴν σύνταξιν, καὶ ἀριθμοὺς, καὶ μέτρα, καὶ σάθμια, Παλαμήδης ἐφεῦρε. *Literarum structuram, & numeros, & mensuras, & pondera, Palamedes invenit.* Plato, *de Repub.* lib. VII. Παγγέλοιον γοῦν, ἔφην, στρατηγὸν Ἀγαμέμνονα ἐν ταῖς τραγῳδίαις Παλαμήδης ἑκάστοτε ἀποφαίνει. ἢ οὐκ ἐννενόηκας, ὅτι, φησὶν ἀριθμὸν εὑρών; *Ridiculum omnino, inquam, Imperatorem in tragœdiis Agamemnonem Palamedes passim ostendit: nonne animadvertisti, ipsum dicere, quod numerum invenerit?* Jocasta, apud Euripidem, in *Phœnissis*, ab Æqualitate eos constitutos esse dicit:

Καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι, καὶ μέρη σταθμῶν,
Ἰσότης ἔταξε, κἀριθμὸν διώρισε.
Etenim mensuras hominibus, & partes ponderum,
Æqualitas ordinavit, & numeros constituit.

Sunt qui Arithmeticen Pythagoræ inventum tradant. Auctor *Altercationis Synagogæ, & Ecclesiæ,* cap. I. *Arithmeticam Samius Pythagoras invenit, Nicomachus scripsit.* Isidorus, in *Chronico*: *Pythagoras quoque, philosophus, & Arithmeticæ artis inventor; & Pherecydes, Historiarum primus scriptor; atque Xenophanes, tragœdiarum inventor, insignes habentur.* Iterum, *Orig.* lib. III. c. II. *Numeri disciplinam primum apud Græcos Pythagoram autumant conscripsisse: ac deinde a Nicomacho diffusius esse compositam.* Ex ex eo Beda, lib. *de Computo*: *Primus scientiam numeri habuit Pythagoras apud Græcos.* Deinde ipsum hunc Isidori locum citat. Ac scripsisse etiam de ea, sunt qui velint. Cedrenus: Πυθαγόρας δὲ ὁ Σάμιος τὴν ἀριθμητικὴν ἔγραψε. *Pythagoras vero Samius Arithmeticam scripsit.* Quo
A pertinent etiam illa Isidori verba, statim citata, ex *Orig.* lib. III. c. II. *Numeri disciplinam primum apud Græcos Pythagoram autumant conscripsisse.* Ac summum sane in ea scientia bonum situm existimabat. Theodoret. *Therapeut.* XI. Ὁ δὲ πολυθρύλλητος Πυθαγόρας, τὴν τελεωτάτην τῶν ἀριθμῶν ἐπιστήμην, ἔσχατον ὑπέλαμβανεν ἀγαθόν. *Celeberrimus autem Pythagoras, summum hominis bonum in exactissima numerorum scientia positum esse existimabat.* Quin & ejus sectatores, varias numeris qualitates, ut & nomina, tribuerunt; ac de iis propriis quoque monumentis tradiderunt, Aristæus, Megillus, & Philolaus: quorum testimonia profert Au-
B ctor quidam innominatus, in eo opere, quod inscripsit, Τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς, *Theologica arithmetices.* Quod præclarum Antiquitatis in eo genere monumentum ad manus nostras pervenisse est quod nobis gratulemur. Edidit autem id Lutetiæ olim Christianus Wechelus, anno CIↃ. IↃ XLIII. Scripsit etiam Nicomachus de eodem argumento libros duos, quos injuria nobis temporis intercepit; ita tamen, ut non toti interciderint: nam Excerpta conservavit, & exhibuit, in præclara *Bibliotheca* sua Photius. Ex his, & incerto Auctore, quem laudavi, ac scriptoribus item aliis, dabo ope-
C ram, ut resarciam jacturam, quam Resp. literaria, ex amissis his operibus, passa fuit. Ac initio exponam, quæ de numero in genere; inde, quæ de pari, & impari: denique etiam, quæ de singulis, usque ad decimum censuerunt. Imprimis vero Animam numerum statuerunt, vi movendi præditum. Hermias, in *Irrisione philos. gent.* Οἱ μὲν γὰρ φασὶν αὐτῶν τὴν ψυχὴν εἶναι τὸ πῦρ, οἷον Δημόκριτος· οἱ δὲ ἀριθμὸν κινητικὸν, οἷον Πυθαγόρας. *Nam alii dicunt, animam suam esse ignem, ut Democritus; alii numerum, movendi vi præditum, ut Pythagoras.* Nemesius, *De natura hominis*, cap. II. Θαλῆς μὲν γὰρ, πρῶτος τὴν ψυχὴν ἔφησεν ἀεικίνητον· Πυθαγόρας
D δὲ, ἀριθμὸν, ἑαυτὸν κινοῦντα. *Thales enim, primus dixit, animam moveri semper, & per se moveri; Pythagoras vero, numerum asseruit, seipsum moventem.* Quæ totidem verbis apud Gregorium Nyssenum occurrunt, in *Orat. De Anima*: quæ tamen tota, ut inpræsens per occasionem id moneam, transscripta est ex Nemesii *libro citato*, duobus capitibus, secundo ac tertio: nisi quispiam dicere velit, Nemesium potius duo hæc capita, in rem suam accommodata, ex Gregorii oratione transcripsisse. Porro, ut illud quoque moneam, apud Gregorium minus recte ἀκίνητον *immobile* scribitur: nam quo
E pacto ἀκίνητος *immobilis* esse anima potest, si est ea αὐτοκίνητος *per se mobilis?* Et hoc obiter. Pythagoræ hunc de anima sensum, & Cicero nobis refert, *Tusc. Quæst.* lib. I. *Xenocrates animi figuram, & quasi corpus, negavit esse, verum numerum dixit*

esse: cujus vis, ut jam antea Pythagoræ visum erat, in natura maxima. Philoponus, *ad Phys.* lib. I. Ξενοκράτης ὁ τούτου διάδοχος, ἀμφοτέρων ὁρίζεται τὴν ψυχὴν, εἰπὼν αὐτὴν ἀριθμὸν, κινοῦντα ἑαυτόν· διὰ μὲν τὸ γνωστικὴν εἶναι αὐτὴν τῶν ὄντων ἀριθμὸν εἰπὼν, ὡς Πυθαγόρας. *Xenocrates, qui fuit hujus successor, ex utrisque animam definit; dicens, eam numerum esse, seipsum moventem, numerum quidem illam dicens, ob rerum existentium cognitionem, ut Pythagoras.* Huc respexit Tertull. lib. *de Anima*, cap. XXXII. *Cæterum si & atomos Epicuri tenerem, & numeros Pythagoræ viderem, & ideas Platonis offenderem, & entelechias Aristotelis occuparem, invenirem fors his quoque speciebus animalia, quæ nomine contrarietatis opponerem.* Videndum quoque Theodoret. *Therap.* V. Proprie vero, sic binarium appellarunt; ut ostendam, cum de eo sum acturus. Porro Substantiam vocabant. Alexander Aphrodiseus, in *Pr. Anal.* Οὐσία γὰρ κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς οἱ ἀριθμοί. *Nam secundum Pythagoricos numeri sunt substantia.* Atque proprie sic dicebant unitatem, ut ostendam *cap.* III. Etiam Mundum dicebant. Philoponus, *ad Metaphys.* lib. I. *Numerum vero (Pythagorei) dicebant, universum mundum, veluti qui ordinem numeri ferret.* Et hoc proprie quaternario ac denario tribuebant: uti infra, suis locis, sum dicturus. Præterea illum Deum esse statuebant. Photius in judicio de Nicomachi *Theologumenis Arithmeticis*: Θεοὺς τε καὶ θεὰς ἐπιθυμήσας ἰδεῖν τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τοῦτο διδοὺς αὐτοῖς διὰ μόνην τὴν ἰδιάζουσαν, καὶ ὡρισμένην ἑκάστου ποσότητα· οὐ φυλάττει ταύτην ἀκέραιον, εἰς τὸ θεῶν γένος ἀναφέρων αὐτούς. *Deos & Deas, videre numeros cupiens, idque ipsis tribuens propter solam propriam & definitam uniuscujusque quantitatem, hanc ipsam integram non servat, dum in Deorum ordinem numeros refert.* Et postea: Ἵνα γὰρ τοὺς ἀριθμοὺς θεοποιήσῃ, καὶ τῶν ὄντων τῆς οὐσιώσεως αἰτίας ἀναπλάσῃ, ἀφ' ἑκάστης τῶν εἰρημένων ἐπιστημῶν ἔνια τινα τῶν θεωρημάτων τῇ πρὸς τοὺς ἀριθμοὺς ἐνυφαίνει θεοπλασίᾳ. *Ut enim e numeris deos efficiat, eosdemque omnis essentiæ rerum subsistentium auctores, ac causas effingat, e singulis jam nominatis disciplinis theoremata quædam huic deorum effictioni intexit.* Lucian. in *Icaromenippo*: Τοῖς μὲν, ἀριθμός τις, ὁ θεὸς ἦν. οἱ δὲ, κατὰ κυνῶν, καὶ χηνῶν, καὶ πλατάνων, ἐπόμνυντο. *His quidem, numerus quispiam deus erat; illi vero, per canes, anseres, ac platanos, jurabant.* Irridet nempe eo loco Pythagoreos, ac Socraticos. Iterum, in *Vitarum auctione*: Καὶ ἐπὶ τουτέοισι δὲ γνώσεαι τὸν θεὸν ἀριθμὸν ἐόντα. *Ad hæc etiam deum numerum esse cognosces.* Elegans quoque in hanc rem locus exstat apud Athenagoram, in *Apologia pro Christianis*, sed corruptus, atque a nobis per occasionem istam emendandus: Λύσις δὲ καὶ ὄψει· ὁ μὲν ἀριθμὸν ἄρρητον ὁρίζεται τὸν θεόν. ὁ δὲ, τὸ μεγίστου τῶν ἀριθμῶν τὴν παρὰ τῶν ἐγγυτάτων ὑπεροχήν. *Lysis autem & opsi; hic quidem numerum deum ineffabilem definit; ille autem, excellentiam ab proximis maximi numerorum.* Conradus Gesnerus, vir insignis, qui *Orationem* eam in Latinam linguam transtulit, vocem ὄψει cum mendosam animadverteret, & philosophi hic alterius nomen quoddam delitere admodum recte judicaret, neque tamen id erueret, sic vertendum existimavit: *Porro Lysis, & alius quidam Philosophus.* Sed omnino rescribendum: Λύσις δὲ, καὶ Ὄψιμος, *Lysis vero, & Opsimus.* Lysis, & Opsimus, philosophi ambo Pythagorici fuerunt: & uterque a Jamblicho memoratur, inter Pythagoræ Sectatores, in Catalogo eorum, quem contexit *lib.* I. *cap.* XXXVI. ubi Lysis inter Tarentinos ponitur, Opsimus inter Rheginos. Porro numerum esse Deum existimatum, etiam iste Pythagoricorum versus indicat, apud Simplicium *in Phys.* lib. III.

> Κέκλυθι κύδιμ' ἀριθμὲ, πάτερ μακάρων, πάτερ ἀνδρῶν.
>
> *Audi clare numere, pater deorum, pater virorum.*

Observare etiam licet apud Hieroclem, in *Commentario ad Pythagoræ aurea Carmina*. Et hoc proprie tribuebant Unitati: uti illic ostendemus. Denique Principium rerum statuebant. Simplicius *ad Phys.* lib. I. Οἱ πυθαγόρειοι τοὺς ἀπὸ μονάδος ἄχρι δεκάδος ἀριθμοὺς ἀρχὰς ἔλεγον τῶν ἁπάντων. *Pythagorici numeros ab unitate usque ad denarium rerum omnium principia esse dicebant.* Alex. Aphrodiseus *ad Metaphys.* lib. III. *Quæ quidem in eos dicta sunt, quibus numeros omnium rerum principia, & elementa, esse placebat, ut etiam magnitudinum essent principia. In hac autem sententia fuerunt Pythagorici.* Et hoc ipsum ad Unitatem referendum. Diogenes Laert. in *Pythagora*, lib. VIII. Φησὶ δὲ καὶ ὁ Ἀλέξανδρος, ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διαδοχαῖς, καὶ ταῦτα εὑρηκέναι ἐν Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασιν. Ἀρχὴν μὲν τῶν ἁπάντων, μονάδα. *Refert autem Alexander in successionibus philosophorum, etiam ista in Pythagoreorum commentariis invenisse: Principium quidem omnium unitatem esse.* Hermias, in *Irrisione philos. gent.* Ἄλλοι πάλιν ἀπὸ τῆς παλαιᾶς φυλῆς, Πυθαγόρας, καὶ οἱ τούτου συμφυλέται, σεμνοὶ, καὶ σιωπηλοὶ παραδιδόασιν, ἄλλα μοι δόγματα, ὥσπερ μυστήρια. καὶ τοῦτο δὴ τὸ μέγα, καὶ ἀπόρρητον, τὸ, Αὐτὸς ἔφη· Ἀρχὴ τῶν πάντων ἡ μονάς· ἐκ δὲ τῶν σχημάτων αὐτῆς, καὶ τῶν ἀριθμῶν, τὰ στοιχεῖα γίνεται. *Alii rursum ab antiqua tribu, Pythagoras, ejusque contribules, graves, ac taciturni, alias mihi opiniones tradunt, tanquam Cereris quædam initia; atque illud magnum sane, & arcanum, IPSE DIXIT: Principium rerum omnium est Unitas, e figuris vero ejus, numerisque, elementa fiunt.* Theodoretus, *Therapeut.* II. Καὶ Πυθαγόρας δὲ ὁ Μνησάρχου, ἀρχὴν τῶν πάντων ἔφησε τὴν μονάδα. *Pythagoras autem, Mnesarchi filius, principium rerum omnium dixit esse Unitatem.*

CAP. II.

Numerus par, infinitus: impar, finitus. Themistii locus restitutus. Par, egenus, & imperfectus: impar, plenus, & perfectus. Par, mas; impar, fœmina: quique ex pari imparique constitutus ἀρρενόθηλυς *virofæmina. Zaratæ, præceptori Pythagoræ, quænam placita. Numeri pars initium sinistrum: imparis dextrum. Numeri impares,* Γνώμονες, *Indices, dicti; ac præstantiores habiti: prospera quoque significare, & vivorum proprii esse, diisque superis dedicati, & immortales putabantur. Convivia, pari convivarum numero, obmutescere credebantur.*

NUMERUS omnis par, aut impar: atque hunc finitum esse, illum vero infinitum statuebant. Servius *ad Virg. Eclogam* VIII. *Varro dicit, Pythagoreos putare, imparem numerum habere finem: parem, esse infinitum.* Eustratius, *in Ethic.* lib. I. Δύο συστοιχίας ὁ Πυθαγόρας ἐξέθετο, μίαν μὲν ταύτην, πέρας, περιττόν· ἑτέραν δὲ ταύτην, ἄπειρον, ἄρτιον. *Duos ordines statuerat Pythagoras; unum quidem, finem, impar, alterum vero, infinitum, par.* De pare, atque infinito, Psellus *in Phys.* lib. III. *Et Pythagorici quidem, parem numerum infinitæ esse naturæ judicabant.* Et postea: *Pythagorici parem (numerum) infinitum decernebant, ac celebrabant.* Themistius, ad eundem librum, mutilus est. Οἱ μὲν γὰρ ἐκ Πυθαγόρου τὸν ἀριθμὸν τὸ ἄπειρον λέγουσιν. *Pythagorei quidem numerum infinitum dicunt.* Omnino restitue, Τὸν ἀριθμὸν τὸν ἄρτιον ἄπειρον λέγουσιν. *Numerum parem infinitum dicunt.* Neque enim simpliciter numerum quemvis infinitum statuebant, sed duntaxat parem. Ipse paullo post: Διαφέρονται δὲ καὶ ταύτῃ πρὸς τὸν Πλάτωνα οἱ Πυθαγόρειοι, οἱ τὸν ἀριθμὸν, οὐχ ἅπαντα ἄπειρον λέγουσιν, ἀλλὰ τὸν ἄρτιον μόνον. τοῦτον γὰρ εἶναι τῆς εἰς τὰ ἴσα τομῆς αἴτιον, ἥτις ἀπει-

πειρος· καὶ τῇ μὲν αὐτοῦ φύσει, γεννητικὸν ἀπειρίας τὸν ἄρτιον εἶναι, ἐν οἷς ἂν ὑπάρξῃ· περαίνεσθαι δὲ, ὑπὸ τοῦ περιττοῦ. τοῦτον γὰρ κωλύειν τὴν εἰς ἴσα διαίρεσιν, προστιθέμενον τῷ ἀρτίῳ. *Sed & in eo a Platone differunt Pythagorei; qui non omnem numerum infinitum dicunt, sed solum parem: nam hunc esse causam sectionis in partes æquales, quæ infinita; ac natura quidem sua, quibus inest, infinitatem generare; finiri vero ab impari: quod pari appositus, sectionem in æquales partes vetet.* Et mox: Οὕτως οὖν τοῖς Πυθαγορείοις ὁ ἄρτιος μόνος ἀριθμὸς ἄπειρος γίνεται. *Hunc igitur in modum numerus par solus Pythagoricis infinitus est.* Eadem illic etiam Simplicius dicit, & Philoponus. Præterea, parem item egenum, & imperfectum: imparem, plenum, & perfectum dictitabant. Plutarch. lib. *de Homeri Poesi:* Ὁ γὰρ Πυθαγόρας, τοὺς ἀριθμοὺς μεγίστην δύναμιν ἔχειν ἡγούμενος, καὶ πάντα εἰς ἀριθμοὺς ἀναφέρων, τὸν μὲν ἄρτιον, ἐνδεᾶ, καὶ ἀτελῆ· τὸν δὲ περιττὸν, πλήρη τε καὶ τέλειον ἀπέφηνεν. *Pythagoras enim, qui numeros maximam habere potentiam existimabat, omniaque ad eos referebat, parem quidem, indigentem, & imperfectum: imparem vero, plenum, ac perfectum ostendit.* Censorinus, *De die natali*, c. XX. *Impar numerus plenus, & magis faustus, habebatur.* Masculum porro etiam imparem, fœminam parem existimabant. Anonymus, *in Ptolemæi Tetrabiblum, lib.* I. Ὅσα μὲν γάρ, φασιν, ὑπὸ περιττοῦ ἀριθμοῦ πέφυκε, ἐκεῖνα ἀρσενικά ἐστιν· ὅσα δὲ ὑπὸ ἀρτίου, θηλυκά. καὶ γὰρ εἰώθασιν οἱ Πυθαγόρειοι λόγον τινὰ λέγειν τοιοῦτον· ὅτι ὁ ἄρτιος ἀριθμὸς, τὸ τμητικὸν ἔχει, καὶ παθητικόν· ὁ δὲ περιττὸς, τὸ ἄτμητον, καὶ ἀπαθὲς, καὶ δραστήριον. διὸ ὁ μὲν, θῆλυς ὀνομάζεται· ὁ δὲ, ἄρρην. *Nam quæcunque, ajunt, ab impare numero generantur, ea mascula sunt: quæcunque vero a pari, fœminina: etenim solent Pythagorici sic statuere; numerum parem, sectioni, atque passioni, obnoxium; imparem, utriusque expertem, & efficacem: ideoque ille quidem, fœmina ipsis nominatur: hic vero mas.* Alexander Aphrodiseus *in Metaphys.* lib. I. *Quinque vero, appellabant (Pythagorei) Nuptias; quia nuptiæ sunt maris & fœminæ conjunctio: cum autem impar numerus istis sit mas, par vicissim fœmina, hic primus ex primo numero pari, id est, duobus, & primo impari, id est, tribus, gignitur. His enim, ut dixi, impar erat mas: par vero, fœmina.* Macrobius, in *Somnio Scipionis*, lib. I. c. VI. *Mas idem, & fœmina, est: par idem, atque impar.* Ac postea: *Et esse imparem marem, parem feminam, superius expressimus.* Observare etiam licet apud Martianum Capellam, *De Nuptiis Philologiæ*, lib. VII. tribus locis, ubi agit, de pentade, hexade, & heptade, item Anonymum, in *Theologumenis Arithmeticis*, ubi de septenario agit; tum Johannem Protospatharium, *ad Hesiodi* Ἡμέρας; Philonem, *de septenario;* Clementem, *Strom.* VI. & Homeri Scholiasten, *ad Iliad.* τ'. Certe marem esse imparem numerum, etiam Lutatius prodit, *ad Statii Thebaidos lib.* V. *Dicitur impar numerus a Pythagora repertus, & masculinæ virtutis.* Ideo numerus, qui ex pari, atque impari comparatus, id est, mare atque fœmina, ἀρρενόθηλυς, quasi dicas, *Virofœmina*, vocabatur. Anonymus, in *Theologumenis Arithmeticis*, ubi de numero senario: Ἐξ ἀρτίου, καὶ περισσοῦ, καὶ τῶν πρώτων, ἄρρενος, καὶ θήλεος δυνάμει καὶ πολλαπλασιασμῷ γίνεται· διὸ καὶ ἀρρενόθηλυς καλεῖται. *Ex pari & impari primis, mare, & fœmina, potentia, & multiplicatione, nascitur: unde & virofœmina dicitur.* Et hoc ante Pythagoram statuit Zaratas, ejus præceptor: qui primus numeri matrem dyadem, patrem unitatem dixit. Plutarchus, *de animæ creatione:* Καὶ Ζαράτας, ὁ Πυθαγόρου διδάσκαλος, ταύτην μὲν (τὴν δυάδα) ἐκάλει τοῦ ἀριθμοῦ μητέρα· τὸ δὲ ἓν, πατέρα. *Et Zaratas, Pythagoræ doctor, hanc quidem (dyadem) vocabat numeri matrem; unitatem vero, patrem.* Præterea imparis numeri initium, dextrum esse statuebat: paris vero, sinistrum. Observare est apud Jamblichum, *de Vita Pythagoræ*, lib. I. c. XXVIII. Εἰσιέναι δὲ εἰς τὰ ἱερὰ κατὰ τοὺς δεξιοὺς τόπους παραγγέλλει· ἐξιέναι, κατὰ τοὺς ἀριστερούς. τὸ μὲν δεξιὸν, ἀρχὴν τοῦ περιττοῦ λεγομένου τῶν ἀριθμῶν τιθέμενος· τὸ δὲ ἀριστερὸν, τοῦ ἀρτίου σύμβολον. *Templa ingredi per loca dextra præcipiebat; egredi vero per sinistra: quippe dextrum numeri, qui impar dicitur, initium esse; sinistrum autem, paris symbolum.* Porro etiam numeri impares Γνώμονες, *Indices*, appellabantur. Simplicius, *in Phys.* lib. III. Γνώμονας δὲ ἐκάλουν τοὺς περιττοὺς οἱ Πυθαγόρειοι, διότι, προστιθέμενοι τοῖς τετραγώνοις, τὸ αὐτὸ σχῆμα φυλάττουσιν, ὥσπερ καὶ οἱ ἐν γεωμετρίᾳ γνώμονες. *Gnomonas autem vocabant impares* (numeros) *Pithagorei, quoniam adjecti quadratis eandem servant figuram, quemadmodum gnomones in Geometria.* Themistius, *ad eundem Aristotelis librum*, simpliciter de Arithmeticis illud dicit; Διὰ τοῦτο γνώμονας καλοῦσιν οἱ Ἀριθμητικοὶ τοὺς περιττοὺς, ὅτι φυλάττουσι τὸ εἶδος τοῦ τετραγώνου. *Propterea gnomonas vocant Arithmetici numeros impares, quod speciem quadrati retineant.* Philoponus, *ibidem:* Καὶ οἱ Ἀριθμητικοὶ δὲ γνώμονας καλοῦσι πάντας τοὺς περιττοὺς ἀριθμούς. *Et Arithmetici vero gnomonas appellant numeros impares omnes.* Etiam præstantiorem imparem esse existimabant. Julianus, in *Epistola ad Sarapionem:* Καὶ οὐκ ἀγνοῶ μὲν, ὡς παλαιῶν, καὶ σοφῶν, ἀνδρῶν ὁ λόγος, τοῦ ἀρτίου τὸ περιττὸν προκεῖσθαι. *Equidem non sum nescius, veteres, eosdemque sapientes, imparem numerum pari præposuisse.* Plinius *lib.* XXVIII. *cap.* II. *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus.* Hinc Virgilius *Ecloga* VIII.

—— *numero Deus impare gaudet.*

Atque id Pythagorei accepere a Zarata, qui Pythagoræ præceptor. Plutarch. *de animæ procreatione:* Καὶ Ζαράτας, ὁ Πυθαγόρου διδάσκαλος, ταύτην μὲν, ἐκάλει τοῦ ἀριθμοῦ μητέρα· τὸ δὲ ἓν, πατέρα· διὸ καὶ βελτίονας εἶναι τῶν ἀριθμῶν, ὅσοι τῇ μονάδι προσεοίκασι. *Zaratas quoque, Pythagoræ doctor, hanc quidem vocabat, numeri matrem; unitatem vero patrem; ideoque meliores esse dicebat eos numeros, quicunque unitati adsimiles essent.* Et Homeri hæc sententia multo ante ipsum fuit, ut Plutarchus idem observat, libro *de Poesi Homeri:* Ἀεὶ δὲ τῷ περισσῷ ἀριθμῷ χρῆται ὡς κρείσσονι. *Semper vero impari numero utitur tanquam meliori.* Et huc pertinet, quod convivia, pari convivarum numero, obmutescere crederentur. Plinius, *lib.* XXVIII. *c.* II. *Quin & repente obmutescere convivium adnotatum est, non nisi in pari præsentium numero.* Prospera quoque significare, & vivorum proprius esse, censebatur. Lutatius, *ad Statii Theb.* V. *Omnis impar numerus prospera significat, & vivis adscribitur.* Ac prosperum quidem fuisse, etiam testis nobis Festus: *Imparem numerum Antiqui hominibus prosperiorem esse crediderunt.* Ideo nempe in honorem ejus numeri, Numa mensi Januario diem adjecit. Macrob. *Saturn.* lib. I. c. XIII. *Paulo post Numa in honorem imparis muneri, secretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura, unum adjecit diem, quem Januario dedit.* Ac diis superis dedicatus. Idem, *ibidem: Dicitur autem impar numerus a Pythagora repertus, & masculinæ virtutis, & deorum superum.* Servius, *ad Æneid. lib.* III. *inferi, pari gaudent numero: superi vero, impari.* Lutatius, *loco cit.* Denique immortalis etiam putabatur: par, mortalis. Servius, *ad Eclogam* VIII. *Et impar numerus immortalis, quia dividi integer non potest: par numerus mortalis, quia dividi potest.*

CAP. III.

[A] *Unitas, ejusque nomina:* Νοῦς. Ἀρσενόθηλυς. Θεός. Ὕλη. Πανδοχεύς. *Mens. Virofœmina. Deus. Materia. Omnem recipiens. Simplicii dissidium.* Χάος. *Syriani dissidium.* Σύγχυσις. Σύγκρασις. *Confusio. Contemperatio. Anonymus, in* Theologumenis Arithmeticis *emendatus.* Ἀλαμπία. Σκοτωδία. Χάσμα. Τάρταρος. Στύξ. Φρικωδία. Ἀμιξία. Βάραθρον. Λήθη. Στίφρα παρθένος. Ἄτλας. Ἄξων. Ἥλιος. Μορφώ. Ζανὸς πύργος. *Obscuritas. Tenebræ. Hiatus. Tartarus. Styx. Horror. Impermistio. Barathrum. Lethe. Rigida virgo. Atlas. Axis. Sol. Morpho. Jovis turris.* [B] *Procli, & Simplicii, diversæ sententiæ. Simplicii locus emendatus.* Σπερματίτης λόγος. Ἀπόλλων. Προμηθεύς. *Seminalis ratio. Apollo. Prometheus. Photii locus restitutus.* Γονή. Οὐσία. Αἴτιον ἀληθείας. Ἁπλοῦν παράδειγμα. Τάξις συμφωνίας. Ἴσον. Μέσον. Μέτριον. Νῦν. Ναῦς. Ἅρμα. Φίλος. Ζωή. Εὐδαιμονία. Εἶδος. Ζεύς. *Genitura. Substantia. Causa veritatis. Simplicitatis exemplum. Constitutio concentus. Æquale. Medium. Mediocre. Nunc. Navis. Currus. Amicus. Vita. Felicitas. Forma. Jupiter. Martiani Capellæ locus correctus.* Ἔρως. Ὁμόνοια. Εὐσέβεια. Φιλία. Πρωτεύς. Μνημοσύνη. *Amor. Concordia. Pietas. Amici-* [C] *tia. Proteus. Mnemosyne. Ignis, & Vestæ, communio. Anonymi locus illustratus.* Πυράλιος. Πολυώνυμος. *Amor. Pyralius. Multinominis.*

UNITATIS, varia habebant nomina: quæ nos scimus ex Nicomacho Geraseno, cujus *Excerpta* exstant hodie in *Biblioth.* Photii, istis verbis: Λέγει δὲ τὴν Μονάδα, ἄλλα τε οὐκ ὀλίγα τῶν πλασμάτων τῇ περὶ αὐτῆς ἀληθείᾳ, καὶ τοῖς προσοῦσι φυσικοῖς ἰδιώμασι καταμιγνύς· καὶ ὡς Νοῦς τε εἴη, εἶτα Ἀρσενόθηλυς, καὶ Θεός, καὶ Ὕλη δέ πως πάντα χρήματα μιγνὺς ὡς ἀληθῶς, καὶ Πανδοχεὺς λοιπόν, καὶ χωρητική, καὶ Χάος, Σύγχυσις, Σύγκρασις, Ἀλαμπία, Σκοτωδία, Χάσμα, Τάρταρος. καὶ Στύγα δὲ αὐτὴν τερατολογοῦσι, καὶ Φρικωδίαν, καὶ [D] Ἀμιξίαν, καὶ Βάραθρον ὑποχθόνιον, καὶ Λήθην, καὶ Στίφραν παρθένον, καὶ Ἄτλαντα. Ἄξων τε ἐστιν αὐτοῖς, καὶ Ἥλιος, καὶ Πυράλιος, καὶ Μορφὼ δέ, καὶ Ζανὸς πύργος, καὶ Σπερματίτης λόγος. Ἀπόλλων τε, καὶ Προφήτης, καὶ Λόγιος. *De unitate vero, præter alia figmenta non pauca, quæ rebus de ea veris, naturalibusq; proprietatibus, in eam quadrantibus, admiscet, etiam illud refert; Mentem hanc esse, deinde Virofœminam, ac Deum, & Materiam quodammodo. Eandem res omnes revera miscere, & deinceps omnium receptricem esse, atque capacem: Chaos, Confusionem, Contemperationem, Obscuritatem, Tenebras, Hiatum. Tartarum* [E] *insuper hanc, immo Styga esse nugantur: & Horrorem, atque Impermistionem, Barathrum quoque subterraneum, Lethen, Rigidam virginem, & Atlantem. Axis præterea ipsis est, & Sol, & Pyralios, Morpho, Iovis arx, ac Seminalis ratio. Apollo adhæc, & Propheta & Fatidicus.* Ecce autem, non duntaxat Deum esse Unitatem statuerunt, sed & Νοῦν, *Mentem,* & Ἀρσενόθηλυν, *Virofœminam.* Idem affirmat Anonym. in *Theologumenis Arithmeticis:* Λέγουσιν οὖν ταύτην (de Monade loquitur) οὐ μόνον Θεόν, ἀλλὰ καὶ Νοῦν, καὶ Ἀρσενόθηλυν. *Vocant itaque eam non tantum Deum, sed & Mentem, & Virofœminam.* Macrob. in *Somn. Scip.* lib. I. c. VI. *Unum autem, quod Mo-* [F] *νὰς, id est, Unitas, dicitur,* & MAS IDEM ET FOEMINA *est; par idem, atque impar: ipse non numerus, sed fons & origo numerorum. Hæc monas initium finisq; omnium, neque ipsa principii aut finis sciens, ad summum refertur Deum, ejusque intellectum a sequentium numero rerum, & potestatum, sequestrat: nec in inferiore post Deum gradu eam frustra desideraveris. Hæc est illa* MENS, *ex summo enata Deo.* Quod ad *Mentis* appellationem attinet, eam quoque alii nobis repræsentant. Protospatharius, *in Hesiodum:* Τὸ ἓν, ἔλεγον τὸν Νοῦν, *Unum, dicebant* MENTEM. He-

[A] sych. Νοῦς, ψυχή, ποταμός, καὶ ἡ Μονάς, *Mens, anima, fluvius, & Unitas.* Hermias, in *Irrisione philosoph. gent.* Οἱ δὲ τὸν Νοῦν (φασὶ) τὴν κίνησιν, οἷον Ἡράκλειτος· οἱ δὲ τὴν Μονάδα, οἷον Πυθαγόρας. *Alii autem* MENTEM *dicebant esse motum, ut Heraclytus; alii Unitatem, ut Pythagoras.* Aristoteles huc respexit, *Metaphysici majoris,* c. V. Ἐπεὶ δὲ τούτων οἱ ἀριθμοὶ φύσει πρῶτοι, ἐν δὲ τοῖς ἀριθμοῖς ἐδόκουν (οἱ Πυθαγόρειοι) θεωρεῖν ὁμοιώματα πολλὰ τοῖς οὖσι καὶ γιγνομένοις μᾶλλον, ἢ ἐν πυρί, καὶ γῇ, καὶ ὕδατι· ὅτι τὸ μὲν τοιονδὶ τῶν ἀριθμῶν Δικαιοσύνη, τὸ δὲ τοιονδί, Ψυχή, καὶ Νοῦς. *Quoniam autem numeri sunt primi natura, & in numeris magis videbantur (Pythagorici) videre similitudines multas eorum,* [B] *quæ sunt, & fiunt, quam in igne, terra & aqua; statuebant, talem quidem numerorum affectum esse* JUSTITIAM, *talem autem* ANIMAM, *atque* MENTEM. Ad quem locum Alexander Aphrodiseus: *Ad hæc* MENTEM *appellabant Unum: quia mens stabilis est, ut undique similis, & principatum obtinet.* Philopon. *ibidem: Pythagorei, dum volunt eorum sapientiam occultam facere cerdonibus, symbolice tradiderunt disciplinas, dicebant ergo Unitatem* MENTEM. Videndus quoque ad eum locum Pachymerius: meminitque Syrian. *in Metaphysic.* lib XIII. & Simplicius, *De Anima,* lib. I Inde est, Θεός, *Deus.* Quam in rem [C] est iste locus Athenagoræ, in *Apologia pro Christianis:* Μονάς ἐστιν ὁ Θεός. τοῦτ᾽ ἔστι, εἷς, *Unitas est Deus; id est, unus.* Inde Ὕλη, *Materia;* & Πανδοχεύς, *Hospes;* in Nicomachi *Excerptis* occurrebat: cujus etiam utriusque Anonym. meminit, in *Theologumenis suis Arithmeticis:* Καὶ Ὕλην αὐτὴν καλοῦσι, καὶ Πανδοχέα, ὡς παρεκτικὴν οὖσαν καὶ δυάδος, τῆς κυρίως Ὕλης. *Et Materiam vocant eam, & Hospitem, ceu quæ dyadem exhibeat, quæ proprie Materia existit.* Simplic. in *Comment. ad Phys.* l. I. τῆς Ὕλης nomen ad dyadem refert. Ejus locum mox producam. Hic Χάος, sequitur. Anonym. idem: Ὡσαύτως δὲ Χάος αὐτὴν φησὶ τὸ παρ᾽ Ἡσιόδῳ πρωτόγονον· ἐξ οὗ τὰ λοιπά, ὡς ἐκ μονάδος. *Eodem* [D] *vero modo illam Chaos appellant, quod apud Hesiodum primogenium est; e quo reliqua, veluti ex unitate.* Syrian. nomen hoc ad dyadem refert, *Comm. in Metaph.* lib. XIII. *Interminatam dualitatem, quam Chaos Pythagoras in sacro sermone vocavit: associans eam Menti: hanc namque tribuit unitati appellationem.* ΣΥΓΧΥΣΙΣ, ΣΥΓΚΡΑΣΙΣ, ΑΛΑΜΠΙΑ, ΣΚΟΤΩΔΙΑ, *Confusio, Contemperatio, Obscuritas, Tenebræ.* Eadem Anonym. habet: nisi quod Ἔγκρασις apud illum, & non Σύγκρασις, legatur. Verum emendandum censeo. ΖΑΝΟΣ ΠΥΡΓΟΣ, *Jovis turris.* Proclus tradit, eos centrum isto nomine appellasse, *ad Timæum Comment.* IV. Μεγάλην γὰρ ἔχει τὸ κέντρον [E] ἐν τῷ παντὶ δύναμιν, ὡς συνεκτικὸν ἁπάσης τῆς περιφορᾶς. διὸ καὶ Πυθαγόρειοι Ζανὸς Πύργον ἐκάλουν τὸ κέντρον, ὡς δημιουργικῆς Φρουρᾶς ἐν ἐκείνῳ τεταγμένης. *Magnam enim in universo vim habet centrum, utpote quod cohibere universam circumlationem valeat, ideo etiam Pythagorei id vocabant* JOVIS TURRIM, *ceu in eo constituta opificii Custodia.* Simplicius refert, igni eos appellationem illam tribuisse, *De Cœlo.* lib. II. Οἱ δὲ γνησιώτερον αὐτῶν μετέχοντες, τὸ μὲν πῦρ ἐν τῷ μέσῳ φασὶ τὴν δημιουργικὴν δύναμιν, ἐκ τοῦ μέσου ὅλην τὴν γῆν τρέφουσαν, καὶ τὸ ψυχόμενον αὐτῆς ἀνεγείρουσαν. διὸ οἱ μέν, ΖΗΝΟΣ ΠΥΡΓΟΝ αὐτὸ καλοῦσιν· [F] ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς Πυθαγορείοις διηγήσατο. οἱ δέ, ΔΙΟΣ ΦΥΛΑΚΗΝ· ὡς ἐν τούτοις· οἱ δέ, ΔΙΟΣ ΘΡΟΝΟΝ· ὡς ἄλλοι φασίν. ἄστρον δὲ τὴν γῆν ἔλεγον, ὡς ὄργανον καὶ αὐτὴν τοῦ χρόνου· ἡμερῶν γάρ ἐστιν αὕτη, καὶ νυκτῶν, αἰτία. *Qui autem sincerius ista callent, ignem in medio dicunt potentiam conditivam, e medio totam terram alentem, & quod est in illa frigidum refocillantem, quapropter hi quidem,* JOVIS TURRIM *ipsum vocant: ut in Pythagoricis ipse retulit: hi vero,* JOVIS CUSTODIAM; *velut in his: isti rursum,* JOVIS SOLIUM: *ut alii volunt: antrum autem terram dicebant, velut ipsam temporis quoque instrumen-*

tum: quippe quæ dierum, & noctium, causa existat. Verum mendum illic puto, & legendum, κέντρον δὲ τὴν γῆν ἔλεγον, *centrum vero terram dicebant*. ΣΠΕΡΜΑΤΙΤΗΣ ΛΟΓΟΣ, *Seminarius sermo*. Huc pertinet, quod Martianus Capella ait, *lib.* VII. *Nec dissimulabo ex eo quod Monas retractantibus unum est, solum ipsam esse, ab eaque cætera procreari, omniumque numerorum solam seminarium esse*. Et ista Anonymi: Ὡς δὲ σπέρμα συλλήβδην ἁπάντων, ἄρσενά τε καὶ θηλείαν τὴν αὐτὴν τίθενται. *Velut semen denique omnium, marem ipsam, ac fœminam statuunt*. ΑΠΟΛΛΩΝ. Plutarchus, *De Iside & Osiride*: Δοκῶ δὲ ἔγωγε καὶ τὴν μονάδα τοὺς ἄνδρας (de Pythagoricis loquitur) ὀνομάζειν Ἀπόλλωνα. *Ego vero existimo etiam viros unitatem appellare Apollinem*. Et postea iterum: Οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ ἀριθμοὺς, καὶ σχήματα, Θεῶν ἐκόσμησαν προσηγορίαις. τὸ μὲν γὰρ ἰσόπλευρον τρίγωνον, ἐκάλουν Ἀθηνᾶν κορυφαγενῆ, καὶ Τριτογένειαν· τὸ δὲ ἓν, Ἀπόλλωνα. *Pythagorei vero, cum numeros, tum figuras, Deorum nominibus ornavere: nam triangulum æquilaterum, vocabant Minervam, e vertice natam, & Tritogeniam: unum vero, Apollinem*. Et huc respectum a Porphyrio, *De Abstin.* lib. II. Πυθαγόρειοι περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τὰς γραμμὰς, σπουδάζοντες, ἀπὸ τούτων τὸ πλέον τοῖς θεοῖς ἀπήρχοντο, τὸν μέν τινα ἀριθμὸν, Ἀθηνᾶν καλοῦντες· ὥσπερ αὖ ἄλλον, Ἀπόλλωνα. *Pythagorei circa numeros, & lineas, studiosi, ex his plerunque diis primitias libabant, hunc quidem numerum, Minervam vocantes: illum autem rursum, Apollinem*. ΠΡΟΦΗΤΗΣ, *Propheta*. Corruptum ego hic Photium puto, & legendum, ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ. Anonymus, in *Theologumenis Arithmeticis*: Καὶ Προμηθέα μυθεύουσιν αὐτὴν, δημιουργὸν ζωότητος, ἀπὸ τοῦ πρόσω μηδενὶ τρόπῳ θεῖν. *Et Prometheum fabulantur ipsam, vivendi facultatis opificem, quia nullo modo currat in anteriorem partem*. Et hæc quidem a Nicomacho Unitatis nomina memorata erant: præter quæ & alia alii tradiderunt. In his ΓΟΝΗ, *Genitura*. Anonymus: Ἀνατόλιος ΓΟΝΗΝ αὐτὴν φησὶ καλεῖσθαι, καὶ Ὕλην· ὡς ἄνευ αὐτῆς μὴ ὄντος μηδενὸς ἀριθμοῦ. *Anatolius ait, ipsam vocari* GENITURAM, *& Materiam; tanquam numero sine illo nullo existente*. Etiam, Οὐσία, Αἴτιον ἀληθείας, Ἁπλοῦν παράδειγμα, Τάξις συμφωνίας, Ἴσον, Μέσον, Μέτριον, Νῦν, Ναῦς, Ἅρμα, Φίλος, Ζωή, Εὐδαιμονία, *Substantia, Causa veritatis, Simplicitatis exemplum, Constitutio concentus, Æquale, Medium, Mediocre, Nunc, Navis, Currus, Amicus, Vita, Felicitas*. Anonymus: Ἐκάλουν δὲ (τὴν Μονάδα οἱ Πυθαγόρειοι) Οὐσίαν, Αἴτιον ἀληθείας, Ἁπλοῦν παράδειγμα, Τάξιν συμφωνίας ἐν μείζονι, καὶ ἐλάσσονι, τὸ Ἴσον· ἐν ἐπιτάσει, καὶ ἀνέσει, τὸ Μέσον· ἐν πλήθει, τὸ Μέτριον· ἐν χρόνῳ, Νῦν, τὸ ἐνεστῶτα· ἔτι δὲ καὶ Ναῦν, Ἅρμα, Φίλον, Ζωὴν, Εὐδαιμονίαν. *Appellabant vero (Unitatem Pythagorei) Substantiam, Causam veritatis, Constitutionem concentus; in majori, & minori, Æquale; in intensione, & remissione, Medium; in multitudine, Mediocre; in tempore, Nunc, id quod est præsens; insuper vero etiam Navem, Currum, Amicum, Vitam, Felicitatem*. Quod *Substantiæ* nomen attinet, ejus meminit Alexander Aphrodiseus, *in Metaphys.* lib. I. *Ad hæc Mentem, & Substantiam, appellabant unum: Substantiam, quia substantia primum est.* Et in priora *Analytica*: Λέγουσι γὰρ τὴν Μονάδα Οὐσίαν. *Unitatem enim dicunt Substantiam.* Item postea: Δόξῃ δὲ προσχρῆται τῶν Πυθαγορικῶν, οἷς ἐδόκει ἡ Μονὰς Οὐσία εἶναι. *Sequitur vero opinionem Pythagoricorum, qui censebant, Unitatem esse Substantiam.* Quod vero *Nunc* in tempore sit appellata, eo pertinent hæc Macrobii, *ad Somn. Scip.* lib. I. c. VI. *Hæc (Monas) illa est Mens, ex summo enata deo, quæ, vices temporum nesciens, in uno semper, quod adest, consistit ævo.* Etiam Εἶδος, *For-*

G. Tom. IX.

A *ma*, dicebatur. Simplic. *in Phys.* lib. I. Εἰκότως Ἓν [...] τὸ Εἶδος ἔλεγεν, (κατὰ τὸ Πυθαγόρειον ἔθος) ὡς ὁρίζον, ὅπερ ἂν καταλάβῃ, καὶ περατοῦν. *Merito Unum Formam dixit, ut quæ finiat, quod comprehenderit, atque terminet*. Idem dicit in *Commentario de Anima*, lib. [...] Anonymus ubi de dyade agit: Τὴν γὰρ τῆς Μονάδος, εἴδους πρόσοδον δι' ἔρωτα ἐπισπωμένη τὰ λοιπὰ ἀπ[οτε]λέσματα γεννᾷ. *Etenim cum Unitatis, ceu speciei accessum propter amorem attraxerit, reliquos effectus generat.* Martianus Capella, *lib.* VII. *Si (Mona[s]) Species est, accidens cuilibet exstantium primo priusque est.* Item Ζεὺς, *Jupiter*. Anonymus, ubi de dyade: Καὶ Διομήτορα ταύτην (τὴν Δυάδα) ὠνόμαζον, ὡς Διὸς μητέρα. Δία δ' ἔλεγον, τὴν Μονάδα. *Et hanc (Dyadem) Jo-*

B *vimatrem appellabant, ceu quæ Jovis mater es[t: Jo]vem vero nominabant, Unitatem.* Proclus, *in P[lato]nem, De Republ.* Ὁ Ζεὺς Μονάς ἐστι. *Jupiter est [Uni]tas.* Martian. Capella, *lib. citato*: *Hanc igitur pa[trem] omnium Jovem rite esse memoratum: quod quidem Idalis illius intellectualisq; species, vis causativa te[s]tatur.* Sed legendum illic puto, *idealis illius*: quemadmodum capite sequenti ait, ubi de triade: *Triadem idealibus formis consequenter aptamus*. Ac de Jovis appellatione quidem, ille idem iterum postea: *Tamen rectius Jupiter nuncupatur, quod sit idem*

C *pater, ac caput, deorum.* Sic Ἔρως, Ὁμόνοια, Εὐσέβεια, Φιλία, *Cupido, Concordia, Pietas, Amicitia.* Martianus *loc. cit. Licet Aristoteles Cupidinem asserat nominatam, quod se cupiat. Hanc quoque alii Concordiam, hanc Pietatem, Amicitiamque dixere: quod ita nectatur, ut non secetur in partes.* Item Πρωτεὺς Anonym. Οὐκ ἀπιθάνως δὲ καὶ Πρωτέα προσηγόρευον αὐτὴν, τὸν ἐν Αἰγύπτῳ πάμμορφον ἥρωα, τὰ πάντων ἰδιώματα περιέχουσαν. *Non absurde vero etiam Proteum, illum in Ægypto omniformem heroem, ipsam appellarunt, omnium proprietates complectentem.* Et, Μνημοσύνη. Anonymus, ubi de decade: Ἀφ' ὧν καὶ Μονὰς Μνημοσύνη ὠνομάσθη. *A quibus & Unitas appellata*

D *est Mnemosyne.* Præterea, ignem uti Vestam, ita quoque Unitatem appellabant. Plutarc. in *Vita Numæ*: Λέγεται καὶ τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέστῳ πυρὶ φρουράν· ἀπομιμούμενος οὐ τὸ σχῆμα τῆς Γῆς, ὡς Ἑστίας οὔσης, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου, οὗ μέσον οἱ Πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἱδρῦσθαι νομίζουσι· καὶ τοῦτο Ἑστίαν καλοῦσι, καὶ Μονάδα. *Fertur & rotundum Vestæ templum igni inexstincto circumjecisse, ut ibi asservaretur; non ad imitationem Terræ, ut quæ Vesta sit, verum mundi universi: in cujus medio Pythagorici ignem collocatum censent; eum Vestam vocant, & Unitatem*. Et huc pertinet insignis iste Anonymi locus: Πρὸς τούτοις φασὶ, περὶ τὸ μέσον τῶν τεσσάρων

E στοιχείων κεῖσθαί τινα ἑναδικὸν διάπυρον κύβον, οὗ τὴν μεσότητα τῆς θέσεως εἰδέναι καὶ Ὅμηρον, λέγοντα·

Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδος, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Ἐοίκασι δὲ κατά γε ταῦτα κατηκολουθηκέναι τοῖς Πυθαγορείοις, οἵ τε περὶ Ἐμπεδοκλέα, καὶ Παρμενίδην καὶ σχεδὸν, οἱ πλεῖστοι τῶν πάλαι σοφῶν, φάμενοι, τὴν μοναδικὴν φύσιν, Ἑστίας τρόπον, ἐν μέσῳ ἱδρῦσθαι καὶ διὰ τοῦτο ἰσόρροπον φυλάσσειν τὴν αὐτὴν ἕδραν. *Ad hæc dicunt, circa medium quatuor elementorum situm esse quendam unitatis ignitum cubum; cujus cursus medietatem etiam scivisse Homerum, cum dicit:*

Tantum infra tartarum, quantum cœlum terra distat.

F *Ac videntur secundum hæc Pythagoreos sequi cum Empedocles, tum Parmenides, ac plerique fere veterum Sapientum, inquientes, unitatis naturam, instar Vestæ, in medio collocatam esse: ideoque in neutram partem propendentem custodire illam sedem.* Atque huc omnino spectat, quod Πυράλιον etiam dictam Unitatem, velut ducto ab igne nomine, e Nicomacho tradit Photius. Dicebant etiam Πολυώνυμον, *Multinominem*. Hesych. Πολυώνυμον. Τὴν Μονάδα οὕτως ἐκάλουν. *Multinominem. Unitatem sic vocabant*.

CAP. IV.

Binarius, ejusque nomina. Τόλμα. Ὕλη. Ἀνομοίων αἰτία. *Audacia. Materia. Dissimilium causa. Simplicii locus illustratus.* Ἴση. Ἄνισος. Ἔλλειψις. Πλεονασμός. *Æqualis. Inæqualis. Defectus. Abundantia. Anonymus correctus.* Ἀσχημάτιστος. Ἀόριστος. Ἄπειρος. *Informis. Indefinitus. Interminatus. Anonymus iterum correctus.* Πηγὴ τῆς συμφωνίας. Ἐρατώ. Ἁρμονία. Τλημοσύνη. Δύναμις. *Fons concentus. Erato. Harmonia. Tolerantia. Potentia. Arnobius illustratus.* Πόδες πολυπίδακος Ἴδης. Κορυφή. Φάνης. Δίκη. Ἶσις. Φύσις. Ῥέας. Διομήτηρ. Πηγὴ διανομῆς. Φρυγία. Λυδία. Δινδυμήνη. Δήμητρα. Ἐλευσινία. Ἄρτεμις. *Pedes fontibus abundantis Idæ. Vertex. Sol. Justitia. Isis. Natura. Rhea. Jovis mater. Fons distributionis. Phrygia. Lydia. Dindymene. Ceres. Eleusinia. Diana. Porphyrii locus illustratus.* Ἵμερος. Δικτύννα. Ἀερία. Ἀστερία. Δίσαμος. Ἐστώ. Ἀφροδίτη. Διώνη. Μυχαία. Κυθαιρεία. Ἄγνοια. Ἀγνωσία. Ψεῦδος. Ἀδιορισία. Ἑτερότης. Νεῖκος. Διχοστασία. Μόρος. Θάνατος. *Cupido. Dictynna. Aeria. Asteria. Disamus. Status. Venus. Dione. Mychæa. Cythærea. Ignorantia. Ignobilitas. Mendacium. Permistio. Diversitas. Contentio. Dissidium. Fatum. Mors. Symplicii dissensus, ac Philoponi.* Κίνησις. Γένεσις. Μεταβολή. Διαίρεσις. Ὁρμή. Δόξα. *Motus. Generatio. Mutatio. Divisio. Impetus. Opinio. Aristoteles, & Martianus Capella, illustrati.* Διαίρεσις. Διάκρισις. *Divisio. Dijudicatio. Anonymi locus emendatus.* Μῆκος, *Longitudo; aut potius,* Πρῶτον Μῆκος. Αὔξησις. Σύνθεσις. Κοινωνία. Δύη. Ὑπομονή. Ἔρις. Ἐπίθεσις. Ἥρα. Γάμος. Ψυχή. Ἐπιστήμη. Μαῖα. *Prima Longitudo. Augmentum. Compositio. Communio. Infortunium. Tolerantia. Contentio. Impositio. Juno. Matrimonium. Anima. Scientia. Maja.*

BINARII nomina, ista Photius repræsentat. Ἡ δὲ δυάς, Τόλμα τέ ἐστιν αὐτοῖς, καὶ Ὕλη, καὶ τῶν Ἀνομοίων αἰτία, καὶ Μεταίχμιον πλήθους, καὶ μονάδος ἐκ συνθέσεώς τε καὶ κατακράσεως μόνη ἴσον ποιεῖ, διὸ καὶ Ἴση. ἀλλὰ καὶ Ἄνισος, καὶ Ἔλλειψις, καὶ Πλεονασμός, καὶ μόνη Ἀσχημάτιστος, καὶ Ἀόριστος, καὶ Ἄπειρος. ἀρχὴ τοῦ ἀρτίου μόνη, καὶ ἄρτιος. οὐ μὴν οὐδ' ἀρτιάκις ἀρτία, οὐδὲ περισσάρτιος, οὐδὲ ἀρτιοπέριττος· ἀλλὰ τούτων μὲν τὰ πλείω ἐγγύς ἐστι τῇ δυάδος φυσικῇ ἰδιότητι. ἃ δὲ τερατείας, πηγή ἐστι πάσης συμφωνίας, καὶ Μουσῶν ἡ Ἐρατώ, καὶ Ἁρμονία, καὶ Τλημοσύνη, καὶ Ῥίζα, οὐ κατ' ἐνέργειαν πω, Δύναμις, Πόδες πολυπίδακος Ἴδης, καὶ Κορυφή, καὶ Φάνης, ἀλλὰ καὶ ἴσον, διὰ τὴν δυάδα, ἡ μυθοπλασία θεολογεῖ, καὶ Δίκην, καὶ Ἶσιν, καὶ Φύσιν, καὶ Ῥέαν, καὶ Διομήτερα, καὶ Πηγὴν διανομῆς. ἐστι δ' αὐτοῖς, ὡς Ῥέα, καὶ Φρυγία, καὶ Λυδία, καὶ Δινδυμήνη, καὶ Δήμητρα, καὶ Ἐλευσινία, καὶ Ἄρτεμις, καὶ Ἵμερος, καὶ Δικτυώνα, καὶ Ἀερία, καὶ Ἀστερία, καὶ Δίσαμος, καὶ Ἐστώ. καὶ μὴν, καὶ Ἀφροδίτη, καὶ Διώνη, Μυχαία, Κυθαίρεια, καὶ Ἄγνοια, καὶ Ἀγνωσία, καὶ Ψεῦδος, καὶ Ἀδιορισία, καὶ Ἑτερότης, καὶ Νεῖκος, καὶ Διχοστασία, καὶ Μόρος, καὶ Θάνατος, τοιαῦτα μὲν αὐτοῖς, καὶ ἡ δυὰς θεολογεῖται. *Binarius, Audacia ipsis est, ac Materia, Dissimiliumque causa, & interstitium multitudinis, atque unitatis. Ex compositione, atque permistione, solus hic æqualitatem efficit: quare etiam Æqualis est, sed & Inæqualis est, Defectusque, & Abundantia: Solus item Informis, & Indefinitus, & Interminatus. Solus paritatis principium; nec tamen par, neque rursum pariter par, neque impariter par, neque pariter impar. Verum horum plurima affinia sunt naturali binarii ipsius proprietati. Quæ vero ad prodigiosa commenta pertinent, hæc fere sunt. Fons est omnis concentus, & inter Musas, Erato, Harmonia item; ad hæc Tolerantia, Radixque, etsi non actu quodammodo; Potestas præterea, Pedesque fontibus abundantis Idæ, ac Vertex, & Phanes. Sed & æquum, propter binarium, fabularium hæc figlina Theologice differit: & Justitiam, & Isin, & Naturam, & Rheam, & Jovis matrem, ac Fontem distributionis. Est vero ipsis, tanquam Rhea, etiam Phrygia, & Lydia, & Dindymene, & Ceres, & Eleusinia, Diana, Cupido, Dictynna, Aeria, Asteria, Disamus, Status. Quin etiam Venus, Dione, Mychæa, Cythæreia. Etiam Ignorantia, Ignobilitas, Mendacium, Permistio, Diversitas, Contentio, Dissidium, Fatum, & Mors. Atque istum quidem in modum illi Theologice de binario differunt.* Hæc quoque alii partim dicunt, partim omittunt, partim item alia tradunt. Videamus. Inter prima occurrit, Τόλμα, *Audacia.* Anonymus: Εἴκαζον δὲ αὐτὴν ἐν ἀρεταῖς ἀνδρείᾳ. προβέβηκεν γὰρ ἤδη ἐπὶ πρᾶξιν, διὸ καὶ Τόλμαν ἐκάλουν. *Similem vero ipsum statuebant in virtutibus fortitudini, quod in actionem processisset; unde etiam Audaciam dixerunt.* Ac postea: Πρώτη ἡ δυὰς διεχώρησεν αὐτὴν ἐκ τῆς μονάδος, ὅθεν καὶ Τόλμα καλεῖται. *Primus binarius secrevit se ab unione, unde & Audacia dicitur.* Plutarch. lib. *de Iside & Osiride:* Οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ ἀριθμοὺς, καὶ σχήματα, θεῶν ἐκόσμησαν προσηγορίαις, τὸ μὲν γὰρ ἰσόπλευρον τρίγωνον, ἐκάλουν Ἀθηνᾶν κορυφαγενῆ, καὶ Τριτογένειαν· τὸ δὲ ἓν, Ἀπόλλωνα· Ἔριν δὲ, τὴν δυάδα, καὶ Τόλμαν. *Pythagorei autem numeros pariter, & figuras deorum, ornavere nominibus, nam triangulum æquilaterum, vocabant Minervam, e vertice natam, & Tritogeniam; unitatem vero, Apollinem; binarium autem, Contentionem, & Audaciam.* Ὕλη, *Materia.* Simplicius, *ad Phys.* lib. I. Εἰ δὲ τὸ εἶδος ἓν, τὴν δὲ Ὕλην δύο, κατὰ τὸ Πυθαγόρειον ἔθος, διὰ τῶν ἀριθμῶν σημαίνων τὰ πράγματα· εἰκότως ἓν μὲν τὸ εἶδος ἔλεγεν, ὡς ὁρίζον, ὅπερ ἂν καταλάβῃ, καὶ περατοῦν· δύο δὲ τὴν Ὕλην, ὡς ἀόριστον, καὶ ὄγκου, καὶ διαιρέσεως, αἰτίαν. *Si autem formam unum, materiam vero duo, more Pythagorico res numeros significans; merito unum quidem formam dixit, ut quæ finiat terminetque, quod comprehenderit: duo autem materiam, ut indefinitam, & quæ tumoris causa sit, & divisionis.* Ἀνομοίων αἰτία, *Dissimilium causa.* Simplicio dicitur, Ὄγκου αἰτία, *Tumoris causa,* in citatis statim verbis. Ἴση, *Æqualis.* Anonym. Δύο γὰρ, καὶ δύο, ἴσα τοῖς δὶς δύο· ὅθεν Ἴσην αὐτὴν ἐπεκάλουν. *Duo enim, & duo, idem valent, quod bis duo, unde & eum* (binarium) *Æqualem cognomento dicebant.* Ἄνισος, Ἔλλειψις, & Πλεονασμός, *Inæqualis, Defectus, & Abundantia.* Anonym. Οἱ παλαιοὶ Ἄνισον τὴν δυάδα ἐκάλουν, καὶ Ἔλλειψιν, καὶ Πλεονασμὸν, κατὰ τὴν τῆς ὕλης ἔννοιαν. *Veteres binarium vocabant Inæqualem, & Defectum, & Abundantiam, secundum materiæ notionem.* Et paullo post: Ἔλλειψις δὲ, καὶ Πλεονασμὸς λέγεται, καὶ Ὕλη ἣν καὶ ἀόριστον δυάδα ὁμωνύμως ταύτῃ καλοῦσι· διὰ τὸ μορφῆς, καὶ εἴδους, καὶ ὁρισμοῦ τινὸς ἐστερῆσθαι, ὅσον ἐφ' ἑαυτῇ. οἷόν τε διορισθῆναί τε καὶ ὁρισθῆναι ὑπὸ λόγου, καὶ τέχνης. Sed corruptum in fine locum hunc in modum interpungo, & emendo, ὅσον ἐφ' ἑαυτῇ οἷόν τε διορισθῆναι. *Defectus vero, & Abundantia dicitur, & Materia; quam & indefinitum binarium eodem cum ipso nomine vocant; quia forma, & specie, & definitione aliqua privata sit; quantum quidem in seipso explicari, atque definiri, poterat.* Ἀσχημάτιστος, Ἀόριστος, Ἄπειρος, *Figura carens, Indefinitus, Interminatus.* Idem Anonymus, verum iterum corrigendus: Ἡ δυὰς φαίνεται Ἀσχημάτιστος, εἴπερ ἀπὸ μὲν τριγώνου, καὶ τριάδος, τὰ ἐπ' Ἄπειρον πολύγωνα ἐνεργείᾳ προχωρεῖ. ἐκ δὲ μονάδος, πάνθ' ὁμοῦ κατὰ δύναμιν ὑπάρχει, ὑπὸ δὲ δύο ὄντες εὐθειῶν ποτὲ, εἴτε γωνιῶν, εὐθύγραμμον συνίσταται σχῆμα. κατὰ μόνην ἄρα αὐτὴν τὸ ἀόριστον, καὶ ἀσχημάτιστον, ἔτι δὲ καὶ τὸ ἄπειρον, φαίνεται. *Binarius apparet Figura carens, siquidem a triangulo quidem, & ternario, in infinitum multos angulos habentia operatione proficiscuntur. Ex unitate vero, simul ac in vi existit, duo*

autem existentes sub rectis quandoque, sive angulis, rectis lineis figura constituitur. Sed per solum illum indefinitum & figura carens, adbuc autem & interminatum, apparet. Neque verba hic duntaxat laborabant, sed & tota interpunctio; quæ nunc omnia satis recta. Quod ad vocem Ἀόριστος attinet, eo & Plutarchi locus referendus, *De placitis Philosoph.* lib.I.cap.III. Διὰ τοῦτο οὖν νοῦς ἡ μονάς, ᾧ ταῦτα νοοῦμεν. ϗ ἡ δυὰς δὲ, ἡ ἀόριστος, ἡ ἐπιστήμη· πᾶσα γὰρ ἀπόδειξις, ϗ πᾶσα πίστις ἐπιστήμης, πρὸς δὲ ϗ πᾶς συλλογισμός, ἔκ τινων ὁμολογουμένων τὸ ἀμφισβητούμενον συνάγει, ϗ ῥᾳδίως ἀποδείκνυται ἕτερον, ὧν ἡ ἐπιστήμη κατάληψίς ἐστι. *Ideo igitur mens est unitas, qua hæc intelligimus: binarius vero, qui indefinitus, est scientia; idque merito; omnis enim demonstratio, ac scientiæ omnis fides, tum & ratiocinatio universa, controversum ex confessis quibusdam colligit, alterumque sine negotio demonstrat, quorum comprehensio est scientia.* Et Themistii, *De Anima*, lib.I. Ἀόριστον δυάδα ἐκάλουν. δυάδα μὲν, ὅτι μεριστή, ϗ πλήθους ἤδη ποιητική· ἀόριστον δὲ, ὅτι μὴ, εἶχεν οἰκεῖον ὅρον, ἀλλὰ παρὰ τοῦ ἑνός αὐτῇ ὁ ὅρος ἑκάστου εἴδους ἐχορηγεῖτο. *Indefinitum binarium appellant. Binarium idcirco, quia jam & dividi possit, & multitudinem efficere; indefinitum, quod terminum proprium non habeat, sed ab unitate terminum uniuscujusque speciei accipiat.* Diogenes Laertius, in *Pythagora*, lib.VIII. Ἐκ δὲ τῆς μονάδος, ἀόριστον δυάδα, ὡς ἂν ὕλην τῇ μονάδι, αἰτίῳ ὄντι, ὑποστῆναι. *Ex unitate vero indefinitum binarium, ceu materiam unitati, causæ existenti, subjecisse.* Meminitque & Simplicius, in citatis statim verbis: Ερατώ. Anonymus: Ἡ δυὰς ϗ Ἐρατώ, φασι, καλεῖται. τὴν γὰρ τῆς μονάδος, ὡς εἴδους, πρόσοδον δι' ἔρωτα ἐπισπωμένη, τὰ λοιπά ἀποτελέσματα γεννᾷ. *Binarius, inquiunt, etiam Erato vocatur: etenim cum unitatis, ceu speciei, accessum propter amorem attraxerit, reliquos effectus generat.* Τλημοσύνη, *Tolerantia*. Anonymus: Ὅτι ἄρα ὑπέμεινε τὸν Χωρισμὸν πρώτη, (ἐκλήθη) ϗ Τλημοσύνη. *Quod prima separationem sustinuerit, (vocatur) etiam Tolerantia.* Δύναμις, *Potentia*. Arnobius *lib.II.* *Quadragenarium istum ad te voca, & ex eo percontare, non abstrusum aliquid, non involutum, non de triangulis, non de quadratis, quid sit dibus, aut dynamis, sesquioctavus, aut sesquitertius numerus: sed quod in medio situm est, bis bina, bis terna, quam efficiant summulam, quærito.* Ergo Δύναμις, *Potentia*, est numeri binarii appellatio mystica Pythagoreorum, uti Photius ex Nicomacho nos hic docet: itaque minime posthac dubitari potest, quonam modo sit intelligendus iste Arnobii locus. Ante hos triginta annos cum criticum Arnobianum primum ederem, traxi ad numerum quaternarium; quia Hierocles dicat: Τῆς δὲ δεκάδος δύναμις ἡ τετράς. *Denarii vero numeri potentia est quaternarius.* Et Martianus Capella, *lib.II.* *Quaternarius suis partibus complet Decadis potestatem.* Quibus addere licet ista Nicephori, ad Greg. Nazianzeni *Orat.* XLIV. Τὸν Πυθαγόραν διὰ τὴν τετρακτὺν θεώσαντες ὤμνυον. ὡς παραδόντα τούτοις τὴν ἀπόρρητον αὐτοῦ, ϗ μυστικὴν, δύναμιν. *Pythagoram, propter quaternarium divinis honoribus afficientes, jurabant: ut qui ipsis vim arcanam illius numeri, mysticamque tradidisset.* Et hæc Plutarchi *De placitis Philos.* lib.I.c.III. Καὶ τὴν δέκα πάλιν φησὶν, ἡ δύναμίς ἐστιν ἐν τοῖς τέσσαρσι, ϗ τῇ τετράδι. *Ac rursum denarii vim esse ait in quaternario.* Sed inanis mihi opera ea fuit: liquet enim ex Nicomacho, esse mysticum numeri binarii nomen; quanquam sane alias Δύναμις, *Potentia*, etiam appellabatur numerus quadratus. Diophantus, *Arithm.* lib.I. defin.II. Καλεῖται οὖν ὁ μὲν τετράγωνος (ἀριθμός) Δύναμις. *Appellabatur igitur (numerus) quadratus quidem, Potentia.* Hero Alexandrinus: Αὐτὸς δὲ ἀριθμὸς, καλεῖται πλευρὰ τοῦ τετραγώνου· ὁ δὲ τετράγωνος, Δύναμις. *Ipse numerus, vocatur latus quadrati: quadratus vero, Potentia.*

Porro numerus hic binarius etiam Δίκη, *Justitia*, dicebatur. Anonymus: Ἀπὸ δὲ τῆς εἰς δύο τομῆς, Δίκη. *A sectione vero in duo, Justitia.* Martianus Capella, lib.VII. *In bonis vero eadem (dyas est) Justitia; quod duobus æquis gaudeat pariter ponderatis.* Etiam Ἶσις, Φύσις, ϗ Ῥέα, Διομήτηρ, *Isis, Natura, Rhea, Jovis mater*: quæ Anonymus quoque tradit. Est & Ἄρτεμις, *Diana*. Plutarchus *de Iside*: Δοκῶ δὲ ἔγωγε ϗ τὴν μονάδα τοὺς ἄνδρας (τοὺς Πυθαγορικοὺς) ὀνομάζειν Ἀπόλλωνα· ϗ δυάδα τὴν Ἄρτεμιν. *Ego vero censeo viros (Pythagoricos) unitatem appellare Apollinem; binarium autem numerum, Dianam.* Et huc respexit Porphyrius, *De Abstin.* lib. II. Πυθαγόρειοι περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, ϗ τὰς γραμμὰς, σπουδάζοντες, ἀπὸ τούτων τὸ πλέον τοῖς θεοῖς ἀπήρχοντο. τὸν μέν τινα ἀριθμὸν, Ἀθηνᾶν καλοῦντες· τὸν δέ τινα, Ἄρτεμιν. *Pythagorei circa numeros, & lineas, studiosi, ex his plerunque diis primitias libabant: hunc quidem numerum, Minervam vocantes; illum autem, Dianam.* Et Anonymus, in fine capitis, *De Dyade*: Καὶ τῇ σελήνῃ δὲ φασὶν ἐφαρμόζειν τὸ δυὰς ὄνομα, ὅτι τε ϗ πλείονας δύσεις ἐκ πάντων τῶν ἀπλανῶν δέχεται. ϗ ὅτι ἐδυάσθη, ϗ ἐδιχοτομήθη. ἡμίτομος γὰρ, ϗ διχότομος, λέγεται. *Et lunæ* (quæ eadem est ac Diana) *ajunt convenire binarii nomen, quod plures occasus ex omnibus fixis excipiat; tum quod duplex sit, ac bifariam secta. Dimidiata enim, & in duas partes divisa, dicitur.* Cætera, quæ Photius nobis repræsentat, alibi non memini mihi observata: sed eorum loco ista: Ὁρμὴ, Δόξα, Κίνησις, Γένεσις, Μεταβολὴ, Διαίρεσις, Μῆκος, Αὔξησις, Σύνθεσις, Κοινωνία. *Impetus, Opinio, Motus, Generatio, Mutatio, Divisio, Longitudo, Augmentum, Compositio, Communio.* Anonymus: Ἐκάλουν ϗ Ὁρμήν. ϗ Δόξαν δὲ ὠνόμαζον, ὅτι τὸ ἀληθὲς, ϗ τὸ ψεῦδος, ἐν δόξῃ· ὠνόμαζόν τε αὐτὴν Κίνησιν, Γένεσιν, Μεταβολὴν, Διαίρεσιν, Μῆκος, Αὔξησιν, Σύνθεσιν, Κοινωνίαν. *Vocabant etiam Impetum; item Opinionem, quod opinioni insit verum, ac falsum; tum & Motum, Generationem, Mutationem, Divisionem, Longitudinem, Augmentum, Compositionem, Communionem.* Ex his Δόξα, *Opinio*, memoratur Alexandro Aphrodiseo in *Metaph.* lib. I. *Quem ordinem dualitatem habere rebantur, hunc Opinionem in mundo obtinere confirmabant.* Philoponus, *ibidem*: *Dualitas, Opinio est apud ipsos, (Pythagoreos) inclinat enim in opinando in duo opinator.* Hinc intelligendus Aristoteles, *majorum Metaph.* cap.VII. Ἔτι δὲ πῶς δεῖ λαβεῖν, αἴτια μὲν εἶναι τὰ τοῦ ἀριθμοῦ πάθη, ϗ τὸν ἀριθμὸν, τῶν κατὰ τὸν οὐρανὸν ὄντων, ϗ γιγνομένων, ϗ ἐξ ἀρχῆς, ϗ νῦν· ἀριθμὸν δὲ ἄλλον μηδένα εἶναι παρὰ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξ οὗ συνέστηκεν ὁ κόσμος; ὅταν γὰρ ἐν τῳδὶ μὲν τῷ μέρει Δόξα ϗ Καιρὸς αὐτοῖς ᾖ. μικρὸν δὲ ἄνωθεν ἢ κάτωθεν, Ἀδικία, ϗ Διάκρισις, ἢ Μῖξις, ἀπόδειξιν δὲ λέγωσιν, ὅτι τούτων μὲν ἓν ἕκαστον ἀριθμός ἐστι, &c. *Præterea quonam pacto sumere oportet, numeri quidem affectus, ac numerum, causas eorum esse, quæ a principio, & nunc, in cælo sunt, atque fiunt; numerum autem nullum alium esse, præter hunc ex quo mundus est constitutus? quando hac quidem in parte is illis est Opinio, & Oportunitas; parum autem supra aut infra, Injustitia, Dijudicatio, Mixtioque: idque eo demonstrent, quod eorum unumquodque numerus sit*, &c. Et huc etiam verba Martiani Capellæ referenda, ubi de Dyade illi sermo est, *lib.VII.* *Et est Opinabilis corporatio, motusque primi probamentum.* Simplicius ad ternarium refert in *Commentario, ad primum de Anima*: Τὴν δὲ Δόξαν, εἰς τὴν τριάδα· διὰ τὸ τὴν δύναμιν αὐτῆς μὴ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀεὶ, ἀλλὰ ποτὲ μὲν ἐπὶ τὸ ἀληθὲς, ποτὲ δὲ ἐπὶ τὸ ψεῦδος κλίνειν. *At Opinionem in ternarium; quod vis ejus non in idem semper vergat, sed interdum in veritatem, interdum vero in mendacium.* Itidem Phi-

loponus, *ibidem*: Τριὰς μὲν ἡ Δόξα, διὰ τὸ ὁρμᾶν μὲν ἀπό τε, μὴ ὡρισμένως δὲ ἐπί τι φέρεσθαι· ἀλλ᾽ ἢ ὧδε. *Ternarius quidem est Opinio, quod cum impetu alicunde ruat, sed non terminate ad aliquid feratur: & modo huc, modo illuc.* Ita facit & Plutarchus, *de plac. Philosoph.* lib. I. cap. III. Κίνησις & Γένεσις, *Motus & Generatio*, postea iterum ab Anonymo memorantur. Tum mentio quoque utriusque est apud Martianum; ac illius quidem, in citatis statim verbis: *Motusque primi probamentum*: hujus vero isto loco: *Quæ dyas, quod sit prima procreatio, a nonnullis Genesis dicta.* Ac Κίνησις, *Motus*, quidem, etiam ab Alexandro Aphrodiseo, *Metaph.* l. I. *Duo autem vocabant Opinionem; quia in utramque partem flecti potest: Motum item, & Impositionem.* Διαίρεσις, *Divisio*, malim Διάκρισις, *Dijudicatio*, uti habet Aristoteles, in citatis statim verbis. Μῆκος, *Longitudo*. Huc pertinent, quæ postea idem Anonymus dicit: Δύναται δὲ καὶ ἀπείρου παρεκτικὴ λέγεσθαι, ὅτι μήκους πρώτη ἔμφασις ἐν δυάδι, ὡς ἀπὸ σημείου τῆς μονάδος. *Potest vero etiam promta ad infinitum exhibendum dici, quia primum longitudinis simulacrum est in binario, veluti a nota unitatis.* Et ista Sexti Empirici, *adversus Mathematicos*, lib. IV. Η δὲ δυὰς, μήκους ἐστὶν ἀπεργαστική. καθάπερ γὰρ ἐπὶ τῶν γεωμετρικῶν ἀρχῶν ὑπεδείξαμεν πρῶτον, τίς ἐστιν ἡ στιγμή· εἶτα μετ᾽ αὐτὴν ἡ γραμμὴ, μῆκος ἀπλατὲς τυγχάνουσα· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐπὶ τοῦ παρόντος, ἡ μὲν μονὰς τὸν τῆς στιγμῆς ἐπέχει λόγον· ἡ δὲ δυὰς, τὸν τῆς γραμμῆς, καὶ τοῦ μήκους. *Binarius autem est efficiens longitudinis. Quomodo autem in principiis geometricis ostendimus, primum, quis sit punctus: deinde post eum linea, quæ est longitudo expers latitudinis: eodem modo etiam in præsentia unitas quidem habet rationem puncti; binarius autem, lineæ & longitudinis.* Dicebant autem Pythagorici non Μῆκος, *Longitudo*, simpliciter, sed, Πρῶτον Μῆκος, *Prima Longitudo*. Simplicius Commentario primo, *De Anima*: Καὶ ἐκάλουν (οἱ Πυθαγόρειοι,) ὡς ἐκ τῶν ὑπ᾽ Αριστοτέλους λεγομένων τεκμαίρεσθαι, τὴν Δυάδα Πρῶτον Μῆκος. οὐ γὰρ ἁπλῶς, Μῆκος. ἀλλὰ τὸ Πρῶτον· τὸ αἴτιον σημαίνωσιν. *Ac vocabant (Pythagorei,) ut ex iis, quæ sunt dicta ab Aristotele, conjicere licet, Binarium numerum Primam Longitudinem: neque enim simpliciter, Longitudinem; sed Primam; uti causam indicarent.* Themistius, *ibidem*: Επειδὴ γὰρ ἐν τῷ νοητῷ κόσμῳ δεῖ πάντως τὰς ἀρχὰς παρεμφαίνεσθαι τοῦ αἰσθητοῦ· ὁ δὲ αἰσθητὸς ἐκ μήκους ἤδη, καὶ πλάτους, καὶ βάθους· τοῦ μὲν μήκους ἰδέαν εἶναι τὴν πρώτην ἀπεφήναντο δυάδα. ἀπὸ γὰρ ἑνὸς, ἐφ᾽ ἓν τὸ μῆκος. *Siquidem in intelligibili mundo oportet omnino spectare principia sensilis; ac sensilis mundus ex longitudine, latitudine, & profunditate constat; primam longitudinis ideam statuerunt binarium: nam longitudo est ab uno ab unum.* Κοινωνία, *Communio*. Martianus Capella, *libro citato*: *Eademque Societas: quod vinculum, quo media connectantur, habeatur utrinque commune.* Δύη, & Υπομονὴ, *Infortunium*, & *Tolerantia*. Anonymus: Οτι ἄρα ὑπέμεινε τὸν χωρισμὸν πρωτίστη, (ἐκλήθη) Δύη, καὶ Υπομονή. *Quod prima separationem sustinuerit, (vocata est) Infortunium, & Tolerantia.* Et hæc sunt, quæ præter Photium, aut Nicomachum, Anonymus suppeditabat: nunc, quæ restant apud alios Auctores, veluti sparsa, colligamus. Etiam Ερις, *Contentio*, dicebatur. Plutarchus, lib. *De Is. & Osir.* Οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ ἀριθμοὺς, καὶ σχήματα, θεῶν ἐκόσμησαν προσηγορίαις· τὸ μὲν γὰρ ἰσόπλευρον τρίγωνον, ἐκάλουν Αθηνᾶν κορυφαγενῆ, καὶ Τριτογένειαν. τὸ δὲ ἓν, Απόλλωνα. Ερις δὲ, τὴν δυάδα. *Pythagorei cum numeros, tum figuras, Deorum appellationibus ornabant; itaque æquilaterum triangulum vocabant Minervam e vertice natam, & Tritogeniam: unum vero, Apollinem: at binarium, Contentionem.* Martianus *Discordiam* vertit, *loco citato*: *Eadem (dicitur) Discordia; ex qua adversa oriantur: utpote quæ prima potuerit ab adhærente separari.* Item Επίβεσις, *Impositio*. Hesychius: Επίθεσις, ὁ τῶν δύο ἀριθμὸς, παρὰ τοῖς Πυθαγορικοῖς. *Impositio, numerus binarius, apud Pythagoricos.* Neque causa est, quare id mutatum velint viri docti, & Επίθετος, *Impositus*, rescribant. Alexander Aphrodiseus, *in Metaph.* l. I. *Duo autem vocabant Opinionem; quia in utramque partem flecti potest: Motum item, & Impositionem.* Etiam Ηρα, & Γάμος, *Juno*, & *Matrimonium*. Eulogius in *Somn. Scip.* ubi de dyade agit: *Primumque Connubium poetæ fabulose dixerunt sororis, & conjugis: quod videlicet unius generis numero coeunte copuletur: & Junonem vocant, uni scilicet Jovi accessione alterius inhærentem.* Martianus eadem in hunc modum protulit: *Quod autem inter eam, ac monadem, prima conjunctio est, consortiumque consimile, Juno perhibetur, vel conjux, vel germana præcedentis.* Et postea, ubi de numero octonario: *Octonarius numerus primus cubus est, & perfectus, Vulcano dicatus; nam ex primo motu, id est, dyade, quæ Juno est, constat.* Certe ad Γάμου, *Matrimonii*, appellationem pertinent etiam ista Procli, *ad Hesiodi Dies*: Τὴν δὲ τετάρτην εἶναι γαμικὴν, εἰκότως, ὡς πρώτην, καὶ κατὰ σύνθεσιν, καὶ κατὰ πολλαπλασιασμὸν, ἐκ τῆς γονίμου γενομένην δυάδος, ἧς τὸν γάμον ἱερὸν εἶναι φαμέν. *Quartum vero diem esse nuptialem, merito, ut primum, tam secundum compositionem, quam secundum multiplicationem, natum e fœcundo binario, cui sacrum esse connubium dicimus.* Quanquam Γάμος, *Matrimonium*, etiam ternarius numerus, & senarius, appellentur: uti suis locis dicam. Ψυχὴ, *Anima*. Philoponus, *in Metaph.* lib. I. *Pythagorei quidem volunt sapientiam suam cerdonibus occultam facere. Symbolice tradiderunt disciplinas: dicebant ergo unitatem mentem: dualitatem, animam: illud quidem, ob impartibilitatem: hoc vero, ob motum hinc inde.* Et postea: *Dicebant (Pythagorei) unitatem, mentem, quia impartibilis: dualitatem autem, animam: ut unde, & quo, motus.* Pachymerius quoque videndus, eo loco. Επιστήμη, *Scientia*. Plutarchus, *De plac. Philos.* lib. I. cap. III. Νοῦς μὲν οὖν, (κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς) ἡ μονάς ἐστιν· ὁ γὰρ νοῦς κατὰ μονάδα θεωρεῖται. καὶ ἡ δυὰς δὲ, ἡ ἀόριστος, ἡ ἐπιστήμη· εἰκότως. πᾶσα γὰρ ἀπόδειξις, καὶ πᾶσα πίστις ἐπιστήμης, πρὸς δὲ καὶ πᾶς συλλογισμὸς, ἔκ τινων ὁμολογουμένων τὸ ἀμφισβητούμενον συνάγει, καὶ ῥᾳδίως ἀποδείκνυται ἕτερον, ὧν ἡ ἐπιστήμη κατάληψίς ἐστι. *Mens quidem igitur (secundum Pythagoricos) est unitas; quippe quæ in unitate spectatur: binarius vero, qui indefinitus, est scientia; idque merito. Omnis enim demonstratio, ac scientiæ omnis fides, tum & ratiocinatio universa, controversum ex confessis quibusdam colligit, alterumque facile demonstrat, quorum comprehensio est scientia.* Aristoteles, *De Anima*, lib. I. c. II. Ετι δὲ καὶ ἄλλως, νοῦν μὲν, τὸ ἕν. ἐπιστήμην δὲ, τὰ δύο. *Tum vero etiam alias, mentem quidem, unum; scientiam vero, duo.* Ubi videndi Simplicius, & Philoponus. Denique Μαῖα; unde Μαιάδης, quaternarius Photius, in *Excerptis* e Nicomacho: ubi de nominibus agit quaternarii: Μαιάδης· τῆς γὰρ Μαίας υἱὸς, ἢ δυάδος, ἡ τετράς. *Maiades; quippe Maiæ, sive numeri binarii, filius est quaternarius.* Vim etiam hujus numeri quandam esse putabant, ad cohibendos scorpionum ictus. Plinius *lib.* XXVIII. cap. II. *Attalus affirmat, scorpione viso, si quis dicat* Duo, *cohiberi, nec vibrare ictus.*

CAP. V.

Ternarius sanctus, & supra alios omnes numeros, censebatur. Primus perfectus: idque quare, & quo modo controversiis dirimendis maxime aptus: & in sacris usitatus. Jamblichi locus correctus. Secundum tria sacra item fieri solita, ex oraculorum jussu, atque legum. Mortuorum quoque nomina ter vocari consuevisse: tum ternarii quoque usus

in deprecatione, & furunculorum ac lippitudinis curatione: ac trifariam omnia item distributa, idque, uti volunt, a Zoroastre. Anonymus emendatus. Nomina ejus; Κρονία. Λατώ. Ἀμαλθείας κέρας. Ὀφίων. Θέτις. Ἁρμονία. Ἑκάτα. Ἐραΐα. Χαριτία. Πολύμνεια. Ἀΐδας. Λοξίας. Ἄρκτος. Ἕλιξ. Δαματράμη. Διοσκορία. Μῆτις. Τριδύμη. Τρίτων. Θαλασσοῦχος. Τριτογένεια. *Saturnia. Latona. Amaltheæ cornu. Ophion. Thetis. Harmonia. Hecata. Erana. Charitia. Polymneia. Pluto. Loxia. Ursa. Helice. Damatrame. Dioscoria. Metis. Trigemina. Triton. Maris præses. Tritogenia. Opus aliquod Democriti ita etiam inscriptum.* Ἀχελῷος. Ναέτις. Ἀγυιόπεζα. Κουρῆτις. Κραταιΐς. Συμβίωσία. Γάμος. Γοργονία. Φορκία. Τρίσαμος. Λύδιος. *Achelous. Naetis. Aguiopeza. Curetis. Cratais. Symbenia. Matrimonium. Gorgonia. Phorcia. Trisamus. Lydius. Anonymus iterum correctus.* Φιλία. Εἰρήνη. Ὁμόνοια. Δίκη. Εὐβουλία. Φρόνησις. *Amicitia. Pax. Concordia. Justitia. Prudentia. Sapientia. Anonymus tertium correctus.* Εὐσέβεια. Πρῶτον πλάτος. *Pietas. Prima latitudo.*

NUMERUS tenarius sanctus esse censebatur. Marbodeus *de Gemmis*, sive est Æmilius Macer, lib.v.

Hæc tribus, ut multum, dandum censemus amicis;
Qui numerus sacer est. ——

Atque supra alios omnes censebatur. Ausonius, in *Grypho Ternarii*:

Ter bibe, tris numerus super omnia. ——

Primus perfectus habebatur. Pollux, *lib.*VI.*c.*II. Ὁ δὲ τρίτος (κρατὴρ) Διὸς Σωτῆρος Τελείου, ὅτι καὶ τὰ τρία πρῶτος τέλειος ἀριθμός. *Tertius vero (crater) Jovis Servatoris Perfecti: quia & ternarius numerus primus perfectus.* Ac Perfectum quidem, etiam Phurnutus dicit, ubi de Musis: Τρεῖς μὲν, διὰ τὴν προειρημένην τῆς τριάδος τελειότητα. *Tres quidem, ob commemoratam antea ternarii perfectionem.* Ausonius in *Grypho Ternarii*, *Idyll.* XI.

Tris coit in partes numerus perfectus. ——

Plutarchus rationem reddit, quod principium, medium & finem habeat, *Symposiac.* lib. IX. quæst. III. Καὶ μὴν ὁ πάντων ἀριθμῶν πρῶτος τέλειος, ἡ μὲν τριὰς ὡς ἀρχὴν, καὶ μέσον ἔχουσα, καὶ τέλος. *Et omnium numerorum primus perfectus, est quidem ternarius; ut qui habeat principium, medium, & finem.* Aristoteles, *de Cœlo*, lib.I cap. I. Παρὰ ταῦτα οὐκ ἔστιν ἄλλο μέγεθος, διὰ τὸ τὰ τρία πάντα εἶναι, καὶ τὸ τρὶς πάντη. καθάπερ γάρ φασι καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν, καὶ τὰ πάντα, τρισὶν ὥρισαι. Τελευτὴ γὰρ, καὶ ἀρχὴ, τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός. *Præter hæc non est alia magnitudo, quod tria sint omnia, & ter undequaque; quemadmodum etiam Pythagorici dicunt: omne, & omnia, tribus determinata sunt. Finis enim, medium, & principium, eum numerum habent, qui est omnis.* Martianus Capella; *Trias vero, princeps imparium numerus perfectusque censendus. Nam prior initium, medium, finemque, interstitiorum æqualitate componit.* Huc pertinet & Malchi locus, qui Porphyrius postea nomine notiori appellatus, lib. *De Vita Pythagoræ*: Πάλιν γὰρ ἐστί τι ἐν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, ἔχον ἀρχὴν, καὶ μέσον, καὶ τελευτήν· καὶ τὰ τοιούτου εἴδους, καὶ τὰ τῆς φύσεως, τὸν τρία ἀριθμὸν κατηγόρησαν. *Rursum enim est aliquid in natura rerum, habens principium, medium, finem; ac, quæ sunt ejus speciei, aut naturæ, ea numerum ternarium dicebant.* Videndus etiam Chalcidius, *in Timæum*. Et hunc numerum eapropter controversiis dirimendis maxime idoneum existimabant. Dionysius Halicarnasseus, *Antiq. Rom.* lib.III. ubi de conflictu agit trium Curiatiorum cum Horatiis: Τρεῖς δὲ ἄνδρας ἐπιλέκτους ἀφ᾽ ἑκατέρας πόλεως συνεβάλλετο ὑπὸ τὴν ἁπάντων ὄψιν, Ἀλβανῶν τε καὶ Ῥωμαίων, διαγωνίσασθαι. ἐπιτηδειότατον γὰρ εἶναι τόνδε τὸν ἀριθμὸν εἰς πᾶσαν ἀμ-

A φισβητουμένου πράγματος διαίρεσιν. ἀρχήν τε, καὶ μέσα,
καὶ τελευτὴν, ἔχοντα ἐν αὐτῷ. *Auctor vero erat, ut*
terni ex utraque urbe viri selecti ante omnium ocu-
los, Albanorum pariter & Romanorum, decerta-
rent: etenim idoneum maxime hunc numerum esse
ad negotium controversum qualecunque dirimen-
dum: quippe qui principium, medium, atque finem,
in se contineat. In sacris quoque numerus iste usi-
tatus. Itaque ter libabant, ter sacra item faciebant.
Nicomachus, in *Eclogis* τῶν θεολογουμένων ἀριθμητι-
κῶν, apud Anonymum: Τρὶς δὲ καὶ σπένδουσι, καὶ τρὶς ἐπι-
θύουσιν, οἱ τελειωθῆναι τὰς ἑαυτῶν εὐχὰς αἰτοῦντες παρὰ
θεοῦ. *Ter vero etiam libant, & ter sacrificant, qui*
B *preces suas perfici a Deo petunt.* Anatolius: Εὐχαὶ,
καὶ σπονδαὶ, τρὶς γίνονται. *Vota, & libationes, ter*
fiunt. Martianus Capella: *Preces tertio, ac liba-*
mina, repetuntur. Aristoteles, *De Cœlo*, lib.I.c.I.
ubi de ternario numero ei sermo: Διὸ παρὰ τῆς φύσεως
εἰληφότες ὥσπερ νόμους ἐκείνης, καὶ πρὸς τὰς ἁγιστείας τῶν
θεῶν χρώμεθα τῷ ἀριθμῷ τούτῳ. *Quapropter tan-*
quam acceptis a natura ejus legibus, ad Deo sacra
hoc numero utimur. Corruptus est hac in re Jambli-
chi locus, *De Vita Pythagoræ*, lib. I. cap. XXVIII.
Λέγειν δὲ αὐτὸν, περισπένδειν τοὺς ἀνθρώπους, καὶ μαν-
τεύεσθαι τὸν Ἀπόλλωνα ἐκ τοῦ τρίποδος, διὰ τὸ κατὰ τὴν
C τριάδα πρῶτον φῦναι τὸν ἀριθμόν. *Legendum arbitror,*
Λέγειν δὲ αὐτὸν τρὶς σπένδειν τοὺς α. *Dicere vero ip-*
sum, ter libare homines, & oracula Apollinem red-
dere ex tripode, quod in ternario primum numerum
ostenderit. Quin secundum tria etiam legibus, ora-
culisque, sacra facere jubebantur: nempe stato an-
ni tempore, mense, ac die. Geminus, in *Intro-*
duct. in Phænomena: Τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν νόμων, καὶ χρησ-
μῶν, παραγγελλόμενον, τὸ θύειν κατὰ τρία· ἤγουν, τὸ
κατὰ μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτοὺς, τοῦτο διέλαβον ἅπαντες
οἱ Ἕλληνες τῷ τοὺς μὲν ἐνιαυτοὺς συμφώνως ἄγειν τῷ ἡ-
λίῳ, τὰς δὲ ἡμέρας, καὶ τοὺς μῆνας σελήνῃ. ἔστι δὲ, τὸ μὲν
καθ᾽ ἥλιον ἄγειν τοὺς ἐνιαυτοὺς, τὸ περὶ τὰς αὐτὰς ὥρας τοῦ
D ἐνιαυτοῦ τὰς αὐτὰς θυσίας τοῖς θεοῖς ἐπιτελεῖσθαι. καὶ τὴν
μὲν ἐαρινὴν θυσίαν, διὰ παντὸς κατὰ τὸ ἔαρ συντελεῖσθαι.
τὴν δὲ θερινὴν, κατὰ τὸ θέρος. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τοὺς
λοιποὺς καιροὺς τοῦ ἔτους τὰς αὐτὰς θυσίας πίπτειν. τοῦτο
γὰρ ὑπέλαβον προσηνὲς, καὶ κεχαρισμένον εἶναι τοῖς θε-
οῖς. *Quod enim a legibus, & oraculis, præcipiebatur,*
ut sacrificarent secundum tria; nempe, secundum
menses, dies, annos, sic distincte illud Græci uni-
versi faciebant, ut cum sole congruenter annos age-
rent, dies, & menses, cum luna. Est vero, secun-
dum solem annos agere, circa eadem anni tempora
diis eadem sacra facere: ac vernum quidem sacri-
ficium, semper vere; æstivum, æstate; reliqua, pa-
E *riter stato tempore celebrare. Hoc enim acceptum,*
& gratum diis esse existimabant. Ter quoque sor-
tes, quas consulebant, tollere solebant. Tibullus,
*lib.*I.*eleg.* III.

Illa sacras pueri sorte: ter sustulit. ——

Mortuorum quoque nomina ter vocare, moris
erat. Anonymus; Διὸ καὶ τὰς τῶν νεκρῶν ἀνακλήσεις τρὶς
εἰθίσαμεν ποιεῖσθαι. *Quocirca & mortuos ter vocare*
consuevimus. Didymus, *ad Odyss.* IX. Ἀρχαῖον ἔθος,
τῶν ἐπὶ ξένης ἀπολλυμένων τὰς ψυχὰς ἀνακαλεῖν τρίτον
τοὺς περιλειφθέντας, ἐπ᾽ ἂν ἀπίωσιν οἴκαδε. *Vetus mos*
est, peregre mortuorum animas ter vocare supersti-
tes, cum domum abeant. Vide, quæ de more isto o-
F lim mihi adnotata in *Spicilegio Theocritico*, *ad*
Idyll. XIII. Sic aliquod mali, aut morbi, deprecantes,
ter despuebant. Plinius, *lib.*XXVIII cap.IV. *Eadem*
ratione terna despuere deprecatione in omni medi-
cina mos est, atque effectus adjuvare. Theocritus
Idyll. VI.

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς ἐς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον
Ne vero fascinarer, ter in sinum meum despui.

Juvenalis, *sat.* VII.

Tunc immensa cavi spirant miracula folles,

A *Conspuiturque sinus.* ——

Ubi Interpres ejus vetus; *Propter fascinum verborum ter sibi in sinum spuunt, & videntur fascinum arcere.* Petronius *Satyrico*: *Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signavit: hoc peracto carmine, ter me jussit exspuere.* Tibullus, *lib.* I. *eleg.* II.

Hæc mihi composuit cantus queis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.

Furunculos quoque, cum inciperent, ter saliva jejuna, præsignabant. Plinius, *citato libro*, item B *capite*: *Incipientes furunculos (mos est) ter præsignare jejuna saliva.* Lippi etiam cum lavarent pedes, oculos, sumta ea aqua, ter tangebant. Plinius *ibidem*: *Oculorum vitia fieri negant: nec lippire eos, qui, cum pedes lavant, aqua inde ter oculos tangant.* Lucinam quoque parturientes ter invocabant. Horat. *Carm.* lib. III. ode XXII.

Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis. ——

Et Græci multitudinem demonstrare cupientes, per ternarium isthuc numerum faciebant: dicentes, Τρισόλβιος, *Ter felix*, & talia multa. Anonymus: Καὶ εἰς πλήθους ἔμφασιν τῇ τριάδι χρώμεθα. C Τρὶς μύριοι, λέγοντες, ἀντὶ τοῦ, πολλάκις πολλοί. καὶ, τρισόλβιοι. *Et ad multitudinem repræsentandam ternario utimur; dicentes, ter decem millia, pro, admodum multi: item, ter felices.* Aretas in *Apocalypsin*, cap. XXIII. Ο τρία ἀριθμὸς, ἀρχὴ πλήθους ἐστὶν, ὡς ἡ ἀριθμητικὴ βούλεται μέθοδος. *Numerus ternarius, initium est multitudinis, ut Arithmetica vult ars.* Quin trifariam omnia esse distributa affirmabant, atque hinc dixisse Homerum: Τριχθὰ πάντα δέδασται, *Trifariam omnia divisa sunt.* Anonymus: Καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ δὲ ἁρμόσοι τις ἂν τούτοις· Τριχθὰ γὰρ πάντα δέδασται. *Et illud apud Homerum aliquis istis aptet; Trifariam enim omnia sunt divisa.* D Ita restituo: nam male hodie vulgatur δεδέσθαι. Usurpavit hoc etiam Cydonius, lib. *De contemnenda morte*: Οὐκοῦν τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον, Τριχθὰ πάντα δέδασται, τριχῇ συμβαίνει καὶ τοὺς τὸν θάνατον κακίζοντας διῃρεῖσθαι. *Ut autem proverbio dicitur, Trifariam omnia divisa sunt, ita quoque qui mortem vituperant, trifariam divisos esse contingit.* Maximus Tyrius, *Diss.* XXIV. Πείθομαι γὰρ Ὁμήρῳ λέγοντι·

Τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται.
Homero enim assentior, dicenti;
Trifariam omnia divisa sunt.

Et Psellus, *de Op. Dæm.* Ο κατὰ μηδὲν τῆς Ἑλληνικῆς E ἐστι μυθολογίας ἀπολειπόμενον. κατὰ τό.

Τριθὰ δὲ πάντα δέδασται. ——
Quod quidem nihil a Greca illa fabulatione differt;
Trifariam omnia divisa sunt. ——

Refertur autem ad distributionem illam, quam Poetæ factam esse fabulantur, inter Jovem, & Neptunum, ac Plutonem: de qua & Neptunus ipse ita loquitur, apud Homerum, *Iliad.* ό.

Τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοὶ, οὓς τέκε Ῥείη·
Ζεὺς, καὶ ἐγὼ, τρίτατος δ' Ἀΐδης, ἐνέροισιν ἀνάσσων·
Τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς.
Tres enim ex Saturno sumus fratres, quos peperit Rhea;
F *Jupiter, & ego, tertius vero Pluto, inferis imperans:*
Trifariam vero omnia divisa sunt, & unusquisque nactus est honorem.

Meminit Apollodorus, *Biblioth.* lib. I. Καὶ λαγχάνει Ζεὺς μὲν τὴν ἐν οὐρανῷ δυναστείαν· Ποσειδῶν δὲ, τὴν ἐν θαλάσσῃ· Πλούτων δὲ, τὴν ἐν ᾅδῃ. *Ac sorte accipit Jupiter quidem, cœli potestatem; Neptunus, maris: Pluto vero, inferorum.* Occurrit quoque cum apud Lactantium *lib.* I. *cap.* XI. tum alios plures. Alii hanc distributionem referunt ad auctorem Zoroastrem: qui primæ parti Horomazen, mediæ Mithram, ultimæ vero Arimanen præposuerit. Pletho in *Scholiis ad Oracula Magica*, ex Plutarcho illud tradit: Φασὶ δὲ περὶ Ζωροάστρου Πλούταρχος, ὡς τριχῇ τὰ ὄντα διέλοι· καὶ τῇ μὲν πρώτῃ αὐτῶν μοίρᾳ Ὡρομάζην ἐφιστάναι· τῇ δ' ἐσχάτῃ, Ἀριμάνην· Μίθρην δὲ τῇ μέσῃ. *Refert autem de Zoroastre Plutarchus, quod res omnes, quæ existunt, tripliciter distribuerit; & primæ quidem parti illarum Horomazen præposuerit; ultimæ autem, Arimanen; mediæ, Mithram.* Plutarchi locus, quem respexit, extat libro *De Iside & Osiride*. De hoc numero, ejusque nominibus, ista nobis ex Nicomacho refert Photius: Η δὲ τριὰς, ἐστὶ μὲν πρῶτος περισσὸς κατ' ἐνέργειαν, καὶ τέλειος πρῶτος καὶ μεσότης, καὶ ἀναλογία. τήν τε τῆς μονάδος δύναμιν εἰς ἐνέργειαν, καὶ ἐπέκτασιν, προχωρεῖν ποιεῖ. ἀλλὰ καὶ πρωτίστη, καὶ κυρίως μονάδων σύστημα. εἶτα λοιπὸν ἐντεῦθεν αὐτοῖς πρὸς τὸ φυσιολογικὸν αἱρεῖται ὁ ἀριθμός. αἰτία τε γὰρ τοῦ τριχῇ διαστατοῦ, καὶ περατωτικὴ τῆς ἀπειρίας τῆς ἐν ἀριθμῷ, καὶ ὅμοιον, καὶ ταυτὸν, καὶ ὁμόλογον, καὶ ὡρισμένον. ἀλλ' οὔπω ταῦτα φορτικά. τὰ δ' οὐχ ὅμοια. καὶ νοῦς τὶς ἡ τριὰς, καὶ εὐβουλίας, καὶ συνέσεως αἰτία· καὶ γνῶσις ἀριθμοῦ τὸ κυριώτατον. μουσικῆς τε πάσης κυρία, καὶ σύστασις· καί γε καὶ γεωμετρίας ὅτι μάλιστα. καὶ μὴν καὶ τῆς κατὰ ἀστρονομίαν καὶ οὐρανίων φύσιν τε καὶ γνῶσιν αὕτη τὸ κράτος ἔχει, καὶ συνέχει, καὶ εἰς οὐσίωσιν ἄγει. καὶ ἡ ἀρετὴ δὲ πᾶσα ταύτης ἐξῆπται, καὶ ἐκ ταύτης πρόεισιν. εἶτα λοιπὸν τὰ μυθώδη. διὰ ταῦτα, αὐτοῖς ἡ τριὰς, Κρονία, καὶ Λατὼ, καὶ Ἀμαλθείας κέρας. Ὀφίονά τε αὐτὴν τερατολογοῦσι, καὶ Θέτιν, καὶ Ἁρμονίαν, Ἑκάταν τε καὶ Ἐράναν, καὶ Χαριτίαν, καὶ Μουσῶν Πολύμνειαν, Ἀΐδαν τε καὶ Λοξίαν· Ἄρκτον, Ἑλίκα, καὶ ποτὶ βυθὸν οὐ δυομέναν, Δαματράμην τε καὶ Διοσκορίαν, καὶ Μῆτιν, καὶ Τριδύμην, Τρίτωνα, Θαλασσοῦχον, Τριτογένειαν, Ἀχελῷον, Ναέτιν, καὶ Ἀγυιόπεζαν, Κουρητίδα, Κραταιΐδα, Ἁρμονίαν, Συμβηνίαν, Γάμον, Γοργονίαν, Φορκίαν, Τρίσαμον, καὶ Λύδιον. *Ternarius vero primus omnium actu impar est, primusque perfectus numerus, & medietas, & proportio: qui unitatis vim in actum, atque exporrectionem procedere facit. Idem prima est omnium & quidem propria, unitatum coagmentatio. Hinc porro ad physiologiam numerum hunc traducunt: causa enim est rei tripliciter separabilis, & infinitatem numerorum definiens: simile quoque, & idem, & ejusdem proportionis, ac determinatum. Verum hæc nondum adeo stolida: quibus isthæc nequaquam similia. Mens quidem Ternarius est, & sapientiæ, atque intelligentiæ, causa; cognitio ad hæc, quæ numeri est pars maxime propria: Musicæ quoque universæ potestas, ac compositio: & vero Geometriæ vel maxime. Quin etiam hic rerum ad Astronomiam, sive ad cælestium naturam, ac scientiam, pertinentium vim omnem habet, ac continet, eamque ad substantiæ productionem impellit. Virtutes quoque omnes ab hoc numero dependent, atque ab eo proficiscuntur. Deinceps, quæ ad fabulas spectant, refert. Hinc ternarius ipsis dicitur Saturnia, & Latona, Amalthea cornu. Ophiona item esse nugantur, ac Thetyn, & Harmoniam, Hecaten quoque, & Eranam, & Charitiam, & e Musis Polymniam, Plutonemque, & Loxiam; Ursam præterea, & Helicen, eamque, quæ æquore non mergitur, Damatramen, Dioscoriam, Metin, Trigeminam, Tritona, Maris præsidem, Tritogeniam, Acheloum, Naetin, Agyiopezam, Curetidem, Cratæidem, Harmoniam, Symbeniam, Nuptias, Gorgoniam, Phorciam, Trisamum, & Lydium.* Ubi observa, Ἁρμονίαν, bis referri; minus recte, ut existimo: ac posteriore loco inducendum esse censeam. Porro ex nominibus his tantum Ἁρμονία, & Γάμος, *Harmonia*, & *Matrimonium*, alibi, & apud unum Anonymum, in *Theologumenis suis Arithmeticis*, memorantur: apud quem hæc quoque nomina, Φιλία, Εἰρήνη, & Ὁμόνοια, *Amicitia, Pax, & Concordia*, referuntur. Ἔτι γε μὴν

ἡ

A καὶ Φιλίαν, καὶ Εἰρήνην, καὶ προσέτι Αρμονίαν τε καὶ Ομόνοιαν, προσαγορεύουσιν. ἐναντίων γὰρ, καὶ οὐχ ὁμοίων, συνακτικὰ, καὶ ἑνωτικὰ, ταῦτα. διὸ καὶ Γάμον αὐτὴν καλοῦσι. *Præterea etiam amicitiam, & Pacem, adhæc & Harmoniam, & Concordiam, appellant: nam contraria, ac non similia, colligunt, & uniunt: unde etiam Nuptias vocant.* Ita corrigo eum locum: nam non recte hodie editur, καὶ Γαμόνα αὐτὴν καλοῦσι, *& Gamona illum appellant*, Quod ad Τριτογένεια, quod Minervæ cognomentum est, isthuc etiam referendum, quod Minervæ, ut ternarium in numeris, sic in mense tertium dedicabant, quia eo nata esset. Isaacius Tzetzes, *Comm. in Lycophronem*; B Κατὰ Καλλισθένην τρίτῃ δὴ τοῦ μηνὸς (ἡ Ἀθηνᾶ) ἐγεννήθη· διὸ παρ' Ἀθηναίοις ἡ τρίτη ἱερὰ τῆς Ἀθηνᾶς. *Ut Callisthenes auctor est, tertio certe mensis die nata est Minerva; unde etiam apud Athenienses tertius dies est Minervæ consecratus.* Ac sane natam tertio die Minervam esse, tradit quoque Etymologici auctor, & Suidas, uterque, *in* Τριτογένεια. Erat & Democriti Abderitæ opus quoddam, hunc in modum inscriptum: Τριτογένεια, τοῦτο δέ ἐστιν, ὅτι τρία γίνεται ἐξ αὐτῆς, ἃ πάντα τὰ ἀνθρώπινα συνέχει. *Tritogenia, hoc autem est, quod tria fiunt ex illa, quæ omnia humana continet.* Docet id Diogenes Laertius, in *Democrito*, l. IX. & Suidas, *in* C Τριτογένεια. Dicebatur adhæc etiam Δίκη. Plutarchus, *de Iside & Osiride*: Οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ ἀριθμοὺς, καὶ σχήματα, θεῶν ἐκόσμησαν προσηγορίαις. Τὸ μὲν γὰρ ἰσόπλευρον τρίγωνον, ἐκάλουν Ἀθηνᾶν κορυφαγενῆ, καὶ Τριτογένειαν. τὸ δὲ ἓν, Ἀπόλλωνα. Ἔριν δὲ τὴν δυάδα, καὶ Τόλμαν. Δίκην δὲ, τὴν τριάδα. *Pythagorei verum cum numeros, tum figuras, deorum ornavere nominibus. Itaque æquilaterum triangulum, vocabant Minervam, vertice enatam, & Tritogeniam: unitatem vero, Apollinem; binarium, Contentionem, & Audaciam: ac ternarium, Justitiam.* Item Εὐβουλία, & Φρόνησις, *Prudentia*, & *Sapientia*. Anonymus: Η Τριὰς Εὐβουλία καλεῖται, καὶ Φρόνησις, D οἷα τῶν ἀνθρώπων τάτε παρόντα διορθούντων, τάτε μέλλοντα προορωμένων, καὶ ἐκ τῶν ἤδη γεγονότων (ita rescribendum censeo, pro γεννάτων, quod vulgatum) λαμβανόντων πεῖραν. *Ternarius Prudentia vocatur, & Sapientia; quod homines nempe præsentia dirigant, futura prospiciant, & ex præteritis experientiam accipiant.* Etiam, Εὐσέβεια, *Pietas*. Anonymus, ibidem: Τὴν Τριάδα Εὐσέβειαν καλοῦσι, *Ternarium vocant Pietatem.* Denique & Σωφροσύνη, *Temperantia.* Anatolius: Εἰκάζουσι δὲ αὐτὴν (τὴν τριάδα) ἐν ἀρεταῖς Σωφροσύνῃ. *Assimilant vero ipsum (ternarium) in virtutibus Temperantiæ.* Quo res- E pexit Porphyrius, *de Abstin.* l. II. Οἱ γοῦν Πυθαγόρειοι περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τὰς γραμμὰς, σπουδάζοντες, ἀπὸ τούτων τὸ πλέον τοῖς θεοῖς ἀπήρχοντο. τὸν μέν τινά ἀριθμὸν, Ἀθηνᾶν καλοῦντες· τὸν δέ τινα, Ἄρτεμιν· ὥσπερ αὖ ἄλλον, Ἀπόλλωνα· καὶ πάλιν, ἄλλον μὲν, Δικαιοσύνην, ἄλλον δὲ Σωφροσύνην. *Pythagorei itaque circa numeros, & literas, studiosi, ex his plerumque diis primitias libabant: hunc quidem numerum, Minervam vocantes; illum autem, Dianam; quemadmodum alium rursum, Apollinem; ac rursum, alium quidem, Justitiam, alium vero, Temperantiam.* Et Πρῶτον πλάτος, *Prima latitudo.* Simplic. *de Anima*, l. I. Καὶ ἐκάλουν, (οἱ Πυθαγόρειοι) ὡς ἐκ τῶν ὑπ' Ἀριστοτέλους F λεγομένων τεκμαίρεσθαι, τὴν δυάδα, Πρῶτον Μῆκος. οὐ γὰρ ἁπλῶς Μῆκος, ἀλλὰ τὸ Πρῶτον· ἵνα τὸ αἴτιον σημαίνωσιν. ὡσαύτως δὲ καὶ Πρῶτον πλάτος, τὴν τριάδα. *Ac vocabant, (Pythagorei) ut ex iis, quæ sunt dicta ab Aristotele, conjicere licet, binarium numerum Primam Longitudinem: neque enim simpliciter, Longitudinem, sed Primam; uti causam indicarent. Eodem modo Primam quoque Latitudinem, ternarium dicebant.* Qui vero plurimas, easque admodum elegantes, de ternario observationes velit, is Ausonii de hoc ipso *Gryphum* legat; certe dignum, qui legatur.

CAP. VI.

Quaternarius, Mercurio sacer, ut & Herculi; qui uterque quarto mensis die natus: ac Mercurio placenta illo die ab Atheniensibus offerri solita. A Pythagoricis colebatur, ut perfectus. Denarii parens, fons naturæ: eorumque per Pythagoram, & Pythagoræ per ipsum, jusjurandum. Martiani Capellæ locus emendatus. Auctorum aliquot veterum hallucinatio indicat. Anonymi locus restitutus. Sex & triginta continere, ac quomodo, & qua de causa, censebatur; tum vim habere in medicina. Principium *quoque* sanitatis *dicebatur. Omnes numeri eo nomine appellati; quam ob causam.* Potentia denarii *etiam nuncupatus: neque a quibusdam Thracum ultra eum numeratum. Perfectior multo ternario, unde ad felicitatem mortuorum prædicandam usurpatus. Anonymus iterum correctus. Ejus nomina;* Κλειδοῦχος τῆς φύσεως. Αἰόλου φύσις. *Claviger naturæ. Æoli natura. Photii locus emendatus.* Ηρακλῆς. Ἔξαρμα. Ἀλκιμωτάτη. Ἀῤῥενική. Ἀθήλυντος. Ἑρμῆς. Ἥφαιστος. Διόνυσος. Σωρίτης. Μαιάδης. Ἐριούνιος. Σῶκος. Διόσκορος. Βασσαρεύς. Διμάτωρ. Θηλύμορφος. Ἔπανδρος. Ἀῤῥενουργός. Βακχασμὸν ἀνεγείρων. Ἁρμονία. Οὐρανία. Κόσμος. Σῶμα. Πρῶτον βάθος. Δικαιοσύνη. *Hercules. Impetus. Robustissimus. Masculinus. Ineffœminatus. Mercurius. Vulcanus. Bacchus. Soritas. Majades. Eriunius. Socus. Dioscurus. Bassareus. Bimator. Fœmineam formam habens. Virilis. Virilitatem præ se ferens. Bacchationem excitans. Harmonia. Urania. Mundus. Corpus. Prima profunditas. Justitia. Aristoteles, & Porphyrius, illustrati.*

CELEBERRIMUS numerorum quaternarius, cum ob alia, tum ob Pythagoricorum jusjurandum: de quo statim sum dicturus. Erat autem Mercurio sacer: quod nimirum quarto mensis die natus crederetur. Plutarch. *Symposiac.* l. IX. c. III. Ἑρμεῖ δὲ μάλιστα τῶν ἀριθμῶν ἡ τετρὰς ἀνάκειται. πολλοὶ δὲ καὶ τετράδι μηνὸς ἱσταμένου γενέσθαι τὸν θεὸν ἱστοροῦσι. *Mercurio vero potissimum quaternarius est dicatus: multique quarto mensis die deum esse natum tradunt.* Martianus Capella, *l.* VII. ubi de hoc numero agit; *Hic numerus quadratus ipsi Cyllenio deputatur, quod quadratus Deus solus habeatur.* Etiam Herculi, qui natalem eundem habere credebatur. Proclus, *in Hesiodi Dies*: Η τετρὰς Ἡρακλέους καὶ Ἑρμοῦ ἐστιν, *Quaternarius numerus Herculis est & Mercurii.* Et paulo post: Η τετρὰς, Ἡρακλέους· ἐν αὐτῇ γὰρ ἐτέχθη, *Quaternarius Herculis est; quia is eo die natus.* Quanquam sane illo loco Τετρὰς, malim interpretari, *quartus mensis dies.* Ac certe, uti numerus quaternarius, ita quartus mensis dies, eandem ob causam Herculi, Mercurioque, consecratus. Qua de re videndus etiam Eustathius *ad Iliad.* α'. Porro Herculem quarto mensis die natum, plures attestantur. Hesychius in his, Joh. Tzetzes, *Chil.* XII. *Hist.* CCCCXVII. Zenobius, *Cent.* VI. *Proverb.* VII. item Suidas, & Anonymus, in *Theologumenis suis*. Quin Mercurii quoque nomine, Herculisque, inde numerus quaternarius dicebatur, ut ostendam paullo infra, ubi de nominibus ejus sum acturus. Quod Mercurium vero attinet, ac sacratum ei diem mensis IV. illuc etiam referendum, quod Athenienses ipsi IV. quoque mensis die placentam offerre consuevere. Inde querela est Mercurii, apud Aristoph. *Pluto*:

Οἴμοι πλακοῦντος τοῦ τετράδι πεπεμμένου.

Hei mihi ob placentam quarto die pinsi solitam.

Ad quem locum Scholiastes: Η τετρὰς ἐνομίζετο Ἑρμοῦ. καὶ καθ' ἕκαστον μῆνα ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ πλακοῦντα ἀπετίθεντο τῷ Ἑρμῇ. *Quaternarius sacer Mercurio putabatur: itaque etiam quarto quoque mensis die placentam illi offerebant.* Videatur quoque Suidas, *in* Πεπεμμένου πλακοῦντος & Πέπτουσα. Ac colebant

A eum etiam Pythagorici. Joannes Protospatharius, *ad Hesiod. Dies:* Τελεία ἄρα ἡ τετρὰς, καὶ ἀξία τιμᾶσθαι· ἐτιμᾶτο δὲ καὶ παρὰ τοῖς Πυθαγορείοις. *Perfectus itaque est quaternarius, atque dignus honorari; ideoque honorabatur a Pythagoricis.* Anonymus, de eodem: Ετίμων δὲ αὐτὴν οἱ Πυθαγόρειοι, ὡς δεκάδος γεννητικήν. *Honorabant vero ipsum Pythagorei, tanquam qui denarium gigneret.* Ac naturæ fontem existimabant. Themistius, *Phys.* l. III. Οἱ μὲν γὰρ ἐκ Πυθαγόρου τὸν ἀριθμὸν τὸ ἄπειρον λέγουσιν. ἀριθμὸν δὲ οὐ χωριστὸν, οὐδὲ ἀσώματον· ἀλλ' ὃς ἀρχὴ τῶν αἰσθητῶν ἐστι κατ' ἐκείνους. πάντα γὰρ ἐκ τῶν ἀριθμῶν παράγουσι τὰ αἰσθητά. κἀντεῦθεν τῷ ἀριθμῷ δὲ πάντ' ἐπέοικεν· καὶ ἡ B πηγὴ τῆς φύσεως ἡ τετρακτύς. *Pythagorici numerum asserunt esse infinitum: non illum quidem separatum, & incorporeum; sed qui sensilium secundum ipsos sit principium: illi enim omnia sensilia ex numeris deducunt: atque inde cuncta in numerum conferunt; quin & fons naturæ esse quaternarius censebatur.* Proclus *in Theol. Plat. l.* IV. *c.* XXXII. Επειδὴ δὲ τὴν αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ περιέχει τοῦ σύμπαντος ἀριθμοῦ, τετράδα προσείρηκεν αὐτὸ, τεττάρων τῶν πρωτουργῶν αἰτίων περιληπτικὴν, ὁ Τίμαιος. πάσης γὰρ εἰδοποιΐας ἡ τετρὰς αὕτη πηγὴ προϋφέστηκεν. *Quoniam vero causam in se continet universi numeri, quaternionem id Timæus appellavit, quatuor primo ope-* C *rantes causas comprehendentem: omnis enim formarum procreationis fons prius exstitit.* Sextus Empiricus *adversus Mathem.* l. IV. Ωστε εἰκότως τὸν τέσσαρα ἀριθμὸν παρὰ τοῖς Πυθαγορικοῖς εἰρῆσθαι πηγὴν, ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν. *Ut merito apud Pythagoricos quaternarius numerus dictus sit fons, qui naturæ sempiternæ radices habeat.* Irenæus, *l.* I. *c.* I. Συμπροβεβλῆσθαι δὲ αὐτῷ (λέγουσιν) ἀλήθειαν, καὶ εἶναι ταύτην πρῶτον, καὶ ἀρχέγονον, Πυθαγορικὴν τετρακτὺν, ἣν καὶ ῥίζαν τῶν πάντων καλοῦσιν. *Simul autem cum eo emissam esse veritatem, (dicunt) atque hunc Pythagoricum quaternarium primum, ac primigenium esse, quem & radicem omnium vocant.* Huc D pertinent illa Simplicii, *ad Phys.* l. IV. Αἱ τετράδες, αἱ νοεραὶ πᾶσαι, πηγαίαν ἔχουσαι τάξιν, καὶ διὰ τοῦτο ἐμπύριον τὴν ἐπιστασίαν, συμπεριέρχονται ὅμως τοῖς κόσμοις, ὡς καὶ τοῦ ἐμπυρίου διὰ πάντων χωροῦντος. *Quaternarii, qui sunt omnes intellectuales, fontanum habentes ordinem, ideoque empyriam præfecturam, simul cum mundis circumeunt, ut qui etiam empyrius omnia pervadat.* Et ista Hieroclis: Καὶ ἁπλῶς, τὰ ὄντα πάντα ἡ τετρὰς συνέδησεν, στοιχείων, ἀριθμῶν, ὡρῶν τοῦ ἔτους, ἡλικιῶν συνοικισμῶν. καὶ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ὃ μὴ τῆς τετρακτύος, ὡς ῥίζης, καὶ ἀρχῆς, ἤρτηται. ἔστι γὰρ, ὡς ἔφαμεν, δημιουργὸς τῶν ὅλων, καὶ αἰτία ἡ τετράς. *Et, ut semel dicam,* E *quæcumque existunt, quaternarius colligavit, in elementis, in numeris, in anni tempestatibus, in ætatum contuberniis: neque dici quicquam potest, quod a quaternario, veluti radice, ac principio, non dependeat: siquidem est, ut dixi, omnium opifex, atque causa.* Itaque in juramento quoque erat, quod exstat in *Aureis*, quæ vulgo inscribuntur, *Carminibus:*

—— τετρακτὺν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως. ——
—— *quaternarium,*
Fontem æternæ naturæ. ——

F Atque ita a Pythagora acceperant: per quem ideo jurabant, hunc in modum, uti notum:

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως. ——
Per eum, qui nobis tradidit quaternarium,
Fontem æternæ naturæ. ——

Jamblichus, *De Vita Pythagoræ*, l. I. c. XXVIII. Αναφέρεται γε μὴν εἰς τοὺς Πυθαγορικοὺς, καὶ τοιός δέ τις ὅρκος, αἰδοῖ μὲν ποιουμένων ὀνομάζειν Πυθαγόραν, ὥσπερ καὶ θεῶν ὀνόμασι χρῆσθαι πολλὴν φειδὼ ἐποιοῦντο· διὰ δὲ τῆς εὑρέσεως τῆς τετρακτύος δηλούντων τὸν ἄνδρα. *Ad Pythagoricos quidem refertur & tale quoddam jusjurandum, qui præ pudore quidem Pythagoram non*

A *nominant, ut deorum quoque nominibus uti admodum verecundantur; sed per quaternarii inventionem virum indicant.* Ac videndus idem iterum, *c.* XXIX. Hierocles: Ωστε καὶ κατὰ τοῦτο εἴποι ἄν τις, ἰδίᾳ μὲν τηρεῖσθαι τὸ Σέβου ὅρκον, ἐπὶ τῶν ἀεὶ καὶ ὡσαύτως ἐχόντων θεῶν, ἰδίᾳ δὲ νῦν ὄμνυσθαι κατὰ τοῦ παραδόντος ἡμῖν τὴν τετρακτὺν διδασκάλου, ὃς οὐκ ἦν ἐκ τῶν ἀθανάτων θεῶν, οὐδὲ τῶν φύσει ἡρώων, ἀλλ' ἄνθρωπος, ὁμοιώσει θεοῦ κοσμηθεὶς, καὶ πρὸς τοὺς ἀφ' ἑαυτοῦ θείαν ἀποσώζων εἰκόνα. ὅθεν καὶ ἔνορκον αὐτὸν ἐπὶ τῶν οὕτω μεγάλων ποιεῖται, λεληθότως ἐπεμβάλλων τὸ περὶ Πυθαγόραν τῶν ἀκροατῶν σέβας, καὶ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ δεικνὺς, δι' ὧν παραδέδωκε μαθη- B μάτων. *Ita ut ista ratione dicat aliquis, peculiariter quidem servare præceptum de colendo jurejurando in diis, qui semper & eodem modo existunt; peculiariter autem jurari hoc loco per Doctorem, qui nobis quaternarium tradidit, qui nec erat ex deorum immortalium numero, nec ex heroum genere, sed homo, Dei similitudine præditus, divinæque imaginis autoritatem apud suos retinens; unde fit, ut in magnis adeo rebus ipsum adhibeat in juramentum, tacite innuens, qua ratione Pythagoras a suis auditoribus coleretur, quantumque sibi dignitatis, illis ipsis, quas tradiderat, disciplinis, peperisset.* Atque ut discipuli per Pythagoram præceptorem jurabant, ita ipse C per quaternarium. Itaque Pythagoram loquentem introducit Lucianus, in *Vit. Auct.* Ορᾷς, ἃ σὺ δοκέεις τέτταρα, ταῦτα δέκα εἰσὶ, καὶ τρίγωνον ἐντελὲς, καὶ ἡμέτερον ὅρκιον. *Vides, decem esse ea, quæ tu quatuor existimas, & perfectum triangulum, ac nostrum jusjurandum.* Et subjungit mercator: Οὐ μὰ τὸν μέγιστον τοίνυν ὅρκον τὰ τέτταρα, οὔ ποτε θειοτέρους λόγους ἤκουσα, οὐδὲ μᾶλλον ἱερούς. *Per maximum igitur juramentum quatuor, nunquam neque diviniores, neque sanctiores, sermones audivi.* Et in *Philopatri:* Μὴ τὴν τετρακτὺν φῂς, τὴν Πυθαγόρου. *An quaternarium dicis, illum Pythagoræ?* Corruptus in hac re est Martiani D Capellæ locus, *l.* II. *Quaternarium suis partibus complet decadis ipsius potestatem; ideoque perfectus est, & habetur, ut ipse Cyllenius; cui anni tempora, cæli climata, mundique elementa conveniunt. An aliud illa senis dei ratio, qui* μὰ τὴν τετράδα, *per quem ternarium, non tacuit, confitetur, nisi perfectæ rationis numerum?* Quid enim est istud? *senis dei ratio.* Rescribendum, si quid judico, *senis dejeratio.* Per *senem* intelligit Pythagoram: qui per numerum quaternarium, ut jam dixi, dejerabat. Ergo constat, ut Pythagoras per quaternarium jurabat, ita per Pythagoram, qui quaternarium tradidisset, juravisse ejus deinde sectatores; ac juramenti verba erant illa, ubique apud auctores celebrata:

E Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
Παγὰν, ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.
Per eum, qui animæ nostræ tradidit quaternarium,
Fontem, sempiternæ naturæ radices habentem.

Quam ob causam, admirandum est imprimis, plurimos scriptores veteres, ita hujus juramenti meminisse, tanquam si per quaternarium, non auctorem ejus Pythagoram, dejerare consuevissent. Macrob. in *Somn. Scip.* l. I. c. VI. *Quaternarium quidem Pythagorei, quem* τετρακτὺν *vocant, adeo, quasi* F *ad perfectionem animæ pertinentem, inter arcana venerantur, ut ex eo & jurisjurandi religionem sibi fecerint.* Plutarchus *De Iside & Osiride:* Η δὲ καλουμένη τετρακτὺς, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται. *Qui vero vocatur quaternarius, maximum erat jusjurandum, sicuti omnium sermonibus tritum est.* Ac videndus ille iterum, *De plac. Phil.* l. I. c. III. Lucian. *Pro lapsu in salutatione admisso:* Εἰσὶ δὲ καὶ οἱ τὴν τετρακτὺν τὸν μέγιστον ὅρκον αὐτῶν, (τῶν Πυθαγορείων) καὶ τὸν ἐντελῆ αὐτοῖς, ἀριθμὸν ἀποτελεῖν. *Sunt vero & qui dicant, quaternarium maximum ipsorum, (Pythagoreorum) juramentum esse, ac perfectum ipsis conficere.* Corruptus est hac de re Anonymus, in *Thelogume-*

nis, ubi de quaternario agit: Τοιαύτης δὲ οὔσης, ἐπώνυμον δι' αὐτῆς οἱ τὰ Πυθαγόρου οἱ ἄνδρες θαυμάζοντες. *Talis cum sit, cognominatum per ipsum Pythagorica viri admirantes*. Rescribendum, ἐπώμνυον δι' αὐτοῦ. *Talis cum sit, jurabant per ipsum viri, qui Pythagoræ dogmata admirabantur.* Gregorius Nazianzenus, *Orat. in S. Pentecosten*, XLIV. Τὴν ἑβδομάδα τιμῶσιν Ἑβραίων παῖδες, ἐκ τῆς Μωϋσέως νομοθεσίας· ὥσπερ Πυθαγορικοὶ τὴν τετρακτὺν ὕστερον, καθ' ἣν δὴ καὶ ὅρκον πεποίηνται. *Septenarium numerum ex legis Mosaicæ præscripto, Hebræi in honore habent: quemadmodum postea Pythagorici quaternarium, quem etiam juramentum fecere*. Theologi hallucinationem, cum aliis, quos jam dixi, ei communem, videt Nicetas, & excusat, in *Orationis illius Paraphrasi*: Καὶ μὴν, ὁ θεολόγος, οὐ τὴν τετρακτὺν, ἀλλὰ τὸν Πυθαγόραν, ὤμνυον οἱ μαθηταί. ναί, φησὶν, ἀλλὰ καὶ τὸν Πυθαγόραν διὰ τὴν τετρακτὺν θειώσαντες ὤμνυον, ὡς παραδόντα τούτοις τὴν ἀπόρρητον αὐτῆς, καὶ μυστικὴν, δύναμιν. ὥστε δεύτερος αὐτοῖς τῆς τετρακτύος ὁ Πυθαγόρας εἰς τιμὴν, καὶ δι' ἐκείνου ταύτην ὤμνυον ἄντικρυς. *At vero, Theologe, dicet quispiam non per quaternarium, sed per Pythagoram, jurabant discipuli. Ita sane, inquit, verum Pythagoram propter quaternarium divinis honoribus afficientes, hac juramenti formula utebantur: ut qui ipsis arcanam, ac mysticam, illius numeri vim tradidisset. Quare secundus a quaternario ab illis collocatus Pythagoras, ac per eum plane in hanc formam jurabant*. Nec se extricat Sextus Empiricus, qui juratum per utrumque esse dicit; nempe numerum quaternarium, & Pythagoram, ejus auctorem: *advers. Mathemat.* l. IV. Καθόλου μὲν οὖν οἱ ἀπὸ τῶν μαθημάτων Πυθαγορικοὶ μεγάλην ἀπονέμουσι δύναμιν τοῖς ἀριθμοῖς, ὡς τῆς τῶν ὅλων φύσεως κατ' αὐτοὺς διοικουμένης. ὅθεν καὶ ἀεί ποτε ἐπεφώνουν·

—— ἀριθμῷ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν,

ὀμνύοντες οὐ μόνον τὸν ἀριθμὸν, ἀλλὰ καὶ τὸν ὑποδείξαντα αὐτοῖς τοῦτον Πυθαγόραν, ὡς θεὸν, διὰ τὴν ἐν ἀριθμητικῇ δύναμιν. *Atque universim quidem Mathematici Pythagorici magnam vim tribuunt numeris, utpote quod universarum rerum natura ex iis administretur. Unde etiam semper acclamabant;*

—— *numero vero omnia similia videntur,*

jurantes non solum numerum, sed etiam illum, qui eum ipsis ostenderat, Pythagoram, tanquam deum, propter vim, quæ est in Arithmetica. Simplicius multo, & rectius, agit rursum postea *lib.* VII. Καὶ τοῦτο ἐμφαίνοντες οἱ Πυθαγορικοὶ, ποτὲ μὲν εἰώθασι λέγειν, τό.

—— ἀριθμῷ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν.

Ὅτε δὲ, τὸν φυσικώτατον ὀμνῦναι ὅρκον οὑτωσί.

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ κεφαλᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
Πηγὴν, ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.

τὸν μὲν παραδόντα, λέγοντες Πυθαγόραν, τοῦτον γὰρ ἐθεοποίουν. τετρακτὺν δὲ ἀριθμόν τινα, ὃς, ἐκ τεσσάρων ἀριθμῶν τινῶν τῶν πρώτων συγκείμενος, τὸν τελειότατον ἀπήρτιζεν, ὥσπερ τὸν δέκα. *Et hoc significantes Pythagorici, aliquando quidem dicere consueverunt, istud;*

—— *numero vero omnia similia videntur;*

aliquando autem, juramentum omnium maxime naturale jurare, hunc in modum;

Non per eum, qui capiti nostro tradidit quaternarium,
Fontem, sempiternæ naturæ radices habentem

eum quidem, qui tradidisset, Pythagoram dicentes, ceu quem Deum faciebant: quaternarium vero, numerum quendam, qui ex quatuor primis numeris compositus, numerum efficiebat perfectissimum, ut denarium. Malchus, in *Vita Pythagoræ*, communem aliis errorem sequitur. Non recte Auctor *Altercationis Synagogæ & Ecclesiæ* tradit, fuisse librum, *De Doctrina quadrivii*: ita enim ait, c. I. *Hic etiam Pythagoras Mathentetraden fecit: id est, librum de doctrina quadrivii*. Sed initio illic scribendum: *Pythagoras* Μὰ τὴν τετράδα *fecit*; id est, jusjurandum per quaternarium instituit. Cætera illa, *id est, librum de doctrina quadrivii*, glossema censeo, & lectoris cujusdam indocti interpretamentum. Continebat vero ille numerus sex & triginta; nempe quatuor primos pares numeros, binarium, quaternarium, senarium, octonarium: item quatuor primos impares; unitatem, ternarium, quinarium, & septenarium: qui collecti eum numerum repræsentant. Plutarchus, *de Iside & Osiride*: Ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ κόσμος ὠνόμασται. τεσσάρων μὲν ἀρτίων τῶν πρώτων, τεσσάρων δὲ τῶν περισσῶν, εἰς τὸ αὐτὸ συντιθεμένων, ἀποτελούμενος. *Qui vero quaternarius vocabatur, e sex & triginta constans, maximum erat juramentum, ut sermone omnium tritum est, & appellabatur Mundus: e primis quatuor paribus, ac primis quatuor imparibus, constitutus.* Iterum, *De animæ procreatione*, quæ in *Timæo*: Ἡ μὲν οὖν ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν ὑμνουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τὰ τριάκοντα, θαυμαστὸν ἔχειν δοκεῖ, τὸ συγκεῖσθαι μὲν ἐκ πρώτων ἀρτίων τεσσάρων, καὶ πρώτων περισσῶν τεσσάρων. *Equidem quaternarius ille a Pythagoricis prædicatus, scilicet sex & triginta, illud habet admirandum, quod compositus sit e primis quatuor paribus, & primis quatuor imparibus*. Ac vim habere in medicina numerus iste censebatur. Plinius, *lib.* XXVIII. *cap.* VI. *Vulnera nodo Herculis præligare, mirum quantum ocyor medicina est: atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quandam habere utilem dicuntur: quippe cum Hercules eum prodiderit: numerum quoque quaternarium Demetrius, condito volumine: & quare quaterni cyathi, sextariive, non essent potandi*. Hippocrates, in *Prognostico*: Οἱ δὲ πυρετοὶ κρίνονται ἐν τῇσιν αὐτέῃσιν ἡμέρῃσιν τὸν ἀριθμὸν, ἐξ ὧν τε περιγίνονται οἱ ἄνθρωποι, καὶ ἐξ ὧν ἀπόλλυνται. οἵ τε γὰρ εὐηθέστατοι τῶν πυρετῶν, καὶ ἐπὶ σημείων ἀσφαλεστάτων βεβῶτες, τεταρταῖοι παύονται, ἢ πρόσθεν· οἵ τε κακοηθέστατοι, καὶ ἐπὶ σημείων δεινοτάτων γινόμενοι, τεταρταῖοι κτείνουσιν, ἢ πρόσθεν. *Febrium judicationes iisdem numerantur diebus, quibus homines & evadunt, & moriuntur: nam & mitissimæ febres, & quæ securissimis nituntur signis, die quarto, aut ante, desinunt; maxime vero malignæ, & quæ cum gravissimis signis fiunt, quarto, vel prius, interficiunt.* Et paulo post: Ἀλλὰ χρὴ ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρης ἐνθυμέεσθαι, καὶ καθ' ἑκάστην τετράδα προστιθεμένην σκέπτεσθαι· καὶ οὐ λήσεται, ὅπη τρέψεται τὸ νόσημα. *Verum a primo die advertere animam oportet, & pro singulorum quaternariorum additione, considerationem adhibere; nec latebit, quonam se morbus vertat*. Quo pertinent illa Anonymi, in *Theologumenis*: Ἐπεὶ δὲ μονάδος ἀνὰ μέσον καὶ ἑβδομάδος κυβικῶν χωρίων κυβικὸς ἡ τετρὰς, εἰκότως. κρισίμου μάλιστα τῆς ἑβδομάδος ἐν τοῖς ἀρρωστήμασιν οὔσης, ἐπιδηλότερον οἱ ἰατροὶ, καθάπερ Ἱπποκράτης, τὴν τετράδα λέγουσι κοινωνοῦσαν ὁλοσχερέστερόν πως τῇ ἑβδομάδι ἐν τῇ διὰ πάντων ἐνεργείᾳ. *Quandoquidem vero in medio locorum cubicorum unitatis, & septenarii, cubicus quaternarius, merito, quandoquidem in morbis dies septimus maxime sit decretorius, manifestius medici, ut Hippocrates, dicunt, quaternarium penitus quodammodo septenario, in sua per omnia efficacia, communicare.* Adeoque a nonnullis *Sanitatis principium* esse dicebatur. Lucianus, *Pro lapsu in salutatione admisso*: Οἱ δὲ καὶ ὑγείας ἀρχὴν (τὴν τετρακτὺν) ἐκάλεσαν· ὧν καὶ Φιλόλαός ἐστι. *Sunt & qui sanitatis principium (quaternarium appellent; inter quos & Philolaus est*. Quin etiam omnis numerus quaternarius appellatus. Photius, in *Excerptis* ex Anonymo, *de Vita Pythagoræ*: Τὰ ὄντα πάντα, ἀριθμοὺς προσηγόρευον. (οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου) ὁ δὲ ἀριθμὸς, συμπληροῦται τοῖς δέκα· ὁ δὲ δέκα, σύνθεσις τῶν τεσσάρων, κατὰ τὸ ἑξῆς ἀριθμούντων ἡμῶν· καὶ διὰ τοῦτο τὸν ἀριθμὸν

πάντα, τετρακτὺν ἔλεγον. *Omnia, quæ sunt, numerum appellant; decimo tamen numerus completur. Decimus vero fit a quatuor nobis ordine numerantibus: ideoque omnem numerum, quaternarium appellant.* Suidas *in* Ἀριθμῷ: Οἱ Πυθαγόρειοι πάντα ἀριθμὸν τετρακτὺν προσηγόρευον. ὁ δὴ ἀριθμὸς συμπληροῦται τοῖς δέκα. ὁ δὲ δέκα, σύνθεσις τῶν τεσσάρων. καὶ διὰ τοῦτο ἀριθμὸν πάντα τετρακτὺν ἔλεγον. *Pythagorei autem omnem numerum appellabant quaternarium: qui sane denario completur. Denarius vero est compositio quaternarii: ideoque quemvis numerum quaternarium vocabant.* Ubi vides appellationis ejus etiam causam; nempe quod Denarium complecteretur, qui in sese numerum omnem comprehendit. Philo Judæus *De plant. Noe*; Καλεῖται δὲ τετρὰς καὶ πᾶς ἀριθμὸς, ὅτι τὰ ἄχρι δεκάδος, καὶ αὐτὴν τὴν δεκάδα, περιέχει. *Vocatur quaternarius etiam omnis numerus, quia reliquos usque ad denarium, & ipsum quoque denarium, complectitur.* Et mox: Δεκὰς δὲ, καὶ τετρὰς, πᾶς μὲν ἀριθμὸς εἶναι λέγεται· ἀλλ᾽ ἡ δεκὰς μὲν, ἀποτελέσματι· τετρὰς δὲ, δυνάμει. *Denarius autem, & quaternarius, omnis numerus esse dicitur: ac denarius quidem, actu; quaternarius vero, potentia.* Et in libro *de Mundi opificio*: Ο δ᾽ οὐρανὸς διεκοσμεῖτο αὖθις ἐν ἀριθμῷ τελείῳ, τετράδι, ἣν δεκάδος τῆς παντελοῦς οὐ διαμάρτοι τις εἶναι λέγων ἀφορμήν τε καὶ πηγήν, ὃ γὰρ ἐντελεχείᾳ δεκὰς, τοῦτο τετρὰς, ὡς ἔοικε, δυνάμει. *Cælum vero exornatum est in numero perfecto, quaternario: quem denarii, omnino absoluti, causam fontemque non falso quis dixerit: nam quod actu est denarius, hoc potentia, ut videtur, quaternarius.* Procopius Gazæus, *in Genesin*: *Quaternarius, qui potentia est denarius, pretiosus, & insignis, habetur numerus: unitas, binarius, ternarius, & quaternarius, inter se additi, denarium constituunt.* Atque res se ita habet: quaternarius, si conjungas unitatem, & binarium ac ternarium, quos complectitur, mox denarium, si quis simul computaverit, repræsentat. Martianus Capella, *lib.* VII. *Decasque plena bis quatuor numeris gradatim plicitis, integratur: id est, uno, duobus, tribus, quatkor.* Artemid. *Onirocrit.* l. II. c. LXXV. Ομοίως τὰ τέσσαρα, σὺν τῷ τῶν ἔμπροσθεν στοιχείων ἀριθμῷ, γίνεται δέκα. *Similiter quatuor, cum præcedentium elementorum numero, fiunt decem.* Inde *Potentia* quoque *denarii* dicebatur. Hierocles: Τῆς δὲ δεκάδος δύναμις ἡ τετράς. πρὸ γὰρ τῆς κατὰ διέξοδον τελειότητος, τῆς ἐν τῇ δεκάδι, ἡνωμένη τις τελειότης ἐν τῇ τετράδι θεωρεῖται· κατὰ γὰρ σύνθεσιν, τῶν ἀπὸ μονάδος ἕως τετράδος, δεκὰς τὸ πᾶν ἄθροισμα γίνεται. ἓν γὰρ, καὶ δύο, καὶ τρία, καὶ τέσσαρα, τὴν δεκάδα πληροῖ. *Est vero denarii potentia quaternarius: antequam enim ad denarii perfectionem veniatur, unita quædam perfectio in quaternario deprehenditur; compositione siquidem, quæ fit ab unitate ad quaternarium, quicquid inde colligitur, fit denarius: quippe unum, duo, tria, quatuor, denarium implent.* Martianus Capella, *l.* II. *Quaternarius suis partibus complet decadis ipsius potestatem; ideoque perfectus est, & habetur, quadratus, ut ipse Cyllenius.* Et hæc causa, cur tantopere eum numerum Pythagorici, uti paullo ante dixi, honorarent Anonymus, in *Theolog.* Ετίμων δὲ αὐτὴν (τὴν τετράδα) οἱ Πυθαγόρειοι, ὡς δεκάδος γεννητικήν. *Honorabant vero ipsum (quaternarium) Pythagorici, tanquam qui denarium gigneret.* Quidam Thraces numerum hunc non transcendebant. Aristoteles, *Probl.* sect. XV. quæst. IV. Μόνοι δὲ ἀριθμοῦσι τῶν Θρακῶν γένος τι εἰς τέτταρα, διὰ τὸ ὥσπερ τὰ παιδία μὴ δύνασθαι μνημονεύειν ἐπὶ πολὺ, μηδὲ χρῆσιν μηδενὸς εἶναι πολλοῦ αὐτοῖς. *Soli Thracum populi quidam usque ad quatuor numerant; quia puerorum instar, non memoria multum valeant, nec multarum quoque rerum usum habeant.* Denique perfectiorem numerum hunc ternario existimabant. Itaque, cum ter beatos vivos dicerent, mortuos quatuor, ceu plenissime jam beatos, nec mutationi obnoxios, prædicabant. Itaque est apud Homerum, *Odyss.* l. v.

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις, οἳ τότ᾽ ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ. ——
Ter beati Græci, & quater, qui tunc perierunt
Troja in lata. ——

Quod expressit & Virgilius, *Æneid.* I.

— *o terque quaterque beati,*
Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Anonymus, in *Theolog. Arithmeticis*: Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἂν οὔτε σωρεία ἐπινοηθῆναι ἄνευ τετράδος δύναται, καθ᾽ ἣν καὶ ἡ πυραμὶς φύσει ἐν ἀλληλουχουμένοις λαμβάνει τὸ δυσδιάλυτον σχῆμα δυσδιαλύτου σώματος. πλήθους δὲ ἐπίτασις ὁ σωρός πως, καὶ βιαιότερον ἢ κατὰ τὴν τετράδα. ἀμέλει κατὰ τὸ Σόλωνος ἀπόφθεγμα, τὸ, τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου, δυνατὸν ἐκδέξασθαι παρὰ τοῦ ποιητοῦ· τοὺς μὲν ἔτι ζῶντας, Τρὶς μόνον ἐπ᾽ εὐδαιμονίᾳ μακαριζομένους, ἀδήλου τῆς μεταπτώσεως, καὶ μεταβολῆς, ἔτι ὑπάρχοντος· τοὺς δὲ τεθνεῶτας, βεβαίως ἔχοντας τὸ εὔδαιμον, καὶ μεταβολῆς ἐκτὸς, τελειότερον. Τετράκις γὰρ λέγει ἐπὶ τοῦ ζῶντος, Τελσμάκαρ Ατρείδη μόνον· ἐπὶ δὲ τῶν ἄριστα μετηλλαχότων, Τελσμάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις, οἵ τ᾽ ὄλοντο. Quem locum luxatum, & corruptum, circa finem, sic restituo, Τελειότερον, τετράκις. λέγει γὰρ ἐπὶ τοῦ ζῶτος,

Τ[ρισ]μάκαρ Ατρείδη ——

μόνον· ἐπὶ δὲ τῶν ἄριστα μετηλλαχότων,

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις, οἳ τότ᾽ ὄλοντο.

Neque vero cumulatio ulla excogitari potest sine quaternario, juxta quem etiam pyramis, in iis quæ se mutuo continent, natura sumit figuram non facile dissolubilem corporis vix dissolubilis: multitudinis vero intensio est acervus, idque aliquanto vehementior, quam in numero ternario: ac Solonis certe dictum, respiciendum longæ vitæ finem esse, ex poeta capi potest; qui viventes etiamnum, ter beatos tantum dicit, tanquam eorum sit incerta, & mutabilis, felicitas; sed defunctos, ceu felicitate firma, & extra mutationis aleam collocata, jam fruentes, quater beatos pronunciat: nam de vivo ita inquit;

Ter beate Atride ——

at de iis, qui præclare obierunt,

Ter beati Græci, & quater, qui tunc perierunt.

Nunc, quæ nomina ejus fuerint, videamus. Photius in *Excerptis suis* e Nicomacho: Η δὲ τετρὰς πάλιν αὐτοῖς θαῦμα μέγιστον, ἄλλη θεὸς, πολύθεος, μᾶλλον δὲ πάνθεος. ἔστι γὰρ αὐτοῖς τῶν τε φυσικῶν ἀποτελεσμάτων Πηγὴ, καὶ κλειδοῦχος τῆς φύσεως. ἀλλὰ καὶ τῆς κατὰ τὰ μαθήματα συστάσεως καὶ διαμονῆς αὕτη προαγωγὸς καὶ αἰτία. ἀλλὰ καὶ αὐτὴ φύσις καὶ αἰόλα ἐστὶν αὐτοῖς καὶ Ηρακλῆς, καὶ Εξαρμα, καὶ Αλκιμωτάτη, καὶ Αῤῥενικὴ, καὶ Αθήλυντος, Ερμῆς τε καὶ Ηφαιστος, καὶ Διόνυσος, καὶ Σωρείτας, καὶ Μεαδεὺς, ἢ Μαιάδης· τῆς γὰρ Μαίας υἱὸς, ἤτοι τῆς δυάδος, ἡ τετράς. καὶ Εριούνιος, καὶ Σῶκος, καὶ Διόσκορος, καὶ Βασσαρεὺς, καὶ Διμάτωρ, μητρὸς τετυχὼς δυάδος. Θηλύμορφός τε καὶ Επανδρος, καὶ Αῤῥενουργος, καὶ Βακχασμὸν ἀνεγείρων. καὶ Αρμόνιτα, ἢ Αρμονία, καὶ τῶν Μουσῶν ἡ Οὐρανία. *Quaternarius item magno ipsis est miraculo, novus Deus, & quidem multiplex, vel potius omnideus. Fons enim ipsis est naturalium effectuum, atque naturæ claviger. Sed & suam his disciplinis constitutionem, ac permansionem, affert, atque conciliat: immo natura ipsa est, & varietas. Idem quoque iis Hercules, & Impetus, & Robustissimus, & Masculinus, & Ineffæminatus. Mercurius item, & Vulcanus, Bacchus, Soritas, Majadeus, vel Majades; est enim Majæ filius, hoc est binarii, quaternarius. Eriunius ad hæc. & Socus, atque Dioscorus. Bassareus insuper, & Bimater, matrem nactus binarium; Fœmineam formam habens, Virilitatem præ se ferens, ac Bacchationem excitans. Item Harmonita, seu Harmonia, & inter Musas, Urania.* Quod Κλειδοῦχος autem τῆς φύσεως, *Claviger naturæ*, & φύσις Αἰόλου,

natura Æoli, (ita enim in Photio ſcribendum putem, non, φύσις, καὶ αἰόλα, *natura, & varietas*) appellatus ab Antiquis numerus iſte fuerit, teſtis etiam eſt Anonymus, in *Theologumenis ſuis*; Αἰόλου φύσιν κατωνόμαζον τὴν τετράδα, τὸ ποικίλον ἐμφαίνοντες τῆς οἰκειότητος. καὶ ὅτι οὐκ ἄνευ ταύτης ἡ καθολικὴ διακόσμησις· διὸ καὶ κλειδοῦχόν τινα τῆς φύσεως αὐτὴν πανταχοῦ ἐπωνόμαζον. *Æoli naturam appellabant quaternarium, varietatem proprietatis indicantes; & quod abſque eo non ſit univerſalis conſtitutio; unde etiam clavigerum naturæ quendam ipſum ubique cognominabant*. Cur vero Ἁρμονία diceretur, cauſam exponit Joannes Protoſpatharius, *ad Heſiodi Dies*: Ἡ τετρὰς Ἁρμονία λέγεται, ἔχει γὰρ τὸ ἐπίτριτον. *Quaternarius Harmonia appellatur; quia habeat ſeſquitertium*. Ac cur Ἡρακλῆς, apud Anonymum eſt videre: Πάλιν δὲ Ἡρακλέα παρὰ τὴν αὐτὴν τοῦ ἔτους ἔννοιαν τὴν τετράδα καλοῦσι. *Rurſum Herculem vocant quaternarium, propter eandem anni conſiderationem*. Præter vero ea nomina in Nicomachi *Excerptis*, apud Photium, etiam Κόσμος, *Mundus*, dicebatur. Plutarch. *De Iſide & Oſiride*: Ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ Κόσμος ὠνόμασται. *Qui vero quaternarius vocabatur, e ſex & triginta conſtans, maximum erat juramentum, ut ſermone omnium tritum eſt, & appellabatur Mundus*. Item Σῶμα, *Corpus*, Philoponus, *in Metaphyſ.* lib. I. *Pythagorei dum volunt ſapientiam ſuam occultam facere cerdonibus, Symbolice tradiderunt diſciplinas. Dicebant ergo unitatem, Mentem; binarium, Animam; ternarium vero, Opinionem; quaternarium, Corpus ſimpliciter*. Ac poſtea iterum; *Symbolice enim Pythagorei Phyſicas formas numeros dicebant; unitatem, Mentem, quia impartibilis: binarium autem, Animam, ut unde, & quo, motus: ternarium vero, Opinionem, quia non ſit definitus; ſed primus indiviſibilis, & inſtabilis; quaternarium vero, ipſum ſimpliciter Corpus* Pachymer. *Metaphyſ.* lib X. c. III. *Qui Pythagorici fuerunt appellati, primique Mathematica tractarunt, ac in eis ſunt enutriti, arbitrati ſunt, rerum Mathematicarum principia cunctorum eſſe principia. Hinc unitatem, par & impar, extremitatem & cultum, aliaque nonnulla rerum naturalium principia poſuerunt; unitatem quidem, Mentis: binarium, Animæ; ternarium, Opinionis; quaternarium, Corporis*. Hinc iſta Anonymi, in *Theologumenis*; Ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ἀριθμῷ στοιχειωδέστατα ἰδιώματα τέσσαρα· ταυτὸν, ἐν μονάδι· ἕτερον, ἐν δυάδι· χροιά, ἐν τριάδι· σῶμα, ἐν τετράδι. *Verum etiam in numero proprietates maxime elementares quatuor; in unitate, idem; in binario, alterum; in ternario, color; in quaternario, corpus*. Et poſtea: Οὐ μόνον δὲ τὸν τοῦ σώματος ἐπέχει λόγον τετρὰς, ἀλλὰ καὶ τὸν τῆς ψυχῆς. *Non ſolum corporis obtinet rationem quaternarius, ſed & animæ*. Neque alio referenda hæc Philonis, lib. *De mundi opificio*; Ἔστι δὲ καὶ δύναμις ἄλλη τετράδος, λεχθῆναί τε καὶ νοηθῆναι θαυμασιωτάτη. πρώτη γὰρ αὕτη τὴν τοῦ στερεοῦ φύσιν ἔδειξε, τῶν πρὸ αὐτῆς ἀριθμῶν τοῖς ἀσωμάτοις ἀνακειμένων. *Eſt & alia vis quaternarii, dictu cogitatuque miranda; primus enim hic ſolidi naturam oſtendit, cum præcedentes eum numeri rebus incorporeis ſint dedicati*. Dicebatur & Πρῶτον βάθος, *Prima profunditas*. Simplic. *De anima*, lib. I. Καὶ ἐκάλουν, (οἱ Πυθαγόρειοι) ὡς ἐκ τῶν ὑπ' Ἀριστοτέλους λεγομένων τεκμαίρεσθαι, τὴν δυάδα, Πρῶτον μῆκος. οὐ γὰρ ἁπλῶς μῆκος, ἀλλὰ τὸ πρῶτον, ἵνα τὸ αἴτιον σημαίνωσιν. ὡσαύτως δὲ Πρῶτον πλάτος, τὴν τριάδα· καὶ Πρῶτον βάθος, τὴν τετράδα. *Ac vocabant, (Pythagorei) ut ex iis, quæ ſunt dicta ab Ariſtotele, conjicere licet, binarium numerum, Primam longitudinem: neque enim ſimpliciter, longitudinem, ſed primam; uti cauſam indicarent: eodem modo Primam quoque latitudinem, ternarium dicebant; ac Primam profunditatem, quaternarium*. Denique Δικαιοσύνη, *Juſtitia*. Anonymus, in *Theologumenis*: Καλεῖται δὲ αὕτη, (ἡ τετρὰς) ὡς φησὶν ὁ Ἀνατόλιος, Δικαιοσύνη. *Vocatur vero hic, (quaternarius) ut Anatolius ait, Juſtitia*. Hoc pertinet locus Ariſtotelis, in *Metaphyſ. majoribus*, c. V. Καὶ πρὸ τούτων, οἱ καλούμενοι Πυθαγόρειοι τῶν μαθημάτων ἁψάμενοι πρῶτον, ταῦτα προήγαγον, καὶ ἐντραφέντες ἐν αὐτοῖς, τὰς τούτων ἀρχὰς, τῶν ὄντων ἀρχὰς ᾠήθησαν εἶναι πάντων. ἐπεὶ δὲ τούτων οἱ ἀριθμοὶ φύσει πρῶτοι, ἐν δὲ τοῖς ἀριθμοῖς ἐδόκουν θεωρεῖν ὁμοιώματα πολλὰ τοῖς οὖσι καὶ γιγνομένοις μᾶλλον ἢ ἐν πυρὶ, καὶ γῇ, καὶ ὕδατι· ὅτι μὲν τοιονδὶ τῶν ἀριθμῶν πάθος, Δικαιοσύνη· τὸ δὲ τοιονδὶ, Ψυχὴ, καὶ Νοῦς. *Ante hos, qui Pythagorei vocantur, primi tetigere mathemata, & auxere, atque in iis educati, horum principia, omnium rerum exiſtentium principia eſſe exiſtimabant. Quoniam vero in his numeri primi natura, atque in numeris magis videbantur ſibi videre ſimilitudines multas eorum quæ ſunt, & fiunt, quam in igne, terra, & aqua; hunc quidem numerorum affectum, Juſtitiam; illum vero, Animam, atque Mentem, cenſebant*. Ad quem locum Alexander Aphrodiſeus: *Quia (Pythagorei) propriam juſtitiæ compenſationem, & æquabilitatem eſſe rebantur, idque in numeris reperiebant, idcirco numerum pariter parem primum, Juſtitiam eſſe dicebant: nam, quod eſt primum in ſingulis, habentibus eandem rationem, hoc maxime id eſſe, quod dicitur, aſſerebant. Hunc autem numerum alii quaternarium eſſe dicebant; quia, cum primus ſit quadratus, in paria dividitur, & eſt par: alii vero novenarium, qui eſt primus numerus ſolidus, ex impari numero ternario, in ſe multiplicato*. Nominis hujus, quanquam non expreſſo numero, meminit item Porphyrius, *De Abſtin. Anim.* lib. II. Οἱ γοῦν Πυθαγόρειοι περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τὰς γραμμὰς, σπουδάζοντες, ἀπὸ τούτων τὸ πλέον τοῖς θεοῖς ἀπήρχοντο. τὸν μέν τινα ἀριθμὸν, Ἀθηνᾶν καλοῦντες. Τὸν δέ τινα, Ἄρτεμιν· ὥσπερ αὖ ἄλλον, Ἀπόλλωνα· καὶ πάλιν, ἄλλον μὲν, Δικαιοσύνην· ἄλλον δὲ, Σωφροσύνην. *Pythagorei, circa numeros, lineaſque, ſtudioſi, ex his plerumque Diis primitias libabant; hunc quidem numerum Minervam vocantes; illum autem, Dianam, quemadmodum etiam alium Apollinem; ac rurſum, alium quidem, Juſtitiam; alium vero Temperantiam*.

CAP. VII.

Quinarius, Minervæ ſacer. Pluto, Furiæ, & Gigantes, quinta luna nati eſſe credebantur. Quintus quoque menſis dies ab Athenienſibus cultus. Ægyptii, quinarium indicare cupientes, ſidus pingebant. Nomina ejus, Ἀνεικία. Ἀλλοίωσις. Φάος. Δικαιοσύνη. *Quies a rixis. Alteratio. Lumen. Juſtitia. Megilli locus, ex Opere* Περὶ ἀριθμῶν, *De numeris, emendatus. Anonymus correctus, & Ariſtoteles. Alexandri Aphrodiſei error. Anonymus iterum correctus*. Ἀκρότης ἐλαχίστη τῆς Ζωότητος. Νέμεσις. Βουβάστεια. Δίκησις, *ſive* Δίκη. Ἀφροδίτη. Γαμηλία, *ſive* Γάμος. Ἀνδρογυνία. Κυθέρεια. Ζωναία. Κυκλοῦχος. Ἡμίθεος. Ζανὸς πύργος. Διδυμαία. Ἄξων ἑδραία. Ἄμβροτος. *Minima extremitas Facultatis vivendi. Nemeſis. Bubaſtia. Juriſdictio, ſive Juſtitia. Venus. Nuptialis, ſive Matrimonium. Virofœmina. Cytherea. Zonæa. Circulorum præſes. Semideus. Jovis turris. Didymæa. Axis ſtabilis. Divinus. Anonymus tertium emendatus*. Παλλάς. Κρεδεᾶτις, *ſive potius* Καρδιᾶτις. *Pallas. Cardiatis. Photii locus reſtitutus*. Ἀγεμονία. Ἀκρεῶτις. Ἀτάλαντος. Ἄζυξ. Ὀρθιᾶτις. Μελπομένη. Τροφός. Πρόνοια. Φύσις. Θεός. Νοῦς. Κόσμου Ψυχή. *Ductrix. Acreotis. Æquilibris. Jugi expers. Orthiatis. Melpomene. Sorus. Providentia. Natura. Deus. Mens. Mundi Anima*.

NICOMACHUS Geraſinus, quem *Arithmetica Theologia* libros duos conſcripſiſſe [illegible] dixi, primam eorum cum in numero quatern[illegible]

niisset, secundum a quinario incipit. Id testatur clare Photius, in *Excerptis*: Ἀλλ' οὔπω μὲν αὐτοῖς (τοῖς Πυθαγορείοις) καὶ ἡ περὶ τὰς τετράδας τερατολογουμένη θεολογεῖται, καὶ τὸ πρῶτον τῶν θεολογουμένων Ἀριθμητικῶν Νικομάχῳ συναπαρτίζεται βιβλίον. ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ, μετὰ τὸ προοίμιον, ἡ πεντὰς αὐτῷ πληροῖ τὸν ἀγῶνα. *Ad hunc fere modum de quaternario nugantur, ac primus quoque Nicomachi Arithmeticorum Theologumenorum liber finitur: in secundo vero, post proœmium, quinarius ipsi certamen implet*. Erat vero numerus hic Minervæ sacer: unde etiam quinta luna nati esse tradebantur, Pluto, Furiæ, & Gigantes. Servius, *ad Georgic. lib.* I. *Quinta luna nullius operis initium sumas. Dicitur enim hic numerus Minervæ esse consecratus, quam sterilem esse constat: unde etiam omnia sterilia quinta luna nata esse dicuntur; ut Orcus, Furiæ, Gigantes*. Virgilius illic:

Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum: quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ: tum partu Terra nefando
Cœumque, Japetumque creat, sævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres.

Ac de Furiis, etiam Johannes Protospatharius dicit, *in Hesiodi Dies*: Ἐν δὲ τῇ πέμπτῃ φασὶν ὅτι ἐγεννήθησαν αἱ Ἐριννύες. *Quinta luna natas esse ajunt Furias*. Quod ad quintum diem attinet, eum certe Athenienses celebrabant. Aristoxenus, *Elem. Harmonic.* lib. II. Παντελῶς ἔοικε τῇ τῶν ἡμερῶν ἀγωγῇ τῶν ἁρμονικῶν ἡ περὶ τῶν τόνων ἀπόδοσις· οἷον, ὅταν Κορίνθιοι μὲν, τὴν δεκάτην ἄγωσιν· Ἀθηναῖοι δὲ πέμπτην· ἕτεροι δέ τινες ὀγδόην. *Omnino similes esse videntur dierum subductio, & harmonicorum de tonis traditio, ut, cum Corinthii quidem, decimum celebrant; Athenienses vero, quintum; alii autem quidam, octavum*. Quinarium vero Ægyptii cum indicare vellent, sydus pingebant. Horapollo, *Hieroglyphic.* lib. I. cap. XIII. Σημαίνοντες τὸν πέντε ἀριθμὸν, ἀστέρα ζωγραφοῦσιν· ἐπειδὴ, πλήθους ὄντος ἐν οὐρανῷ, πέντε μόνοι ἐξ αὐτῶν κινούμενοι, τὴν τοῦ κόσμου οἰκονομίαν ἐκτελοῦσι. *Significantes quinarium numerum, sidus pingunt; quoniam, cum quamplurima sint in cælo, sola ex his quinque, quæ moveantur, orbis moderationem efficiunt*. Nomina ejus hunc in modum repræsentat nobis Photius, in Nicomachi *Excerptis*: Ἀλλ' οὔπω ταῦτα κομψὰ, καὶ σοφά. Τὰ δ' ἐφεξῆς σκόπει. Ἀνεικία γὰρ ἡ πεντὰς, καὶ Ἀλλοίωσις, καὶ Φάος, καὶ Δικαιοσύνη, καὶ ἐλαχίστη Ἀκρότης τῆς ζωότητος, καὶ Νέμεσις, καὶ Βουβάστεια, καὶ Δίκησις, καὶ Ἀφροδίτη, καὶ Γαμηλία, καὶ Ἀνδρογυνία, καὶ Κυθερεία, καὶ Ζωναία, καὶ Κυκλοῦχος, καὶ Ἀμίθεος, καὶ Ζανὸς πύργος, καὶ Διδυμαία, καὶ Ἄξων ἑδραία. Ἀμβροτόν τε ὑψηλολογοῦσι, καὶ Παλλάδα, καὶ Κρεδεάτην, καὶ Ἀγεμονίαν, καὶ Ἀκρεῶτιν, καὶ Ἀτάλαντον, καὶ Ἄζυγα, καὶ Ὀρθιᾶτιν, καὶ Μουσῶν Μελπομένην. *Sed nondum hæc elegantia, aut scita: sed considera, quæ sequuntur. Est enim quinarius, Quies a rixis, & Alteratio, Lumen quoque, ac Justitia: minimaque extremitas facultatis vivendi: Nemesis adhæc, & Bubastia, Jurisdictio, Venus, Gamelia, Androgynia, Cythereia, Zonæa, Circulorum præses, Semidea, Arx Jovis, Didymæa, & Axis stabilis. Hanc etiam Divinam esse sublimibus verbis prædicant, & Pallada, & Credeaten, Ductricem, Acreotin Æquilibrem, Injugem, Orthiatin, ac de Musarum numero Melpomenen*. Ex his Ἀνεικία, Ἀλλοίωσις, Φάος, Δικαιοσύνη, *Quies a rixis, Alteratio, Lumen, Justitia*, etiam in *Fragmento* quodam Megilli, ex *Opere* Περὶ ἀριθμῶν, *De numeris*, apud Anonymum commemorantur, nominumque rationes exponuntur; sed corrupto admodum loco, mutiloque: nam pro Ἀνεικία, *Quies a rixis*, illic Ἀνοικία nunc vulgatur, ac Δικαιοσύνη, *Justitia*, quidem semel iterumque excidit, hunc in modum: Ἡ δὲ πεντὰς Ἀλλοίωσις, Φάος, Ἀνοικία. Ἀλλοίωσις μὲν, ὅτι τριχῆ διεστατοῦ ἐς ταυτότητα τῆς σφαίρας ἤμειψε, κυκλικῶς κινήσασα, καὶ φάος ἐνεργασαμένη, διόπερ καὶ Φάος.

Ἀνοικία δὲ, παρὰ τὴν πάντων προδιεστώτων σύστασιν, καὶ ἕνωσιν· καὶ διὰ τὴν δύο εἰδέων σύνοδον, καὶ φιλίωσιν. ὅτι τῆς δικαιοσύνης ἐμφαντικωτάτη. Ita autem restituendum esse censeo, Ἡ δὲ πεντὰς Ἀλλοίωσις, Φάος, Ἀνεικία, Δικαιοσύνη. Ἀλλοίωσις μὲν, ὅτι τριχῆ διεστατοῦ ἐς ταυτότητα τῆς σφαίρας ἤμειψε. κυκλικῶς κινήσασα, καὶ φάος ἐνεργασαμένη, διόπερ καὶ Φάος. Ἀνεικία δὲ παρὰ τὴν πάντων προδιεστώτων σύστασιν, καὶ ἕνωσιν· καὶ διὰ τὴν τῶν δύο εἰδέων σύνοδον, καὶ φιλίωσιν. Δικαιοσύνη δὲ, ὅτι τῆς δικαιοσύνης ἐμφαντικωτάτη ἡ πεντάς. *Est quinarius Alteratio, Lumen, Quies a rixis, & Justitia. Alteratio quidem, quia id, quod trifariam diremptum esset, in sphæræ identitatem mutaverit, circulariter movens, ac lumen ingenerans, unde etiam Lumen dicitur. Quies vero a rixis, quod, quæcunque antea inter se distabant, constituat, ac conciliet; & propter duarum specierum congressum, & amicitiam. Justitia autem, quod justitiam maxime omnium quinarius ostendat*. Ac Ἀνεικίας, *Quietis a rixis*, quidem nomen, etiam antea corruptum, ibidem legitur, in ipsius Anonymi verbis: Καὶ ἀνοικίας προσηγόρευον τὴν πεντάδα. *Et anœciam appellabant quinarium*. Rescribo, Καὶ Ἀνεικίαν προσηγόρευον τ. π. *Et Quietem a rixis appellabant*. Apud Aristotelem, *majorum Metaphys.* c. VII. ubi Pythagorica quædam numerorum aliquorum nomina commemorantur, inter cætera etiam Ἀδικία, *Injuria*, ponitur: quo in loco legendum esse Ἀνεικία, *Quies a rixis*, affirmare haud dubitaverim: ac confirmat conjecturam isthic meam, quod nonnulla exemplaria ævo vetere ibi Ἀνικία, *Invictum*, habuerint: quod profecto ad hanc emendationem claram satis facem præfert. Atque ita in antiquis exemplaribus olim lectum, *Commentarius* Alexandri Aphrodisei in hunc locum nobis indicat: ita autem habent verba, ut Latine quidem ea, siquidem non exstant Græce, Sepulveda nobis dedit: *In quibusdam exemplaribus, pro injuria,* (Ἀδικία) *legitur invictum,* (quod in Græco ejus textu Ἀνικία, *Invictum*, fuisse existimo, ut conveniat dictioni præcedenti, cum qua commutata fuit) *quod a Pythagoricis idcirco quinque appellari tradunt, quoniam in rectangulis triquetris, quæ latera primum dicibilia continent, laterum angulum rectum complectentium alterum est trium, alterum quatuor: basis vero, quinque: ergo quoniam basis æquivalet utrique simul, ideo victrix ipsa, latera vero debellata esse dicuntur: ergo numerus quinque Invictum ab illis appellabatur, quasi non superatus, sed invictus, superiorque sit. Cæterum, seu Invictum, seu Injuria, scribendum sit, verborum intellectus perspicuus est*. Ubi fallitur Alexander, qui, non animadverso mendo, explicationem adducit, loco non convenientem: nam quod numerus hic quinarius Ἀνεικία, *Quies a rixis*, non Ἀνικία, *Invictum*, dictus fuerit, satis constat, e Megilli antea *citatis verbis*: & Anonymus quoque ipse nimis manifestum facit, duplicem istius nominis rationem nobis reddens: Καὶ Ἀνεικίαν (ita jam legendum monui) προσηγόρευον τὴν πεντάδα, οὐ μόνον ἐπειδὴ τὸ πέμπτον, καὶ κατ' αὐτὸ τεταγμένον, στοιχεῖον, ὁ αἰθὴρ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντα διατελεῖ, νείκεος, καὶ μεταβολῆς, ἐν τοῖς ὑπ' αὐτὸν ὑπάρχουσιν ἀπὸ σελήνης μέχρι γῆς· ἀλλ' ὅτι τὰ πρώτιστα διαφέροντα, καὶ οὐχ ὅμοια τοῦ ἀριθμοῦ, δύο εἴδη ἄρτιον καὶ περιττὸν, αὐτὸν ὡσανεὶ ἐφιλίωσεν, καὶ συνήρτησεν σύστημα, τῆς αὐτῶν γενόμενος συνόδου. *Et Quietem a rixis appellabant quinarium, non solum quoniam quintum, & per illud constitutum elementum, æther per hæc & similiter habentia perficit, respectu rixarum, & mutationis, in his sub illo existentibus ab luna usque ad terram; sed quod primas differentes, & non similes numeri, duas species par & impar, ipse quasi conciliavit, & connexuit systema, illorum factus conjunctionis*. Quæ verba, corrupta partim, & ab interpunctione vehementer laborantia, sic restituo,

ὡσαύτως ἔχων διατελεῖ νείκους, καὶ μεταβολῆς: *similiter habens perficit respectu rixarum, & mutationis* : & postea : Ἀλλ' ὅτι τὰ πρώτιστα διαφέροντα, καὶ οὐχ ὅμοια, τοῦ ἀριθμοῦ δύο εἴδη, ἄρτιον καὶ περιττὸν, αὐτὸς ὡσανεὶ ἐφιλίωσεν, καὶ συνήρτησεν, σύστημα τῆς αὐτῶν γενόμενος συνόδου. *Sed quod primas differentes, & non similes, numeri duas species, par & impar, ipse quasi conciliavit, & connexuit, systema illorum conjunctionis factus*. Ἀκρότης ἐλαχίστη τῆς ζωότητος, *Facultas minima vivendi*. Meminit itidem Anonymus, in *Theologumenis suis*: Τριῶν δὲ ὄντων τῶν ζωοποιητικῶν κατὰ τοὺς φυσικοὺς μετὰ τὴν σωμάτωσιν, φυτικοῦ, ψυχικοῦ, λογικοῦ. καὶ τοῦ μὲν λογικοῦ κατὰ τὴν ἑβδομάδα τασσομένου· τοῦ δὲ ψυχικοῦ καθ' ἑξάδα· τὸ φυτικὸν ἀναγκαίως κατὰ τὴν πεντάδα πίπτει. ὥστε καὶ Ἀκρότης τις ἡ ἐλαχίστης τῆς ζωότητος ἡ πεντάς. *Cum tria sint secundum Physicos, quæ vivificent post corporationem, facultas vegetativa, animalis, & rationalis: ac rationalis quidem, juxta septenarium sit constituta; animalis, juxta senarium; vegetativa necessario in quinarium incidit : ita ut etiam Extremitas quædam minima facultatis vivendi existat*. Insuper, Νέμεσις dicebatur. Anonym. Νέμεσιν καλοῦσι τὴν πεντάδα· νέμει γοῦν προσηκόντως τά τε οὐράνια, καὶ θεῖα, καὶ φυσικὰ στοιχεῖα. *Nemesin vocant quinarium ; quippe distribuit convenienter cum cœlestia, tum divina, & naturalia elementa*. Item Βουβάστεια, quia Bubasti in Ægypto colebatur. Anonym. Καὶ Βουβάστειαν, (ὀνομάζουσι) διὰ τὸ ἐν Βουβαστῷ τῆς Αἰγύπτου τιμᾶσθαι. *Et Bubastiam, (vocant) quia in Ægypti urbe Bubasto coleretur*. Δίκησις. Apud Anonym. est, Δίκη, *Justitia*. Et ita Joannes Protospathar. *in Hesiodi Dies*: Ο πέντε ἀριθμὸς, Δίκη λέγεται· ἐπίσης γὰρ τὴν δέκα τέμνει. *Quinarius, Justitia dicitur; ex æquo enim denarium secat*. Proclus *in eosdem Dies*: Οτι μὲν ἡ πεμπτὰς Δίκης ἐστὶν ἀριθμὸς, καὶ Πυθαγορείων ἠκούσαμεν λεγόντων. καὶ λέγονται σαφῶς αἰτίαι παρ' ἐκείνοις διτταί· τῶν δὲ τῶν ἔργων τῆς Δίκης ἢ τὸ παραβαῖνον κολάζειν, καὶ τὴν πλεονεξίαν ἀφαιρεῖν, ἢ τὸ ἔλασσον ἐπανισοῦν, καὶ εὐεργετεῖν. *Quod quinarius Justitiæ sit numerus, Pythagoreos dicentes audivimus: ejusque ipsis duæ causæ manifesto memorantur; tanquam inter Justitiæ opera sit, transgressiooem puni re, &, quod alter altero plus habeat, tollere, atque minus exæquare, & benefacere*. Ἀφροδίτη, Γαμηλία Ἀνδρογυνία, Κυθέρεια, & Ζωναία, *Venus, Nuptialis, Virofœmina, Cytherea, Cincta*, ab eadem certe causa : ac trium priorum nominum meminit etiam Anonym. & hanc rationem reddit: Καὶ Ἀφροδίτην, (ὀνομάζουσι) διὰ τὸ ἐπιπλέκεσθαι ἀλλήλοις ἄρρενα καὶ θῆλυν ἀριθμόν. κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ Γαμηλίαν, καὶ Ἀνδρογυνίαν. *Ac Venerem, (nominant) quod inter se implicentur masculinus atque fœmininus numerus: eodem modo etiam Gameliam, & Androgyniam*. Et quod Γαμηλίαν, *Nuptialem*, attinet, nulla alia de causa etiam Γάμος, *Matrimonium*, vocabatur. Anonym. Η πεντὰς πρώτη περιέλαβε τὸ τοῦ παντὸς ἀριθμοῦ εἶδος· ἤτοι τὰ δύο τὸν πρῶτον ἄρτιον. καὶ τὰ τρία, τὸν πρῶτον περιττόν. διὸ καὶ Γάμος καλεῖται, ὡς ἐξ ἄρρενος, καὶ θήλεος. *Quinarius primus complectitur omnis numeri speciem; & binarium, primum parem & ternarium, primum imparem: unde item nomen illi Matrimonium : tanquam, qui ex viro, atque fœmina, constet*. Plutarch., *de* Εἰ *apud Delphos* : Τὰ δὲ πέντε γεννᾶται τούτων πρὸς ἀλλήλους μιγνυμένων. εἰκότως ἔσχηκε τιμὴν, πρῶτος ἐκ πρώτων ἀποτελούμενος. καὶ Γάμος ἀπονόμασται τῇ τοῦ ἀρτίου πρὸς τὸ θῆλυ, περιττοῦ δὲ αὖ πρὸς τὸ ἄρρεν ὁμοιότητι. *Quinarius vero ex his inter se mixtis nascitur: ac merito honorem est nactus, utpote primus ex primis confectus : diciturque Matrimonium, ob paris cum fœmina, imparis cum mare similitudinem*. Ac non ita multo post: Ως οὖν ἄρρενος τοῦ πρώτου καὶ θήλεος ὁμοιότητι τὰ πέντε γινόμενα Γάμον οἱ Πυθαγόρειοι προσεῖπον. *Proinde quinarium Pythagorici, ob similitudinem congressus primi maris, ac fœminæ, Matrimonium appellarunt*. Alexander Aphrodis. *in Metaphysica majora*: *Quinarium vero appellabant (Pythagorici) Matrimonium, quia id est maris & fœminæ conjunctio : cum autem impar numerus istis sit mas, par vicissim fœmina, hic primus ex primo numero pari, id est, duobus, & primo impari, id est, tribus, gignitur*. Atque huc respexit Philoponus, *in Metaphys. lib.* XIII. *Pythagorei vero de Tempore, Justitia, & Matrimonio, quæ in numeris conspiciebant, definierunt*. Quamquam possit ad binarium etiam referri, aut senarium : nam uterque ille numerus, uti suis locis dico, hunc in modum appellabatur. Sed de quinario item clare Protospathar. *in citatos Hesiodi Dies* : Ο γὰρ πέντε Γάμος λέγεται· ἐκ γὰρ ἀρτίου τοῦ δύο, καὶ περιττοῦ τρία, συνέστηκεν. *Nam quinarius Matrimonium appellatur ; quippe, e binario pari, & ternario impari, constat*. Denique illuc referendus Plutarchi locus, in *Romanis Quæstionibus* : Τοῦ δὲ περιττοῦ μάλιστα Γαμήλιος ἡ πεντάς ἐστι· τὰ γὰρ τρία πρῶτος περιττὸς, καὶ τὰ δύο πρῶτος ἄρτιος. ἐκ δὲ τούτων, ὥσπερ ἄρρενος καὶ θήλεος, ἡ πεντὰς μέμικται. *Inter imparem vero numerum omnium maxime Matrimonio congruit quinarius; nam ternarius primus est impar, ac binarius primus par: ex istis vero, tanquam mare atque fœmina, mixtus est quinarius*. Κυκλοῦχος, *Circulorum præses*. Huc referenda ista Martiani Capellæ, ubi de eo numero agit, *lib.* VII. *Hunc numerum quis neget esse diametrum? nam decadis perfectio, circulusque, hujus hemisphærio dissecatur*. Αμίθεος, & Διδυμαία, *Semideus*, & *Gemina*, etiam Anonymo memorantur, nisi quod Ημίθεος, & Δίδυμος, *Semideus*, & *Geminus*, illic scribatur: Καὶ Ημίθεος, οὐ μόνον ὅτι τῆς δέκα, θείου ὄντος ἡμίσειά ἐστιν, ἀλλὰ καὶ, ὅτι ἐν τῷ ἰδίῳ διαγράμματι ἐν τῷ κατὰ μέσον ἐτέτακτο. καὶ Δίδυμος δὲ, ὅτι τὴν δεκάδα διχάζει, ἀδίχαστον ἑτέρως οὖσαν. *Ac Semideus appellatur, non duntaxat quod denarii, qui divinus, sit dimidium, verum etiam, quod in propria forma sua in medio sit constitutus. Geminus vero, quod denarium, alias inseparabilem in duo dividat*. Αμβροτος, & Παλλὰς, *Divinus*, & *Pallas*, itidem sunt apud Anonymum : nisi quod male Αμετρος, *Mensura carens*, illic legatur. Restituo, Αμβροτον δὲ, καὶ Παλλάδα, κατ' ἔμφασιν τῆς πέμπτης οὐσίας καλοῦσιν. *Divinum vero vocant, & Palladem, ad indicandam quintam essentiam*. Pro Κρεδεάτην, apud Photium, alia lectio Κραδεάτην repræsentat : sed scribendum, Κραδιάτιν, sive etiam, Καρδιάτιν, *Cordialem*. Ita rectius apud Anonymum, qui & causam appellationis tradit : Καρδιάτιν δὲ, (καλοῦσι) κατ' εἰκόνα τῆς ἐν τοῖς ζώοις καρδίας, μέσης τεταγμένης. *Cordialem vero, (vocant) juxta similitudinem cordis, quod in medio animalia positum habent*. Præter ista, quod in Photio non occurrit, etiam Πρόνοια, *Providentia*, dicebatur. Anonymus : Διὰ δὲ τὸ ἰσοῦν τὰ ἄνισα, καὶ Πρόνοιαν ὀνομάζουσι, καὶ Δίκην. *Quia vero inæqualia æquet, cum Providentiam appellant, tum Justitiam*. Præterea, Τροφὸς, *Sonus*. Plutarchus, lib. *de animæ procreatione* e Timæo : Τούτων γὰρ τῶν ἀριθμῶν οἱ Πυθαγορικοὶ, τὰ μὲν πέντε, Τροφὸν, ὅπερ ἐστὶ φθόγγον, ἐκάλουν. οἰόμενοι, τῶν τοῦ τόνου διαστημάτων πρῶτον εἶναι φθεγκτὸν τὸ πέμπτον. *De his enim Pythagorici quinarium* Τροφὸν, *id est, sonum, appellaverunt ; rati, de tonorum intervallis, quod sonare possit, primum esse quintum*. Denique & Φύσις, *Natura*. Idem Plutarchus, *de* Εἰ *apud Delphos* : Ως οὖν ἄρρενος τοῦ πρώτου καὶ θήλεος ὁμοιότητι τὰ πέντε γινόμενα Γάμον οἱ Πυθαγόρειοι προσεῖπον. ἔστι δὲ ᾗ καὶ Φύσις λέλεκται, τῷ περὶ αὐτὸν πολυπλασιασμῷ πάλιν εἰς ἑαυτὸν περαίνων. ὡς γὰρ ἡ φύσις, λαβοῦσα πυρὸν ἐν σπέρματι, καὶ χεαμένη, πολλὰ μὲν ἐν μέσῳ φύει σχήματα, καὶ εἴδη, δι' ὧν ἐπὶ τέλος ἐξάγει τὸ ἔργον, ἐπὶ πᾶσι δὲ πυρὸν ἀνέδειξεν, ἀποδοῦσα τὴν ἀρχὴν ἐν τῷ τέλει τοῦ παντός. οὕτω τῶν λοιπῶν ἀριθμῶν ὅταν αὐτοὺς πολλαπλασιάζωσιν εἰς ἑτέρους τελευτώντων τῇ αὐξήσει,

μόνος ὁ τῶ πέντε καὶ ἐξ γενόμενος, τοσαυτάκις αὐτοὺς ἀναφέρουσι, καὶ ἀνασώζουσιν. *Proinde quinarium Pythagorici ob similitudinem congressus primi maris, atque fœminæ, Matrimonium appellarunt. Idem etiam Natura dicitur, quod sui multiplicatione in se redit: sicut enim natura triticum in semine accipiens, multas alterando eo mutandoque formas interim inducens, tandem triticum reddit, in fine totius mutationis Principium restituens; ita cum reliqui numeri in se multiplicati, incremento facto, in alios desinant, soli quinarius & senarius, in se ducti, seipsos referunt, & conservant.* Macrob. in *Somn. Scip.* lib. I. c. VI. ubi de quinario agit: *Hic ergo numerus simul omnia & supera, & subjecta, designat; aut enim Deus summus est; aut* MENS *ex eo nata, in qua species rerum continentur; aut* MUNDI ANIMA, *quæ animarum omnium fons est; aut cœlestia sunt usque ad nos: aut terrena* NATURA *est; & sic quinarius rerum omnium numerus impletur.* Ubi observa, alia quoque ejus nomina extitisse; uti Θεός, Νοῦς, & Κόσμου ψυχή, quæ Latinæ Macrob. protulit, *Deus*, *Mens*, & *Mundi anima*.

CAP. VIII.

Senarius, perfectus admodum; atque generationi maxime aptus: ideoque Veneri sacer, cui etiam ob hanc caussam die sexto sacra sua faciebant. Sextus dies proprius Dianæ erat, quia illa hunc natalem sibi habebat. Senarius Latinis Uncia, *Græcis vero plurimis nominibus dictus; inter quæ,* Εἶδος εἴδους. Διάρθρωσις τοῦ παντός. Ψυχοποιός. Ἁρμονία. *Forma formæ. Articulatio universi. Animæ effector. Harmonia. Anonymi Theologumena restituta.* Οὐλομέλεια. Ἀφροδίτη. Ζυγία. Γαμηλία, *sive* Γάμος. Ἀνδρογυναία, *sive* Ἀρρενόθηλυς. Ζυγῖτις. Φιλοτησία, *sive* Φιλίωσις. Εἰρήνη. Φιλία. Ὑγεία. Ἀκμων. Ἀλήθεια. Λάχεσις. Ἀρχή. Ἥμισυ παντός. Ἑκατηβελέτις. Τριοδῖτις. Διχρονία. *Perfectio partium. Venus. Juga. Nuptialis, sive Nuptiæ. Virofœmina, sive Virofœmina. Jugalis. Illecebra. Pax. Amicitia. Sanitas. Incus. Veritas. Lachesis. Initium. Dimidium totius. Longe jaculans. Trivia. Bitemporea. Anonymus iterum emendatus.* Περσεία. Τρίμορφος. Ἀμφιτρίτη. Ἀγχιδίκη. Θάλεια. *Persia. Triformis. Amphitrite. Anchidice. Thalia. Anonymus tertium correctus.* Πανάκεια. Μεσίδυς. Κόσμος. *Panacea. Medirectus. Mundus.*

SENARIUS, perfectus esse censebatur, qui partibus suis impleretur Martianus Capella *lib.* VII. *Senarium autem perfectum analogicumque esse, quis dubitet, cum suis partibus impleatur? Nam & sextam sui intra se continet, quod est unus; & tertiam, quod duo; & medietatem, quod tria.* Cassiodorus, lib. *De Amicitia: Senarius numerus, perfectus, constans ex partibus suis; si enim conjunxeris unum, duo, tria, perfectum habebis senarium.* Anonymus: Ἡ ἑξὰς πρώτη τέλειος. τοῖς γὰρ αὐτῆς μέρεσιν ἀριθμεῖται. *Senarius primus est perfectus; nam suis partibus numeratur.* Eulogius, in *Somn. Scip. Senarius vero, qui sequitur, numerus, potentem ac divinam naturæ suæ obtinet potestatem: siquidem* τέλειος *primus, id est, perfectus, etiam reperitur.* Philippus, Abbas Bonæ spei, *De silentio Clericorum*, cap. CXVI. *Senarius autem, quia ex suis partibus constat, perfectus appellatur: & ei primo hujusmodi perfectionis dignitas assignatur, quia nullus ante illum meruit obtinere, ut suæ partes ejus summam valeant adimplere. Dividitur enim in sex æqualiter unitates, in tres binarios, in duos ternarios: quoniam unitas, & binarius, & ternarius, qui sunt æquales partes senarii, si pariter conjungantur, eundem complent senarium, nec excedunt.* Nempe, ut Euclides ait, *lib.* VII. *definit.* XXII. Τέλειος ἀριθμός ἐστιν, ὁ τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσιν ἴσος ὤν. *Perfectus numerus est, suis partibus æqualis existens.* Plura de perfectione hujus numeri testimonia si quis volet, videat Origenem, *in Joannem*, ipso initio Tomi XXVIII. Macrobium, in *Somn. Scip.* lib. I. c. VI. & *Saturnal.* lib. VII. c. XIII. Plutarch. *Sympos.* IX. quæst. III. Censorinum, *De die natali*, cap. XI. Gregorium Nyssenum, in verba, *Faciamus hominem*, Orat. II. August. *De civit. Dei*, lib. XI. c. XXX. Philonem Judæum, *De opificio Hominis, & Allegoriarum legis*, lib. I. Pachymerium, *De V. vocibus*, c. II. Clementem, *Strom.* VI. Boethium, *Arithm.* lib. I. capp. XIX. & XX. Chalcidium, *in Timæum*, Rabanum Maurum, *De institut. Cler.* lib. III. cap. XXII. Procopium Gazæum, *in Genesim*, cap. II. & Nicetam, *in Gregorii Nazianzeni Orationem* XLII. Ac generationi quoque maxime aptus credebatur. Philo, *De mundi opificio*: Τοῖς γινομένοις, ἔδει τάξεως· τάξει δ' ἀριθμὸς οἰκεῖον· ἀριθμῶν δὲ, φύσεως νόμοις, γεννητικώτατος ὁ ἕξ. ὅ τε γὰρ ἀπὸ μονάδος πρῶτος τέλειός ἐστιν, ἰσούμενος τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσι, καὶ συμπληρούμενος ἐξ αὐτῶν· ἥμισυ μὲν τριάδος, τρίτη δὲ δυάδος, ἕκτη δὲ μονάδος· καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἄρρην τε καὶ θῆλυς πέφυκε, κἀκ τῆς ἑκατέρου δυνάμεως ἥρμοσται. *Rebus, quæ creabantur, opus erat ordine; ordini autem numerus est proprius; inter numeros vero, lege naturæ, aptissimus generationi est senarius: nam post unitatem primus est perfectus, ex suis partibus æquatus, atque ex iisdem completus; e dimidio quidem, ternario, tertia vero parte, binario, uti sexta, unitate; & ut ita dicam, mas simul, & fœmina, existit, atque viribus utriusque est concinnatus.* Censorinus, *cap.* XI. *Nec immerito Senarius fundamentum gignendi est: nam eum* τέλειον *Græci, nos autem perfectum vocamus: quod ejus partes tres, sexta, & tertia, & dimidia, id est, unus, & duo, & tres, eundem ipsum perficiunt.* Et ab ista causa nempe existimandum est, quod hunc Veneri attribuerint. Martianus Capella, *lib.* VII. *Hic autem numerus Veneri est attributus, quod ex utriusque sexus commixtione conficitur: id est, ex triade, qui mas, quod impar est, numerus habetur: & dyade, quæ fœmina, paritate; nam bis terni, hexas fit.* Itaque Pythagoras jubebat, sexto die mensis ei sacra facere. Jamblichus, *de Vita Pythagoræ*, lib. I. cap. XXVIII. Ἀφροδίτῃ δέ τι θυσιάζειν ἕκτῃ· διὰ τὸ πρῶτον τοῦτον ἀριθμὸν, πάσης μὲν ἀριθμοῦ φύσεως κοινωνῆσαι. κατὰ πάντα δὲ τρόπον μεριζόμενον, ὅμοιον λαμβάνειν τὴν τε τῶν ἀφαιρουμένων, καὶ τῶν καταλειπομένων, δύναμιν. *Veneri vero aliquid sacrificandum esse die sexto; quod hic numerus primus universæ numeri naturæ communicaverit: ac quocunque demum modo distributus, eorum, quæ vel auferuntur, vel quæ etiam relinquuntur, æqualem potestatem accipiat.* Ut vero in numeris Senarius Veneri consecratus, sic Dianæ sextus dies. Proclus, *in Timæum Platonis, lib.* III. Τὴν ἑβδόμην τοῦ θεοῦ ἱερὰν ἔλεγον, καθάπερ τὴν ἕκτην Ἀρτέμιδος. *Septimum diem Deo sacrum esse dicebant, uti & Dianæ sextum.* Causam video, quanquam ille minime indicet, quia nata eo die, mensis nempe Thargelionis, dea esset. Diogenes Laertius, in *Vita Socratis*, lib. II. Ἐγεννήθη δὲ Θαργηλιῶνος ἕκτῃ, ὅτε καθαίρουσι τὴν πόλιν Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν Ἄρτεμιν γενέσθαι Δήλιοι φασίν. *Natus autem est sexto die Thargelionis, quo Athenienses urbem lustrant, Dianamque natam esse Delii tradunt.* Latinis porro numerus senarius *Uncia* appellabatur. Cassiodorus, *Var.* lib. I. ep. X. *Senarium vero, quem non immerito perfectum docta Antiquitas definivit, Unciæ, qui mensuræ primus gradus est, appellatione signavit.* Plurimis nominibus Græci dixerunt. Photius in *Excerptis suis* e Nicomacho: Ἡ δὲ ἑξὰς, εἶδος εἰδῶν αὐτῷ αἰτιολογεῖται, καὶ τῇ ψυχῇ μόνος ἀριθμῶν ἁρμόζων, καὶ Διάρθρωσις τοῦ παντὸς, Ψυχοποιὸς, καὶ τῆς ζωτικῆς ἕξεως ἐμποιητική· παρὸ καὶ ἑξάς. καὶ Ἁρμονία, καὶ Οὐλομέλεια, καὶ εἰ-

ρωσ

ρίως αὐτὴ μᾶλλον Ἀφροδίτη, Ζυγία τε, καὶ Γαμηλία, καὶ Ἀνδρογυναία, θεολογεῖται. ἀλλὰ καὶ Ζυγῖτις, καὶ Φιλοτησία, καὶ Εἰρήνη, καὶ Φιλία, καὶ Ὑγεία, Ἄκμων τε, καὶ Ἀλήθεια. καὶ Μοιρῶν δὲ Λάχεσιν αὐτὴν ποιοῦσι, καὶ Ἀρχὴν, καὶ Ἥμισυ παντὸς, καὶ Ἑκατηβελέτιν, καὶ Τριοδῖτιν, καὶ Διχρονίαν, καὶ Περσείαν, καὶ Τρίμορφον, καὶ Ἀμφιτρίτην, καὶ Ἀγχιδίκαν, καὶ Μουσῶν Θάλειαν, καὶ Πανάκειαν. *Senarius ab illo forma formæ ratione reddita dicitur, & solus inter numeros animæ accommodus, atque universi Articulatio, Animæ effector, & qui vitalem habitum ingenerandi vim habet. Unde etiam senarius, Harmonia, ac Perfectio partium, & magis proprie ipsamet Venus, cum Juga, tum Nuptialis, & Androgynæa, Theologice ab eo constituitur. Jugalis ad hæc, & Illecebra, Pax quoque, Amicitia, Sanitas, Incus, ac Veritas. Et inter Parcas Lachesin faciunt, ac Principium, & Dimidium totius, tum Longe jaculantem, & Triviam, & Bitempoream, & Perseam, & Triformem, & Amphitriten, & Anchidicen, & inter Musas Thaliam, ac Panaceam.* Ex his, εἶδος εἴδους, Διάρθρωσις τοῦ παντὸς Ψυχοποιὸς, & Ἁρμονία, *forma formæ, Articulatio universi, Animæ effector, Harmonia,* etiam Anonymo commemorantur, in *Theologumenis suis*: Εἶδος οὖν εἴδους οὐκ ἂν διαμάρτοιμεν αὐτὴν ἡγούμενοι. τρόπον δ' ἕτερον διαρθρωτικὴ καὶ σωματικὴ σώματος ψυχὴ, καθάπερ ψυχικὸν εἶδος ἀμόρφου ὕλης· τῇ δὲ ψυχῇ τὸ παράπαν οὐδεὶς ἐφαρμόζειν δύναται μᾶλλον ἑξάδος ἀριθμός· οὐκ ἄλλος ἂν οὕτω Διάρθρωσις τοῦ παντὸς λέγοιτο, Ψυχοποιὸς ἱστάμενος· διεισκομένη καὶ τῆς ζωτικῆς ἕξεως ἐμποιητική, παρὸ ἑξάς. καὶ Ἁρμονία, ὅτι μὲν ἁρμονικὴ πᾶσα ψυχή. *Itaque si formam formæ eam esse arbitremur, nihil certe erravimus: quin alio modo anima vim corporis articulandi, & componendi habet, velut forma animalis materiæ informis: animæ vero nullus omnino numerus magis convenire potest, quam senarius: nec aliis itidem Articulatio universi, & Animæ effector, cum inveniatur vim habere ingenerandi habitum vitalem: unde etiam senarius nomen habet: tum etiam Harmonia, quod omnis anima sit harmonica.* Sic restituo eum locum, in quo hodie exciderunt ista verba, καὶ Ἁρμονία, *tum etiam Harmonia.* Οὐλομέλεια, *Perfectio partium.* Apud Anonymum, Ὁλομέλεια, *Perfectio omnium partium*, scribitur: Τὴν ἑξάδα Ὁλομέλειαν προσηγόρευον οἱ Πυθαγορικοὶ, κατακολουθοῦντες Ὀρφεῖ· ἤτοι παρόσον ὅλη τοῖς μέλεσιν, ἢ μέρεσιν, ἴση ἐστὶ μόνη τῶν ἐντὸς δεκάδος ἢ, ἐπειδὴ ὅλον, καὶ τὸ πᾶν, κατ' αὐτὴν διαμεμέρισται καὶ ἐμμελὲς ὑπάρχει. *Pythagorici, Orpheum imitati, senarium appellabant, Perfectionem omnium partium; sive quatenus, totus suis membris sive partibus, sit æqualis, solus eorum numerorum, qui consistunt intra denarium; sive quod totum, atque universum, secundum ipsum sit divisum, atque concinnum existat.* Ἀφροδίτη, *Venus.* Martianus Capella, *l.* VII. *Senarius harmonias ostenditur genuisse: quippe sex ad duodecim, est symphonia diapson: sex ad novem, hemiolos: sex ad octo, epitritos, id est, symphonia diaterasson: unde Venus, harmoniæ mater perhibetur.* Γαμηλία, *Nuptialis.* Anonymo Γάμος, *Matrimonium.* Ἀνδρογυναία, *Virofœmina*, vero, Ἀρρενόθηλυς, *Matrimonium*, dicitur. Ita ejus verba habent: Ἐξ ἀρτίου, καὶ περισσοῦ, τῶν πρώτων ἄρρενος καὶ θήλεος δυνάμει, καὶ πολλαπλασιασμῷ, γίνεται· διὸ καὶ Ἀρρενόθηλυς καλεῖται. ἔτι δὲ Γάμος καλεῖται, ὅτι αὐτὸς τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσίν ἐστιν ἴσος. γάμου δὲ ἔργον, τὰ ὅμοια ποιεῖν τὰ ἔγγονα τοῖς γονεῦσι. *Ex pari impari primis, mare, ac fœmina, potentia, & multiplicatione, fit senarius; unde etiam Virofœmina appellatur: ac præterea etiam Matrimonium dicitur, quod suis ipse partibus sit æqualis: est vero opus matrimonii, prolem parentibus similem facere.* Ac Γάμος quoque etiam Plutarcho dictus memoratur, l. *De animæ procreatione*, e Timæo: Καὶ ἔστιν ὁ μὲν ἕξ (ἀριθμὸς) τέλειος, ἴσος ὢν τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσι καὶ Γάμος καλεῖται, διὰ τὴν τοῦ πρώτου ἀρτίου, καὶ περιττοῦ, σύμμιξιν. *Ac senarius quidem numerum est perfectus, suis partibus æqualis existens; diciturque Matrimonium, ob primi paris, imparisque, mixtionem.* Et Clementi, *Stromat.* VI. Οἵ τε Πυθαγόρειοι ἐντεῦθεν, οἶμαι, ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου κατὰ τὸν προφήτην γενέσεως, τὸν ἓξ ἀριθμὸν τέλειον νομίζουσι, καὶ καλοῦσι τοῦτον καὶ Γάμον. ὡς γὰρ ὁ γάμος ἐξ ἄρρενος καὶ θηλείας γεννᾷ, οὕτως ὁ ἓξ ἐκ περισσοῦ μὲν τοῦ τρία, ἄρρενος ἀριθμοῦ λεγομένου ἀρτίου δὲ τοῦ δύο, θήλεος νομιζομένου, γεννᾶται. δὶς γὰρ τὰ τρία, γίνεται ὁ ἕξ. *Et Pythagorei hinc, ut arbitror, a mundi ortu, juxta prophetam, numerum senarium perfectum existimant, eumque etiam Matrimonium appellant: uti enim matrimonium generat ex masculo, & fœmina, sic senarius, ex ternario quidem impare, qui mas dicitur; & binario item pari, qui existimatur fœmina, generatur: nam bis tria fiunt sex.* Φιλοτησία, *Illecebra*, apud Anonymum Φιλίωσις, *Conciliatio*, dicitur: Φιλίωσιν οἰκείως κατονομάζουσιν. αὕτη γὰρ συμπλεκτικὴ ἄρρενος, καὶ θήλεος. *Conciliationem apposite nominant: quippe complectitur marem, & fœminam.* Εἰρήνη, *Pax*: Anonymus: Καὶ Εἰρήνη δὲ καλεῖται εἰκότως. *Merito vero etiam Pax appellatur.* Ὑγεία, *Valetudo.* Meminit quoque Anonymus. Ac dicebatur item hoc nomine triplex triangulus, qui alternatim inter se junctus, figuram quinquelinearem exhibeat: quo & tanquam symbolo inter suæ doctrinæ sodales utebantur. Lucianus, *Pro lapsu in salutatione admisso*: Ὁ μέν γε θεσπέσιος Πυθαγόρας, εἰ καὶ μηδὲν αὐτὸς ἡμῖν ἴδιον καταλιπεῖν, τῶν αὑτοῦ ἠξίωσεν, ὅσον Ὀκέλλῳ τῷ Λευκανῷ, καὶ Ἀρχύτᾳ, καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμιληταῖς αὐτοῦ, τεκμαίρεσθαι, οὔτε τὸ εὖ πράττειν προὔγραφεν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ὑγιαίνειν, ἄρχεσθαι ἐκέλευεν. ἅπαντες γοῦν οἱ ἀπ' αὐτοῦ, ἀλλήλοις ἐπιστέλλοντες, ὁπότε σπουδαῖόν τι γράφοιεν, ὑγιαίνειν εὐθὺς ἐν τῇ ἀρχῇ παρεκελεύοντο, ὡς καὶ αὐτὸ ψυχῇ τε καὶ σώματι ἁρμοδιώτατον, καὶ συνόλως ἅπαντα περιειληφὸς τἀνθρώπου ἀγαθά. καὶ τό γε τριπλοῦν αὐτοῖς τρίγωνον. τὸ δι' ἀλλήλων, τὸ πεντάγραμμον, ᾧ συμβόλῳ πρὸς τοὺς ὁμοδόξους ἐχρῶντο, Ὑγεία πρὸς αὐτῶν ὠνομάζετο. *Ac divinus quidem ille Pythagoras, tametsi ipse nihil proprium suorum scriptorum nobis relinquere voluerit, quantum tamen ex Ocello Lucano, & Archyta, cæterisque ejus discipulis, conjectura assequi datur, nec* Εὖ πράττειν, Bene agere, *in initio scribebat; sed ab* Ὑγιαίνειν, *quod est*, Valere, *exordiri jubebat. Itaque ejus sectatores, cum inter se literas darent, quoties serium aliquid scriberent, statim ab initio valere suos jubebant: tanquam id ipsum & animæ, & corpori maxime accommodatum foret, ac summatim hominis, bona universa comprehenderet. Præterea & triplex illorum triangulus, qui, alternatim inter se junctus, quinquelinearem figuram constituit, quo tanquam symbolo ad sodales suæ sectæ utebantur, Valetudo ab iis nominabatur.* Ἄκμων, *Incus.* Anonym. Ἐκάλουν δὲ αὐτὴν καὶ Ἄκμονα, τὴν οἷον ἀκάματον. ὅτι εὐλόγως τὰ τῶν κοσμικῶν στοιχείων ἀρχικώτατα τρίγωνα μετέχει αὐτῆς. καθ' ἕκαστον ἓξ ὑπάρχοντα, εἰ καθέτοις τρισὶ διανέμοιτο. *Vocabant vero ipsum etiam Incudem, qui sit quasi indefessus; quod potissimi elementorum mundi trianguli convenienter partem ejus habeant: singulaque, si distribuantur tribus perpendiculis, sex existant.* Ἑκατηβελέτις, Τριοδῖτις & Διχρονία, *Longe jaculans, Trivia & Bitemporea.* Anonym. Ἑκατηβελέτιν δὲ αὐτὴν καὶ Τριοδῖτιν, καὶ Διχρονίαν, πρὸ τούτοις ἐκάλουν. Ἑκατηβελέτιν μὲν ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν τριάδα, ἣν Ἑκάτην οὖσαν παρειλήφαμεν, βολήσασαν, καὶ οἷον ἐπισυντεθεῖσαν, ἀπογεννῆσαι αὐτήν. Τριοδῖτιν δὲ, τάχα παρὰ τὴν τῆς θεοῦ φύσιν εἰκὸς δὲ, ὅτι καὶ ἡ ἑξὰς τὰ τρία τῶν διαστάσεων κινήματα πρώτη ἔλαχε, διχόθεν πεπερασμένα ἀμφοτέραις καθ' ἕκαστον, παραστάσεσι. Διχρονίαν δὲ, παρὰ τὴν ἀπονέμησιν τοῦ παντὸς χρόνου, ἣν ἑξὰς τῶν ὑπὲρ γῆν καὶ ὑπὸ γῆν ζωδίων διατελεῖ. ἢ ὅτι τῇ τριάδι προσῳκειώθη ὁ χρόνος, τριμερὴς ὤν. διὰ δὲ δύο τριῶν, ἡ ἑξάς,

Longejaculantem autem illum & Triviam, & Bitempoream, ad hæc vocabant. Longejaculantem quidem, quia ternarius, quem Hecaten esse accepimus, jactus, & talis insuper appositus, generat illum. Triviam autem, fortasse propter deæ naturam: merito autem, quod & senarius tres intervallorum motus primus sortitus est, a duabus partibus finitos utraque per singula demonstratione. Bitempoream autem, propter divisas vices omnis temporis, quas signorum cœlestium quæ super terram & sub terra senarius perficit; aut quod ternario conveniens est tempus, triplex existens per bis tria senarius. Ita restituo eum locum, qui male hodie sic vulgatur, διὰ δὲ τριῶν, *per autem tria.* Neque enim tria simpliciter, sed bis tria, senarium faciunt. Ἀμφιτρίτη. Anonymus: Παρὰ δὲ τὸ αὐτὸ, καὶ Ἀμφιτρίτην ἐκάλουν αὐτὴν, ἀμφὶς ἑαυτῆς δύο παρέχουσαν τριάδας. *Eandem ob causam, etiam Amphitriten ipsum appellabant, quæ utrinque duos præbeat ternarios.* Ἀγχιδίκη. Anonymus: Τὸ δ᾽ Ἀγχιδίκης ὄνομα καθ᾽ ἁπλῆν ἔννοιαν προσήρμοζον αὐτῇ· ὅτι γείτων μάλιστα τῇ πεντάδι ἡ ἑξάς. *Nomen vero Anchidices, simplici notione illi adaptabant; quod quinario maxime vicinus sit senarius.* Observa causam. Senarius a Pythagoricis Ἀγχιδίκη dicebatur, quod quinario proximus esset: qui nimirum Δίκη, *Justitia*, ab ipsis vocabatur, ut ostendi capite antecedenti. Θάλεια. Corrupte, θήλεια, *fœmina*, apud Anonymum hodie editur: sed restituo, Θάλεια δὲ ἡ αὐτὴ, διὰ τὴν τῶν ἑτέρων ἁρμονίαν. *Thalia vero ipse dicitur, propter cæterorum concentum.* Πανάκεια. Anonymus: Καὶ Πανάκεια, διὰ τὰ περὶ ὑγείας προειρημένα εἰς αὐτήν. ἢ, οἷον Πανάρκεια, ἀρκετῶς κεχορηγημένη τοῖς μέρεσιν εἰς τὴν ὁλότητα. *Et Panacea, propter ea, quæ de valetudine ante in eum dicta: vel, tanquam Panarcea, Omnisufficientia, quasi partibus sufficienter ad totalitatem instructus.* Et hæc quidem ista nomina, quæ excerpsit e Nicomacho noster Photius: præter quæ & duo alia observavi; nempe Μεσόθυς, & Κόσμος, *Medirectus*, & *Mundus*. De priori est Clementis iste locus, *Strom.* VI. Οἵ τε Πυθαγόρειοι ἐντεῦθεν, οἶμαι, ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου κατὰ τὸν προφήτην γενέσεως, τὸν ἓξ ἀριθμὸν τέλειον νομίζουσι, καὶ Μεσόθυν καλοῦσι τοῦτον. διὰ τὸ μέσον αὐτὸν εἶναι τοῦ διθέος, τουτέστι δέκα, καὶ τῶν δύο. Φαίνεται γὰρ ἴσον ἀμφοῖν ἀπέχων. *Et Pythagorei hinc, ut arbitror, a mundi ortu, juxta prophetam, numerum senarium perfectum existimant; eumque etiam Medirectum appellant: quia medius sit recti, id est, decem, ac duorum: videtur enim æqualiter ab ambobus abesse.* De altero, sic Anonymus ait: Καὶ πολὺ πρότερον ἀπὸ τῆς διατάξεως τῆσδε (καλεῖται) Κόσμος. καὶ γὰρ ὁ κόσμος, καθάπερ ὁ ἓξ ἐξ ἐναντίων πολλάκις ὤφθη συνεστὼς καθ᾽ ἁρμονίαν. *Et multo ante ab ejusmodi constitutione vocatus est Mundus: quia mundus, ut etiam senarius, ex contrariis sæpe visus est constitisse secundum harmoniam.*

CAP. IX.

Septenarius inter plenos, & perfectos, collocatus: unde etiam vitalis partus septimestris creditus. Medicinæ quoque corporis attributus, & Apollini consecratus; uti septimus mensis dies, quod is illo natus esset: quare etiam is Ἑβδομαγενής, *septimo die natus, dictus. Joannes Protospatharius, item Proclus, emendantur. Plato plane, atque Apollo, septimo Thargelionis die natus. Summa autem in veneratione habitus: atque inde* Ἑπτὰς, *Septenarius, dictus, tanquam* Σεπτὰς, *Venerabilis. Virgo quoque, & matre carens, censebatur: atque istud qua de causa. Nomina ejus: & de his Anonymi locus restitutus.* Τύχη. Καιρὸς, *Fortuna. Occasio. Aristoteles illustratus.* Ἀθηνᾶ. Ἀγελεία, *sive etiam* Ἀγελείη, & Ἀγελαίη, *Pallas. Prædatrix, quod Minervæ quoque epitheton. Hesychius correctus. Anonymi locus varie interpolatus.* Ἀτρυτώνη. Φυλακῖτις, *Atrytone. Capta. Anonymus iterum emendatus.* Ὀβριμοπάτρα. Τριτογένεια. Γλαυκῶπις. Ἀλαλκομένεια. Παντευχία. Ἐργάνη. Πολυαρήτη. Οὐλομέλεια. Ἀμαλθείας γένος, *sive potius*, Ἀμαλθείας κέρας. Αἰγίς. Ὄσιρις. *Valido patre nata. Tritogenia. Cæsiocula. Alalcomenia. Panteuchia. Ergana. Multis precibus expetita. Perfecta omnium partium. Amalthea stirps, vel Amaltheæ cornu. Ægis. Osiris. Ægyptii Sacerdotes septem vocalibus Deos suos celebrabant.* Ὄνειρος. Φωνή. Αὐδή. Κλειώ. Κρίσις. *Somnium. Vox. Sonus. Clio. Judicium. Anonymus tertium restitutus.* Ἀδράστεια. Τελεσφόρος. *Adrastia. Ad finem perducens.*

SEPTENARIUS inter plenos, & perfectos, habebatur. Alexander Aphrodiseus, *Probl.* lib. II. qu. XLVII. Ὁ ἑπτὰ ἀριθμὸς τέλειός ἐστι τῇ φύσει, ὡς μαρτυρεῖ Πυθαγόρας, καὶ οἱ ἀριθμητικοὶ, καὶ οἱ μουσικοί. *Numerus septenarius est perfectus natura; ut testatur Pythagoras, & Arithmetici, ac Musici.* Cicero, in *Somnio Scipionis*: *Sed ejus temporis ancipitem video quasi fatorum viam: nam cum ætas septenos octies solis anfractus reditusque converterit; duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint; in te unum, atque in tuum nomen se tota convertet civitas.* Et mox iterum: *Septem efficiunt distinctos intervallis sonos.* Et huc referunt, quod partus septimestris sit vitalis. Julius Paulus *Recept. Sentent.* lib. IV. tit. IX. *Septimo mense natus, matri prodest. Ratio enim Pithagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno, aut decimo mense, partus maturior videatur.* Quo pertinent ista Fulgentii lib. *de cont. virg.* *Cum septem navibus evadet: quo ostendatur, secundum Arithmeticam numerum septenum harmonicum esse partui.* Multa in hanc rem affert Alexander, *loco citato*, paullo post: Ὅτι δὲ τέλειος ὁ ἑπτὰ φύσει ἀριθμὸς, δῆλον ἐκ τοῦ διοικεῖν τὸν θεὸν τὸν περίγειον κόσμον ἑπτὰ ἄστροις. ἑπταμηνιαῖα γὰρ τὰ βρέφη, τοὺς ὀδόντας ἀναφέρει· ἑπταετῆ γὰρ ἀποβάλλει· δὶς ἑπτὰ γὰρ, ἡβάσκει· τρὶς ἑπτὰ γὰρ ἀνδροῦνται. καὶ τὰ νοσήματα γὰρ ἀναλόγως τῷ ἑπτὰ ἀριθμῷ κρίνεται. ὁμοίως καὶ ἡ σελήνη τῷ ἑπτὰ ἀριθμῷ σχηματίζεται ἑβδομάσι γὰρ καὶ ὁ μὴν διατυποῦται· ἑπτὰ δὲ καὶ τὰ φωνήεντα. *Numerum septenarium natura perfectum esse constat ex eo, quod deus terrarum orbem septem astris regat. Homini septimo mense dentes prodeunt; septimo anno ejiciuntur; bis septimo, idem pubescit; ter septimo, vir fit: morbi quoque, eodem modo, septenario numero judicantur: ac luna itidem per septenarium formatur; mensis quoque per septenarios constituitur: ac vocales septem existunt.* Censorinus, *De die natali*, c. VII. *In omnibus numerus septenarius plurimum potest. Siquidem septem formemur mensibus, additisque alteris, recti consistere incipiamus, & post septem menses, dentes nobis innascantur, iidemque post septimum cadant annum, quarto decimo autem pubescere soleamus.* Ac mox iterum, *c.* XIV. *Ex iis omnibus proxime videntur accessisse naturam, qui hebdomadibus humanam vitam emensi sunt: fere enim post septimum quemque annum, articulos quosdam, & in his aliquid novi, natura ostendit: ut & in Elegia Solonis cognoscere datur: ait enim, in prima hebdomade dentes homini cadere, in secunda pubem apparere, in tertia barbam nasci, in quarta vires, in quinta maturitatem ad stirpem relinquendam, in sexta cupiditatibus temperari, in septima prudentiam linguamque consummari, in octava eadem manere, in qua alii dixerunt oculos albescere, in nona omnia fieri languidiora, in decima hominem fieri morti maturum.* Multa quoque in hanc rem est observare apud Anonymum, in *Theologumenis suis Arithmeticis*, capite, *De septenario*, Philonem, *De opificio mundi*, Chalcidium, *in Timæum*, Macrobium, in *Somn. Scip.* lib. I. cap. VI. A. Gellium, *lib.* III. *cap.* X Martianum Ca-

pellam, *lib.* VII. Justinum Martyrem, *Quæst.* LXIX. & Solonem, in eo *Fragmento*, cujus initium est.

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος, ἕρκος ὀδόντων
Φύσας, ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν,

Puer quidem impubes adhuc infans, septum dentium
Producens, ejicit primum in septem annis.

Medicinæ quoque corporis attributum, & Apollini sacrum esse, existimabant. Censorin. *cap.* XIV. *Plerique, aliter moti, duos istos numeros subtiliter discreverunt, ut dicentes, septenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere: hunc, Medicinæ corporis, & Apollini, attributum; illum, Musis; quia morbos animi, quos appellant pathe, Musica lenire, ac sanare, consueverit.* Quod ad Medicinam attinet, eo pertinent ista verba Alexandri Aphrodisei, *loc. cit.* Καὶ τὰ νοσήματα δὲ ἀναλόγως τῷ ἑπτὰ ἀριθμῷ κρίνεται. *Morbi quoque eodem modo septenario numero judicantur.* Justinus Martyr, *Quæst.* LXIX. Ὁ ἀριθμὸς τῶν ἑπτὰ τὴν αὔξησιν, καὶ τὴν λῆξιν, τῶν ἀνθρώπων ἐργάζεται· καὶ τῶν νοσημάτων ποιεῖται διάκρισιν. *Numerus septenarius in hominibus, incrementum, atque decrementum, efficit: & morborum dijudicationem facit.* A. Gellius, *lib.* III. *c.* X. *Discrimina etiam periculorum in morbis majore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero septenarii: eosque dies omnium maxime, ita ut Medici appellant,* κριτικοὺς, ἢ κρισίμους, *cuique videri.* Corrigendus est Joannis Protospatharii locus *ad Hesiodi Dies*: Ἡ ἑβδόμη ἡμέρα καὶ παρὰ τοῖς ἰατροῖς κρισίμη καθέστηκεν. ἐν ταύτῃ γὰρ κρίνουσι τὰ νοσήματα. *Septimus dies etiam apud Medicos est decretorius: quia in eo de morbis judicium ferunt.* Non recte hodie editur, παρὰ τοῖς ἰατροῖς χρησίμη καθέστηκεν, *apud Medicos utilis est.* Apollini vero esse, ut & septimum mensis diem, quia eo natus esset, Proclus nobis tradit, *in Timæum*, *lib.* III. Καὶ τῷ Ἀπόλλωνι τὴν ἑπτάδα ἀνεῖσαν, ὡς συνέχοντι πάσας τὰς συμφωνίας· διὸ καὶ Ἑβδομαγέταν ἐκάλουν τὸν θεὸν, καὶ τὴν ἑβδόμην τοῦ θεοῦ ἱερὰν ἔλεγον.

Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Et Apollini septenarium dedicarunt, veluti qui concentus omnes contineret; unde & Hebdomagetam vocabant deum, diemque septimum illi sacrum esse dicebant;

Hac enim Apollinem auriensem peperit Latona.

Sed legendum ibi potius, διὸ καὶ Ἑβδομαγένην ἐκάλουν, *quapropter etiam Hebdomagenam vocabant.* Quia nimirum septimo die natus esset. Et ita est apud Plutarch. *Sympos.* lib. VIII. c. I. Ἑβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζουσι, καὶ τὸν θεὸν, (Ἀπόλλωνα) ὡς ταύτῃ γενόμενον. ὑμεῖς, εἶπεν, οἱ προφῆται, καὶ οἱ ἱερεῖς, Ἑβδομαγένην καλεῖτε. *Utrumque festum in diem septimum incidit: & vos vates, atque sacerdotes, inquit, deum, (Apollinem) ut ea die natum, Hebdomagenam appellatis.* Ac videndus idem iterum, *lib.* IX. *cap.* IV. De Apolline, septimo mensis die nato, est & alter Procli locus, *ad Hesiodi Dies*: Ἡ δὲ ἑβδόμη, ἱερὰ Ἀπόλλωνος· ἐν αὐτῇ γὰρ ἐτέχθη. *Septimus vero dies, sacer est Apollini: quia ille eo natus.* Ac meminit Diogenes Laertius; qui Thargelionem quoque mensem nominat: & Platonem eodem item natum dicit. Locus exstat in *Platone*, lib. III. Καὶ γίνεται Πλάτων, ὡς φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, ὀγδόῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ· καθ' ἣν Δήλιοι τὸν Ἀπόλλωνα γενέσθαι φασί. *Ac nascitur Plato, ut refert Apollodorus in Chronicis, Olympiade octogesima octava, Thargelionis die septimo: quo Apollinem Delii natum esse dicunt.* Summa autem in veneratione habebatur. Apulejus, *Miles.* XI. *Confestimque, discussa pigra quiete, alacer exsurgo; meque protinus, purificandi studio, marino lavacro trado: septiesque submerso fluctibus capite quod eum numerum præcipue religionis aptissimum divinus ille Pythagoras prodidit, lætus, & a-*

A *lacer, deum præpotentem lachrymoso vultu sic apprecabar.* Inde etiam Ἑπτάδα, *Septenarium*, veluti Σεπτάδα, dici cupiebant. Photius, in *Excerptis* e Nicomacho: Ἡ δὲ ἑπτὰς τί ἄν τις καὶ εἴποι; εὐθὺς μὲν γάρ ἐστι Σεπτάς. κἂν τὸ Σ φθείρει ἡ συνήθεια, ἕλκει τοῦτο ῥᾷστα ἐκ διπλοῦ τοῦ Ξ ὅπερ τῷ πρὸ αὐτοῦ ἀριθμῷ ἡ φύσις πρὸς τῷ τέλει ἀπεκλήρωσεν· ἵν' ᾖ τοῦτο ἐπιχείρημα τῷ σεβαστῷ ἀριθμῷ πρὸς τὴν ἐπιβουλὴν τὴν ἀπὸ τῶν πολλῶν. τοιαύτη μὲν ἡ ἀπόδειξις θαυμαστὴ, ὥς ἐστιν οὕτω Σεπτὰς, καὶ σεβασμοῦ ἄξιος ὁ ἑπτά. *Jam heptas, quid dicas? confestim fit Septas: ac si consuetudo exterat Σ. trahit hoc facillime ex duplici litera Ξ. quam ipsa natura ad præcedentis numeri finem veluti*
B *ti sorte attribuit; ut hæc adminiculo adversus vulgi insidias venerando numero esset. Atque hæc admiranda illa demonstratio est, quia ita existere docet vocem Σεπτὰς, ut & numerum septenarium veneratione dignum.* Macrobius in *Somn. Scip.* lib. I. cap. VI. *Hic numerus ἑπτὰς nunc vocatur, antiquato usu primæ literæ: apud Veteres enim Σεπτὰς vocitabatur, quod Græco nomine testabatur venerationem debitam numero.* Etymologici Auctor: Ἑπτὰς, ἀπὸ τοῦ Σέβω, Σεπτάς τις οὖσα. ὡς θεία, καὶ ἀμήτωρ, καὶ παρθένος. *Septenarius a Σέβω, quod est, veneror, veluti Σεπτὰς, qui sit veneratione dignus: ceu divi-*
C *nus, & matre carens, atque virgo.* Idem tradit & Anonymus, in *Theologumenis suis*, & Nicetas, in *Gregorii Nazianzeni Orationem* XLIV. Virgo quoque, & matre carens, censebatur: quod nec gigneret ex se alium, neque genitus ipse esset. Oribasius, *in Hippocratis Aphorismorum lib.* II. *Aphor.* XXIII. *Septenarius numerus maxime versatur in Arithmetico numero, &, criticis diebus; quia in se continet parem, & imparem: & intra denarium solus neque generat, neque generatur, cum alii aut generent, aut generentur.* Nicetas, *in Gregorii Nazianzeni Orat.* XLIV. Μόνος τῶν ἐντὸς τῆς δεκάδος ἀριθμῶν οὔθ' ὑφ' ἑτέρου γεννᾶται, οὔτε ἕτερον γεννᾷ. καὶ οἱ ἀριθμητικοὶ παρθέ-
D νον λέγουσι τὴν ἑπτάδα. *Solus hic numerus, eorum qui intra denarium sunt, nec ab alio gignitur, neque alium gignit; Arithmeticique virginem appellant septenarium.* Hierocles *in Aurea Carmina*: Ἡ δὲ ἑβδομὰς, ὡς ἀμήτωρ, καὶ παρθένος, τὴν τῆς μονάδος ἀξίαν δευτέρως ἔχει· οὔτε γὰρ γεννᾶται ἐξ ἀριθμοῦ τινὸς τῶν ἐντὸς δεκάδος, οὔτε γεννᾷ τινα. *Septenarius vero, tanquam matre carens, atque virgo, unitatis dignitatem habet secundario; non enim ab ullo numero gignitur, qui denario contineatur, neque alterum quenquam gignit.* Philo, *De mundi opificio*: Μόνος δὲ, ὡς ἔφην, ὁ ἑπτὰ οὔτε γεννᾶν πέφυκεν, οὔτε γεννᾶσθαι. διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ μὲν ἄλλοι φιλόσοφοι τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξομοιοῦσι
E τῇ ἀμήτορι Νίκῃ καὶ παρθένῳ, ἣν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναφανῆναι λόγος ἔχει. οἱ δὲ Πυθαγόρειοι, τῷ ἡγεμόνι τῶν συμπάντων. Τὸ γὰρ μήτε γεννῶν, μήτε γεννώμενον, ἀκίνητον μένει. *Solus, ut dixi, septenarius nec natura gignit quicquam, neque gignitur: quam ob caussam alii quidem philosophi, numerum eum similem statuunt Victoriæ, matrem non habenti, atque virgini, quam prognatam e Jovis capite vulgo ferunt: at Pythagorici, universitatis principi. Etenim, quod neque gignitur, neque gignit, immotum manet.* Aretas, *in Apocalypsin*, *cap.* XX. de hoc ipso numero agens: Οὗτος ὁ ἀριθμὸς οὐκ ἐξ ἑτέρου ἀριθμοῦ, τῶν ἐντὸς τῆς δεκάδος, ἀποτίκτεται. *Hic numerus ex alio eorum,*
F *qui intra denarium sunt, non generatur.* Videndus item Clemens, *Strom.* VI. Chalcidius, loco uno, atque altero, & Anonymus, atque Etymologici Auctor, in *citatis* statim *verbis*. Nomina ejus hæc a Photio, in Nicomachi *Excerptis*, referuntur: Τύχη, καὶ Καιρὸς, Ἀθηνᾶ, καὶ Ἄρης, καὶ Ἀκρέωτις, καὶ Ἀγελία, καὶ Ἀτρυτώνη, Φυλακῖτις, Ὀβριμοπάτρα, Τριτογένεια, Γλαυκῶπις, Ἀλαλκομένεια, Πανδαχία, Ἐργάνη, Πολυαρύτη, Οὐλομέλεια, Ἀμαλθείας γέρας, Αἰγὶς, Ὄσιρις, Ὄνειρος, Φωνὴ,

Αὐδὴ, καὶ Μουσῶν ἡ Κλειώ. εἰ βούλει δὲ, καὶ Κρίσις, καὶ Αδράστεια. *Fortuna, & Occasio, Minerva, Mars, Acreotis, Agelia, Atrytone, Capta, Valido patre nata, Tritogenia, Cæsiocula, Alalcomenia, Panteucbia, Ergana, Multis precibus expetita, Perfectio omnium partium, Amalthea stirps, Ægis, Osiris, Somnium, Vox, Sonus, ac de Musarum numero Clio. Si libet vero, etiam Judicium, & Adrastia.* Ex his Τύχη, Καιρὸς, Αθηνᾶ, Τριτογένεια & Φωνὴ, *Fortuna, Occasio, Minerva, Tritogenia,* & *Vox,* ab Anonymo memorantur, verum loco valde mutilo ac corrupto: quem proponam, ut restituam: Τί γὰρ δεῖ νῦν καὶ περὶ τῶν κλημακτήρων λεπτολογεῖν ἑβδοματικὸν μάλιστα παρὰ τοῖς ἀποτελεσματολόγοις δογματιζομένων, ὅτι Αθηνᾶν, καὶ Καιρὸν, καὶ Τύχην, τὴν ἑπτάδα ἐπωνόμαζον; Αθηνᾶν μὲν, ὅτι παραπλησίως τῇ μυθευομένῃ παρθένος τις καὶ ἄζυξ, ὑπάρχει. οὔτε ἐκ μητρὸς γεννηθεῖσα, ὅ ἐστιν ἀρτίου ἀριθμοῦ· οὔτε ἐκ πατρὸς, ὅ ἐστι περιττοῦ· πλὴν ἀπὸ κορυφῆς τοῦ πάντων πατρὸς, ὅπερ ἂν εἴη ἀπὸ τῆς τοῦ ἀριθμοῦ κεφαλῆς μονάδος. καί ἐστιν οἷον Αθηνᾶ ἀθήλωτός τις· θῆλυ γὰρ, ὁ διαιρετὸς ἀριθμός. Καιρὸν δὲ, ὅτι οὐ χρόνῳ μακρῷ τὰς ἐνεργείας ἀνυομένας ἐν ταῖς κρίσεσιν ἔχει· ὑγείαν, ἢ νόσον, ἢ εἰς γένεσιν, καὶ φθοράν. Τύχην δὲ, ὅτι παραπλησίως τῇ μυθευομένῃ Τύχῃ τὰ θνητὰ διέπει. ὅτι οὐ μόνον τῆς ἀνθρωπίνης φωνῆς, ἀλλὰ καὶ ὀργανικῆς, καὶ κοσμικῆς, καὶ ἁπλῶς ἐναρμονίου φωνῆς, ἑπτὰ ὑπάρχει τὰ στοιχειώδη φθέγματα. οὐ μόνον παρὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἑπτὰ ἀστέρων ἀφίεσθαι μόνα, καὶ πρώτιστα, ὡς ἐμάθομεν, ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ πρῶτον διάγραμμα παρὰ τοῖς μουσικοῖς ἑπτάχορδον ὑπέπεσε, ὅτι τριῶν ὄντων τῶν τῆς ψυχῆς εἰδῶν, ἢ μερῶν, φρονητικοῦ, θυμικοῦ, ἐπιθυμητικοῦ, τέσσαρες ἀρεταὶ καὶ τελειόταται, γίνονται καθάπερ τριῶν διαστημάτων τέσσαρες ὅροι ἐπὶ σωματικῆς διαυξήσεως. *Nam quid oportet de clemateris subtilius ratiocinari septenarium potissimum qui ab differentibus de genitura in stellis dogmate introducuntur, quod Minervam, & Occasionem, & Fortunam, septenarium cognominabant? Minervam quidem, quod similiter ut ficta virgo quædam & conjugii expers existit: nec ex matre nata, hoc est, pari numero: nec ex patre, hoc est, impari: sed ex vertice omnium patre, sicut hic ex numeri capite unitate: & ita est Minerva virilis quædam; fœminea autem, quæ divisibilis numerus. Occasionem autem, quia non longo tempore operationes perfectas in judiciis habet; salutem, an morbum, an in generationem, & corruptionem. Fortunam autem, quod similiter ut ficta Fortuna mortalia regit: quod non solum humanæ vocis, sed etiam organicæ, & mundanæ, & simpliciter concinnæ vocis, septem sunt elementorum soni: non solum quod a septem stellis emittuntur sola, & prima, ut didicimus, sed quod etiam primo diagrammati septem fides apud musicos contigerunt, quia cum tres sint animæ formæ, aut partes, prudens, an mosa, desiderativa, quatuor virtutes & perfectissimæ, fiunt sicut trium intervallorum quatuor termini in corporali augmento.* Ubi initio sic legendum, Περὶ τῶν κλιμακτήρων λ. λ. ἑβδοματικῶν, *De climacteribus s. r. septenariis:* deinde post τὴν Τύχην, *& Fortunam,* inferendum, καὶ Φωνὴν, καὶ Τριτογένειαν, *& Vocem, & Tritogeniam:* nam istorum quinque nominum septenarii, rationem sibi reddendam Auctor ipse proponebat: quod & ordine suo fecit; quanquam etiam duo illa, Φωνὴ & Τριτογένεια, uti isthic, ita infra suis locis exciderunt; itaque post τὰ θνητὰ διέπει, *mortalia regit,* repone omnino, φωνὴν δὲ, ὅτι οὐ μόνον, *vocem autem, quod non solum:* &, post ἑπτάχορδον ὑπέπεσε, Τριτογένειαν δὲ, ὅτι τριῶν ὄντων, *septem fides contigerunt, Tritogeniam autem, quod cum tres sint.* Nullus aliter judicabit, nisi qui judicio caret: nam subjuncta utrobique verba clare satis id evincunt. Sed de iis singulatim nunc agamus. Primo autem, in Nicomachi *Excerptis* apud Photium, occurrit Τύχη, *Fortuna:* de quo nomine hunc in modum etiam Anonym. Τοιγαροῦν Τύχη τε, ὡς πᾶσι παρεπομένη τοῖς ἀποβαίνουσιν, ὀνομάζεται. *Itaque & Fortuna dicitur, ceu quæ accidentia omnia comitetur.* Iterum: Διὰ τὸ οὖν τυχαίως, καὶ ἐπὶ καίριόν τινα τρόπον, ἀπαντᾶν, καὶ ἀποκρίνεσθαι, ἕκαστα τὴν τῆς ἑβδόμης χώραν, Καιρὸν αὐτὴν, καὶ Τύχην, ἐπωνόμαζον. *Quia vero fortuito, ac tempestive, occurrat, ac respondeat, ad singula locus septenarii, Occasionem ipsum, & Fortunam, cognominarunt.* Rursum, in *citato* paullo ante *loco,* & correcto: Αθηνᾶν, καὶ Καιρὸν, καὶ Τύχην, καὶ Φωνὴν, καὶ Τριτογένειαν, τὴν ἑπτάδα ἐπωνόμαζον. *Minervam, & Occasionem, & Fortunam, & Tritogeniam, septenarium cognominabant.* Ac postea, cum singulorum nominum rationem reddit, de hoc ait: Τύχην δὲ, ὅτι, παραπλησίως τῇ μυθευομένῃ Τύχῃ, τὰ θνητὰ διέπει. *Fortunam vero, quod, pariter ac Fortuna ea, de qua fabulantur, res mortalium administret.* Καιρὸς, *Occasio.* Habes etiam apud Anonymum, *locis* jam a me *productis,* quæ non repeto. Hesych. Καιρὸς, Χρόνος, ἢ τόπος, καίριος· ἢ ὁ τῶν ἑπτὰ ἀριθμός. *Occasio, tempus, aut locus, opportunus; aut etiam numerus septenarius.* Philo lib. *De die septimo:* Ενιοι δ' αὐτὴν Καιρὸν προσηγόρευσαν, ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν τεκμηράμενοι τὴν νοητὴν αὐτῆς οὐσίαν. Οσα γὰρ τῶν ἐν αἰσθητοῖς ἄριστα, δι' ὧν αἱ ἐτήσιοι ὧραι, καὶ τῶν καιρῶν αἱ περίοδοι, τεταγμένως ἐπιτελοῦνται, μετέσχηκεν ἑβδομάδος. *Nonnulli vero ipsum Occasionem appellarunt, ex sensibilibus conjecturam facientes de intelligibili ejus essentia. Quæcunque enim inter sensibilia optima sunt, per quæ anni tempora, eorumque circuitus, ordinate perficiuntur, septenarii partem habent.* Huc respexit Aristoteles, *majorum Metaphysicorum* cap. VII. ubi de Pythagoreis agit, eorumque circa numeros doctrina: Ετι δὲ πῶς δεῖ λαβεῖν, αἴτια μὲν εἶναι τὰ τοῦ ἀριθμοῦ πάθη, καὶ τὸν ἀριθμὸν, τῶν κατὰ τὸν οὐρανὸν ὄντων, καὶ γιγνομένων, καὶ ἐξ ἀρχῆς, καὶ νῦν· ἀριθμὸν δὲ ἄλλον μηδένα εἶναι, παρὰ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον, ἐξ οὗ συνέστηκεν ὁ κόσμος; ὅταν γὰρ ἐν τῳδὶ μὲν τῷ μέρει Δόξα, καὶ Καιρὸς, αὐτοῖς ᾖ, μικρὸν δὲ ἄνωθεν, ἢ κάτωθεν, Αδικία, καὶ Διάκρισις, ἢ Μῖξις· ἀπόδειξιν δὲ λέγωσιν, ὅτι τούτων μὲν ἕκαστον ἀριθμός ἐστι, &c. *Præterea quonam pacto sumere oportet, numeri quidem affectus, & numerum, causas eorum esse, quæ a principio, & nunc in cœlo sunt, atque fiunt; numerum autem nullum alium esse, præter hunc, ex quo mundus est constitutus? quando hac quidem in parte is illis est Opinio, & Occasio parum autem supra, aut infra, Injustitia, Dijudicatio, Mixtioque: idque eo demonstrent, quod eorum unumquodque numerus sit,* &c. Ad quem locum Alexander Aphrodiseus: *Pythagorici, quem ordinem numerus septenarius obtineret, hunc in mundo Occasioni assignabant: utique quoniam hunc numerum Occasionem esse censebant.* Joannes Philoponus, ibid. *Pythagorei, qui, dum volunt sapientiam suam occultam facere cerdonibus, symbolice tradiderunt disciplinas, dicebant unitatem, Mentem; binarium, Animam; ternarium, Opinionem; quaternarium, Corpus simpliciter; quinarium, corpus physicum, vel etiam Justitiam; senarium, Corpus animatum; septenarium, Occasionem: postquam luna, septem dies habens, quadrat totum tempus.* Vide etiam Johannem Protospatharium, *ad Hesiodi Dies.* Porro etiam dicebatur Αθηνᾶ. Anonym. Αθηνᾶν μὲν, (ἐπωνόμαζον τὴν ἑπτάδα) ὅτι παραπλησίως τῇ μυθευομένῃ, παρθένος τὶς, καὶ ἄζυξ, ὑπάρχει· οὔτε ἐκ μητρὸς γεννηθεῖσα, ὅ ἐστιν ἀρτίου ἀριθμοῦ, οὔτε ἐκ πατρὸς, ὅ ἐστι περιττοῦ. πλὴν ἀπὸ κορυφῆς τοῦ πάντων πατρὸς, ὅπερ ἂν εἴη, ἀπὸ τῆς τοῦ ἀριθμοῦ κεφαλῆς μονάδος. *Minervam quidem (septenarium cognomento appellarunt) quod, ut ea, de qua fabulæ commemorant, virgo quædam sit, & expers conjugii; neque nata ex matre, numero pari: neque ex patre, sive impari: sed ex vertice patris omnium unitatis.* Chalcidius, *in Timæum: Solus septenarius numerus neque ex duplicatione nascitur alterius alicujus, nec intra decumanum limitem parit quemquam. Propterea que Minerva est a Veteribus cognominatus;*

item, ut illa, sine matre, perpetuoque virgo. Eulogius in *Somn. Scip. Numerus septenarius Minervæ tribuitur, quæ ex Jovis capite, sine matris utero, procreata memoratur: videlicet, quod ad senarium, sapientem, convenientemque suis partibus, numerum, monas, quæ est caput numerorum, cum accesserit, septenarium creat, qui ab Arithmeticis Minerva dictus est, quod neque creatus ex duobus sibi similibus, neque procreare ipse alios potest, intra limitem primi versus.* Nec multo post: *Septimus, qui solus nec creatus ex binis unius generis numeris, nec ipse alium geminatus effundit: unde merito Minerva, sine matre virgo, sine procreatione, perhibetur.* Videndi quoque, qui idem tradunt, Philo, *De mundi opificio*, in citatis ante verbis, Martianus Capella, *l.* VII. Johannes Protospatharius, *in Hesiodi Dies*, Macrobius in *Somn. Scip.* l. I. c. VI. Alexander Aphrodiseus, *in Metaphys. l.* I. & Plutarchus, *De Iside & Osiride*. Etiam Αγελεία, *Prædatrix*, illis dicebatur: ac de eo quidem nomine, sic Anonymus: *Αγελεία μὲν λέγεται, ἀπὸ τοῦ συνειλῆσθαι, καὶ συνῆχθαι· ἑνοειδὴς τὴν σύστασιν αὐτῆς, ἐπείπερ παντοίως ἄλυτος, πλὴν εἰς τὸ ὁμώνυμον. ἢ ἀπὸ τοῦ πάντα ἀγαγέναι δι' αὐτῆς τὰ φυσικὰ ἀποτελέσματα εἰς τελείωσιν. ἢ μᾶλλον, ὃ καὶ Πυθαγορικώτερον, ἐπειδὴ καὶ Βαβυλωνίων οἱ δοκιμώτατοι, καὶ ὁ Στάνης, καὶ ὁ Ζορωάστης, ἀγέρας κυρίως καλοῦσι τὰς ἀστερικὰς σφαίρας. ἤτοι παρ' ὅσον τελείως ἄγονται περιόντι κέντρον μοναὶ παρὰ τὰ σωματικὰ μεγέθη. ἢ ἀπὸ τῶν σύνδεσμοί πως, καὶ συναγωγαὶ χρηματίζειν δογματίζεσθαι παρ' αὐτῶν τῶν φυσικῶν λόγων, ἃς ἀγέλους κατὰ τὰ αὐτὰ καλοῦσιν ἐν τοῖς ἱεροῖς λόγοις· κατὰ παρέμπτωσιν δὲ τοῦ γάμμα ἀγγέλους. διὸ καὶ τοὺς καθ' ἑκάστην τούτων ἀγγέλων ἐξάρχοντας ἀστέρας, καὶ δαίμονας, ὁμοίως ἀγγέλους καὶ ἀρχαγγέλους προσαγορεύεσθαι, οἵπερ εἰσὶν ἑπτὰ τὸν ἀριθμόν, ὥστε ἀγγελία κατὰ τοῦτο ἐτυμότατα ἡ ἑβδομάς. Prædatrix quidem dicitur, a cogendo, & congregando; uniformis quod ad compositum ejus, quandoquidem omnino non solubilis, sed idem significans: sive quia omnes naturales siderum effectus adducuntur per illum ad perfectionem: sive potius, quod & magis cum Pythagoreis convenit, postquam & Babyloniorum probatissimi, & Stanes, & Zoroastes,* ageras *proprie vocant siderales sphæras: sive quatenus perfecte ducuntur ac circumeunte centrum mansiones per corporales magnitudines. Sive ab colligationes quodammodo, & contractiones rogare dogmate introduci ab ipsis naturalibus locutionibus, quas* agelos *per hæc vocant in sacris locutionibus; per intercidentiam ἀγγέλους, hoc est, nuntios: quare etiam principes stellas per unamquamque horum nuntiorum, & dæmones, similes angelos & archangelos appellari, qui sunt septem numero, ut nuntium secundum hoc verissimus septenarius.* Quæ verba haud uno mendo infessa: ac initio rectius censeam, ἀγγελία, *nuntium*, ut in Photio est: quod confirmant etiam postrema ista, *ὥστε ἀγγελία κατὰ τοῦτο ἐτυμότατα ἡ ἑβδομάς, ut nuntium secundum hoc verissimus septenarius.* Aut certe si Αγελεία, *Prædatrix*, retinemus, statuendum nobis erit, quemadmodum Αθηνᾶ fuit appellatus septenarius, ita quoque isto ejus epitheto vocatum fuisse: uti etiam, quod apparet in sequentibus, Ατρυτώνη, Οβριμοπάτρα, Τριτογένεια, Γλαυκῶπις, Αλαλκομενία & Εργάνη. *Atrytone, Valido patre nata, Tritogenia, Cæsiocula, Alalcomenia & Ergane.* Fuisse autem Αγελείη, *Prædatrix*, inter epitheta Minervæ, docet Hesychius: Αγελείης, (ita illic obiter scribendum moneo, non Αγελείη) λαφυραγωγοῦ, καὶ ἡγουμένης τοῦ πολέμου. Αθηνᾶς τὸ ἐπίθετον. *Prædatricis, spoliatricis, & ducis belli. Minervæ epitheton.* Etymologici Auctor: Αγελείη: ἡ Αθηνᾶ, ἡ ἄγουσα λείαν ἀπὸ τοῦ πολέμου, ὅ ἐστι λαφυραγωγίαν. ἤτοι ἡ λαφυραγωγὸς Αθηνᾶ. ἤ, ὅτι ἡγεῖται λαῶν. *Prædatrix, Minerva, prædam agens ex bello, quod est spoliatio: sive spoliatrix Minerva; sive, quod dux est populorum.* Suidas: Αγελείη, ἡ Αθηνᾶ, ἡ ἀπὸ τοῦ ἄγειν λείαν, τουτέστι στρατιωτική. *Prædatrix, Minerva, quia agit prædam, hoc est militaris.* Idem est apud Homeri Scholiasten Anonymum, *ad Iliad.* δ'. & Eustathium, *ad Iliad.* δ'. κ'. ρ'. Atque istuc quidem obiter: nunc regredior ad Anonymi *Theologumena*, quæ sic porro emendanda: Καὶ Οστάνης, Ζωροάστρης, ἀγέλας κυρίως καλοῦσι τὰς ἀστερικὰς σφαίρας. ἤτοι παρ' ὅσον τελείως ἄγονται περὶ τὸ κέντρον. *Et Ostanes, & Zoroastres, agelas proprie vocant siderales sphæras: sive quatenus perfecte aguntur circa centrum.* Et mox: Ομοίως ἀγγέλους, καὶ ἀρχαγγέλους, προσαγορεύεσθαι, *similiter angelos, & archangelos nominari.* Sequitur inde Φυλακῖτις, *Capta*: cujus item mentio est apud Anonymum, verum itidem corrigendum: Μή τι δὲ καὶ Φυλακῖτις ἡ αὐτὴ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, οὐ γὰρ μόνον παρὰ τὸν τῶν φυλάκων ἀριθμόν, ἑπτ' ἔσονται ἡγεμόνες, ἀλλὰ καὶ ὅτι οἱ φυλάσσοντες τὸ πᾶν, καὶ ἐν συνοχῇ, καὶ αἰωνίῳ μονῇ, διακρατοῦντες τοσοῦτοί εἰσιν ἀστέρες. *Nunquid vero etiam Capta ex hoc ipso? non enim tantum præter numerum custodum septem erunt duces: verum etiam, quod stellæ, quæ custodiunt universum, retinentque in continuatione, ac perpetua mansione, tot sint numero.* Minus recte editur hodie, μή τι δὲ καὶ φυλακή τις ἡ αὐτή; *Nunquid vero etiam custodia quædam hæc ipsa?* Est deinde apud Anonymum, Αμαλθείας γένος, *Amalthææ stirps.* Puto, rectius fortasse scriptum iri, Αμαλθείας κέρας, *Amalthææ cornu*; quod ternario quoque nomen, uti supra est videre: & hujusmodi multa nomina pluribus numeris attributa, qui attendet, observabit. Τριτογένεια & Φωνή, *Tritogenia*, & *Vox*, itidem apud Anonymum occurrunt, in citatis paulo ante, & correctis a me verbis: Φωνὴν δὲ (τὴν ἑπτάδα) ἐπωνόμαζον, ὅτι οὐ μόνον τῆς ἀνθρωπίνης φωνῆς, ἀλλὰ καὶ ὀργανικῆς, καὶ κοσμικῆς, καὶ ἁπλῶς ἐναρμονίου φωνῆς, ἑπτὰ ὑπάρχει τὰ στοιχειώδη φθέγματα· οὐ μόνον παρὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἑπτὰ ἀστέρων ἀφίεσθαι μόνα, καὶ πρώτιστα, ὡς ἐμάθομεν, ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ πρῶτον διάγραμμα παρὰ τοῖς μουσικοῖς ἑπτάχορδον ὑπέπεσε. Τριτογένειαν δέ, ὅτι, τριῶν ὄντων τῶν τῆς ψυχῆς εἰδῶν, ἢ μερῶν, φροντικοῦ, θυμικοῦ, ἐπιθυμητικοῦ, τέσσαρες ἀρεταὶ τελειόταται γίνονται, καθάπερ τριῶν διαστημάτων τέσσαρες ὅροι ἐπὶ σωματικῆς διαυξήσεως. *Vocem vero (septenarium) cognomento vocabant, quod non solum humanæ vocis, sed & organicæ, & mundanæ, & simpliciter concinnæ vocis, septem sunt elementorum soni; non solum quod a septem stellis emittuntur sola, & prima, ut didicimus, sed quod primo diagrammati apud musicos septem fides contigerunt. Tritogeniam vero, quia, cum tres sint animæ formæ, aut partes, prudens, animosa, desiderativa, quatuor virtutes perfectissimæ fiunt, sicut trium intervallorum quatuor termini in corporali augmento.* Etiam Οσιρις dicebatur: atque huc referri potest, quod Ægyptii diis suis, inter quos Osiris erat, hymnos canebant septem vocalibus. Demetrius Phalereus, *De Elocut.* Εν Αἰγύπτῳ δὲ τοὺς θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχοῦντες αὐτά. καὶ ἀντὶ αὐλοῦ, καὶ ἀντὶ κιθάρας, τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ' εὐφωνίας. *In Ægypto autem & deos septem vocalibus sacerdotes laudant, deinceps ipsas sonantes: & pro tibia, ac pro cithara, literarum harum sonus auditus, ob suavitatem vocis.* Denique Κρίσις, *Judicium*, inter cætera vocabatur, quod de morbis die septimo Medici judicium ferrent. Photius, uti solet facere, contentus fuit solum nomen posuisse; sed Anonymus, rationem quoque dedit: nomen tamen illic excidit. Ecce enim, ita hodie vulgatur, Καλεῖται καὶ Τελεσφόρος· γόνιμα γὰρ τὰ ἑπτάμηνα. Εν νόσοις κρίσιμος ἡ ἑβδομάς. *Vocatur etiam ad finem perducens; vitales enim fœtus septem mensium. In morbis judicatorius septenarius.* Quis est qui vel paulum modo naris habeat, qui non videat, ex postremis illis verbis, mutilum hunc locum esse? neque enim ea ad nomen Τελεσφόρος, *Ad finem perducens*, quicquam pertinent. Omnino est restituendum, Καλεῖται καὶ

Τελεσφόρος· γόνιμα γὰρ τὰ ἑπτάμηνα, καὶ Κρίσις, ὅτι ἐν νόσοις κρίσιμος ἡ ἑβδομάς. *Vocatur & ad finem perducens; fœtus enim septem mensium, & Judicium, quod in morbis judicatorius est septenarius*, Ac, quod attinet ad præcedens, Τελεσφόρος, *Ad finem perducens*, ejus meminit etiam Philo, lib. *De mundi opificio*: Καλεῖται δ' ἡ ἑβδομὰς ὑπὸ τῶν κυρίως τοῖς εἰωθόσιν ὀνόμασι χρωμένων καὶ Τελεσφόρος· ἐπειδὴ ταύτῃ τελεσφορεῖται τὰ σύμπαντα. *Vocatur vero septenarius ab iis, qui consuetis nominibus proprie utuntur, etiam Ad finem perducens; quia eo omnia ad finem perducuntur*.

CAP. X.

Octonarius, primus cubus, & perfectus: quamquam alii imperfectum eum statuant. Vulcano sacer; vel, ut alii volunt, Neptuno: cui etiam octavus quisque dies mensis esse dedicatus credebatur. Πάντα ὀκτώ, *Omnia octo, proverbium; unde ortum. Stesichori sepulchrum.* Στησίχορος, *jactus, in talorum lusu. Nomina ejus* Παναρμονία. Καδμεία. Μήτηρ. Ῥέα. Θηλυποιός. Κυβέλη. Κυβήβη. *Panharmonia. Cadmea. Mater. Rhea. Mulierificu Cybele. Cybebe. Strabo correctus, & Hesychius.* Δινδυμήνη, *Dindymene. Photii locus emendatus: & Hesychii item alter.* Πολιοῦχος. Ἔρως. Φιλία. Μῆτις. Ἐπίνοια. Ὁσία. Θέμις. Ἠλιτόμηνα. Εὐτέρπη. *Urbis custos. Amor. Amicitia. Metis. Prudentia. Osia. Themis. Exterritinea. Euterpe. Anonymi locus restitutus.* Ἀσφάλεια. Ἑδρασμα. Δικαιοσύνη. Ποσειδῶν. *Securitas. Fundamentum. Justitia. Neptunus.*

OCTONARIUS, primus cubus. Anonymus, in *Theologumenis Arithmeticis* Τὴν ὀκτάδα πρῶτον ἐνεργείᾳ κύβον, καὶ μόνον ἐντὸς δεκάδος ἀρτιάκις ἄρτιον ἔφαμεν. *Octonarium primum actu cubum diximus, ac solum intra denarium pariter parem*. Clemens, *Strom.* IV. Ἡ δεκὰς δὲ ὁμολογεῖται παντέλειος εἶναι· ὁ δὲ ὀκτώ, κύβος ὁ πρῶτος. *Denarius est omnium confessione undiquaque perfectus; octonarius vero, primus cubus*. Eulogius. in *Somn. Scip. Octo, primus cubus*. Κύβον *Græci, nos Quadrantal dicimus*. Et mox: *Ne de primo cubo dicentes, ad alium transeamus: & fiat mutilantis subtilitatis assertio*. Martianus Capella *l.* VII. *Octonarius cubus ita omnium cuborum est primus, ut monas omnium numerorum*. Videndus quoque Plutarchus extremo *Theseo*, & *de Iside ac Osiride*. Locum utrumque mox citabo. Et perfectus. Martianus, *ibidem*: *At octonarius numerus primus cubus est & perfectus*. Macrobius, in *Somn. Scip.* l. I. c. V. *Qualiter autem octonarius numerus solidum corpus efficiat, ante satis probatum est: ergo singulariter quo plenus jure dicetur, propter corporeæ soliditatis effectum*. Et *l.* II. *c.* II. *A pari numero accessio usque ad octo, soliditas est corporis: ideo inter principia huic numero plenitudinem deputavit*. Cicero, in *Somn. Scip. Cum tua ætas septenos octies solis anfractus, reditusque converterit: duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint*. Alii tamen imperfectum statuebant: ideoque partum quoque octimestrem minime vitalem esse. Alexander Aphrodiseus, *Problem.* lib. II. quæst. XLVII. Διὰ τί τὰ ἑπταμηνιαῖα βρέφη ζώσιμα, τὰ δὲ ὀκταμηνιαῖα, οὐκέτι; ὅτι ὁ ἑπτὰ ἀριθμὸς τέλειός ἐστι τῇ φύσει, ὡς μαρτυρεῖ Πυθαγόρας, καὶ οἱ ἀριθμητικοί, καὶ οἱ μουσικοί. ὁ δὲ ὀκτώ, ἀτελής. *Quare pueri septimestres sunt vitales, octimestres vero, non item? quia numerus septenarius est perfectus, ut Pythagoras testatur, & arithmetici, musicique: octonarius autem, imperfectus*. Ac Vulcano sacer esse putabatur. Martianus Capella: *Octonarius primus cubus est, & perfectus, Vulcano dicatus*. Alii Neptuno eum proprium existimabant: eoque spectant hæc Plutarchi, in fine *Thesei*: Θυσίαν δὲ αὐτῷ ποιοῦσι τὴν μεγίστην ὀγδόῃ Πυανεψιῶνος, ἐν ᾗ μετὰ τῶν ἠϊθέων ἐκ Κρήτης ἐπανῆλθεν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ὀγδόαις τιμῶσιν αὐτόν, νομίζοντες, ἑτέρου μᾶλλον ἐκείνῳ προσήκειν τὸν ἀριθμὸν τοῦτον, ἐκ Ποσειδῶνος γεγονέναι λεγομένῳ. καὶ γὰρ Ποσειδῶνα ταῖς ὀγδόαις τιμῶσιν. ἡ γὰρ ὀγδοάς, κύβος ἀπ' ἀρτίου πρῶτος οὖσα, καὶ τοῦ πρώτου τετραγώνου διπλασία, τὸ μόνιμον, καὶ δυσκίνητον, οἰκεῖον ἔχει τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως. *Sacra illi maxima faciunt octavo Pyanepsionis, quod eo die cum juvenibus e Creta rediisset: sed & alias octavo quoque mensis die eum honorant, existimantes, numerorum hunc illi maxime convenire, qui Neptuno natus esse diceretur: & Neptunum octavo mensis die colunt: etenim cum primus cubus sit octonarius e pari, ac quadrati primi geminus, vim illius dei stabilem, neque facilem moveri, repræsentat*. Quin Ποσειδῶν, *Neptunus*, inde quoque vocabatur, ut mox dicam. Certe octavum mensis diem sacrum Neptuno fuisse, etiam testatur Proclus, *ad Hesiodi Dies*: Τὴν ὀγδόην τοῦ μηνὸς τοῦ Ποσειδῶνος ἱερὰν, ὡς ἐπὶ τρία διῃρημένην, πρώτην τῷ τριαινούχῳ θεῷ προσήκειν εἰκότως λέγουσι. *Octavum mensis diem, Neptuno sacrum, velut in tria divisum, primum deo tridentifero convenire merito dicunt*. Ad honorem octonarii, & perfectionem ejus, de qua paullo ante dixi, indicandam, illud etiam referendum, quod, si quæ perfecta esse, ac magnifica, dicere vellent, illa Πάντα ὀκτώ, *Omnia octo*, dicerent: orto proverbio a Stesichori sepulchro. Suidas: Πάντα ὀκτώ. οἱ μὲν Στησίχορόν φασιν ἐν Κατάνῃ ταφῆναι πολυτελῶς, πρὸς ταῖς ἀπ' αὐτοῦ Στησιχορείοις λεγομέναις πύλαις. καὶ τοῦ μνημείου ἔχοντος ὀκτὼ κίονας, καὶ ὀκτὼ βαθμούς, καὶ ὀκτὼ γωνίας. *Omnia octo. Quidam dicunt, Stesichorum Catanæ splendide sepultum, prope portam, ab ipsius nomine dictam Stesichoream: ipso monumento habente columnas octo, & octo gradus, & angulos octo*. Sed proverbii aliam causam mox subjungit: Οἱ δὲ, ὅτι Ἀλήτης, κατὰ χρησμὸν τοὺς Κορινθίους συνοικίζων, ὀκτὼ φυλὰς ἐποίησε τοὺς πολίτας, καὶ ὀκτὼ μέρη τὴν πόλιν. *Quidam vero tradunt, quod Haletes, cum Corinthios jussu oraculi in unam civitatem cogeret, octo civium tribus fecerit, atque octo urbis partes*. Aliæ quoque causæ sunt apud Tarrhæum, in *Proverbiis*: Πάντα ὀκτώ. Εὔανδρος ἔφη, ὀκτὼ τοὺς πάντων εἶναι κρατοῦντας θεούς, Πῦρ, Ὕδωρ, Γῆν, Οὐρανόν, Σελήνην, Ἥλιον, Μίθραν, Νύκτα. ἄλλοι δέ φασιν, ἐν Ὀλυμπίᾳ τὰ πάντα εἶναι ἀγωνίσματα ὀκτώ, στάδιον, δίαυλον, ὁπλίτην, πυγμήν, παγκράτιον, καὶ λοιπά. ἀφ' οὗ εἰρῆσθαι, Πάντα ὀκτώ. *Omnia octo. Euander tradit, deos rerum omnium potentes, octo esse, Ignem, Aquam, Terram, Cœlum, Lunam, Solem, Mithram, Noctem. Alii vero dicunt, octo fuisse in Olympiis certamina, stadium, diaulum, armaturam gravem, cœstum, quinquertium, & reliqua: atque inde dictum esse, Omnia octo*. Quæ totidem verbis etiam Zenobius dicit *Cent.* V. *Proverb.* LXXVIII. Aliter rursum Anonymus in *Theologumenis suis*, ex Anatolio; ab octava nempe sphæra: Ἡ περιέχουσα τὰ πάντα σφαῖρα ὀγδόη. Ὅθεν ἡ παροιμία, Πάντα ὀκτώ. φησίν. *Quæ omnia complectitur sphæra octava: unde proverbium natum, inquit, Omnia octo*. Apostolius, sententiam Suidæ, ipsis quoque ejus verbis, repræsentat, *Cent.* XV. *Proverb.* LXVII. Ac de Stesichori quidem sepulchro, idem quoque Pollux tradit, quamquam Himeræ is commemorat, & non Catanæ: atque addit, in talorum item lusu jactum quendam octonarium Στησίχορον dictum fuisse. Ejus verba ista extant *l.* IX. *c.* VII. Καὶ μὴν καὶ Στησίχορος ἐκαλεῖτό τις παρὰ τοῖς ἀστραγαλίζουσιν ἀριθμός, ὃς ἐδήλου τὰ ὀκτώ. Τὸν γὰρ ἐν Ἱμέρᾳ τοῦ ποιητοῦ τάφον ἐξ ὀκτὼ πάντων συντεθέντα, πεποιηκέναι τὴν Πάντ' ὀκτὼ φασὶ παροιμίαν. *Tum & Stesichorus nuncupatur ab iis, qui talis ludunt, numerus, qui octonarium ostendebat. Poetæ enim hujus sepulchrum Himeræ, ex octonis omnibus compositum, proverbium istud, Omnia octo, fecisse dicunt*. Quod Eustathius

quoque tradit, *ad Iliad.* ψ΄. Ελέγετο δέ τις ἐν αὐταῖς (τῶν τῶν ἀσραγάλων πτώσεσι) καὶ Στησίχορος, ὁ τὴν ὀκτάδα δηλαδὴ σημαίνων· ἐπεὶ ὁ ἐν Ιμέρα τῇ Σικελικῇ τάφος τοῦδε τοῦ μελοποιοῦ ἐξ ὀκτὼ γωνιῶν συνέκειτο. *Dicebatur etiam in talorum casibus quidam Stesichorus, is nimirum, qui octonarium significabat; quandoquidem ejus poetæ Himeræ Siciliæ monumentum ex octo angulis constabat*. Meminitque iterum obiter. *ad Odyss.* α΄. De eo autem, ejusque nominibus, ita Photius in Nicomachi *Excerptis*: Η δὲ ὀκτὰς, εἰ καὶ μὴ τοῖς ἴσοις μήδ' ὀγδόῳ μέρει. ἀλλ' οὖν τῷ θεὸς αὐτοῖς εἶναι, οὐδ' αὐτὴ τοῦ θρόνου ἀπερρίφη. Παναρμονίαν γὰρ αὐτὴν προσκυνοῦσι, καὶ Καδμείαν, Μητέρα, καὶ Ρέαν, καὶ Θηλυποιὸν, καὶ Κυβέλην, Κυβήβην τε, καὶ Δινδυμήνην, καὶ Πολιοῦχον, Ερωτά τε, καὶ Φιλίαν, Μῆτιν, Επίνοιαν, Ορείαν, Θέμιν, Νόμον, Ηλιτόμηναν, καὶ τῶν Μουσῶν τὴν Εὐτέρπην. *Octonarius deinde, etsi nequaquam tantam laudem, ne octava quidem ex parte obtinuit: quando tamen pro deo hic ipsis est, e sede sua non excidit, Adorant enim ipsum nomine Panharmoniæ, Cadmeiæ, Matris, Rheæ, Mulierificæ, Cybeles, Cybebes, Dindymes, Urbis custodis, Amoris, Amicitiæ, Metis, Prudentiæ, Oreiæ, Themidis, Legis, Exterricinei, & inter Musas Euterpes*. Ac Παναρμονίαν quidem appellatum, testis etiam Anonymus, in *Theologumenis*: Παναρμόνιος ἐπεκαλεῖτο ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν (τῶν Πυθαγορείων) ἡ ὀγδοὰς, διὰ τὴν ὑπερφυῆ καθάρμοσιν ταύτην. *Vocatur vero Panharmonius a viris (Pythagoreis) propter excellentem hanc convenientiam*. Huc pertinent ista Macrobii, *ad Somn. Scip.* l. I. c. V. *Sed & ad ipsam cœli harmoniam, id est, concinentiam, hunc numerum magis aptum esse, non dubium est, cum sphæræ ipsæ octo sint, quæ moventur*. Καδμεία, Μήτηρ, Ρέα, Ερως, Φιλία, Μῆτις, Επίνοια, Αλιτόμηνα, & Εὐτέρπη, *Cadmea, Mater, Rhea, Amor, Amicitia, Metis, Prudentia, Exterricinea*, & *Euterpe*, etiam ibidem occurrunt. Κυβέλη etiam Martiano memoratur: *Sane hic octonarius cubus ita omnium cuborum primus est, ut monas omnium numerorum: cubus autem omnis etiam matri Deum tribuitur: nam ideo Cybele nominatur*. Κυβήβη, Rhea dicebatur, uti etiam Δινδυμήνη; de quo postea sum acturus. Ac corruptus in hac re Strabonis locus, *libro* decimo, quem restituo, Καὶ τὴν Ρέαν (ἐκάλουν) Κυβέλην, καὶ Κυβήβην, καὶ Δινδυμηνήν. *Ac Rheam (vocabant) Cybelen, & Cybeben, & Dindymenen*. Non recte hactenus, media ejecta syllaba, Κύβην editur, pro Κυβήβην. Etymologici Auctor: Καὶ τὴν μητέρα τῶν θεῶν ἀπὸ τοῦ ἐνθουσιασμοῦ Κυβήβην λέγουσιν· αἰτία γὰρ ἐνθουσιασμοῦ τοῖς μύσταις γίνεται. *E matrem deorum a fanatico furore Cybeben dicunt; quod mystas eos corripi faciat*. Eustathius, *ad Odyss.* β΄. Εκ τοῦ αὐτοῦ δέ, φασι, κυφοῦ, καὶ Κυβήβα, διὰ τοῦ α, ἡ Κυβήβη, διὰ τοῦ η, ἡ Ρέα. *Ex illo vero incurvo, dicunt, & Cybeba, per a, aut Cybebe, per e, Rhea*. Itaque restituendus etiam Hesychius: Κυβήβη, ἡ μήτηρ τῶν θεῶν, *Cybebe, mater deorum*. Male hodie vulgatur, Κυβήκη. Porro in Photio, pro Δινδύμην, rescribendum, Δινδυμηνήν: quippe Rhea a Dindymis, Phrygiæ monte, Δινδυμηνὴ appellata. Stephanus: Δίνδυμα, ὄρη τῆς Τρωάδας· ἀφ' ὧν Δινδυμηνὴ ἡ Ρέα. *Dindyma, montes Troadis; a quibus Rhea nuncupatur Dindymena*. Eodem modo in *citatis* antea Strabonis *verbis*: Καὶ τὴν Ρέαν (ἐκάλουν) Κυβέλην, καὶ Κυβήβην, καὶ Δινδυμηνήν. *Et Rheam (vocabant) Cybelen, & Cybeben, & Dindymenen*. Itaque mendosus quoque in cognomine isto Rheæ est Hesychius: apud quem non recte legitur: Δινδύμην, μήτηρ θεῶν ἀπὸ Δινδύμων, ὀρῶν τῆς Φρυγίας. *Dindymen, mater deorum ab Dindymis, montibus Phrygiæ*. Rescribo, Δινδυμηνὴ, μήτηρ θεῶν, *Dindymene, mater deorum*. Res est clara, & vel pueris ipsis nota. Ultimum est apud Photium nomen, Εὐτέρπη. Meminit hujus quoque Anonymus, & adjungit rationem: Τοῦ τῶν Μουσῶν ἀριθμοῦ, τὸ Εὐτέρπη ὄνομα τῇ ὀγδοάδι πρέπειν ἔλεγον· παρόσον εὔτρεπος μάλιστα τῶν ἐντὸς δεκάδος, ἀρτιάκις ἄρτιος οὖσα, καὶ μέχρι τῆς φύσει ἀτόμου μονάδος αὐτῆς. Sed legendum eo loco existimaverim: παρόσον εὔτρεπτος μάλιστα. *Ex Musarum vero numero nomen Euterpe octonario potissimum convenire dicebant, quod eorum, qui intra denarium sunt, facillime mutari possit, pariter par existens, etiam usque ad ipsam unitatem, quæ natura sectionem non admittit*. Dicit, εὔτρεπτον μάλιστα τῶν ἐντὸς δεκάδος ἀριθμῶν, *eorum, qui intra denarium sunt, numerorum facillime mutari posse*, quia plurimum converti possit; nempe in unitatem ac septenarium, in binarium ac senarium, in ternarium ac quinarium, in quatuor binarios & denique binos quaternarios. Sed quo modo ob hanc causam eum Εὐτέρπην appellaverint, minime video: nam hæc Musa ita dicta ab oblectatione fuit, ἀπὸ τοῦ τὰς ὁμιλίας τῶν πεπαιδευμένων εὐτερπεῖς, καὶ εὐαγώγους εἶναι; *quod colloquia eruditorum sint jucunda, & facile alliciant*: ut ait Phurnutus. Videndusque etiam Plutarchus, *Symposiac.* l. IX. quæst. XIV. Verum ita infra quoque, cum de novenario agit, & exponit, quare is Τερψιχόρη dictus, causam refert: ἀπὸ τοῦ τρέπειν, καὶ ὡς χορὸν ἀνακυκλοῦν τὴν τῶν λόγων παλιμπέτειαν. *A convertendo, & chori instar revolvendo disciplinarum circum*. Hactenus, quæ apud Photium ex Nicomacho recensentur: verum insuper Ασφάλεια, & Εδρασμα, *Securitas*, & *Fundamentum*, dicebatur. Anonymus: Η ὀγδοὰς Ασφάλεια καλεῖται, καὶ Εδρασμα, ἀγωγὸς οὖσα. *Octonarius Securitas vocatur, & Fundamentum, dux existens*. Etiam Ποσειδῶν, *Neptunus*. Plutarchus, *De Iside & Osiride*: Δοκῶ δὲ ἔγωγε καὶ τὴν μονάδα τοὺς ἄνδρας (τοὺς Πυθαγορικοὺς) ὀνομάζειν Απόλλωνα, καὶ δυάδα τὴν Αρτεμιν, Αθηνᾶν δὲ τὴν ἑβδομάδα, Ποσειδῶνα δὲ τὸν πρῶτον κύβον. *Ego arbitror viros (Pythagoricos) etiam unitatem vocare Apollinem, ac binarium Dianam, Minervam vero septenarium, & Neptunum primum cubum*. Denique & Δικαιοσύνη, *Justitia*. Macrobius, de hoc numero agens in *Somn. Scip*, l. I. c. V. *Pythagorici vero hunc numerum* JUSTITIAM *vocaverunt: quia primus omnium ita solvitur in numeros pariter pares, hoc est, in bis quaterna, ut nihilominus in numeros æque pariter pares divisio quoque ipsa solvatur, id est, in bis bina. Eadem quoque qualitate contexitur; id est, bis bina bis. Cum ergo & contextio ipsius pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter redeat, usque ad monadem, quæ divisionem Arithmetica ratione non recipit, merito, propter æqualem divisionem*, JUSTITIÆ *nomen accepit*.

CAP. XI.

Novenarius Musis sacer. Phurnuti locus emendatus. Etiam primus quadratus; animoque attributus: perfectissimus novies multiplicatus. Quem quandoquidem Plato moriens implevisset, ei a Magis sacra facta. Nomina ejus Ωκεανός. Ορίζων, *Oceanus. Visum finiens. Anonymus correctus.* Προμηθεύς, *Prometheus. Anonymus iterum correctus.* Ομόνοια. Περσεία, *sive* Περασία. Αλιος. Ανεικία. Ομοίωσις. *Concordia. Persea. sive Perasia. Halius. Quies a rixis. Similitudo. Anonymus tertium emendatus.* Ηφαιστος. Ηρα, Διὸς ἀδελφὴ, καὶ σύνευνος. Εκάεργος. Παιάν. Νυσσηΐς, *sive* Νυσσηϊότας. *Vulcanus. Juno. Jovis soror, & conjux. Hecaergus. Pæan. Nysseis. Anonymus quartum correctus.* Αγυιεύς. Ενυάλιος. Αγελία. Τριτογένεια. Πειθώ. Κουρῆτις. *Agyjeus. Enualius. Agelia. Tritogenia. Suada. Curetis. Anonymus quintum restitutus.* Κόρη. Υπερίων. Τερψιχόρη. Τελεσφόρος. Τέλειος. *Proserpina. Hyperion. Terpsichore. Ad finem perducens. Perfectus. Martianus emendatus; & ejus error indicatus; tum Anonymus sextum correctus.*

NOVENARIUS Musis sacer habebatur. Plutarchus, *Sympos.* lib. IX. quæst. I. Τὸ ἔννατον τῶν

συμποσιακῶν, ὦ Σόσσιε Σενεκίων, περιέχει λόγους τοὺς Ἀθήνησιν ἐν τοῖς Μουσείοις γενομένους. καὶ μάλιστα τὴν ἐννεάδα ταῖς Μούσαις προσήκειν. *Nonus Symposiacorum liber, Soſſi Senecio, continet ſermones Athenis habitos in Muſeis: quia novenarius numerus maxime Muſis convenit.* Et mox, *quæſt.* III. Ἡ γὰρ ἐννεὰς δή πως ταῖς Μούσαις, ἡ δὲ ἑβδομὰς τῷ Μουσηγέτῃ προσκεκλήρωται. *Novenarius Muſis, ſeptenarius Apollini eſt conſecratus.* Phurnutus, l. *de nat. deor.* ubi de Muſis agit: Ἐννέα δ' εἰσὶ διὰ τὸ τετραγώνους, ὥς φησί τις, καὶ περὶ τοὺς προσήκοντας αὐτοῖς ἀποτελεῖν. τοιοῦτος γάρ ἐστιν ὁ τῶν ἐννέα ἀριθμὸς, συνιστάμενος κατὰ τὸ ἐφ' ἑαυτοῦ γεννᾶσθαι, καὶ τι τοῦ πρώτου ἀπὸ τῆς τελειότητος κατά τινας μετέχειν δοκοῦν ἀριθμοῦ. *Novem autem ſunt quod quadratos, ut dicit quidam, eos qui cum ipſis converſantur reddant. Talis enim eſt novenarius numerus, ut qui conſiſtat ex ſemet ipſo natus, & videatur participare per quoſdam numeros primum numerum propter ſuam perfectionem.* Sed corrupta initio verba ſic reſtituenda cenſeo: καὶ περιττοὺς τοὺς προσήκοντας, *& impares convenientes.* Dicit novem Muſas tradi, quod quadratos, ut quidam ait, & eximios eos facerent, qui cum ipſis verſarentur: quippe talem numerum novenarium eſſe. Ubi obſerva, etiam quadratum tradi; & hoc verum: nam quadratus primus eſſe ferebatur. Johannes Protoſpatharius, *ad Heſiodi Dies*: Ἐτίμων οὖν οἱ παλαιοὶ τὴν ὀγδόην, καὶ ἐνάτην, ὡς αὐξητικὰς τοῦ σεληναίου φωτὸς, καὶ τῶν καρπῶν. Ἐτίμων δὲ τὴν ἐνάτην, καὶ διὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν Μουσῶν· Ἐννέα γὰρ αἱ Μοῦσαι. ὁ γὰρ ἐννέα ἀριθμὸς πρῶτος τετράγωνός ἐστι, καὶ ἴσος πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσι. τοιαῦται δὲ καὶ αἱ Μοῦσαι, τετράγωνοι, καὶ ἴσαι πανταχόθεν. *Honorabant itaque veteres octavum, ac nonum, ceu quæ luminis lunaris, fructuumque augendorum, vim haberent: vel etiam, ob Muſarum numerum, novem enim eæ exiſtunt: numeruſque novenarius primus eſt quadratus, & æqualis partibus ſuis univerſis: atque tales etiam Muſæ, quæ & ipſæ ſunt quadratæ, & æquales undiquaque.* Anonymus, in *Theologumenis*: Ἐννεὰς ἀπὸ περισσοῦ πρῶτος τετράγωνος. *Novenarius ab impari primus quadratus.* Eulogius, *ad Somn. Scip. Eſt igitur quadratus numerus novenarius, quia ex tribus in ſe triplicatis exoritur.* Videndus quoque Euſtathius, *ad Iliad.* β'. Itaque erat cubus generis imparis maſculinus. Idem Eulogius, paullo ante: *Ut a numero pari, qui fœmineus habetur, tribus illis limitibus duplicatis, natus eſt cubus; ita, tribus per naturam ter triplicatis; efficitur alius cubus generis imparis maſculinus.* Muſis ſacrum, ac præterea animo attributum, cujus morbi Muſica leniri ſoliti, & ſanari, refert item Cenſorinus, *cap.* XIV. *Plerique, aliter moti, duos iſtos numeros ſubtiliter diſcreverunt, ut dicentes, ſeptenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere; hunc medicinæ corporis, & Apollini attributum; illum Muſis: quia morbos animi, quos appellant πάθη, Muſica lenire, ac ſanare, conſueverit.* Sciendum vero, cum quadratum numerum dicerent, eum illos cenſuiſſe, novies multiplicatum, & octoginta atque unum exhibentem. Cenſorinus idem indicat, *loco eodem*: *Ad quam opinionem plurimorum conſenſus inclinat. Nam quadrati numeri potentiſſimi ducuntur: denique Plato, ille, venia cæterorum, philoſophus ſanctiſſimus, qui quadrato numero annorum vitam humanam conſummari putavit, novenario, qui complet annos octoginta & unum.* Et hunc perfectiſſimum numerum exiſtimabant: adeoque Magi Platoni, qui illo ætatis ſuæ anno obiiſſet, plus quam hominem arbitrati, immolarunt. Seneca, *epiſt.* LVIII. *Nam hoc ſcis, puto, Platoni diligentiæ ſuæ beneficio contigiſſe, quod natali ſuo deceſſit, & annum unum atque octogeſimum implevit, ſine ulla deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto: amplioris fuiſſe ſortis, quam humanæ, rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem novem, novies multiplicata, componunt.* De illo, ac nominibus ejus, ita Photius, in *Excerptis* e Nicomacho: Καὶ ἡ ἐννὰς δὲ, ὑστερεῖ μὲν καὶ τῆς θεότητος, καὶ τῆς μακρᾶς συγγραφῆς, ἧς ἑβδομὰς ὑπερῆρτο. πλὴν τῆς ὀκτάδος ἐγγὺς θεολογεῖται. Ὠκεανὸς γὰρ αὐτοῖς αὕτη περιρρεῖται, καὶ Ὁρίζων ἀνυμνεῖται. Προμηθέα τε αὐτὴν, καὶ Ὁμόνοιαν, καὶ Περσείαν, καὶ Ἅλιον, ἱερολογοῦσιν· Ἀνεικίαν, Ὁμοίωσιν, Ἥφαιστον, Ἥραν, Διὸς ἀδελφὴν, καὶ σύνευνον, Ἑκάεργον, Παιᾶνα, Νυσηΐδα, Ἀγυιέα, Ἐνυάλιον, Ἀγελείαν, Τριτογένειαν, Πειθὼ, Κουρῆτιδά τε, καὶ Κόρην, καὶ Ὑπερίονα, καὶ Μουσῶν Τερψιχόρην. *Novenarius item poſthabetur, & in deitate, & in longa deſcriptione, qua ſeptenarius in altum nimium quantum evectus fuerat: at proximum ſaltem in divinitate gradum ab octonario obtinet. Circumfunditur enim ab ipſis tanquam Oceanus, atque ut viſum finiens circulus celebratur. Promethea quoque ipſum faciunt, & Concordiam, Perſeiam, & Halium indigetant; Quietem quoque a rixis, & Similitudinem, Vulcanum, Junonem, Jovis ſororem, & conjugem, Hecaergum, Pæanem, Nyſſeida, Agyiea, Enyalium, Ageliam, Tritogeniam, Suadam, Curetidem, Proſerpinam, & Hyperionem, atque inter Muſas Terpſichoren.* Ac Ὠκεανὸς quidem, & Ὁρίζων, *Viſum finiens*, quare appellatus fuerit, docet Anonymus, in *Theologumenis*: Ὅτι δὲ οὐδὲν ὑπὲρ τὴν Ἐννάδα ὁ ἀριθμὸς ἐπιδέχεται, ἀλλὰ ἀνακυκλεῖ πάντα ἐντὸς ἑαυτῆς, δῆλον ἐκ τῶν παλινῳδιῶν. μέχρι μὲν γὰρ αὐτῆς, φυσικὴ πρόβασις· μετὰ δ' αὐτὴν, παλιμπετής. Τὰ γὰρ δέκα, μονὰς γίνεται, κατὰ ἑνὸς ἀφαίρεσιν στοιχειώδη ποσοῦ, τουτέστι κατὰ μονάδος μιᾶς, Τὰ ἕνδεκα, καὶ πάλιν δυὰς, ἤτοι μιᾶς, ἢ δυεῖν ἀφαιρεθεισῶν. Δώδεκα δὲ καὶ Τριάκοντα, Τριάς. καὶ πάλιν, τὰ ἑκατὸν, μόνον ἕνδεκα ἐννεάδων ἀφαιρεθεισῶν. καὶ τὸ αὐτὸ μέχρι καὶ ἀπείρου. ὥστε μηδεμιᾷ μηχανῇ δυνατὸν εἶναι ἀριθμὸν ἄλλον ὑπὲρ τὰ ἐννέα στοιχειώδη συστῆναι· καὶ διὰ τοῦτο Ὠκεανόν τε προσηγόρευον αὐτὸν, καὶ Ὁρίζοντα, ὅτι ἀμφοτέρας ταύτας περιείληφεν οἰκήσεις, καὶ ἐντὸς ἑαυτῆς ἔχει. *Quod autem nihil ſupra novenarium numerus recipit, ſed circumcingit omnia intra ſe, manifeſtum ex recantationibus: nam uſque ad illum quidem, naturalis progreſſio; poſt autem illum, retro relabens. Decem enim, unitas fit, per unius elementariæ quantitatis ſublationem, hoc eſt, per unitatem unam. Undecim autem, & rurſum binarius, ſive per unum, ſive per duos ſublatos: duodecim autem & Triginta, Ternarius. Et rurſus, centum, ſolum per undecim novenarios ſublatos: & id ipſum & uſque in infinitum: ut nullo artificio quis poterit numerum alium ultra novem elementa componere; & propterea Oceanum appellabant ipſum, & Viſum finientem, quod utraſque illas accipit habitationes, & intra ſe tenet.* Sed non recte illic legitur, ἐκ τῶν παλινῳδιῶν, *ex recantationibus*: neque enim recantationibus hic quicquam loci: ac ſcribendum potius cenſeo, ἐκ τῶν παλινοδιῶν, *ex regreſſionibus*. Hoc magis convenit præcedentibus iſtic verbis, ἀνακυκλεῖ πάντα ἐντὸς ἑαυτῆς, *revolvit omnia intra ſeipſum.* Dicebatur & Προμηθεὺς, de quo nomine, atque ejus ratione, ſic Anonymus: Κατ' ἄλλο δὲ σημαινόμενον Προμήθεια, (προσηγόρευον) ἀπὸ τοῦ μηκέτι ἐάν τινα πρόσω αὐτῆς χωρεῖν ἀριθμόν. καὶ εὐλόγως γε, τρεῖς γὰρ τελείως ὑπάρχουσα οὐδ' ἐπίδοσιν αὐξήσεως ἀπέλιπεν, ἀλλὰ καὶ δύο κύβων ἅμα σύνθεσις, τοῦ α' καὶ τοῦ η', καὶ τετράγωνος οὖσα, τὴν πλευρὰν Τρίγωνον ἔχει μόνην τῶν μέχρις αὐτῆς. *Per aliud vero notatum Promethea, (appellabant) quod niſi quenquam ultra illum procedit numerum. Et cum ratione, tres enim perfecte exiſtens non additionibus augmenti caret, ſed etiam duorum cuborum ſimul compoſitio, unitatis & octonarii, & quadratus exiſtens, latus Triangulare habet ſolum illorum, qui uſque illum.* Quæ verba, varie corrupta, ſic emendo, Κατ' ἄλλο δὲ σημαινόμενον Προμηθέα προσηγόρευον, ἀπὸ τοῦ μὴ

ἐᾶν τινα πρόσω αὐτῆς χωρεῖν ἀριθμόν. καὶ εὐλόγως γε, τρὶς γὰρ τέλειος ὑπάρχουσα. *Per aliud autem notatum Promethea appellabant, quod non sinit quenquam ultra illum procedere numerum: & cum ratione, quippe ter perfectus existens.* Ac deinde: Τὴν πλευρὰν τρίγωνον ἔχει μόνη τῶν μέχρις αὐτῆς. *Latus triangulare habet solus illorum, qui usque illum.* Quæ sequuntur, Ὁμόνοια, Περσεία, Ἅλιος, *Concordia, Persia, Halius*, itidem apud Anonymum memorantur: nisi, quod illic Περασία, pro Περσεία habeatur: Διὰ γοῦν τὸ μὴ ἀφιέναι σκορπίζεσθαι ὑπὲρ αὐτὴν τὴν τοῦ ἀριθμοῦ σύμπνοιαν, συνάγειν δὲ εἰς τὸ αὐτὸ, καὶ συναυλίζειν, Ὁμόνοιά τε καλεῖται, καὶ Περασία, καὶ Ἅλιος. *Quia vero non permittat dissipari supra ipsum numeri inter se consensum, sed potius in unum cogat, congregetque, Concordia vocatur, & Perasia, & Halius.* Ἀνεικία, & Ὁμοίωσις, *Quies a rixis, & Similitudo*, occurrunt etiam apud Anonymum, sed corruptis quoque verbis: Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἀνοικία, διὰ τὴν ἀνταπόδοσίν τε καὶ ἀμοιβὴν τῶν ἀπ' αὐτῆς μέχρι μονάδος· ὡς εἴρηται ἐν τῷ περὶ Δικαιοσύνης διαγράμματι. ὁμοίως δὲ τάχα μὲν παρὰ τὸ πρῶτος περισσὸς τετράγωνος ὑπάρχειν. Ὁμοιωτικὸν γὰρ δι' ὅλου παρ' αὐτοῖς λέγεται, τὸ περισσὸν εἶδος· ἀνόμοιον δὲ τὸ ἄρτιον. καὶ πάλιν, ὁμοιωτικὸν μὲν, τὸ τετράγωνον· ἀνόμοιον δὲ, τὸ ἑτερόμηκες. τάχα δὲ, κἀπειδὴ μάλιστα τῇ πλευρᾷ ὡμοιώθη. ὡς γὰρ ἐκείνη τρίτην χώραν ἐν τῇ φυσικῇ εἴληχεν, οὕτω καὶ ἡ ἐννεὰς τρίτη ἐν τῇ καθ' αὐτὴν ἀναλόγῳ προβάσει. *Vocabatur autem & Anœcia propter retributionem & permutationem illorum qui ab illo usque ad unitatem; ut dictum est in scripto de justitia. Sed similiter quidem fortasse quia primus impar quadrangularis est. Similis enim per totum ab illo dicitur, impar species; dissimilis autem par: & rursus, similis quidem, quadrangularis; dissimilis vero, altera parte longior. forsan autem, postquam potissimum lateri assimulatus est: ut enim illa tertiam regionem in naturali sortita est, ita etiam novenarius tertius in per se congruente progressu.* In ipso initio ita lego, Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἀνεικία, διὰ τ. α. *Vocabatur autem & Quies a rixis, p. r.* Et mox, Διαγράμματι. Ὁμοίωσις δὲ, τάχα μὲν π. *Scripto. Similitudo autem, fortasse q.* Occurrunt post hæc apud Photium nomina, Ἥφαιστος, Ἥρα, Διὸς ἀδελφὴ καὶ σύνευνος, & Ἑκάεργος, *Vulcanus, Juno, Jovi soror & conjux, & Procul arcens*: de quibus itidem in hunc modum Anonymus scribit: Καὶ Ἥφαιστον δὲ αὐτὴν ἐπωνόμαζον, ὅτι μέχρι αὐτῆς, ὥσπερ κατὰ χώνευσιν, καὶ ἀναφορὰν, ἡ ἄνοδος. καὶ Ἥραν, παρὰ τὸ κατ' αὐτὴν τετάχθαι τὴν τοῦ ἀέρος σφαῖραν, ἐπὶ ταῖς ὀκτὼ ἐνάτην οὖσαν. καὶ Διὸς ἀδελφὴν, καὶ σύνευνον, διὰ τὴν πρὸς μονάδα συζυγίαν. Ἑκάεργον, ἀπὸ τοῦ εἴργειν τὴν ἑκὰς πρόβασιν τοῦ ἀριθμοῦ. *Vulcanum vero ipsum cognominarunt, quod usque ad eum, tanquam conflaturam, ac relationem, sit reditus: ac Junonem, quod secundum ipsum posita sit aeris sphæra, quæ inter octo nona existat: item Jovis sororem, & conjugem, propter conjunctionem cum unitate: & Hecaergum, quia prohibeat, ne longius procedat numerus.* Νυσσηΐς, apud Anonymum est Νυσσηϊότης: Νυσσηϊότην (δ' ἐπωνόμαζον) ἀπὸ τῆς ἐπινύσσειν, καὶ ὡσανεὶ τέρματι τῆς προόδου τετάχθαι: sed scribendum, ἀπὸ τοῦ ἐπὶ νύσσαν, καὶ ὡσανεὶ τέρμα τι τῆς προόδου τ. *Nysseiotam (vero appellabant) quia ad metam, & quasi terminum quendam progressionis constitutu sit.* Deinde, sequitur Ἐνυάλιος; quod cum Martis sit cognomen, Mars pro eo apud Martianum legitur: quod eodem sane recidit: *Deinde, quod primi versus finem tenet, & ideo (enneas) Mars appellata, a quo finis omnium rerum.* Κουρῆτις, & Κόρη, *Virgo*, etiam Anonymo commemorantur: nisi quod Κυρῖτις illic, pro Κουρῆτις, minus recte nunc legatur. Etiam cur Ὑπερίων nuncupetur, & Τερψιχόρη, sic exponit: Καὶ Ὑπερίονα (ἐπωνόμαζον) διὰ τὸ ὑπὲρ πάντας τοὺς ἄλλους εἰς μέγεθος ἐληλυθέναι. καὶ Τερψιχόρην, ἀπὸ τοῦ τρέπειν καὶ ὡς χορὸν ἀνακλᾶν τὴν τῶν λόγων παλιμπέτειαν, καὶ σύνοδον. *Et Hyperionem (cognominabant) quod super omnes alios ad magnitudinem venerit: & Terpsichoren, quod vertat & ut regio in circulum volvat sermonum retrorsum casum, & consensum.* Denique, quæ nomina non habet Photius, Τελεσφόρος, *Ad finem perducens*, item Τέλειος, *Perfectus*, vocabatur. Id Anonymus nobis tradit, istis verbis: Καλεῖται δὲ καὶ αὐτὴ Τελεσφόρος, τελειοῖ δὲ τὰ ἐννεάμηνα. *Vocatur etiam ipse Finem ferens, quod perficiat fœtus novimestres.* Martiano *Perfector* dicitur: *Enneas quoque perfecta est, & Perfector dicitur, quoniam ex triade perfecta, forma ejus multiplicata, perficitur.* Male hodie eo loco *perfectior* editur: & in causa exponenda errat quoque Martianus: nam ob illam ut perfectus plane erat novenarius, ita proprie præter cæteros etiam appellabatur. Anonymus: Ἔτι Τέλειος (καλεῖται) ὅτι ἀπλείη τοῦ τελῶν γίνεται. Sed corrupta item illa isthic verba & corrigenda, ὅτι ἀπὸ τελείου τοῦ τριῶν γίνεται. *Etiam Perfectus dicitur, quia ex perfecto ternario fit.*

CAP. XII.

XII. *Denarius, quadratus habitus, atque maxime honoratus. Omnium maximus dicebatur: perfectissimusque esse, & perfectionis symbolum, putabatur.* Natura numeri, *etiam* Perfecta unitas, & Perfectionis *item* generatrix, *vocabatur. Ejus quoque sanctimonia manuum porrectione, in promissis confirmandis, indicata. Perfectissimus, decies multiplicatus: quem Albani numerando non transibant. Nomina ejus; & Anonymus de illis emendatus.* Κόσμος. Οὐρανός. Εἱμαρμένη. Αἰών. Πίστις. Κράτος. Ἀνάγκη. Ἄτλας. *Mundus. Cœlum. Fatum. Ævum. Fides. Potentia. Necessitas. Atlas. Anonymus iterum emendatus.* Ἀκάμας. Θεός. Φάνης. Ἥλιος. Οὐρανία. Μνήμη. Μνημοσύνη. Πάμμαχος. Πρῶτος τετραγωνισμός. Σφαῖρα. Κλειδοῦχος, *sive* Κλαδοῦχος. Παντέλεια. *Indefessus. Deus. Phanes. Sol. Urania. Memoria. Mnemosyne. Pamochus. Prima quadratura. Sphæra. Claviger. Ramos habens. Perfecta. Denarius numerus, ceu perfectus in conviviis observatus.*

DENARIUS inter quadratos etiam, atque maxime honoratos, censebatur. Philostratus, *de Vita Apollonii*, l. III. c. IX. Ὀκτωκαίδεκα δὲ ὁρῶν τοὺς σοφοὺς, πάλιν τὸν Ἰάρχαν ἤρετο, τί βούλοιτο αὐτοῖς τὸ εἶναι τοσούτους; οὔτε γὰρ τῶν τετραγώνων ὁ ἀριθμὸς, οὔτε τῶν εὐδοκιμούντων τε καὶ τιμωμένων, καθάπερ ὁ τῶν δέκα. *Videns autem sapientes octo & decem, iterum Jarchum interrogabat, quidnam istud sibi vellet, quod tot essent? quia nempe nec quadratus ille numerus, neque item in bona existimatione, aut honoratus, ut denarius.* Ac maximus omnium dicebatur, ut qui alios in se omnes contineret. Athenagoras, in *Apologia pro Christianis*: Μέγιστος μὲν ἀριθμὸς ὁ δέκα, κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς, ὁ τετρακτύς τε ὢν, καὶ πάντας τοὺς ἀριθμητικοὺς, καὶ τοὺς ἁρμονικοὺς, περιέχων λόγους. *Maximus quidem numerus est denarius, secundum Pythagoricos, cum quaternarius existens, tum & rationes omnes numerales, ac harmonicas, comprehendens.* Huc pertinent ista Martiani Capellæ, *l.* VII. *Decas vero ultra omnes habenda. quæ omnes numeros diversæ virtutis, ac perfectionis, intra se habet.* Philippus Presbyter *in Jobum*, l. III. c. XXXVIII. *Decimus autem numerus perfectus est, quia per ipsum iterando omnis numerus in infinitum multiplicatur.* Atque omnium perfectissimus habebatur, adeoque symbolum perfectionis. Cyrillus, *in Oseam*, c. III. Σύμβολον δὲ τελειότητος ὁ δέκα ἐστὶν ἀριθμὸς, παντέλειος ὤν. *Symbolum vero perfectionis est denarius numerus, ut qui omnino perfectus existit.* Nicomachus, *Arithmetices*

lib. II. Μεθ' ἃς κ) ἄλλας τέσσαρας οἱ νεώτεροι ἀνίσκουσι, συμπληρῶντες τὸν δέκα ἀριθμὸν, κατὰ τοῖς Πυθαγορικοῖς δοκῶν, ὡς τελειότατον. *Post quas recentiores etiam alias quatuor inveniunt, implentes numerum denarium, veluti, juxta Pythagoricorum placitum, perfectissimum.* Philoponus, in *De Anima*, l. I. Τέλειος γὰρ ἀριθμὸς ὁ δέκα· περιέχει γὰρ πάντα τὸν ἀριθμὸν ἐν ἑαυτῷ. οἱ γὰρ ὑπὲρ τὴν δεκάδα, εἰς τοὺς ἀπὸ μονάδος πάλιν ἀνακάμπτουσι. *Perfectus enim numerus est denarius; quippe omnem in se numerum comprehendit: etenim, postquam ad denarium pervenerunt, ad eos numeros, qui sequuntur unitatem, recurrunt.* Vitruvius *l.* III. *c.* I. *Eas distribuerunt in perfectum numerum, quam Græci* Τέλειον *dicunt. Perfectum autem Antiqui constituerunt numerum, qui decem dicitur.* Videndi porro, Aristoteles, *Problem.* sect. XV. quæst. III. Sextus Empiricus, *adversus Mathem.* l. IV. Philo, *de congressu eruditionis gratia*, &, *De Decalogo*, Malchus, *de Vita Pythagoræ*, Chalcidius, *in Timæum*, Alexander, *Problem.* l. II quæst. XLVII. Protospatharius, *in Hesiodi Dies*, Clemens, *Strom.* VI. Boethius, *Arithm.* l. II. c. XLI. Theodorus Metochites, sive is Michael Glycas, *Annal.* II. & III. item Radulphus Flaviacensis, *in Leviticum*, l. XII. c. I. Etenim, aliquid numerare instituentes, cum pervenerint ad denarium, denuo ad unitatem, a qua initium fecere, revolvuntur. Hierocles, *in Aurea Carmina*: Τὸ δὲ ἀριθμὰ τὸ πεπερασμένον διάστημα, ἡ δεκάς. ὁ γὰρ ἐπὶ πλέον ἀριθμεῖν ἐθέλων, ἀνακάμπτει πάλιν ἐπὶ τὸ ἓν, κ) δύο, κ) τρία. κ) δευτέραν ἀριθμεῖ δεκάδα πρὸς τὴν τῆς εἰκοσάδος συμπλήρωσιν. κ) τρίτην ὁμοίως, ἵνα τριάκοντα εἴπῃ. κ) τοῦτο ἑξῆς, ἕως ἂν, δεκάτην ἀριθμήσας δεκάδα, εἰς ἑκατὸν προσέλθῃ. κ) πάλιν ἐκεῖ τῷ αὐτῷ τρόπῳ ἀριθμεῖ. κ) οὕτω μέχρις ἀπείρου, τῷ τῆς δεκάδος διαστήματι ἀνακυκλουμένη προχωρεῖν δύναται. *Est porro numeri intervallum finitum denarius. Qui enim ulterius numerare statuat, ad unum iterum, duoque, & tria, regreditur: ac denarium secundum numerat, donec vicenarium compleat: & tertium item, ut ad tricenarium veniat; tum deinceps idem facit, quoad, decimo denario numerato, centenarium attingat: ac rursum centum eodem modo numerat: inde sic in infinitum, repetito denarii intervallo, progredi potest.* Nicetas *in Gregorii Nazianzeni Orat.* XLII. *Decas enim dicitur, quod omnes numeros capiat: nam cum ad eam numeri pervenerint, progrediendi finem faciunt: ac deinceps iterantur solum, & revolvuntur.* Cassiodorus, *Var.* l. I. ep. X. *Denarius numerus, more cœli, & in seipsum revolvitur, & nunquam deficiens invenitur: crescit nova conditione per se redeundo, addita sibi semper ipsa calculatio: & cum denarius non videatur excedi, ex modicis prævalet majora complecti.* Radulphus Flaviacensis, *in Leviticum* l. XX. c. VII. *Numeri sui plenitudinem denarius continet: &, sicut numerus idem ab uno incipitur, sic in decimo consummatur.* Hac de causa etiam *Natura numeri* dicebatur. Plutarchus, *de plac. Philosoph.* l. I. c. III. Πυθαγόρας Μνησάρχου Σάμιος, εἶναι (φησὶ) τὴν φύσιν τοῦ ἀριθμοῦ δεκάδα. μέχρι γὰρ τοῦ δέκα πάντες Ἕλληνες, πάντες βάρβαροι ἀριθμοῦσιν, ἐφ' ἃ ἐλθόντες, πάλιν ἀναποδοῦσιν ἐπὶ τὴν μονάδα. *Pythagoras Mnesarchi Samius, denarium ait Naturam numeri esse: quippe ad eum numerare omnes Græcos, barbarosque: atque, cum ad illum venerint, regredi ad unitatem.* Etiam, *Perfecta unitas*, & *Generatrix perfectionis*. Nicetas, *in Greg. Nazianzeni* jam citat. *Orat. Decas autem prima, unitas perfecta, & generatrix perfectionis, dicitur: quoniam est alia quoque unitas, nempe, prima unitas: verum illa, tametsi principium numerorum est, eosque procreat, nequaquam tamen perfecta est: at prima decas, has duas prærogativas habet; alteram quod perfecta est, quatenus ad hanc usque numeri progrediuntur, ac rursus revolvuntur: alteram, quod perfectionis est procreatrix: centenarium enim numerum, qui perfectissimus est, producit.* Quod autem sit, *Perfecta unitas*; huc referri etiam debent hæc Mercurii Trismegisti, in *Pœmandro*, c. XIII. Ἡ ἑνὰς ὧν κατὰ λόγον τὴν δεκάδα ἔχει, κ) ἡ δεκὰς τὴν ἑνάδα. *Unitas itaque secundum rationem denarium complectitur, ac denarius unitatem.* Atque, ut *Perfectionis generatricem* appellabant, ita *Animæ*. Ecce tibi apud eundem Mercurium, *loco citato*: Εἰκότως ἂν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον τὴν ἀπόστασιν ποιοῦνται, καθὼς μὲν ἀπὸ δέκα δυνάμεων ἐλαυνόμεναι, τουτέστιν ἀπὸ τῆς δεκάδος· ἡ γὰρ δεκὰς, ὦ τέκνον, ἐστὶ ψυχογόνος. *Jure igitur secundum rectam rationem deficiunt, veluti a decem facultatibus, id est, numero denario, repulsæ; denarius enim, o fili, animæ genitor est.* Numeri hujus sanctimoniam etiam eo ostendebant, quod, cum sancte quid promitterent, mutuo id porrecta manu, ac consertis decem digitis, confirmarent: tanquam tacite innuerent, rem promissam ita sese perfecturos, ut perfectus digitorum, quos inter se conserebant, numerus esset. Alexander Aphrodiseus istud tradit, *Probl.* l. II. quæst. XLVII. Καὶ ὁ δέκα ἀριθμὸς παρὰ Ἀριστοτέλει, κ) τοῖς φιλοσόφοις, συμπεριλαμβάνει τὰ ἐν γενέσει, κ) φθορᾷ. ὁ πᾶς δὲ ἀριθμὸς ἀπὸ τοῦ δέκα γεννᾶται, κατὰ ἀνακύκλωσιν. κ) οἱ ποτὲ δὲ δικαιότατοι ἄνδρες, τὰς δεξιὰς ἑαυτοῖς παρεῖχον, ὑπὲρ ἀσφαλείας πράγματος, τὸν δέκα ἀριθμὸν προβαλλόμενοι. *Ac denarius numerus apud Aristotelem, & philosophos, quæcunque nascuntur, aut intereunt, comprehendit: omnisque numerus a denario, juxta revolutionem, generatur: & interdum justissimi viri, dextras sibi porrigebant, denarium numerum, ad negotii, de quo agerent, certitudinem, proferentes.* Uti vero novenarius, novies multiplicatus, perfectissimus, & quadratus, habebatur, sicut docui capite superiori; sic denarius, itidem decies repetitus, centenarium efficiens, etiam quadratus habitus, omniumque perfectissimus. Theodoretus, *in Canticum Canticorum*: *Centenarius vero numerus, est perfectissimus; tum quia a sinistra manu separatus, dextræ principium tenet: tum quia denario completur, decies multiplicato. Quadratum autem vocant, qui res ejusmodi profitentur.* Ac de centenarii perfectione, ecce quoque in Nicetæ, quæ produxi paullo ante, istis verbis: *Centenarium enim numerum, qui perfectissimus est, producit.* Julianus, in *Epistola ad Sarapionem*: Ὅγε μὴν τῆς ἑκατὸν ἀριθμὸς, ἐστὶ τῶν ἄλλων τιμιώτερος, κ) τὸ τέλειον ἐν αὐτῷ τῶν ἀριθμῶν περιγράφων. *Centenarius certe numerus, aliis est honoratior, ac perfectionem in se numerorum comprehendit.* Vide plura, quæ *Epistola* ea tota, in istius numeri laudem, ille profert. Et, ut Thraces quaternarium numerando non transibant, sicut dixi capite sexto; ita nec Albani etiam centenarium. Strabo, ubi de iis agit, *lib.* XI. Οὐδὲ γὰρ νομίσματι τὰ πολλὰ χρῶνται, οὐδὲ ἀριθμὸν ἴσασι μείζω τῶν ἑκατόν. *Neque enim numisma te utuntur plerumque, neque numerum noverunt centenario majorem.* Porro, quod denarium attinet, quibus ille sit nominibus adpellatus, tradit Photius, in *Excerptis* e Nicomacho, toties a me citatis: Αὐτοῖς Κόσμος ἡ δεκάς, κ) Οὐρανὸς, Εἱμαρμένη, Αἰὼν, Κράτος, Πίστις, Ἀνάγκη, Ἄτλας, Ἀκάμας, Θεὸς, Φάνης, Ἥλιος, Οὐρανία, Μνήμη, Μνημοσύνη. *Ipsis denarius est Mundus, Cœlum, Fatum, Ævum, Potentia, Fides, Necessitas, Atlas, Indefessus, Deus, Phanes, Sol, Urania, Memoria, Mnemosyne.* Anonymus, in *Theologumenis*: Καὶ ἐπωνόμαζον αὐτὴν θεολογοῦντες οἱ Πυθαγορικοὶ ποτὲ μὲν Κόσμον, ποτὲ δὲ

Οὐρανὸν, ποτὲ δὲ Πᾶν, ποτὲ δὲ Εἱμαρμένην, καὶ Αγῶνα, Κράτος τε, καὶ Πίστιν, καὶ Ανάγκην, Ατλαντά τε, καὶ Ακάμαντα, καὶ Θεὸν ψιλῶς, καὶ Φάνητα, καὶ Ηλιον. *Et cognominabant illum theologi Pythagorici quandoque quidem Mundum, quandoque vero Cœlum, quandoque vero Universum, quandoque vero Fatum, & Certamen, Potentiamque, & Fidem, & Necessitatem, Atlantemque, & Indefessum, & Deum nude, & Phaneta, & Solem.* Sed legendum eo loco, καὶ Αἰῶνα, Κράτος τε, *& Ævum, Potentiamque*, ut mox ostendam. Ac de Κόσμου, sive *Mundi* appellatione quidem, tradit etiam Philoponus, *in Metaphys. lib. 1. Denarium vero, Mundum vocant: ut enim denarius susceptivus est numerorum, ita mundus suscipit omnes formas.* Anonymus: Απὸ μὲν τοῦ κατ᾽ αὐτὴν διατετάχθαι τὰ ὅλα καθόλου τε, καὶ κατὰ μέρος, Κόσμον. *Quod secundum eum ordinata sunt omnia universim, & per partes, Mundum illum appellarunt.* Protospatharius, *in Hesiodi Dies*: Τὴν δὲ δεκάδα, δεχάδα ἔλεγον οἱ παλαιοὶ, ὡς δεχομένην πάντα ἀριθμὸν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ. Τὸ δὲ ἓν, ἔλεγον τὸν νοῦν τὸν πρῶτον· καὶ τοι δε τὸν κόσμον, δεκάδα φασί. *Denarium autem, Veteres* δεχάδα *appellabant, ut qui omnem in se numerum comprehenderet. Unitatem vero, mentem primam nuncupabant; & mundum denarium dicunt.* Atque huc pertinent ista Procli, *in Timæum*, lib. v. Καὶ γάρ ἐστιν ἡ δεκὰς κοσμικὴ, καθάπερ ὁ ὕμνος ὁ Πυθαγόρειος λέγει. *Etenim denarius ad mundum pertinet, ut hymnus Pythagoricus dicit.* Deinde Οὐρανὸς, *Cœlum*, dicebatur: cujus rei hanc Anonymus nobis rationem reddit: Απὸ δὲ τὸν ὅρον τὸν τελειότατον ἀριθμοῦ εἶναι· παρ᾽ ὃ δεκὰς, οἱονεὶ δεχὰς, καθάπερ ὁ οὐρανὸς τῶν πάντων δοχεῖον, (ἐπωνόμαζον) Οὐρανόν. *Cœlum vero cognomento appellabant, quod is numeri terminus perfectissimus esset; unde & Δεκὰς quasi Δεχὰς dicebatur: quemadmodum cœlum rerum omnium receptaculum est.* Huc referri etiam debent ista Cassiodori verba, *Variar.* lib. 1. ep. x. *Juvat inspicere, quemadmodum denarius, more cœli, & in seipsum revolvitur, & nunquam deficiens invenitur.* Pachymerius, *Metaphys.* c. III. *Quoniam denarius numerus perfectus est, quum ii ipsi (Pythagorici) cuperent ea, quæ in cœlo continentur, denario attribuere, & novem in cœlo invenirent, (septem enim planetarum orbes sunt, & cœlum, in quo sidera fixa habentur, & terra) adjecerunt antichthona, ac decem fecerunt: eoque modo decem ista denario accommodarunt.* Ad τῆς Εἱμαρμένης, *Fati*, nomen referenda ista Procli, *in Tim.* lib. v. Τὴν δεκάδα καὶ τῷ δημιουργῷ προσοικειοῦσι, καὶ τῇ Εἱμαρμένῃ, Πυθαγορείων παῖδες. *Denarium Pythagorei accommodant opifici, & Fato.* Causa exponitur ab Anonymo: Εἱμαρμένην δὲ πάλιν ἔλεγον, παρόσον οὐδεμία ἰδιότης, οὔτε ἐν ἀριθμοῖς, οὔτε ἐν τοῖς οὖσι κατ᾽ ἀριθμοῦ σύστασιν, ἐστὶν· ἢ οὐκ ἐν δεκάδι, καὶ τοῖς ἐντὸς αὐτῆς, σπερματικῶς καταβέβληται· κατὰ εἱρμὸν δὲ λοιπὸν. καὶ ἀκολουθίαν, διατείνει καὶ ἐπὶ τὰ μετ᾽ αὐτήν. Εἱμαρμένη δὲ, ὡς εἱρομένη τις, καὶ διατεταγμένη, ἀπόβασις. *Fatum vero rursus dicebant, quatenus nulla proprietas, nec in numeris, nec in conjunctionibus, existentibus in numero; aut non in denario, & illis, qui intra illum, seminaliter conjecta est; per seriem vero reliqua, & consequentiam, protendit etiam ad illa, quæ post illum. Fatum autem, ut dictus quidam, & bene constitutus, exitus.* Sic rescribo eo loco: nam mendose hodie editur, Κατὰ δὲ εἱρμὸν δὲ λοιπὸν κατ᾽ [ἀκολουθίαν, διατείνει. *Per seriem vero reliquam per consequentiam, protendit.* Inde rationes [reddit, cur Αἰῶνα, Κράτος, Πίστιν & Ανάγκην, *Ævum, Potentiam, Fidem & Necessitatem*, appellaverint. Mox & addit de Atlantis cognomento: Ατλας δὲ παρόσον ὁ μὲν Τιτὰν, μυθεύεται φέρειν ἐπὶ τοῖς ὤμοις τὸν οὐρανὸν, φησὶ γάρ. ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς μακρὰς, αἳ γαῖαν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν· ἡ δὲ δεκὰς, τὸν τῶν σφαιρῶν συγκρατεῖ λόγον, οἷον πασῶν τὶς διάμετρος οὖσα, καὶ περιάγουσα ταύτας, καὶ περικλείουσα συνεκτικώτατα. *Atlas autem quatenus quidem Titan, fingitur humeris ferre cœlum, dicit enim: sustinet vero columnas ille longas, quæ terram & cœlum ab utraque parte continent; denarius vero, sphærarum continet rationem, quasi omnium quidam diameter existens, & illas circumducens, & circumcingens constantissima.* De Atlante, qui cum cæteris Titanibus postquam cœlum oppugnasset, victus tanquam in supplicium, cœlum ferre sit coactus, vide Hyginum, *Fab.* CL. sed quis ille, quem dicere ait? Εχει δέ τε κίονας αὐτὸς μακρὰς, *Sustinet autem columnas ille longas.* Ejus nomen isthic excidit, quod restituo in hunc modum: Φησὶ γὰρ Ομηρος, *Dicit enim Homerus.* Nam Homeri est hic locus, quem respexit, *Odyss.* lib. 1. v. 51. seqq.

— Θεὰ δ᾽ ἐν δώμασι ναίει,
Ατλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
Μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι.

— Dea vero intra domum habitat,
Atlantis filia multiscii, qui maris
Totius profunditates scit, habet vero columnas ille
Longas, quæ terramque & cœlum ab utraque parte tenent.

Ad cognomen Ακάμαντος, *Indefessi*, pertinet illud ex hymno Pythagoricorum, apud Proclum, *in Tim.* l. v.

Ατροπον, ἀκαμάτην, δεκάδα κλείουσί μιν ἁγνήν.
Immutabilem, indefessum, denarium vocant ipsum castum.

Quæ deinde cognomenta memorantur, Οὐρανία, Μνήμη, atque Μνημοσύνη, *Urania, Memoria*, atque *Mnemosyne*, ea quoque ab Anonymo referuntur. Verum & nonnulla alia, a Nicomacho prætermissa, apud alios Auctores observare est. In his Πάμωχος: de quo sic Hesychius tradit: Πάμωχος, ὁ κύριος, Ιταλοί. καὶ ἡ δεκάς. *Pamochus, dominus, Itali: & denarius.* Πρῶτος τετραγωνισμὸς, *Prima quadratura.* Chalcidius, *in Timæum* Platonis: *Decumanum numerum Pythagorici appellant Primam Quadraturam, propterea quod ex primis quatuor numerus consit, uno, duobus, tribus, quatuor.* Σφαῖρα. Philoponus, *in Metaphys. l. 1. Denarium vero dicebant Mundum, ut susceptivum; illum quidem, numerorum, hunc vero, omnium corporum. Ideo & vocabant sphæram.* Κλειδοῦχος, *Claviger*. Anonymus, in *Theologumenis*: Κράτος δὲ, (ἔλεγον) ὅτι κρατύνεσθαί τε τὰ κοσμικὰ δι᾽ αὐτοῦ συμβέβηκε, καὶ τῶν ἄλλων κρατεῖν ἀριθμῶν ὁ δέκα φαίνεται· πάντων τε λόγων ἕρκος τι, καὶ περίκλεισις, καὶ δοχεῖον. διόπερ καὶ Κλειδοῦχος ἐκαλεῖτο. *Potentiam vero, (dicebant) quod stabiliri & mundana per illum contigit, & alios continere numeros denarius apparet; & omnium rationum septum quoddam, & circumclusio, & receptaculum: quapropter & Claviger appellabatur.* Apud Cedrenum, Κλαδοῦχος scribitur: quia cæteri inde numeri, tanquam rami pullularent: Η δεκὰς, δεχὰς προσαγορεύεται· ὡς δεκτικὴ τοῦ ἀπείρου. ἡ αὐτὴ καὶ Κλαδοῦχος, διότι ἐξ αὐτῆς οἱ ἀριθμοὶ πάντες, ὡς κλάδοι τινὲς, φύονται. *Denarius, dechas vocabatur; velut monstrator infiniti: qui ipse & Ramos habens, quare ex illo numeri omnes, tanquam rami quidam, nascuntur.* Denique etiam Παντέλεια, *Perfectus*. Anatolius, apud Anonymum: Καλεῖται δὲ Κράτος, καὶ Παντέλεια, (ἡ δεκὰς) ἐπεὶ πάντα περαίνει τὸν ἀριθμὸν, περιέχουσα πᾶσαν φύσιν ἐντὸς ἑαυτῆς, ἀρτίου τε καὶ περισσοῦ, κινουμένου τε καὶ ἀκινήτου, ἀγαθοῦ τε καὶ κακοῦ. *Nominatur autem*

Potentia, & *Perfectus*, (*denarius*) *postquam omnia terminant numerum*, *circumtenens totam naturam intra se*, *parisque & imparis*, *mobilisque & immobilis*, *bonique & mali*. Ubi iterum observa, Παντέλειαν, *Perfectum*, dictum a perfectione: ad quam, ut hoc item moneam, illud quoque pertinebat, quod in numero convivarum Pythagorici, sic edocti a præceptore, eum numerum minime sibi excedendum existimarent. Ac de hoc

A ipsorum more ita Jamblichus, *de Vita Pythagoræ*, lib. I. cap. XXI. Μὴ πλεῖον ἢ δέκα ἀνθρώπους συνευωχεῖσθαι. *Homines non plures decem convivari*. Quem locum respexit Eustathius, *ad Iliad. β'*. Ἱστορεῖ γοῦν καὶ ὁ σοφώτατος Ἰάμβλιχος, τὰ Πυθαγορικὰ συσσίτια μὴ ἔχειν πλεῖν ἢ δέκα ἀνθρώπους συνευωχουμένους. *Itaque memorat sapientissimus Jamblichus*, *convivia Pythagorica non habere plus quam decem homines*.

F I N I S.



JOACHIMI CAMERARII,

PABEPERGENSIS,

HISTORIA

REI NUMMARIÆ,

SIVE

DE NOMISMATIS GRÆCIS ET LATINIS.

NOBILI ET PRAESTANTI DIGNITATE VIRO

ADAMO CAROLO

CONSILIARIO REGIO, &c.

JOACHIMUS CAMERARIUS,

PABEPERGENSIS,

S. D.



IDE quanta ſit liberalitas mea, Carole, vel potius quam ſuperbi ſimus; qui te, non ſolum operam, ſed ſumptus etiam quoſdam beneficii tui condonante ac remittente nobis, pecuniam curare quam gratias agere tibi, maluerimus. At quam pecuniam? non ad illam ſummam impenſarum, quam indicavit Petrus Collatinus noſter, ſed totis millibus tibi annumeravimus, de quadam mirifica ſcilicet copia, Ariſtophanea illa quidem, in qua θεράποντες ϛατῆρσι ἀρτιάζωσι. Quod ſi non fallit me perſuaſio de te mea, quæ, ut videtur, me nequaquam fallit, multo tibi hoc aurum & argentum chartaceum a me offeretur gratius, quam ulli vulgarium divitum ſuæ copiæ, eritque recitationis horum ſonus jucundior auribus tuis, quam iſtorum in menſulis unquam nummi tinniant. Nos quidem hæc & ſimilia quædam fortaſſe non male poſſimus perſolvere, quibus cum te delectari in ſingulari eruditione doctrinæ, & voluntatis atque judicii veritate maxime conſtet, non dubitare acceptam tibi hujus monetæ perſolutionem futuram eſſe, & anniti debemus, ut aliquid ſaltem debitorum, quibus tibi ſumus graviſſimis obligati, diluere poſſimus. Ac nunc ſane magis ut intelligeres noſtrum nomen non eſſe malum, quicquid licuit conflavimus, quod ad te mitteremus, quam ulla ex parte ſummis meritis tuis ut ſatisfacturos nos eſſe confideremus. Hoc ergo quod nunc accipis, ſi Deus propoſito inceptoque faverit, aliud ſequetur mox paulo majorum vigiliarum opus, & quaſi de pleniore arca depromtum, quo ſtudium tibi declaretur meum & probetur memoria. De quo tamen ſcribere non libet, ut recens illud, quicquid erit, & veluti indelibatum indicatione noſtra ad te perveniat. Quod reſtat, te, mi Carole, id quod ipſe facis tua ſponte, oro, ut bonarum artium & literarum, quarum tu es princeps, cauſſam, his temporibus difficilem & impeditam, defendere, & harum non tam dignitati quam omnino ſaluti, patrocinio tuo adeſſe velis, & efficere ut illarum cultores intelligant non prorſus de ſtudiis ſuis actum eſſe. Quod ſi accidet, fortaſſe non deerunt, qui nullum laborem neque periculum in his colendis exercendiſque refugiant. Sed de his alias, ſi res feret, copioſius. Nunc, ſi videbitur, ſi ad pecuniam tibi tranſmiſſam recognoſcendam accedes, & tuum erga me amorem conſervabis, vel etiam augebis. Vale. Tubingæ Suevorum, xv. Calend. April.

JOACHIMI CAMERARII, *PABEPERGENSIS*, HISTORIA REI NUMMARIÆ, *SIVE* DE NOMISMATIS GRÆCIS ET LATINIS.



HISTORIOLAM *Rei Nummariæ* quandam collegimus nos quidem ipſi maxime repetentes memoria quicquid de his forte lectione noſtra obſervaſſemus, ſed opuſculum abſolutum, non enim perfectum poſſum dicere, cui tam multa deſint; illud vero cum deſcriptione noſtra eo eſſet perductum, quo fuerat inſtitutum, viſum eſt ejuſmodi quod cum bonarum artium atque ſtudiorum humanitatis amatoribus communicari deberet. Arbitrabamur enim in hoc illorum alios quod libenter cognoſcerent, alios quo admonerentur plurium, alios etiam quod diſcerent inventuros eſſe. Tradidimus igitur edendum chalcographo, jacturam paucarum chartarum non magnam ſcilicet facturo, ſi eventus fuiſſet infelicior. De noſtra autem opera non eſſe unquam cur ſolicitaremur putavimus, cum ipſi diligentiam & aſſiduitatem præſtitiſſemus: videbuntur enim ſemper & viſa ſunt aliorum ſcripta aliis meliora, aliis deteriora. Doctorum autem lectione prorſus indigna nulla, niſi negligentia aut inertia autoris deformia & abjecta. Sed hæc omittamus. Nos quidem in appellationibus exponendis Græca Latinis apponere fere ſtuduimus, ut aliqua ex parte hoc ſcriptum ὀνομαςικὸν quoddam *Rei Nummariæ* videri poſſit. Reliqua ſumus promiſcue quidem, ſed tamen non ſine ordine, neque abſque ratione executi. Sed nunc tandem ad rem veniamus.

Pecuniam a pecore appellatam, cujus nota ſignata eſſet, conſtat. Apud Romanos Servius Rex primus ſignavit. Græci χρήματα vocarunt, quod uſus horum eſſet maxime idoneus ad neceſſariarum rerum comparationem, νόμισμα vero, quod communi conſenſu precium pecuniæ conſtitutum eſſet. Etſi pecunia quidem non ſolum numeratam ſignificat, ſed totum patrimonium, & ut ait Juriſc. *omnes res tam ſoli quam mobiles, & tam corpora quam jura*: ita ut χρημάτων nomine omnis res & ſupellex Veteribus appellata fuit, ut apud Homerum de donis Phæacum, veſtes, aurum, ahena, χρήματα dicuntur, *Odyſſ.* ν.

Ἀλλ᾽ ἄγε δὴ τὰ χρήματ᾽ ἀριθμήσω.
Sed age jam res numerem.

Et Heſiodus in *Op. & Dies*:

Χρήματα δ᾽ οὐχ ἁρπακτά· θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω.
Opes vero non rapiendæ; divinitus enim *datæ, multo meliores.*

Nondum enim uſum fuiſſe pecuniæ illis temporibus certum eſt, ut poſtea quoque dicetur. Ariſtoteles igitur *Ethic.* lib. IV. & *Polit.* lib. I. docuit,

A χρήματα vocari omnia ea, quorum precium pecunia conſtitui ſoleat. Nam in hac ſigna & notas quaſi pondera eſſe. Pecuniam Phœnices inveniſſe traduntur, menſuraſque & pondera. Nonnulli inter alia & hoc inventum tribuunt Palamedi. Vocant & κέρματα Græci minutiorem pecuniam, & κατακερματίσαι, quo verbo in *Politico* & *Menone*, & *Sophiſta*, Plato uſus, de exilitate diviſionum, ut cum totum in partes, aut genus in ſpecies, diſtribuitur. De pecunia verbum ponitur apud Ariſtop. in *Veſp.* διεκερμάτιζέ με ἐν τοῖς ἰχθύσιν, id eſt, *διῄρει κερματίζων, commutans drachmam obolis partiebatur.*

B Pecunia fuit aurea, argentea ærea, etiam ferrea. Quæ metalla omnia inveniſſe ſe ait Æſchyli *Prometheus*. Græcis χρυσία καὶ ἀργυρία & χαλκία. Plato *de Legibus* quinto, κεκτημένην δ᾽ αὖ ἀργύρεια καὶ χρύσια. Ariſtoph. in *Ranis*, ἀλλὰ τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις. Lacedæmoniorum moneta fuit ferrea grandis ponderis, ut precium decem minarum, id eſt, ſeſtertium quatuor M. & domi requireret ſpacioſam ædiculam, ubi reponeretur, & non transferri, niſi vehiculo atque jumentis poſſet. Quo conſilio inſtitutoris, qui Lycurgus fuit, ejecta putantur pleraque genera malorum facinorum. Quis enim jam furari, aut corrumpi donis, aut fidem fal-

C lere depoſiti, aut rapere aliena vellet, cum neque facile occultari hæc, neque in poſſeſſione ulla dignitas, neque conflatorum uſus eſſe poſſet, quippe etiam ferro in excuſione aceto corrupto. Fuit & Byzantium nomiſma Doricum atque ferreum. Unde Ariſtoph. in *Nebulis*, σιδαρέοισιν ὥσπερ ἐν Βυζαντίῳ. Dionyſius etiam tyrannus Syracuſanus coegit ſtanneis aliquando numis uti, cum precium ſtatueretur pro una Attica drachma drachmarum quatuor. Traditum eſt memoriæ unum de Teutonicis Imperatoribus, Fridericum, ut opinor, Ænobarbum, in penuria auri & argenti corium ſignaſſe claviculis argenteolis, & ſtatuto precio perſolviſſe ſtipendium militi, pollicitum prima oblata copia ſe illud auro & argento redemturum eſſe, qua fide habita exercitus in officio manſerit, & Imperator

D victoria fuerit potitus.

Monetam a monendo dictam volunt, propter ſubjectionem diverſorum temporum atque civitatum, nec non precii, quæ omnia de ſignis intelligerentur. Numus & ipſum generale vocabulum pecuniæ, ſed minutioris fere. Vel potius tum intelligitur ſeſtertius, cujus exiguum fuit precium. Pollux Græcam vocem eſſe docuit, ut mox dicetur. Nunc alia quædam ad pecuniariam mentionem pertinentia exequamur. Ab hac dicuntur *pecunioſi*, id eſt, εὐχρήματοι, πολυχρήματοι, iidemque πλούσιοι, & Platoni παμπλούσιοι: & genus πολυπλούσιον apud Plaut. unum pollens atque honora-

tissimum in Aulide: & ἀρχέπλουτοι *veteres divites*: & πλοῦτος qui cœcus perhibetur. Divitiæ sunt & divites & prædivites Latinis. Etsi Veteres divitiarum genus addidisse putantur, ut:

—— ditissimus agri
Qui fuit in Teucris.

Et:

Dives opum, dives pictai vestis & auri.

Et Horatius:

Sis pecore & multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat.

Verbum πλουτεῖν significat *esse divitem*: ut, πᾶσιν δ' ἀνθρώποις ἀρετὴ μία γίνεται ἠδὲ πλουτεῖν. πλουτίζειν activum est, ut Xenoph. *de Vectigal.* πολλοὺς πλουτιζομένους, *multos ditescentes*, id est, divitias acquirentes. ἀπὸ τοῦ πλούτου est πλούταρχος, duplicatum & proprium nomen, quasi *divitiarum principem* dicamus: & deminutum πλουτάξ. Grammaticis placet πλοῦτον proprie dici collectas longo tempore divitias, quasi πολυετῆ, & distingui ab eo quod ἄφενος dixere, quæ sint veluti cotidianæ copiæ. Cum suspicari aliquis possit significationem esse in nomine incerti & quasi fluctuantis cursus, in hominum usu, qui est πλοῦς, seu *navigatio* in mari. Vel copiæ & abundantiæ, ἀπὸ τοῦ πλέον. Aristoph. in *Avib.* lusit conjungendo ea quæ maxime ab hominibus expetuntur, divitias & sanitatem, appellavitque ambas uno nomine πλουθυγείας. Genii autem sunt Hesiodo πλουτοδόται: quod nomen & in *Orphicis Hymnis* legitur, id est, *largientes divitias*: & est in iisdem πλουτοδοτῶν, a verbo πλουτοδοτῶ.

Fuisse quidem divitias Veterum agros & pecus notum; ex eo sunt πολυκτήμονες, & πολυπάμονες, id est, *locupletes*, & *opulenti*. Item alia Homerica, πολύαρνι Θυέστῃ. & ἄνδρες πολύῤῥηνες, πολυβοῦται. Item βίοτον dixere *copias* Antiqui, res scilicet necessarias ad victum. *Odyss. o.*

Οἱ δ' ἐνιαυτὸν ἅπαντα παρ' ἡμῖν αὖθι μένοντες
Ἐν νηῒ γλαφυρῇ, βίοτον πολὺν ἐμπολόωντο.
Hi autem per annum totum apud nos manentes
In navi concava, copias multas lucrabantur.

Πλεμυσιάζοντας dixere *abundantes* & *copiosos*, & proverbii figura ἐκ πίθου ἀντλεῖν. Dixere & ὀλβίους & εὐδαίμονας, & εὐτυχεῖς. Etiam latini *felices* & *beatos*. Cicero *in Sallustium: Unde tu qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tanquam somnio beatus hortos pretiosissimos, villam Tiburti, C. Cæsaris reliquas possessiones paraveris?* Euripides beatum esse quenquam mortalium negat. Sed versus illius perelegantes ascribamus:

Θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ,
Ὄλβου δ' ἐπιῤῥυέντος εὐτυχέστερος
Ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.
Nemo beatus omnium est mortalium,
Sed affluentibus opibus felicior
Alio alius fuerit, nemo beatior.

Apud Herodotum docet Solon Crœsum quid inter ὄλβιον & εὐτυχῆ intersit: ὄλβιον enim dici neminem oportere ante felicem vitæ finem, sed rebus secundis, & fortuna prospera, εὐτυχῆ: hoc non sapienter monuisse Solonem dicit Cato in tertio *Finium*, & differit copiosius Aristoteles in *Ethic. Nicomachi* l. 1. Pecuniarum nimia cupiditas omnibus sæculis & apud gentes cunctas in probro habita. Ea vocatur avaritia, & huic dediti avari, Græcis sunt φιλοκερδεῖς, φιλοχρήματοι, φιλάργυροι: & res φιλοκέρδεια, φιλοχρημοσύνη, φιλαργυρία. Græci etiam ἀνελευθέρους, id est, *illiberales*, dixere: servi

A enim tales sunt pecuniæ. Et Latini *sordidos*, id est, αὐχμῶντας, ut introducitur ab Aristoph. *Plutus*, eosdem & σκνῖπας dixere, quod est vermiculi genus, quasi *corticum arrosores*. Itemque ὀβολοστάτας. Etsi ita proprie fœneratores appellabantur. Aristoph. *Nebulis*, κλάντ' ὀβολοστάται αὐτοί τε καὶ τἀρχαῖα, καὶ τόκοι τόκων. Dixere autem mutui summam ἀρχαῖον & κεφάλαιον, id est, *sortem*, & *fœtum*: τόκον *fœnus*, quæ est merces usuræ; nam usurarium est, quicquid accipitur utendum. Et apud Plautum uxor usuraria. Pecuniam qui dat mutuo δανείζει: unde δανειστής, id est, *danista*: qui sumit δανείζεται.

B Demosthen. πρὸς Τιμόθεον: δανείζεται τὰς χιλίας δραχμὰς παρὰ τοῦ Ἀντιφάνους. *Sumit illa quatuor milia drachmarum ab Antiphane*: & mox ταύτας Φίλιππος δανείσας ἀποστερεῖται, *illis Philippus qui dedisset circunducetur*. Horum libelli ἐφημερίδες, id est, *diaria*, dicuntur. Item χρῆσαι dicitur, qui alteri pecuniam mutuo dat, sed proprie qui amico gratuitam: χρήσασθαι qui accipit. Demosth. πρὸς Τιμόθεον. ἐκέλευσεν αὐτὸν χρῆσαι χιλίας, τετρακοσίας, πεντήκοντα μίαν, δύο ὀβολούς. Et ab hoc χρήστης, quem ait Pollux significare proprie *debitorem*, quamvis alicubi & *creditor* hoc vocabulo designetur, significatione autem *debitoris* ponitur in *Oratione* Demosthenis ὑπὲρ Φορμίωνος. Εἵλετο μᾶλλον

C αὐτὸν τοῦ Πασίωνα χρήστην ἔχειν τούτων τῶν χρημάτων, ἢ τοὺς ἄλλους χρήστας, οἷς προϊέμενος ἦν. χρῆσαι tamen & *commodare* est, ut χρῆσόν μοι μάκτραν, Aristoph. Plato legem esse vult, μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκῳ· ὡς ἐξὸν μὴ ἀποδιδόναι τοπαράπαν τῷ δανεισαμένῳ μήτε τόκον, μήτε κεφάλαιον, id est, *ne quis pecuniam in fœnus collocet; nam licere illi qui sumserit retinere, neque reddere tam fœnus quam sortem*. Sententia legi Solonis, quæ postea exponetur, contraria. Veteres rem pecuniariam fere ad trapezitas gessere. Apud quos pecunia, quibus debebatur, transscribi soleret. Item rescribi rursum argentum, & perscri-

D bi, ut apud Terent. in *Phormione*, ii sunt argentarii, & argentariam facere ἐπικαθίζεσθαι τῇ τραπέζῃ. Hi & ἀργυραμοιβοί, *permutatores* quidam *pecuniæ*, & δοκιμασταί, *exploratores*: nam probatum scilicet numerari sibi voluere: inter explorationes autem fuit, ut aurum maxime coticula terendo perstringerent, quam vocarunt Lydiam, secundum hoc Theocriti, *Idyll.* XII. sub finem:

Λυδίῃ ἶσον ἔχειν πέτρῃ στόμα, χρυσὸν ὁποίῃ
Πεύθονται μὴ φαῦλον, ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.
Ut Lydio lapidi similia labra habeat, quo aurum
Purum explorant argentarii, ne sit vitiatum.

E Item Chilonis hoc fertur: Ἐν λιθίναις ἀκόναις ὁ χρυσὸς ἐξετάζεται διδοὺς βάσανον φανεράν, ἐν δὲ χρυσῷ, ἀνδρῶν ἀγαθῶν τε νοῦς ἔδωκ' ἔλεγχον. *Cotibus aurum, auro hominum ingenia explorari*. Posita autem mensa hi in foro præsidebant, & mutuam dabant pecuniam, accipientibus τὸ χρέος, vel pignore opposito, vel testibus datis: unde & ὑπέρχρεως & κατάχρεως, *obæratus* & *oppressus ære alieno*, & ὑπόχρεως οὐσία, *oppigneratum patrimonium*. Hoc cum acciderat, definiebantur eæ res & prædia, quæ creditoribus addicta essent. Fines autem notabantur columnula aut saxis appositis, unde & ἐστίχθαι dicebantur, id est, notata illa, atque eadem ὑπόβολα & ὑποκείμενα. Demosth. πρὸς Τι-

F μόθεον. Ἡ μὲν γὰρ οὐσία ὑπόχρεως ἦν ἅπασα, καὶ ὅροι αὐτῆς ἕστασαν, καὶ ἄλλοι ἐκράτουν. ὁ μὲν γὰρ ἐν πεδίῳ ἀγρὸς, ἀποτίμημα τῷ παιδὶ Εὐμηλίδου καθειστήκει. ἑξήκοντα δὲ τριηράρχοις τοῖς συνεκπλεύσασιν αὐτῷ, ἑπτὰ μνῶν ἑκάστῳ, ἡ ἄλλη οὐσία ὑπέκειτο, &c. Quorum hæc sententia est: *Nam patrimonium oppigneratum totum, & illius fines constituti erant, atque alii jam possidebant. Ille enim campestris ager æstimatus filio Eumelidis remanebat. Sexaginta autem trierarchis qui cum eo solverant, opposita erant*

rant reliqua bona singulis ad viginti octo millia sestertium, &c. in eadem *oratione* etiam δάνεισμα ποιεῖται significat *debitum contrahit*. *Debiti* etiam Græca vox est δάνειον, & *debitoris* χρεώστης: qua & *creditorem* significare volunt: & χρεωφειλέτης, *debitor*, nam ὀφείλειν *debere* est, post mendacia apud Persas turpissimum habitum. Sic enim Herodotus in *Clio*: Αἴσχιστον δὲ αὐτοῖσι τὸ ψεύδεσθαι νενόμισται, δεύτερα δὲ τὸ ὀφείλειν χρέος, πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων εἵνεκα, μάλιστα δὲ ἀναγκαίην φασὶ εἶναι τὸν ὀφείλοντα καί τι ψεῦδος λέγειν. Et ὀφειλήματα, *debita*, ὀφλήματα enim *mulctas* dicere judiciorum, & verbum ὄφλειν. Ex lege in *oratione* κατὰ Τιμοκράτους: Μὴ δὲ περὶ τῶν ὀφειλόντων τοῖς θεοῖς ἢ τῷ δημοσίῳ τῶν Ἀθηναίων περὶ ἀφέσεως τοῦ ὀφλήματος. Et mox in alia lege, ἐὰν μὲν αὐτὸς ὄφλων ἱκετεύῃ πρὶν ἐκτίσαι: χρεωκοπεῖσθαι verbum *confici ære alieno*: χρεῶν ἀποκοπὴ, novæ tabulæ, quam rem Solon ὑποκοριζόμενος σεισάχθειαν appellavit, quasi dicas *onerum discussionem*: ἀξιόχρεως, *fide dignus*.

Jam in permutationibus merces, hoc est, lucrum trapezitæ, κόλλυβος dicebatur, fortasse quod tales numi aliquando persoluti fuerint, qui κόλλυβοι dicerentur, de quibus postea. Divites & παχεῖς dixere, id est, *primarios cives*, ut contra *plebem* & *tenues* λεπτούς. Herodotus in *Terpsich.* ἔφυγον ἄνδρες τῶν παχέων ἐκ Νάξου. Et in *Erato*: Αἰγινητέων δὲ οἱ παχέες ἐπαναστάντος τοῦ δήμου σφι ἅμα Νικοδρόμῳ ἐκράτησαν. Atque ita hoc vocabulo Athenienses maxime usos tradunt. Aristoph. in *Vespis*: καὶ γὰρ ἀνὴρ παχὺς ἥκει τῶν προδόντων τἀπὶ Θρᾴκης. Item divites περιφραστικῶς, οἱ ἐκ μεγάλου διαγράμματος, id est, *locuplete censu*: nam cum tributa imponebantur, fiebat horum descriptio secundum facultates civium. Præterea λειτουργίαι, id est, *publica munera*, divitum erant (significabat enim Priscis *publicum*, τὸ λειτὸν, & Ionice ut Herodoto λήϊτον) Harumque aliæ belli, aliæ pacis, hæ ferme, τριηραρχία & εἰσφορὰ, cum navis instruebatur, & conferebatur reipublicæ, aut iis, pecunia, qui ob patriam pericula sustinerent. Χορηγὸς in ludis choro cibum, coronas, ornamenta, præbebat: Γυμνασιάρχης, in palæstra oleum suppeditabat, hic etiam crateras plenos oleo proponebat ad publicas unctiones. Hinc nata sermonis figura de divite, τὸν τῶν λειτουργούντων οἶκον λειτουργοῦντα διαδέξασθαι, id est, *successisse in familiam ipsum munerarium*, ut ita loquar. Quod si forte functiones has recusaret, dabatur actio τῆς ἀντιδόσεως, hac postulabat qui volebat. Inter detrectatorem publicorum munerum ac se permutatio patrimoniorum ut fieret, atque ita functionem pollicebatur. Extat *oratio* Isocratis περὶ ἀντιδόσεως. Sunt & εὔκληροι & βαθύκληροι, *divites*, ἄκληροι, *inopes*. Nam conditis urbibus possessiones sorte distribuebantur.

Quia autem incidit ut opum divitiarumque mentionem faceremus, de his Veterum sententias etiam quasdam referamus. Ac aliqui sapientes divitias virtutis cum comparationi tum cultui contrarias esse statuere. Plato quidem pronunciat in libro quinto *de Legibus*, fieri omnino non posse, idem ut virtute & divitiis excellat. Idem in v. Πολιτ. dicit, in qua civitate divitiæ in honore sint, in ea virtutem & bonos despici. Demosthenes etiam Midiam accusans, munitam improbitatem potentia & divitiis, non facile expugnari posse ait. Euripidis autem Polynices ait esse, δειλὸν τὸν πλοῦτον καὶ φιλόψυχον κακὸν, (sicut dicitur *pallida mors*, & χλωρὸν δέος) id est, *divites esse timidos*, & *valde metuere mortem*. Ergo Crates Thebanus, ut aliqui tradidere, in mare abjecit, ut alii, reliquit suis patrimonium satis luculentum, quippe æstimatum scribitur talentis octo; quæ summa fuerit nummi Romani centum nonaginta duo M. sestertium, sive sestertia centum nonaginta duo, nostratis, ut rectissime æstimari puto coronatis secundum doctrinam Budæi, coronatorum quatuor M. octingentorum. Laertius scribit Socratem in ore frequenter solitum habere Euripidis versus hos:

Τὰ δ' ἀργυρώματ' ἐστὶν, ἥτε πορφύρα,
Εἰς τοὺς τραγῳδοὺς χρήσιμ', οὐκ εἰς τὸν βίον.
Argentea autem sunt, ac purpura,
Tragœdis utilia, non vitæ.

Qui si sustulit splendorem quendam divitiarum, qui illarum non postremus usus putatur, possessionem scilicet universam videtur improbasse. Est & notum hoc scholion Timocreontis Rhodii: Ὤφελες, ὦ τυφλὲ πλοῦτε, μήτ' ἐν γῇ, μήτ' ἐν θαλάττῃ, μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανήμεναι, ἀλλὰ τάρταρόν ναίειν, κ' Ἀχέροντα. διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά. Contra vero aliqui nimium quantum divitiis tribuere, ut Theognis:

Πλοῦτε θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
  Σὺν σοὶ, καὶ κακὸς ὢν, γίγνομαι ἐσθλὸς ἀνήρ.
Plute deorum pulcherrime & desiderabilissime
    omnium,
  Cum te, & malus si sim, fio bonus vir.

Item Hesiodus, in *Oper. & Dies*:

—— πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.
—— *divitias vero virtus & gloria comitatur.*

Et fertur verbum vetus Aristodemi, qui amissis cum re amicis dixerit, χρήματ' ἀνὴρ, πενιχρὸς δ' οὐδέτις ἐσθλὸς οὐδὲ τίμιος, ut ex Alcæo commemoratur. Pindarus *Isthm.* ode II. notat ἀπόφθεγμα. Sic, χρήματα, χρήματ' ἀνήρ. Jam apud Euripidem quid ait Cyclops?

Ὁ πλοῦτος, ἀνθρωπίσκε, τοῖς σοφοῖς θεός.
Τὰ δ' ἄλλα κόμποι καὶ λόγων εὐμορφίαι.
Divitiæ, homulle, sunt Deus sapientibus.
Nugæ alia verborum atque præstigiæ meræ.

Ex Menandro autem versus memorantur, qui divitiis plane divinam potestatem tribuunt; cum quidem re ipsa pro divino numine sint avaris. Sed Menander ita;

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
Ἀνέμους, ἥλιον, γῆν, ὕδωρ, ἀστέρας,
Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς
Τό τ' ἀργύριον ἄρ' ἡμῶν καὶ τὸ χρυσίον.
Ἱδρυσάμενος τούτους γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν
Εὔξαι τὰ βούλει, πάντα σοι γενήσεται,
Ἀγρὸς, οἰκίαι, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταὶ, μάρτυρες, μόνον δίδου,
Αὐτοὺς γὰρ ἕξεις τοὺς θεοὺς ὑπηρέτας.

Id est:

Epicharmus animas ventorum esse ait Deos,
Solemque, telluremque, aquamque, & sidera,
At mihi videntur esse dii plane utiles
Argenti & auri numina secunda & bona.
His consecratis intus, ut facias licet
Quæ vota libuerit, omnia impetraveris,
Agros, domus, famulos, pateras argenteas,
Sodalitatem, judices, testes, dato
Tantummodo, & habebis ministros jam deos.

Sed superiores divitiis parum, hi, ut videtur, tribuere nimium. Mediæ igitur sententiæ fortasse veriores. Ut hæc Sapphus: πλοῦτος ἄνευ ἀρετῆς οὐκ ἀσινὴς πάροικος, ἡ δ' ἐξ ἀμφοτέρων κρᾶσις εὐδαιμονίας ἔχει τὸ ἄκρον. Et Pindarus *Olymp.* ode II.

Ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς
Δεδαιδαλμένος,
Φέρει τῶν τε καὶ τῶν
Καιρόν.

Divitiæ ſane virtutibus
Exornatæ,
Afferunt horumque & illorum
Opportunitatem.

Divitias dicit virtute auctas, cum ex ſe tum hac uberrimos fructus capere. Idem alibi optimum eſſe ait, divitiis potiri cum ſapientiæ felicitate. Et Callimachus:

Οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν
Οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο.

Nam ita ſe res habet, ut ſtultis & improbis in divitiis & potentia nihil ſit deterius neque intolerabilius, pauperes autem quamvis bonos & virtute præditos nemo magnopere reſpiciat: πένης γὰρ οὐδεὶς εὐγενὴς ἀνήρ, ſecundum Euripidem. Illa autem eſt humaniſſima ſententia, quæ memoratur de Græco comico Antiphane ab Athenæo, verum uſum fructumque divitiarum demonſtrans:

Τοῦ γάρ τις ἄλλου, πρὸς θεῶν περ, οὕνεκα
Εὔξαιτο πλουτεῖν, ὢ πορεῖν τε χρημάτων;
Ἢ τοῦ δύνασθαι περιβοηθεῖν τοῖς φίλοις,
Σπείρειν τε καρπὸν Χάριτος ἡδίστης θεῶν.
Quæ res alia, quæſo, movere debeat
Homines, pecuniæ ut ſibi petant copiam?
Quam ſubvenire ut egentibus amicis queant,
Fructumque ſpargere Gratiæ optimæ deæ.

Lucretii autem hoc optimum eſt:

Divitiæ grandes homini ſunt vivere parce,
Æquo animo: neque enim eſt unquam penuria parvi.

Nunc inſtitutum proſequamur. Pecunia ſignari dicitur, item feriri & cudi, νόμισμα κόπτεσθαι. Unde τοῦ πονηροῦ κόμματος, malos dixit Ariſtophanes, haud dubie alludens ad numos adulterinos. Idem in *Ranis*, κόμμα καινόν: & ibidem:

Χθές τε καὶ πρώην κοπεῖσι τῷ κακίστῳ κόμματι.

Et paulo ante:

Καὶ μόνοις ὀρθῶς κοπεῖσι καὶ κεκωδωνισμένοις.

Id eſt, *bene ſignatis & probis*. Tinnitu autem probatos dicit, ita enim periculum quoque bonitatis fieri ſolet. Etſi me non fugit alias interpretationes & varias quidem a Græcis hujus verbi afferri, hinc vel inde translationem, ut cuique ſcilicet viſum, ductam perhibentibus. Latini etiam Græcam vocem interpretantes, *nummum percuti* dixere. Plinius: *Aureus nummus poſt annum* LXII. *percuſſus eſt quam argenteus*. Pollux has etiam formulas exponit: νόμισμα ἐνσημήνασθαι, τυπῶσαι, ἐντυπῶσαι, ἐντυπώσασθαι, id eſt, *pecuniam ſignare*. Et dixere ἐπίσημον ἀργύριον, *argentum ſignatum*: ἄσημον, *non ſignatum*, id eſt, μὴ κεχαραγμένον: (*nota* enim χαρακτὴρ eſt) παράσημον, *adulteratum*, id eſt, παρακεχαραγμένον. *Nummi probi*, ἀργύριον ἢ χρυσίον δόκιμον, ἔντιμον, νόμιμον, γνήσιον. *Improbi* & *adulterini*, κεκιβδηλευμένον, κίβδηλον, ἀδόκιμον. Pollux *lib* tertio ἀργύρια numero multitudinis nequaquam appellaſſe Atticos ſcribit. Nos tamen ſupra locum de Platone adduximus, ubi legitur ἀργύρια καὶ χρυσία: & ipſe Pollux *lib.* IX. Atticorum exempla alia citat: χρήματα *facultates* poſſumus interpretantes dicere. Euripid. *Andromacha*:

Φίλων γὰρ οὐδὲν ἴδιον, οἵτινες φίλοι
Ὀρθῶς πεφύκασ', ἀλλὰ κοινὰ χρήματα.
Veros amicos inter eſt proprium nihil,
Sed omnium facultatum communitas.

Significant & *negocia* Atticis, in ſingulari numero *rem*. Herodot. in *Thalia*, τυραννὶς χρῆμα σφαλερόν. Idem in *Clio*, συὸς χρῆμα μέγα. Xenophon in *Cyropæd.* lib. II. σφενδονητῶν πάμπολύ τι χρῆμα. Ariſtophan. *Nebulis*. τὸ χρῆμα τῶν νυκ-

A τῶν ὅσον. Hæc Latini non interpretantur: χρηματιστής, *qui rei ſtudet*. Idemque χρηματιστικός, & Platoni ars χρηματιστική: & apud eundem χρηματοφθορικόν: φιλοχρήματοι *avari* ſunt, & φιλοχρηματία, *avaritia*, ut in oraculo, ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ: ἀχρήματον apud Sophoclem ſignificare ajunt inopem, cui ſcilicet quod impendat non ſit. Ariſtoteles lib. II. *Polit.* ἀχρήματον vocat civitatem Lacedæmoniorum: ἀχρημοσύνη *inopia* eſt, Thucydidi ἀχρηματία. Xenoph. autem ſunt ἐρασιχρήματοι, *cupidi pecuniæ de Factis & Dictis Socratis* lib. I. χρηματισμός, in quinto *Legum quæſtus*. Idem & χρημάτισις ſignificat: χρηματίζεσθαι, *rem*
B *facere, pecuniam congerere*: οἱ χρηματισάμενοι, *qui ipſi quæſiverunt*, apud Platonem lib. IX. *Pol.* Sed χρηματίζειν ſignificat *agere*. Demoſthen. κατὰ Τιμοκράτους: μηδὲ χρηματίζειν ὅ, τι ἂν μὴ περὶ τῆς ἑορτῆς ᾖ: id eſt: *nulla de re agere, niſi de feriis*. Et mox: Οὐκ ἐᾷ περὶ ὧν ἅπαξ γνῷ τὸ δικαστήριον πάλιν χρηματίζειν. *Non patitur lex, eadem, de quibus ſemel judicium deciderit, iterum agi.* Thucydid. *lib.* I. καὶ οἱ Ἀθηναίων πρέσβεις ὕστερον ἐφ' ἅπερ ἦλθον χρηματίσαντες. Item χρηματίζειν, *nominare*. Polybius, *lib.* V. ἐπὶ τῷ τετολμηκέναι διάδημα περιθέσθαι καὶ βασιλέα χρηματίζειν. *Quod*
C *diadema imponere, & regem ſe appellare auſus fuiſſet*. Et paulo poſt: καὶ βασιλεὺς τότε πρῶτον ἐτόλμησε χρηματίζειν, καὶ γράφειν. *Tunc primum auſus regis nomen uſurpare & in literis aſcribere.* De cognomentis fere uſi ſunt: Τυραννίων ἐχρημάτιζε Κορύμβου. Item: Δίδυμος ὁ Κλαύδιος χρηματίσας γραμματικός. Et, Δίδυμος Ἀτήϊος χρηματίσας φιλόσοφος. Cognomento *Claudius* & *Atejus*. *Actorum Apoſtolicorum* capite XI. χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς. Factum eſſe dicit, *ut tum primum Antiochiæ diſcipuli Chriſtianorum cognomen uſurparent*: κέρματα diximus eſſe pecuniam minutiorem, nam Attici
D voce multitudinis uſi, diminuta hæc eſt κερμάτιον: κέρδος *lucrum, quæſtus*; itemque λῆμμα: κέρδος *calliditatem* & *quæſtum* notat. Unde κερδοσύνη, *calliditas*. Homerus *Odyſſ.* ξ.

—— αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Ἕζετο κερδοσύνῃ.
—— *at Ulyſſes*
Sedit aſtutia.

Et *Iliad.* ζ.

Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν.
Hic autem Siſyphus fuit, qui aſtutiſſimus fuit hominum.

E Item κερδαλεός, & κερδαλεόφρων: & κερδώ, *vulpecula*. A lucro κερδῷος Mercurius, cui ſacra quondam fuere Idus Maii, quem diem feſtum mercatores celebrarent. Hujus ſimulacrum cum marſupio viſebatur, Punica effigie; nam illa gens mercaturis dedita in copia auri & argenti ſummam virtutem conſtituit, quod in diverſa ſcilicet ſententia Græci, quippe armorum magis ſtudioſi, quo habitu & ſuorum deorum ſimulacra effingere ſolerent, admodum reprehenderunt, & illis mercaturas probro vertere. Homerus *Odyſſ.* ξ.

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδὼς
F Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισιν ἐώργει.
Jam tunc Phœnix venit vir fallacia ſciens
Veterator, qui multa mala hominibus fecerat.

Ariſtoteles etiam lib. I. *Politic.* τῇ χρηματιστικῇ, hoc eſt, *arti cuidam rei faciendæ augendæque*, duas partes ſubjicit, unam quæ merito improbetur, mercaturæ & nundinationum, ipſe vocat καπηλικήν, alteram neceſſariam & bonam, curæ domeſticæ & rei familiaris. Item a lucro κερδαλέος. Pla-

to lib. I. *Polit.* Οὐδ' οἶμαι ἀδικίαν δικαιοσύνης κερδαλεώτερον εἶναι. *Non existimo quæstuosiorem rem esse injustitiam, quam justitia sit.* Item κερδαίνειν, *quæstum facere*. Sophocles *Antigona*:

Οὐκ ἐξ ἅπαντος δεῖ τὸ κερδαίνειν φιλεῖν.
Ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺς πλείονας
Ἀτωμένους ἴδοις ἂν ἢ σεσωσμένους.
Non qualibet sectanda de re lucra sunt.
Nam pluribus quæstus malos & improbos
Damno fuisse reperies quam commodo.

Significant autem hæc utilia omnino, ut in *Electra*:

Δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.
Nihil inhonestum duco quod sit utile.

Et Euripides in *Helena*:

Κακὸς μὲν ὄρνις, εἰ δὲ κερδανῶ λέγειν,
Ἕτοιμός εἰμι μὴ θανὼν λόγῳ θανεῖν.
Omen malum hoc quidem, sed in re si quid est
Boni, perhibear sane in vita mortuus.

Monetam syllaba prima brevi dixere νόμισμα. Ovid. *Fast.* lib. I.

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est,
Victaque concessit prisca moneta nova.

Et Martialis, *lib* XII. *epigr* LXVI.

An de moneta Cæsaris decem flavos.

Apud Platonem in *Sophista* νομισματοπολική, ars quædam Sophistarum emungendæ pecuniæ. Et νόμισμα πράττεσθαι, *exigere pecuniam*. Et τοῦ νομίσματος ἀλλάττεσθαι, *parare pecunia*. Et νομίσματος ἀμείβειν, *pecunia alienare*. A moneta monetarium dixere excusorem illius. Nummus, ut Pollux docet, Græcum vocabulum Italicarum & Sicularum civitatum. Sed Latini ut suo usi sunt. Hinc est nummatus pro divite. Æs, ut diximus, signavit Romæ primus Servius rex, cum ante quidem uterentur, sed rudi. Asses fuere librales, unde & *gravis æris* appellatio. Livius *libro* quarto: *Et quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant.* Ab ære ærarium, quo loco pecunia publica reponeretur. Huic fuit Romæ destinata ædes Saturni, vel quod illo regnante nulla fraus neque rapina inter homines versaretur, vel quia nihil tum cujusquam privatum,

Nec signare solum, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant.

Vel etiam ideo, quod Saturnus sit frugum & agriculturæ pater & dux, id quod falcis quoque insigne declarat. Verum copia & affluentia atque bonitas frugum, pecuniam parit. Hujus igitur autorem Deum, custodem quoque esse voluere. Nam & illos novendiales conventus fori, id est, Nundinas, eidem deo consecrarunt. Abundantia enim frugum emtiones & venditiones introduxit. Nisi forte, ut Plutarchus ait, sunt hæc fabulosa & prisca: ac Valerius Publicola Regibus pulsis primum ædem Saturni ærario attribuit, in qua & publica pecunia atque tabulæ fœderum & conventorum asservarentur: quod & loco aperto illa posita, & ad firmitatem extructa videretur, ut illic reconditis insidias non facile fieri posse arbitrarentur. Ærarium sanctius, magis inaccessum & interius quoddam dixere. Athenis ταμιεῖον sive ταμεῖον fuit in parte arcis post ædem Minervæ, ex quo & ὀπισθόδομος appellabatur. Demosthenes περὶ συντάξεως: ἀνέῳξάν τινες πρώην δή πως τὸν ὀπισθόδομον. Ærarii affecti multa Livius *lib.* XXIX. *Exitu censuræ cum in leges jurasset C. Claudius & in ærarium ascendisset, inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Deinde M. Livius in ærarium venit & præter Mætiam tribum, quæ se nec condemnasset, neque condemnatum consulem aut censorem fecisset, populum Romanum omnem, quatuor & viginti tribus, ærarios reliquit.* Sed & in beneficiis ad ærarium deferebantur, ut Cicero Archiam delatum ait; & tribuni itemque fabri ærarii nominabantur. Thesauri vero vocabulum magis reconditam pecuniam & abstrusam notat. Illud quidem tam ipsum locum ubi pecunia reposita esset, quam pecuniam. Herodotus in *Clio*, οἰκοδομέων τὸν θησαυρὸν τοῦ βασιλέως. Plautus, *Thesaurum hic inesse oportet*: verbum θησαυρίσαι, *condere*. Herodotus, τὸν μὲν βασιλέα θησαυρίσαι τὰ χρήματα ἐν αὐτῷ: itemque ἀποθησαυρίσαι. Et Platoni lib. VII. *Polit.* θησαυροποιὸς ἀνήρ, *opum congestor*. Ab ære *ærugo* ἰὸς in medicinis usitatus, atque hoc de hasta Achillis in Telephi vulnus decusso illum persanatum accepimus. Nam ærea fuisse arma heroica satis constat: *obæratus* κατάχρεως, & *æs alienum*, ὀφειλήματα. Et apud Ciceronem, *in ære meo est*, id est, meus. Item æratus, ut ferratus & auratus. Et *æreus*, χάλκεος: & χαλκεύς, *excusor*. Quo nomine *aurifex*, id est, χρυσοχόος, appellatur. Homerus *Odyss.* γ'.

—— ἦλθε δὲ χαλκεὺς
Ὅπλ' ἐν χερσὶν ἔχων χαλκήϊα, πείρατα τέχνης,
Ἄκμονά τε, σφῦράν τ', εὐποίητόν τε πυράγρην,
Οἷσίν τε χρυσὸν εἰργάζετο.
—— *venit autem faber*
Arma in manibus habens ærea, administra artis,
Incudemque, malleumque, bene-factamque forcipem,
Quibus scilicet aurum faciebat.

Item ab ære *aheneus* & *ahenum* χαλκεῖον: unde χαλκεῖον Δωδωναῖον proverbio quoque tritum: & χαλκώματα, *vasa ærea*, & de his generaliter χαλκός, id est, *æs*. Item *ærariæ secturæ* μέταλλα χάλκεια apud Cæsarem. Item Ænobarborum cognomen Neronianum: & χαλκόστομος tuba apud Sophoclem, & apud eundem ἐριννὺς χαλκόπους, *furia indefatigata*: & Διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ, *ad Iovis æratam domum*. Spartæ templum fuit τῆς Χαλκιοίκου Minervæ, vel ab æde appellatæ *ærea*, vel a fundatoribus Chalcidensibus. Item Assiduus, ut Aelii verbis ait Cicero, locuples ab ære dando: χαλκουργική, *æris coquendi & conflandi ars*, inserviens τῇ ἀνδριαντοποιΐᾳ, quæ *ars est fundendi statuas*: apud Aristotelem lib. I. *Polit.* χαλκευτικὴν autem *excusoriam artem* interpretatur Fabius *lib.* II. χαλκεῖον etiam *officinam ærariam* significat, ut χαλκεὼν, ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ, est proprium παρώνυμον ὁ Χάλκων: quem Penthesileæ volentem succurrere, amore illius captum, interfectum ab Achille esse traditur. Et duplex proprium χαλκώδων: & alia duplicia, χαλκοχίτων, & χαλκοθώραξ, *armatus*, id est, *vestitus armis*. Et in ænigmate πυρίχαλκος: χαλκόποδ' ἵππω, Homerus *Iliad.* ν'. & cervum *æripedem* vocat Maro. δόρυ χαλκῆρες, & χαλκήρης ἀσπὶς, Homero, *hasta & clypeus armatus*: κατάχαλκον ἅπαν πεδίον ἀστράπτει, id est, *campus armis fulget*, in *Phœnissis*: πολύχαλκος, *ære abundans*: χαλκεῖα, *fabrorum feriæ* Athenis, quod Vulcanum primam officinam in Attica habuisse perhibetur: harum feriarum dies fuit ἕνη καὶ νέα Πυανεψιῶνος: χαλκίον & *nomisma* est, id est, χαλκοῦς & χαλκίον: ut χαλκεῖον Δωδωναῖον; & in *Marco* ξεστῶν καὶ χαλκίων: nam ut Grammatici ajunt, ἡ λέξις διχογραφεῖται, id est, *duplicem formam habet*, quod ι scribatur & ει: χάλκεος Ἄρης, ab armis quibus prælìantes instruuntur: χάλκεος ὕπνος, *dura illa quies & æternus somnus* Maronis, id est, æreus seu ferreus, unde suscitari nemo possit: hæc est mortis περίφρασις: χαλκῆ μυῖα, lusus puerilis: & nominarunt a splendore χαλκῆν μυῖαν,

ſcarabeolum, cujus alterum nomen *μηλολόνθη*, & alterum *χρυσαλίς*: fuit & alter luſus *χαλκισμὸς*, incitate contorquebant aſſem, & qui digito impreſſo rectum illum retinebat, is victor perhibebatur, ut retulit Euſtathius. Galea eſt *χαλκοπάρηος*, *genas ære tegens*: *Χαλκὶς*, urbs, & avis, & ancilla, apud Lacedæmonios: & *χαλκιδῖτις*, quæ acciperet mercedem *χαλκῦ*, quaſi *quadrantariam* dicas: *χαλκῦ τροπαίυ* meminit Plutarchus *Alcibiade*: *χάλκανθος*, *atramentum ſutorium*, *vitriolum* nunc vocant: *χαλκοτύποι*, Veteribus *excuſores*, (ut Xenophon in *Vectigal.* *χαλκοτύποι καὶ σιδηρεῖς*) & *χαλκογράφοι*, nunc librarii appellantur, ab opere recente expreſſionis: ſed Homerus *χαλκοτύπυς ὠτειλὰς* dixit *Iliad. σ. vulnera facta ære*. Pauſanias *Arcadicis* narrat Rhœcum & Theodorum Samios, æris fundendi rationem reperiſſe: *χαλκὸν*, aliqui & ferrum & omnia duriora atque ſolida ſignificare ajunt. Priſcis quidem æramenta, non ferramenta, in uſu fuiſſe conſtat. Apud Homerum *Iliad. ί.* *χαλκέῳ ἐν κεράμῳ* legitur, *in olla ahenea*.

Argenti appellatione pecunia intelligitur omnis generis, *ἄργυρον* vocant Græci, cum ſumma pernicie hominum introductum, ut Sophocles *Antigona*.

Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισιν οἷον ἄργυρος
Κακὸν νόμισμ' ἔβλαστε, τοῦτο καὶ πόλεις
Πορθεῖ, τόδ' ἄνδρας ἐξανίστησι δόμων,
Τόδ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας
Χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγμαθ' ἵστασθαι βροτῶν.
Πανυργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις ἔχειν,
Καὶ παντὸς ἔργυ δυσσέβειαν εἰδέναι.
Nihil hominibus cum tanto introductum eſt malo
Quantum ſubiit argentum terris oppida
Quod vaſtat, eque domibus extorres ſuis
Agit incolas, docetque & pervertit animos
Mortalium mala de bonis capeſſere.
Idem dolis hominem atque totius inſtruit
Rerum impietatis omnium ſcientia.

Argentum & aurum percuſſiſſe primos omnium Lydos, ſcripſit Herodotus in *Clio*.

Ab argento, *argenteus*, *ἀργύρεος*, ut in oraculo Philippo Macedoni reddito,

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχυ, καὶ πάντα κρατήσεις.

Quo alii proditione potiturum Græcia Philippum, alii mercenarias copias Regi parandas Pythiam innuiſſe putant: & in *Epigrammate*, *Κύπριδος ἰχνευτὰς ἀργυρέυς σκύλακας*, pecuniam dixit autor venatricem amoris: *ἀργυρώματα*, vaſa, vel ſupellex argentea. Eſſe autem a ſplendore dictum *ἄργυρον* dubium non eſt: *ἀργυρίδες* pocula argentea, quæ dabantur Athenis victoribus in Heracliis: *ἀργυράσπιδες*, phalanx veteranorum Alexandri Magni ab inſignibus argento clypeis: *ἀργυρῖτις γῆ*, *terra argentiferax*, & *μέταλλα ἀργύρεια*, *argentifodinæ*. Et *ἀργυρῖται*, *argento abundantes*: & *ἀγὼν ἀργυρίτης*, ludorum certamen, ubi præmium argenteum, ſicut in gymnicis corona, qui & *στεφανῖται*. Unde jocus Gnathænæ apud Athenæum *lib.* XIII. & urbs *Ἀργυρᾶ*, in Achaia: *ἀργυρογνώμων*, *argenti explorator*: *ἀργυροδίνης*, *limpidus*. Hom. *Iliad. β.*

Οὐδ' ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ.
Neque hic Peneo commiſcetur limpidos vortices
habenti.

Ἀργυρόηλον, *clavis argenteis conſpicuum*: *ἀργυροκοπεῖον*, *officina ſignandi argenti*, & *ἀργυροκόπος* atque *ἀργυρηλάτης*, *excuſor argenti*: *ἀργυρόπεζα ἤγυν ἀργυρόπυς Θέτις*, argenteis, id eſt, candidis plantis, ut Maroni, argenteus anſer, candidus: *ἀργυρώνητος*, *ſervus emtus argento*: *φιλάργυρος*, A *avarus*: *φιλαργυρία*, *avaritia*, in *epiſtola* Hippocr. *ad Crateuam*, cujus optat ab illo radicem de humana vita recidi, ita nullæ ut reliquiæ remaneant, ſic enim non modo corpora, ſed animos poſſe purgari: *ἀργυραμοιβοὶ*, *mutatores pecuniæ*, ut diximus: *ἀργυρότοξος*, Apollo apud Homerum *argenteo cum arcu*: *ἀργυρίδιον*, deminutum ab argento: *πολυαργυρώτατοι*, *argenti ditiſſimi*, apud Herodotum: *ἀργυρολογεῖν*, *pecuniam conquirere*. Et *ἀργυρολόγοι*, atque *ἀργυρολογία*. Xenophon *Hellen.* lib. I. *ἐντεῦθεν πλέω τετταράκοντα νεῶν, ἄλλαι ἄλλη ᾤχοντο ἐπ' ἀργυρολογίαν ἔξω τῆς Ἑλλησπόντυ*. Et mox, *ἀμφότεροι ἠργυρολογηκότες*. Addamus & hoc, B *χαλκῦν*, *ἀργυρῦν*, *χρυσῦν* dici denominatione poſſeſſionis communiter: *χάλκεον*, *ἀργύρεον*, *χρύσεον*, & penultima longa diphthongo *ει*, Ionice: *ἐξαργυρῶσαι*, *argento vendere*, & vel argentum venditione colligere, apud Herodotum in *Erato*. In *Antigona* eſt *κατηργυρωμένος*, *argento corruptus*: & *κατάργυρα ζεύγη* Plutarcho, ubi vetat conflari æs alienum, *jugales ornati argento*. In *oratione* Dinarchi legitur, *πάντοθεν ἀργυριζόμενοι*, *undique quærentes argentum*: *ἐξαργυρίσαι τὴν στρωμνὴν*, *libro* octavo Thucyd. Grammatici emendantes reponunt *ἐξαργυρῶσαι*. In C Demoſthenis tamen *oratione περὶ εἰρήνης*, legitur, *ἐξαργυρίσας τὴν ὐσίαν*, id eſt, *patrimonio vendito & conflata pecunia*. In legibus Solonis *ἀργύριον στάσιμον*, *pecunia funebris*, ut exponitur in *oratione* Lyſiæ *κατὰ Θεομνήστυ α.* referuntur autem verba legis hæc: *τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι ἐφ' ὁπόσῳ ἂν βύληται ὁ δανείζων*: *quanto quiſque velit, tanto pecuniam ut collocare liceat*: *ὑπαργυρῦν*, obnoxiam rem facere creditoribus, argento mutuo accepto, apud Plutarchum legitur. Spuma argenti *λιθάργυρος*, Medicis notus: *ὑδράργυρος*, *argentum vivum*, vel potius inſtar argenti vivi, nam hoc nativum, ille fit arte, etſi eadem res videtur. D Suidas proverbium adducit, *ἀργυρίυ χρῆναι παλῦσι*, de divitum arrogantia & loquendi libertate. Nam, ut Theognis ait, lingua alligata eſt pauperibus, cujus verſus ſunt:

Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος ὔτε τι εἰπεῖν,
Οὔθ' ἔρξαι δύναται· γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.
Omnis enim vir paupertate domitus, neque quicquam dicere,
Neque facere poteſt; lingua vero ei ligata eſt.

Quæ cum legiſſet Bion belle dixiſſe fertur, *Se mirari igitur tam nugacem illum eſſe Poetam, cujus tantæ eſſent querelæ de paupertate*.

A metallis veteres Poetæ cognominarunt homi E num ſæcula, *Aureum*, *argenteum*, *æreum*, *ferreum*. Quibus notarunt bona, malaque tempora. Probitatis enim & innocentiæ fuerit *aureum*. Ocii & quietis *argenteum*. Virtutis & præſtantiæ *æreum*. *Ferreum* autem ſcelerum & malorum facinorum. Eleganter autem Ovidius ſua tempora *aurea* dicit, quod auri ſit ſitientiſſima:

Aurea nunc vere ſunt ſæcula: plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

Qui iidem verſus & apud Propertium extant. Jam ne hoc quidem expoſitu, ut opinor, alienum fuerit, metalla præcipua ſeptem Græcos A- F ſtrologos, quinque ſtellis vagantibus & luminibus duobus conſecraſſe. Aurum Soli, Argentum Lunæ, Marti Ferrum, Saturno Plumbum, Jovi Electrum, Mercurio Stannum, Veneri Æs. Item, aurum argentumque æs atque ferrum admiſtum animis præſtantiſſ. mediocrium infimorum in Platon. *Politia*. Aurum *χρυσὸς πολυέλικτος* quidem ut vocat Xenophon lib. I. *Pædag.* & ut Ariſtoteles lib. IV. *Nicomach.* *κτῆμα πλείστυ ἄξιον*: *χρυσοποιὸς*, *aurifex*: *χρυσῖτις*, terra, ut *ἀργυρῖτις*, & *χρύσεια μέταλλα* Atheníenſium

ἐν λαυρείῳ. Item ἄμμος χρυσῖτις, *arena aurea* illa, cui apud Herodotum in India formicæ incubant. Πολύχρυσος, *auro abundans*, & ἡμίχρυσος, *semiaureus*, si ita loqui licet. Significat aurum non solum nummos aureos, sed etiam mundum muliebrem apud Terent. in *Eunucho* Act. IV. Sc. I.

—— *aurum clam sibi mulier demit.*

Aurichalcum diu ante Pliniana tempora reperiri desitum, effœta tellure. Græcis est ὀρείχαλκος. Plato *Critia* suis temporibus nomen tantum reliquum fuisse ait. Apollonius *l.* IV. pedum tribuit Lampetiæ ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ. Auripigmentum ἀρσενικόν. Auriferi fluvii, Tagus & Pactolus & alii: Ψῆγμα χρυσοῦ, *ramenta auri*. Venus aurea, & Dido aurea apud Maronem. Χρυσῆ Ἀφροδίτη: pulcherrima enim & fulgidissima hujus stella, quæ cum φωσφόρος, tum ἕσπερος appellatur: quam & Homerus celebravit, *Iliad.* χ'.

Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.
Hesperus, quæ pulcherrima in cœlo stat stella.

Item a fulgore auri aurora, ἠώς. *Inauro* verbum καταχρυσῶ: χρυσοχοεῖον, *officina aurificis*: χρυσίζειν *aurum venari, & colore auri fulgere*: παγχρύσεος *ex solido auro* in *epigrammate*;

Νάξιος ἐνθάδ' ἐγὼ παγχρύσεός εἰμι κολοσσὸς
Ἐξώλης εἴη Κυψελιδῶν γενεή.

Gorgiam solidam ex auro statuam Delphis consecrasse primum traditur, de mercedibus discipulorum. Tanta illis temporibus eloquentiæ & doctrinæ precia fuere. Ἀργὸς χρυσὸς καὶ ἄργυρος, *aurum argentumque rude*: ἰσόχρυσος, *auro expendendus*. Χρυσῶπις autem sicut γλαυκῶπις. Χρυσία supra diximus auream esse monetam. Et χρυσίδια diminuto verbo dixere. Demosthenes Orat. I. *in Aphob.* Καὶ λαμβάνει τά τε χρυσία τῆς μητρὸς, καὶ τὰ ἐκπώματα τὰ καταλειφθέντα. Et mox: Καί τι μικρὸν ἔφη πρὸς τὴν ἐμὴν μητέρα περὶ χρυσιδίων ἀντιλέγεσθαι. Χρυσὶς, nomen proprium, & aureum poculum, sive phiala aurea. Apud Lucianum in *Migrino* etiam significare vestem videtur. Χρυσίτης, lapis quidam: Χρυσόῤῥαπις Ἑρμῆς, Homero. Et χρυσάμπυκες ἵπποι, id est, χρυσοχάλινοι, *frenis aureis*, & equi χρυσοφάλαροι: χρυσοχοήσειν οἴεσθαι, figura proverbii, spem concipere aurificinæ. Χρυσῷ καταπάττων ἡμᾶς οὐ γινώσκεις, Aristoph. in *Nebulis*, Sermo deterior dicit, significans sibi convitia esse gratissima. Et χρυσορόας, fluvius Lydiæ: χρυσορόης autem, *auro fluens*, ἐπιθετικῶς: χρυσόφρυς piscis a notis scilicet aureolis dictus. Apud Plautum jocose compositum nomen in *Captivis*, *Thesaurochrysonicochrysides*, & *chrysalus* apud eundem. Apud Homerum χρυσόθρονος Ἥρη, *regia Juno*: χρυσοκόλλα, putris auri vena, ut ait Plin. colore viridi. Χρυσηλάκατος Diana, *sagittas aureas emittens*. Χρυσοφαὴς ἥλιος, *aureus Sol*, Eurip. in *Hecuba*. Χρυσοφορεῖν, de usu aureorum annulorum posuit Appianus in *Libyc.* sicut σιδηροφορεῖν de ferreorum. Ubi & κατάχρυσον ἄγαλμα, & δῶμα χρυσήλατον nominatur, *delubrum & simulacrum auro elaboratum*. Ἤλεκτρον, aurum quinta parte sui argentum Plinius fuisse ait, Suidas aurum cum vitrea & lapidea confusione, quod illustri nitore splenderet. Unde & apud Homerum varii torques electro sunt, hujus enim generis non alterius succini electri mentionem a poeta fieri puto. Χρυσοφόροι, *gestatores auri*: χρυσομανεῖς, *insane auri cupidi*. Suidas exponit Senarium somnii aurei interpretem, χρυσὸν κρατῶν ἄπρακτος ὢν θέλεις ἴσῃ: conveniente scilicet conjectura, frustratur enim spem & manus talium somniorum eventus.

Fuisse aurum decuplex in argenti comparatione scribit Pollux, probatque Menandri testimonio. Plato in *Hipparcho* manifeste dicit fuisse duodecuplex. Et his temporibus eadem ferme æstimatio reperitur. Ut non frustra dubitatum sit & quæsitum a doctissimis viris de loco Pliniano *l.* XXXIII. *c.* III ubi vicenis sestertiis valuisse primum aureum nummum dicit. Erit enim hæc ratio ad decuplicem sesquiplex, id est, ἡμιόλος, ut quindecuplex jam fiat aurum. Etsi sequentes omnes numeri ab hac exquisitione dissentiunt, neque absque fide antiquorum exemplorum emendandi videntur, quamvis sequentes illam æstimationem scrupuli vicenorum sestertiorum, hoc facere in promtu fuerit. Sed de hoc loco Portius ingeniosissime disseruit. Atque idem Plinius cum facit alibi valere auri scrupulum sestertiis XVI. id est, quatuor denariis, duodecuplicem fuisse rationem illius ostendit hoc modo: XVI. sestertii valent uno scrupulo, quot valent tribus, id est, drachma? exeunt ter XVI. id est, XLVIII. quæ divisa in quaternos denarios, reddunt XII. Ita igitur reperitur precium auri duodecuplex. In *Thalia* quidem Herodoti est χρυσὸς τρεισκαιδεκαστάσιος: περίχρυσος, *inauratus*: χρυσοποίκιλος & χρυσοποίκιλτος, *auro varius*: χρυσωρύχιον Straboni, *aurifodina*: χρυσόσημος στολὴ, *aureis notis distincta vestis*. Et Luciano, χρυσόπαστος: χρυσόξυλον, a pallore, *Thapsus*. Nam & aurum pallere quidam Veterum dixit, quasi metu insidiarum. Ἀπὸ τοῦ χρύσου, ducitur & Χρύσης viri, & Χρύσα oppidi nomina: & Χρυσηΐς Homerica, cujus nomen proprium Ἀστυνόμη Et Χρυσίλλα & χρυσάφιος interpositione factum, sicut ἕδος ἑδάφιον, & Χρυσόγονος proprium: & Χρυσόθεμις. In quorum altero generis, in altero juris aurei significatio est. In Herodiano de Heliogabalo legitur ornari illum consuevisse περιδεῤῥαίοις χρυσίνοις, id est, χρυσοῖς, forma inusitata in hoc nomine. *Nicomacheorum* ultimo ex Heracleto refertur, ὄνον σύρματα ἂν ἑλέσθαι μᾶλλον ἢ χρυσὸν, id est, *asinum manipulos fœni præferre auro*. In epigrammate autem Græco,

—— μελιτός γε μὲν ἀφρογενείης
Ὁ χρυσὸς τελέθει ποικίλος ἐργατίνης.

Est & hoc Heracleti, ut retulit Plutarchus, *de* EI *apud Delphos*: Ὅτι ἡ ἀρχὴ τοῦ κόσμου πυρὸς ἀνταμείβεται πάντα καὶ πῦρ ἁπάντων, ὥσπερ χρυσοῦ χρήματα καὶ χρημάτων χρυσός. Quo ostendere voluit suam opinionem, omnia de igne conflari, inque ignem dissolvi, quemadmodum auro omnis pecunia æstimari, & aurum pecunia rependi soleat. Cum autem preciosissima auri nomine indicarint, & ὑπερβολῇ proverbii aliqua dixerint τιμιώτερα χρυσοῦ, perspicuum esse potest, naturæ quodam sensu omnes amore capi hujus metalli.

Sed in quadam *Græca Epistola* Theophylacti utilitate etiam inprimis commendatur aurum. Hinc enim artes extitisse in hac vita, hinc conditas urbes, & contractarum rerum expedita esse negocia: denique omnia studia, omnem industriam, omnem usum vitæ, aurum spectare, atque adeo virtutis & vitiorum quasi habenas quasdam aurum moderari. Νόθος γὰρ, inquit ἀρετῆς καὶ κακίας ἔλεγχος ἐστιν ἀληθέστατος. Sed Xenophon in *Vectigal.* non ille quidem negat præclaram rem esse aurum, non tamen præ hoc parvifieri argentum oportere, sic probat, ut dicat se scire aurum copia sua ipsum vilescere, & argentum reddere preciosius. Et Julianus Παραβάτης de argento in quadam *ad Hecebolum epistola* ita disserit, ut auro illo præferendum censeat. Nam & Pindaro Musas esse ἀργυρέας, & Homerum appellare ἄργυρον αἰγλήεντα: & ὕδωρ ἀργύρεον. Sappho autem Lunam ἀργυρέαν. Etiam crebriorem & ideo commodiorem esse in communitate civili argenti usum quam auri. Aurum consecrarunt, ut diximus, Soli: & in allegoriis poeticis ignem signifi-

cat, & ſolis radios, & omnino divinitatem. Et illud *χρυσοῦν δάπεδον*, volunt eſſe lucidiſſimi ætheris partem, id eſt, igneum ſplendorem cœli. Χρυσοῦν ὕδωρ vocarunt, ut retulit Euſtathius *in Iliad. φ'.* guttas ſeptuaginta, quas bibere alium quam regem capitale eſſet. Apud eundem *χρυσοφόροι γυναῖκες*, victrices in certamine de forma: vel de auri eximio ornatu, vel *μεταφορικῶς*, præſtantes forma: quemadmodum & Venus aurea, apud Homerum: id quod omnium ab illo præclariſſ. factum eſſe ait Græcum Epigramma, quod aurum amores conciliet.

Verum iſta fortaſſe non mentione, ſed explicatione alieniora videantur, quapropter nunc tandem poſt copioſam etiam mentionem auri argentique, τῶ περί καί τινα ἐνάγει προθυμίη μαχόμενον ἀποθνήσκειν, ut inquit ille apud Herodotum, inſtitutum perſequamur. Ac primum de Græcis nomiſmatis diſſeramus, quæ copioſe Pollux *l.* IX. expoſuit. Τάλαντον igitur dicit eſſe portionem maximam tam auri quam argenti: ab hoc ἡμιτάλαντον, διτάλαντον Herodotus in *Clio*, λευκοῦ χρυσοῦ σταθμὸν διτάλαντα: nam & ponderis hæc appellatio. Unde ταλαντιαῖον, pondo talenti: & πετροβόλοις ταλαντιαίοις everſas fuiſſe machinas Rhodias a Demetrio ſcripſit Diodorus: & in *Demetrio* πανοπλία διτάλαντος Alcimi, apud Plutarchum, cum aliorum omnium eſſet ταλαντιαία: hoc pondus fecerunt librarum CXXV. Quod ſi iſtæ ſunt LX. minæ, parvam fuiſſe libram oportet: ſed hæc alibi exquirenda. Eſt & τριτάλαντον, δεκατάλαντον, & πεντετάλαντος δίκη, & πεντηκονταλαντία Demoſtheni: & ἑκατοντάλαντος, numero aucto aut imminuto. Dicuntur & πολυτάλαντοι, divites. Auri talentum valuiſſe Pollux ait tribus aureis Atticis, argenti, minis ſexaginta. Idem oſtendit Atticis uſitatum fuiſſe, ut dicerent τρία ἡμιτάλαντα. Unum ſemis, ſicut τρία ἡμίμναια quoque *unam minam cum dimidiata*. Herodotus in *Clio*: Καὶ τούτων ἀπέδυθε χρυσοῦ τέσσαρα, τρία ἡμιτάλαντα ἕκαστον ἕλκοντα. Indicat & alias figuras Atticas hujuſmodi: τρίτον ἡμιτάλαντον, πέμπτον ἡμιτάλαντον, & ἕβδομον ἡμιτάλαντον, docetque his ſignificari, duo talenta & dimidiatum, atque cuicunque numerali derivatæ voci ἡμιτάλαντον adjectum fuerit, illius proxime antecedentem numerum intelligi integrum oportere, & eidem dimidiatum applicari talentum, ut τρίτον derivatum a tribus antecedentem habet duo; τρίτον igitur ἡμιτάλαντον, duo erunt talenta, & inſuper talenti dimidium. At ſi eſſet ὄγδοον ἡμιτάλαντον, ſeptem intelligeremus, quæ ante octo numerantur, integra talenta, & additum his dimidiatum. Utraque igitur forma demonſtrata, diſcrimen obſervabimus inter numeralis & ab hac derivatæ vocis uſum. Nam aliud erit τρία ἡμιτάλαντα, nempe unum ſemis, & aliud item τρίτον ἡμιτάλαντον, nimirum duo talenta cum dimidiato: his figuris & Herodotus uſus in *Clio*: Ελκον σταθμὸν ἕβδομον ἡμιτάλαντον, ἀπεφθέντα δὲ αὐτοῦ τέταρτον ἡμιτάλαντον. De effigie Leonis aurei conſecrata Delphis a Crœſo: cujus pondus fuiſſe dicit talenta decem. Sed in conflagratione templi Delphici deturbatum ſuo loco atque repoſitum eſſe in theſauro Corinthiorum pondere talentorum ſex cum dimidiato. Deceſſiſſe enim talenta tria cum dimidiato. Videmus igitur hanc figuram explicari ab Herodoto. Nam ſex & tria novem, & bis dimidium integrum ſunt, itaque denarius numerus completur. In *oratione* tamen *contra Androtionem* Demoſthen. legitur, ἀλλ᾽ ὁ τῶν τριηροποιῶν ταμίας ἀποδρὰς ᾤχετο, ἔχων πέντε ἡμιτάλαντα. Velut alibi, πένθ᾽ ἡμιτάλαντα, quæ volunt Interpretes eſſe quatuor talenta & dimidiatum. Cum ſecundum ſuperius expoſita fuerint duo modo cum dimidiato. Aut ſi ultra dimidiatum quatuor eſſe debeant, legi oporteat πέμπτον ἡμιτάλαντον. Talenti partes numeris poterunt diſtingui. Ut τρίτον μέρος, ſeu τριτημόριον: τέταρτον μέρος, ſive τεταρτημόριον. Quorum illud, poſito quod talentum compleatur minis LX. viginti habebit minas, hoc quindecim. Simili ratione δίμοιρον talenti, erit minarum quadraginta, id eſt, bes. Sed hæc numerorum non appellationum diſcrimina ſunt. Homericum talentum non magno poteſt valere, ſiquidem præmium duorum talentorum auri in certamine equeſtri, quarto loco proponitur poſt mulierem ac tripodem, equam gravidam mulo & lebetem. Itemque *Iliad. σ'.* in medio poſita fuiſſe eloquentiæ præmium dicit δύο χρυσοῖο τάλαντα, quæ acciperet is, qui optime & prudentiſſime cauſſam peroraſſet. Eſt autem τάλαντον & ipſum jugum comparatum ad ponderandum, ut Jovis χρύσεια τάλαντα: hæc erit libra: & pars hujus τρυτάνη, *trutina*, & in hac, examen, quæ eſt norma, nunc *ligulam* nominant.

Idem fit aliis quoque ponderum & menſuræ nominibus, ut ſignificat τὸ σταθμεῦον καὶ σταθμιζόμενον, καὶ τὸ μετροῦν καὶ μετρούμενον. Ut Denarius, Pes, Modius: μνᾶ, quæ dicitur lingua Latina *Mina*, interpoſito vocali, ut in *Æſculapio*, *Hercule*, *Alcumena*. Portio maxima talenti, atque eadem quoque ponderis appellatio. Hæc dimidiata ἡμιμναῖον vocatur. Atque ſimili figura illi in talenti mentione indicatæ, ſic loquemur ut dicamus, τρίτον ἡμίμναιον, duas minas & dimidium minæ ſignificantes. Demoſth. *in Nicoſtrat.* πένθ᾽ ἡμιμναίων ἄξια ἀνδράποδα. Ab hoc μναιαῖος: ut λίθους μναιαίους apud Xenophontem, *ſaxa libralia*: ita enim verbo quidem, ut opinor, recte poterimus interpretari: & χάλαζαι μναιαῖαι, in XIX. *libro* Diodori: & διμνέως ἀποτιμησάμενοι Herodotus in *Terpſich.* de Bœotis & Chalcidenſibus, quos diu in vinculis habitos, tandem dimiſiſſe dicit Athenienſes precio in ſingulos ſtatuto minarum duarum. Et quod de Lyſia adducit Pollux εἰκοσίμνος ἔρανος, de collatione viginti minarum. Suidas τρίμνον τὸ τριῶν μνῶν ἄξιον: & alibi δεκαμναῖον: ut in his uſus varius appareat. Minam vero adduxiſſe ad drachmas centum Solonem, Plutarchus ſcribit, cum ante haberet ſeptuaginta & tres. Stateres fuere quidam aurei Perſici ſive Medici numiſmatis, qui valerent mina, id eſt, denariis centum, & nummi noſtratis, exactiſſima, ut ego judico, ratione Budei, coronatis decem, hoc precium ad pondus refert Pollux, quod ego nondum ſatis poſſum intelligere. Et fuiſſe ſuſpicor potius copiæ & opulentiæ Regum, qui excuderunt hos nummos, a quibus appellarentur, Κροισεῖοι, Δαρεικοὶ, Φιλίππειοι, Ἀλεξάνδρειοι: τοὺς Φιλιππείους, etiam *Philippos* dixere Latini, ut Horatius *lib.* II. *epiſt.* I.

—— regale numiſma Philippos.

Et Plautus *Bacchidibus*:

Nunc niſi ducenti Philippi redduntur mihi.

Sed & aurum Philippeum apud eunden *Pœnulo*:

Agite, inſpicite: aurum eſt. COL. *profecto, ſpectatores, comicum:*
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves.
Verum ad hanc rem agundam Philippeum eſt.

Quod autem in hoc etiam operam dederint reges Aſiæ moneta ſua ut excelleret, indicat Herodotus quoque, in *Melpom.* quem locum placuit aſcribere: Ὁ δὲ Ἀρυάνδης οὗτος ἦν τῆς Αἰγύπτου ὕπαρχος ὑπὸ Καμβύσεω κατεστεὼς, ὃς ὑστέρῳ χρόνῳ τούτων παρισούμενος Δαρείῳ διεφθάρη. πυθόμενος γὰρ καὶ ἰδὼν Δαρεῖον ἐπιθυμέοντα μνημόσυνον ἑαυτοῦ λιπέσθαι

τῦτο, τὸ μὴ ἄλλῳ εἴη βασιλέϊ κατεργασμένον, ἐμιμέετο τῦτον· ἐς ὃ ἔλαβε τ μισθόν. Δαρεῖος μὲν γὰρ χρυσίον καθαρώτατον ἀπεψήσας ἐς τὸ δυνατώτατον, νόμισμα ἐκόψατο. Αρυάνδης δὲ ἄρχων Αἰγύπτε, ἀργύρεον τῶυτὸ τῦτο ἐποίεε. ᾗ νῦν ἔτι ἀργύρεον καθαρώτατον τὸ Αρυανδικόν. *Aryandes hic prætor erat Ægypti constitutus a Cambyse. Qui postea cum se exæquaret Dario interfectus fuit. Nam cum audisset atque cognovisset, Darium cupidum esse relinquendi ad posteritatem monumentum, cum quo nullum alterius ullius regis conferri jure posset, ipse in hoc tantisper imitatus illum fuit, dum mercedem auferret suam. Darius etenim de auro ad quantam fieri posset puritatem decocto monetam percussit; at Aryandes prætor Ægypti idem de argento facere instituit. Ideoque nunc etiam purissimum argentum Aryandicum vocatur.* Etsi non solum aureos, sed etiam argenteos Δαρεικὰς nominat Plutarchus in *Cimone*. Sed mina Attica drachmas habuit, ut diximus, centum. Drachma autem vocata κατ' ἀντιστοιχίαν, quasi δραγμὴ, id est, *manipulus*, ut postea dicetur: ab hac δραχμιαῖον, quod sit precio denarii, nam drachma denario valebat, & ἡμίδραχμον sestertii duo, & figura sermonis supra demonstrata τρίτον ἡμίδραχμον, duæ drachmæ & dimidiata: & πεντηκοντάδραχμος, itemque δραχμιαῖα ἐπίδειξις apud Platonem in *Cratylo*, quæ scilicet a Prodico fieret mercede drachmarum quinquaginta exquisitior, vulgarior autem unius. Et proverbium in odiosos & obstreperos, natum de Tenedio tibicine:

Δραχμῆς μὲν ηὔλει τεσσάρων δ' ἐπαύετο.

Item a drachma, Πεντάδραχμον: & in *oratione* Dinarchi πεντεδραχμία, τετράδραχμον, τρίδραχμον, δίδραχμον. Ac fuit δίδραχμον priscum nomisma Atheniensium signatum bovis effigie, percussum a Theseo, vel ad monumentum victoriæ suæ cum superasset seu Marathonium sive Minois taurum, vel ad celebrandam rem rusticam & agriculturam. Ab hoc δεκάβοιον & ἑκατόμβοιον putant deductum. Quorum alterum positum esset in priscis legibus Draconis, alterum apud Homerum legeretur. Ibi quidem in mulcta ἀποτίνειν δέκα βόας, apud hunc vero in nobili commutatione illa armorum, quæ inter se permutant Diomedes & Glaucus, *Iliad*. ζ'.

—— ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Sed & mulcta videtur animantum fuisse, non pecuniæ, ut apud Romanos quoque non nisi ovium boumque impendio dictas has Plinius scribit, & Heroicis temporibus permutatione fuisse non emtione & venditione contractas res satis constat. Pollux tamen servatum hoc dicit in Deliacis spectaculis, cum præco datum iri alicui præmium pronunciaret, præconium ut fieret, datum iri, tot vel tot boves, annumeratasque pro numero memoratorum boum drachmas binas. Atque ex hoc suspicatos quidam Deliorum illam monetam fuisse, non Atheniensium. Atque inde deductum proverbium, βῦς ἐπὶ γλώσσης βέβηκε, de silentio corruptorum pecunia, vel etiam metuentium pœnam, quod Atheniensium legibus libertas loquendi mulctationi esset obnoxia. In tertio *libro* Thucydidis sunt διδραχμοι ὁπλῖται, quibus darentur singulis diebus bini denarii. Drachma habet obolos sex, hinc ἑξωβελίαν dixere, id est, partem sextam sive sextantem æstimatæ caussæ. Nominatum Pollux ὀβολὸν Aristotele autore ait, a verubus, quibus figuntur frusta bubula. Nam cum in permutationibus aliqui prehensos senos manu obtulisset alteri, ex eo δραχμὴν & ὀβολὰς postea in nomismatum nominibus re-

A mansisse, Aristotelemque hoc addere, ὀβελὰς factos ἀπὸ τῦ ὀφέλλειν, quod αὔξειν notet, quod prolixi sint. Postea subiisse β. in locum φ. Eustathii in *Iliad*. α'. de his disputatio est verbosior: Φόλλεις etiam dixere obolos, recentiores quidem, ut existimo. Sed in Latinis notarunt aliqui *tetracinos* & *tetracina*, quod tamen verbum Budæus respuit, & ideo fortasse posterioribus in editionibus Livianis mutatum cernitur in τετραδράχμυς & τετράδραχμα. Cistophoros fuisse Asiaticos recentiores ætatis nummos, Rhodios quidem maxime, notum; appellatos ut videtur ab effigie quæ esset cistam ferentium, ut in mysticis sacris Græcorum fieri solitum, atque hi
B secundum Festi indicationem, nihil enim aliud in præsentia habebamus, fuerint obolorum octo, ut ἐπίτριτος λόγος custodiatur. Tradit enim Festus, talentum Rhodium Cistophorum quatuor M. D. habuisse. At 4050. ad 6000. fuerint ut 45. ad 60. vel ut 3. ad 4. aut 6. ad 8. Pollux præterea octo obolos fuisse ἡμίεκτον nomine docet ex Cratete Comico. Ac pertinet hoc fortasse ad æstimationem auri, quia in exemplo a Polluce adducto mentio fit auri. Nam ἡμίεκτον significat partem duodecimam, id est, sextæ dimidium, & in mensuris chœnicas quatuor, quod μέδιμνος compleretur chœnicibus XLVIII.
C Sed hoc in medio, de quo amplius quæratur, relinquamus. Dixere & τριώβολον & τετρώβολον. Ac τριωβόλυ quidem signum erat una parte noctua, altera Jovis facies, τετρωβόλυ vero, similiter una parte Jovis facies, altera autem noctuæ duæ. Apud Suidam legimus & aureorum nomismatum fuisse signum noctuas. Et proverbium γλαῦκες λαυρειωτικαὶ, de magnis divitiis, nam Atheniensium fodinæ in λαυρείῳ erant, ut supra quoque indicavimus: δύω ὀβολὼ dixere potius duobus verbis quam uno composito διώβολον. τετραβωλίζειν, τὸ τετρώβολον venari & capere Comœdia protulit. Dimidium oboli ἡμιωβόλιον. Et ἡμιωβολιαῖον, cujus precium sit dimidium oboli, & τριωβολιαῖον, tres dimidiatos obolos, dixit Aristophanes. Similiter & τριωβολιεῖον
D dixere. Obolus valuit octo χαλκοῖς. Itaque duos χαλκῦς τεταρτημόριον, id est, δίχαλκον, & de homine aut re nihili proverbii figura dixere. Quatuor autem χαλκῦς ἡμιωβόλιον. Sex τριτημόριον & τεταρτημόρεια non significantibus vocabulis quod in communi usu, sed certam rationem & respectum quendam notantibus. Ut τριτημόριον non tertia pars tum sit oboli, sed ut intelligantur tres partes oboli hoc in quatuor diviso, id est, δίχαλκα tria. Vel si triobolum cogitemus divisum in χαλκῦς viginti quatuor, ter enim octo viginti quatuor efficiunt,
E his divisis in quatuor, seni exibunt, & ideo senos obolos non solum τριτημόριον vel τριτήμορον, sed etiam τεταρτημόριον dixere. Dixere & πεντέχαλκον, τὰς πέντε χαλκῦς: & σύμβολον nomisma non magni precii. Quod vel inter emtorem & venditorem dimidiaretur, vel una parte sui rude altera signatum esset. Unde & Pollux ex Hermippo Comico adducit σύμβολον κεκάρθαι, de quasi dimidiata rasura. Vocarunt & κόλλυβον similiter nomisma minutulum. De quo & τρικόλλυβον, ad quod retulere illa Homerica ἑκατόμβοια & ἐννεάβοια: quasi æstimatis ab illo armis pecunia, non bobus,
F quod ridiculum est. Nam permutatione contrahunt ubique apud illum, & ὦνον qui parant aliquid dare solent non pecuniæ neque nummorum, sed rei alicujus pro re. Ut ὦνον ὑποχόμεναι, *Odyss*. ο'. & *Odyss*. α'.

Ες Τεμέσην μετὰ χαλκόν· ἄγω δ' αἴθωνα σίδηρον.

Ad Temesen propter æs; duco autem splendidum ferrum.

Et vinum parant *Iliad. ν'.* alii aliis rebus, quæ ibi commemorantur. Peloponneſiaca fuit moneta imaginem præferens teſtudinis. Unde & proverbium natum:

> Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι.
> *Doctrina & virtus jacet a teſtudine victa.*

Nunc ſimiliter quidem vel turpius ſane, & cum majore ſæculi ignominia, ſuperatur utraque a beſtiis tamen præſtantioribus, aquilis, leonibus, urſis, gryphibus, quibus inſignitur his temporibus moneta. Sed & ὀβολὸν καλλιχέλωνον dixit Eupolis: τετράδραχμον Athenis una parte effigiem habuit noctuæ, altera parte faciem Minervæ. Unde κόρας nominarunt & παρθένους. Et idem nomiſma Eubulus Comicus appellavit Παλλάδος πῶλον. Moneta autem fuit πῶλος & Corinthiorum cum ſigno Pegaſi. Ac Æginæa drachma fuit Attica major, æſtimata obolis decem, hanc Æginetarum odio παχεῖαν, id eſt, *opimam*, dixere Athenienſes, patrium nomen refugientes, eque eo factum aliæ ut λεπταὶ appellarentur, quæ eſſent ἑξώβολοι. Ariſtoteles nummum appellari apud Tarentinos ſcripſit, cum effigie Tarentis Neptuni F. reſidentis ſuper delphino. Idem & λίτραν Agrigentinum nomiſma eſſe tradidit, quod valeret obolo Æginæo. Pollux alia quædam ex Ariſtotele addit alieniora, hæc. Himeræam monetam fuiſſe unicam τῆς οὐγκίαν, æſtimatam chalco. Item duo, ut opinor, talenta, quod valeret chalcis duobus, & tria talenta, quod tribus. Et ἡμίλιτρον, id eſt, *ſelibram*, quod ſex. *Libram* autem, id eſt, λίτραν, obolum, verum δεκάλιτρον valuiſſe obolos decem & ſtatera fuiſſe Corinthiorum. Nominata & ab Epicharmo cum ſupra expoſita, tum alia quædam Pollux commemorat, ut πεντούγκιον, ἑξούγκιον. Apud Xenophontem cautius poſitum videtur τοῦ σίγλου nomen, quæ eſſet moneta Aſiatica, & valeret obolis ſeptem Atticis & ſemiobolo. Siclus autem nomiſma Hebraicum valuit quatuor drachmis Atticis, ut ſtater, ut ſiclus ejuſdem generis tam pondus quam moneta fuiſſe videatur. Δανικὸν etiam dixere Perſicum nomiſma exile, & δανάκην, quam mortuis in os imponere ſolebant, ut haberent quod ſolverent Charoni nauli nomine, valuiſſe autem obolis ajunt duobus, tantum enim poſcit apud Ariſtophanem portitor ille,

Leguntur & alia quædam nomina pecuniæ apud Pollucem, quæ ipſe quoque dubitat utrum ſerio an joco extulerit Pherecrates Comicus, quæ referre ſuperſedimus. Statera quidem argenteum fuiſſe nummum, & valuiſſe drachmis quatuor, dubium non eſt. In Suida legitur τετράγωνον fuiſſe, quod miratus ſum, atque haud ſcio an non careat mendo locus. Thaſium quidem nos appendimus ϛρόγγυλον, cujus eſſet inſigne Hercules, & convenit pondus ad τετράδραχμον: ille quidem apud Lucianum, ut meminiſſe videor, Micyllus negat ſe omnino noſſe, utrum ſit quadrangula an rotunda drachma. Sed ſtatera tamen rotundum fuiſſe haud temere aſſeverandum. Jam aureos ſtateras valuiſſe mina, ſupra dictum. Budæus unciales fuiſſe docet. Sed profecto ſtateres aurei communiter δίδραχμοι fuere. Atque hoc manifeſtum fit indicatione Lyſiæ: eſt autem locus perelegans in *oratione de facultatibus* Ariſtophanis, quem ſubſcripſimus & interpretati ſumus: Τῇ μὲν γὰρ Ἀθηνᾷ καθιέρωσεν εἰς ἀναθήματα, καὶ τῷ Ἀπόλλωνι εἰς Δελφοὺς πεντακισχιλίους ϛατῆρας. τῷ δὲ ἀδελφῷ τῷ ἑαυτοῦ, ὃς ἐφύλαττεν αὐτῷ καὶ ἐταμίευε πάντα τὰ ἐν Κύπρῳ, ἔδωκεν ὡς μυρίας δραχμάς, τῇ δὲ ἀδελφῇ τρία τάλαντα, τὰ δὲ λοιπὰ τῷ υἱεῖ κατέλιπε τάλαντα ἑπτακαίδεκα. τούτου δὲ κεφάλαιον γίγνεται περὶ τετταράκοντα τάλαντα. *Minervæ etenim conſecravit in munera offerenda, itemque Delphico Apollini, quinque milia ſtaterum. Fratri autem, a quo cuſtodirentur & adminiſtrarentur negocia Cypria, dedit quaſi decem millia drachmarum, ſorori talenta tria, cætera filio reliquit talenta decem & ſeptem: quorum omnium ſumma eſt talentorum circiter quadraginta.* Hoc igitur conſideremus. Ponantur talenta 17. relicta filio, itemque talenta tria relicta ſorori, hæc jam fiunt 20. addantur de drachmis 10000. 6000. id eſt, unum talentum, ita jam erit collecta ſumma talentorum 21. cum drachmis 4000. Nunc ponuntur 5000. ſtateres δίδραχμοι, hæ erunt drachmæ 10000. & æſtimetur aurum decuplex, ut fiant drachmæ argenteæ 100000. Exibunt inde talenta ſedecim cum reſiduo drachmarum 4000. quibus omnibus conſummatis reperientur talenta 38. & drachmæ 2000. Sin fecerimus aurum duodecuplex, ita ut illis temporibus, quæ in Platonica incidunt, videtur fuiſſe, illi 5000. ſtateres jam definite perficient talenta 20. Et erit ſumma tota talentorum 41. drachmarum 4000. ut utraque ratione conſummentur circiter quadraginta talenta, & ſtater aureus δίδραχμος reperiatur. Sed & alia exempla addamus. Demoſthenes in *oratione contra exceptionem Lacriti*: Ὅτι ἑκατὸν ϛατῆρες Κυζικηνοὶ περιγένοιντο, καὶ τοῦτο τὸ χρυσίον δεδανεικὼς εἴη ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐν τῷ Πόντῳ ναυκλήρῳ τινι, &c. Dixit Lacritius *centum ſtateres Cyzicenos adhuc ſalvos eſſe, quos mutuo dediſſet in Ponto frater ſuus cuidam nauclero*, &c. In *oratione ad Phormionem, de debito*, ſic ait: Ὁ δὲ Κυζικηνὸς ἐδύνατο ἐκεῖ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ δραχμὰς Ἀττικάς. *Valebat Cyzicenus octo illic & viginti drachmas Atticas.* Ex his clare perſpicitur aureum ſtatera fuiſſe δίδραχμον, in ratione duodecuplice, quæ eſſet drachmarum 24. Sed Cyziceni illic fuere carius æſtimati drachmis quatuor. Quod vel propter bonitatem monetæ vel excuſionem diligentiorem accidere potuit. Celebres enim Cyzicenos ſtateres fuiſſe legimus, ut qui exquiſita cura fabricati eſſent. Horum ſignum, una parte facies muliebris, altera roſtrum leoninum. Apud Ariſtophanem illa mirifica opulentia ludunt par impar ſervi ϛατῆρσιν: & indigentem ſe aliquis eſſe ait τετραϛατήρου σωτηρίας, & apud Arrianum δεκαϛάτηρος aliquis eſt a ſtipendio ita appellatus. Fuiſſe autem olim aureos diverſos apparet etiam de *oratione* Lyſiæ *contra Eratoſthenem*, ubi diſtincte quadringenti Cyziceni, & centum Darici nominantur. Daricos autem aureos ſeu ſtateras præciſe διδράχμους fecit, cum horum tria M. exæquet talentis X. Xenophon *Expedit. Cyri* l. II. atque ita æſtimatio conſtabit coronatorum duum. Si enim 3000. duplices, provenient 6000. & cum talentum valeat coron. DC. erunt nimirum X. talenta coron. & ipſa 6000. Itaque hæc ratio evidens eſt. De ſtateribus apud Suidam alia quoque æſtimatio legitur, ſed ætatis recentioris nempe Juſtiniani. Tum enim aureos ſtateres permutari ſolitos apud illum ſcribitur obolis, quos φόλλεις vocat, ducentis & decem. Sed Juſtinianum deduxiſſe de illa ſumma obolorum 30. ut permutaretur aureus obolis centum octoginta, cujus jam partem ſextam Imperatorem lucrifeciſſe. Si igitur ſint oboli illi Attici, (qui haud ſcio an non ſint) & ducenti ac decem pro aureo numerentur, erit aureus drachmatum 35. Sin centum octoginta, erit hic drachmarum 30. ut τρίδραχμος eſſe videretur.

Sed hæc nunquam poterunt ad unguem & κατὰ τὸ ἀκριβὲς exquiri, cum non ſolum diverſis in temporibus ac locis, ac gentibus, ſed his etiam iiſdem pecuniam ac nummos detrimentis quibuſdam manuum variare compertum ſit. Quapropter nos illa antiquiſſima teneamus, exquiſita cum ſumma cura, ſtudio, attentione, a doctiſſimis viris, primum

Portio,

Portio, deinde Budæo, quæ pleraque fulciuntur ac sustentantur optimorum autorum utriusque linguæ testimonio, neque nimis exquisitionis curiositatem moremur, contenti, id quod satis esse debet & fieri potest, quod in his rebus verum sit, deprehensum a nobis esse, ita ut etiam Geometræ interdum fieri concedunt, *ὡς ἔγγιστα*. Secundum igitur hanc parabilem diligentia cognitionis facultatem exponemus breviter deinceps, nunc præcipuas Græcas rei nummariæ appellationes, cum æstimatione Latina veterum temporum & hac nostrati. Hæc esto quasi in tabella descripta talis.

Talentum habet minas sexaginta.
Drachmas VI. M.
Obolos XXXVI. M.
Valet viginti quatuor M. sestertiorum,
Coronatis Gallicis sexcentis.

Mina habet drachmas centum.
Obolos sexcentos.
Chalcos quater M. octingentos.
Valet quadringentis sestertiis.
Coronatis X.

Drachma obolos sex habet.
Chalcos XLVIII.
Valet denario.
Sestertiis IIII.
Cruciatis Teutonicis circiter octo.

Obolus habet octo *χαλκοῦς*.
Λεπτὰ quinquaginta sex. Nam *χαλκοῦς* septem illa continet.

Denarius sine dubio drachma Græcorum est tam pondere quam precio, usu quidem Veterum: varietas autem locorum ac temporum ad hunc tractatum non pertinet. Jurisconsultus & *denaria* dixit Græcissans, ut intelligantur *νομίσματα*. Denarii autem sunt nummi.

Obolum æstimat Polybius duobus assibus, cum sic scribit, de Italiæ copia & fertilitate, lib. II. *Histor.* *Ποιοῦνται γὰρ τὰς καταλύσεις οἱ διοδεύοντες τὴν χώραν ἐν τοῖς πανδοχείοις, οὐ συμφωνοῦντες περὶ τῶν κατὰ μέρος ἐπιτηδείων, ἀλλ' ἐρωτῶντες πόσου τὸν ἄνδρα δέχεται. ὡς μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πολὺ παρίενται τοὺς καταλύτας οἱ πανδοχεῖς, ὡς ἱκανὰ πάντ' ἔχειν τὰ πρὸς τὴν χρείαν, ἡμιασσαρίου, τοῦτο δὲ ἐστι τέταρτον μέρος ὀβολοῦ, σπανίως δὲ τοῦτο ὑπερβαίνουσι.* *Divertuntur ad caupones, qui per hanc regionem iter faciunt, neque paciscuntur de singulis victui idoneis, sed interrogant, quanti hominem accipiant. Ac plerumque qui ad se divertuntur eos accipiunt caupones, præbentque necessaria omnia semisse, hæc fuerit portio quarta oboli, atque hoc rarissime transcendunt.* Ex his patet pluris paulo æstimasse Polybium obolum in comparatione monetæ Romanæ, ut jam asses duodecim computandi sint in drachmam, quam tamen non possumus aliter quam denario æstimare. Sed Polybius *ὡς ἔγγιστα* scilicet vilissimum precium exposuit. Ad nostratem monetam sic conferemus. Constantienses nummuli & Salinarum XII. valent cruciatis quatuor. Horum igitur quatuor fortasse paulo excedent oboli precium. At Francici novem & Wirtebergenses XI. fere complent precium quatuor cruciatorum, horum unius dimidium proxime accedet ad *χαλκοῦ* æstimationem, Ita erit *τοῦ λεπτοῦ* nimio quanta vilitas. Quod autem in Suidæ uno atque altero loco legitur, habuisse obolum *χαλκοῦς* sex, non temere quasi certum assumendum, nam vetus ratio octo omnino habet.

His expositis visum etiam alia attexere, quæ a Polluce perstringuntur. Quosdam tradidisse Phidonem Argivum primum signasse pecuniam, vel po-

A tius Athenis Erichthonium, sive Lycios, seu Lydos, seu etiam Naxios: præterea, quod ipse in curiositate ponit, nobis cognitu non injucundum neque illiberale visum. Studium enim hoc si aliquam etiam veteris prudentiæ rationem exquirit, ingeniosorum, sin memoriam tantum, antiquitatis spectat, ne sic quidem homine ingenuo indignum videtur. Ait igitur Pollux, Mytilenæos signasse pecuniam suam Sapphus imagine, Chios Homeri, Iasenses pueri insidentis delphino, Dardanienses pugnantium gallinaceorum, Aspendios luctatorum, Rheginos leporis, Cephallenes equi, Thasios Persei, (nos etiam Herculis effigiem in Thasiorum
B tetradrachmo vidimus, ut supra est indicatum) Argivos muris. His addemus nos paucas alias effigies, si prius Iasensis monetæ signi historiam exposuerimus, quæ est apud Plutarchum in disputatione *de intelligentia bestiarum terrestrium & aquatilium* circa finem: *Delphini erga puerum Iasensem singularis benevolentia quædam, in opinione fuit amoris. Nam & cum illo ludere & natare una interdiu & præbere contrectandum corpus illi suum: quin etiam pati ut se conscenderet, ac non solum non refugere, sed etiam illum libenter ferre, ac cum eo se omnium ad spectaculum concur-*
C *rentium Iasensium oculis offerre, donec quodam tempore orta grandine & pluvia puer in mare delapsus periit. Ibi vero delphinus una cum puero se in littus ejecit, neque a puero prius discessit quam & ipse moreretur: cum statuisset se participem esse oportere eventus, cujus ipse puero autor fuisset. Hujus casus monumentum Iasenses extare in sua moneta voluere, puerum qui delphino veheretur.*

Sed signa Græcæ monetæ prosequamur. Fuit igitur Trœzeniorum priscum nomisma signatum una parte tridente, altera facie Palladis. Fuerunt & drachmæ Pariæ, *ὡς ἐπίσημ' ἄρατος*, ut in epigrammate exposito a Diogene Laertio in *Vita Ar-*
D *cesilai* legitur. Argivorum moneta lupi habuit insigne. At Persica numismata effigie fuere signata sagittarii. Itaque Agesilaum revocatum a sua civitate, quæ reliquorum Græcorum conspiratione premeretur, Plutarchus scribit, cum ex Asia moveret, perfestive dixisse: *Repelli se triginta millibus sagittariorum a Rege*: tantus enim numerus Daricorum aureum fuerat a Timocrate deportatus Athenas & Thebas, quibus corrupti principes civitatum populum ad bellum contra Spartiatas concitarant. Nomisma Samiorum habuisse signum pavonis scripsit Athenæus *l.* XIV. De moneta Tenediorum citantur in *epitome* Stephani ex Aristo-
E tele hujusmodi quædam: *Regem quendam Tenediorum tulisse legem, adulteros deprehensos securi feriendos ambos. Accidisse vero ut Regis filius in adulterio forte deprehenderetur, voluisseque Regem ut rata lex esset, atque in filio etiam suo servaretur. Quo interfecto eam rem proverbio celebratam de facinorum crudelitate. Atque etiam in moneta Tenediorum effictam fuisse una parte securim, altera duo capita, ad conservandam memoriam severitatis Regiæ, quam ille in filium suum exercuisset.* Addit Pollux fuisse & Beroniceam & Ptolemaicam monetam a Beronice ut apparet &
F Ptolemæo. Demareta quoque uxor Gelonis prisci Tyranni Siciliæ, cum inopia pecuniæ laboraret Rex, corrogato mundo omni muliebri civium, & adjuncto suo, & conflato universo nomisma excudit. De talentis vero adjicit hæc. Atticum talentum habuisse drachmas VI. M. Babylonium VII. M. Æginæum X. M. Atque consentiente ratione Atticum talentum fuisse minarum LX. Babylonium LXX. Æginæum centum. Quæ omnia exquirere facile, secundum enim drachmæ æstimationem, quoquo in loco & gente sua, numerus augescere

aut decreſcere debebit. Ælianus ſcribit habuiſſe Babylonium talentum minas LXXII. Siculum talentum valde fuit modicum, atque adeo magis alia in civitate quam alia. Ac priſcum quidem ait idem Pollux Ariſtotelem ſcripſiſſe, continere nummos XXIIII. recentius vero XII. Nummum autem valuiſſe tribus ſemiobolis, quæ ſunt τρία ἡμιωβόλια. Præterea in Latinis Comicis legitur talentum magnum, de quo alii aliter. Non enim defuere, qui habere minas centum traderent. Aliqui octoginta maluerunt. Atque hoc etiam quidam de Plauto oſtendere, corrupto hi quidem loco illius parum cogitanter. Non enim *quater quadraginta*, ſed *quatuor quadraginta illi debentur minæ*, legendum. Itaque etiam in evulgatis fere typis exemplis ſcriptum videmus. Præcedentia autem clare demonſtrant, veram eſſe hanc lectionem, ubi dicitur, ſumptas eſſe minas quadraginta fœnori minarum quatuor, quæ ſint datæ arrhaboni, venditori ædium ſeni. Satis enim apparet de ſcriptis Veterum, uſitatum fœnus menſtruum fuiſſe in minam drachmæ, quamvis pluris etiam ſumerent. Nempe obolis octo minam, cum ſex oboli drachmam compleant. Fuit & ἔφεκτος τόκος, quo de ſenis drachmis aut minis una pendebatur: magno igitur intelligemus ſumſiſſe illas minas quadraginta adoleſcentem, id eſt, mina in decem, vel debitas fuiſſe diutius, ut de conſueto fœnore quatuor minæ, id eſt, quadraginta drachmæ conficerentur. Dicit autem poſtea ſenex deberi adhuc pro ædibus minas octoginta, quibus ſi addas quadraginta, & uſurarias quatuor detrahas, jam minæ colliguntur CXX. id eſt, duo talenta, atque tot emtas ædes fuiſſe dixerat ſervus. Sed addiderat *magnis*. Quodnam magnum igitur talentum? Equidem numero minarum diverſum non fuiſſe exiſtimo, ſed precio drachmarum, ut Latini talentum τῶν παχειῶν δραχμῶν, *magnum* interpretati eſſe videantur. Atque haud ſcio an tales minas commodas dixerint, ut in *Aſinaria*: & in *Mercatore*

—— commodis poſcit pater.

Hoc igitur talentum, ſi in drachmas παχείας computentur deceni oboli, & reducatur ratio ad communes Atticas, erit minarum communium Atticarum C. De quo quidem quæramus ſane amplius.

Ut de Liviano quoque Euboico talento; quod octoginta minas habere debeat, & de aliis ſimiliter pleriſque, cum opus quidem hoc, quamvis bene partibus quibuſdam ſuis abſolvatur, ipſum tamen univerſum ſempiternum eruditionis ſibi laborem vendicare videatur. In Feſto hæc legimus, Talentorum non unum genus. Atticum eſt ſex M. denarium. Rhodium & Ciſtophorum quatuor M. quingentorum denarium. Syracuſanum trium denarium. Rheginum victoriati. Idem alibi inquit, Euboicum talentum eſt nummoGræco ſeptem millium & quingentorum. Ciſtophorum eſt noſtro quatuor millium denariorum.

His commemoratis tempus fuerit ad Latinæ monetæ conſiderationem accedere. Hanc ſignatam a Servio Rege primum diximus jam ſupra, hoc enim ita apud Plinium perhibetur. Signa autem fuere ovium atque boum. Suidas autorem citat Tranquillum, qui tradiderit Numam regem primum ferreæ & æreæ monetæ uſum introduxiſſe, cum ante uterentur loreis & teſtaceis quibuſdam numiſmatis. Atque ab illo *nummulos*, vel ut Græcam ipſe vocem memorat, νούμμια fuiſſe nominata. Aſſes quidem Romæ percuſſos primum non eſt dubium, mox argentum, poſtremo aurum. Atque aſſes librales fuere, quorum poſtea temporibus diverſis pondus imminutum, ut Plinius *l.* XXXIII. oſtendit, rationem indicans obſcurius paulo, itaque multi in illo loco architectati aliquid fuere, & poſtremo Alciatus collocatione quoque ſingulari verborum quædam conſtruxit. Sed nos, fatebor enim quicquid in his viderim quaſi per nebulam aſpexiſſe, cognitionem hujus partis non verebimur aliquantiſper etiam relinquere, dum vel fortuito vel etiam de ſtudio & diligentia noſtra nobis ſcientia acquiratur. Quare nunc reliqua proſequamur.

As igitur æreus fuit & libralis ſignatus nota pecudum & boum. Cum diminueretur pondus fuiſſe tum & ſignum mutatum Plinius innuit, ut una parte roſtrum navis, altera effigies Jani gemini viſeretur. Neque tamen non ſæpiſſime accidiſſe puto, precium monetæ difficilibus ut reipub. temporibus imminueretur, quippe qui meminerim Salluſtium etiam ſcribere, ſua memoria, propter magnitudinem æris alieni volentibus omnibus bonis argentum ære ſolutum eſſe. Et Ovidius hanc communem effigiem priſcæ fuiſſe monetæ perhibere videtur, in memoriam advecti navibus Jani, *Faſt.* lib. I.

At bona poſteritas navem ſignavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Poſtea æri cum alia ſigna, tum etiam Principum ora atque facies impreſſæ fuere. As, quippe libralis, in uncias dividitur XII. Partium autem illius in moneta hæc fere nomina reperiuntur. Semiſſis, quæ ſunt unciæ VI. Teruncius, & ut apud Plinium legitur triuncius, a tribus unciis, qui & quadrans. Centum autem quadrantes ſectatorum fuit quondam, & eorum qui divites comitarentur, merces, ſportulæ nomine. Quam ſibi, illorum mentione, ademiſſe dicit Martialis, liberiorem quandam ſalutationem ſuam:

Centum quadrantes abſtulit illa mihi.

Fuit & quadrans balnearia merces, & quadrantaria balneatrix apud Ciceronem. Teruncium pro minimo & viliſſimo precio Cicero poſuit, cum quenquam de præda turuncium, præter Quæſtores, id eſt, populum Rom. attigiſſe negat. Et ſemiſſis in ſignificatione vilitatis, ut ſemiſſis homo. Item triens quatuor unciarum, & ſextans duum. Duo aſſes, id eſt, binæ libræ, dupondius. Nam pondo, quoties numerum ſolum additum habet, ſignificat libram; cujus ſignificationis frequentiſſima exempla in Veterum ſcriptis paſſim occurrunt. Plautus *Aſinaria*:

Nudus vinctus centum pondo es.

Sin genus ponderis appoſitum fuerit, nihil notat pondo aliud quam veluti adverbialiter, pondus. Plautus *Menæchmis*:

Atque huic ut addas auri pondo unciam,

id eſt, aurum pondere unciæ: Et mox:

Amabo, mi Menæchme, inaures da mihi
Faciundas pondo duum nummum ſtalagmia.

Ab aſſe etiam compoſita treſſis, decuſſis, vigeſſis, ut apud Martialem, *lib.* XII. *epigr.* LXXVII.

Amphora vigeſſis, modius datur ære quaterno:
Ebrius & crudus nil habet agricola.

Id eſt, amphora vini aſſibus vænit XX. frumenti modius quatuor. Sæpe autem aſſibus modius populo Rom. datus, quod mirum videri non poteſt cogitanti, & quanta copia atque fertilitas Italiæ priſcis temporibus, & quæ ſæpe abundantia fuerit advectis frugibus; quæ diverſis in locis Plinius, & potiſſimum *lib.* XVIII. *cap.* III. indicavit, & Polybius quoque *lib.* II. ubi dicit ſuis temporibus ſæpenumero datum medimnum Siculum tritici obolis quatuor, hordei duobus. Vini autem metreten fuiſſe tanti, quanti hordeum. Ita enim reperitur modius, quos nunc etiam in Sicula medimna ſenos computo, fuiſſe aſſe uno & quadrante, ſecundum æſtimationem Polybii. Quin etiam Livius ſcripſit, tantum fuiſſe frumenti advectum Romam bello Punico ſecundo, ut illud Mercatores nautis pro-

A Vectura relinquerent. Centussis centeni asses. Atque hæc ita cum consummantur, ut in vigesse, centusse, &c. vel etiam per partes nominantur, ut triente, semisse, &c. in monetæ mentione ad æs conferentes mox æstimare studebimus, ὡς ἔγγιστα, ut solemus & fieri oportere, quia recte possit, credimus. Facit autem & argenti libræ mentionem Martialis, & in partes dividit non tamen ut monetam, hoc *epigrammate* LXXI. *lib.* VIII.

Quattuor argenti libras mihi tempore brumæ
Misisti ante annos, Posthumiane, decem.
Speranti plures (nam stare aut crescere debent
B *Munera) venerunt plusve minusve duæ.*
Tertius & quartus multo inferiora tulerunt,
Libra fuit quinto, Septiciana quidem:
Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno:
Post hunc in cotula rasa selibra data est;
Octavus ligulam misit sextante minorem:
Nonus aculeolos in cochleare tulit.
Quod mittat nobis decimus jam non habet annus:
Quattuor ad libras, Posthumiane, redi.

Sed a decussi fecerunt *decussare*, quod significat per rectam & transversam lineas obliquas traducere, quæ tum repræsentent figuram literæ X. no-C tæ denarii apud Romanos, vel quia Græcarum consonantum hæc esset decima, ut Priscianus docet, vel quia haberet bis notam quinariam, id est, quintæ Latinorum vocalis literæ V. unde & quincuncem ὄρθογώνια in consitionibus arborum reddidere Latini, quemadmodum de Xenophonte Cicero in libello *de Senectute*, dispositos in quincuncem ordines. ὄρθογώνια (seu ἐγγώνια) δὲ πάντα καλῶς εἴη. Nam rectum angulum illa figura habet, quod obliquæ in decusse lineæ ad normam se mutuo secent. Asses etiam proprie, ut videtur, stipis appellatione intelliguntur, unde & stipendium, quod illi appendi non numerari solerent. A stipan-D do deduxit Varro, & longa syllaba prima protulit Catullus:

—— *dira ferens stipendia Tauro.*

Ovidius tamen corripuit:

Quis stipe mel sumta dulcius esse putas.

Argenteus nummus fuit, quem sestertium dixere. Fuit & libella argentea, ut Plaut. innuit:

Cui nec paratus nummus argenti siet, neque libellæ ulla spes.

Et rursum.

Cum libella nusquam est, nisi hic leno subvenit tibi.

E Hæc fuit decima pars nummi denarii, & asse valuit, cujus etiam dimidium *sembella*, quasi semilibella. Sestertium autem appellatum quasi semistertium, ut pondo duo & semis æris intelligerentur, notissimum est. Atque hujus usus frequentissimus, & quasi proprius fuit Romanorum, quare cum nummum dicerent, fere sestertium significabant, quamvis esset nummi vocabulum generalius, ut mox dicemus, cumque numerarent veluti cotidianas summas, numeris tantum positis sestertios relinquebant intelligendos. Martialis:

Pauca Jovem nuper cum millia forte rogarem.

F Et rursum *lib.* v. *epigr.* LXXXIII.

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta,
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?

Item alibi dicit, nescio quid facere Mathonem centenis millibus. In his igitur omnibus sestertii intelligentur. Quinetiam non solum sestertiorum nomen, sed de numeris etiam sæpe millia omisere verbis, quæ intellectu comprehenderentur. Martialis:

Septingenta Tito debet Lupus.

Et rursum, *lib.* v. *epigr.* XXVI.

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge.

Idem, eod. *lib. epigr.* XXXVI.

Cum sibi redire de patruelibus fundis
Ducenta clamat coccinatus Euclides.

Atque hæc tum sestertia genere neutro dixere. Nam sestertium nihil aliud notat, quam M. sestertiorum nummorum, quod usitata syncopa diceretur, sestertium nummum. Sestertium igitur M. sestertii. Et alia ἔλλειψις, Decies, duodecies, vicies, tricies, & amplius, ut centies, millies. Unde absunt centena millia. Nam decies sunt decies centena, id est, decies centies mille sestertii. Sic vicies, vicies centena. Id est, vicies centies mille sestertii, atque ita deinceps. Denarius valuit drachma & libris æris sive assibus decem: argenteus & hic. Et quinarius quinque. Nam de imminuto precio argenti æris admistione & similibus varietatibus differere non est institutum. Hunc etiam generali vocabulo nummum dixere. Nam Terentius in *Heautontim.* minas decem manifesto interpretatur mille nummum. Sunt autem μναῖ δέκα, χίλιαι, drachmæ videlicet, relinquere enim & has intellectui Græci soliti. Quatuor etiam sestertiis valet denarius: tot enim decem libras æris sive asses complent.

Sequitur aurea moneta, quæ fuit ponderis denarium duum, æstimata viginti denariis, seu octoginta, vel etiam centenis, vel centenis etiam & vicenis nummis sestertiis, pro auri precio aucto diminutove. Plinius minus proprie locutus est, cum *l.* XXXIII. scripsit, *scelus eum fecisse qui primus ex auro denarium signavit.* Et *lib.* XXXIV. *aureos denarios* nominans. Solidos autem aureos dixere posteriorum Principum temporibus, eos scilicet aureos integros, qui tum cuderentur, quod partes etiam illorum ferirentur, ut semisses & tremisses, quemadmodum tum vocarunt. Horum neque Veteribus æquale, neque idem semper pondus fuit. Nos appendimus Constantini nummum aureum, & reperimus pondus denarii unius & fere quadrantis. Appendimus & Diocletiani, atque ipsum quidem ponderosiorem, sed infra tamen superiores quosdam alios. Augusti cum signo capricorni, qua nota pecuniam illum percussisse scribit Suetonius, perelegantem & præclarum auro atque excusione nummum, dono nobis datum a Philippo Melanchthone viro clarissimo, virtuteque & sapientia præstanti, ac doctrina admirabili, nostrique amantissimo, hunc igitur plane δίδραχμον esse deprehendimus. Sed quid quondam acciderit de iis, quæ nunc fiunt aliquo modo existimari potest. Nam aureum quam est diversum precium, neque constans bonitas? Quantopere corvini Ungarici aliis præferuntur? Quantum præstant Florentini Venetis, & quibusdam nostratibus? Quid de coronatis etiam dicam? Cum affirmetur a quibusdam, de uno Pannonico & Rhenano nunc aureo tres excudi alicubi coronatos? Sed hæc nos hoc in libello tractanda non suscepimus. Ἀργύρια sunt in *Evangelica Historia*, atque his XXX. acceptis a Juda Christum Salvatorem nostrum proditum legitur. Hæc didicimus de Hræcorum commentariis singula valuisse denaris centenis, id est, una mina Attica.

Apud Veteres cum aliæ corruptiones monetæ usurpatæ fuere, tum ut aureæ bracteolæ argento vel etiam æri obducerentur, quales & nos detritas quidem prope vidimus. Apud Plautum in *Mostell.* exprobrat servulus alteri plumbi adulterationem:

Tace, inquit, *faber, qui cudere soles plumbeos nummos.*

Dion Caracallæ regno fuisse scribit, νόμισμα κίβδηλον, τὸ μὲν ἐκ μολίβδου καταργυρούμενον, τὸ δὲ ἐκ χαλκοῦ καταχρυσούμενον. Athenæus narrat *l.* XV. Dio-

nysium quempiam cognominatum fuisse Χαλκοῦν, quod suasisset Atheniensibus ut æreum nomisma cuderent. Clazomenios etiam aliquando pressos ære alieno & fœnore, percussisse scribitur in *Oeconomicis* Aristotelis, nummos ferreos: nam de Lacedæmoniorum nomismate diximus, quod non adulterandi caussa tale fecerunt, sed ne esset locus avaritiæ in sua civitate. Diogenem quidem Cynicum talos in sua civitate pro nummis habendos sanciisse traditur. Cum ille illudens hac etiam in parte cupiditatem stulticiæ, jocaretur, ut aliis quoque rebus, de iis quæ plurimi ab hominibus fieri & maximopere expeti videret. Aurum autem purissimum & ad liquiditatem maximam excoctum ἄπεφθον dixere, quod cocturæ assiduitatem significat, ἄξυλος ὕλη, *silva arboribus abundans*. Idemque ὄβρυζον: dixere & Γυγάδας, a Gyge rege Lydorum.

Addamus huc, quia hoc loco in mentem venit, & auri colorem flavum, ac fulvum, atque pallidum dici, ut apud Catullum:

Sæpe magis fulgore expalluit auri.

Et interrogatus Diogenes διὰ τί χλωρὸν τὸ χρυσίον, *cur palleret aurum?* respondisse fertur, *quod haberet insidiatores plurimos*. Signa monetæ Romanæ fuere, quæ diximus. Fuere & bigæ, ac quadrigæ, ac victoriæ, unde bigati, quadrati, victoriati, dicti. Suetonius Neronem scripsit percussisse nummos citharœdico habitu; Constantini Magni nomisma ipsius imaginem habuit attollentis in cœlum manus, & precantis.

Sed omnes notas persequi nimis longum, ego quoque non possim. Nam opus esset multis non solum inspectis, sed etiam consideratis & quasi depictis nomismatis. Ego vero etsi vidi horum plurima, tamen in signis contemplandis modo voluptatem capere, non etiam studium & diligentiam descriptionis adhibere consuevi. Post tamen indicata signa boum, ovium, navium animadvertimus has effigies in Romanis nomismatis. Parte una faciem ejus, qui summus magistratus eo tempore, quo nummus cuderetur, fuisset, ut Consulis, aut Imperatoris: altera vero, varia insignia, ut vigarum & securium, captæ gentis aut civitatis, signorum militarium & aquilarum. Vidimus & in denario capricornum Augusti elatum quasi ad saltum, & complexum prioribus pedibus globum. Vidimus & puteal in Libonis denario, & in Vespasiani delphinum ancoratum. Scripsit autem Pausanias, Trœzeniorum priscum nomisma tridentem habuisse & Minervam ἐπίσημα, id est, hoc signum illius fuisse: nos autem in Juliano denario conspeximus tridentem & ancoram circum copiæ cornu & pilam. Vidimus etiam integras inter lictores Imperatorum imagines, sed paulo magis arduas.

Sed exponamus & alias notas promiscue quidem. Augusti moneta ærea cum Cereris effigie demonstrata nobis fuit. Fuit & alia, in qua circum deam nescio quam scriptura legeretur hæc: CONSENSU. SENAT. ET. EQ. ORDIN. P. Q. R. Item alia cum inscriptione Cæsaris attollentibus victoriis laureas cum scriptura, COMET. AUG. Rursus alia cum elogio: DIVVS AVG. PATER. & signo Januæ, appositis litteris duabus S. C. & infra scripta PROVIDENTIA. Alia perelegans, cum inscriptione circum faciem hac, CÆS. IMP. AVG. F. TR. P. COS. VI. CENSOR. & cum imagunculæ tenentis caduceum ac oleam sinistra, dextra corollam, lemmate, PAX. AVG. additis duabus literis S. C. Alia Domitiani cum Palladis, alia Lucillæ, Aug. cum Junonis effigie. Vespasiani item, cum victoria tenente manu globum, in quo visuntur literæ hæ S. P. Q. R. Argentea ostensa fuit nutricis lupæ. Item alia Anci, cum aquæ ductu. Item alia ærea egregia hoc elogio: IMP. NERO. CLAUD. CÆSAR. AUG. GERM. P. M. TR. P. XIII. PP. Altera autem hujus parte templum clausa janua cernebatur, cum scriptura hac: PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. JANUM CLVSIT. & literis ibi ad templum S. C. positis.

Sed hæc in præsentia retulisse satis fuerit. Sequitur æstimatio monetæ Romanæ. As igitur secundum Polybium valet tantum, duo ut obolum æquare videantur. Sed si quis etiam minutius exquirere voluerit, continebit obulus assem unum semis, & insuper sextantem. Hæc erit ad monetam Basiliensem non remota comparatio, si *Rapos* duos pro asse posuerimus.

Decussis oboli sex sive drachma, id est, denarius.

Cruciati circiter octo, vel exquisitissima ratione septem & dimidiatus.

Vigessis, cruciati sedecim, vel sane quindecim.

Centussis, cruciati LXXX. seu LXXV.

Quadrans, Rapi dimidium.

Centum quadrantes, Cruciati 20.

Sestertius non attingit obolum, sed valet exquisita ratione χαλκοῦς duodecim, id est, sex nummulos Salinarum in Suevia.

Libella valet asse, sed fuit hæc, ut diximus argentea.

Sembella. Semisse.

Ducenta milia. Quinquaginta milia drachmarum. Coronatorum V. M. fuerint.

Decem millia. Bis M. quingentæ drachmæ. Coron. CC. L.

Centena milia XXV. M. drachmarum. Coronat. duo M. D.

Septingenta. Drachm. centena septuaginta quinque M. Coron. septendecim. M. D.

Quadringenta. Equestris census. Centena M. drachm. Coron. X. M.

Decies. Drachmarum ducenta quinquaginta M. Coron. XXV. M.

Denarius, idem quod drachma Attica, valet Rapos XX.

Quinarius, triobolum. Rapos X.

Aureus δίδραχμος, XX. drachmis valet, ut plusculum temporibus auri. Coronatis duob.

Solidus non prorsus XV. drachmæ. Coron. IS.

Ἀργύριον in *Historia Evangelica* decem Coronati. Veniit igitur Christus Coronatis circiter CCC.

Hæc in mentem venerunt hoc fere tempore, quæ existimaremus referenda, in quibus etsi opera fortasse non præclarissime posita, non tamen periisse omnino videtur. Nos certe majorem cepimus voluptatem, dum hæc recensemus, quam multis fœneratoribus afferat tractatio calendariorum suorum, vel potius, inter hæc sumus paulo magis delectati, quam si alienam vel etiam propriam interea pecuniam numerassemus. Quemadmodum autem Græcus versiculus ait, *nihil accidisse mali cuiquam, qui id quod accidit ad se nihil pertinere existimet*: ita quod quisque præclarum & pulcrum ducit, id nimirum bonitatis nomine illi conciliari necesse est. Hæc igitur copia nos delectat, non arcæ, sed cognitionis qualiscunque. De quo sentiat quisque quod voluerit. Opinionis enim hæc certe sunt, ut videtur, si ulla alia. Nos tamen hæc qualiacunque studiosis bonarum artium grata acceptaque futura esse confidimus.

FINIS.

LEONHARDI PORCII,

JURISC. VINCENTINI,

DE

RE PECUNIARIA

ANTIQUORUM,

AC DE EORUNDEM

PONDERIBUS, MENSURIS,

STIPENDIIS MILITARIBUS, &c.

LIBRI DUO.

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DN. DOMINO

PHILIPPO, HISPANIARUM PRINCIPI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, &c.
COMITI HABSPURGI, FLANDRIÆ, &c.
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

NICOLAUS MAMERANUS

LUCENBERGENSIS.



UPER invictissimi Parentis tui, Philippe, magnanime Princeps, amplissimeque ad Imperii fastigium, per Sabinum conscriptam Electionem, ejusque ab initio Imperii rerum clare gestarum Epitomen compendiosa relatione nostra, utramque adtente tibi, & diligenter, propter amplitudinem & rerum pondera, perlegendam & cognoscendam præstitimus. Nunc *Rem Pecuniariam* Leonhardi Portii, Imperiorum & regnorum administrationibus tanquam affinitate quadam, ac necessitudine proximam: mihi semper quidem pessime, etiam in magnis meis laboribus, propitiam, vel infestam quoque, & nihil minus quam familiarem ac domesticam: tibi vero ad maximarum amplissimarumque rerum, humeris tuis incumbentium, rectam & salutarem gubernationem, ad expeditionum in hostem sustinenda onera, apparatusque bellicos, opportune conducibilem & in primis necessariam, non levi, neque minima de causa ad tuam Serenitatem mittimus: utpote quæ maximis Principibus clarissimisque & cognitu pernecessaria sit, & usum ita utilem præstet ac salutarem, ut sine ea pene inutile magni Principis amplissimique nomen ac majestas habeatur. Non enim sine hac Regina, & adscititia rerum humanarum Domina, vel florere luculenter Respublicæ, vel conservari salva commode & integra Regna possunt: nec subditorum industria & indisturbata retineri salus atque incolumitas. Etenim dici non facile potest, quantum in Imperiis & Regnorum ditionumque gubernationibus semper valuerit ab initio usque hæc pecuniaria ratio, ut non immerito bellorum nervi dictæ sint pecuniæ, Regnorumque thesaurus.

Pecunia, bellorum nervus.

Hujus autem ratio antiqua, primusque ejus usus quis fuerit: quemadmodum humanæ res per hanc & decorem atque incrementa sumpserint, & in fastigia ac sublimitatem surrexerint: & excisæ quoque pessum ierint ac corruerint: hic per Portium acerr. investigatorem, diligentissimumque vetustatis perrimatorem & excussorem, magno ingenio & incredibili industria, clara & evidenti posita explicatione panditur. Et quomodo apud veteres Principes Rerumque publ. ac Nationum & populorum moderatores & Gubernatores tractata sit & habita: quis modus tunc ejus in militia, ususque extiterit: quam commoditatem per bonos Principes adtulerit: quid felicitatis et salutis: quantum contra turbarum etiam et excidii per improbos invexerit, et ob id ejus hic lectio plurimum jucunditatis cum maxima utilitate conjunctum, lectitanti tibi est allatura.

Pecunia, bonis Principibus commoda: improbis perniciosa.

Hactenus enim si veram veteris militiæ imaginem, quomodo conservaretur: si usum, disciplinam, modum, ejusque alendæ rationem: item quis fuerit ordinarius illius clarissimi et victoriosissimi totius mundi bellatoris Rom. populi exercitus: quomodo et quanto stipendio: quibus

præterea rebus aliis in ſingulos menſes interteneri conſueverit, parum tua Serenitas compertum habuit et exploratum, hinc jucunda pariter et eleganti relatione cognoſcet.

An enim ſcitu jucundum magnanimo Principi, et rerum pulcherrimarum ſtudioſo, non ſit, hinc tanquam in clariſſimo ſpeculo proſpectare, in quo noſtra horum temporum militia ab illa antiqua differat? quomodo tunc miles altus ſit: quantis intertentus impenſis: quomodo et quantis nunc? Nimirum cum antiquis, victus, veſtes, arma, equi, cæteræque res utenſiles et neceſſariæ, ſtipendio, leviore cenſione imputatæ exhiberentur: reliquumque ex ordinario ſtipendio (quod idem fere cum noſtri temporis ſalario fuiſſe colligitur, id eſt trium circiter aureorum coronatorum) in pecunia exſolvebatur: noſtris univerſum ſalarium in mera et ſola pecunia exſolvitur. Alioqui ſupputato annuo ſtipendio ordinarii Rom. exercitus, ferme eadem invenietur ratio ac ſumma pecuniaria, cum hujus noſtri temporis alendi exercitus et intertenendi modo.

Stipendium antiquæ militiæ cum noſtri temporis convenire.

Nam ordinarius et perpetuus Romanorum exercitus duarum ſemper Legionum erat, quæ conſtabant plus minus duodecim millibus peditum et mille equitibus. Ad quas copias annuo ſtipendio intertenendas, mille erant deputata ab Senatu talenta: quæ conſtituunt noſtri æris ſexcenta millia aureorum coronatorum. Quæ ſi reſoluta in ſingulos milites per 12. menſes diſtribuantur, invenietur non multo minus, quam tres coronatos per menſes ad ſingulos rediſſe. Quantum et hodie ſingulis ſtipendiariis peditibus communiter et ordinarie ſolvitur. Equitibus autem ſingulis vel octoni, vel deni, vel duodeni, ſecundum dignitatem et meritum, aurei coronati (ſupputatione ad noſtram monetam facta) numerabantur: ſicuti nec hodie multo plus ſinguli capiunt.

Ordinarius Rom. exercitus.

Salarium peditum priſci temporis.

Salarium equitum.

Item quanti tunc temporis equus communiter emptus ſit: nimirum tempore Salomonis in Ægypto emptos eſſe ſingulos equos ſexagenis coronatis conſtat: et in Italia apud Romanos eodem ferme tempore, quinquagenis. Et ſumptum annuum in ſingulos equos, decem coronatorum fuiſſe, ex hujuſmodi monetarum ratione colligitur: quod et ipſum non injucundum eſt cognoſcere, ut quanti tunc res valuerint, et quanti ad intertenendum ac alendum conſtituerint, intelligamus.

Quanti equus priſco tempore emptus & nutritus.

Præterea cognoſcet ex hoc tua Celſitudo libello, quantum in navali militia prima et ſecunda claſſis in ſtipendio et milite habuerit: quanti annua ſuſtentatione conſtiterit. Item quis cenſus Equeſtris: quis Senatorius. Nam Equeſtris ſenſus, ſumma pecuniaria quadringentorum ſeſtertiorum erat, hoc eſt, æris noſtri decem millium coronatorum, a Senatu ſingulis equitibus, quos ad hunc ordinem adſumpſiſſet et declaraſſet, ex ærario deſignata: non quod nemini liceret eſſe nobili aut equeſtris ordinis, niſi qui tantum in bonis et reditibus annuis haberet, cum legamus complures fortunæ admodum tenuis, virtute bellica, et nobilitatis decus et Equeſtris ordinis meruiſſe inſignia: ſicuti et quendam Poetam donatum hoc ab Auguſto cenſu legimus. Et fortaſſis etiam ad intertenendos equites emiſſarios ad neceſſitatem in negotiis urbis talis aliqua ſumma deſignata erat.

Cenſus Equeſtris.

Senatorius autem cenſus primum octingentorum ſeſtertium erat, quod eſt viginti millium coronatorum: deinde auctus eſt per Auguſtum Cæſ. ad mille ducenta ſeſtertia, id eſt, in triginta millia coronatorum. Hujus cenſus videtur Plinius, luxuriam Rom. et divitiarum æſtimationem, honeſtarumque rerum negligentiam taxans, ſic meminiſſe: Poſteris laxitas mundi et rerum amplitudo damno fuit:

Cenſus Senatorius.

Plinius lib. xv. poſtquam Senator cenſu legi cœptus: Judex fieri cenſu: Magiſtratum, ducemque nil magis exornare, quam cenſus: poſtquam cœpere orbitas in auctoritate ſumma & potentia eſſe, &c. peſſum iere vitæ precia, omneſque liberales artes in contrarium concidere, ac ſervitute ſola profici cœptum.

Quanquam autem non ſolum Plinius, ſed omnes alii, qui de politia Rom. meminerunt, ſic habeant, ut ex cenſu Senatum lectum eſſe dicant: tamen non parum mirum videri alicui poſſet, ejus populi Magiſtratum, tam inſignem & prudentem, qui totius pene orbis Dominator eſſet, huc ſtuporis ac dementiæ deveniſſe, ut virtutem & animi ingeniique dotes ipſis fortunæ bonis poſtponere voluerit, pluriſque hæc, quam iſtas æſtimare, ut nemine in ordinem Senatorium reciperet, niſi tantum in annuo cenſu haberet quam ne quidem virum prudentiſſimum, ſi infra hunc eſſet cenſum. Hoc enim quid aliud eſſet, pecunia & bonis fortuitis, virtutem & prudentiam metiri? quo quid eſſe poſſet turpius & iniquius? Et tamen fallit hoc primum in ipſo Cicerone, cujus fortuna cum longe infra hunc cenſum eſſet, nec ex parte vigeſima par, ut quæ in infimo ferme loco conſiſteret, nec ullis imaginibus majorum ipſe clarus eſſet, ſed homo obſcurus & externus ſolum tamen ingenii dotibus huc profecit, ut non tantum Senator, ſed primas urbis factus florentiſſimæ totius orbis Reipubl. gubernacula teneret. Non enim cenſu, ſed ingenio hic lectus eſt. Quare non abſurdum forſan videri poſſet, ſi credatur hæc ſumma pecuniaria ad ipſum intertenendum ex honeſtate totum Senatum, fuiſſe a prudentiſſimo Magiſtratu ex ærario deſignata. Nemo enim ex ullis hiſtoriis adducet, nullum fuiſſe in hoc ordine Senatorem infra hujus cenſus ſummam, imo pauciſſimos inveniet ex omnibus Senatoribus, qui tantum in annuo cenſu habuerint. Nec Auguſtum prudentiſſ. optimumque Principem huc reſpexiſſe opinor, cum hunc cenſum ex decem millibus augeret, ut hac tanta ſua largitione, hoc impenſius virtutem, quæ in fortuna non conſiſtit, ſuppRimeret: ſtultitiam ac temeritatem, quæ fortunæ ſplendorem comitantur, adtolleret ac promoveret. Atque ſic prudentiſſimus Magiſtratus turpiſſimæ ac ſtupidiſſimæ ignorantiæ ſuſpicione liberabitur.

Vera de cenſu Senatorio opinio.

Item quis reditus priſcorum quondam Regum, Provinciarum, Imperiique populi Rom. quæ opes & quantæ priſci temporis: quanti exercitus tunc alitus ſit, & qua ratione ſuſtentatus: ſtupenda illorum temporum divitiarum miracula, fidem & rationem ſuperantia, in hoc libello memorantur: ut quod de Alexandro Magno Macedonum Rege ſcribitur, in cujus nuptias ab Aſiæ gentibus devictis impenſas eſſe ſcribunt coronas aureas valoris quindecim talentorum, id eſt, nonagies centies millium coronatorum, hoc eſt, novem millionum. Non enim illis erant leges ſumptuariæ Sillana & Juliana poſitæ, quæ vetuerunt in nuptiis ſupra mille ſeſtertios fieri ſumptum, id eſt, vicenos quinos coronatos aureos. Et in cujus theſauro, cum vita deceſſiſſet, reperta fuiſſe tradunt centum millia talentorum auri, id eſt, ſexagies decies centena millia, juxta noſtræ pecuniæ ſupputationem, aureorum coronatorum, id eſt, ſexaginta milliones. Nam millio continet decies centena millia. Et tamen paulo ante ex eo exhauſerat in funeratione Ephæſtionis decem millia talentum, hoc eſt, ſexagies centena millia coron. id eſt, ſex milliones. Et in annuo reditu eidem fuiſſe tercentena mill. talentum, id eſt, centies octies decies centena millia coron. hoc eſt, centum & octoginta milliones: quantum fortaſſe hodie nullus in univerſo orbe Princeps ex annuis reditibus habet: quantam vim auri vix tota hodie

Alexandri Magni ſtupendæ divitiæ.

Euro-

Europa conferre in unum ſuffecerit. Et tamen bonæ fidei ſcriptores hæc memorant. Item Suſis in ærario Darii Regis reperta fuiſſe tradunt quadraginta talentorum millia, quæ faciunt ducenties quadragies millia coron. id eſt, viginti quatuor milliones.

Darii ærarium

Item Sardanapalum Aſſyriorum Regem, qui ducentis circiter annis poſt Salomonem vixit, memorat in ſtructuram pyræ, & ejus ornatum impendiſſe octies centena millia coron. ſupputatione ad noſtram monetam facta. Ac tum ſecum in eandem una cum uxore & pellicibus ſimul cremanda congeſſiſſe auri talenta centies centena millia, id eſt, ſexies millies millena millia coron. id eſt, ſex millia millionum. Summa eſt, quæ omnem vincit fidem, & quam univerſa Europa hodie ſimul conferre in unum non poſſet. Item in Perſarum theſauris Strabo refert reperta eſſe centies & octies millies millia coron. noſtri numiſmatis, id eſt, decem milliones & octies centena millia.

Sardanapali incredibilis & infinitus pene auri argentique numerus.

Perſarum theſauri.

Sic Davidem Regem, qui centum annis poſt captam Troiam in Judæa, ſicut Saturnus centum annis ante in Italia regnavit, *Hiſtoria Regum* tradit, habuiſſe auri centum millia talentum, id eſt, decies ſexagies centena millia coronatorum, hoc eſt, ſexaginta milliones: argenti vero mille millia talentorum, hoc eſt, millies mille centena millia, id eſt, ſexagies decies milliones. Cui rei teſtimonium perhibere videtur Joſephus lib. VII. *Antiq. Reliquit autem*, inquit, *David divitias tantas, quantas nemo alius Regum nec Hebræorum, nec aliarum gentium.*

David Rex.

Atque Salomon ejus filius, qui gloria, ſapientia, & divitiis omnes totius mundi cujuſcunque ætatis ſuperavit Reges: cui a finitimis Provinciis quotannis dono offerebantur talenta auri ſexcenta ſexaginta ſex, id eſt, trecenta triginta novem millia coron. & ſexcenti coronati, in ſolam mercedem operariorum & opificum Templi, qui fuere centum & ſexaginta millia, impendit ſeptuagies bis centena millia coronatorum, id eſt, ſeptem milliones & ducenta millia. In ornamenta vero Templi ac vaſa aurea contuliſſe eum memorant ducenties quadragies octies centena millia coronatorum, hoc eſt, viginti quatuor milliones & octo centena millia, ut in ſumma conſtiterit hoc Salomonis Templum triginta duo milliones coronatorum. Et Eupolemus Græcus hiſtoricus addit, mille ſcuta aurea a Salomone fuiſſe facta. Sed in tertio *Regum* legitur tantum de ducentis, quæ ſint ex auro puriſſimo facta, nec in Templi, ſed domus ipſius in monte Libani ornamentum ceſſiſſe. Verum hæc omnia tantarum impenſarum hujus Templi ornamenta, exceptis Arca & Tabulis, poſtea Nabuchodonoſorem Babyloniorum Regem (quem Hercule robuſtiorem fuiſſe ſcribunt: & quem ſic Deus obbruteſcere fecit, ut cum jumentis ſtabularetur & ad præſepe fœnum comederet, ſed precibus Danielis rurſum reſtituit, factuſque eſt Domino fidelis) ductis in Judæam una cum Stibaris Medorum Regis copiis auxiliaribus centum & octoginta peditum millibus, equitum vero centum millibus, curruum decem millibus, direpta & ſpoliata, ſimul cum totius Judææ oppidis, ipſa Hieroſolymorum urbe, captoque Joachimo Judæorum Rege cum omni familia & theſauro, ſecum Babylonem deportaſſe.

Salomon.

Templum Salomonis quanti conſtiterit.

Nabuchodonoſor.

Stibaris Rex.

Jam vero annuus cenſus populi Rom. quantus & quam incredibilis erat? Scribunt enim ante Pompejum, populum Rom. in annuo reditu quinquagies decies centena millia coronatorum noſtri æris, hoc eſt, quinquaginta milliones. Quos annuos reditus, poſt devictam, & ſubactam per Lucullum quidem Aſiam, per Pompejum autem fortunæ favore triumphatam, cum & mare Piratis tranquillaſſet, & Imperio populi Rom. adjeciſſet, Pontum, Armeniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Mediam, Ciliciam, Syriam, Meſo-

Reditus annui populi Rom. 50. milliones.

Pompejus.

potamiam, Judæam, Phœniciam, Palæſtinam, Ægyptum, Colchidem, Iberiam, Albaniam, Scythiam, & Arabiæ partem: & caſtella mille capta: civitates noningentas ferme: naves Piraticas octingentas: urbes Colonias Rom. triginta novem: ad octuagies quinquies decies centena millia coronatorum auctos eſſe memorant, hoc eſt, ſeptuaginta quinque milliones. Ac tunc ex ſolis tributis & vectigalibus rediſſe quotannis in ærarium populi Rom. vicies centena & viginti quinque millia coronatorum. Quæ unquam in orbe civitas, quis tam potens unquam & opulentus Princeps extitit, qui tantam auri vim ex annuis reditibus habuerit? Hodie ſiquidem vix omnes Europæ civitates ſimul, tantum ex annuo reditu capere crediderim. Ad quas populi Rom. priſcorumque Regum divitias, noſtrorum hujus noſtræ tempeſtatis & ante mille ab hinc annos, Principum vel maximorum, univerſæ collatæ opes, quid habebant ſimilitudinis & convenientiæ: certe hoc, ut magis inopiæ & quædam mendicitas, quam opes & mundana felicitas appareant. Vix enim multi ſimul opulentiſſ. hanc ſummam conſtituent. Sed vergit occulto quodam Dei judicio indies magis & magis in pauperiem mundus eo gradu, quo a Deo & innocentia atque rectitudine vitæ in pravitatem & ferociam & omne dedecus recedit. Quantoque plus auri & argenti effoditur & cuditur, tanto rareſcit magis, minuſque habetur. Quod & ipſum non parum mirum videri poteſt quo ſtupenda illa & infinita vis auri priſci illius temporis omnis pervenerit, & quo indies labatur ac vaneſcat, cum tamen quotidie per omnia ſæcula & effoſſum ſit et effodiatur ac cudatur, cum ærugine et ſitu non corrumpatur, neque etiam uſu uſque adeo adteratur. Poſſent ſiquidem jam omnia ubique auri eſſe plena, niſi Deus occulta quadam ratione evaneſcere faceret, et veluti inter manus diſperire. Sic et in maximo frumenti ac vini, rerumque aliarum terra naſcentium proventu egemus, et deſtituimur. Nam rerum omnium pretia in ſingulos dies in caritatem magis magiſque evidenter ſurgunt et augentur, fiuntque comparatu difficillima. Quantoque plus laboramus, minuſque ocii admittimus, etiam diebus feſtis, hoc minus habemus, hoc minus ocii relinquitur: hoc plus laboris reſtat. Quæ cauſa? certe hæc unica, de Deo diffidentia: de noſtris laboribus et induſtria confidentia: de Deo diffugium, et ad hæc externa confugium, ad hæc ſtudia converſio & applicatio.

Aucti ad 75. mill.

Opes noſtri temporis cum priſcorum collatæ, inopiæ & mendicitas ſunt.

Nec tamen (ut ad inſtitutum revertamur) abſurda hæc de populo Rom. atque incredibilia videri debent. Si enim omnium Provinciarum, nationum, dominorum, inſularumque totius ferme orbis Imperio Romano ſubjectarum, vectigalia, tributa, cenſus, proventus, metalla, exactiones, mulctæ, ſpolia, rapinæ ad calculum revocentur, longe fortaſſe ſumma educi amplior æris, redituumque poterit. Et Strabo in deſcriptione Hiſpan. refert apud novam Carthaginem, quam hodie *Carthagenam* vocant, ex breviſſimo terræ ſpacio, quinquaginta videlicet millium paſſuum, ipſum populum Rom. in ſingulos dies duorum millium et quingentorum coronatorum, ad noſtri æris computationem, reditum habuiſſe. Qui efficiunt in ſingulos menſes LXXV. millia coronatorum: in annuum vero ſpacium, noningenta centena millia. Vix enim credibile eſt tam parvum terræ ſpacium, id eſt, iter pedeſtre novem aut x. horarum, tantam pecuniarum ſummam in annuum reditum pendere potuiſſe: cum vix magna aliqua & ampla provincia tantum hodie alicui Principi annue pendat. Quantum igitur cenſendum eſt totam ipſam Romanis pendiſſe quotannis Hiſpaniam, ſi tam parvus terræ tractus hanc tam amplam ſummam

Res mira de parvo terræ ſpacio.

tribuit? Quantum autem diverſas & opulentas totius ferme orbis ditiones ipſorum Imperio ſubjectas?

Antiochus Rex.

Livius de pace Antiochi Regis cum Romanis facta, memorat Antiochum ſolviſſe quindecim millia talentum, id eſt, nonagies centena millia coronatorum noſtri æris, hoc eſt, novem milliones. Verba Livii lib. IV. de bello Macedonico ſic habent: *Europa abſtinete: Aſiaque omni, quæ cis Taurum montem eſt, decedite: pro impenſis deinde in bellum factis 15. millia talentum Euboicum dabitis: quingenta præſentia: duo millia & quingenta, cum Senat. populuſque Rom. pacem comprobaverint: mille deinde talenta, per 12. annos.* Ubi fortaſſe rectius legi poterit, *millena deinde talenta*, diſtributive in ſingulos annos: ut mirum cenſeri minime debeat tam fuiſſe populi Rom. ærarium ex annuis reditibus opulentum. In quo Plinius refert fuiſſe ſub Sexto Julio & L. Aurelio Coſſ. ſeptem annis ante tertium bellum Punicum, computatione noſtri æris, quadragies ſexties centena, & quinquaginta quinque coronatorum millia, hoc eſt, quatuor milliones, ſexcenta & quinquaginta quinque millia: quod Plutarchus ſcribit poſtea per Pompejum ex devicta Aſia aucta eſſe ad octuagies decies centena millia, hoc eſt, octuaginta milliones. Budæus autem in *Aſſe* ſupputat fuiſſe ſedecies centena millia & ſeptingenta centena millia coronatorum, id eſt, centum & ſexaginta milliones. Argenti vero nonagies bis octoginta quinque millia pondo, id eſt, noningenties vicies centena millia coron. id eſt, nonaginta duo milliones. Aut alia ſupputatione apud eundem Budæum longe inferiore, videlicet, ducenties vicies ſepties centena millia, id eſt, viginti duo milliones & ſeptingenta centena millia. Quam ſummam univerſam ſimul hodie vix univerſa Europa habet. Atque idem Pompejus poſt ſubjugatas illas Ponticas Aſiæ minoris opulentiſſ. & nobiliſſ. ditiones, cum Tigrane Armeniæ Rege prælio congreſſus eſt: qui victus & ante ipſum poſito diademate Regio, in genua provolutus, ſuppliciter culpam deprecans, ſolvit impoſitam mulctam auri ſex talentorum millia, id eſt, ſexties & trigeſies centena coron. millia, hoc eſt, tres milliones & ſexcenta millia.

Incredibilis ſumma auri & argenti in ærario Rom.

Tigranis Regis mulcta.

Cato quantum ex Cypro auri in ærarium extulerit?

Sic Cato, devicto & confiſcato Ptolemæo Cypri Rege, extulit ex nobiliſſima illa & auri opulentiſſima inſula, quæ hodie Turcarum Imperatori tributaria, Venetorum patet dominio, in ærarium Rom. ſeptem talentum millia, id eſt, bis & quadragies centena millia coronatorum, id eſt, quatuor milliones & ducenta millia.

Ærarium Rom. ſub Veſpaſiano Cæſ.

Et ſub Veſpaſiano Cæſ. qui Princeps fuit omnium liberaliſſ. tum in omnes benemeritos, tum præſertim in ſtudioſos & diſciplinarum profeſſores, in Senatum & Conſules, tradunt in ærario fuiſſe quadragies millia ſeſtertium, id eſt, millies centena millia coron. quod eſt centum milliones. Item Tiberius Cæſar, Princeps unus ſordidiſſ. exactionibus & vexationibus vicies ſepties millies ſeſtertium coegiſſe dicitur, id eſt, ſexagies ſepties millies mille & quingenta millia coron. quod eſt ſexaginta ſeptem milliones cum dimidio. Quam ſummam immenſam Cajus Cæſar ejus ſucceſſor, citius quam annuo ſpacio totam prodegit, ut vere proverbium hic locum invenerit, *Tenax requirit prodigum*. Hic Cajus fertur ſæpe ſuper immenſos auri acervos patentiſſime diffuſos, nudis pedibus ſpaciatus eſſe, totoque corpore volutatus.

Tiberi Cæſ. avariſſ. immenſa auri vis.

Caii Cæſ. prodigalitas.

Neronis prodigalitas.

Et Neronem Cæſ. Tacitus memorat poſt extructam immenſis impenſis domum auream, bis et vicies millies ſeſtertium donationibus effudiſſe, id eſt, quingenties et quinquagies centena millia coron. id eſt, 55. mill. cum dimidio. Et luſiſſe aleam in ſingula puncta denis aureum millibus. Et diſcedenti urbe Tiridati Regi donaſſe ſuper ſeſtert. millies, id eſt, ſupra vicies quinquies centena mill.

coron. item nullam vestem bis induisse, et mulas argenteis soleis calceasse tradit.

Caligulæ Cæs. prodigalitas.

Sic quoque Caligulam Cæs. Tranquillus tradit vicies septies millies sestertium prodegisse, id est, sexcenties septuagies quinquies centena millia coronatorum, id est, sexaginta septem milliones cum dimidio.

Vitellii Cæs. & Caligulæ cœna.

Et Vitellium Cæs. memorant sestertiis centies uno die cœnasse, id est, ducentis quingentis millibus coron. quanti & Caligulam quoque tradunt.

Lentuli divitiæ.

Jam Lentuli Auguris & Senatoris Rom. quantæ fuere divitiæ? Scribunt siquidem ejus bona taxata fuisse in quater millies sestertium, id est, in centies centena millia coron. hoc est, decem milliones. Quis hodie magnus Princeps est, qui tantum possideat?

M. Crassi annui reditus.

Et M. Crassi Senatoris Rom. divitias ex annuis reditibus quinquies centenorum millium coron. nostri numismatis fuisse memorant. Quantum vix hodie magnus aliquis & amplus Princeps ex annuis capit reditibus.

Luculli divitiæ.

Sed & Lucullus Rom. tantas divitias bello acquisivit, ut eas nec operibus sumptuosissimis extructis, nec quotidiano luxu adterere posset, solitusque sit, cum magnifice cœnare vellet in Apolline, (qui locus magnificæ cœnationis erat) non minus quam quinquaginta millibus drachmarum, id est, sicuti Budæus supputat, quinque millibus coron. & ducentis sestertiis, quæ tantundem constituunt.

Lolliæ ornatus.

Sed & Lolliæ Paulinæ ornatus seu mundus æstimatus est quadringenties sestertium, id est, decies centenis millibus coron. eratque fere totus ex gemmis.

Cleopatræ Reginæ cœna.

Et Cleopatra Ægypti Regina, apud quam Antonius delibutus desederat, una cœna centies sestertium absumpsit, id est, ducenties centena & quinquaginta millia coron. id est, viginti milliones & quinquaginta millia.

Virgilii Poetæ divitiæ.

Sed quid de Virgilii Poetæ divitiis dicemus? fuit P. Virgilius Maro Poeta omnium qui unquam fuere unus fortunatissimus opulentissimusque. Possedisse siquidem eum memorant, ex Principum amicorumque liberalitatibus, in bonis ad nostræ pecuniæ valorem æstimatis, bis centena quinquaginta millia coron. nec tamen exulum aut proscriptorum confiscata bona, quæ illi ab Augusto offerebantur, unquam ulla suscipere voluit, unde multo factus fuisset opulentior: quæ res maximam ejus animi integritatem arguit: quam ne quidem in multis Christianis invenire est, qui non tantum obviis, ut ajunt, ulnis hujusmodi oblata sibi miserorum & damnatorum bona suscipiunt, sed magnis desideriis & solicitationibus ambiunt & expetunt.

Laberius Poeta censu equestri donatus.

Quanquam & Laberius Poeta non infima fortuna fuerit, ut qui ab Augusto Cæs. censu equestri donatus sit, id est, decem millibus coronatorum in singulos annuos, factusque eques Romanus.

Horatius.

Sic & Horatius in lautissima fortuna ex Principum munificentia fuit.

Nostri temporis Poetas in nullo honore esse.

Hodie cum nullus sit Poetarum honos, nulla apud Principes æstimatio, magna non tantum rerum inopia premente sed mendicitate etiam angustantur. Moriones & tibicines dona magnifica ferunt: Poetæ vix stipem accipiunt: isti luxu abundant: hi inedia pressi fortiter esuriunt. In ludos & aleam stultasque alias vanitates, nil piget sæpe maximas profundere summas: in studiosos & eruditos, si duos aut sex quis aureos eroget, magnum quid esse putat.

Medicorum omnium salarium.

Et multi Medici Romæ annua mercede a Principibus habiti sunt senis coronatorum millibus ducentenis & quinquagenis

Sed finem tandem prisci temporis divitias commemorando facia-

mus. Diligenter omnia ſatis hæc Portius perſequitur, & poſt eum Budæus in *Aſſe* ſuo, ſimulque & ponderum atque menſurarum ex Antiquis rationem explicat & priſcorum temporum in his ritus ac conſuetudines uterque aperit. Quas tu res, ampliſſime Princeps, ob vetuſtatem pariter & utilitatem neceſſariam, diligenter perſpice ac cognoſce: et quantum pecuniarum ratio in bellis conficiendis, et Regnis, Imperiiſque gubernandis et conſervandis, momenti habeat, hinc ſtudioſe perpende, ac æſtima. Non enim minimum refert, hujus rei tam neceſſariæ et utilis, adtentam et exactam ubique et ſemper, magnum, et ſibi, ſuiſque ſubditis commodum Principem, habere rationem. Patentiſſimus ſiquidem, et in plurimis non modo utilis, ſed perneceſſarius etiam ejus uſus extat: noſtramque ſimul in his exhibendis, et novo modo ad clariorem lucem per Aphoriſmos digerendis, operam atque induſtriam boni æquique conſule. Auguſtæ Rheticæ ex Cancellaria Cæſ. tertio Idus Januarias Anno MDLI.

LEONHARDI PORTII,


JURISC. VICENTINI,

DE

RE PECUNIARIA ANTIQUORUM,

LIBER I.

CAP. I.



COMMERCIA rerum permutando cuique ſuperflua & neceſſaria cœpiſſe ratio ſubeſt, & certiſſimi autores prodidere, poſtea emptiones, & venditiones ex uſu & commodo repertas, quum metalla in hominum cognitionem deveniſſent, quibus diverſa poſtea pretia impoſita ſunt, prout quæque ſpecioſa commoda, aut rara credita, aurum vero cur aliis pretio & dignitate præſtet, non ex his tantum proceſſiſſe, ſed ratione naturali, & ex arcanis Philoſophiæ deprompta plerique crediderunt, quippe cum natura, cui nihil perire poteſt, in continua tamen ſuarum partium tranſmutatione verſetur, eas merito præſtantiores, quæ hujuſmodi tranſmutationi minus obnoxiæ reperirentur, homines exiſtimarunt, ut magis defecatas & propius ad naturam principiorum accedentes, quæ ſane incorruptibilia ſunt, & ſua puritate ab omni injuria converſionis præſervantur. Cum igitur aurum, cui nihil igne deperit, nec ſitu, nec flammis corrumpatur, nec in aliam ſpeciem, quo minus naturam ſuam retineat, tranſmutari poſſit, non facilitate, pondere, colore, quibus multis cedit, ſed ut perfectum naturæ opus, nedum aliis metallis, ſed omnibus illius partibus dignitate præſtantius, & pretioſum magis non immerito judicarunt, quibuſdam paucis exceptis, ut carbunculis, adamantibus, & aliis non permultis, eadem fortaſſe ratione, vel ſolo luxu & hominum libidine commendatis. Cum metalla igitur ad commercia vetere illo permutandarum mercium uſu commodiora in uſu eſſe cœpiſſent, una cum his ſtatim cupiditates, & earum comites fraudes, & avaritia, & cuncta ſcelera prodiere. Quæ bona omnia, & commoda bonis initiis reperta, ad malos ſemper

exitus, & hominum perniciem converterunt. Hinc Promethei fabulam originem cepisse reor, quem furatum ignem Jovi, seu rerum cognitionem & prudentiam e cœlo traxisse, cum in malitiam conversam animadverteret, pœnituisse illum credi par est, & aquilam ejus jecur, cupiditatis sedem & causam, incessanter rosisse, non sine occulto & utili mysterio finxit Antiquitas, quo pœnitentiam & pœnam obiter significaret ejus, qui mortale genus sua illa felici & beata simplicitate privasset. Hinc illa iniqua & vulgata metallorum insectatio,
B veluti malorum omnium causam præstiterint, cum jure ac merito nervi terræ, & præcipuum naturæ opus appellari possint. Prius enim ex iis utilitates, postea commercia reperta sunt. Quæ enim exerceri ars? quid utile? quid pulchrum fieri sine ferro potest? si ad cædes, & urbium expugnationes, & ad omnia mala homines postea convertere, quid est quod ferro imputetur? Æris, argenti, auri, & aliorum metallorum commoda ad medicinam, & alios necessarios
C usus, longum esset referre, si ex cupiditate tanti boni orta est avaritia, & inde omnia mala, cur metalla insectamur? Sed illis omissis, non ne commercia & & hominum conventus his præcipue constant? non ne mutuo usu & consuetudine disciplinæ & artes inventæ? ex quibus prudentia, justitia, pietas, & reliquæ virtutes originem traxere: non ne civitatibus & oppidis fabricandis occasionem præstitere? profecto quod intelligant, quod cognoscant, quod a feris distent, & denique quicquid boni
D habeant mortales, pro majori parte metallis acceptum ferre possunt; quod non solum ratione, sed etiam exemplo jam domestico demonstrari potest. Quanto minus a feris suis, elephantis, simiis, & aliis hujusmodi paulo mitioribus, quam a nobis differunt homines illi in extremis mundi partibus ab Hispanis nuper inventi? cur cum eandem faciem & membra habeant, non eosdem sensus & judicia? Non has differentias natura fecit, cui satis fuit hominum genus ad percipiendas disciplinas idoneum magis quam
E cætera animalia procreare, ipsi homines mutuo usu se invicem docentes, quod quisque sciret, prudentiores effecti sunt, fient aliquando illi & postea mali, ut nos, & eorum malitia, non commercia metallis contracta, erunt in causa. Quibus sublatis omnes quidem artes, mores, disciplinæ, & cuncta bona una deficerent, & citius nos illis hominibus pene feris similes, quam nobis illi efficerentur. Sed longius fortasse quam decuit, evagatus sum, ut diluerem immeritam
F calumniam præcipui boni.

Ad proposita nunc accedam. Rudibus metallis primo teretibus ut virgulis, vel in latitudinem diffusis, postea ad reprimendas adulterantium fraudes signatis, in commerciis usos fuisse mortales satis constat, quibus diversis imaginibus impressis, hominum, & animalium, ut sagittarii, noctuæ, & aliarum rerum, diversa nomina imposita sunt, ut Dari-

A ci, Philippei a regibus, a pondere, numero, & rebus impressis, Græcis drachmæ, Tetracini oboli, minæ, Latinis denarii, bigati, quadrigati, sestertia, & generali vocabulo nummi, seu pecunia, appellati sunt. Quorum nomina, & pretia, adeo jam volventibus sæculis in desuetudinem abierant, ut pauci quid denarii, minæ, talenta, paucissimi quid sestertia, vel forte nulli (absit verbo invidia) nostro ævo intelligerent, ita ut scirent pecuniis nostri temporis conferre. Quapropter quum stipendia militum, redditus, & thesauros populorum, & regum tributa gentibus imposita, conditiones fœderum, privatorum divitias, impensas ædificiorum, denique pretia rerum apud antiquos autores posita, unde multa in exemplum & ad nostram institutionem trahi possunt, cognosci maxime operæ pretium arbitrarer, quid in hac merita confusa & difficili invenerim, utilitate rei, & multorum stimulis impulsus, qualicunque stylo tradere constitui: cum in hujusmodi rerum cognitione non styli gloria, sed inventi utilitas censeri soleat; eoque magis in hoc, quia in discutiendis his, nedum pecunias, sed pondera antiqua, obiter quoque excutere, & nostris conferre necesse fuit. Quibus liquorum & seminum mensuræ facillima disquisitione elici & cognosci potuerunt; quod maxime legentibus utile & jocundum fore putavi. His paucis præmissis, quæ professus sum, aggrediar.

Nummorum nomina. — *Nummus.*

CAP. II.

DIVERSI ponderis & nominis fuisse Talenta apud Antiquos satis constat, Ægyptium, Phœnicium, Babylonium, & alia, quorum rationem prætermisi, quod ad ea quæ dicturus sum, non multum conferre existimavi. Sed duo præcipue in usu fuisse, videlicet majus, Euboicum appellatum, quod in se habuit mnas, quas Latini minas dixere, octoginta, & Atticum, quod sexaginta. Mina in se habuit drachmas centum. Drachma scrupulos tres, Scrupulus obulos duos, Obulus siliquas tres. Libra Romana, quam eandem fuisse, qua nos utimur, nedum conjectura, sed vera computatione puto me reperisse, uncias in se habuit duodecim, uncia drachmas octo, & sic libra drachmas nonaginta sex. Unciæ & Drachmæ in numero nostræ & antiquæ libræ conveniunt, quia totidem nostram libram constituunt. Drachmas vero & uncias antiquas nostris convenire duplici argumento, & utroque probabili, & quasi demonstrativo, puto deprehendisse, cum apud Antiquos, & nostro ævo drachmam esse octavam partem unciæ constet, & denarii antiqui, quos frequentiores pondere drachmæ fuisse inferius apparebit, nunc diversissimis in regionibus reperti octo nostram (sicut & antiquam unciam) & nonaginta sex libram impleant. Præterea sicut uncia nostri temporis charactos CXLIV. continet, quo pondere fere minimo monetarii & artifices nunc utuntur, Drachma vero, quæ est octava pars unciæ, charactos XVIII. ita

Talentorum genera. — *Ponderum nomina.* — *Libra Rom. quot unciarum?* — *Uncia quot drachmarum?* — *Drachma quid?*

Uncia quot siliquarum? antiquam unciam, & drachmam totidem siliquas, ex computatione præmissa apparet habuisse. Siliquas vero antiquas nostris *charactis* convenire & nomine & effectu omnibus, qui experiri curabunt, constare poterit. Quia pro siliqua semina

Κεράτιον quæ siliqua. illius pomi, sive fructus quem Græci κεράτιον, nostri vulgo nunc *charobam* appellant, accipiebant, & inde Græco corrupto vocabulo pro siliquis characti no-

Characti pondus. men in usu esse cœpisse librando deprehendi, quia ejusdem sunt ponderis, si semina pleniora, & matura, & non flaccida, & exhausta eligantur. Sed Romani in mentione pecuniæ, & maxime sestertii, ut inferius demonstrabitur, mina seu pondo inferius declarando, & non sua libra communi usi sunt, ut in numero rotundo, videlicet drachmarum centum, talento & sestertio conveniret. Libra At-

Libra Attica quot drachmarum? tica in se habuit drachmas LXXV. quæ postea in pondere aliarum rerum in suo statu perseveravit, in pecuniis vero, ut sine detrimento creditorum debitores sublevarentur, ex decreto Solonis in centum

Mina. drachmas excrevit, & mina appellata fuit, ut Plutarchus in *ejus Vita*.

Hæc quæ de talento, mina, & aliis ponderibus superius dixi, si quis exquirere voluerit, præter ea, quæ sparsim apud autores reperiuntur, ordine omnia in Tractatu Metrico *de Ponderibus* in volumine Prisciani inserto videri possunt. Pondera antiqua nostris conferre meus labor fuit, quæ ad declarationem sestertii, ut necessaria præmisi. Athenienses aliquando non solum divitiis, celebritate, potentia, sed etiam bonis artibus, disciplinis, moribus, institutis, & maxime politia, & elegantia floruere, quos Romani potentiam adepti cognoscentes cæteris præstare gentibus, in multis imitati sunt, diversi ponderis, ut & aliæ gentes argenteum nummum signaverunt, & drachmas, & tetracinos a pondere co-

Drachmæ usus Athen. gnominatos: sed in præcipuo usu habuerunt nummos pondere & nomine drachmæ, & alios diversi ponderis effigie noctuæ signatos, qui adhuc frequentiores in ruinis, & apud autores maxime Græcos in mentione pecuniæ reperiuntur, & in præallegato tractatu fit mentio, & Plutarchus de signatis effigie noctuæ in *Vita Lysandri*, & alibi de drachmis attestatur.

Cap. III.

Æs quando primum Rom. signatum? librales & unciales. ROMANI rudi ære primum, sed post Servium Tullium regem signato usi sunt, ut asses, qui primum librales teste Plinio, loco inferius adducendo, & Gellio *lib.* XX. *c.* I. urgente bello unciales cum nota Jani bifrontis, & rostri navis, & alii

Pecunia unde? effigie pecudum, unde pecuniæ dictæ, signati fuerunt; cujus notæ & ponderis antiquissimos vidi, & appendi. Argento si-

Argentum quando primum Rom. signatum? gnato uti cœpisse Romanos quinque annis ante bellum Punicum attestatur Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. & quia nummus argenteus pro decem libris æris permuta-

Denarius unde? Quinarius? Sestertius. batur, denarius appellatus est, pro quivis quinarius, sestertius pro duabus libris & semisse. Sed quum postea asses unciales fieri cœperunt, placuit denarium pro

A assibus XVI. sestertium pro quatuor permutari, & sic semper sestertius fuit quarta pars denarii: quem tamen (ut nomen significat) in stipendiis, & apud autores in mentione pecuniæ semper pro decem assibus receptum fuisse Plinius *loco superius adducto* testatur, & Plutarchus in *Vita Camilli*, quum scribit ei pœnam indictam a populo XV. M. assium, declarat eam summam M. D. drachmas conficere. Livius *eodem loco* XV. mill. gravis æris fuisse damnatum, & Livius in actis Servii Tullii regis in mentione census scribit

B primam classem ex iis, qui centum millia æris, vel supra, census haberent: secun- Classis.

dam ex iis, qui a LXXV. millibus usque ad centum millia, Dionysius Halicarnasseus *eodem loco* scribit primam classem fuisse ex iis, qui centum minas, vel supra, haberent in censu: secundam a decem drachmarum millibus, quæ summa eadem est usque ad LXXV. minas. Item Livius *lib.* VI. primæ *decadis* scribit Camillo dictatori per Tribunos plebis quingentorum millium æris mulctam indictam, si quid

C pro dictatore egisset. Plutarchus eadem scribens quinque myriadum drachmarum argenti pœnam indictam, quæ summa quinquaginta millia denariorum significat, quæ decies multiplicata quingenta millia æris efficiet, & ex his, & reliquis, quæ sequuntur, apparet, cum apud autores pœna vel præmium gravis æris reperitur, semper intelligi debere de assibus, qui X. singulos denarios repræsentabant, & denarios pondere drachmæ in frequentiori usu fuisse, quos ut asses, variante tempore mores, vario pondere si-

D gnatos, & tandem ad imitationem Atticorum in drachma resedisse opinor.

Denarium Romanum, sive nummum argenteum reperio aliquando fuisse pon- Denarii Rom pondus.

dere drachmæ adjecta parte tertia, & sic scrupulorum quatuor. Tres enim scru- Drachma 3. scrupuli.

puli faciunt drachmam; & iste denarius ad computationem talenti magni conve- Talentum magnum.

nit, quod erat minarum LXXX. & librarum Romanarum LXXXIII. & unciarum IV. & sic eodem modo sex millia hujuscemodi denariorum, qui scrupula conti-

nent quatuor, faciunt talentum majus,

E quo eorum qui drachmæ sint pondere talentum minus, quod erat minarum LX. & LXXII. hujusmodi denariorum signa- Talentum minus.

bantur ex libra argenti: & de hoc denario quatuor scrupulorum intelligit Livius *lib.* IV. *decadis* quartæ prope finem, quum dicit signati argenti LXXXIV. M. fuere Atticorum tetracinorum, trium ferme denariorum in singulis est pondus, cum tetracini dicantur a quatuor drachmis, & sic scrupulorum duodecim, & Tetracini.

cum singuli tetracini essent ponderis trium denariorum, apparet denarios ali-

F quando fuisse ponderis quatuor scrupulorum scilicet drachmæ addito scrupulo, alium fuisse & frequentiorem, ex quibus multi antiquissimi adhuc reperiuntur, ponderis parum ultra drachmam, adeo quod in qualibet uncia drachma commineuretur, & sic ex uncia denarii septem. Et de hoc credo intellexisse Plinium *lib.* XXI. *cap.* ultimo, quum scribit, Drach- Drachma Attica.

ma Attica fere denarii argentei habet

pondus, sed ita expresse ponit Cornelius Celsus *lib.* IV. *cap.* XII. de ratione ponderum, quum dicit in uncia pondus denariorum septem: & huic computationi convenit autoritas Plinii, quem Hermolaus vitiatum credidit, *lib.* XXXIII. *c.* VIII. in fine, quum dicit, justum esse ex libra argenti LXXXIV. denarios signari: quem locum ut vitiatum Hermolaus correxit, & tamen si recte computetur quod in uncia sit pondus denariorum septem, ex duodecim unciis, & sic ex libra potuerunt signari LXXXIV. denarii.

Locus Plinii.

B Denique crescente avaricia ad imitationem Græcorum pondere drachmæ denarii signari cœperunt, & ii frequentiores apud autores, & in ruinis, & in thesauris passim reperiuntur, & talento, & minæ, & sestertio magis conveniunt. Ex quibus plurimos antiquissimos, & diversis notis signatos, diversissimisque in regionibus repertos vidi, & appensos omnes ponderi drachmæ convenire deprehendi, quod maximam fecisse conjecturam Romanæ justitiæ regi Taprobanes Plin. attestatur *l.* VI. *c.* XXII. quum in captiva pecunia denarios pari pondere, & C diversarum imaginum reperisset, etsi *magnitudines*, & non *imagines* in lib. impressis corrupte legatur, tamen in antiquissimo manuscripto *imagines*, & non *magnitudines* legi, & recte, & hos fuisse proprie denarios, vel magis communes attestatur Livius *lib.* IV. *decadis* IV. Ultra quod hujus ponderis frequentiores adhuc reperiuntur, & inferius autoritate aliorum comprobabitur, quum scribit Achæos a Flaminio admonitos, redemisse servos Itali generis per totam Achajam, eamque redemptionem centum talentis stetisse A- D chæis, quum quingentos denarios pretium quod redderetur dominis pro singulis servis statuissent; mille enim & ducentos ea ratione Achaia habuit. Quod si recte computetur, constabit talentum LX. minarum, & sic Atticum sex millia denariorum continere. Idem Livius, si cum Plutarcho conferatur, comprobabit denarios & drachmas ejusdem æstimationis fuisse, cum alter ipsorum drachmas, alter totidem bigatos Badio Nolano a Marcello donatos referant: & Appianus *l.* III. scri- E bit Octavium quingentas drachmas veteranis, quos ex municipiis collegerat, promisisse. Cicero idem exprimens totidem denarios dedisse scribit in epistola sexta lib. XVI. *ad Atticum*, & in alia *ad Quintum Fratrem*, & in aliis locis clare constat. Idem Plinius, si recte, & non depravate legatur, attestatur *lib.* XII. *cap.* XV. quum exprimit tertiam partem minæ denariorum XXXIII. habere pondus, (ut in codice manuscripto legitur) quamvis XXXIX. corrupte legatur in impressis. Ex tribus his generibus denariorum pri- F mum in aliud nomen transisse, vel in desuetudinem abiisse reor: ex duobus sequentibus aut utrumque in tertio mutatum, aut retenta æstimatione pondus imminutum, & in totum drachmæ adæquatum, ut talento & sestertio examussim conveniret. Etsi aliqui majoris, aut minoris ponderis nummi antiqui argentei reperiuntur, non denarii, sed extraordi-

Taprobanæ rex unde conjecturam fecerit Rom. justitiæ.

Locus Plinii.

Denarius & drachma idem.

A narii existimandi sunt, ut etiam nostro ævo signari scimus.

CAP. IV.

De Sestertio multum inter doctos hæsitatum, pauci nomen, nulli (quod sciam) adhuc significationem intellexerunt. Et Hermolaus nostræ ætatis litteraturæ solertissimus indagator, pro incomperto sibi, vel aliis aliquando discutiendum reliquit: quod tandem illi, & multis aliis doctissimis viris, qui hoc ignorarunt, doctrina & ingenio longe impar excussi, & duplex esse Sestertium observavi, majus, & minus, quid inter se differant, declarabitur. Sed qua alterum ab altero vel nota, vel adjectione apud autores dignoscatur, nondum mihi plene satisfacio, quia codices synonymo corrupti non bene possunt observari, cum eodem nomine & vocabulo res diversissima existimatione reperiatur, quo nunc legentes, & forte olim scribentes hallucinati sunt.

Sestertium duplex.

Sed cum sestertium neutro, & virili genere, & cum adjectione nummi, & sine, apud autores invenerim, valde opinor (si libri essent synceri) hac differentia dignosci posse, quod virili genere, & cum adjectione nummi de minore, & sic æris, qui (ut infra declarabitur) erat quarta pars denarii, ut sestertius nummus; neutro autem & simpliciter positum, ut sestertium de majore, & argenti intelligi debere. Et hæc differentia potest elici, ut alia omittam, ex verbis Gell. qui *lib.* II. *cap.* XXIV. dicit sestertios tercentos in cœnam insumere jus esse, & intelligitur tunc de minoribus; & Tranquilli, qui scribit C. Cæs. sestertios CCC. legasse viritim, & de minoribus constat intellexisse ex summa, quæ nimia esset, si tot sestertios Populo Romano viritim legasset; & autoritate Plutarchi in *Vitis Antonii*, & *Bruti*, dum facit mentionem de eodemmet legato Cæs. & LXXV. drachmas unicuique civi Romano legasse dicit, & clarum sit LXXV. drachmas, & sic denarios, CCC. sestertios repræsentare, cum sestertius sit quarta pars denarii. Et Cornelius Tacitus *lib.* XVII. scribit post seditionem militarem, qua milites in triclinium irruperunt, Othonem quina millia nummum singulis donasse. Plutarchus in *Vita Othonis* eadem scribens, M CC. & quinquaginta denarios dedisse, quæ est quarta pars quinque millium, & Varro *de lingua Latina* declarando sestertium masculino genere ponit.

Sestertius quid?

Quibus exemplis & aliis inferius in majore dicendis & multipliciter adduci possent, satis apparet sestertium æris fere semper virili genere & cum adjectione, vel nuda appellatione nummi, argenti vero neutro & simpliciter positum reperiri apud autores. Sed quia aliquando confusa reperiuntur, credo vitio scriptorum, adhuc nolo affirmare superius adducta, ne vitia librorum mihi pro inscitia imputentur, sed satis sit admonere, cum inter se tantum differant, ex pretio facillima conjectura cognosci posse, de quo sestertio autores intelligere voluerint. Succurrebat etiam Antiquos figuræ sestertii aliquam notam

notam fortasse addere consuevisse, qua majora a minoribus sestertiis distinguerentur. Quæ postea quum per inscitiam apponi desiisset, inde obortam confusionem: & hæc sedet sententia.

Sestertius unde?

Sestertius igitur, ut a minori incipiam, teste Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* III. & Varrone *libro* quo supra, & aliis, dictus quasi semitertius, videlicet quod semis tertio loco, vel tertiæ libræ post duas poneretur, & hoc nomine intelligebatur pondus duarum librarum adjecta semi, & ideo hac figura l'l'i scribebatur, vel hac l'l's, ut ea intelligeretur duas libras integras fuisse adjectas semi, & sic pro quarta parte denarii, cum primum denarius argenteus pro X. assibus æris permutaretur. Et de hoc intellexit Varro *de Re Rustica* libro III. cap. II. dum scribit quinque mill. turdorum vænisse denariis ternis, ut LX. mill. ea pars reddiderit, & intelligit de sestertiis, ut constat ex sequentibus, & in libris scriptis apparet figura l'l'i. Cum vero quinque millia turdorum ternis denariis singuli vænierint, & tota esset summa denariorum quindecim millium, sequitur quod hæc summa quater multiplicata, sexaginta millia redderet. Item de hoc manifeste intelligit Cicero in *Verrina* quarta in oppositione frumenti æstimati, ubi apparet ternos denarios sestertios XII. valuisse, & sic sestertium fuisse quartam partem denarii: & in legato Cæsaris superius adducto, & aliis præmissis. Item ex locis collatis Plutarchi in principio *Vitæ Gracchorum*, & Plinii *lib.* XXIII. *cap.* XI. dum utrobique fit mentio diversis nominibus de æstimatione delphinorum aureorum: & in *Vita Syllæ* in principio scribens mille nummos drachmas ducentas & quinquaginta valuisse: & ex Lampridio in *Vita S. veri*, quum scribit milites dena millia poposcisse, exemplo eorum qui jam olim Augustum Romam deduxissent: & Appianus *lib.* III. scribit duo millia & quingentas drachmas illos recepisse. Et Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. manifeste dicit, adeo quod non indiget disquisitione: ex quibus satis constat sestertium nummum fuisse quartam partem denarii, & drachmam denario convenisse; sed difficultas fuit in majori sestertio, quod a nemine autorum declaratum ex diversis fuit necesse elicere, & excussi tandem ad exemplum illius minoris majus fuisse repertum, & sicut illo duas libras & semis æris, ita majore tantundem argenti, videlicet duas minas & semis, & sic ducentas & quinquaginta drachmas, vel denarios repræsentari.

Denarius argenteus.

CAP. V.

Drachmæ quot libram Rom. efficiant.

ET si forte cui dubium faceret, quod duæ libræ Romanæ, & semis ducentas & quadraginta, & non quinquaginta drachmas efficiant, quæ ad sestertium majus, ut infra dicetur, requiruntur, ut hoc discutiam, obiter declarabitur, quid velint significare autores, & maxime Livius, qui dicit pondo mille, & reliqua, in quo multos vidi hæsitare. Sciant igitur, qui hæc ignorant, Rom. A in plurimis, & maxime in hac parte, Atticos imitatos, sicut illi in commercio omnium aliarum rerum sua libra LXXV. drachmarum, in argento vero mina, ita ipsos in aliis rebus communi libra XCVI. drachmarum, in mentione pecuniæ fere pondo indeclinabili usos fuisse, quo centum drachmas ad exemplum minæ repræsentari significabant: & ideo in sestertio non libra, sed pondo intelligi debere, & sic CC. & quinquaginta denarios. Quod ex multis & maxime autoritate Plutarchi & Livii, si loci conferantur, comproba- B bitur, in quibus de eadem re loquuntur. Livius dicit Fabium pondo bina & selibram pro recuperandis captivis, Plutarchus in *ejus Vita* CC. & L. drachmas, & sic sestertium persolvisse, videlicet duas minas & semis, & sic CC. & L. drachmas, vel denarios. Et clarius demonstratur autoritate Pompon. Jurisconsulti in titulo *de auro & argento legato* in l. quæ incipit, *Scribit Quintus Mutius*.

His præmissis, quod sestertium majus & sic argenti, CC. & L. denarios in se haberet, ex inferius dicendis clare constabit: C & primo ex etymologia vocabuli, ut superius declaratum fuit, scilicet quod in se habeat duas libras & semis argenti, ut minor æris, & autoritate Auli Gellii libro V. *Noctium Atticarum* cap. II. quum scribit equum Bucephalum emptum XIII. talentis, & computando dicit XIII. talenta æris nostri summa est sestertia CCC. & XII. quæ si recte computentur ex his, quæ superius dixi, constabit singula sestertia CC. & L. denarios in se habere, quæ trecenties & duodecies multiplicata D LXXVIII. mill. reddent. Quæ summa XIII. talenta repræsentabit, tribuendo singulis talentis VI. mill. denariorum, ut superius autoritate Livii de talento demonstratum fuit. Confirmatur Plutarchi autoritate in *Vita Fabii*, cum scribit Fabium dictatorem vovisse CCCXXXIII. sestertia, totidemque denarios addita tertia parte unius, scilicet denarii, pro Musicis spectaculis faciendis. Et postea addit, hoc caput est octo myriades drachmarum, & drachmæ III. mille quingentæ octoginta tres, & oboli duo. Quæ summa si se- E stertium pro ducentis & quinquaginta drachmis, & sic denariis, accepta fuerit, computatio sestertiorum summæ denariorum usque ad obolos conveniet. Et ex his locus Livii in hoc corruptus corrigi potest. Idem alio in loco ostendit Plutarchus in *Vita Marci Antonii* in principio, quum exemplum ejus liberalitatis exponens scribit: cuidam ex amicis dari jusserat duo millia & quingenta, quod Romani decies sestertium vocant, quæ computatio CCL. denariis pro singulo sestertio respondet. Ad hoc probandum accedit locus Tranquilli in *Vita Cæs.* ubi loquitur de præmiis veteranis militibus promissis, & bina sestertia, quæ in initio civilis tumultus promiserat, & reliqua. Appianus *l.* II. scribens de seditione Placentina dicit, quinas dedisse minas in initio belli civilis promissas. Ex quibus apparet eandem summam promisisse diversis nominibus positam apud diversos autores, & sestertia singula CC. & quinquaginta

Bucephalus quot talentis emptus?

Locus Livii.

denarios valuiſſe, videlicet duas minas & A
ſemis Prædicta comprobavit computatio
ſeſtertiorum traditorum Scaleno ad cor-
rumpendum judicium in oratione *Cluen-
tiana*, & clarius in epiſtola Ciceronis XIV.
libro quarto *ad Atticum*, quum ſcribit
candidatos ſeſtertia quingena apud Cato-
nem depoſuiſſe. Plutarchus in *Vita Cat.*
ſcribit, XII. mill. & ſemis drachma-
rum, quæ ſumma ſi in L. partes dividatur,
CC. & L. drachmæ in unaquaque parte
reperientur, & ſic XII. mill. & D. drachmæ
quingena ſeſtertia. Ex quibus declaratur
Locus Juvenalis. locus Juven. non bene intellectus, qui in B
ſatyra IV. hoc confirmat, quum dicit,

—— *mullum ſex millibus emit,*
Æquantem ſane paribus ſeſtertia libris.

Quia cum dicit VI. mill. intelligit de ſeſter-
tio minore, ſcil. æris, & de quarta parte
denarii. Cum poſtea dicit, *Æquantem
ſane paribus ſeſtertia libris*, intelligit de
majore, & ſic argenti, videlicet quod
mullus tot libris penderet, quot ſeſterriis
majoribus emptus eſſet, quia ſex ſeſtertia
majora mille & D. denarios reddunt, qui
quater multiplicati VI. mill. ſeſtertio- C
rum minorum repræſentabunt. Ex his
verſibus Juvenalis opinio aliquorum o-
mnino confunditur, putantium unicum
tantum ſeſtertium reperiri, ſed cum adje-
ctione numeri mille ſemper debere ſcribi
& intelligi, quia nullibi reperitur mul-
lum VI. mill. libris pependiſſe, & pro mi-
raculo Plinius refert, unum octo libra-
tum Claudio donatum, qui forte idem
fuit, de quo Juvenalis mentionem fecit,
quia illa additio numeri mille, nec in hoc
loco, nec in alio, ubi reperitur ſeſter-
tium carmini inſertum, poteſt conveni- D
re, & in aliis locis ſatis conſtat fuiſſe du-
plex.

CAP. VI.

ACCEDIT ad comprobationem ſeſter-
tii computatio pulcherrima Cicero-
nis in Actione tertia *in Verrem* pro-
pe finem, quum ex libellis publicanorum
conatur detegere Verris furta. Quæ quum
mihi naturam hujus adverbii duodecies
præcipue demonſtraverit, quid de illius,
& aliorum ſimilium ſignificatione, ut de- E
Decies, Vicies. cies, vicies, & reliquorum hactenus ob-
ſervaverim, hinc ſumpta occaſione, obi-
ter, antequam ad computationem deve-
niam, proferre libet, quæ aliquando ſuum
tantum numerum referre, multoties per
centum millia multiplicari apud autores
reperi. Et cum ejuſdem vocis & ſynony-
ma legantur, qua ratione vel nota tantum
differant, adhuc mihi non bene fuiſſe
compertum non inficior. Sed cum inge-
nui ſit, ſi quid boni perficere non poſſu-
mus, ſaltem voluiſſe præſeferre, ſatis e- F
rit mihi homini negotioſiſſimo, & alia
profeſſione diſtracto, alteri, cui otium
& ingenium magis ſuppetat, occaſionem
præſtare perficiendi, quod inchoavi.

Prima differentiæ obſervatio fuit, quod
in pluribus locis inveni hujuſcemodi ad-
verbia, cum ad multiplicationem alterius
numeri appoſita fuerint, ſuum tantum nu-
merum referre, ut decies centena, decies
millena; cum vero ad deſignandam alte-
rius rei quantitatem per ſe reperiuntur,
per C. mill. multiplicari, ut decies ſe-
ſtertium, decies talentum. De utraque
ſignificatione multa ſunt exempla apud
autores, ea tamen ſolum adducam, quæ
computationibus deprehenſa negari non
poſſunt. De prima, multa in Arithmetica
Martiani Capel. in pluribus locis, & ma-
xime infra ſcriptis, in *cap. de Hexade* in
fine, ubi computatur quod duodecies ſe-
ptuagena bina DCCCLXIV. reddant. Item
de pari & impari, in fine. Et *cap.* ſequen-
ti in fine. Item de per ſe compoſitis, &
in aliis computationibus ſequentibus: &
ne ſolus Martianus ſit autor, Macrobius
accedat in *Comment. de Somnio Scipionis*
in computatione annorum ejus vitæ, ibi
per ſepties octies Solis anfractus, quam
ſummam Macrobius ſcribit LVI. referre,
& ſic octies & ſepties ſuum tantum nu-
merum referunt. Et ſupra ubi dicit, quod
decies ſeptem, vel ſepties decem reddunt
ſeptuaginta. Item ex Plinio multa poſ-
ſunt adduci, ut in *lib.* XIV. *cap.* IV. ad fi-
nem, loquendo de vinis ibi, *Maronæum
vicies tantum addito aquæ miſcendum.* Item
libro XXXI. *cap.* V. ubi duodecies in ſimplici
ſignificatione. Item eodem *libro cap.* V.
ubi quinquies, & in Varrone *de Re Ru-
ſtica* cap. LXIV. loquendo de amurca, &
in Columella in pluribus locis, & maxi-
me in demenſione agrorum. De alia item
ſignificatione etiam plura poſſent adduci
ex Tranquillo, Cornelio Tacito, & Pli-
nio, & aliis autoribus obſervata; ſed Ci-
cero mihi ſufficiat in *Philippica* ſecunda,
& in *loco* ſuperius *adducto*, in quo compu-
tatio nullam dubitationem reliquit, duo-
decies per centum mill. multiplicari de- Duodecies
bere. Sed quia differentia, de qua ſupra,
non bene comprobari videtur, cogitatio
ad aliam tranſcendit, quod fortaſſe apud
Antiquos hæc adverbia non eadem voce,
ſicut noſtro ſæculo, proferebantur, ſed
cum per centum mill. multiplicari debe-
rent, non decies, duodecies, millies, ſed
deciens, duodeciens, milliens, interpo- Deciens,
ſita litera n, non proferebantur, quæ poſtea Duode-
forte per inſcitiam deſiit interponi, ut in ciens.
pluribus dictionibus antiquis contingit
immutari. Exempla habeo hujuſmodi di-
ctionum, ſi codices ſunt ſynceri, in Var-
rone *de Analogia*, ubi tractat de numeris,
ibi legitur hoc deciens, hujus deciens. Si
corrupte, vel aliud intendens, judicium
ſit penes legentes. Item in Aſconio Pe-
diano in expoſitione ſecundæ Actionis *in
Verrem*, ubi excuſat Cicero quod in *Di-
vinatione* dixerat Verrem millies ſeſter-
tium expilaſſe, in Actione vero quadra-
gies, ibi legitur milliens, & non millies.
Utrum vero recte, aut corrupte, non
contendo. Hæc volui dixiſſe, ut omnia,
quæ in hac materia hactenus obſervave-
ram, proferrem. Illud magis opinor, a-
pud Antiquos hæc adverbia aliqua nota,
ſeu figura addita, diſcreta fuiſſe, qua ſim-
plicia a multiplicativis iſtius generis di-
gnoſcebantur; quæ quum poſtea, ut in
multis aliis, per inſcitiam apponi deſierit,
nobis inde confuſionem & ignorantiam
irrepſiſſe, ut potius conjectura quam ra-
tione cognoſcantur. Sed jam ſatis ſuper-
que mihi de adverbio duodecies.

A

CAP. VII.

AD sestertium & computationem Ciceronis revertar, qui in loco superius adducto intendens ex libellis publicanorum detegere Verris furta, scribit in eis deprehendisse ex vicesima portorii rerum nomine Verris exportatarum, publicanos sestertia LX. perdidisse, & de majoribus intelligendum: & inferius ex portorio argumentando, infert res ipsas exportatas duodecies sestertium valuisse, & intelligendum de minoribus. Si illud duodecies suum tantum numerum referret, argumentum non procederet, nam absurdissimum esset plus fuisse vectigal, quam mercaturam. Si per centum millia multiplicetur, ex comparatione fortissimum elicitur, & sestertium comprobatur. Nam sestertia LX. argenti, computando singulis CC. & quinquaginta denarios, XV. millia reddent. Quæ summa fuit portorii seu vectigalis rerum exportatarum, qui vicies multiplicati trecenta millia efficient Ex his, quæ dixi, clarum est sestertium æris, & sic minorem, esse quartam partem denarii, hac ratione CCC. millia denariorum quater multiplicata duodecies centena millia sestertiorum efficient. Volens igitur Cicero ex vectigali pretium rerum nomine Verris exportatarum, quas omnes provincialibus extortas vult intelligi, arguere, scribit summam portorii ex vicesima æstimationis LX. sestertia, & sic denarios XV. millia fuisse pretium vicies multiplicatum CCC. M. denariorum; & sic duodecies centena millia sestertiorum minorum. Quæ summa ad nostras pecunias relata (ut clarius demonstretur) intelligi debet pretium vectigalis fuisse nostrorum aureorum mille & quingentorum, rerum vicies pluris æstimatarum triginta millia, & tantam summam expilasse Verrem Cicero ex præsuppositis conatur arguere; & sic locus erit clarus, & sestertium comprobabitur. Et hisque multi alii corruptissimi in illis *Actionibus* aliquando corrigentur, quos nunc nolui pertentare, quia summæ simpliciter positæ non possunt cum aliis computando deprehendi; & in hoc loco addatur locus Gellii, qui multipliciter huic meæ commentationi suffragatur, qui alio in loco & talentum, & denarium, & utrumque sestertium obiter declarat *l.* IV. *c.* XVII. scribens Aristotelem libros Speusippi philosophi tribus talentis emisse, & declarat eam summam esse nummi nostri, duo & LXX. millia. Huic computationi omnia, quæ superius dixi, conveniunt videlicet talentum Atticum esse LX librarum, & sex millia denariorum, & sic tria talenta X. & octo millia denariorum conficient. Quæ summa quater multiplicata, LXXII. millia nummum sestertiorum minorum, eadem in LXXII. partes divisa, quælibet pars CC. & L. in se habebit, & sic totidem majora sestertia efficient; & quum scribit Platonem X. millia denariorum libros Philolai mercatum, eos cum drachmis convenire attestatur, cum alibi reperiatur illos centum minis emisse, quæ X. millia drachmarum conficiunt.

CAP. VIII.

HIS satis puto sestertium demonstrasse, & quicquid superaddatur potius fastidio, quam comprobationi accessurum. Non inficior tamen nonnulla, quæ huic meæ commentationi non conveniunt, apud auctores reperiri posse, eaq; corrupta non discrepantia audeo affirmare cum numeri in distantiis locorum, & in pretiis rerum, & in qualibet parte penes auctores positi corruptissimi reperiantur, qui vel ex his, quæ superius dixi, vel ex conjectura ex pretiis rerum subducta facile poterunt emendari. Nonnulla tamen quæ magis discrepare videntur apponere volui, ne vel inscitia præteriisse, vel dissimulando omisisse videar, quæ & ipsa corrupta, & autoritate eorum, quæ superius adduxi, & etymologia sestertii comprobari potest. Et tamen ne potius immutare, quam corrigere codices dicar, aliter non attingam, satis sit admonere, quæ nunc occurrunt, locos apponam in Plin. impressis, ut inferius legitur *l.* XXXV. *c.* X. circa medium Talentum Atticum, ut ait Varro, XVI. sestertiis taxatur. Hæc a meo sestertio discrepant, & si liber Varronis extaret, vel hic constaret, tota mea ratio destrueretur, quia ex præsuppositis talentum Atticum non XVI. sed XXIV. sestertiis taxatur. Sed Varro in hoc deficit, & locum Plinii esse corruptum, præterquam quod ratione & auctoritate convinci potest, accedit ingens argumentum, quod codicem manuscriptum & antiquissimum vidi, multum in hoc loco dissimilem, & non multum a recto sensu discrepans apparet, ut infra. Talentum autem Atticum M. sex taxat. Marcus Var. eodem *l.b.* multis in locis observavi eadem quasi figura libras, & sestertia scribi, ut inferius manifesto exemplo tabulæ Aristidis demonstrabitur, & si sex in LX. corrigatur, sensus constabit, quia vere talentum Atticum sexaginta libris taxatur: eadem ratione potest intelligi & corrigi locus Gellii, qui *lib.* I. *cap.* VIII. scribit, Laidem pro mercede concubitus decem millia denariorum poposcisse, & Demosthenem dixisse: *Non emo tanti pœnitere;* & exponendo decem millia denariorum scribit, id est, sestertiis centum. Macrobius libro II. *Saturnalium* in dicteriis scribit, semitalentum Laidem petiisse, quod est tria millia denariorum: sed nec talentum, nec semitalentum, nec decem mill. denariorum centum sestertiis conveniunt, quæ mea computatione XXV. millia, & non decem millia denariorum conficient. Quæ si quid ambiguitatis meo sestertio afferunt, ut alia superius adducta omittam, auctoritate ejusdem auctoris, quemeodem volumine sibi contrarium fuisse non est verisimile, confirmatur, & ut alia sestertia non congruentia, ita & hunc locum vitio scriptorum vitiatum opinor, erroremque ut in Plinio ex figura notæ processisse, quia in libris manuscriptis hac nota IIs sestertium, & libras significari invenio, videlicet per duo II. & s. duas libras & semis, quod est sestertium, & eadem pene figura libras simpliciter intelligi, qua figura librarium deceptum, quum

Locus Plinii.

Semitalentum.

A

libras locus ſignificaret, extenſo characte-re (etſi credam, ſi codices eſſent ſinceri, inter ſe differre) ſeſtertia tranſſcripſiſſe opinor, quæ eadem pene figura & nota aliquando ſcripta reperiantur. Et ſi *libris*, & non *ſeſtertiis* legas, ſenſus conſtabit; quia ex ſupra ſcriptis oſtenſum fuit pro myriade drachmarum, ſeu denariorum centum libras, ſeu minas argenti intelligi. Et ideo recte poſſumus opinari hunc ſenſum autoris fuiſſe, & hoc errore multos libros depravatos reperiri cum ſeſtertia pro libris, & e converſo tranſſcripta fuerint: ex quibus ſufficiet hic unum ex multis

B

Locus Plinii. exemplum ponere, ut prædicta comprobentur, & locus Plinii obiter corrigatur: ſcribit enim *lib.* VII. *cap.* XXXVIII. & *lib.* XXXV. *cap.* X. unam tabulam Ariſtidis Thebani pictoris Attalum regem centum talentis licitatum. Eandem *libro* eodem XXXV. *cap.* IV. ſcribit ſub haſta ab eodem emptam, ſed revocatam ſex millibus ſeſtertium. Si ſeſtertium, ſeu ſeſtertiorum admittimus, Plinius ſibi contrarius reperietur, quia nullo modo ſex millia ſeſtertiorum, ſive ærea, ſive argentea, ſeu cujuſcunque cognitæ ſummæ, centum talentis

C

poſſunt convenire. Et ideo quaſi eſt neceſſe confiteri errore figuræ conſimilis pro libris ſeſtertia tranſſcripta, quæ ſex millia numero & æſtimatione examuſſim, & ad aſſem centum talentis reſpondent: & obiter ex his arguitur, & quaſi demonſtratur, Antiquos (ſicut & Venetos noſtro ævo) pro libris ſummam X. aureorum uſurpaſſe (ut inferius in nummo aureo declarabitur) quod etiam aliis in locis videtur Plinius comprobare *lib.* XIII. *cap.* XV. ſcribit menſas citreas libris XIII. & XIV. emptas.

D

Item *lib.* XXXV. *cap.* VI. decreta Cymolia ſcribens pretium ei in pondo ſex librarum quæ vel ſeſtertia, vel I I's, quilibet ex ſenſu ſuo opinetur. Satis fuit demonſtrare invicem ſæpius tranſſcripta fuiſſe, & loci ſupraſcripti Plinii & Gellii potius corrupti quam contrarii meo ſeſtertio exiſtimentur, nec videatur abſurdum libras aliquando pro pondo, vel mina ſumptas; cum vocabula rerum tam parvo diſcrepantium, ſcilicet IV. drachmis tempore facillime corrumpi potuerunt. Alium locum multum diſcrepantem inveni in Lampri-

E

dio in *Vita Ælii Gabali*: quum narrando ejus luxum ſcribit eum nunquam minus centum cœnaſſe ſeſtertiis, & declarando dicit, hoc eſt, argenti libris triginta, quæ nullo modo ſeſtertiis conveniunt, quæ CC. & quinquaginta libras repræſentabunt qui locus, ſi pro libris argenti, auri legas non multum a meo ſeſtertio diſtabit, computatione auri ad argentum inferius apponenda. Si tamen vel aliquid ſeſtertiis addas, vel ex ſumma auri detrahas, ſcilicet ratione Liviana, vel ſeſtertiis XX. ad-

F

das, vel libris auri quinque detrahas, vel alia ratione aliquid minus. Hæc quæ magis oſtendebant apponere nolui, ut ſi quæ alia, quæ non obſervaram, reperiantur, corrupta (ut hæc) & non diſcrepantia exiſtimentur; cum in nulla parte auctores corruptiores ſint, quam in numeris & ponderibus & diſtantiis locorum, ut prædixi.

Nummus aureus. Nummi aurei ratio difficilior, & quaſi incomprehenſibilis videtur, quia pondus, & pretium multipliciter variavit, ut etiam temporibus noſtris continue fieri videmus & ut reliquas nationes omittam, quibus aurum non modo ſæculis, ſed quaſi nundinis diverſimode æſtimatur, Venetiis, ubi res nummaria & ſtabilius & fidelius tractatur, apud avos & proavos noſtros nummus aureus quinque libris parvorum taxabatur; temporibus vero patrum noſtrorum ad viginti octo groſſos multiplicando uſque ad ſex libras creviſſe conſtat. Ætate vero noſtra groſſum additum, & continue pretium auri multiplicare ſcimus. De pondere etiam non ſatis eſt, quod aliquid quotidie ſubtrahatur, ſed (quod pejus eſt) materia adulteretur, adeo ſemper viguit, & viget illa tantum a ſapientibus damnata auri ſacra fames, quam vel parem vel majorem fuiſſe apud Antiquos, & exemplis, & auctoritate ſatis conſtat. Et ut alia omittam, quæ pretium auri variaſſe, & nummum aureum diverſa ratione æſtimatum fuiſſe demonſtrant. Suet. in *Vita Cæſ.* Dictatoris cap. de ejus rapacitate ſcribit, Cæſ aurum tribus millibus nummum in libras permutaſſe: quod ratione Liviana inferius ponenda, qua aurum argento decuplo valuiſſe oſtenditur, nummis tribus millibus octingentis & quadraginta æſtimatum in libras dici poteſt, & ſic quaſi in quarta parte pluris (niſi error ſit in lib.) & alia computatione plus: ſed qualecunque pretium fuerit, ex eo ſatis conſtat ratione copiæ & defectus, aurum minoris & pluris æſtimatum, ut etiam temporibus noſtris fieri ſcimus: tamen in re tam dubia, & incerta, & mihi nunc aliud agenti, & occaſione ſeſtertii obiter aſſumpta, quod potui tumultuaria commentatione exquirere, ſeſtertio apponam, & maxime cum ea, quæ dicturus ſum de hac materia, pecuniis & commercio noſtri temporis ſatis conveniant. Nummum aureum igitur teſte Plin. in illo loco communi, ubi præcipue ſcribit de pecuniis *lib.* XXXIII. *c.* III. poſt annum LXII. ſignatum fuiſſe, quam argenteum, & ſcrupulum valuiſſe ſeſtertiis vicenis, & reliqua, quæ ſequuntur. Quem locum puto corruptiſſimum, & ſi ſincerus eſt, ingenue fateor me non intelligere. Et Hermolaus aliqua in eodem *capite* correxit, & hanc partem, utpote de ſeſtertio ſibi incognito, omiſit, & cum locus iſte ſit præcipuus in iſta materia, in eo laborandum operæ pretium eſt, & ſi rectum ſenſum elicere non poterimus, ſaltem alteri occaſionem præſtare juvat, vel rectius corrigendi vel melius intelligendi. Scribit igitur Plin. ſcrupulum auri ſeſtertiis vicenis valuiſſe, ſi de majoribus volumus intelligere, ex his, quæ diximus, impoſſibile eſt, quod conveniat; ſi de minoribus, non multum a vera ratione diſcrepat. Sed adhuc exemplum non inveni, quod ſcrupulus auri ſeſtertiis vicenis & ſic denariis quinis argenteis, & ſic quindecuplo pluris argento valeret, cum ratione Liviana parum ultra III. denarios, Pliniana inferius ponenda IV. valeret. Sed quouſque aliquid occurrat, dicere poſſumus, vel numerum eſſe corruptum, vel pretium auri, quod varium ſemper fuiſſe diximus, ad id excreviſſe. Sequentia vero, aut non intelligo, aut corrupta ſunt quum ſcribit; quod efficit in libras ratio-

Aurum quotidie diverſimode æſtimatur.

Locus Plinii.

ne sestertii, qui tunc erat, sestertios nongentos, quia si vicies scrupula unius libræ quæ sunt ducenta & octoginta octo, multiplicentur, nimis summam nongentorum excedent. Ideo cum nec melior correctio, vel intellectus occurrat, cogitabam illos sestertios nongentos in denarios corrigere, ut inferiora conveniant. Scribit enim justum esse quadraginta quinque nummos signari ex libra (& si quadraginta quinque millia corrupte legatur, ut inferius apparebit) & sic fere pondere duarum drachmarum, qui si decies multiplicentur, ratione Liviana nongentos denarios argenteos efficient, qui pondere drachmæ signabantur; si quadraginta octo nummos aureos ex libra signari accipias, (ut frequentiores antiqui adhuc reperiuntur) sexaginta ad nongentos adjicies: sed sequentia absurdiora sunt, cum XL. mill. seu XLV. mill. ex libris signari justum esse scribat. Quæ quanto a recto sensu magis abhorrent, tanto securius corrigi possunt & absque hæsitatione firmari, numerum mille errore & inscitia scriptoris, seu impressoris, esse appositum, & ex forma scribendi, ut multa alia, processisse opinor, quia codice antiquo manuscripto (ut inferius scriptum inveni) XLV. M. quem numerum impressores, cum tria significaret per errorem millia impresserunt. & pro XLVIII. quadraginta quinque mill. transcripserunt: & quod ita corrigi debeat ad id, quod summa XLV. millia sit excessiva, & sit impossibile, quod tot ex libra signarentur: accedit ingens argumentum & quasi demonstratio, quod nummi aurei antiqui frequentiores adhuc pondere fere II. drachmarum reperiuntur videlicet triginta sex charatorum, vel parum infra, vel ultra, qui quadraginta octo (ut Plin. recte scripsit, etiam nunc libram nostram implent, & nonaginta sex ex nostris qui fere dimidio eorum pondere signantur seu drachmæ dempto charato. Quapropter in hac parte audacter codicem corrigerem, ut pro XLV. mill. XLVIII. dempto numero mille scriberentur. Hæc pro disquisitione loci in hac materia præcipui volui dixisse, si quid melius reperietur, magis profecto juvabit discere, quam docere.

CAP. IX.

Scrupulus auri.

SCRUPULUM igitur auri, si locus Plinii in hoc loco constat, (quod non credo) denariis argenteis quinis valebat, sic quindecuplo pluris argento. Alio in loco idem Plinius, & opinor rectius *lib.* XIX. *cap.* I. demonstrat quaternis valuisse, scribens scrupula byssini quaternis denariis permutata ut auri, & sic scrupulum auri quaternis denariis permutatum ostendit, quod magis rationi & communi usui convenit, & alia autoritate comprobatur. Suetonius in *Vita Othonis*, & Plutarch. in *Vita Galbæ* scribunt, Othonem, quoties cum Galba cœnaret, aureos singulos viritim spiculatoribus divisisse. Cornelius Tacitus faciendo de eadem corruptione mentionem scribit centenos nummos divisisse, & sic denarios XXV. & cum nummi aurei illorum temporum, ut superius dixi, pondere duarum drachmarum signarentur, & sic scrupulorum sex, qui quater multiplicati, XXIIII. efficiunt, manifeste apparet hanc computationem a ratione Pliniana, denario solo in quolibet aureo dissentire, qui cum pars minima sit ad summam, potuit vel ratione impressionis, vel pretii variantis, vel alia nobis incognita, excrevisse, & in hac summa talium scriptorum autoritate confirmatus, temporibus illis aurum argento convenisse opinor. Quod superioribus temporibus minoris (ut credi par est) ex copia fuisse æstimatum inveni. Quæ æstimatio commercio, usui, & pecuniis nostri temporis satis convenit. Livius *l.* VIII. quartæ *decadis* scribit in conditionibus pacis Ætolis concessum fuisse, quod si pro argento, quod certis pensionibus Rom. solvere debebant, aurum dare mallent, X. argenteos pro uno aureo præstare possent: quæ computatio, & nomine, & effectu, a commercio, & pecuniis nostri temporis non abhorret, nisi quid minimum malitia subtrahentium justo ponderi pecuniarum forte dissentiat, cum aureus nummus nostri temporis, qui vulgo *Ducatus* appellatur, justum sit signari pondere drachmæ, videlicet X. & VIII. charatis, & si jam charatis comminutus sit, & ipse etiam nostro ævo decem fere drachmis argenti in communi commercio permutetur: videlicet decem Juliis Romanis, qui fere pondere drachmæ signantur, vel totidem Ferrariensibus, seu Mantuanis ejusdem ponderis, & æstimationis, vel duodecim Marcellis. Venetis, qui singuli quindecim charatis adjecto dimidio pendent, & fere apud omnes nationes quæ puro metallo auri & argenti temporibus nostris in pecuniis utuntur ratione Liviana argentum auro in decuplo convenit. Ex quibus obiter declarabitur ratio satis obscura, & ut existimo usque nunc ignorata.

Ducatus.

Julii.

Marcelli.

CAP. X.

Libræ Venetæ.

LIBRÆ Venetæ grossorum, quæ aureis decem taxatur, & parvorum, quæ duobus Marcellis ad imitationem sestertiorum appellatæ, quam etiam aliquando Antiquos usurpasse, argumento tabulæ Aristidis superius demonstratum fuit; quia sicut sestertia æris & argenti ejusdem ponderis qualitate materiæ, ita libræ grossorum, & parvorum pondere conveniunt, materia differunt: cum libra parvorum de pecuniis æris intelligatur, quæ adhuc Venetiis hoc nomine appellantur: & sicut hodie minutissimi centum, & viginti pro singulis Marcellis permutantur, ita olim centum pleniores, vel plures, qui libram pendebant, pro duobus Marcellis permutatos audivi, (& credi par est) hinc libram parvorum scilicet æris pro duobus Marcellis esse computatam, & appellatam ad imitationem assis antiqui, qui decem singulis denariis antiquis permutabantur, & pro libra vero grossorum libram argenti esse intellectam quo nomine nummi argentei antiqui Veneti appellabantur, qui tempore avorum pleniores, & (ut ab antiquis mensariis intellexi) fere pondere drachmæ signabantur, & C libram implebant, & pro decem aureis, ut nunc

idem pondus argenti ratione Liviana permutabantur. Qui qualiscunque ponderis fuerint, argenteos fuisse non ambigitur, & pro libra grossorum libram scilicet minam argenti acceptam, quæ centum drachmis constat, satis apparet, quæ & temporibus nostris nedum nomine, sed etiam effectu, antiquæ rationi convenit, centum Julii, qui fere minam implent, & centum & viginti Marcelli quasi ejusdem ponderis pro decem aureis, qui pondere drachmæ signantur, permutentur, & sic in decuplo argentum auro etiam nobis convenit. Huic computationi videtur convenire locus Lampridii, si locus ex sensu meo corrigatur, quum scribit in *Vita Alexandri* prope finem: *Vectigalia publica in id contraxit, ut qui decem aureos sub Ælio Gabalo præstiterant, tertiam partem auri præstarent*. Corrigo *argenti* ex iis quæ sequuntur, quia se declarando scribit, hoc est, trigesimam partem, & si *auri* legatur, impossibile est tertiam partem auri esse trigesimam argenti, si computationi Livianæ congruit; verbi gratia sic statue, quod singuli aurei binas drachmas penderent, cujus ponderis fere omnes antiquos vidi, decem hujus ponderis viginti drachmas pendebant, & sic scrupulos sexaginta, quæ summa ratione Liviana decies multiplicata sexcenta efficiet, cujus trigesima est viginti. Et ideo qui sub Ælio Gabalo decem aureos præstabat, videlicet sexaginta scrupulos, si ex decreto Alexandri viginti dedit, computatione prædicta dici potest, quod tertiam partem ponderis auri, & trigesimam æstimationis, & sic argenti præstiterint, quæ computatio, cujuscunque ponderis fuerint nummi aurei, conveniet: cogitabam tamen, quod illa dictio *auri*, quæ ubique in libris impressis, quos vidi, reperitur, *aurei* corrigi possit & forte rectius, quod videlicet, qui sub Ælio Gabalo x. aureos præstitisset, tertiam aurei nummi sub Alexandro præstaret: quod idem esset, quia viginti scrupulos argenti eadem ratione præstaret. Hæc satis sint de sestertio & pecuniis antiquis, quas nostris conferre, & corollarium tractatus difficilis & confusi operæ pretium videtur apponere. Ideo subjiciam talenta, libras, minas, & reliqua pondera, quæ per diversos auctores, & in principio operis declarata sunt.

Julii, Mina, Marcelli.

Locus Lampridii.

B

C

D

E

CAP. XI.

Libra antiqua eadem quæ nostra. Charati pondus.

LIBRAM antiquam nostræ convenire denarii antiqui, qui apud autores pondere drachmæ, & nunc eodem pondere reperiuntur, & totidem numero nostram, sicut antiquam implentes demonstrant. Accedit quod siliquæ antiquæ, & nostri charati totidem in numero antiquis & nostris unciis, & libris conveniunt, in pondere non discrepare nomen arguit, quia quam vulgo nos *charobam*, Antiqui

A *siliquam*, Græci *ceratium* appellabant, & inde *charatos* corrupto vocabulo dictos, credi par est, & semina illius pomi si pleniora eligantur; ut in situ suo naturali fuisse credendum est, nostris fere charatis convenire reperiuntur. Sestertio duas libras & semis, seu minas repræsentari, etymologia vocabuli, & auctores, & maxime Varro *de Lingua Latina*, & Plinius *lib*. XXXIII. attestatur, duo fuisse pretia rerum dissimillima apud auctores eodem nomine posita satis arguunt, & carmina Juvenalis adducta superius comprobabunt, minorem sestertium fuisse quartam partem denarii, & nomen quod est pars numeri, cum decem asses æris pro denario argenteo permutarentur, & auctores superius adducti probant sestertium majus, & sic argenti, præterquam quod auctoritate superius probatum sit, nomen ipsum quid fuerit, attestatur; quia sicut minorem duo asses & semis æris, ita majus duæ minæ & semis argenti, & sic denarii ducenti & quinquaginta pondere drachmæ repræsentabant, denarios, & drachmas convenisse auctores, & pondus demonstrant. Sestertia majora minoribus ex pretiis rerum dissimillimis dignosci possunt, & neutro genere majora, minores virili, & cum adjectione nummi semper fere apud auctores reperiuntur, qua nota apud Antiquos discreta fuerunt, ut superius me opinari scripsi, jam desiit apponi Denarios antiquos ad nostros pondus maxime accommodabit. Et cum pondere drachmæ reperiantur, Juliis nostris Rom. qui fere pondere eodem signantur, & similibus comparari possunt, asses vero *Bajochis*, qui a solidis Mediolanensibus parum differunt, quique ita duo & semis quartam Julii, & decem integrum (ut olim asses totidem numero sestertium minorem) & denarium repræsentabant: sestertium vero argenti, & sic majus, si ad nostros nummos deducere volumus, ut olim ipsum CCL. denarii, & VI. millia talentum Atticum, ita nunc totidem Julii conficient & proportione ponderis, & æstimationis CC. & LXXX. fere Marcelli Veneti sestertium, & sex millia septingenti & viginti talentum. Eamdem computationem ad aureos nostri temporis poterimus transferre, qui viginti quinque de camera, & sine *lagio* (ut vulgari vocabulo utar) sestertium, & sexcenti talentum Atticum repræsentabant. Si vero ad antiquos aureos, qui frequentiores pondere duarum drachmarum reperiuntur, transferatur, unus ex iis duos ex nostris additis fere duobus charatis efficiet, & proportione Philippeos, qui fere septem scrupulorum, & sic quadraginta duorum charatorum reperiuntur. Et sic ex præmissis excussis nominibus pecuniarum facillime poterunt pondere comparari, & si quid mores seu commixtiones metallorum immutaverint, conjectura comprehendi.

Charob. ceratium Græcis, Latinis siliqua.

Sestertium & sestertius.

Bajochi

Aurei de camera.

LEONHARDI PORCII,

JURISC. VICENTINI,

DE

RE PECUNIARIA ANTIQUORUM

LIBER II.

CAP. I.



JAM excusso sestertio, & pecuniis antiquis ita declaratis, ut quicquid illis expensum aut distractum, apud autores antiquos legitur, nostris pecuniis conferri, & facile intelligi poterit: adeoque ratio mihi videtur confirmata, ut si quæ difficultas occurrat, quod auctores inter se discrepent, aut non verisimilia tradant, vitio librorum potius, quam observationi meæ asscribatur, quod sæpius admonuisse convenit, quia (ut alias dixi) numeri non modo sæpe corrupti, sed raro synceri, & quæsisse, & vix his diebus jam perfecto sestertio satis probabile argumentum ad hoc excussisse, jam editis Romæ quinque libris Cornelii Taciti nuper in Germania repertis, ultra alios, qui usque ad hæc tempora fuerunt in usu, ex quibus satis demonstrari videtur, stipendium militibus antiquis tradi solitum, a stipendio militari nostri temporis non multum differre, quia videtur natura comparatum, quod ex usu & necessitate mores effluxerint. Et ideo nimirum si apud Antiquos, nostro ævo usu receptum sit, & ex commodo solventis & recipientis constitutum, ut pediti aurei terni ex nostris menstrui exhiberentur, quia ab expertis illius disciplinæ usu compertum fuit militi illius ordinis hanc summam illo curriculo temporis posse sufficere, & equitibus & reliquis plus pro portione oneris & dignitatis. In hoc tamen expresse nostra militia ab antiqua differt, quia militibus nostri temporis stipendium universum in pecunia numerata exsolvitur, antiquis vero annona, & vestes, arma, & equi, cæteraque utensilia ex publico tradebantur, quæ tamen stipendio imputabantur, nisi donari in exhibitione exprimeretur; reliquum quod supererat ex ordinario stipendio, in pecunia exsolvebatur. Et ideo in pluribus locis legitur equitibus minus idoneis equos publicos ademptos, & armorum fidejussores receptos, & quod annona & vestes stipendio non imputarentur,

Stipendium antiquum & nostri temporis.

A in exhibitione aliquando expressum. Auctores citare de unaquaque re longum esset: de annona Cornel. Tacitus prope finem XV. *libri* attestatur, cum scribit additum sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur. De vestibus Plutar. in *Vita C. Gracchi* scribens, quod G. lege tulit, quod vestes, quæ antea ex publico tradebantur, sed stipendio imputabantur, de cætero non imputarentur, de armis & aliis necessariis militiæ fides sit ex auctoribus sumpta fuisse. Et insuper ultra stipendium ordinarium ex occasione, seu victoria nomine prædæ, seu donativi B diversas summas pecuniarum militibus exhibitas sæpius fuisse constat, imo fere semper rebus anxiis, vel lætis pro consolatione vel præmio, donativi nomine, ex voluntate ducis seu copia stipendium extraordinarium tradi solitum. Sed jam argumentis, si testibus non poterimus, demonstrare conemur rem scitu dignissimam, & quam perfecte intelligi multum vitæ, & historiæ interest, & a levioribus incipiendum. Plutarchus in *Vitis Pompeii* & *Cæsaris* annua mille talenta a senatu fuisse deputata Pompejo pro stipendio exercitus, quem sub legatis Afranio & Petrejo suis auspiciis in Hispania alebat: C eandem summam in conditionibus pacis sive induciarum Carthaginensibus imperatam pro impensa exercitus a Romanis, Appianus in *Bello Libyco* scribit & alibi hanc summam pro alimento exercitus ordinarii deputatam legitur, quæ computatione præmissa XVI. c. mill. nostrorum aureorum conficit.

Vestes Rom. dabant militibus.

Ordinarius exercitus Rom. qui erat duarum legionum constitit annuo sexcentis millibus aureis coron. ad intertenendum.

CAP. II.

PORRO ex Vegetio, & historicis colligi potest, ordinarium exercitum Rom. fuisse ex duabus legionibus, quæ D aliquando & fere passim sæculis posterioribus singulæ VI. M. peditum, & quingentos equites in se habebant. Si hoc numero militum impensa M. talentorum deputata fuit, non absurda conjectura elici potest antiquum a nostro militari stipendio non multum differre, cum duodecim millia peditum nostro ævo, pro stipendio singulis tribuendo ex nostris tres, menstrua XXXVI. mill. accipient, & cum mos fuerit Romanis equiti triplex stipendium præstare; mille equites novem millia, reliqua quin-

Legionibus duabus constat exercitus Rom. ordinarius.

Equitum Rom. stipendium.

que mill. usque ad L. in salariis centurionum, tribunorum, legatorum, in convehendis machinis, & aliis extraordinariis expensis verisimiliter consumi potuerunt, qua computatione dici potest exercitum ordinarium etiam Rom. L. mill. nostrorum aureorum singulo mense impensam habuisse, & anno integro sexcenta millia, quæ summa sic distributa talentis mille ad alendum exercitum ordinarium satis convenit, & a communi stipendio nostri temporis non abhorret: non ignoro tamen exercitum HispanumPompeii duas legiones excessisse, sed talem fuisse ordinarium historici & Vegetius scribunt, & dici posset hanc summam ordinariis copiis deputatam, extraordinariis vero ex libidine Pompeii superadditis ex redditibus provinciæ, seu aliis extraordinariis stipendia fuisse persoluta, & exemplum in Cæsare legimus, cui bello Gallico II. legiones fuerunt a Senatu deputatæ, quas postea ex libidine, seu necessitate ad X. propria autoritate adauxit, vel hæc mille talenta pro pecuniario stipendio, reliquum pro vestiario & annona aliunde quæsitunr, quia aliter impossibile fuisset, tam exigua summa tam numerosum exercitum aluisse & prosequendo, quæ in hac materia observavi, pluribus in locis apud autores legitur, ternos aureos pro stipendio militibus traditos, ut in Lampridio in *Vita Ælii Gabali* prope finem, ubi scribit, *mulieribus, quasi militibus ternos aureos dare jussit*: & in *Vita Diadumeni* in principio, *pro imperio ternos aureos*; & Capitolinus in *Vita Albini* in principio, *habebis facultatem dandi stipendii usque ad tres aureos*: & cum in hac summa diversi autores conveniant, opinari possumus stipendium ordinarium fuisse trium aureorum illius sæculi, qui singuli, ut in sestertio jam dixi, binas drachmas pendebant, & duos ex nostris repræsentabant. Sed major difficultas occurrit, an illi III. aurei menstrui aut majori intervallo ordinarie persolverentur. Sueton. in *Vita Domitiani* cap. de quibusdam constitutis per eum, scribit: *Addidit & quartum stipendium militi aureos ternos*; ex quibus verbis argumentum satis probabile sumi potest, ante Domitianum tria tantum stipendia militibus tradi solita, id est, quadrimenstruata, & sic dimidium stipendii nostri temporis, videlicet aureos nostros decem & octo, & Domitianum quartum addidisse ad instar Gallici stipendii nostri temporis, quod trimenstruum apud illos mos est persolvi, reliquum ad summam triginta sex annonæ, vestibus, & aliis necessariis computatum. Multa alia argumenta de stipendiis, quum res esset in obscuro, observaveram, quæ scribere non curavi, re jam satis meo judicio discussa, autoritate Cornelii Taciti in *libro* primo nuper reperto, ubi mentionem facit de seditione militari, in transitu Alpium Carnicarum oborta duce Blæso. Ibi milites seditiosis vocibus miseram conditionem suam conquerentes, quotidianis decem assibus scilicet denario corpus & animam servitio addixisse Imperatori exprobrabant; ex quibus verbis mihi satis demonstrari videtur, quale fuerit stipendium, quod pediti apud Antiquos ordinarie persolveretur, & obiter stipendio nostri temporis convenire, quia ex his, quæ in sestertio declarata fuerunt, satis probatum fuit decem asses denarium, & triginta denarios antiquos triginta sex Marcellos Venetos, aureos vero tres nostri temporis conficere, quæ summa menstrua ordinaria, & communis, sicut & Antiquis, etiam nostro ævo fuit pro stipendio peditis. Equitibus vero, centurionibus, tribunis, legatis, & reliquis in militia privilegiatis apud Antiquos, & nostris temporibus comparatione peditum pro portione oneris & dignitatis constituta fuisse salaria credi par est: & hæc satis de stipendio.

Sumptus in exercitum ordinarium.

Stipendium 3. aureorum.

Alpes Carnicæ.

CAP. III.

REDDITUS & thesauros populorum, & regum tributa, divitiasque privatas, & reliqua quæ in sestertio proposui, operosum & prorsus inutile esset recensere: si quis velit quascunque summas pecuniarum, quæ penes auctores antiquos leguntur, computare cum declaratis jam pecuniis & ponderibus, id sibi unusquisque præstare possit, & ad pecunias nostri temporis referre, nonnullas tamen exquirere non inutile fore putavi, ut exemplo computatio facilior, & comparatione divitiarum antiqui sæculi nostri mendicitas detegatur. Asses ratione & exemplo in sestertio satis computati sunt, similiter denariorum pondus, & ratio satis declarata, nec minus pondo sestertii, & telenta: sed exempla adducamus. Livius præcipue, & fere Latini auctores, in exprimendis pecuniis, pondo indeclinabili utuntur. De eo locum unum Livii mihi pro exemplo assumam, libro XXVI. *Decadum*, scribit ex præda Carthaginis novæ expugnatæ delata fuisse ad imperatorem Scipionem decem & octo millia & trecenta pondo argenti. Hæc summa ad nostros nummos relata sumendo pondo pro mina, centum & octoginta tria millia nostrorum aureorum de Camera reddet, & sic totidem libras Venetas grossorum, quot pondo, hoc idem *libro* XXVII. scribit ex præda expugnati Tarenti relata octoginta tria millia auri pondo. Credo scribi debere *centum octoginta millia* ex Plutarcho in *Vita Fabii*, qui tria millia talenta auri fuisse scribit, quæ pondo centum & octoginta millia reddunt. Ex qua centum & octoginta centena millia nostrorum aureorum signari potuissent, addito singulis charato, quo minus nostri pendent: hæc de pondo sufficiant.

Pondo.

Redditus pop. Rom

CAP. IV.

TALENTA, quibus in exprimendis magnis summis antiqui autores, maxime Græci, usi sunt, multiplicia fuisse in sestertio scripsi: sed Atticum, quod magis commune fuit, in exemplum assumam. Plut. in *Vita Arist.* scribit, Athenienses a sociis annua mille & tercenta talenta exegisse; quæ summa ad nostras pecunias relata ex jam declaratis novies centum

tum millia nostrorum aureorum conficit, quicquid ultra ex propriis redditibus haberent, scil. vectigalibus, tributis, metallis, quibus tota ea regio tunc maxime scatebat, & quibus illa Respub. tam numerosas classes & exercitus, maxime bello Persico & Siculo, construxit & aluit, & profusas in populum largitiones & in sacrificiis & in spectaculis pompas exhibuit, non est propositi nostri recensere, sed in mentione talentorum, quia (ut superius dixi) his maxime Antiqui in exprimendis magnis summis utebantur, omissis Lydiæ Ægypti, Persiæ, & aliorum regum opulentissimorum redditibus, Imperii ab Alexandro acquisiti exemplum apponere volui, pro miraculo divitiarum illius sæculi, argumento de redditu annuo Imperii Romani in fine dilato. Justinus in *Epitomate* suo lib. XIII. scribit post obitum ipsius Alexandri in thesauro reperta fuisse C. millia talentorum, quæ ad nostras pecunias relata, si Attica fuerunt, quæ minima, sexagies decies centena millia nostrorum aureorum conficient, & in annuo redditu tercenta millia talentorum, quæ nostris computata summam triplicabunt, & centies octuagies decies centena millia aureorum nostrorum repræsentabunt, quæ quicquid auri & argenti nostro ævo toto orbe reperitur, summam sine dubio excedit. Quo argumento desinant jam nonnulli divitias, & gloriam nostri sæculi celebrare, quum hoc maxime exemplo, & aliis infra dicendis, & quæ adduci possent, mendicitas & inopia nostri detegatur, si prædas volumus exquirere. Plutarchus, Arrianus & alii, qui gesta Alexandri scripserunt, quadraginta millia talentorum captis Susis ex ærario Darii præter aliam pretiosam suppellectilem suscepisse, & præter ea, quæ Persepoli, Tyro, Damasco, & in pluribus aliis locis percepisset, quæ summa intelligendo, ut supra, de talentis Atticis sexaginta librarum ad nostros relata, vicies & quater, decies centum millia aureorum nostrorum efficient, si quinquaginta millia fuerunt, ut Arrianus scribit, quinta pars addi potest, si de talentis Euboicis, seu Ægyptiis, octuaginta minarum, (ut credi par est) quæ in illis regionibus erant in usu, pro portione summa multiplicabit. Jam satis de talentis, quia comparatione magnæ summæ minimæ, & exemplo Atticorum Euboica & Ægyptia computari poterunt, quæ minas, seu pondo LXXX. pendebant, ut Plinius attestatur *l.* XXXIII. *c.* III. de Euboico alibi, & maxime in Livio constat.

Alexandri Magni incredibiles divitiæ.

Nostri temporis opes ad veterum collatæ, mendicitas apparebunt & inopia.

CAP. V.

AD res Romanas tandem accedamus, quarum magnitudo & gloria nos, qui sumus ejusdem terræ alumni, maxime in admirationem convertere & excitare debet, quid potius miremur thesauros vel redditus? an profusas impensas publicas, vel privatas? de his omnibus mirabilia scribunt autores illius seculi, & maxime Plinius *l.* XXXVI. *c.* XV. & alibi, quæ non est nunc nostri propositi recensere. Si quis velit, legere potest, & ex præsuppositis ad nostras pecunias referre. Nonnulla tamen adducam pro exemplo sestertiorum, & alia quædam pauca, quæ magnitudinem Romani imperii demonstrabunt. Quadringentis sestertiis Equestrem censum constitisse omnes autores consentiunt, quæ summa fuerit nostrarum pecuniarum, usque nunc ignoravimus, nunc ex præsuppositis constat decem millia nostrorum aureorum repræsentare. De censu Senatorio, qui fuit primo, teste Suetonio in *Vita Augusti* cap. de ejus liberalitate, ubi etiam significatio adverbii duodecies demonstratur, viginti millium, & postea triginta millium, & de aliis privatis divitiis non placet ulterius differere, quia superfluum videtur. Divitias Crassi mihi pro exemplo sestertii assumam, quæ fuerunt sestertiorum viginti millium, teste Plinio *lib.* XXXIV. *cap.* X. quæ summa nostrorum aureorum efficit quinquies centum mill. quam intelligo in annuo redditu, & non in capite, vel sorte; cum Plutarchus in *ejus Vita* scribat, jam decima suarum facultatum Herculi consecrata, & universo populo Rom. epulo exhibito, & ludis magnificentissimis, & aliis profusis expensis & largitionibus patrimonio exhausto, eum tamen septem millia & centum talenta possedisse, quæ summa usuris semissibus plus dimidio viginti millium in anno redderet, videlicet ducenties quinquagies quinque mille. Et forte locus in Plinio corrigi posset in decem millia, ut redditus sorti in Plutarcho positæ propius accederet, vel sors in Plutar. duplicanda: accedit argumentum, quod ea decem seu XX. millia sestertium in annuo redditu intelligi debeant, & non in sorte, quia idem Plinius *loco* superius *adducto*, scribit Crassum dicere consuevisse non esse divitem, qui legionem annuo redditu tueri non posset. Legio enim VII. millium talentorum impensam non requireret: XX. vero millium vel paulo minus nutrire posset, ut ex præsuppositis de stipendio demonstravi.

Equestris census.

Census Senatorius.

Crassi divitiæ.

CAP. VI.

DE impensis ædificiorum urbis Romæ Plin. ut Sueton. & alios autores omittam, *lib.* XXXVI. *c.* XV. refert orbem terrarum non solum armis Romanis, sed etiam ædificiis, & operibus mirabilibus superatum.

Thesauri & opes publicæ Rom. ex magnitudine Imperii, & tot opulentiss. gentib. & regnis, videlicet Macedoniæ Asiæ, Cypri, Ægypti, Cyrenarum, & aliis devictis & expilatis, conjectari possunt, & vere dici potest, quicquid auri, argenti, aut pretiosæ materiæ in toto orbe fuerit, in unam urbem defluxisse, ex quibus multa ex autoribus antiquis exempla adducere possem. Sed Plinius, ad hoc & in pluribus aliis mihi sufficiat, *lib.* XXXIII. sæpius adducto *cap.* primo & III. scribit, ingentes, vel potius mirabiles auri & argenti congeries diversis tempori-

Thesauros & opes totius orbis defluxisse in urbem Rom.

bus in ærarium Pop. Rom. delatas. Ex quibus unum vel duo exempla referam, ut obiter locus in illa parte (ut opinor) corruptus corrigatur, reliqua in eo, & Plutarcho, Livio, & aliis autoribus, si quis velit) legat, & ex præsuppositis ad nostras pecunias referat. Verba Plin. ut inferius in lib. impressis leguntur, *auri in ærario Pop. Rom. fuere S. Iulio, Aurelio Coss. septem annis ante Punicum bellum tertium pondo* DCCXXV. & reliqua quæ sequuntur quæ si intelligantur, prout legitur in impressis, male cohærent, & non respondent miraculo, quod Plinius ad ostentationem Romanæ potentiæ posteris tradere intendit. In libro scripto, ut infra legitur auri pondo DCCX. argenti pondo nonaginta duo millia, & in numerato CCC. LXXXV. M. & CCCC. quæ summa ad nostras pecunias relata computando pondo auri centum ex nostris aureis argenti X. & pro sestertiis XXV. quater decies centum, & sexcenta quinquagena quina millia nostrorum aureorum, vel alio modo, quadragena sena centena, & quinquagena quina millia, si error non est in calculo. Reliqua, quæ sequuntur, quia nec in libro scripto nec in impressis satis mihi convenire videntur, computare non curavi, nec quid auri aut argenti in ærario fuerit Sexto Julio, & Lucio Mauro Coss. aut Cæsar civili bello ex eo ex pilaverit, aut Scipiones, Sylla, Marcus Lucullus, & denique Pompejus, & Cæsar devictis gentibus in triumphis detulerint, & Cato sua illa togata expeditione ex Cypro, aut Paulus Æmilius ex devicta Macedonia devexerint, qui in ærarium ex ea auri pondo trib. millib. teste Plinio, qui cum Plutarchus non bene in hoc convenit, delatis, Pop. Rom. tributo liberavit. quisque sibi legat, & computet. Sed in mentione pecuniæ nomen tributi me impulit, ut exquirerem rem scitu dignissimam, & a nemine autorum, quod sciam, bene traditam, quid in redditu Pop. Rom. habuerit tempore quo maxime viguit, & potentior fuit, nisi quis velit Plutarchum in *Vita Pompeii* adducere, qui non immerito solitus sit prædicare, se Asiam ultimam provinciarum accepisse, & mediam sua victoria præstitisse, & redditus pop. Rom. ex quinquagies decies centenis millibus, ut verbis Plutarchi utar, prout in libro converso & impresso legitur, ad octuagies decies centena millia auxit, quam tamen summam si quis velit computare, & de sestertiis argenteis intelligere, omne miraculum & rationalem copiam excederet. Si de æreis & sic minoribus, ad verisimilem non accederet, etiamsi illa deciens per centena mill. multiplicentur, ut multotiens reperitur, adeo quod nihil certi aut verisimilis ex verbis Plutarchi impressi possit omnino observari.

Ærarium Pop. Rom.

CAP. VII.

SED ex libro Græco, qui nuper ad manus nostras pervenit, fortasse emendatiori quam ille qui olim in Latinum fuit conversus, vel melius interpretato, unico verbo mutato satis constat, quid illo sæculo, scilicet triumphante Pompejo, populus Rom. in annuo redditu habuerit, ut inferius adducam. Quid vero sæculis posterioribus, maxime ætate Plinii, cum adhuc apud auctores exquisite, vel ex professo non invenerim, per arguta exquirere convenit. Quibus si credere volumus, Plinius eruditionis magister, & sine quo, si verum fateri volumus, jam facta librorum antiquorum jactura, nihil sciremus, non absurde, id meo judicio præstabit, si duo ejus loci conferantur, & bene observentur, & computentur. Sed prius verba Plutar. adducam, cujus codex in eo quod impresso Latine legitur *centena mill.* illa *mill.* in myriades corrigi debent, & numerus ad drachmas referri, & id in Græco expressum est, ut dicat universa Rom. urbis vectigalia ante illud bellum fuisse quinquagies decies centenas myriades drachmarum, & ad octuagies quinquies decies centenas auctas, & sensus, qui aliter nullo modo elici potest, rectissime procedet, scil. Pompejum sibi arrogasse, quod redditus annuos Pop. Rom. qui ante ipsum quinquagies decies centenas myriades drachmarum præstiterant, sua victoria ad octuagies quinquies decies centenas auxisset; quæ summa, ad nostras pecunias relata, ex his, quæ in sestertio diximus, intelligi debet, ut quæ ante Pompejum quinquagies decies centena mill. nostrorum aureorum fuerant, ad octuagies quinquies decies centena mill. aucta fuisse, vel aliter, quæ quinquagies millena mill. fuerant, octuagies quinquies effecta, cum ex his, quæ in sestertio diximus, aurum argento decuplo computetur, & sic myrias, id est, decem millia drachmarum argenti mille ex nostris aureis, qui sunt pondere drachmæ conficient, seu quot myriades drachmarum argenti tot millia nostrorum aureorum intelligantur, vel aliquid plus, vel minus, prout illis diebus aurum argento conveniebat. Et ex his satis redditus annui Pop. Rom. triumphante Pompejo intelligi possunt.

Census Pop. Rom. annuus incredibiles.

CAP. VIII.

QUID autem habuerit sæculis posterioribus, quibus ditior fuerit Resp. jam ad Monarchiam redacta, maxime circa tempora Plinii, ex eo conabor ostendere, duobus ejus locis collatis ut superius dixi: *lib.* XIII. *c.* XVIII. de felicitate Arabiæ scribit, Indiam, Seres, & Arabiam videlicet negotiationes, quæ ex illis regionibus in nostrum orbem deveherentur, adimere Imperio Rom. annua millies centena M. sestertiorum, & intelligo de æreis, & sic minoribus, qui, ut in sestertio dixi, IV. denarium conficiunt, & sic erunt millies vigena quina millia denariorum, vel clarius, denarii ducenties quinquagies centum millia, quæ summa ad nostras pecunias relata ex præsuppositis, ut decem denarii aureum ex nostris referant, aureorum nostrorum bis decies & quinquies centena mill. Et hanc summam scribit Plin. Indiam, Seres, Arabiam sm-

perio Rom. quotannis ademisse, alio in loco, videlicet *lib.* VI. *cap.* XXIII. scribit Indiam singulis annis quingentesimam exhaurire Romani Imperii, & cum de India scribat, intelligo de tota illa negociatione orientali, de qua *lib.* XIII. mentionem facit, quia ibidem mansiones & itinera non solum ad Indiam, ex qua etiam merces Sericæ devehebantur, sed etiam ad Arabiam pertinentia describit: ex quibus credi par est, Plinium de tota illa negociatione intellexisse seu Serica, & Arabica, quæ fere universa Coptum oppidum Ægypti a mari rubro camelis devehebatur, & si quinquagies multiplicetur summa posita *lib.* XII. *cap.* XIX. videlicet bis decies & quinquies centena millia, ad centena vigena quina centena mill. nostrorum aureorum ascendent, vel alio modo, centies vigecies quinquies, decies centum millia, & totidem millena millia nostrorum aureorum, illa summa posita *lib.* XIII. quinquagies multiplicata efficiet, & tantum habuisse in annuo redditu populum Rom. sumpto. Ex his duobus locis Plinii collatis satis probabili argumento non absurde opinor, imo opinionem profiteor; nec miraculum, aut incredibile videbitur si quis vectigalia, metalla, tributa, & alios urbanos & provinciales illius Imperii redditus animadvertat, quos quasi ad calculum hujus, & fortasse majoris summæ inveniet, si exacte & particulariter quid quæque provincia solita sit, & poterit illo sæculo exhibere, complectatur animo, cum ex Hispania sola ultra alios uberrimos proventus mirabilis, & pene incredibilis auri, argenti, atque aliorum metallorum copia proveniret. Cujus tres tantum regiones Plin. tradit *lib.* XXXIII. *cap.* IV. vicena millia auri pondo singulis annis Populo Rom. præstitisse, quid Turdetania, Bætica, Cantabria, & Celtiberia, & aliæ? quid hæ, & reliquæ argenti, quas omnes argenti & omnium metallorum fertilissimas fuisse ipse attestatur. Et idem confirmat Strabo in descriptione ejusdem provinciæ, scribens apud Carthaginem novam ex brevissimo terræ spatio stadiorum CCCC. id est, ex quinquaginta millibus passuum P. Rom. in dies viginti quinque mill. drachmarum, quæ summa ex nostris aureis duo millia & quingentos conficit, redditum habuisse. Et ut etiam Plinius bonorum omnium, & præcipue auri, & aliorum metallorum fertilissimam prædicat: idem multi alii autores attestantur, ex quibus fortasse non temerarie proferri posset, Pop. Rom. ex sola Hispania tunc majores redditus percepisse, quam universæ Europæ provinciæ suis Principibus nunc exhibeant. Sed quid Galliæ metallis & cæteris bonis fortasse non inferiores? Quid Italia tunc florentissima? Quid ipsa Roma totius orbis emporium, & domina, quantum sibi ipse præstitisse credi par est? Quid Illyricum universum auri & argenti fertilissimum, cujus unam tantum partem brevissimo spatio in Dalmatia Plinius *loco* superius *adducto* refert quinquagenas libras auri singulis diebus effudisse? Quid provinciæ illi contiguæ, & ejusdem naturæ (ut Britanniam & Germanias omittam, quibus illis sæculis argenti & auri metalla nondum cupido aut ingenium fuerat scrutari) Epirum, Macedoniam, Pannonias, Mœsias, Thraciam? Quid tot Græciæ regiones, quibus etsi multum prioris fortunæ tunc deesset, tamen illius non contemnendam partem servabant? Quid magna Chersonesos, a quibusdam Asia minor appellata, ex qua, nec integra, etiam per Mithridatem exhausta, Sylla una indictione XX. M. talentorum exigere non dubitavit? Quid extra illam Ponticæ regiones, ex quibus vellus aureum? Quid aliæ ultra Taurum ditissimæ, Syria, & aliæ circa illam a Romanis tunc possessæ? Quid Ægyptus, Cyrenæ, Libya, Numidia, Mauritania? Quid tot sparsæ mari nostro insulæ felicissimæ? quarum omnium, & aliarum continentis regionum, tunc Romano Imperio subjectarum, si quis divitias potentiam, & redditus per autores relatos complectatur animo, non profecto mirabitur de his, quos ex Plinio computando excussi, sed majores fuisse credet, & paulo minus ex aliis autoribus illius sæculi calculo confirmabit, si argumentis ex Plinio adductis minus fidei præstiterit. Quod aliquando exquirere cogitavi: & fortasse non absurde perfecissem perscrutando, quid quæque regio, seu Reges, tunc vel paulo ante in redditu habuissent, nisi ambitiosum & prorsus inutile visum fuisset, ex diversis autoribus & multiplicibus locis, conjectura & argumentis exquirere, quod ex duobus quasi ejusdem sæculi luculentissimis autoribus satis & aperte consequi possem, quorum autoritates sibi invicem maxime fidem arrogent, cum ea quæ ex Plinio adduxi, non vulgare testimonium afferant his quæ Plutar. in *loco* superius *adducto* attestatur, Populum Romanum triumphante Pompejo octoginta quinque myriadas drachmarum, & sic octoginta quinque millena mill. nostrorum aureorum in annuo redditu percepisse. Et hæc illa confirmant quæ ex Plinio adducta fuerunt, tot provinciis postea Imperio additis, & ex devictis ante Pompejum usque ad tempora Plinii pacatis, & ad uberiores proventus (ut credi par est) productis, illa octoginta millena millia ad centum & viginti quinque millena millia accrevisse, quod facile disquirere potest, siquis postea acquisitas & pacatas provincias recensere velit, & quales fuerint, considerare.

Hispaniæ vectigal & fertilitas.

CAP. IX.

SED cum jam satis pecuniæ declaratæ & computatæ fuerint, & obiter alia multa quibus expenduntur, ut impensæ, & Antiquorum mores nobis innotescant, res poscere videtur, ut melius cognoscantur, mensuras seminum, liquorum, & agrorum his addere, quibus vita constat, & potissimum ad eorum usum pecunias inventas fuisse credendum sit, cum reliquæ merces permutando non semper usibus convenirent. Et ideo ex usu, &

commodo mortalium metalla, & ex his pecunias inventas credi par eſt, quæ omnibus commerciis, & maxime his, quæ victui neceſſaria forent, ſemper eſſent opportuna, & ſic univerſa Antiquorum contractio cognoſcitur: quas mihi venia ſit, ſi quam breviſſime & feſtinata cura percurram, quod ingeniolum meum promptiſſimum ad referendum qualiacunque ſtudio aſſecutum ſit, negotia urgentiſſima impediant, & alio compellant. Ideoque mihi ſatis erit menſuras Antiquorum frequentiores excutere, & obiter noſtris conferre, & ita brevi elogio declarare omnibus, quibus erit curæ, ex his facili diſquiſitione reliquæ minus frequenter poſſint innoteſcere. Menſuræ igitur liquorum, ut ab his initium capiam, quæ frequentiores & ſtabiliores apud Antiquos fuerunt, quia humida pondere inter ſe parum differunt, cum in eo ſicca, & præcipue ſemina, quibus vita conſtat, genere & ſpecie raro conveniant, ut triticum a milio, & utrumque inter ſe, & ideo eorum menſuræ non facili pondere deprehendi poſſunt.

Humida parum pondere differunt.

Menſuræ liquorum.

Omiſſis igitur his, quæ tantum ad medicinæ uſum repertæ ſunt, ut Cyatho, Myxtro, Cocleari, & reliquis ſimilibus, frequentiores ad uſum vitæ fuerunt hemina, ſive cotyla, ſeſtarius, congius, urna, amphora, culeus, quo nulla menſura liquorum major fuit apud Antiquos. Heminæ duæ ſextarium, ſex ſextarii congium, quatuor congii urnam, duæ urnæ amphoram. XX amphoræ culeum conficiunt. Harum ratio ex autoribus inferius demonſtrabitur, & primum ex autoritate autoris illius in volumine Priſc. inſerti ſine titulo, qui carmine profecutus eſt pondera & menſuras antiquas, quem Rhemmium Favinum appellari ſcriptum reperi, ex cujus computatione hæc omnia ſumi poſſunt, & ex aliis autoribus particulariter comprobabuntur. Quod urnæ quadraginta, & amphoræ viginti, culeum conficiant clarum eſt: de urnis Columella *lib.* IV. *cap.* III. prope finem, de amphoris Plin. *lib.* XIV. *cap.* IX. demonſtrat, ſcribens ſeptenos culeos centenas quadragenas amphoras conficere. Seſtarii & congii quomodo invicem ſe habeant demonſtratur autoritate Catonis *cap.* LVII. dum ſcribit menſe ſexto, & reliquis operarium bibere juſtum eſſe vini ſeſtarium, idque referre in menſe congios quinque dicit, qui ſexies multiplicati ſeſtarios XXX. conficiunt, & ſic ſex ſeſtarii congium. Sequens computatio non proprie, ſed prope convenit, cum ſcribit in menſe X. XI. in dies heminas III. in menſe amphoram, cum amphora ſeſtarios quadraginta octo, & ſic heminas nonaginta ſex conficiat, & computatio nonaginta tantum demonſtret, ſuperior item non convenit, & codex depravatus eſt. Legitur enim in libro meo impreſſuræ antiquæ, loram bibant menſes III. menſe IV. heminas; & reliqua. Scribi debet loram bibant primos duos menſes, tertio & quarto heminam, ut numerus menſium duodecim, & ſic anni reperiatur, & a primis, & non a tertio & quarto, computatio initium capiat. Sed

Urna.

Culeus.

Congius. Seſtarius.

Amphora.

nec computatio convenit, cum XXX. heminæ, videlicet ſeſtarii quindecim, duos tantum & dimidium, & non III. congios conficiant, & ſic aut error in codice, aut meus eſt, aut de minimo non curavit. Heminam eſſe dimidium ſeſtarii Gel. *lib.* III. *cap.* XIV. teſtatur. Liquorum itaque menſuris ita declaratis, ut quid invicem capiant, & capiantur, ſatis intelligi poſſit, earum pondera, quibus præcipue deprehendi, & ad noſtras referri poſſunt, dicenda ſunt, & a minore, ex jam dictis, initium capiam. Hemina pendet uncias decem, ſeſtarius viginti, hoc eſt, libram & beſſem, congius libras X. urna quadraginta, amphora octoginta, culeus mille & ſexcentas libras pendet; hæc ex diſpoſitione jam dicta menſurarum, & ex multis autoribus, & maxime ex Favino ſupradicto colligi poſſunt & de amphora, & ſeſtario S. Pompejus atteſtatur. Et ex pulcherrima Pliniana computatione paucis cognita *lib.* XIV. *cap.* IV. ſcribendo de vino Opimiano colligitur, & obiter uſuræ ſemiſſium comprehenduntur, quas noſtris ſæculis diu non bene cognitas mihi olim applaudebam, vel ſolum, vel inter paucos intellexiſſe, poſtea longo intervallo Hermolaum inter noſtræ ætatis literarum aſſertores eminentiſſimum, in prima editione Plinianæ caſtigationis ignoraſſe, in ſecunda non ſuo fortaſſe invento, ſed ex alicujus relatione, ex eo cognoviſſe animadverti, quia locum Columellæ corruptum adduxit. Ex quo nec computatio, nec uſuræ ſemiſſium ſubduci poſſunt, & excutionem ſui codicis corrupti ipſemet excludit profitendo in fine operis nihil mendoſum in eo reperiri poſſe: ſed fortaſſe ex eo vitium fuit, quod ad ſummam ſeſtertiorum ex qua uſuræ, non ad principium, ex quo ſumma ſubducitur, advertit, videlicet ad modum ſeu numerum jugerum, quæ *ſeptem*, & non *octo*, ut in codice corrupto legitur, poni debent, ut computatio ſeſtertiorum, ut ex ea uſuræ ſemiſſium recte, & ſine vitio ſubduci poſſint, quas ex occaſione menſurarum & ſeſtertiorum hoc loco declarare libuit, ut uno contextu duæ pulcherrimæ & utiliſſimæ Plinii & Columellæ computationes, & obiter amphora & urna diſcutiantur, & codex Collumellæ corruptus corrigatur. Uſuræ igitur ſemiſſium non ſemis ſortis, ſeu ex centum quinquaginta, ut diu inſcite creditum, ſed ſex pro centum reddunt. Exempli gratia, ut qui centum dederit, annua ſex pro uſuris ſemiſſibus recipiat. Si mille ſexaginta, & ſic ex quacunque ſorte ſex pro centum annua referat. Quæ adeo civiles & modicæ, ut Plinii verbis utar, exiſtimatæ ſunt, ut etiam noſtris ſæculis, non pro odioſa decoctura, ſed quaſi pro beneficio receptæ ſint, & ſi loco pretii ſit res, quæ fructum reddat, jam quaſi etiam a noſtra religione tolerantur, & ex eo ſemiſſes dictæ ſunt, quod ſemis cujuſcunque pecuniæ, cujus erit ſors, quolibet menſe reddat. Quæ ſi integram pecuniam quolibet menſe præſtaret, duodecim annua referret pro centum. Exempli gratia, (ut etiam hebetio-

Hemina.

Menſuræ liquorum quo pondere?

Favinus.

Uſuræ.

Locus Columellæ.

Uſurarum ratio.

A ribus pateat) qui centum aureos dedit, dimidiatum aureum quolibet mense accipiet, & sic in anno sex integros, & ita de qualibet summa & specie pecuniarum, & inde usuræ semissium dictæ sunt, quod semis quolibet mense pro centum pecuniæ traditæ reddant, quæ diu latuerunt, quia ratio ignorabatur. Et adhuc credo laterent, nisi Columellæ computatio *l.* IV, *cap.* III, eas demonstrasset. Et alia Plin. quæ amphoram ostendit *lib.* XIV, *cap.* IV, quos declarare constitui; & ut melius intelligantur, sestertios in pecunias nostras convertam. B Columella igitur *loco* superius *adducto*, qui cupidiores, etiam qui duntaxat utile respiciunt, ad honestissimam, & pulcherrimam agriculturæ artem excolendam, etiam spe lucri alliciendos cogitavit, non tantum verbis laudando, & suadendo, quod & alii autores, sed re ipsa calculo apposito, & ratione subducta omni fœnore, & omnium aliarum artium, maxime culturam vinearum quæstuosissimam demonstrare voluit. Et ut clarius id præstet, ponit quempiam emisse fundum septem jugerum, & non octo, ut corrupte in impressis legitur, & in hoc Hermolaum errasse dixi, quia si octo jugera ponas, & pro singulis singula millia sestertiorum expensa, computatio non procedet ad summam, videlicet ad viginti octo mill. si septem examussim convenit. C Ideo legas jugera septem, & pro eis septem millia sestertiorum nummorum expensa. Quæ summa ad nostras pecunias relata, facit ex nostris aureis de Camera (ut in sestertio dixi, videlicet librarum sex, vel solidorum Venetorum centum & viginti) centum septuaginta quinque. D Item vinitorem esse emptum sestertiis nummis octo millibus, ex nostris aureis ducentis. Item vivi radices, & pedamenta, & alia necessaria ad vineam constituendam, duo millia pro quoque jugero, & sic pro septem quatuordecim mill. sestertiorum ex nostris aureis tercenta & quinquaginta, hoc *cap.* est XXIX. mill. sestertiorum nummorum ex nostris aurei septingenti & viginti quinque, hujus summæ usuras semissium videlicet sex pro centum quolibet anno, pro duobus primis, quibus vineæ domino E fructum non reddiderunt, & sic caput illo spatio mortuum extitit, ponit tria millia quadringentos & octoginta sestertios nummos domino decoxisse; ex nostris aureis octoginta septem additis usuris sorti caput fit, sestertiorum XXXII. millium quadringentorum & octoginta, nostrorum aureorum octingentorum & duodecim. Hujus etiam summæ usuras semissium subducit modo jam dicto, quas ponit esse sestertios mille nongentos & quinquaginta, ut calculus in numero rotundo F procedat; tamen, si recte computentur, sestertius deerit, & sic ex nostris aureos quadraginta octo, & dodrans alterius, id est, ex quatuor aurei partibus tres, & sic Marcelli Veneti novem. Cum igitur Columella in hac computatione bis ex sorte usuras semissium subducat, & utroque calculo ex sorte proposita summæ usurarum subductæ, sex pro centum excipere reperiantur, nulli dubium potest esse,

Vinearum cultura quæstuosissima. Locus Columellæ.

quin hujusmodi usuræ VI. pro C. ex annua sorte percipiant. Et ulterius procedendo, quod proposuerat confirmat, VII. jugera pretio & impensa superius adducta, comparata, minimo reddituu singula singulos culeos vini refundere, qui vilissima annona tercentis sestertiis nummis, seu aureis nostris septem & semis singuli distrahantur; & sic septem culei duobus millibus & sestertiis centum, scilicet aureis nostris quinquaginta duobus cum dimidio, & sic omnino adhuc excedunt usuras sortis prædii comparati, quæ fuit sestertiorum nummorum M. DCCCC. & quinquaginta, & sic aureorum nostrorum quadraginta octo, & dodrantis aurei. Sed extirpandam vineam scribit, cujus singula jugera ad minus tres seu plures culeos non reddant, & aliquando octo, ut Varro, Plin. & ipsemet Columella alio loco attestantur. Et sic culturam vinearum ex vino & plantis non solum modici fœnoris, sed cujuscunque quæstuosissimæ mercaturæ redditus excedere, & honestissimo & quietissimo fructu eam exercentes ditescere demonstrat, & obiter declarat culeum quadraginta urnarum esse capacem. Hoc idem de usuris & amphora confirmat Plin. *loco* superius *adducto*, pulcherrima computatione docens quid manceps pertinax nimia suæ mercis retentione amittere possit. Constituit enim amphoram vini centenis nummis sestertiis, id est aureis nostris duobus cum dimidio fuisse emptam Opimio consule, servatumque vinum, ut vetustate pretiosius fieret, centum & sexaginta annis, usque in tempora Caii Cæsaris Germanici filii, & quarti in ordine Principum Rom. Et ut avaritiam pariter & stultitiam mancipis taxaret, scribit emptorem non minus lucri, & certioris ex pretio vini servati per tot annos usuris semissibus quæ civiles & minime odiosæ sunt, percipere potuisse, quam ipsius vini tam longo curriculo temporis servati, & mille periculis & jacturis expositi, cujus unciæ, quæ sunt nongentæ & sexaginta, pares essent sestertiis, qui centum & sexaginta annorum spatio usuris semissibus contrahi potuissent, etsi aliter sensisse Plin. & adhuc majori stultitia mancipem taxare voluisse opiner, computando singulas uncias illius vini per tot annos servati pretium totius amphoræ æquasse, vel potius superasse si usuræ sorti quotannis multiplicando addantur, & ex his usuræ adhuc subducantur.

Vinea quæ extirpanda?

Vinearum cultura redditus mercaturæ excedit.

Usuræ civiles.

Cap. X.

Liquidorum mensuris ita declaratis, ut quid unaquæque ipsarum pondere, aut capacitate ab altera differat, intelligi possit, nunc siccorum, ut frumenti, & aliorum seminum quibus alimur, & vita constat, & aliarum rerum, quæ non fluida, aut fluxa in commercio, & usu apud Antiquos fuerunt, mensuræ dicendæ sunt, quas admodum paucas, & aliquando liquorum, ut sestariis ad sicca usos fuisse reperio, quod etiam temporibus nostris

Siccorum mensuræ.

A evenire videmus, ut quæquæ civitas una, aut altera mensura ad sicca contenta sit, quas multiplicando, aut diminuendo usque ad quartarios suas res distrahere, & Quartarii. Medimnus. Modius. commercari consueverit. Ita & antiqui Græci medimnis, Latini modiis in commerciis fere passim usi sunt. Modii VI. medimnum conficiunt, sestarii XVI. modium. Sestarios pono, quia & his sicca & humida metiri consueverunt. Horum singulorum pondus superius scripsi fuisse libræ & bessis, id est, unciarum XX. Modii pondus, ex computatione sestarii & amphoræ superius adducta, fuit librarum XXVI. & unciarum octo, medimnum librarum centum & LX. Nam Favini carmine de ponderibus superius adducto demonstratur, sestarios XVI. modium, modios III. amphoram, binas amphoras medimnum conficere. Cujus autoritatem ob id maxime sequor, quod est antiqui nominis, & in humidorum mensuris, quæ scripsit, aliis autoribus comprobantur. Accedit etiam quod pondera omnium jam dictarum mensurarum, prout posita sunt, calculo ad invicem conveniunt: quod medimnus sex modios in se habeat, ex pluribus autoribus colligi potest, sed Cicero mihi sufficiat in *Verrina* quarta, in quamplurimus locis computando demonstrat, modium esse sextam partem medimni. Nec Locus in vita Pomponii Attici. ignoro in *Vita Pomponii Attici* legi, fuisse septimam, sed ibi locum esse corruptum autoritate aliorum convincitur. De pondere vero, quod superius dixi fuisse librarum C. & LX. aliquantulum hæsito, quia apud Pausaniam legitur, fuisse nisi centum & octo, tamen primæ opinioni magis assentior, quia cæteris ponderibus magis convenit. De pondere modii difficile puto posse affirmari, cum ea, quæ metiendo capiat, ut triticum, legumina, & alia hujuscemodi sicca, non solum genere, sed etiam specie inter se, bonitate, aut natione diversissimi sint ponderis, quod in humidis non sic evenit: quæ non multum pondere differunt, ut vinum, & aqua, & hujuscemodi dilutiora, crassiora vero, ut mel & oleum, specie inter se parum vel nihil, genere non multum, & quasi certa mensura, quia mel a melle, & oleum ab oleo parum pondere differt, illudque ab isto. Et quicquid est, quasi mensura certa differt, sed in hoc, id quod ratio suadet, autoritate Plinii videtur comprobari, mensuras liquidorum quasi certo pondere fuisse, siccorum fere vario: quia in illis nihil vacui, & fere eadem natura, in his multum vacui, & diversissimæ species, & ideo si sestario, aut modio liquida metiamur, sua pondera reperientur habere & uniformia. Si vero sicca, ratione jam dicta diversissima, quod autoritate comprobatur Plin. *lib.* XVIII. *c.* VII. scribit enim modium tritici Gallici non excedere vicenas libras, & aliarum provinciarum parum ultra; & tamen si modius pondere liquidi metiatur ratione amphoræ & sestarii, hoc est, ut amphora tres modios capiat, & ipsa sestarios sexdecim, utraque ratione erit ponre stabili, & non variato bonitate, aut natione, ut in siccis librarum XXVI. & unciarum octo: idem videtur comprobari de sestario *cap.* nono & decimo, & sequentibus.

Ex his non absurde colligitur, Antiquos humida pondere fere certo, sicca vero vario, vel sola capacitate metiri in usu habuisse. Et exemplum sumi potest de modio & sestario, quod in humidis haberent pondus constitutum, in siccis sola capacitate censerentur. Idque experiendo deprehendi vasis ad mensuram Antiquorum fabricatis, quorum contenta sicca, & humida pondere multum differre co- B gnovi. Videtur tamen Plin. eodem *cap.* Locus Plinii. majoris mensuræ modium fecisse, cum scribit sexaginta pondo panis e modio referri, & reliqua; sed aut locus corruptus est, aut aliter debet intelligi, & illud idem dici potest in *cap.* decimo, cum scribit centum & viginti duos panes e modio similaginis justum esse confici, quia aut panes erant exigui, aut numerus est corruptus, quia modius antiquus tot panes formæ aut magnitudinis nostri temporis referre non posset; & ex his quæ sequun- C tur, colligi potest, cum scribit ex tribus sestariis madidis pultis modium reduci; quia eadem proportione posset ex modio, qui esset viginti quinque librarum, vel circa, sexaginta libras panis referri. Idemque existimari debet, & si alibi aliquando majoris mensuræ modium videatur innuere; cum ipsemet Plin. mensuram superius positam non excessisse pluribus in locis demonstret, & maxime eodem *capite* septimo superius *adducto*, comparando triticum hordeo, quod dicit non excessisse libras XV. & fabam XXII. & innuit triti- D cum non multum excedere. Item infra cum scribit e modio siliginis triginta pondo panis reddi, & parum supra dixerat justum esse panis tertiam portionem ad grani pondus accedere, & subinde sequentibus loquendo de tritico Alexandrino & Cyprio, & *cap.* IX. in fine, & *cap.* X. & alibi. Sed nonnullis fortasse absurdum, & pene incredibile videbitur, quod & mihi aliquando, antequam ratio confirmaretur, occurrisse fateor, Antiquos, & præcipue Romanos, illo sæculo copiosissimo sua pene universa commercia tam exi- E guis mensuris confecisse, & contractasse: quod etsi admirabile videatur tamen usque adeo ratione & autoritate demonstratum est, ut ex ea nulli, nisi pertinacibus, dubium relinquatur. Et præter ea quæ superius adducta sunt, & multipliciter adduci possent, de amphora & sestario, Amphora. quod tales fuerint, & non majoris mensuræ, autoritate Capitolini comprobabitur. Scribit enim in *Vita Maximini*, illum aliquando bibisse amphoram vini, & Maximini ebrietas. duos & tres sestarios sui sudoris ostendisse: quod utrumque in mensuris jam dictis mi- F rabile dici potest: sed si majorem his modum constituamus, omnino incredibile, quod homo ultra LXXX. libras vini uno die hauserit, & ultra tres sudoris emiserit. Et in *Vita Alexandri Mammææ* legitur eum jejunum sæpe sestarium aquæ fri- Alexander Mammææ. gidæ bibisse: & in pluribus locis apud autores reperitur, modestissimos & sobrios viros in cœna non ultra sestarium vini bibisse, qua mensura & nostri temporis sobrios

homines esse contentos videmus. De congio Plinius *lib.* XIV. in fine comprobabit, scribens plures fuisse, qui tres congios vini uno impetu hausissent, quod pro miraculo adducit, & non ab re, ut de amphora in Maximino: sed si majoris mensuræ congios arbitremur, penitus incredibile videri potest. De aliis item mensuris liquidorum non ambigitur. De medimno & modio ultra ea quæ ex Plin. & aliis auctoribus superius adducta sunt, accedit argumentum, vel potius demonstratio, quæ si alia deessent, per se sufficere ad utrunque comprobandum, quamvis supervacuum videatur argumentis quærere, quod assertionibus superius adductis, & quæ adduci possent, manifeste comprobetur, tamen quia ad comparandas nostras mensuras cum antiquis aliquid conferre potest, apponere volui.

CAP. XI.

OMNES antiqui agricolæ, & præcipue Columella *l.* II. *c.* IX. Plin. *l.* XVIII *cap.* XXIV. & alii suis locis scribunt modios fere quinque tritici pro semine jugeri satis esse, milii sestarios quatuor. Cicero in *Verrina* quarta modios tritici sex, seu medimnum in jugere satis esse scribit: qui modus etiam nostræ sementationi fere convenit, si quantitas seminis cum spacio terræ computetur, & hoc, quid modius fuerit, demonstrabit. Quod ut clarius fieri possit, præfari convenit & veniam deprecari, si in his declarandis, & computandis, quia Latina desunt, vocabulis vulgatissimis & omnino popularibus utar, ne in illius errorem incidam, qui cum vellet Latinitatem servare, culpam inscitiæ subiit, & pro mensura Veneta, quæ vulgo *starium* appellatur, & ultra centum & septuaginta librarum minorum tritici capax est, sestaria tam exiguæ mensuræ Venetiis super hostio annonariæ Curiæ insculpi fecit, quod omnium literarum professorum, qui plurimi & eruditissimi in illa inclyta civitate reperiuntur, maxime interesse puto, magistratus admonere, ut illud vocabulum sestariorum exculpi faciant, & eorum loco patrias mensuras proprio nomine vel circumscripto inscribi jubeant, cum hujusmodi inscitia non sine nota illius almæ civitatis tot doctissimorum virorum patriæ & alumnæ ab externis transeuntibus legatur: quod dixisse non mihi arrogantiæ, sed insitæ in eam civitatem pietati, quam illi debeo, & libenter agnosco, ascribatur.

Jugerum quantum seminis requirat?

Sed his omissis ad computationem propositam revertar. Campus noster, (sic enim modum, & mensuram agri appellamus) qui, ut inferius demonstrabitur, jugero antiquo proportione major est, duabus nostris mensuris tritici, quas *staria* patrio vocabulo appellamus, & altero dimidiato, seu non integris tribus fere seritur pro qualitate terræ, & arbitrio serentis. Mensura nostra ex collatione inferius demonstranda plusquam duos modios antiquos continet, qui, si pondus in siccis servaret quod eis in humidis attribuitur, videlicet

Campus major est jugero antiquo.

libras XXVI. & uncias VIII. paulo minus duo nostram mensuram æquarent, quam fere XLII. libræ majores nostræ unciarum XVII. boni tritici implent, minores vero unciarum XII. circa quinquaginta novem. Et Antiquos hujuscemodi mensura, capacitate, & non pondere constituto uti consuevisse puto. Sed si pondere sicci censebatur, multo minor reperitur ratione jam dicta, quia vacuum inest, & ideo modius sicci ad libras XXIII. vel circa, contrahitur pro qualitate materiæ, ut in Plinio legitur, quod vase ad pondus sestarii fabricato verum esse deprehendi, eo sexdecies tritico impleto & evacuato, idque universum ad pondus superius positum accedere inveni, quod duplicatum libras XLVI. efficiet, mensuram vero nostram eodem tritico & statera seu lance quinquaginta octo, vel circa, pendere deprehendi, & sic mensura nostra duodecim libris, vel circa, duobus modiis antiquis major reperitur, & sic campus noster plus quam jugerum triginta libras seminis requirit, & erit proportio a centum & quindecim, quas requirit jugerum, ad centum & quadraginta quinque, quas requirit campus noster, qua ratione sementatio jugeri & campi nostri fere convenit. Nam teste Columella *lib.* VI. *cap.* I. jugerum viginti octo millibus & octingentis pedibus quadratis constat. Campus vero noster sex pedibus, hoc est, mensuris sex pedum, quas *perticas* appellamus, sexaginta in longitudinem extenditur, quatuordecim in latitudinem, qui modus triginta millia ducentos & quadraginta pedes quadratos conficit. Sed jugerum antiquum non solum numero pedum, etiam eorum quantitate nostro campo minus erat; quia pedes antiqui, quibus jugerum metiebantur, nostris pedibus fere uncia, & sic XII. parte breviores reperiuntur; adeo quod si quantitas seminis cum spacio terræ computetur, sementatio nostra ab antiqua parum differre reperietur: & ex his etiam mores Antiquorum in hoc, & modius quid fuerit, demonstratur.

Jugerum quot pedum? campus quot mensuris constet.

Sementatio nostra & antiqua?

CAP. XII.

HÆC volui dixisse, non tantum ut mensuram modii, qui supra satis fuit declaratus, confirmarem, sed ut mores & consuetudines Antiquorum, sicut in aliis, etiam ratione seminandi a nostris non multum differre demonstrarem, quod hoc toto opusculo præcipue mihi cordi fuit, ut ex moribus & consuetudine Antiquorum ad quæque peragenda & constituenda instructiores & prudentiores efficeremur. Cum itaque in sestertio Antiquorum pecunias declaraverim, & nostris contulerim, & superius etiam eorum mensuras pro ingenioli mei viribus demonstraverim, reliquum est intentionis, & propositi nostri, ut eas nostris conferamus, & cujus proportionis sint ad nostras, quantum fieri clarius possit, demonstrare conemur: quas summatim & quam brevissime repetere convenit, ut in

earum collatione ad nostras memoriæ propius sint. Diximus duas heminas sestarium, sex sestarios congium; octo congios amphoram, xx. amphoras culeum implere. Item quod amphoras duas urnas & tres modios caperet: & ut pondera etiam addam, dixi heminam X. unciarum esse, sestarium XX. congium X. librarum, modium XXVI. & bessis, urnam quadraginta, amphoram octuaginta, culeum mille sexcentarum. His ita propositis & declaratis, cum nullæ antiquæ mensuræ nunc extent, & ob id quasi impossibile videretur eas nostris comparari posse, & tanto difficilius, quod etiam mensuræ nostri temporis fere nullæ vel paucæ inter se conveniant, & quæque civitas, nedum provinciæ, sua pondera & mensuras ab aliis dissimiles habeant, tamen, his non obstantibus, rationem invenisse opinor, qua antiquæ mensuræ nunc constitui, & inveniri possint,& quisque patrias mensuras cujuscunque ponderis vel capacitatis fuerint, illis utroque modo, scilicet vel pondere vel capacitate, valeat conferre. Sed rationem afferamus; ex Favino sæpius adducto & aliis colligitur, capacitatem amphoræ pede quadrato constare. Constituatur igitur vas hujus mensuræ, cujus vacuum sit cubus, undique pede quadrato terminatus,scil. altitudine, latitudine, longitudine, ex hujusmodi vasis comparatione omnes antiquæ mensuræ majores & minores, augendo vel diminuendo constitui possunt, & eadem ratione obiter nostræ illis conferri, quippe hujus vasis dimidium erit urna, tertium modius, octava pars congius, quadragesima octava sestarius. Si pondere magis placet, fabricetur vas, cujus contentum sit ponderis librarum X. erit congius: si unciarum XX erit sestarius, & proportione ponderum aliæ omnes antiquæ augendo vel minuendo constitui possunt. Quarum ratio incerta esse non potest, si earum pondera capacitati a primis ad omnes sequentes initium capiendo, seu a minimis seu a majoribus, convenient. Exempli gratia, diximus amphoram esse dimidium medimni, amphoræ urnam, tertium modium, octavam partem congium, & reliqua, quæ non expedit repetere, harum omnium pondera & reliquarum proportione capacitati conveniunt, prout ex ordine positæ sunt. Si capacitas igitur ipsa-

Sestarius, Congius Amphora.

Amphora, & ejus partes.

A rum proportione ponderis cuilibet,earum attribuci convenit, cui dubium potest esse eas esse mensuras antiquas, quibus constitutis suas patrias mensuras quilibet seu capacitate seu pondere conferre potest, & quid quæque ipsarum ad antiquas proportionis habeat, cognoscere, id est, suas patrias nunc mensuras majores seu minores ad antiquas rationes jam dicta constitutas proportione conferendo, & obiter legendo proventus, expensas & commercia Antiquorum inttelligere. Quod si meo labore legentes hoc consequuti fuerint, gratias habebunt. Si vero ipsi ex se melius vel ex his minus exacte, saltem voluntatem B perficiendi laudabunt.

Sed dicet fortasse quispiam; ignotum per ignotius docuisti, mensuras pede & libra constituisti ipsismet mensuris ignotiore, & quale fuerint apud Antiquos, & quomodo nostri conveniant, fortasse ignoratur, sed certum est nostris fuisse minores: ideo & huic scrupulo occurrendum est. Libram sestertio demonstravi, & sicut in ea constituenda ad principia naturalia, quæ stabilia sunt, & raro sæculis volventibus mutantur, videlicet ad siliquas, quæ semper fuerunt, & sunt C uniformes & ejusdem qualitatis, ita & in pede ad digitos humanos recurrendum, qui non crassi aut graciles ad hoc eligendi sunt, & teste Vitruvio, & Columella *lib.* VI. *cap.* I. sexdecim pedem conficiunt, qui certe meo patrio pede & fere omnibus, qui nostro sæculo in usu sunt, brevior fuit: comperta scribo, pedem meum patrium, quo ad metiendum spacia utimur, XVI. meis digitis, & quibuscunque communibus uncia, id est, duodecima parte, longiorem esse, & plus pro qualitate digitorum reperiri: & idem fere de aliis nostri temporis existimandum est, & D minorem fuisse antiquum etiam nomen arguit, scil. a pede humano fuisse appellatum, & ad ejus mensuram constitutum. Quo omnes pedes nostri temporis, quibus ad metiendum utimur, longiores sunt. Sed utinam aliarum antiquarum mensurarum modus extaret, sicut pedis antiqui, qui Romæ pluribus in locis, & præcipue in hortis Angeli Colocii, viri inter alios qui Romæ degunt, ut audio, doctissimi, manifeste deprehenditur. Cujus exemplum & longitudinis dimidium in hoc loco integri non capaci imprimi curavi,

Digiti	I	II	III	IIII	V	VI	VII	VIII
Palmi	I				II			

Dimidium pedis antiqui

ut ad ejus mensuram vel alterius, digitis constituti, quocunque loco qui reperiatur, amphoram fabricare possit, & ex ea reliquas: & si pondere magis placet, libra siliquis constitui potest, & ex ea omnes mensuræ antiquæ, & eadem libra nostris conferre, quam eandem, qua nos utimur, fuisse in sestertio docui. Sed si aliquibus in locis non conveniret, siliquis vel denariis antiquis constitui potest, & ex ea reliquæ mensuræ, nec siliquis carere pos-

E sumus, quæ fere jam ubique sunt communes.

CAP. XIII.

DENARII etiam ipsi adeo jam vulgares & noti sunt, ut nullam putem nunc esse provinciam, in qua aliqui ex his non reperiantur; sed ut ab aliis numis argenteis antiquis dignoscantur, qui

qui fortasse non sint pondere drachmæ, admonere convenit veris denariis hanc notam * fere passim impressam fuisse, qua Antiqui hunc nummum numerum denarium in se habere videlicet decem asses demonstrabant, & ad differentiam literæ X. linea transversa secabant, ut in figura superius posita apparet. Sed cum nostri sæculi scriptores & impressores quid esset non intelligerent, in libris apponere omiserunt, & hinc multos errores irrepsisse pluribus in locis observavi, & maxime in Cornelio Celso in compositione pharmacorum, quorum partes & simplicium pondera male intelliguntur, & in eis multos vidi hæsitare. Idque maxime ex figuræ superius positæ omissione evenit, quia fere passim in libris impressis, vel proximis sæculis scriptis, compositio pharmacorum, ut infra descripta, apparet. Exempli gratia, piperis p. XXX. vel alio numero simili modo, sed quid litera p, aut quid numeri significarent, me diu ignorasse profiteor, & tandem ex antiquissimo libro, in quo figura denarii apparet, utrumque deprehendi, videlicet literam p *pondo* significare, & ex pluribus literis X primam denarium, reliquas numerum significare, ut infra piperis, * XX. quod significat *piperis pondo denariorum viginti*, & hoc exemplo reliqua intelligi possunt. Simili modo in Plinio multotiens hanc figuram deesse observavi, maxime cum pretia rerum describit: verbi gratia, Cinnamomi pretium in libras, & sequitur numerus sine pretio, sed deficit figura denarii, vel sestertii, & intelligi debet cinnami pretium in libras denarii, vel sestertii XX. vel XXX. aliquando libræ desunt, aliquando loco sestertiorum positæ sunt, & econtra. Hæc, quæ ex transpositione vel omissione figurarum errores & difficultates multis afferre cognoveram, ex occasione denarii apponere volui. Scientes nonnullis qui fortasse hæc ignorabant, non invideant, nec mihi arrogantiæ tribuant, si nonnulla studio docendi, quæ fortasse quibusdam frivola videbuntur, non omitto, & ex his puto humidorum & siccorum mensuras antiquas reperiri, & nostris satis commode conferri posse, pro quorum pleniore tractatu ex occasione pedis aliqua de mensuris terræ & spaciorum addere libet, quas omnes Columella *lib.* VI. ponit, & declarat, quem locum hic citare sufficeret, etsi Varro & Plinius fere eadem scribant, sed ex Columella quædam pauca brevissime colligam, ut easdem nostris conferre possim, & a minimis ordiar.

Denarii nota.

Locus Cornelii Celsi.

CAP. XIV.

Passus, Stadium, Milliarium.

SUPERIUS diximus XVI. digitis constare pedem, V. pedibus passum Antiqui constituerunt, C. & XXV. passibus stadium, VIII. stadiis milliarium, a mille passibus, quia tot constat, appellatum. Et his mensuris Antiqui, & maxime Latini, passim intervalla regionum & provinciarum metiebantur, ut omittam schœnos, qui XXX. stadiis, & parasan-

Schœnos, Parasanga.

A gas, quæ L. constabant. Agricolæ vero aliis ex eisdem tamen principiis confectis utebantur, scil. pede & digitis, ut Plin. *lib.* XVIII. *cap.* III. Varro *lib.* I. *cap.* X. & Columella *loco* superius *adducto* attestantur: ex quibus duas solummodo nunc adducam, quæ frequentiores fuerunt. Et ideo eas declarare & nostris conferre operæ pretium fore videtur, aliæ ibidem, & alibi legi possunt, quibus nihil addi convenit. Sed tantummodo has duas adducere & conferre libet. Actus & jugera frequentissimæ, & fere B communes, fuerunt antiquorum agricolarum mensuræ, & maxime Romanorum. Actus undique pedibus centum & viginti conficitur, duplicatus quocunque ejus latere jugerum fit, quod pedes ducentos & quadraginta longum esse debet, & centum & viginti latum, & in pedes quadratos distributum viginti octo millia & octingentos in se habet, ut superius ex Columella dictum fuit, & in hujusmodi minimas partes dividitur. C Quia aliter commode hujuscemodi spatia metiri non possunt, nisi in certas & minimas partes redigantur: his ita constitutis fortasse quispiam requiret, ut rationem mensurandi agros apponerem, quæ extra propositum videtur, & per Columellam autorem luculentissimum *loco* superius *adducto* satis commode conscribitur; sed quia codex in plurimis, & præcipue in numeris, in quibus tota vis consistit, corruptus est, operæ pretium fore putavi ejus primæ constitutionis mensu- D rarum, ex qua universa ratio deducitur, nonnulla loca, quæ corrupta sunt, corrigere, & aliqua interpretari, & declarare, & inprimis admonere convenit, autorem ipsum jugerum, ut commodius metiri posset, in assem constituisse, & in hoc etiam nostri temporis agri mensores imitantur, qui metiendo agros nostros in denarios & libras hos distribuunt, & eis computant quantitatem terræ. As seu libra, ut in sestertio declaratum fuit, ducenta & octoginta octo scrupula capit. Ideo jugerum ad ejus exemplum in E totidem partes distribuit. Et quia aliquando etiam minora terræ spatia veniunt in æstimationem, scrupula dividit in semi-scrupula: & ideo prima pars, & sic minima jugeri erit DLXXVI. totius, quia tot semi-scrupula in assem cadunt; & in hoc numerus corruptus in Columella posset aliquibus errorem inducere. Legitur enim numero scrupulorum, videlicet ducentorum & LXXXVIII. Sed duplicatus legi debet, & sic quingentorum septuaginta sex. His ita constitutis, unicuique harum partium suos pedes pro- F portione ex summa viginti octo millium & octingentorum tribuit, quibus quadratis diximus jugerum constare.

Actus, Jugerum.

As quot scrupula contineat?

Ponamus exemplum in prima parte ut clarius reliqua intelligantur, & in hoc officio interpretis Columellæ fungamur. Dividatur jugerum in quingenta & septuaginta sex semi-scrupula, quia tot numero in assem cadunt, & unicuique harum partium quinquaginta pedes tribuantur. Si quingenties septuagies sexies, id est, pro numero semiscrupulorum multiplicen-

tur, viginti octo mille & octingenti esse reperientur. Itaque in hujuscemodi parte jugeri quinquaginta pedes quadratos esse dicas, vel si in scrupulos dividas, qui sunt ducenti & octoginta octo, in hujusmodi parte centum pedes quadratos in asse reperies; & sic proportione reliquarum partium usque ad integrum assem, quo jugerum intelligitur, computando ratio deducenda est, ut clara sit: & codex pluribus in locis, & maxime in numeris, corruptus, hac ratione & computatione corrigi potest, quam ulterius fortasse prosecutus fuissem in mensuris agrorum, & distributione plantarum, declarando & interpretando Columellam, nisi extra propositum visum fuisset, & veritus essem id mihi potius arrogantiæ, quam studio docendi, ascribi, cum neque eruditius neque elegantius res pertractari possit. Aliqui tamen loci corrupti corrigi possent, sed non deerunt, qui melius quam ego intelligant & corrigant. Jam satis superque sit mihi homini occupatissimo, & variis & molestissimis negotiis implicito, &, ut alia omittam, jam decem filiorum patri, sestertio jam pluribus annis perfecto ad demonstrandos Antiquorum mores, hæc pauca insuper aggregasse & congessisse, pleraque vero alia, quæ olim studio vigente commentaveram, negotia nunc supprimunt, quæ tamen & ipsa aliquando fortasse edentur, si vita & otium suppetat.

F I N I S.



JOSEPHI SCALIGERI

JUL. CÆS. F.

DE

RE NUMMARIA ANTIQUORUM

DISSERTATIO.

LIBER POSTHUMUS.

Ex Bibliotheca Academiæ Lugd. Bat.

Nobilissimis & Amplissimis Viris, Academiæ Lugduno-Batavæ

C U R A T O R I B U S,

ADRIANO A MATENES,

Domino in Matenes, & Opmeer:

CORNELIO VANDER MILE,

Domino in Miilen, Equiti;

E T

Amplissimis Prudentissimisque Viris, Reipublicæ Leydensis

C O N S U L I B U S,

JOANNI IISENHOUTIO VANDER NES,
FRANCONI DUICKIO,
CASPARO BANCHEMIO,
CORNELIO VVESPIO:

Amplissimo Prudentissimoque Viro

NICOLAO SEYSTIO,

Ejusdem Reip. SYNDICO, & DD.

Curatoribus A SECRETIS.

VIRI AMPLISSIMI,



UANTAM nummariæ rei cognitio Veterum scriptis lucem afferat, ut non utilis solum, sed etiam necessaria videatur, tot loca, tamque illustria apud philologos, oratores, historicos passim obvia satis superque demonstrant; quæ ut a peritis rerum summa cum oblectatione leguntur, ita ab imperitis plurimum sine fructu aut utilitate ulla transmittuntur. Nam quem non ista in admirationem rapiunt, si frugalitatem infantiæ Imperii Romani, cum illa adultæ ætatis effusione, hoc est, si prima cum mediis & extremis contendas: cum impendia, quæ in rempublicam, in militiam, donationes, delubra, amphitheatra, porticus, aquæductus, hoc est, publicam munificentiam: deinde privatorum hominum censum, Imperatorum & Regum liberalitatem, aliorum immensam cupiditatem & avaritiam, horum prodigentiam, hoc est, illam hominum vitam & mores tot retro sæculis actam cum animo tuo tecum ipse subduces, & tanquam tabulas accepti & expensi in abaco tuo ipse conficies, atque pretia singulorum definies. Necesse profecto est animum ista perspicue & intelligenter explicantem summa oblectatione & gaudio affici, si quando illa tempora cum suo quisque sæculo comparabit. Cum videbit populum Romanum, cujus imperium iisdem, quibus urbs ipsa, limitibus initio continebatur, frugalitate & continentia a tam parvis incunabulis exorsum, pene totius orbis imperio potitum; tandem summa omnium rerum affluentia, tanquam prædones publicos totius mundi rapinis spoliisque onustos, mole sua gravatum corruisse. Hic enim ille populus est orbis domitor, cui ne in nuptiis quidem ac repotiis licuerit amplius quam centenos æris insumere, quæ summa eo sæculo valebat

denariis decem, & habent pondus argenti quinque & septuaginta stuferorum Hollandicorum: atque id quidem jam Asia devicta, quæ tamen luxuriam primum misit in Italiam. Hac animi enim magnitudine populus ille fuit, ut cum privatis in rebus suisque sumptibus minimo contentus tenuissimo cultu viveret, in Imperio atque publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocaret. Cum tamen Reipublicæ annui reditus usque ad Pompejum Magnum non admodum magni fuerint. Is enim post subactum Orientem, cum de tot regibus populisque amplissime triumphasset, literis recitatis declaravit, quod cum Respublica antea e vectigalibus caperet denarium quingenties, tum e ditionibus a se adjectis accessissent denarium octingenties. Ergo cum Respub. antea possideret annuatim florenos nostrates 16520210. sive daleros Hispanicos 7029876. postmodum e reditibus annuis habuit florenos 42952548. quæ summa etsi ampla, pro magnitudine tamen Imperii Romani haud magna hodie videatur, & tot legionibus alendis, sociorumque auxiliis vix sufficctura, nisi stipendii exilitas omniumque rerum vilitas eo seculo summa fuisset; tum enim militis diurnum fuit denarii pars tertia, stuferi nostrates $2\frac{1}{3}$. Verum ut ista infra mediocritatem, ita illud contra omnem modum & propemodum fidem excedere videtur, quod de uno Caligula Tranquillus narrat, qui tanquam gurges & vorago publici patrimonii sestertium vicies septies millies, qui sunt floreni Hollandici 223022847. non toto vertente anno absumserit, ut jam minus incredibile videatur quod de Vespasiano idem prodidit: Professus est, inquit, quadringenties millies opus esse, ut Respublica stare posset: quod cum ipse imperare cœpisset summa esset ærarii fiscique inopia: ea summa ad Hollandicos florenos redacta, valet florenis 3304042179. hoc est, tonnis auri nostris amplius triginta tribus millibus & quadraginta: quæ profecto immensa pecuniæ vis est. Longum esset singula referre & spissum opus. Quare cum ista, cæteraque hujus generis compluria, unde maximarum sæpe rerum momenta pendent, absque veterum nummorum æstimatione ac pretio cognosci & intelligi non possint, eam ob causam doctissimus quisque hic operam suam utilissime collocari putavit: sed cum ardua & magnæ difficultatis ea res esset, post Alciatum, Budæum cæterosque, qui hanc inter primos aggressi sunt, non desierunt de eadem re suam sententiam publicis literis consignare viri doctissimi Agricola, Hotomannus, aliique: sed singuli e suæ eruditionis & observationum penu tanquam symbolam aliquam huc contulerunt, & quæ a prioribus vel non observata vel minus recte annotata deprehendissent, tanquam in commune consultantes, protulerunt. Multa enim sunt quæ aliter Græci, aliter Latini de eadem re prodiderunt, qui error non animadversus illis quoque errandi occasionem injecit: nonnulla etiam ὁλοσχερῶς enuntiata si nimis presse & anguste accipiantur, a vero abesse videbuntur: verum hæc etiam fortassis leviora, præ iis quod sæpe locos minus sanos quilibet pro se rapiat: atque ideo cum tantopere intricata, & tot difficultatibus obsepta esset hujus rei explicatio, non mirandum est tam multos commentarios a doctissimis semper viris de hac una re conscriptos extare: ut etiam ii qui ex professo id non agunt, tamen ubi occasio oblata id sinat, non aliquid inde sibi delibandum putent. Quamobrem cum eruditorum ille Phœnix Josephus Scaliger etiam hanc rem sua cura & industria non indignam existimaverit, & ipse multa ab aliis male expressa, vel in alienum sensum detorta, vel denique nondum observata in hanc diatribam conjecerit, cujus copiam sibi fieri omnes undique efflagitant, eam vestro nomini, Viri Amplissimi, nunc offero. Postquam enim doctissimi & clarissimi viri hunc librum publica luce dignissimum censuerunt, non puto equidem quidpiam causæ esse, cur etsi mole exiguus sit, vestri nominis splendore & titulo minus dignum arbitrari quis possit: cum non magnitudine, sed bonitate istæ merces, ut gemmæ, æstimandæ sint. Et quoniam hunc librum vestræ Bibliothecæ ab autore dicatum privatim receperitis, eundem publico omnium usui vestris auspi-

ciis expositum, etiam tanto gratiorem futurum confido, quanto publica utilitas privatæ est anteferenda : de quo ut non dubitem facit animus & affectus vester literis promovendis natus: quem ut perpetuum nobis esse velit, summum illud Numen supplex veneror.

Vestræ Amplitudini

addictissimus

WILLEBRORDUS SNELLIUS

R. F.

HOTOMANNUS ad illum Livii locum, *Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum: τετράδραχμα vocant, trium fere denariorum in singulis est pondus :* tandem post longam dissertationem subjicit:

Dixerit nunc aliquis: Ecquid igitur conciliationis, aut solutionis affers? Ad Ciceronem, inquiebat Aquilius Gallus, si quis ad eum de facto retulisset. Ad Scaligerum igitur, aut Puteanum, aut Passeratium, aut Lipsium, inquam ego: vel alium pari ingenii felicitate præditum, &c.

JOSEPHI SCALIGERI
JUL. CÆS. F.
DE
RE NUMMARIA ANTIQUORUM
DISSERTATIO.



A QUOD Latinis Pecuniæ signatæ nomine intelligitur, id Græcis Νόμισμα dicitur: ut sunt Nummi; qui non dicuntur Pecunia, sed pecuniæ nomine censentur. Neque enim dicimus: Denarius est pecunia argentea valens sexdecim assibus : sed, Denarius est pecuniæ argenteæ nummus. Νόμισμα mediæ vetustatis Græci pro quavis specie Nummi dicunt. Sic Hesychius: Νομισματος ἀργυρίου δραχμαὶ δέκα. Vetustissimi autem nummum non νόμισμα, sed νομίσματος esse dicebant. Talentum vero νόμισμα vocabant, quia dinumeratione, non corpore, constabat. Non enim Talentum est nummus, sed νομισματος ἀργυρίου δραχμαὶ ἑξακισχίλιαι. Nummus, ut ait Juvenalis, est

B *Concisum argentum in vultus faciesque minutas:*

cujusmodi est Drachma & Denarius. At Talentum non ita: quod non nummi, sed pecuniæ nomine, intelligitur. Non enim est ἀργυροῦν τι χάραγμα, sed ἀργυροῦ νομίσματος ὁλκὴ, καὶ ἄθροισμα.

Locus est luculentus apud Ammonium: Τετρᾶχμον, τὸ νόμισμα. Τετράδραχμον δὲ τὸ τεσσάρων δραχμῶν. Qui aliis Στατὴρ vel Τετράδραχμον dicitur, hoc proprie dicitur Τετρᾶχμον. Valor autem ejus ut quatuor drachmæ, aut XXIV. oboli. Mihi contra sentire videtur, Staterem ipsum proprie dici Tetradrachmon, & speciem nummi argentei; Τετρᾶχμον autem ejus valorem, puta IV. drachmas, aut XXIV. obolos, aut CXCII. χαλκοῦς. Eustathius putat depravatum esse ex Τετραδράχμου. Etymologicon negat. Porro ἄθροισμα, sive νόμισμα, aut pondere aut dinumeratione fungebatur. Menander:

Ολκὴν ταλάντου χρυσίου σοὶ, παιδίον,
Εστηκα τηρῶν.
Pondus talenti auri tibi appensum servo, o puer.

Non enim nummum repræsentare potuit, cujus modi nullus erat, sed pondus. Aliter dinumerabatur. Plautus:

Talentum argenti ipsus sua dinumerat manu.

Quod igitur traditione unius speciei præstari non poterat, hoc fiebat aut pondere, aut dinumeratione, ut ostensum est. Nulla enim gens est.

quæ non solum nummis, sed etiam certa nummorum collectione non utatur, quæ nummi quidem unius vice fungitur, sed tamen nummus non est, quia tanti ponderis species cudi non possunt; cujusmodi Talentum, Mina, Libra, & apud Teutonas Tonna auri, quæ est ὁλκὴ, aut ποσότης, non nummus. Ἐν νομίσματι Græcorum hujusmodi ἀθροίσματα duo sunt, Mina & Talentum: in Romana pecunia, unica Libra est: quod verbum triplici notione fungitur. Nam & certum pondus significat; unde Librales lapides dicuntur: & id, ad quod pondera examinantur, unde Libripens, ὁ σταθμοῦχος: & pecuniæ corpus, quod tam numero quam pondere fungitur. Hæc tria quoque in uno nomine Ταλάντου deprehenduntur. Nam & ponderis nomen est, quod dicitur στατικὸν τάλαντον, unde ταλαντιαῖοι λίθοι, & ταλαντιαία χάλαζα, quod Latinis Librales lapides, & Libralis grando: & examen, vel trutina; ut Homero:

—— δύω ἐτίταινε τάλαντα.

Aristophanes:

Ἀλλ' ἡ ταλάντῳ μουσικὴ σταθμήσεται.

& denique νομίσματος ἄθροισμά τι. Unde Talentum Euboicum, Ægineticum, Babylonicum, Atticum, Siculum.

Pecuniæ, ut jam diximus, maximus modus apud Græcos Talentum; apud Romanos Libra. Apud Siculos Talentum erat ἀνάλογον Libræ Romanæ, non autem ἰσοδύναμον. Et quidem ἀνάλογον, quatenus duodecima ejus pars erat Νοῦμμος, ut Libræ Romanæ Uncia. Ἰσοδύναμον autem Romanæ Libræ non erat, utpote quod Denarii Romani vix septima pars esset. Igitur Talentum Siculum prius erat XXIIII. νούμμων: postea XII. æstimatum est: eratque non nummus, sed ἄθροισμα, sive ὁλκή. Νοῦμμος autem erat τριῶν ἡμιωβολίων, hoc est, XII. χαλκῶν, quantorum octo est obolus Atticus. Sed Tarentinis νοῦμμος erat argenteus, cui incusus erat Taras Neptuni filius delphino insidens: cujusmodi multos vidimus hodie drachmæ pondere, si bene memini. Apud Suidam: Τὸ Τάλαντον δὲ τὸ νῦν λεγόμενον Ἀττικὸν, παρὰ Σικελιώταις τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν μνῶν κδʹ, νῦν δὲ ιβ. Legendum νούμμων κδʹ. Quæ mendosa lectio imposuit doctissimo Agricolæ pag. 296. *Siculum*, inquit, *vetus; fuit quatuor & viginti minarum*. Itaque Talentum Siculum erat CXLIV. χαλκῶν, XVIII. obolorum, trium drachmarum Atticarum. Quod & Festi auctoritate comprobatur; apud quem legimus: *Alexandrinum* (Talentum) XII. *denarium: Neapolitanum sex denarium: Syracusanum trium denarium: Rheginum victoriati*. Atque ita Talentum Siculum erat ἀνάλογον Libræ Romanæ, quatenus, ut diximus, in duodecim νούμμους tribuebatur, ut Libra Romana in totidem uncias: cujus partibus longe convenientius respondebat Λίτρα. Nam & Libra est nomen Siculum, quod ipsis Λίτρα dicebatur: & Uncia, Sextans, Quadrans, Triens, Dextans sunt plane Sicula nomina. Et Λίτρα non erat nummus; sed ὁλκὴ, ποσότης, ἄθροισμα. Ejus duodecima pars dicebatur οὐγκία, duodecimæ duæ ἑξᾶς, tres τετρᾶς, quatuor τριᾶς, quinque duodecimæ πεμπτούγκιον, dimidium ἡμίλιτρον, septem duodecimæ ἑπτάγκιον, vel ἑπτούγκιον: & sic deinceps. Quare Uncia non est Romanum, sed Siculum, ut Sextans, quod est ἑξᾶς, ἑξάντος: prius dictum ἑξάεις, & postea ἑξᾶς: ut quod aliis φωνήεις, τιμήεις, αἰγλήεις, Siculis & Doribus omnibus φωνᾶς φωνᾶντος, τιμᾶς τιμᾶντος, αἰγλᾶς αἰγλᾶντος. Pollux *libro* IV. postquam docuit Λίτραν esse verbum Siculum, & Doriensium, subjicit: Ἀριστοτέλης δὲ ἐν μὲν Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ προειπὼν, ὡς ἐζημιοῦντο πεντήκοντα λίτραις, ἐπάγει· Ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖον. ἐν δὲ Ἱμεραίων πολιτείᾳ φησὶν, ὡς οἱ μὲν Σικελιῶται τοὺς δύο χαλκοῦς ἑξάλιτρα καλοῦσι, τὸν δὲ ἕνα οὐγκίαν. *Aristoteles*, inquit, *duos æreolos a Siculis* ἑξάλιτρα *vocari perhibet; unum autem* οὐγκίαν. Mirum vero genus loquendi, ἑξάλιτρα vocari, pro sexta parte τῆς λίτρας, quod Ἑλληνικώτερον diceretur ἑκτημόριον τῆς λίτρας. Mirum, inquam, genus loquendi; sed quod exemplo non caret. Nam quo modo dicitur τριτομηνὶς ἡ τρίτη τοῦ μηνὸς, eodem dicendum esset ἑκτήλιτρον. Nam ἑξάμηνον sunt *sex menses*; & ad hanc analogiam ἑξάλιτρον essent *sex libræ*, non sexta pars libræ. Et τρίμηνον sunt *tres menses*, τριτομηνὶς *tertia pars mensis*. Sed error est in codicibus Pollucis, & legendum, τοὺς δύο χαλκοῦς ἑξᾶντα καλοῦσι; quod postea demonstrabimus. Sequitur, τὸν δὲ ἕνα οὐγκίαν, τοὺς δὲ τρεῖς τριάκοντα. Sane τριάκοντα non est verbum Siculum: neque ullo modo efficies, ut τριάκοντα sint τρεῖς χαλκοῖ. In *libro* IX. hæc fere repetuntur: Καὶ μὴν ἐν τῇ Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ φησὶν Ἀριστοτέλης ζημιοῦσθαί τινα τριάκοντα λίτρας. δύνασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν Αἰγιναῖον. ἀλλὰ μέν τοι παρ' αὐτῷ ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα εὕροις Σικελῶν ὀνόματα οἷον οὐγκίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα· καὶ ἓξ τάλαντα, ὅπερ ἐστὶ δύο χαλκοῖ· καὶ τρία τάλαντα, ὅπερ τρεῖς· καὶ ἡμίλιτρον, ὅπερ ἕξ· καὶ λίτραν, ὅπερ εἶναι ὀβολόν. Quod hic dicitur, tres æreolos, sive tres uncias vocari τρία τάλαντα, supra *libro* quarto dicit vocari τριάκοντα. Atqui, ut diximus, neutrum est verbum Siculum; & præterea τρία τάλαντα non est unum verbum; sed duo. Legendum igitur: καὶ τριᾶντα, ὅπερ τρεῖς. Hesychius: Τριάντος, πόρνη λαμβάνουσα τριάκοντα· ὅ ἐστι λεπτὰ εἴκοσι. Legendum omnino: Τριαντὶς, πόρνη λαμβάνουσα τριᾶντα· ὅ ἐστι λεπτὰ εἴκοσι. Sed errat Pollux, qui τριᾶντα putat esse τρεῖς χαλκοῦς: quum dictum sit, non a numero duodecimarum, sive unciarum, sed a numero partium, quæ metiuntur duodenarium numerum, quæ sunt I. II. III. IIII. VI. hoc est, uncia, sextans, quadrans, triens, semis. Quod autem ἡ πόρνη, quæ mercedem acciperet τριᾶντα, dicta sit ab eo τριαντὶς, ἀνάλογον est ei, quod apud Pollucem legitur: πόρνην, quæ στατῆρα mercedem acciperet, στατηρίδα dictam esse a Theopompo Comico ἐν Καλλαίσχρῳ·

Οὔ φησιν εἶναι τῶν ἑταιρῶν τὰς μέσας
Στατηρίδας. ——

Aliter στατηρίδιαι dicebantur. Nam στατηρίδιον est στατῆρος ἄξιον, ut δραχμίδιον δραχμῆς. Rursus apud Hesychium: Τετρᾶντα, τετράγωνόν τι σχῆμα· δηλοῖ δὲ καὶ τοὺς τέσσαρας χαλκοῦς. Idem error, qui Pollucis. Non enim Τετρᾶς quatuor duodecimas significat, sed quartam partem de duodecim. Non est tamen error, quatenus est ἰδιωτισμός. Ita enim loquebantur vulgo: atque eam κατάχρησιν cernere est apud Vitruvium, *libro* X. *cap.* XI. qui divisionem in partes quatuor & octo, vocat tetrantes, & octantes. *In capitibus circino dividuntur circinationibus eorum tetrantibus in partes quatuor, vel octantibus in partes octo ductis lineis*. Vides quadrati & octogoni designationes in circulo ἰδιωτικῶς καὶ καταχρηστικῶς vocari tetrantes, & octantes: quod profecto idem est, quod Hesychius dixit, τετρᾶντα, τετράγωνόν τι σχῆμα. Item: Τετραντίας, τετράγωνος, καὶ ἰσχυρός. Tetrantes igitur, trientes, octantes sunt verba Sicula. Nam ὀκτᾶντα eadem analogia efferre possumus, ut τετρᾶντα, ἑξᾶντα, τριᾶντα. Quincuncem vero vocabant, quo modo & Romani, πεμπτούγκιον. Nam πέμπε illis est πέντε. Epicharmus: Ἦρ αἱ * μαντεῖαι, αἵθ' * ὑπονέμοντι γο-

ναῖκες μέρος αὖ πεμπέγκιον ἀργύρειον, ἄλλη δὲ λίτραν, αἳ δ' αὖ ἡμίλιτρον δεχόμεναι. Lege: *Ἦρ αἱ μὲν τριᾶνθ', αἳ δ' ὑπονεμόμεναι.* Idem: *Ἔχω γὰρ τὸ βαλάτιον λιτροδεκάλιτρον ἑξάγγιόν τε καὶ πεντάγγιον. πεντάγγιον* dicit, quod ſupra *πεμπέγγιον*: *ἑξάγγιον* autem, quod ibidem *ἡμίλιτρον*. Rectum enim erat *πενταύγκιον, καὶ ἑξαύγγιον*.

Quibus animadverſis manifeſtum eſt Romanos a Siculis in re nummaria multa accepiſſe. *Nummum, unciam, ſextantem, quadrantem, trientem, libram*: non autem Siculos a Romanis, ut falſo crediderit vir ſummus Georgius Agricola. Nam & Varronis auctoritate ſummoveri poteſt; qui ita ſcribit: *In argento* NUMMI: *id eſt a Siculis*. Pollux: *Ὁ δὲ Νοῦμμος δοκεῖ μὲν εἶναι Ῥωμαίων τοὔνομα τοῦ νομίσματος· ἔστι δὲ Ἑλληνικὸν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ ὁρίων.* (*Δωριέων* legendum) quæ Agricolæ adverſantur. Sane quæ partes metiuntur Aſſem, I. II. III. IIII. VI. uncia, ſextans, quadrans, triens, eæ omnino ſunt a Siculis. Quincunx, ſeptunx, eæ quoque imitatione eorundem dicebantur, *πεμπέγκιον, ἑπτέγκιον*. BES, & DODRANS hactenus originem ſuam non produnt. Beſſem quidem ſcimus compoſitum eſſe, & poſterius membrum eſſe ab Aſſe. Veterum hic mos fuit, ut aſſem ſive integritatem trifariam ſecarent, quas Græci *μοίρας* vocant. Homerus:

> *Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε, παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ*
> *Τῶν δύο μοιράων.* ——

δύο μοίρας illas *δίμοιρον* vocabant, Latini Beſſem: quod prius Dueſſem; ut Duellum, Bellum: Duonum, Bonum. Quia enim ex uno aſſe tres fecerant, ideo duos aſſes vocabant illas duas partes. Dodrans mire deficit ab origine ſua. Nam ut Dextans dicitur pro Deſextans, ita Dequadrans prius dicebatur, cui quadrans deerat ad duodecim. Dequadrans igitur prius, poſtea Dodrans, mira detorſione. De, ut omnes ſciunt, eſt *στερητικὸν μόριον*: ut Demens, qui mentem non habet: ſic Deſextans, qui ſextantem non habet, ad complendum duodenarium; Dequadrans, cui deeſt quadrans. Poſtea Dodrus & Dodralis ſumptum pro novenario; ut apud Auſonium:

> *Δόδρα πότος καὶ ἀριθμὸς ἔχω μέλι, οἶνον, ἔλαιον,*
> *Ἄρτον, ἅλας, βοτάνην, ζωμὸν, ὕδωρ, πέπερι.*

& Latine Dodralis potus vocatur apud eundem Auſonium. Deuncis aperta eſt originatio. Sed mirum Deuncem *Iabuſſem*, aut *Labuſſem*, ut quædam exemplaria habent, dici a Beda; ab Arnobio *Dibuſſem*. Video quidem poſterius membrum ex Aſſe, ut Beſſem. Sed ut reliquum ignoramus, ita a putidis conjecturis calamum continebimus. Jam Litræ Siculæ valorem deprehendere non admodum operoſum, quandoquidem Ariſtoteles *λίτραν* ſcripſit *δύνασθαι ὀβολὸν Αἰγιναῖον*. Obolus autem Ægineticus ad Atticum habebat rationem, quæ dicitur a priſcis Latinis beſaltera: id eſt, ſolidum cum beſſe, ut X. ad VI. Obolus Atticus erat *χαλκῶν*, ſive æreolorum octo. Ergo obolus Ægineticus, qui & Corinthiacus, erit æreolorum XIII. cum triente. Sic drachma Æginetica erat obolorum Atticorum decem. Sed repugnat Diodorus, qui ait *Δημαρέτιον* nummum aureum valuiſſe decem drachmis Atticis, & *ἀπὸ τοῦ σταθμοῦ* vocatum vulgo a Siculis *πεντεκοντάλιτρον*. Quod ſi *λίτρα* eſt *Αἰγιναῖος ὀβολὸς*, in quinquaginta *λίτραις*, ſive obolis Ægineticis, erunt oboli Attici $83\frac{1}{3}$. quæ ſunt drachmæ Atticæ fere 14. non 10. nam X. drachmæ Atticæ ſunt 36. *λίτραι* Siculæ: quæ multum abſunt a L. Contra, ex verbis Diodori *lib.* V. *λίτραι* eſſet drachma Attica. Uncia autem paulo majuſcula erit æreolo. Quemadmodum autem apud Atticos, & alias Græciæ gentes in argento non erat *ἄθροισμα* majus Talento; ita apud Siculos in ære minus *ἄθροισμα* erat *τὸ δεκάλιτρον*, majus *τὸ λιτροδεκάλιτρον*: ultra illud nullum majus æris vocabulum erat. *Τὸ δεκάλιτρον* quidem erat æreolorum CXXXIII. & trientis: *τὸ λιτροδεκάλιτρον* autem MCCCIII. & trientis, paulo plus quam obolorum Atticorum CLXVI. drachmarum Atticarum XXVIII. non ſolidarum: quod Græce diceretur *δραχμῶν κη' βραχέων*. In hoc quoque etiam Siculos Romani ſecuti ſunt: apud quos modicum *ἄθροισμα* eſt DECUSSIS, maximum CENTUSSIS. Varro: *Quod primum eſt ab decem aſſibus* DECUSSIS. *Secundum ab duobus decuſſibus* VICESSIS. *Reliqua conveniunt: ut* TRICESSIS *pro portione, uſque ad* CENTUSSIS, *quo majus æris proprium vocabulum non eſt*. As igitur Romanis, ut *λίτρα* Siculis, eſt ſolidum quid, & integritas, non ſolum in re nummaria, ſed etiam in magnitudinibus; ut hereditas, & pes: quia & hereditas in duodecim partes, & pes in duodecim pollices dividitur; quæ partes tam hereditatis quam pedis, Unciæ vocantur. Nam pedis diviſio duplex eſt, & eodem utraque recidit. Dividitur enim in ſexdecim digitos, itemque in duodecim uncias, qui ſunt pollices: & hæc diviſio fortaſſe dicitur monetalis, quia As & Uncia ſunt monetariorum verba. Legimus in libris *de Limitibus agrorum*: *Item dicitur in Germania in Tungris pes Druſianus, qui habet monetalem pedem, & ſeſcunciam*. Vides, quando pes dividitur in uncias, pedem monetalem dici. Nam Unciæ ſunt Pollices, ut apud Vegetium. Inde etiam Hieronymo Unciales literæ, id eſt, Pollicares. Pes igitur ille Druſianus major eſt Romano ſeſcuncia. Fuit enim XXII. digitorum, quantorum ſexdecim eſt pes Romanus. Ex quo colligimus pedem Druſianum omnino eſſe eum, qui hodie in Gallia & Belgio in uſu eſt: qui profecto major eſt ſex digitis, quantorum XVI. eſt pes, qui Romæ in hortis Angeli Colotii ſcalptus in ſaxo viſitur. Eum enim nos cum pede Gallicano comparantes id veriſſimum eſſe deprehendimus: Pollices igitur uncias vocabant, ut ex Vegetio & Hieronymo docuimus. Et in Aquitania & majori parte Galliæ adhuc digiti vocantur unciæ. Hinc Plauto Copulæ ſeſcunciæ, vel, ut tunc loquebantur, ſecunciæ, hoc eſt, ſeſquipollicari craſſitudine: nimirum *χειροπέδαι τριημιδακτυλιαῖοι τὸ πάχος*. In Plauti *Epidico* in optimo exemplari ſummi viri Joachimi Camerarii ita legebatur:

> —— *nam per urbem duo defloccati ſenes*
> *Quæritant me: in manibus geſtant copulas ſecum ſuas.*

ubi *ſecuncias* manifeſto legendum: quod alii dicunt ſeſcuncias; ut ſexdecim, ſedecim; treſdecim, tredecim; ſedecimus, ſexdecimus in *Vita Virgilii*. Itaque Pondo, & As, erat pes: & Dupondius Columellæ duo pedes; aut bipedalis menſura. Inde hic ſeſquis, hoc ſeſqui, *ὁ ἡμιόλιος, τὸ ἡμιόλιον*, quod eſt SEMIS CUM ASSE. Compoſita cum nomine As varie deſinunt; Octuſſis, Octas; Seſcuſſis, Seſquas. In Gloſſis: *Seſquas, ἓν ἥμισυ ἀσσάριον, χαλκοῖ ἕξ*. Didymus: *Τὸ δὲ* CHCKOYAC *σύνθετόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ* CH, *καὶ τοῦ* KOYM, *καὶ τοῦ* AC, ACCIC. *καὶ ἔστιν ἥμισυ σὺν ἀσσαρίῳ. τοῦτ' ἔστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον.* As, & Aſſarius, idem eſt: ſed alterum ſubſtantivum, alterum adjectivum: quod quum dicimus Aſſarius, intelligitur nummus, ut Denarius, & Seſtertius: ſem-

ſemper enim de nummo *κατηγορεῖται*. Græcis vero ſemper neutro genere, *τὸ δηνάριον, τὸ ἀσσάριον, τὸ σηστέρτιον*. Sic Dupondium & Dupondius pro eodem quum dicerent, Dupondius nummus intelligitur. At Dupondium eſt ſubſtantivum. Quia vero initium pecuniæ in ære, propterea omnis ratio nummaria Æris nomine appellata. Nam ÆS pro Aſſe. Varro: *Pro aſſibus nonnunquam ÆS dicebant Antiqui: a quo dicimus aſſem tenentes*: HOC AB ÆRE ÆNEAQUE LIBRA: & MILLE ÆRIS LEGASSE. Numquam Æs pro Aſſe dictum. Nam quod dicitur HOC AB ÆRE, id eſt, raudusculo, quod quum mutatum eſſet in aſſem, retinuit nomen æris, ſive raudusculi. Et Martialis merito reprehendendus:

Amphora vigeſſi, modius venit ære quaterno.

æs quaternum, ſunt quatuor aſſes. Et vini amphoræ precium quintuplum ad frumenti modium eſse ſignificat. Et tamen ad iſtud exemplum non dixeris argento quaterno, auro quaterno: quia argentum & aurum, pro collectione nummorum, non pro ſingulari nummo, ſumitur: Æs vero pro utroque. Nam Mille æris, eſt collectivum; Ære quaterno, eſt ſingulare. Sed hoc ſolus Martialis uſurpavit. Athenis omnis pecunia *χαλκίον* vocabatur, ut docet Pollux. Sic Romanis Æs eſt omnis pecunia:

—— *meo ſum pauper in ære.*

Inde *ἀχαλκεῖν* eſt pecuniam non habere. In Epigrammate:

—— *εἴτις ἀχαλκεῖ,*
Μηκέτι πεινάτω θεὶς τὸ χιτωνάριον.

Nummus aureus Athenis ſemper dictus fuit *Στατὴρ* antiquitus. Nam poſterioribus temporibus *Στατὴρ* pro tetradrachmo acceptus eſt. Tetradrachmum igitur argenteus nummus erat, *Στατὴρ* aureus, pondere duarum argentearum drachmarum, valore viginti. Zonaras: *Παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν εἴκοσι δραχμῶν τὸ χρυσοῦν ἀλλάττεται νόμισμα.* Lyſias *ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων* ait quinque millia ſtaterum, decem millia drachmarum, tria talenta, item decem, & ſeptem talenta omnia ſimul conficere talenta XL. Sane ſumma omnium, præterquam ſtaterum, conficiunt drachmarum centum triginta millia: quæ ſi de ducentis quadraginta millibus drachmarum, quot nimirum ſunt in talentis XL. deducantur, relinquentur centum decem millia drachmarum; quæ diviſa per quinque millia ſtaterum, relinquent ſtaterem drachmarum XXII. Sed *ὁλοσχερῶς* hæc dicta ſunt, non *ἀκριβῶς*. Dixit enim *τετταράκοντα* Talenta eſse, ſed *περὶ τετταράκοντα*. Heſychius: *Δραχμὴ χρυσίου, ὁλκὴ νομίσματος, εἰς λόγον ἀργυρίου διδράχμων ί.* Idem Suidas repetit. Drachmam auream ait eſse non nummum, ſed pondus viginti drachmarum argenti. Sed ea eſt *ὁ στατήρ*. Nam *δραχμὴ χρυσίου* proprie erat decem drachmarum argenti. Idem, *Χρυσοῦς. Πολέμαρχος δύνασθαι φησὶ τὸν χρυσοῦν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς δραχμὰς δύο· τὴν δὲ τοῦ χρυσοῦ δραχμὴν, νομίσματος ἀργυρίου δραχμὰς δέκα. Μνᾶν δὲ λέγεσθαι τοὺς πέντε χρυσοῦς.* Hic igitur apertius quam priore loco, ait Drachmam auri valere drachmis decem argenti. Ideo Mina erat decem drachmarum auri, ſtaterum autem quinque, quos vocat *πέντε χρυσοῦς*. Daricum eundem eſse cum ſtatere, nemo dubitat; & Harpocratio oſtendit: *Λέγουσι δέ τινες δύνασθαι τὸν Δαρεικὸν ἀργυρᾶς δραχμὰς ὀκτώ· ὡς τοὺς πέντε Δαρεικοὺς*

A *δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίου*. Et mediocriter peritus cenſuerit legendum *δραχμὰς κ'*. non *ή*. Quæ ſimilitudo in libris ſcriptis ſit inter *κ* & *η*, non eſt monendum. *Τρισχίλιοι Δαρεικοὶ* Xenophonti ſunt *δέκα τάλαντα*. Talentum autem 6000. drachmæ. Ergo *Δαρεικὸς* ſunt 20. drachmæ. Auri enim poteſtas ad argentum decupla erat tam in re nummaria, quam ponderaria. Pollux, quod & ab aliis citatur: *Τὸ δὲ χρυσίον, ὅτι τοῦ ἀργύρου δεκαπλάσιον ἦν, σαφῶς ἄν τις ἐκ τῆς Μενάνδρου παρακαταθήκης μάθοι· προειπὼν γάρ·*

Ὁλκὴν ταλάντου χρυσίου σοὶ, παιδίον,
Ἔστηκα τηρῶν· ——

B *ἐπάγει μετὰ ταῦτα περὶ τούτου λέγων·*

Μακάριος ἐκεῖνος δεκατάλαντον καταφαγών.

Talentum auri, decem talenta vocat. Polybius ſuper fœdere Ætolico: *Διδόντες τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου, χρυσίου μνᾶν*: quod Livius vertit: *Dum pro argenteis decem aureus unus valeret*: ubi *τὸ pro* abundat. Ita loquitur Plinius: alioquin eſt barbariſmus, Nummus aureus valet pro decem drachmis. Drachma igitur auri eſt decem drachmarum
C argenti. Hanc drachmam Anaxandrides Comicus *Ἡμιχρυσοῦν* vocat; Plautus NUMMUM: Siculi *Δημαρέτιον νόμισμα*. Neque Nummus abſolute apud Plautum poſitus, aliter accipiendus. Ut in *Pſeudolo* cocus ait:

Illi drachmis iſſent miſeri: me nemo poteſt
Minoris quiſquam nummo, ut ſurgam, ſubigere.

En hic plus eſt Nummus, quam aliquot drachmæ. Nam, ut putamus, quotidiana coqui merces erat *τετράδραχμον*: ut illius apud Athenæum.

—— *ἀλλὰ διὰ τὰς τέτταρας*
Δραχμὰς ἀποβαλῶ, φησὶ, τὴν προαίρεσιν.

D In *Aulularia* quoque cocus quum dicit:

Nummo ſum conductus; plus jam medico mercede eſt opus.

Ibi quoque Nummus eſt merces coqui decem argenteæ drachmæ, aut *ἡμιχρυσοῦς*, ut Anaxandrides vocavit. In *Menæchmis* porci ſacres nummo præſtinantur. Quod ſi nummi nomine drachma, aut nummus ſeſtertius intelligeretur, quam ridiculum eſset porculos adultiores, drachma, aut minoris venire? Sed apud Ariſtophanem porci ſacres tribus drachmis indicantur:

Εἰς χοιρίδιον δάνεισόν μοι τρεῖς δραχμάς.

Gloſsa apud Suidam: *Ἐπὶ τῶν μελλόντων ἀποθνήσ-*
E *κειν, ἢ μυεῖσθαι· ἐπεὶ οἱ μυούμενοι χοῖρον ἔθυον.* In *Perſa*.

Quid igitur? ſexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt?

Sexaginta minas, quot ſcilicet puella vendita fuit, ſexcentos nummos vocat: hoc eſt, ſexcentas drachmas auri, quod eſt talentum Atticum. Drachma enim auri eſt decima pars Minæ argenti. In *Truculento* ſervulus, qui una mina argenti opſonaverat, quinque autem ad herilem amicam defert, ait ſeſe de ea mina, qua obſonaverat, partem Herculaneam reliquarum quinque minarum detraxiſse quinque nummos. Pars Herculanea, eſt decuma: & proinde decuma de quinque minis, ſive quingentis drachmis, ſunt drachmæ
F quinquaginta, quas ipſe nummos quinque vocat. Ergo quinque illi nummi ſunt *πέντε δραχμαὶ χρυσαῖ*, aut *πέντε ἡμίχρυσοι*: quæ eſt Herculanea pars earum quinque minarum argenti, quas ad meretriculam deferebat, nimirum quinquaginta drachmæ, quas de mina, qua obſonaverat, detraxit: ut quinquaginta drachmis duntaxat obſonaverit; reliquas quinquaginta furatus ſit. Hinc

quod in *Persa* leno queritur de sexaginta minis, nummos sibi detractos duos; intelligendum nimirum de sex millibus drachmarum viginti drachmas delibatas esse. Neque aliam ob caussam *Trinummo* fabulæ nomen factum credas, quam ob τρίδραχμον χρυσίου, quæ sunt drachmæ argenti xxx. In *Mostellaria*.

> *Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri*
> *Isti, qui trium nummorum caussa subeunt sub*
> *falas?*

Memineris te legere palliatam argumenti Attici. Nihil enim hic Romanum est; quod putarunt viri eximie docti, colligentes ex Polybio διώβολον. Atqui διώβολον non sunt tres asses. Sermo est igitur de illis militibus Atticæ terræ, quibus drachma in stipendium diurnum procedebat: ut menstruum stipendium fuerit triginta drachmarum argenti, quæ sunt drachmæ auri, sive ἡμίχρυσοι, hoc est, nummi Plautini, tres. Thucydides de Atheniensibus: Δραχμὴν γὰρ τῆς ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανεν: & in extraordinario stipendio idem ponit διδράχμους ὁπλίτας: qui sane sunt, qui διδραχμιοπλῖται Polluci *libro* quarto, *capite* altero & vigesimo, in fine: ubi etiam quidam milites Comica vernilitate dicuntur τριακοντωδραχμόπυργοι, a triginta drachmis argenti menstrui stipendii; & Falis, quas, ut Plautus indicat, subibant: ut dubium non sit, quin Plautus ab eodem Comico illa desumpserit. In istis Plautinis versibus de stipendio Romani militis intelligere, est toto cœlo errare. Polybius enim Plauto ætate inferior scribit sæculo suo militi Romano διώβολον diurnum stipendium fuisse; qui est triens denarii: ita ut militi menstruum stipendium esset drachmæ decem, qui est nummus Plautinus. Qui vero hoc putant, non cogitarunt nummum absolute positum apud Plautum esse drachmas decem; argenti autem mentione adjecta, esse drachmam: ut in *Pseudolo*:

> *Nimis miser sum: nummum nusquam reperire*
> *argenti queo.*

hoc est drachmam argenti: ut in *Epidico*:

> *Locare argenti nemini nummum queo.*

In *Rudente* vero expressit:

Nummioctingenti aurei in marsupio insuerunt. Ibi sunt ἡμίχρυσοι, & drachmæ auri. Et in *Epidico* plane Ἑλληνικῶς dixit *auream*, hoc est, drachmam: ut Comicus, unde accepit, χρυσοῦν.

Non meministi me auream ad te adferre natali die? οὐ μέμνησαι χρυσοῦν σοὶ προσφέρεσθαι ὑπ' ἐμοῦ ἐν τοῖς γενεθλίοις σου; Nummos enim adferri herilibus filiis natalibus diebus a servulis, nemo ignorat. Et aliquid de hoc more delibatur in *Phormione*, scena, *Amicus summus meus, & popularis, Geta.* In *Epidico*:

> *Redde igitur, quot minis emit?* TH. *Tot: quadraginta minis.*

(*Tot*: digito notavit quadraginta, ex Computo manuali, quem docet Beda)

> *Id adeo argentum ab Danista apud Thebas*
> *sumsit fœnore:*
> *In dies, minasque argenti singulas, nummis.*
> Ep. *Papæ!*

Unius literulæ commutatione tota sententia perturbata. Legendum,

A *In dies, minasque argenti, singulis nummis* — id est, drachmis auri. Immanis, & inusitata, ac vere lenonia usura, quæ in duodecim mensibus consurgebat ad 14400. drachmas, quæ sunt CXLIV. minæ. Singulæ enim minæ in annum reddunt tantum XII. drachmas: ac proinde ex XL. minis annuæ redeunt CCCCLXXX. drachmæ: quæ est trigesima pars hujus lenonii fœnoris: ut merito servus exclamaverit, *papæ!* Nam in XII. diebus leno lucratur, quod CCCXXX. ex legitimo fœnore sperare jus sinebat. Atque hæc satis de nummo Plautino tam argenteo quam aureo. Sed ad στατῆρα, unde deflexîmus, revertendum. Et errant
B qui apud Plautum nummum interpretantur στατῆρα. Nam στατὴρ, ut diximus, est duplus nummi Plautini: erat enim pondere διδράχμου: nummus autem Plautinus δραχμὴ χρυσοῦ, quod Syracusanis dicebatur Δημαρέτιον. Στατὴρ, ut diximus, apud veteres Atticos erat nummus aureus valens drachmis argenti viginti. Nam argenteus στατὴρ, non hoc, sed τετραδράχμου nomine vocabatur. Στατὴρ dictus est ἀπὸ τοῦ ἱστάναι, quod est *ponderare*; quemadmodum Siclus Hebræis, qui erat ἰσοδύναμος τῷ στατῆρι τετραδράχμῳ, similiter dictus ab eo verbo, quod Hebraice ἱστάναι, & *ponderare* significat. Hoc enim est שקל. Et quemadmodum He-
C bræis Siclus pondus momentaneæ lancis dicitur, ita etiam στατὴρ Atticis, qui aliter Μνᾶ. Pollux: Ο δὲ (χρυσοῦς) στατὴρ μνᾶν ἠδύνατο. Dele vocem χρυσοῦς inclusam virgulis. Planissimus sensus relinquitur: Ο δὲ στατὴρ μνᾶν ἠδύνατο. Καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσταμένοις τὴν μιᾶν τῆς ῥοπῆς στατῆρα ὀνομάζουσιν. Designat enim Μνᾶν duplicem esse: alias enim ῥοπὴν, sive lancis momentaneæ pondus; alias νόμισμα significari, & quidem ῥοπὴν illis versibus Eupolidis:

> —— ὅτ' ἦν μέν τοι νεώτερος, κρόκης
> D Πέντε στατῆρας εἶχε ναὶ μὰ τὸν Δία.
> Νῦν δὲ ῥύπου γε δύο τάλαντα ῥᾳδίως.

In his senariis citandis multum hallucinatur summus vir Budæus, cui vox obreptitia χρυσοῦς imposuit. Nam tam στατὴρ, quam τάλαντον notionem ῥοπῆς habet, hoc est, non νομίσματος, sed ponderis. Inde πεντεστάτηρον, id est, πεντάμνουν. Hippocrates Comicus παρακαταθήκῃ·

> Οπαν γὰρ, οἶμαι, λευκὸς ἄνθρωπος, παχὺς,
> Αργὸς λαβῃ δίκελλαν, εἰωθὼς τρυφᾷν,
> Πενταστάτηρον, πνίγεται τὸ πνεῦμ' ἄνω.

Ita enim castigandi hi senarii apud Pollucem. Ibi
E πενταστάτηρος δίκελλα est πεντάμνους: quod nimirum, ut ait Pollux, στατὴρ & μνᾶ in re ponderaria sint idem. Itaque recte apud Hesychium: Τετραστάτηρον, τὸ τετράμνουν: in nummaria immane quantum discrepant. Sed quod Comicus dixit πενταστάτηρος composito verbo, id simplici quoque dicebatur στατίδιος: quod Hesychius interpretatur πεντάμνουν: quia pondus quoddam dicebatur Στάτος. Idem Hesych. Στάτος, σκάφη. ἄλλοι δὲ τὰς πέντε μνᾶς. Τάλαντον autem νομίσματος duplex erat, τάλαντον χρυσίου, καὶ τάλαντον ἀργυρίου: alterum quidem τριῶν χρυσῶν, sexaginta drachmarum argenti: alterum sexaginta minarum, sex millium dra-
F chmarum argenti. Pollux: Ηδύνατο δὲ τοῦ χρυσίου τὸ τάλαντον τρυσεῖς Αττικοὺς, τὸ δὲ τοῦ ἀργυρίου ἑξήκοντα μνᾶς Αττικάς. In Etymologico ex veteribus Scholiis *Iliados*: Ηδύνατο καὶ τάλαντον χρυσοῦς τρεῖς. Philemo:

> —— ἣν δύο λάβῃ
> Τάλαντα, χρυσοῦς ἓξ ἔχων ἀποίσεται.

Duo talenta sex aureas drachmas vocat: nam ἓξ χρυσοῦς dicit, quod alii χρυσοῦς τρεῖς. Addit Grammaticus ex *Lexico in Iliadem Homeri*: ΤΑΛΑΝΤΑ.

τὰ νῦν λεγόμενα παρ' Ἀττικοῖς ἑξακισχίλια. Intelligit Scholia illa brevia Homeri, in quibus hodie ita legitur, Ἰλιάδος ι'

Ἑπτ' ἀπύρυς τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα.

τὺς νῦν παρ' Ἀττικοῖς λεγομένυς ἑξακισχιλίυς στατῆρας. Sane omne talentum Atticum est ἑξακισχίλιον: quod si aliquod aureum talentum, ut vult ille Scholiastes, est sex millium drachmarum, ii fuerint χρυσοῖ trecenti. Sed id ridiculum esset, quum decem talenta cum septem tripodibus æneis conferantur, qui nullo modo possunt decem talentorum ἑξακισχιλίων æstimari. In eum locum Homeri Eustathius non dubitat olim Atheniensibus fuisse τάλαντον ἑξακισχιλίων στατήρων. Quod est ineptum. Virgilius tamen hunc locum Homeri in animo habens, intellexit de vero talento:

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.

Et alibi:

—— *argenti magnum dat ferre talentum.*

Sed Hero Alexandrinus Mathematicus τάλαντον Homericum falso interpretatur Δαρεικόν. Τὸ δὲ παρ' Ὁμήρῳ τάλαντον ἴσον ἐδύνατο τῷ μετὰ ταῦτα Δαρεικῷ. Ἄγει ἦν τὸ χρυσῦν τάλαντον Ἀττικὰς δραχμὰς δύο, γράμματα ϛ' * τέταρτας δηλαδὴ τέσσαρεις *. Sed χρυσῦν τάλαντον dixit, quod χρυσῦ dicendum erat: χρύσεια τάλαντα sunt lances ponderariæ, aut libra momentanea: χρυσῦ τάλαντα, est νόμισμα. Creberrima mentio Magni Talenti apud Plautum, Virgilium, & Terentium, alios. Et tamen, quod mireris, nunquam Græci μεγάλυ ταλάντυ meminerunt. Hoc, inquam, satis mirari non possum. Sed antequam de Magno Talento agamus, hoc ad viam præmuniendam dicendum nobis est. Numerus aut absolutus est, quod Græci vocant ἀπαρτιλογίαν, item ἀπηρτισμένην ψῆφον: aut aliquid ei deest, aut superest. Aliter ἀπηρτισμένος ἀριθμὸς dicitur, quando Millenarii, relictis paucis Centenariis, aut Centenarii neglectis summulis excurrentibus, usurpantur: ut Lysiæ χίλιοι, pro χίλιοι διακόσιοι. Harpocration in *vocibus* χίλιοι διακόσιοι. Λυσίας δὲ ἐν τῷ πρὸς Κλινίαν, & Ἰσαῖος ἐν τῇ ὑπὲρ Νικίυ συνηγορίᾳ τῷ ἀπηρτισμένῳ ἀριθμῷ ἐχρήσαντο, χιλίυς εἰπόντες. Vulgo vocatur Numerus rotundus. Hoc secutus Pollux Talentum Babylonium dixit habere ἑπτακισχιλίας δραχμὰς, quum tamen haberet, δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς, hoc est, ἑπτακισχιλίας καὶ διακοσίας δραχμάς. Ælianus ποικιλ. α'. κβ'. Talentum & Mina sunt numerus, & collectio pecuniæ, non species nummi. Quæ igitur constabant numero, non specie, eorum summa nunc integra præstabatur, nunc major, nunc minor. Quod enim Talentum non semper eodem numero daretur, fidem fecerint verba Livii in fœdere Antiochi: *Talentum ne minus pondo octoginta, Romanis ponderibus pendat.* Si eadem summa Talentum semper fungeretur, non opus erat præstituere modum illius. M. Seneca *Controversia* v. lib. x. *Asinius, qui bellum cum omnibus Atticis gerebat, quum donaret illi Cæsar talentum, in quo* XXIV. *sestertia sunt Atheniensium more*, ἢ πρόσθες, φησὶν, ἢ ἄφελε, ἵνα μὴ Ἀττικὸν ᾖ. Quia Talentum Atticum erat precise VI. millium; Asinius autem Atticos ita oderat, ut nihil, quod Atticum morem referret, amare posset, jubebat Talento Attico aliquid addi, aut ei aliquid detrahi. Et tamen semper vocabatur Talentum, sive quid illi deesset, sive accessisset. Omnino quod proxime aberat a justo modo

A Talenti, aut Minæ, sive plus, sive minus esset, hoc ex illa inæqualitate non amittebat appellationem Talenti aut Minæ, perinde ac si justus ejus modus fuisset: ut in illo loco Lysiæ alibi a nobis producto ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνυς χρημάτων, viginti talenta, decem millia drachmarum, quinque millia staterum, quæ sunt drachmarum ducenta triginta millia, dicuntur esse περὶ τετταράκοντα τάλαντα, *circiter quadraginta talenta*, cum sint tantum talenta XXXVIII. drachmæ bis mille. Parva item summa, quæ supra modum justum excurrit, non magis extinguit nomen librarum, quam illa longe major, quæ deest, impedit, quo minus talenta quadraginta dicantur, in quibus trigesimo nono absolvendo desunt duo trientes, quæ sunt drachmarum quatuor millia: ut apud Demosthenem κατὰ Ἀφόβυ, centesima usura, quæ redit ex Minis LXXX. in annis duodecim, ea simul cum sorte dicitur redigi ad Talenta tria. Centesima usura minarum LXXX. in annis duodecim fiunt drachmæ 11520. quibus adde 8000. drachmas minarum LXXX. fiunt drachmæ 19520. quæ sunt talenta tria solida, & præterea excurrentes drachmæ mille quingentæ viginti. Idem pater eloquentiæ alibi ait XXX. minarum centesimam in octo annis æquari sorti. Sors sunt Minæ 3000. Usura octo annorum 2880. Desunt drachmæ CXX. Apud Anastasium 780. Talenta sedecim, quæ fiunt libræ mille trecentæ. Libræ, in quas incurrunt LXXII. argentei, de quibus intelligit Anastasius, in talenta XVI. sive argenteos 96000. distributæ dant libras $1333\frac{1}{3}$. Excurrunt libræ $33\frac{1}{3}$. Lampridius *Elagabalo*: *Nunquam cœnavit minus centum sestertiis, hoc est, argenti libris trecentis.* Centum sestertia denarii 25000. trecentæ libræ 25200. Excurrunt 200. denarii. Anastasius: Talenta sexdecim, quæ fiunt libræ mille trecentæ. XVI. Talenta sunt 96000. drachmæ: divisa per 1300. dant libram 74. drachmarum fere. Atqui 72. tantum drachmarum fuit Libra senescentis Imperii, de qua intelligit. Denique τὸ παρὰ ἧττον, aut παρὰ μᾶλλον λέγειν, non aufert, minuit, auget, aut mutat appellationes summarum maximarum. Στατὴρ, ut paulo ante vidimus, est drachmarum XX. & proinde obolorum CXX. quorum sexta pars XX. oboli. At quidem apud Cratetem Comicum in *Lamia*, dimidium sextæ partis τῦ στατῆρος, sunt octo oboli: ita ut sexta pars sint oboli XVI. & proinde στατὴρ sit tantum XVI. non XX. drachmarum. Pollux: Οἱ μὲν δὴ ὀκτὼ ὀβολοὶ, ἡμίεκτον ὠνομάζοντο, ὡς φησὶν ἐν Λαμίᾳ Κράτης.

Ἡμίεκτον ἐςὶ χρυσῦ. μανθάνεις; ὀκτὼ ὀβολοί.

Ille qui apud Comicum hoc dicit, XVI. drachmas argenti in manu habebat, quas στατῆρα vocavit, quia quatuor tantum drachmis abest a Statere: propterea ut ὁλοσχερῶς, non ἀπαρτιλόγως XVI. drachmas vocavit Staterem, ita octo obolos dimidium sextæ partis Stateris esse dixit, ut solebat fieri in summis, quæ propius abessent a justo modo Talenti, Minæ, Stateris; aut exiguo illum excederent. Errat enim Pollux, qui octo obolos putet esse τὸ ἡμίεκτον τῦ στατῆρος. Hoc enim ex occasione, non ex usu, pronunciatum est. Possem non paucos locos ex Demosthene adducere, in quibus Talenta vocantur, quæ nunc justo majora, nunc minora sunt. In vetustissimo testamento Cretensi non semel διακόσιαι δραχμαὶ dicuntur, quæ antea dicebantur διακόσιαι δέκα. Polybius interpretatur τὸ ἡμιασσάριον, τὸ τέταρτον ὀβολῦ: quum ἡμιασσάριον sit ἡμιόλιον χαλκῦ, at τέταρτον ὀβολῦ τὸ δίχαλκον. Sidonius *epistola* XXIV. *libri* IV. *Cauta centesima est fœneratori, quæ*

per biluſtre producta tempus modum ſortis ad duplam adduxit. Octennio dicit centeſimam uſuram ſorti æquari, quum tamen adhuc quatuor menſes deſiderentur. Qui *biluſtre tempus* interpretantur decennium, quantum eos decipi neceſſe ſit, nemo non videt. Nam Luſtrum Latini nunc quadriennium Julianum, nunc vetus Romanorum quinquennium intelligunt. Luſtrum enim eſt *περίοδος* temporis quantilibet. In libro Moſis, *Numerorum* III. 39. capita cenſentur 22000. quæ tamen erant 22300. Sic Romæ XXX. tribus dicebantur, quæ tamen erant XXXV. Sic LXX. Interpretes vocamus, quos dicunt LXXII. fuiſſe. Sic denique ἐν Τακτικοῖς, Πεντακοσιάρχης dicitur, id eſt, Præfectus quingentorum militum, qui tamen erant quingenti duodecim. Res igitur, quæ conſtant numero, pondere, & menſura, triplici modo uſurpantur, aut *κατ' ἀπαρτιλογίαν*, aut *κατὰ τὸ μᾶλλον*, aut *καὶ τὸ ἧττον*. Juſtus modus, ſecundum quem dicitur *ἀπαρτιλογία*, vocatur *νόμισμα*: ut in re nummaria, *νόμισμα τοῦ ἀργυρίου*: in ponderibus, *νόμισμα τοῦ σταθμοῦ*: in menſuris, *νόμισμα τοῦ μέτρου*. Suidas, Χοὸς διξέστου. Χοῦς γὰρ δύο ξέσται. Χοεὺς δὲ ἕξ. Ἀριστοφάνης·

Εἴτις κάπηλος, ἢ καπηλὶς, τοῦ χοὸς,
Ἢ τῶν κοτυλῶν τὸ νόμισμα διαλυμαίνεται,

Nam *νόμισμα* eſt quicquid in uſu poſitum eſt. Ariſtophanes Νεφέλαις·

—— πρῶτον γὰρ θεοὶ
Ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι. ——

Hinc apud Philoſtratum: *δραχμὴν εἰς Τιβέριον νενομισμένην*: hoc eſt, *εἰκόνι Τιβερίου κεχαραγμένην*, lib. I. cap. XI. *de Vita Apollonii*. Quod igitur modum non excedebat, id commodum vocabatur. Commodum talentum, commodum pondus, commoda amphora. Plautus *Aſinaria*:

Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri.

In *Mercatore*:

PR. *Numquam edepol me vincet hodie*. CH. *Commodis poſcit, pater.*

In *Rudente*:

Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena.

Auctor priſcus in fine *Notitiæ Imperii*: *Commodæ auctoritatis priſcæ monetæ*. Vitruvius *libro* IV. *cap.* II. *Sub tectis, ſi majora ſpatia ſunt, columen in ſummo faſtigio culminis, unde & columnæ dicuntur, & tranſtra, & capreoli. Si commoda, columen, & canterii prominentes ad extremam ſuggrundationem*. Hic commodum, quod juſtum modum habet. Sic Lucilio millia commoda, id eſt, juſta, quibus nihil deeſt, nihil ſupereſt:

Millia porro bis quina octoginta videbis
Commoda de Capua. ——

Nam ingens ſumma, tametſi aliquid ei deeſſet, non tamen nomen amittebat. Ideo ſolida dicebatur: ut Horatius:

Ut decies ſolidum exorberet. ——

Herodoto εὐπετὲς dicitur *libro* IV. 157. Ἑξακοσίους *ἀμφορέας εὐπετέας χωρέει τὸ ἐν Σκύθῃσι χαλκήιον*: *Sexcentas amphoras commodas capit abenum, quod in uſu eſt Scythis*. Male excuſum eſt *εὐπετέως*. Idem: Τεσσάρων *εὐπετέων δακτύλων*: *Quatuor digitum commodorum*. Itaque Heſychius *εὐπετέως* interpretatur *ἀρτίως*, id eſt, *integre*, ubi nihil deeſt ſummæ, juxta mentem Herodoti: ubi videtur legiſſe *εὐπετέως*: quod eſt vetuſtum mendum. Nam ſi *εὐπετέας δακτύλους* dixit, quid ni & *εὐπετέας ἀμφορέας*? Hoc idem ſignificat *δίκαιον*. Herodotus: Αἱ *δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαι εἰσὶ στάδιον ἑξάπλεθρον*: *Centum autem ulnæ commodæ ſtadium ſex jugerum faciunt*: quomodo apud Ciceronem juſta itinera. Apud Herodotum idem eſt *μέτριον*, *modicum*. Nam *lib.* primo: Ὁ *δὲ βασιλήιος πῆχυς τοῦ μετρίου ἐστὶ πάχεος μείζων τρισὶ δακτύλοισι*: *Cubitus regius modico cubito* (ſive *commodo*) *major eſt tribus digitis*. Unde quas commodas Minas vocat Plautus non ſemel, eas modicas alibi dicit. In *Pſeudolo*:

At me modicis multavit minis.

Et modica amphora, id eſt, commoda. Plautus:

Anus hæc ſitit: quantillum ſitit? modica eſt: quadrantal capit.

Nam per modicam amphoram intelligit juſtam, quæ XLVIII. ſextarios capit: ut contra quinquagenarium Cato dicit, quæ quinquaginta capit. Vitruvius I. I. *Ordinatio eſt modica membrorum operis commoditas*: tam τὸ commoditas quam τὸ modica ab eadem origine pendet. Theognis *μέτρον οἴνου* vocat, quod Plautus modicam amphoram, aut modicum quadrantal:

—— μέτρον γὰρ ἔχω μελινδέος οἴνου.
Οὔτε τι γὰρ νήφω, οὔτε λίην μεθύω.

Quemadmodum quod *τὸ μέτριον* excedit, dicitur *ὑπέρμετρον*, ita quod ei abeſt, vocabatur *διάμετρον*. Harpocratio: *Διάμετρον, τὸ ἐλλεῖπον ἀπὸ τοῦ δικαίως μετρηθέντος. Δείναρχος ἐν τῇ Καλλισθένους εἰσαγγελίᾳ*. Idem enim *τὸ σύμμετρον*, quod *μέτριον*. In Tacticis: *Λόχος. ἔνιοι μὲν τὸ σύστημα τὸ ἐξ ἀνδρῶν η'. οἱ δὲ τὸ ἐξ ἀνδρῶν ιβ'. οἱ δὲ τὸ ἀπὸ ις'. ἀνδρῶν πλῆθος. ὃ καὶ τέλειόν φασι, καὶ σύμμετρον*. Igitur *σύμμετρον* & *τέλειον* idem, cui nihil deeſt, neque excedit. Quod autem præter juſtam menſuram eſt, illud eſt aut *κατὰ τὸ μᾶλλον*, aut *κατὰ τὸ ἧττον*: quum plus, aut quum minus juſto eſt. Quum plus eſt, hoc Græci vocant *ἁδρόν*: ut *ἁδρὸς μισθὸς*, qui excedit ordinarium. Ælianus apud Suidam: Τινας *παραλαβὼν ἁδρῶς ἐς Βυζάντιον ἐλθεῖν πείθει*. Pollux dixit *ἔναδρον*: ut quum ſcribit: *Λέγει δὲ τὸ μὲν Κραπάτταλον*, (hoc eſt *τετράδραχμον*) *εἶναι ἔναδρον δραχμήν*. Aliter dicebant *παχύ*: ut *παχεῖα δραχμὴ*, quæcunque excederet Atticam drachmam: qualis eſt Æginetica; quæ ad Atticam erat, ut decem ad ſex: & Achiva, dupla ad Atticam. Pollux: Ἀλλὰ *μὴν τὴν μὲν Αἰγιναίαν δραχμὴν μείζω τῆς Ἀττικῆς. δέκα γὰρ ὀβολοὺς Ἀττικοὺς ἴσχυεν, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλουν, μίσει τῶν Αἰγινητῶν Αἰγιναίαν καλεῖν μὴ θέλοντες*. Heſychius: *Παχεῖα δραχμή. τὸ δίδραχμον. Ἀχαιοί*. Quomodo Latine hæc ſumma dici poſſit, quæ modum excedit, nondum comminiſci potui. Quod autem minus eſt, quam juſtus modus, id *βραχὺ* vocabant: unde *βραχὺ τάλαντον*. Auctor Etymologici, ex quodam probato *Commentario in Homerum*: Εἰς *τὸ Λεξικὸν τῆς Ἰλιάδος*.

Ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα.

Εἰ γὰρ περὶ τοῦ ταλάντου τῶν Ἑλλήνων ἐστί, βραχύ τι τὸ τάλαντον τοῦ χρυσοῦ ἦν παρ' αὐτοῖς, ὡς ὁ Δίφιλος ἐν ἀργύρῳ, βραχύ τι τάλαντον φησί. Hunc morem loquendi ſecutus Perſius curtum centuſſem dixit, cui aliquid deeſt, & aliquot aſſibus deficitur. Sic Xenophon *ἀναβάσ*. ζ. 248. 31. *Μικρόν τι τάλαντον* dixit, non aliquem modum Talenti definitum; ſed Talentum, cui aliquid deeſt. Non enim adjeciſſet *τί*: *Ἀργύριον μὲν οὐκ ἔχω, ἀλλ' ἢ μικρόν τι, καὶ τοῦτό σοι δίδωμι, τάλαντον*. In Thalmud legimus טפח משחק, *palmus ludens*, id eſt, non exactus, cui

aliquid deeſt, aut ſupereſt, & ὁλοσχερέστερον, quam ἀκελεθέστερον dictus eſt: contra נפש עצב, *palmus moroſus*, vel *anxius*, id eſt, ἀκριβὴς, cui nihil deeſt, nihil ſupereſt. Sic Hipponax, ut putamus, στατῆρας τοῦ ἑτέρου τοίχου dixit, qui appenſi in ſtatera non æquilibrium faciunt, ſed ſubſidunt, & lancem peſſum dant. Hoc enim eſt peſſumdare in re ponderaria, quum pondus lancem degravat. Ponam Epigramma Hipponactis, quamquam lacerum:

Εμοὶ γὰρ οὐκ ἔδωκας οὔτε πω χλαῖναν
Δασεῖαν ἐν χειμῶνι φάρμακον ῥίγευς,
Οὔτ' ἀσκέρησι τοὺς πόδας δασείησι
Εκρυψας, ὡς μή μοι χίμετλα γίγνηται
* * *

Ω φίλ' Ερμῆ Μαιαδεὺς ὁ Κυλλήνης
* * *

Δὸς χλαῖναν Ιππώνακτι. καρτὰ γὰρ ῥιγῶ,
Καὶ βαμβακίζω. * * *
Δὸς χλαῖναν Ιππώνακτι, καὶ κυπασίσκον,
Καὶ συμβάλικα, κἀσκέρικα, καὶ χρυσοῦ
Στατῆρας ἑξήκοντα θὐτέρου τοίχου.

Στατῆρας τοῦ ἑτέρου τοίχου fortaſſe dixit τοὺς ἑτεροῤῥεπεῖς, Gallice *trebuchans*, qui lancem in alteram partem appenſi inclinant, translatione a navibus, quæ εἰς ἕτερον τοῖχον procumbunt, prout læva, ſive dextera, ut Catullus loquitur, ſpirat aura. Hoc Polluci dicitur τοιχίζειν, neque analogia prohibet ἑτεροτοιχεῖν dicere. Juvenalis *ſatyra* XII. dixit *Alternum latus*. Gloſſæ: *Latus dabat navis*, id eſt, ἐτοίχιζε. Virgilius:

—— *tum prora avertit, & undis*
Dat latus.

His ita demonſtratis, nunc videndum quod fuerit Talentum magnum. Nam magni quidem mentio eſt ſemel apud Terentium, & non ſemel apud Plautum. Id autem non μετὰ τὸ μᾶλλον dictum, neque arbitrarium aut fortuitum ejus, ſed juſtum aliquem modum fuiſſe, ut Horatio ſolidum, manifeſtum eſt ex Plauti *Rudente*:

Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena.

Sane quia *commodum* vocant, aliquem certum ejus modum fuiſſe oportet. Quærendum igitur quis modus fuerit, & quot drachmarum. In eadem fabula piſcatori offeruntur a lenone mille centum nummi: quibus ille ſpretis magnum talentum poſtulat ſibi dari. Mille centum nummi Plautini, ut ſupra demonſtratum eſt, ſunt undecim millia drachmarum: centenos alteros nummos hic deſiderari conſtat, ut talentum magnum conficiatur, quia poſt mille ſpretos centum additi ſunt. Talentum igitur commodum magnum fuerit duodecim millium drachmarum, duplum ad Talentum Atticum, quod erat 6000. drachmarum Atticarum. At drachmæ Atticæ dupla erat Achaica, quæ vocabatur παχεῖα, ut ſupra vidimus. Erat ergo Talentum magnum ſex millium drachmarum Achaicarum. Et quia drachmæ illæ παχεῖαι vocabantur, ideo hoc Talentum τάλαντον παχὺ dictum eſſe videtur: quod penuria librorum, nuſpiam legimus; quum tamen neceſſe ſit, ut ſi quædam Mina ſit παχὺ, ſit etiam Talentum παχὺ, quod ex 60. aut 120. ejuſmodi minis conſtet: item ἁδρὸν, quemadmodum erat ἔναδρος aut ἁδρὰ δραχμή. Nam μέγα τάλαντον, certum eſt numquam nominatum fuiſſe ullum apud Græcos, neque μικρόν. Quod ſi & μέγα & μικρὸν τάλαντον aliquod fuiſſet, id a Latinis majus & minus, non autem magnum, & parvum talentum dici debuiſſe. Priſcianus magnum Talentum a Livio definiri ſcribit id, quod LXXX. librarum eſſet, quum tamen magni Talenti mentio nulla fiat in verbis Livii. Idem quoque Grammaticus majores nugas agit, quum ſcribit ita: *Et eſt ſciendum, quod ſecundum Livii computationem, centum minæ Atticæ, quarum ſingulæ ſeptuaginta quinque drachmas habent, faciunt talentum magnum. Nam minus ſexaginta habet, ſecundum Dardanum.* Dardanum enim, aut ipſum Priſcianum ullum talentum fuiſſe ſeptuaginta quinque minarum putaſſe, idque majus talentum vocari, propterea quod aliud eſſet, quod minus diceretur, ineptum eſſe cenſemus, quum tale Talentum apud Atticos nullum fuerit; ſed apud Eubœenſes, quorum talentum fuit ſeptem millium quingentarum drachmarum, ſive ciſtophororum, ut ſcribit Feſtus. Quare Euboicum talentum, quod majus erat Attico mille quingentis drachmis, magnum dici debeat potius, quam Ægineticum, quod quatuor millibus drachmarum Atticum ſuperabat, equidem non video. Quod igitur de magno & parvo talento dixit Priſcianus, non majoris ponderis apud nos eſſe debet, quam quod poſtea eum ſecuti ſomniarunt viri doctiſſimi. Nam quod ἁδρὸν καὶ παχὺ a Græcis dictum fuit, id magnum vocant Plautus & Terentius. Sed non ideo conſequens eſt, ullum talentum parvum dici. Citat Priſcianus ex decimo *Epiſtolarrm ad Novatum*: *Viginti quatuor ſeſtertia: id eſt, Talentum Atticum parvum.* Ultima vox addita eſt a Priſciano. Nullum enim umquam parvum talentum fuit. Georgius Agricola Priſcianum voluit ſuperare commento, quum talentum majus dicat fuiſſe LXXX. minarum, minus autem ſexaginta. Quæ facile confutantur iis quæ ſupra ex Plauto adduximus; quibus manifeſto demonſtratur Talentum magnum fuiſſe drachmarum duodecies mille, ſive minarum centum viginti. Grammaticorum commenta ſunt magnum Talentum, parvum Talentum, & apud Iſidorum minus, medium, ſummum: quæ ſunt ineptiſſima. Sic juriſconſultiſſimus, & apprime eruditus duplex genus aſſium comminiſcitur, graves & leves: quum tamen neque gravium neque levium aſſium apud ullum veterem ſcriptorem mentio extet. Et ſi ejuſmodi ulli aſſes fuiſſent, ii graviores & leviores, non graves & leves dicendi eſſent. Quemadmodum enim ex eo, quod Talenti magni mentio fit apud Plautum & Terentium, ἐκ τοῦ πρός τι hariolati ſunt eſſe aliquod parvum talentum: ita iſte doctiſſimus vir ex eo, quod Livius ſemper meminit gravis æris, putavit aſſes quoſdam fuiſſe, qui dicerentur leviores: quum tamen grave æs, ut & pueri ſciunt, opponatur non ſignato. Grave æs eſt τὸ ἐν σταθμῷ; aſſes autem æs ἐν νομίσματι. Sed quid faciemus illo loco ex *Moſtellaria*, ubi duo talenta magna æquantur quadraginta & octaginta minis: quæ ſunt CXX. minæ, ut diximus. Nam de ædibus, quas filium præſtinaſſe ſervulus apud ſenem fingit, ita legimus:

—— *quid eas quanti deſtinat?*
TR. *Talentis magnis totidem quot ego & tu ſumus.*
Sed arrhaboni has dedit quadraginta minas.

Scena: *Perii hercle*:
TH. *Minas tibi octaginta argenti debeo.*
Et poſt aliquot verſus:
Tu cave quadraginta accepiſſe hinc te neges.
Hic duo magna talenta ſunt CXX. minarum: & proinde unum talentum magnum ſexaginta mi-

narum: quod est talentum ordinarium. Quomodo ergo in *Rudente* talentum magnum est majus undecim millibus drachmarum; hic vero est tantum sex millium drachmarum? quod tamen Agricola vocat talentum minus. Sane hic talentum magnum nihil aliud est, quam talentum commodum, integrum, solidum, ordinarium. In *Curculione*:

Alias me poscit pro illa triginta minas.
Alias talentum magnum.

nimirum quia triginta minæ est dimidium talenti magni. Sed in *Rudente* talentum magnum est tot drachmarum, quot duo hæc talenta: verba sunt hæc:

LA. *Mille dabo nummos.* GR. *somnias.* LA. *nihil addo: abi.* GR. *igitur audi.*
Si hercle abiero hinc, hic non ero. LA. *vin'centum & mille?* GR. *dormis.*
LA. *Eloquere hercle quantum postules.* GR. *quo nihil invitus addas,*
Talentum magnum: non potest triobolum hinc abesse.

Postulat aliquid addi undecim millibus drachmarum ad talentum magnum absolvendum: ecquid aliud præter centum nummos, ut proxime fecerat? Ergo talentum magnum in *Mostellaria* est LX. minarum, in *Rudente* CXX. Quid hic dicemus? Expecto, qui nodum hunc solvat, quandoquidem nos hic hæremus.

Libra eo loco Romanis fuit, quo Mina Græcis, qui majorem, ut ipsi loquebantur, ὁλκὴν νομίσματος non habuerunt. Nam talentum major quidem summa est, sed ex minis præcise constabat. Unde Seneca minam Atticam libram vocavit, libro X. *Epistolarum ad Novatum*, citante Prisciano: *Viginti quatuor sestertia, id est, Talentum Atticum (parvum.) Viginti quatuor enim sestertia sexaginta libras habent.* Livius quoque minas Atticas *pondo*, id est, libras, vocat. *Talentum ne minus pondo octoginta, Romanis ponderibus, pendat.* Intelligit enim LXXX. minas veteres Atticas, quæ talentum commodum constituunt drachmarum sex millium. Vetus enim mina Attica ante Solonem, ut vulgo notum est, erat LXXV. drachmarum. Apud Plutarchum enim perperam excusum est ἑβδομήκοντα τριῶν, pro ἑβδομήκοντα πέντε, proclivi lapsu ΟΕ in ΟΓ. Postea Solon quum σεισάχθειαν induceret, minam centum drachmarum constituit lege lata, qua drachmæ pondus solido quadrante imminuit: contracto pondere a LXXVIII. speltis ad LXIV. Ita factum, ut idem pondus esset novæ minæ centum drachmarum, quod antea veteris fuerat, quum esset LXXV. drachmarum. Tamen Talento semper imputatæ sunt octaginta veteres minæ; quemadmodum Romæ, postquam denarius sexdecim assium æstimatus fuit, in stipendio militari deni asses in denarium numerabantur. Hinc Appianus *Bellorum Civilium* lib. II. in fine scribit Cæsarem singulis de populo Minam Atticam donasse; quod de eadem re Plutarchus loquens in *Bruto*, & in *Antonio* δραχμὰς ἑβδομήκοντα πέντε dixit; & Suetonius in *Cæsare sestertia trecenta*, id est, denarios septuaginta quinque, quot drachmas ponit Plutarchus. Romani autem in fœdere Antiochi Talentum pendi nolunt usitatis ponderibus Atticorum, hoc est, LXXX. minis, quarum singulæ sunt LXXV. drachmarum Solonis, sed ponderibus illis, quibus Romana Libra pendi solet. Quæ sit illa Libra Romana, videndum, & quatenus ab Attica differat. Libram Italicam eandem esse cum Romana, major pars doctorum hominum censet, & utriusque præterea pondus diversum fuisse. Utrumque falsum esse demonstrabitur. Nam libram Romanam ab Italica non pondus, sed argenteorum nummorum diversitas distinguit. Argenteus enim nummus Romanorum denarius est, Atticorum drachma. Sed pauciores denarii unciam Romanam constituunt; quam drachmæ unciam Italicam: quum tamen ambarum unciarum eadem potestas, atque æquale pondus sit. Si igitur certo deprehendere possemus discrimen denarii & drachmæ, utriusque Libræ pondus exploratum haberemus: aut si constaret nobis de pondere denarii, de libræ modo dubitari non posset: quod investigandum est. Et primum negamus eandem fuisse libram Romanam cum Italica. Ponderatores pigmentarii, aromatarii, & medici Græculi propriam libram habuerunt drachmarum nonaginta sex, quam Priscianus nunc Libram, sive Minam, Grajam, nunc Italicam vocat, non utique Romanam: quomodo enim Romana fuerit, quam Græci medici in Italiam intulerunt? Alioqui si Romanam intellexisset, non Minam vocasset, neque statim a Libra Romana distinxisset, ut facit; neque ei drachmas ex Græcorum instituto, sed denarios, attribuisset; qui est nummus Populi Romani Quiritium. Remnius itaque Favinus medicus initio Carminis sui, quum proposuisset de medicorum ponderibus scribere, ubi ad hujus Libræ mentionem pervenit, eam medicam vocat:

Accipe præterea, patrio quam nomine Graii
Mnam vocitant, nostrique Minam dixere priores.
Centum hæc sunt drachmæ: quod si decer pseris illis
Quattuor, efficies hanc nostram denique libram.

Nostram libram, hoc est, medicam, sive, ut ipse vocavit antea, Phæoniam. Ita enim exorsus est:

Pondera Pæonis Veterum memorata libellis
Nosse juvat.

Toto cœlo errant, qui Romanam libram intelligunt, invito scriptore ipso. Meminisse saltem debebant, ex drachmis eam constitui, non ex denariis. Delibatis enim de centum drachmis quatuor, vel, quod idem est, sextulis tribus, factam ait esse hanc libram medicam, propter duodenarium numerum scilicet, cujus commoditas prælata est centenario, quod plures, quam ille, divisiones capiat. Idcirco pulchre hanc Italicam Minam ab Attica distinguit ἀνώνυμος Nicandri Interpres: Ἡ Ἰταλικὴ μνᾶ λίτραν μίαν ἥμισυ. ἡ δὲ Ἀττικὴ σπάγια τρία. Italica Mina est unius libræ, id est, LXIV. drachmarum, & dimidiæ: quæ fiunt XCVI. drachmæ: præter has XCVI. tria σπάγια addita, hoc est, sextulæ tres, vel drachmæ quatuor, constituunt Atticam centum drachmarum. Hero: Τῇ οὖν Ἀττικῇ μνᾷ πρὸς τὸ Ἰταλικὸν νόμισμα χρηστέον. ἰσοδύναμος γάρ ἐστι, καὶ ἰσοστάσιος τῇ Ἰταλικῇ μνᾷ. στατήρων γάρ ἐστι κέ. ἡ δὲ Ἰταλικὴ λίτρα στατήρων κδ'. Attica mina, inquit, est viginti quinque staterum, vel τετραδράχμων: ergo centum drachmarum. Italica autem XXIV. ideoque XCVI. Abutitur nomine Minæ Italicæ, pro Libra. Idem Hero: Γίνεται τὸ τάλαντον λίτρων ξβ' " ἐν νομίσματι. Hoc est: *Talentum nummarium est librarum* LX. S. Divisis drachmis VI. M. quot talentum constituunt, per LX. S. habebis XCVI. drachmas in libram. Sed ἰσοστάσιοι, ut ipse vult, non erunt Attica, & Italica: siquidem altera quatuor drachmis præponderat, ut docet Cleopatras: Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγκίας ιβ' S. Ζρ. Attica mina

A

habet uncias XII. S. drachmas C. Galenus: Η *μὲν γὰρ λίτρα δραχμὰς ἓξ ἔχει πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα*. Dioscorides: Η *δὲ λίτρα ἔχει οὐγκίας ιβ'. δραχμὰς ϞϚ'*. Scribunt medicis, non Quiritibus. *Medici* enim, ut testatur Plinius, *libro* XXI. quum de drachma loquitur, *fere Attica observatione utuntur*. Item Celsus medicus in *Epistola ad Natalem: Græci medici pondera medicamentorum ad drachmam redigunt*. Igitur mere peregrina fuit hæc libra, neque Græcorum, neque Romanorum propria, sed communis utriusque, in Italia Graia vocata, in Græcia Ιταλικὴ, vel Πτολεμαϊκὴ, quod itidem Alexandriæ medicis, seplasiariis, aromatariis in usu esset: neque magis Romanorum fuit, quod

B

Italica dicta; quam Græcorum, quod Graia; aut Alexandrinorum, quod Ptolemaica. Et sane illa libra ab auctoribus Græcis semper Ιταλικὴ, numquam Ρωμαϊκὴ vocatur. Quæ sit igitur Romana, videndum. Plinius scribit *libro* XXXIII. *cap.* IX. *Miscuit denario Triumvir Antonius ferrum. Alii e pondere subtrahunt, quum sit justum* LXXXIV. *e libris signari*. En octageni quaterni denarii in libram: quod confirmatur *Epistola* Celsi *ad Natalem*, in qua palam ac nullis ambagibus scribitur *octaginta quatuor denarios in libram incurrere*. Lampridius *Elagabalo: Idem numquam minus centum sestertiis cœnavit, hoc est, argenti libris triginta*. Sine ullo dubio legendum *libris trecentis*. Dictum est ὁλοσχερῶς. Non enim trecentis

C

libris commodis ad unguem respondent centum sestertia, si dividantur per LXXXIV. sed deerunt libræ duæ, denarii XXXII. Tamen hæc verba Lampridii de libra LXXXIV. denariorum agunt, quantarum trecentæ pauxillo excedunt sestertia centum: hoc est, denarium millia viginti quinque: quum trecentæ libræ Romanæ ducentis denariis majores sint sestertiis centum. Neque vero novum

D

est *triginta* pro *trecentis* legi. Idem etiam error in Livii codicibus hæsit *lib.* XXXIII. *Tulit in triumpho argenti denarios triginta, quatuor millia, & quingentos quinquaginta*. Quis tam exiguam summam in triumpho latam credat; & non videat legendum *argenti denarium trecenta quatuor millia*? Hoc, ut superius ostendimus, quum de Talento disputaremus, Græci vocant βραχὺ, quum παρὰ μικρὸν summa concipitur, hoc est, ὁλοσχερῶς, καὶ οὐκ ἀκριβῶς. Plinius *libro* XII. *cap.* XIV. de ture: *Etiamnum tamen inveniuntur guttæ, quæ tertiam partem minæ, hoc est*, XXIIX. *denarium pondus æquent*. Græcus auctor, unde Plinius hæc

E

exscribebat, Μνᾶν dixerat, quod Plinius retinuit: sed tamen ad pondus Romanæ libræ accommodavit; ut una opera & libram Romanam octaginta quaternum denarium, & ejusdem ponderis fere cum Attica mina fuisse nos doceret. Nam tertia LXXXIV. denarium, sunt XXVIII. denarii; & eadem tertia pars centum drachmarum Atticarum, de quibus agebat scriptor, unde Plinius ea hausit, sunt drachmæ triginta tres, scripulus unus. Tantum igitur pendebant centum drachmæ Atticæ, quantum denarii Romani LXXXIV. Dixi, fere: quia discrimen est quatuor drachmarum inter Atticam minam, & Romanam libram, quæ pondere

F

eadem est cum Italica, distributione autem diversa, quatenus XCVI. drachmæ in libram Italicam impenduntur, LXXXIV. autem denarii in Romanam. In loco Plinii, quem proxime adduximus, duorum veterum codicum alter XXIX. habebat, unde XXIIX. fecimus, alter XXVIII. qui confirmat emendationem nostram. In eo tamen multum æstuant duo summi viri Budæus, & Agricola: qui ut aliqua hinc se extricarent, ridicula commenti sunt, quæ nec adducam, neque confutabo.

A His animadversis non erit operosum rationem denarii ad drachmam deprehendere ex verbis Livii *lib.* XXXIV. *Signati octaginta quatuor millia fuere Atticorum. Tetradrachma vocant. Trium fere denariorum in singulis argenti est pondus*: τὸ FERE non ad denariorum trium, sed ad quatuor drachmarum excurrentem summam scrupulariam pertinent. Si enim ratio denarii ad drachmam esset, ut XXXII. ad XXIV. præcise Tetradrachmum æquale esset tribus denariis. Sed illud FERE ostendit rationem præcisam non fuisse, ut sane non est, inter LXXXIV. & LXXV. Itaque ratio denarii ad drachmam fuit, ut XXV. ad XXXII. Nam

B quater XXV. sunt centum; ter XXXII. fiunt XCVI. ut parvum discrimen sit inter Tetradrachmum, & tres denarios. Cleopatras vult rationem fuisse ut V. ad IV. itaque ter V. sunt XV. & quater IV. erunt XVI. quæ ratio est præcisior quam superior. Sed non respondet ei, quæ est quatuor ad tria. Nam aliud est quinque ad quatuor, aliud quatuor ad tria. Ex his, quæ demonstrata sunt, primi denarii Romani pondus ad drachmam Atticam fuit fere ut 82. granorum ad 64. Nam Atticæ drachmæ

C pondus fuit σιταρίων ξδ'. quot hodie Julius argenteus Pontificius, aut Regalis Castilianus, aut scutatus Solatus Francicus. Sed ejusmodi denarii tam graves, de quibus jam egimus, nulli extant hodie, qui scutatum Solatum, aut Julium Romanum superent XVIII. granis, sive σιταρίοις. Sed extant multi, qui 72. granis pendent, capite Urbis Romæ signati, & nota Denarii X. Quod si drachma penderet 63. tantum grana, octo tales erunt æquales septem denariis 82. granorum ponderis. Hujusmodi igitur fuerunt denarii primi. Proxime sequuntur ii, qui septeni in unciam imputantur, quæ fuit octo drachmarum; ita ut de-

D narius ad drachmam fuerit, ut octo ad septem, hoc est, ut XCVI. drachmæ ad LXXXIV. denarios; & ut libra medica ad Romanam. Quod primus omnium nos docuit Celsus; cujus verba hæc sunt *libro* V. *cap.* XVII. *Sed & antea sciri volo, in uncia pondus denariorum septem esse: unius deinde denarii pondus dividi a me in sex partes, id est, sex uncias: ut idem in uncia denarii habeam, quod Græci habent in eo, quem ὀθλὸν appellant. Id ad nostra pondera relatum paulo plus dimidio scrupulo fuit*. Tam notum est, hunc locum depravatum esse, quam scimus, quid velit Celsus. Itaque doctus Agricola censet legendum, *id est,*

E *sextantes*. Verum quidem est, denarium a Celso in sex partes dividi: neque id ignorari potest. Sed sextam partem cujusvis rei sextantem dici posse, nisi ejus quam assem vocant Latini, & quæ in duodecim partes æquas dividuntur, non concedetur illi: quamquam Græcis ἑκτημόριον dicunt cujusvis solidi sextam partem: Latine vero id sextantem non dixeris, nisi solidum duodecim partium fuerit. Vult igitur Celsus, Denarium in tot partes dividi, quot obolos habet Drachma. Habet autem sex; ideoque unus obolus est sexta pars drachmæ, non sextans. Nam sextans sunt duæ

F duodecimæ unius solidi. Imposuit librariis, aut typographis vetus nota, qua concepta fuit lectio Celsi: *unius deinde denarii pondus dividi a me in sex partes, id est, sex* VIc*las: ut idem in* VIc*la denarii habeam, quod Græci habent in eo, quem ὀθλὸν appellant*: VIcla, est sexcla; VI*ennium*, est sexennium; VIII*ennium* octennium; pro quo in *Epistola Paschali Ambrosii* inepte excusum *biennium*, quia *viennium* putarunt esse imperiti librarii. *Sexcla* autem, & *Sextutula*, idem. Beda: *Sescula, sive Secla, quatuor scripuli*. Scripsit igitur Celsus *Sextulas*, vel *Sexclas*. & ita reponendum. Romani igitur duas

duodecimas ſextantem vocant; unam autem ſextam ſextulam. Ut libram medicam, quæ erat, ut vidimus, drachmarum XCVI. Romanæ adæquaret, ſeptem denarios unciæ imputat; quod ipſe non innovavit, ut ex ejus verbis colligi poteſt: ſed hoc ejus inventum eſt, denarium in ſextulas dividere; ut una ſextula denarii *ἀνάλογος* eſſet uni obolo Attico: *ἀνάλογον* dixi, non *ἰσοδύναμον*. Nam ipſemet docet, ſextulam denarii eſſe paulo majuſculam ſemiſcrupulo: recte: XXIV. ſcrupuli in VIII. drachmis ſunt: ut autem totidem ſint in VII. denariis, manifeſtum eſt, unam ſextulam denarii paulo majuſculam dimidio ſcripuli eſſe. Ergo LXXXIV. denarii, quæ eſt Libra Romana, ſunt æquales XCVI. drachmis, quæ eſt Libra Italica, & medica. Et proinde libra Romana fuit *ἰσοδύναμος τῇ Ἰταλικῇ, ἐ μὲν ἰσοστάσιος, καὶ ἰσάριθμος*. Græci dicunt Talentum *ἰσοστάσιον, καὶ ἰσάριθμον*, quod pari nummorum numero conſtat, & cujus partes pro portione ſunt alii Talento. Omne enim Talentum conſtabat ſexaginta Minis loci ſui; Mina autem centum drachmis gentis ejuſdem, & loci ubi ejus uſus eſſet. Denique, ut Pollux ſcribit, omne Talentum habebat *τὰς ἐπιχωρίους μνᾶς, καὶ δραχμὰς* eodem numero: quod *ἰσοστάσιον* vocant Græci, *καὶ ἰσάριθμον*. Hero: *Τὸ Ἀττικὸν Τάλαντον ἰσοστάσιον μὲν τῷ Πτολεμαϊκῷ καὶ Ἀντιοχικῷ, καὶ ἰσάριθμον ἐν πᾶσι, δυνάμει δὲ τοῦ μὲν Πτολεμαϊκοῦ κατὰ τὸ νόμισμα τριπλάσιον, ἐπίτριτον δὲ τοῦ Ἀντιοχικοῦ*. Aliud ergo eſt *ἰσοστάσιος*, aliud *ἰσοδύναμος*. Nam, ut ipſe interpretatur, *ἰσοστάσιος* eſt *ἰσάριθμος*, quod in Talentis Attico, Ptolemaico, Antiochico *ἴσος* erat *ἀριθμὸς* Minarum, & in Mina *ἴσος ἀριθμὸς* drachmarum. Sed poteſtate longe differebant, quod drachma Ptolemaica duum obolum Atticorum eſſet, ideo tripla erat drachma Attica ad Ptolemaicam, & ſeſquitertia ad Antiochicam. Niſi legiſſem apud Heronem, ego putaſſem *ἰσοστάσιον* eſſe *ἰσόσταθμον*. Sed Heroni eſt proportionale. Igitur Libra Romana erat *ἰσοδύναμος τῇ Ἰταλικῇ*, non autem *ἰσάριθμος καὶ ἰσοστάσιος*. Ac proinde Denarius Romanus ad Drachmam Atticam fuit, ut octo ad ſeptem: & conſequenter ſi drachma fuit *σιταρίων* LXIV. ut re vera fuit, Denarius fuerit tempore Auguſti & Tiberii *σιταρίων* LXXIII. & pluſculo amplius. Sed mirum eſt, ne hujus quidem ponderis talem reperiri. Nam quod Agricola & docti alii cauſantur, nummos vetuſtate raſos & detritos non poſſe priſcum pondus conſervare; nos aſſerimus, multos, quos vidimus, tractavimus, & ad ſtateram examinavimus, vix quicquam de figura deperdidiſſe, imo tam integros fuiſſe, ut vere aſperi, ut Suetonius & Perſius loquuntur, dici potuerint: & tamen ad momentaneam libellam appenſi, non multo granula ſexaginta, aut Regalem Caſtilianum, quod eſt verum pondus drachmæ, excedebant. Nam quæ tanta vis vetuſtatis efficere poteſt, ut de nummo pulcherrimo, cui nihil deeſſe videtur, & quem recenter ex moneta prodire cenſeas, novem granula deeſſe concedamus? Addo, cur fere omnes ſunt ejuſdem cum drachma ponderis? Hoc dubium peritis harum rerum diſcutiendum relinquimus. Certe omnes denarios ab Auguſto ad Conſtantinum, & infra illud tempus, non multum pondere inter ſe differre videmus. Propterea apud Juriſconſultum legimus *cap.* XXVI. Mandati: *Ἔλαβον, καὶ ἔχω εἰς λόγον παρακαταθήκης τὰ προγεγραμμένα τοῦ ἀργυρίου δηνάρια μυρία. καὶ πάντα ποιήσω, καὶ συμφωνῶ, καὶ ὡμολόγησα, ὡς προγέγραπται. καὶ συνεθέμην χορηγῆσαί σοι τόκον ἑκάστης μνᾶς ἑκάστου μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας μέχρι τῆς ἀποδόσεως παντὸς ἀργυρίου*. Obolus eſt ſexta pars drachmæ Atticis, ut denarii in hac ſyngrapha. Ergo Denarius & Drachma idem tempore Juriſconſulti, ſæculo Severi, Caracallæ, Alexandri Mamææ, &c. Sed quis capit illum locum Varronis ex tertio *Annali*, apud Chariſium? *Nummum argenteum flatum primum a Servio Tullio dicunt. Is quatuor ſcriptulis major fuit, quam nunc.* Tam enim falſum primum nummum argenteum a Servio Tullio Rege flatum, quam ſcriptulis quatuor majorem fuiſſe denario poſteriorum ſæculorum. Ita enim denarius Tullianus valuiſſet didrachmo & ſcrupulo uno. Quod profecto numquam fuit. Sed ita Varronem ſenſiſſe putamus, ut denarius Tullianus ſcripulorum quatuor fuerit; & proinde major quam hodie, quum hodiernus ſit tantum ſcripulorum trium. Varronis enim dictio moroſa eſt, & aliquando perplexa. Græci melius expoſuiſſent: *Τοῦτο τὸ δηνάριον μεῖζον ἦν τοῦ νῦν, τεττάρων ὂν γραμμάτων*. Sane ea fuit Varronis mens. Vetus igitur denarius ad poſteriorem eam rationem habuit, quam quatuor ad tria: & certe hoc ita eſſe, fœdus Antiochicum apud Livium oſtendit: unde confirmatur quod alibi diximus, ultimis temporibus Reip. & ſæculo Auguſti fere idem pondus denarii & drachmæ fuiſſe. Clarius igitur dixiſſet: *Is quatuor ſcriptulis quum eſſet, major fuit quam nunc*. Cleopatras: *Τὸ δηνάριον ἔχει γράμματα δ'*. eſt vetus denarius. De ratione Talenti Attici ad Libram Romanam, & drachmæ ad denarium, ſatis quidem in præſentia dictum a nobis. Sed tamen de Talento tacere non poſſum, quæ apud ſolum Heronem reperi; cujus verba nondum edita hæc ſunt: *Πᾶν Τάλαντον ἰδίας ἔχει μνᾶς ξ'. ἡ δὲ Μνᾶ στατῆρας κε'. ὁ δὲ Στατὴρ δραχμὰς, αἳ εἰσιν ὁλκαὶ, δ'. Ἔχει οὖν τὸ Τάλαντον μνᾶς ξ, στατῆρας δὲ αφ': δραχμὰς δὲ ς'. ἡ δὲ Δραχμὴ ὀβολοὺς ἔχει ς'. ὁ δὲ Ὀβολὸς χαλκοῦς η'. ἔχει οὖν ἡ δραχμὴ χαλκοῦς μη'*. Hæc omnibus nota. Reliqua vulgo incognita. *Τὸ Ἀττικὸν Τάλαντον ἰσοστάσιον μὲν τῷ Πτολεμαϊκῷ καὶ Ἀντιοχικῷ, καὶ ἰσάριθμον ἐν πᾶσι. Tot nummi impenduntur, & imputantur Talentis Ptolemaico & Antiochico, quot Attico*. Nimirum tot minæ & tot drachmæ loci: *δυνάμει δὲ τοῦ μὲν Πτολεμαϊκοῦ κατὰ τὸ νόμισμα τετραπλάσιον*, (*τριπλάσιον* omnino legendum) *ἐπίτριτον δὲ τοῦ Ἀντιοχικοῦ, τῷ δὲ Τυρίῳ ἴσον. Valore autem juxta taxationem nummariam ad Ptolemaicum triplum eſt, ad Antiochicum autem ſeſquitertium, Tyrio vero æquale*. Ergo *τὸ Ἀττικὸν τῷ Τυρίῳ ἰσοστάσιον, ἰσάριθμον, ἰσοδύναμον* fuit: hoc eſt, drachmam Tyriam eandem prorſus cum Attica pondere & valore fuiſſe: Ptolemaicam autem ad Atticam, ut duo ad ſex, Antiochicam, ut tria ad quatuor, fuiſſe, ut ex ſequentibus conſtat: *Ἀναλόγως δὲ τῇ περὶ τὸ τάλαντον εἰρημένῃ διαφορᾷ καὶ τἆλλα παραληφθήσεται. Μνᾶ τε γὰρ μνᾶς, καὶ στατὴρ στατῆρος, καὶ δραχμή τε δραχμῆς ταῦτα διοίσει, ὅσην αἱρεῖ ἐπὶ τοῦτο διαφοράν*. Differt Talentum a Talento, drachma a drachma pro portione valoris. Sequitur: *Οἶδα δὲ καὶ ξυλικὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ τάλαντον ἕτερον, ὃ μνᾶς μὲν ἰδίας ἔχει ξ'. ἑξαπλάσιον δὲ σχεδὸν τῷ τοῦ νομίσματος ἀριθμῷ. τό, τε ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ξυλικὸν τῷ πέμπτῳ διαφέρει πρὸς τὸ προειρημένον ἐπιχώριον περιττεῦον. Τὸ δὲ παρ' Ὁμήρῳ τάλαντον ἴσον ἐδύνατο τῷ μετὰ ταῦτα Δαρεικῷ. ἄγει γοῦν τὸ χρυσοῦν τάλαντον Ἀττικὰς δραχμὰς δύο, γράμματα ς'. * τετάρτας δηλαδὴ τέσσαρεις. Talentum ξυλικὸν Antiochenſe, minarum propriarum* LX. *ſextuplum autem nummorum numero*. Quia Atticum Talentum eſt ſeſquitertium ad Antiochenſe, ideo quantarum 6000. drachmarum eſt Atticum, tantarum 3500. erit Antiochenſe: cujus ſextuplum ſunt drachmæ 27000. Tot drachmarum erat lignarium Talentum Antiochenſe; ita dictum, ut apud eundem He-

Heronem ξυλικαὶ μετρήσεις. Bis autem apud Heronem hæc duo inter ſe opponuntur: τάλαντον ἐν νομίσματι, τάλαντον ξυλικόν: *Talentum nummarium, & Talentum lignarium*. Sed hallucinatio eſt apud Heronem: Τὸ δὲ ξυλικὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ τάλαντόν ἐστι λιτρῶν τοέ. *Talentum lignarium Antiochenſe eſt librarum* CCCLXXV. Paulo ante dixerat libram eſſe drachmarum 96. quæ in CCCLXXV. libras ductæ dabunt drachmarum triginta ſex millia. Quod nihil aliud eſt quam ſextuplum Attici Talenti. Atqui ξυλικὸν Τάλαντον ἐν Ἀντιοχείᾳ ſuperius dixerat ſextuplum Talenti Antiochenſis nummarii. Manifeſta hallucinatio. Talentum autem Atticum ad Ptolemaicum, ſive Alexandrinum, triplam rationem habere omnino neceſſe eſt: quia, ut videbimus poſtea, Æginetica mina ad Ptolemaicam eſt quintupla. Sed eadem Æginetica ad Atticam erat, ut X. ad VI. Quantorum igitur obolorum ſex erat Attica, tantorum decem erat Æginetica. Sed quantorum X. eſt Æginetica, tantorum duum eſt Ptolemaica. Ergo Attica erat tripla Ptolemaicæ. Quare ſupra τριπλάσιον, non τετραπλάσιον legendum eſt, ut monuimus. Quod clarius ex Plauto patet in *Truculento*, ubi viginti Minæ vocantur Talentum Philippicum argenti magnum. Ita enim ruſticus ſecum loquitur:

Minas viginti mihi dat: accipio lubens,
Condo in crumenam. ——

Deinde in fine fabulæ:

Hem tibi talentum argenti. Philippicum eſt: tene tibi.

Si viginti minæ ſunt Talentum Philippicum, & ſexaginta Atticum, Atticum Talentum Philippici triplum fuit. Eſt ergo Philippicum idem cum Ptolemaico. Et vere Macedonicum dici poteſt, quod commune regibus Macedoniæ, & Alexandri ſucceſſoribus. Porro Cleopatras ſcribit drachmam Ægyptiacam eſſe ſextam partem Atticæ: quod ſi Atticus nummus triplus eſt ad Ptolemaicum, ſextuplus ad Ægyptiacum; ergo non idem ſunt Talentum Ptolemaicum, & Talentum Ægyptiacum. Cleopatras: Δραχμὴ δὲ καὶ ἄλλη ὁμωνύμως καλεῖται Αἰγυπτιακὴ, ἥτις ὄκτον μέρος ἐστὶ τῆς Ἀττικῆς δραχμῆς, ἄγουσα ὀβολὸν ά. Rurſus Alexandrinum ξυλικὸν ad Alexandrinum ἐπιχώριον habet rationem ſeſquiquintam. Et quia τὸ ἐπιχώριον τὸ eſt 4500. drachmarum Atticarum, ideo τὸ ξυλικὸν erit 5400. De Talento Homeri eum nugari, ſuperius declaratum eſt. Subjicit: Οὐ λανθάνει δέ με καὶ τὴν δραχμῶν εἶναι πλείους διαφοράς. Τήν τε γὰρ Αἰγιναίαν, καὶ τὴν Ῥοδίαν μναῦ τῆς Πτολεμαϊκῆς εἶναι πενταπλάσιον. Hoc jam expoſitum eſt: ἑξαπλασίαν δὲ τὴν νησιωτικὴν οὕτω προσαγορευομένην. Inſularis drachma eſt ſextupla ad Ptolemaicam. Sed Ptolemaica eſt obolorum Atticorum duum. Ergo Inſulana erat duodecim obolorum, quot ſcilicet Achaica, quæ & παχεῖα dicebatur. Sequitur: Τῇ οὖν Ἀττικῇ (μνᾷ) πρὸς τὴν Ἰταλικὴν καὶ νόμισμα χρυσέον. ἰσοδύναμος γάρ ἐστι, καὶ ἰσοστάσιος τῇ Ἰταλικῇ μνᾷ. στατήρων γάρ ἐστι κέ. ἡ δὲ Ἰταλικὴ λίτρα στατήρων κδ'. αἱ δὲ λοιπαὶ μναῖ διάφοροι. Hactenus autem ἰσοδύναμον καὶ ἰσοστάσιον τὴν Ἀττικὴν μναῦ τῇ Ἰταλικῇ λίτρᾳ dicit, nimirum neglectis quatuor illis drachmis excurrentibus, quibus Attica Mina Italicam libram ſuperat.

Supereſt Ciſtophorus nummus Aſiaticus, cujus Cicero meminit non ſemel in *Epiſtolis ad Atticum*; & alicubi petit, ut de permutatione Ciſtophori ad denarium agatur. Ciſtophori autem ratio ad denarium quæ fuerit, ſolus Feſtus nos docuit, qui ſcribit Euboicum talentum ſeptem millium & quingentorum Ciſtophororum fuiſſe, denarium autem quater millium. Erat igitur ratio Denarii ad Ciſtophorum ut XV. ad VIII. Quum igitur ratio ad Ciſtophorum conficienda erit, ſummam denariorum ductam in XV. partire per VIII. & contra ſummam Ciſtophororum ductam in VIII. in XV. diſtribue, ſi ratio ad denarium conficienda eſt. Talentum autem Ægineticum ad Atticum fuiſſe, ut X. ad VI. antea monuimus ex drachmæ proportione alterius ad alteram: unde μυρίας δραχμὰς Gellius Talentum vocavit. Gellius: *Ad Laidem Demoſthenes clanculum adit, & ut ſibi ſui copiam faceret, petit. At Lais* μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον *popoſcit*. Meminiſſe debemus hoc geſtum fuiſſe Corinthi. Corinthiacus autem obolus idem erat cum Æginetico, ut alibi oſtendimus, quum de Siculo nummo & Talento verba faceremus, proinde & obolus & drachma, & Talentum Corinthiorum ad Atticum νόμισμα eandem rationem habuit, quam Ægineticus nummus: hoc eſt, ut decem millia drachmarum ad ſex millia, Talentum Atticum. Quod vero Feſtus ſcribit Talentum Euboicum fuiſſe quater millium denarium, non convenit illi cum Herodoto. Herodotus enim ait Babylonium Talentum eſſe minarum Euboicarum LXX. Atqui totidem Atticarum minarum erat Babylonium. Euboicæ LXX. minæ, & Atticæ totidem, ſunt æquales eidem talento Babylonio. Ergo ſunt invicem æquales. Nos vero ſcimus Feſtum alibi denarios pro drachmis uſurpare. Quare verum non eſt IV. M. denar. Talentum Euboicum fuiſſe: aut eſſe errorem Feſti, aut mendum librarii. Verba Herodoti ex *lib.* III. 126. Τὸ δὲ Βαβυλώνιον Τάλαντον δύναται Εὐβοΐδας ἑβδομήκοντα μνέας. Pollux de Talento: Τὸ μὲν Ἀττικὸν ἑξήκοντα δραχμὰς εἶχε. τὸ δὲ Βαβυλώνιον ἑβδομήκοντα. Hoc modo drachma Attica ad Ciſtophorum fuerit, ut LXXV. ad LX. ut V. ad IV. quod veriſſimum putamus. Quod ſi mendum non fuerit in Feſto, quatuor millia denarium exæquabuntur ſex millibus drachmarum. Hoc modo denarii ratio ad drachmam eſſet ſeſqualtera: quod videtur fuiſſe illis vetuſtiſſimis temporibus. Sed ὁλοσχερῶς dicta ſunto a Feſto. Tetradrachmum Atticum erat æquale quinque Ciſtophoris. Sane Interpres Nicandri dixit τὸ δηνάριον ἔχει δραχμὴν μίαν ἡμίσειαν. Tales denarios ſe habuiſſe penes ſe narrat Antonius Piſo Lotaringus medicus. De Denario vero ita Hero: Διαιρεῖται δὲ ἐκ περιουσίας καὶ τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους εἰς μέρη ασνβ. ἔχει γὰρ μέρη ιβ'. νούμμους δ'. ἀσσάρια ις'. ὁ δὲ νοῦμμος οὐγκίας ἔχει τῷ σταθμῷ. Τὸ ἀσσάριον διαιρεῖται εἰς τε ⌣. καὶ γ ⌣. καὶ δ ⌣. καὶ ς ⌣. καὶ η ⌣. καὶ θ ⌣.

καὶ ι ⌣. καὶ ια ⌣. καὶ ιβ ⌣. καὶ ις ⌣. καὶ ιη ⌣. καὶ

κδ ῥ. καὶ λς ⌣. καὶ μ ⌣. καὶ ν ⌣. καὶ τάδε μέρη ταῦτα ἰδίας ὀνομασίας ἔχει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις λογισταῖς. *Dividitur præterea etiam Denarium ſecundum Romanos in partes* MCCLII. *Habet enim partes* XII. *nummos (ſeſtertios)* IIII. *Aſſaria* XVI. *Seſtertius autem uncias (privo) pondere. Aſſarium dividitur in ſemiſſem, trientem, quadrantem, ſextantem, beſſem, dodrantem, dextantem, deuncem, & partem duodecimam, ſextamdecimam, decimamoctavam, vigeſimamquartam, trigeſimamſextam, quadrageſimam, quinquageſimam. Atque hæ partes appellationes ſuas habent apud Romanos Ratiocinatores*. Quas partes vocet MCCLII. hoc vero quærendum eſt.

Denarium & Seſtertium dividi in XII. uncias apud Romanos ratiocinatores, hoc quidem verum eſt, quando ratio denarii & ſeſtertii ad aſſem & li-

libram exigebatur: ut contra, rationem Sestertii ad Denarium confici docuit Mætianus. Apud Plutarchum in *Camillo* ita excusum est: Ἀσσάριον ὃ ἦν τὸ ἀργύρειον καὶ τὸ δεκάχαλκον ὅπως ἐκαλεῖτο ΔΗΝΑΡΙΟΝ. Legendum: Ἀσσαρίων δὲ Ι. ἦν τὸ ἀργύρειον. Hactenus de Denario argenteo. Aureus vero Denarius LXII. annis post cudi cœptus, quam argenteus, ut ait Plinius, hoc est, anno A. V. C. IↃ. XLVI. M. Livio Salinatore iterum, C. Claudio Nerone Coss. Sed quis expediet nodos illius loci Pliniani, a tot doctis viris toties tamque frustra vexati? Verba Plinii: *Aureus nummus post annum* LVII. *percussus est, quam argenteus, ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis: quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios* DCCCC. *post hæc placuit* XL. M. *signari ex auri libris; paulatimque Principes imminuere pondus. Minutissime vero ad* XLV. Non est locus inquinatior in toto Plinio: quem doctissimi viri dum sanare conantur, pejus affecerunt, quam librarii ipsi. Primum frustra suspectam habent lectionem illam, *sestertiis vicenis*. Non enim adverterunt scrupulum, quod valeret sestertiis vicenis, non esse scrupulum auri simpliciter, sed nummi aurei, qui pondere quidem duplus est ad argenteum, valore autem vigecuplus. Nam denarius ab initio fuit scrupulorum quatuor, teste Varrone: proinde sestertius erat unius scrupuli: & quarta pars aurei, quæ est analoga uni scrupulo denarii, aut sestertio, erat duum scrupulorum, quia aureus erat duplus pondere ad denarium, ut diximus. Quare nihil mutandum. Si enim totum ad totum vigecuplum, & pars quoque ad partem erit vigecupla per XV. & XVII. quinti Elementi Euclidis. Illa vero quæ sequuntur, male a librariis affecta sunt: *quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios* IↃ. CCCC. Quod enim hoc portenti est, libram auri habere IↃ. CCCC. tantum sestertios? Distribuamus enim in XX. sestertios. Fient XLV. scrupula in libram. Atqui libra habet scripula CCLXXXVIII. Quid ergo hic dicemus? Si scripulum nummi aurei XX. sestertiis valet, hoc est, denariis quinque, ii denarii in CCLXXXVIII. ducti producent denarios argenteos M. CCCC. XL. non autem sestertios IↃ. CCCC. ut habent editi & scripti codices. Manifestum est igitur, neque *sestertios*, sed *denarios*, hic legendum; neque IↃ.CCCC. sed CIↃ.CCCC. uno C. amplius. Nam appendix summulæ relicta est a Plinio, ut solet in numerosis summis, in quibus excurrens summa supra centenarios omittitur: quod a nobis superius abunde declaratum, & exemplis illustratum est. Igitur anno A. V. C. IↃ. XLVI. libra argenti erat denariorum CXLIV. ratione denariorum ævi Pliniani. Et quia aurum decuplum est ad argentum, libra auri erat CIↃ. CCCCXL. denariorum ævi Pliniani. Sed priori sæculo libra Romana erat æqualis XCVI. drachmis Atticis, ut supra ostendimus; quæ drachmæ erant æquales denariis ævi Pliniani, quod ex ipsis nummis hodie constat. Ergo libra prioris sæculi ad libram sæculi Pliniani, erat ut CXLIV. ad XCVI. hoc est, ut III. ad II. Habebat igitur libra vetus ad libram Plinianam rationem sesquialteram; & proinde denarius vetus ad denarium Plinianum eandem rationem habebat, per easdem XV. XVII. Elementi V. Euclidis. Scripsit igitur Plinius: *Aureus nummus post annum* LXII. *percussus est, quam argenteus, ita ut scrupulus valeret sestertiis vicenis: quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant sestertii*-X-CIↃ. CCCC. id est, denarios mille quadringentos: sed subintelligenda & supplenda summula excurrens, XL. denarii. Quæ vero sequuntur, quo plus obscuritatis habent, eo minus ab illis summis viris intellecta. Ipsi putant Plinium loqui de numero aureorum, qui in libram cudebantur. In quo fugit eos ratio. Nam quum ipsi non ignorent Plinium loqui de imminutione libræ, quæ paulatim facta est; quo modo congruent ea, quæ dicit Plinius, primum XL. deinde XLV. signari solere? Nam si primum aurei, ut ipsi interpretantur, XL. signati, deinde XLV. sane posterior libra aureorum XLV. major fuit priore, aureorum XL. Nugæ sunt hæ. Non enim de aureis hic sermo est, neque de numero aureorum in libram cudendorum: sed de denariis, iisque non cudendis in libram, ut ipsi putant, sed deminuendis de libra. Quo enim major numerus deminuetur, eo minor erit libra, ut & puero paret. Idque ita semper interpretati sumus. Sed beavit nos Fredenandus Pincianus vir apprime doctus, & diligens, qui veterem lectionem retulit, quæ interpretationi nostræ egregie favet. Ubi enim in editis est; *Post hæc placuit* XL. M. *signari*, in scriptis codicibus erat; *Post hæc placuit* .X. XL. M. *signari*: quæ verissima est lectio; τὸ -X- est *denarius*, ut & pueri sciunt: τὸ M. est *Minus*: ut patet ex Inscriptionibus: V. A. P. M. XXIIII. *Vixit annos plus minus* XXIV. Verba Plinii luce clariora sunt: *Post hæc placuit denarios* XL. *minus signari ex auri libris. Paulatimque Principes imminuere pondus. Minutissimæ vero ad* XLV. *minus*. Minutissimæ, id est, libræ. *Denarios signari minus quadraginta*, Græci dicerent, Δηνάρια χαράττεσθαι παρὰ τετταράκοντα. Eodem modo Manilius;

Tarquinioque minus Reges. ——

οἱ βασιλεῖς παρὰ ἕνα Ταρκύνιον. Quare est vetus locutio. Statius:

Æqua ferunt, terrore minus. ——

id est, excepto terrore. Ex M. CCCC. XL. primum imminuti sunt denarii XL. & libra facta est denariorum CIↃ. CCCC. Tempore Plinii a Vespasiano in libras signati sunt CIↃ. CCCXCV. quod est quinque denariis argenteis minus, quam in priore specie. Hi ergo sunt denarii argentei Vespasiani, deducendi de prisca libra, non autem, ut docti interpretabantur, denarii aurei cudendi in libram: quo nomine oporteret priorem libram minorem esse posteriore; quum tamen contra sentiat, atque adeo doceat Plinius, de priore gradatim aliquid semper processu temporis detractum fuisse. Nemo non hunc locum vexavit; & nemo est eorum, qui tentarunt, qui se restituisse sibi & aliis non persuaserit. Aureus autem nummus priscis Romanis dictus fuit denarius auri, vel aureus, posterioribus Imperatoribus Solidus, Macedonibus Philippicus, Atticis Στατὴρ, Asianis Δαρεικός. Harpocration: *Λέγουσι δέ τινες δύνασθαι τὸν Δαρεικὸν ἀργυρᾶς δραχμὰς ὀκτώ*. Harpocratio scripserat κ΄. *viginti*. Posteriores librarii depravarunt in ή. quod est ὀκτώ: ut millies contigisse animadvertimus. Sequentia confirmant: *ὡς τοὺς πέντε Δαρεικοὺς δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίου*. Omnes isti nummi Græce χρυσοῖ dicuntur. Omnis aureus primum dicebatur Δαρεικός, tametsi percussus in Græcia. Postea Philippicus dictus, a Philippo patre Alexandri Magni: & eodem modo omnis quoque aureus Philippicus dictus: ut Philippicus Antonianus; & *Philippicos vultus nostri* dixit Alexander Mamææ. Sed Solidi appellatio propria est nummi aurei Constantinopolitani, quæ nupera ac novitia, & vix tandem post tempora Diocletiani recepta mihi videretur, nisi ejus mentio extaret in Epigrammatis Urbis: ET. OB. DEDIC. EJUSDEM. STATUÆ PATRONIS. ET. Q. Q. P. P: SOLID. DIVISIT. Græcis νόμισμα, ut & Horatio *Regale nomisma*. Digestis *l. Quintus Mutius. de auro & arg. leg. §.*

cui legatum eſt. *Si autem aurum, vel argentum ſignatum legatum eſt, id paterfamilias videtur teſtamento legaſſe, quod ejus aliqua forma eſt expreſſum; veluti quæ Philippi ſunt, itemque numiſmata, & ſimilia*: lege: *veluti quæ Philippi ſunt nomiſmata*. Recentiore appellatione χρύσινος. Gloſſæ: Χρύσινος, *Solidus*. Theodoritus *l.* II. *c.* XVI. circa finem: Ο βασιλεὺς ἀπέστειλε πεντακοσίους ὁλοκοτίνους αὐτῷ εἰς δαπάνας. Vetus lectio: χρυσίνους. Nam mirum verbum eſt ὁλοκοτίνους. Solidum, νόμισμα. *Seſtertios auri* etiam vocat Gregorius Turonenſis, *de Mirac.* I. XIX. *Exiſtimantes enim inimici, auri ibidem ſeſtertios aggregatos, effracta clave, omne rimantur intente*. Eodem modo locutus eſt Marcellinus Comes *Indict.* XIV. Juſtiniano & Valerio Coss. *Famoſiſſimum hunc Conſulatum Juſtinianus præ Conſulibus, omnium Orientalium utilitatibus edidit. Nam* CCLXXXVIII. *ſolidorum* HS. *libera Conſulum profecta diligentia in populum, inque ſpectacula, ſive ſpectaculorum machinam diſtributa ſunt*. In *Jure Orientali* 143. νομισμάτων λίτρας τρεῖς: *Solidorum libras tres*. Nam pro ſolidis doctiſſimus Leuvnclavius ſui oblitus *aſpros* vertit: hi ſunt ſolidi CCXVI. ut patet ex *lege unica Cod. Theod. de obl. vot.* item. *l.* 13. *de ſuſcept. præpoſ.* Rurſus Solidus dicitur etiam *Sextula*, quod ſit ſexta pars unciæ, teſte Iſidoro: quo nomine Græci vocarunt ἑξάγιον. Zonaras: Μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἑξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος ἐκείνοις τὸ τεταρτηρὸν ἐπενόησε. Græcis aliter compendii cauſſa ſcribitur ςάγιον, quum tamen pronunciandum ſit ἑξάγιον. Nam ἐπίσημον ϛ΄ eſt nota τοῦ ἓξ ἀριθμοῦ. Errant igitur, qui pronunciant *Stagion*. In Edicto Turci Aproniani Præfecti Urbis aliud eſt, SUB. EXAGIO. PECORA. VENDERE. Ibi enim *Exagium* eſt ςάθμησις, penſatio ad libram. Gloſſæ: Ἐξάγιον, *penſatio*. Ἐξαγιάζω, *examino, perpendo*. *Exagios*, ἄρτου ἐκτυπή. Apponebatur enim pani nota ponderis: quia & panis quoque penſum ab ædilibus exigitur. Pro hoc verbo, in veteribus ponduſculis, quæ Romæ reperiuntur, legitur O. O. EXADSA. ultimis illis temporibus Latinitate pura cum pronunciatione exoleſcente. Græci hodierni ſcriberent ἑξάτζα. Sed hoc noſtrum ἑξάγιον prima aſpera pronunciandum, quod ſit, ut dixi, ſexta pars Solidi. Quemadmodum Sextula non ſolum Unciæ, ſed Solidi eſt pars: ita ἑξάγιον non ſolum Solidi, ſed & Unciæ eſt ſexta pars. Appendici Nicandri libra eſt unciarum XVI. uncia drachmarum IX. quæ ibi δηνάρια vocantur. Novem drachmarum ſextam partem ἑξάγιον vocat. Sed non prius Aureus cœpit vocari *Sextula*, quam aurei percuſſi ſunt quaternum ſcrupulorum, quantorum uncia eſt viginti quatuor: quod fuit pondus primi Denarii cuſi ſub Tullio Rege, teſte Varrone. Itaque cum in unciam antea quaterni aurei percuterentur, poſtea ſeni percuſſi ſunt, & vocati Sextulæ ob eam cauſſam. Et Δαρεικὸς, ſive Στατὴρ ad Solidum eandem rationem habuit, quam tria ad duo eſt, Δαρεικὸς eſt ἡμιόλιος ad Solidum. Hujus Solidi diviſio κατὰ ἀργυρισμὸν hæc eſt. Κεράτιον, μιλιαρήσιον, φόλλις, Tremiſſis, μῆλον, καυκίον, τεταγώνιον. Hoc eſt, diviſio Solidi per ſpecies argenteas eſt primum per *Siliquas*, quæ Κεράτια dicuntur. *Cornus* vocat Iſidorus, quia Siliqua dicitur theca ſive vaginula, quibus fructus * κρανείας ſive cornus arboris continentur. Arabes vocant *Al Charub*: Hiſpani ab Arabibus *Algarovas*. Eſt autem vigeſima quarta pars Solidi, drachmæ argenteæ valore. Iſidorus: *Siliqua, vigeſima quarta pars ſolidi eſt, ab arboris ſemine vocabulum tenens*. Δικέρατον enim eſt æquale Miliarenſi. Μιλιαρήσιον autem duodecima pars Solidi, δίδραχμον. Apud Suidam: Μιλιαρήσιον, τὸ τοῦ νομίσματος δέκατον. Ma-

A nifeſtum mendum. Reponendum δωδέκατον. Miliarenſium autem apud nullum veterem Latinum legere memini, præterquam in *Notitia Imperii Romani*, ubi in Comitiva largitionum mentio fit SCRINII A MILIARENSIBUS. Cedrenus, quum μιλιαρήσιον exigi ſolitum ſcripſiſſet, poſtea δικέρατον vocat. Ergo Miliarenſis nummus fuit duplus Siliquæ, quæ eſt vigeſima quarta pars Solidi. Proinde Miliarenſis eſt duodecima. A militia hoc nomen deducit Epiphanius, ac poſt eum Cedrenus. Τὸ δὲ ἄργυρον τοῦτό ἐστιν, ὃ Ῥωμαῖοι (id eſt, Conſtantinopolitani) Μιλιαρήσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα. Hoc verum erat, ſiquidem

B Militarenſis, non Miliarenſis vocatus fuiſſet. Valde alludit ad hoc nomen appellatio nummi aurei Luſitanici, qui in Gallia dicitur *Millereis*; ſed longe diverſa originatio. Nam corrupte dictum, quum verum nomen fuerit *Muley rais*, ab Arabe Rege, quiſquis is fuit, qui primus ejuſdem ponderis & valoris nomiſma in illis partibus Hiſpaniæ percuſſit. Quum autem ἄργυρον vocet Epiphanius, ἄργυρον vero δίδραχμον conſtet fuiſſe, qualia fuerunt illa triginta, quæ Judæ proditori data fuerunt, (vel potius tetradrachma: nam Euſebius *l.* IV. Ἀποδείξ. στατῆρας interpretatur bene, meo judicio) non male judicavimus Miliarenſem eſſe δίδραχμον, duodecimam

C nimirum partem Solidi, qui drachmarum XXIV. erat. Hujus duplum fuit FOLLIS, ſexta pars Solidi: quam Sextulam vocare poſſumus: duobus enim ἀργύροις, id eſt, Tetradrachmo, valebat. Epiphanius: Φόλεις, ὃ τὸ παλάντιον καλεῖται· διπλοῦν δέ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργύροιν συγκείμενον· οἱ γίνονται σή. δηνάρια· καὶ Φόλις δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. Primo mendum eſt, παλάντιον pro βαλάντιον. Follis enim Latine, eſt quod Græcis βαλάντιον. Juvenalis:

Si reddat veterem cum tota ærugine follem.

D Idem:

—— *& tenſo folle reverti.*

Sacculus Martiali & Catullo. Iſidorus: *Folles dicuntur a ſacculo, quo conduntur: a continente, id quod continetur, appellatum*. Deinde vitioſe σή. quum Epiphanius ſcripſerit σπή. Ita reponendum. ΦΟΛΛΙϹ. ὃ βαλάντιον καλεῖται· διπλοῦν δέ ἐστιν· τὸ ὑπὸ δυοῖν ἀργύροιν συγκείμενον, οἳ γίνονται σπή. δηνάρια· καὶ ΦΟΛΛΙϹ δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. Duplicem facit. Communis appellatio utrique τοῦ βαλαντίου, id eſt, *Follis*:

E alterum duorum didrachmorum, alterum duorum minutorum. De quibus poſtea. De hoc igitur Folle, ſive didrachmo accipienda eſt vetus Inſcriptio Buccini Lucaniæ: SI QUIS. AUTEM. INFRINGERE. VEL. APERIRE. VOLET. INFERET. POENÆ. NOMINE. REIP. FOLLES. MILLE. Ejuſmodi mille Folles intelligimus *C. Th. l.* I. *ſi quis pec. conſl.* item in Faſtis Siculis: Viviano & Baſilio Coss. Ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων λεῖψις γέγονε τοῦ ἄρτου, ὥστε πραθῆναι τὸν ἕνα ἄρτον φόλεων τριῶν. Τετρακέρατον cum Zonara vocare poſſumus.

Tremiſſis eſt tertia pars Solidi, duplum Follis ar-

F gentei, ſemuncia argenti, tetradrachmon. Iſidorus de Solido: *Hunc, ut diximus, vulgus aureum (Solidum) vocat: cujus tertiam partem ideo dixerunt Tremiſſem, eo quod Solidum faciat ter miſſus*. Meminit & Lampridius in *Alexandro*. Tremiſſes pro ſacro balſamo unctionis ſolitos exigi prohibet Synodus quarta Carthaginienſis. Legum *Ripuar.* XXIII. Tremiſſis quatuor denarii: quia Solidus XII. denariorum. Μήλων, καυκίων, τετραγωνίων mentio tantum extat in *Novella* Juſtiniani CV. §. II. Τοῦτον (ἄργυρον) ἐφίεμεν αὐτοὺς ῥίπτειν ἐντεῦθεν τοῖς καλου-

μένοις Μιλιαρησίοις, καὶ Μήλοις, καὶ Καυκίοις, καὶ Τετραγωνίοις, καὶ τοῖς τοιούτοις. ὅσον ἂν μικρότερον ᾖ τὸ ῥιπτόμενον, τοσούτῳ πλείους οἱ λαμβάνοντες. Videmus hic quæ præcedunt, pluris valere, quam sequentia: Miliarensem, quam Μῆλον, & illud, quam Καύκιον, &c. Sed quotæ partes Solidi fuerint, non indicavit Imperator. Μῆλον autem putamus dictum ab incusa Mali figura. Καυκίον absque dubio, quod cavum esset, instar acetabuli, aut ejus poculi quod acetabulum referebat. Suidas: Καυκίον παρ' ἡμῖν, κύλιξ δὲ παρὰ σοφοῖς. In quarto *Anthologiæ*, c. Εἰ λίθους legimus: Οἰνομάου εἰς Ερωτα γεγλυμμένον ἐν καυκίῳ. Deinde:

Εν κυάθῳ τὸν Ερωτα τίνος χάριν; ——

Ergo καυκίον est cyathus, sed sessilis instar obbæ, aut pateræ. In *Annalibus* Glycæ: *Rursus e cauco bibisti, rursus mentem amisisti:* de Phoca sermo est. Apud Hieronymum, & in *Vitis* Imperatorum *Caveum* perperam editum; ubi *Caucum* legendum. Ejusmodi nummulos argenteos cavos non paucos vidimus, non sæculi illius Justinianici; sed vetustissimos, ante lucem Christianismi. Τετραγώνια proculdubio a figura: quod non rotunda, ut reliqui nummi, sed quadrata essent: cujusmodi argenteos nummulos Turcicos videre est, quos Græci ἄσπρους vocant, id est, albos. Glossæ: *Alprum*, ἔκλευκον. Ἀσπρότης, *candor*. Turci *Aksei*, id est, album. Τετραγώνων στατήρων mentio apud Suidam. Στατὴρ, inquit, τετράγωνον. Sed suspectum, ut apud Hesychium, unde Suidas exscripsit. Στατὴρ, τετράγραμμος, Nam ibi legendum τετράδραχμον.

Secunda divisio Solidi κατὰ δηναρισμὸν, in æreolos, aut stipem, quæ χαλκία Græci vocant. Nam ultimis temporibus Denarii pro exigua stipe usurpati sunt, ut hodie in Gallia. Imperator Aurelianus: *Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum.* Eos Vopiscus in *Bonoso sestertios æris* vocat. Macrobius de nummo ratito loquens, qui erat æreus. *Ita fuisse signatum hodieque intelligitur in alcæ lusu, quum pueri denarios in sublime jactantes* CAPITA, *aut* NAVIA *lusu teste vetustatis exclamant.* In *Evangelio* secundum Marcum, XII. Λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. Hilarius: *Duos denarios viduæ inopis Deo acceptiores*. Lucæ X. Ἐκβαλὼν δύο δηνάρια. Ambrosius: *duo æra:* Vetustissimus est igitur Denarii usus ἀντὶ τοῦ χαλκισμοῦ, vel stipe. Neque exemplo caret. Nam & Arabes درهم pro drachma accipiunt, & pro æreolo: & quum iisdem literis scribatur, quum pro argenteo accipiunt, vocant *Darham*; quum pro nummulo æreo, *Dirhem*. Quia vero arbitrarius fuit modus stipis, & denarii; propterea & arbitrarius est modus τοῦ δηναρισμοῦ in Solido dividendo. Nam apud Epiphanium τετράδραχμον sive Follis argenteus valet denariis CCLXXXVIII. Ergo drachma, sive κεράτιον, pars vicesima quarta Solidi, erat denariorum LXXII. & Solidus MDCCXXVIII. Cassiodorus *lib.* I. *epist.* X. *Sex millia denariorum Solidum esse voluerunt.* Ergo κεράτιον erat denariorum CCL. qui Epiphanio LXXII. tantum erant. Apud Hesychium Solidus vocatur Τάλαντον, idque ab eo dividitur in λεπτὰ, νούμμους, κοδράντας, ἀσσάρια. Sed non paucæ ἀντιλογίαι sunt in eo; & non constat sibi. Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τοῦ Φόλλεως, ἢ λεπτόν. Τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν Ταλάντου, ὅ ἐστι νόμισμα ἓν, ἢ κόκκοι τρεῖς. Ait Quadrantem ab aliis pro toto Folle, (idem repetit Suidas) aliis pro quarta parte Follis accipi: alias esse λεπτὸν, quod sit sexmillesima pars Ταλάντου, id est, Solidi. Ergo Κοδράντης, Λεπτὸν, Νόμισμα, est denarius Cassiodori. (Τὸ δὲ τάλαντον λίτραι ἑκατὸν εἴκοσι πέντε.) Hæc non pertinent ad hunc locum, ut & cæco patet: sed ex alio loco huc infarcta sunt. Hic enim περὶ ταλάντου νομίσματος, non de ponderali Talento, sermo est: ὁ δὲ Κοδράντας νομίσματα τρία. Hæc νομίσματα alibi νουμμία vocat. Itaque Solidus dividitur in Quadrantes sexies mille, νουμμία decies octies mille: ὁ δὲ ἔσχατος κοδράντης τὸ τέταρτον τοῦ φόλλεως. Intelligit de Folle ærario. Infra: Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ λεπτὰ δύο. Deest, τοῦ φόλλεως, τὸ πᾶν τοῦ φόλλεως, ut supra: id est, sumitur pro tota stipe, quæ Follem constituit. Hic vero melius κοδράντην ait esse λεπτὰ δύο, ex Evangelista: quod alibi repetit. Ergo Τάλαντον, sive Solidus dividitur εἰς κοδράντας ς'. VI. M. εἰς λεπτὰ ιβ'. XII. M. εἰς νουμμία ιη'. XVIII. M. τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστῶν ταλάντων. Lege: ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου. Contradicit sibi: imo δωδεκαχιλιοστὸν ταλάντου. Alibi: Ἀσσάριον, καὶ λεπτὸν ἕν εἰσιν, ἤγουν ἑξακισχιλίων τριακοσίων ταλάντων. Et hic nemo non videt legendum esse, ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου: quod est consentaneum iis quæ proxime dixit, λεπτὸν esse sexmillesimam partem Solidi: ὅ ἐστιν ἓν ἥμισυ λεπτοῦ. Quomodo λεπτὸν potest esse ἓν ἥμισυ λεπτοῦ? Hæc sunt nugatoria. Illa vero recta, & quibus standum est: Τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντης εἷς, ἤγουν νουμμία τρία. Hæc ultima statuunt Quadrantem, & Assarium sexmillesimam partem Solidi, ut Cassiodoro; Λεπτὸν duodecies millesimam; νουμμίον, sive, ut alibi vocat, κοκκίον, decies octies millesimam. Follem autem æreum Hesychius videtur eundem facere cum Quadrante, quum ait esse λεπτῶν δύο. Atqui λεπτὰ δύο Epiphanio est Φόλλις κατὰ δηναρισμόν. Hos Φολλεράλεις Græcis; Latinis Teruncianos dictos scribit Marcellinus Comes *Indict.* VI. Johanne Scytha & Paulino Coss. *Nummis, quos Romani Teruncianos, Græci Follærales vocant, Anastasius Princeps suo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem distraxit*. Follærales composita voce dixit, quod disjunctim Lampridius *Elagabalo: Centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris*. Inde in Bereschith rabba legitur פולר *folar*, pro specie monetæ: quod nihil aliud est, quam φολλεράλις. Sed alia divisio Solidi apud Suidam in voce ὀβολός: Ὀβολοὶ δέ εἰσιν ἃς καλοῦμεν Φόλλεις. ὁ δὲ Ἰουστινιανὸς, τῶν ἀργυραμοιβῶν ὑπὲρ ἑνὸς στατῆρος χρυσοῦ ποιεῖσθαι τοῖς ξυμβάλλουσιν εἰωθότων δέκα καὶ διακοσίους ὀβολοὺς, αὐτὸς ἐπιτεχνώμενος κέρδη οἰκεῖα π καὶ ρ μόνους ὑπὲρ τοῦ στατῆρος διετάξατο δίδοσθαι ὀβολούς. De hoc & simili κερματισμῷ, vel potius τεμαχισμῷ accipienda ea quæ in *Novella* Theodosii, quam P. Pithœus noster publicavit, de Solido præcipiuntur: *Ne unquam intra septem millia nummorum Solidus distrahatur emptus e collectario millibus ducentis*. Nam nummi ibi sunt denarii ærei, & stips minutissima. Atque ut divisio Solidi Romani arbitraria fuit, sive ἐν ἀργυρισμῷ, sive ἐν δηναρισμῷ, ita & Solidi ipsius modus vagus fuit, & ambulatorius, præsertim apud barbaras eas nationes, quæ Imperium Romanum in tot lacinias discerpserunt. Eorum enim Solidus fuit verus Solatus aureus Francorum hodiernus, ponderis granorum LXIV. qui est modus drachmæ Atticæ, Regalis Castiliani, Julii Pontificii, & veteris Denarii Francorum. Tit. XXXVIII. *Ripuar.* §. XXIII. Solidus vetus est denariorum XII. Unde ἀναλόγως Tit. XXIII. Tremissis sunt quatuor denarii: eumque vocant Priscum Solidum. In *Francorum legib.* IV. 106. *Ut omnis solutio atque compositio, quæ in lege Salica continentur, inter Francos per* XII. *denarios Solidus componatur; excepto, ubi contentio contra Saxones & Frisiones exorta fuerit. Ibi volumus, ut* XL. *denariorum quantitatem Solidus habeat, quam vel Saxo, vel Frisio a parte Salici Franci cum eo litigantis solvere debet.* In appendice libri *de limit. agrorum*: *Juxta Gallos*

vigesima pars unciæ denarius est : & duodecim denarii Solidum reddunt : ideoque juxta numerum denariorum tres unciæ quinque Solidos complent. Sic & quinque Solidi in tres uncias redeunt. Nam duodecim unciæ libram XX. *solidos continentem efficiunt. Sed Veteres Solidum, qui nunc aureus dicitur, nuncupabant.* Locus est luculentus. Gregorius Magnus. Postea Solidus ad tres denarios redactus est: ita ut novus Solidus prisci quadrans factus sit. Fris. Tit. XVI. de homicidio ad partem dominicam pro freda XXX. solidi componuntur, qui Solidus tribus denariis constat. Inde Frision. IX. II. Denarii LX. sunt Solidi XX. & eodem 17. quatuor Solidi sunt denarii XII. Et Frision. XIV. 7. LX. Solidi sunt libræ III. Imp. Karolus Magnus Franc. III. 14. XXX. solidi libra una & dimidia. Ergo viginti Solidi erat Libra una Francica. Hodie nomen, non potestas νομίσματος mansit in Gallia. Nam Libra Francica sunt viginti solidi in δηναρισμῷ. Sunt enim Solidi, quorum quinque valebant argenteo Castiliano ex edicto Henrici III. & ab ultima antiquitate Franci constituunt suam libram Solidis vicenis. *Libra* etiam hodie, & *Francus* vocatur. Poterant huc addi & Aurei aliarum nationum, ut Seraphii Arabum. Sed alius operis est.

Non omittendus tamen nummus ὑπέρπυρον ultimorum temporum Constantinopolitani Imperii. Is fuit aureus & argenteus pondere drachmæ. Itaque in auro æqualis fuit Solato Francico, in argento drachmæ. De aureo ita legimus in legatione Armeniorum : Εσωσαν, ὡς ἐν ὑποθέσει, ἐνταῦθα ὑπέρπυρα τρία μιᾶς ὄντα φύσεως, χρυσοῦ δηλονότι. Georgius Codinus Curopalates libello de Constantinopoli, quæ prius vocavit ὑπερπύρων λίτρας, ea sequenti pagina dicit χρυσίου λίτρας. Sed priore casu quinquaginta libris Hyperpyrorum, id est, Scutatis Solatis 3600. domum suam venditam fuisse Antiochus ostiarius querebatur. Imperator misericors jussit auctionem earum fieri, & plus licitanti eas addixit libris auri LXXXV. qui sunt scutati solati VI. M. CXX. Υπῆρχεν οἶκος Αντιόχου τινὸς ὀστιαρίου καὶ εὐνούχου, ὃς ἀπετιμήθη εἰς ὑπέρπυρα λίτρας ν'. Postea : Επράθη εἰς χρυσίου λίτρας πε'. Ergo ὑπέρπυρα & χρυσίον idem. Gulielmus Tyrius *lib.* XVIII. cap. XXIV. *Soli domino Regi viginti duo millia Hypperorum* (*Hyperpyrorum* legendum) *& tria millia Marcarum argenti examinatissimi dicebatur largitus.* Eodem *libro capite* XXII. Emanuel Constantinopol. Imp. fratris sui filia Balduino III. Regi Jerosolym. in matrimonium tradita, dedit dotis nomine centum millia Hyperpyrorum. Ubi idem error *Hyperororum*. Apud eundem Georgium Codinum Curopalaten in *Notitia officiorum Palatinorum* : Ενι δὲ καὶ τεταγμένον δίδοσθαι πρὸς τὸν μέγαν πριμικήριον, κατὰ κυριακὴν χάριν δικανικίου, ὑπέρπυρον ἕν. Quemadmodum autem Romæ denarius per X. drachma autem in Græcia per ⋖ denotabatur, ita etiam duo ἰῶτα ὑπέρπυρον designabant. Scholiastes Harmenopuli *lib.* I. XV. §. 311. ρ'. hoc est, ὑπέρπυρα ρ'. infra II. σ'. quæ postea exponit διακόσια ὑπέρπυρα. De argenteo puto Vincentium Beluacensem intellexisse, quum scribit quadringenta millia Hyperpyrorum quingentis septuaginta marcis argenti valuisse. Sed ibi error est. Nam totidem Hyperpyra argenti valent marcis argenti V. M. DLV. & uncia. Centum autem libris auri signati κεντηνάριον, vocabant, id est, χρυσίνους, sive Solidos, VII. M. CC. Procopius : Τὴν μὲν εἰρήνην πέρας οὐκ ἔχουσαν δέκα καὶ ἑκατὸν Κεντηναρίων ὡμολόγει πρὸς αὐτοὺς θήσεσθαι. Paulo post : Ελκει δὲ λίτρας τὸ Κεντηνάριον ἑκατὸν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ ὠνόμασται. Centenarium igitur erant centum libræ auri signati : cujus creberrima mentio in Historicis Græcis, qui post Procopium scripserunt. Isidorus : *Centenarium numeri nomen est, eo quod centum librarum ponderis sit.* Recte numeri nomen vocat, ut distinguat a ponderali : quod Arabes corrupto nomine *Kintar* vocant. Hispani & Aquitani adhuc *Quintal* dicunt. Centenionales, majorini, & decargyri nummi qui sint in *C. Theodos. si quis pec. const.* adhuc quæro : item in Glossis : *Binio*, δίνουμμα. *Biniones*, δηνάρια : videntur esse ærei, non argentei. Porro adhuc tempore Constantini Magni septeni solidi scrupulorum quaternorum in unciam adpendebantur. Constantinus Magnus *C. Theodos. de pond. & aur. inlat. Si quis solidos adpendere voluerit, auri cocti septem solidos quaternorum scrupulorum nostris vultibus figuratos adpendat pro singulis unciis.* Data est Juliano & Paulino Coss. anno Christi CCCXXV. Si uncia erat septenum solidorum, solidus scrupulorum quaternorum, Solidus ille ad solidos reliquos, qui tantum ternorum scrupulorum erant, eam rationem habebat, quam XXVIII. ad XXIV. hoc est, ut septem ad sex. Nam uncia fuerit XXVIII. scrupulorum, quum tantum deberet esse XXIV. & libra ejusmodi erit scrupulorum CCCXXXVI. quum tantum imputandi essent CCXXVIII. qualem posteriores Imperatores feriri jusserunt. Itaque libra auri Constantini est solidorum LXXXIV. quot denariorum argenti libra vetus Romana. Posteriorum autem Imperatorum Solidi LXXII. in libram adpendebantur. Valentinianus & Valens Lupicino & Jovino Coss. anno Christi CCCLXVII. *lib.* 13. *C. Theod. de suscept. præp. & arc. In septuaginta duos solidos libra feratur accepta.* Arcadius Olybrio & Probino Coss. anno Christi CCCXCV. *C. Th. l. un. de obl. vot. Quando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri, solidi septuaginta duo obrysiaci Principibus offerendi, devotionem animo lubenti suscipimus.* Sane si solidi illi duplo pondere drachmarum erant, libra posterior est libra hodierna aurificum. Sin autem scrupulus auri tantum pendebat, quantum scrupulus argenti, libra illa fuerit marca nostra : quod vero propius est. Quia Imperatores ad legitimam & commodam libram gentes revocant, manifestum est omnium provinciarum, atque adeo omnium civitatum, non eandem fuisse libram : quod passim usurpari videmus ; quandoquidem quot civitates, tot pondera & mensuræ. In *Actis* Marcellini Papæ septuaginta duo testes vocantur libra occidua : occiduam quidem libram intelligo Romanam : quæ distingueretur ab ea, qua uterentur Constantinopolitani, qui dicuntur orientales. Sed obstat, quod hæc acta sunt sub Diocletiano, antequam ullum Imperium Orientis esset : & præterea sub Diocletiano occidua libra illa erat LXXXIV. denariorum, sub Valentiniano, & Arcadio orientalis libra LXXII. denarium. Deinde quod subjicitur, partim intelligo, partim ignoro : *quoniam in septuaginta duorum libra occidua in reparationem surgit annus.* Sane scimus quinquies LXXII. esse duodecim menses Ægyptiacos. Sed cui bono ? Quum autem diversæ sint libræ, LXXXIV. & LXXII. denariorum, videndum utram intellexerit Palladas lib. primo *Antholog.* εἰς Γραμματικούς·

> Λίτραν ἐτῶν ζήσας μετὰ γραμματικῆς βαρυμόχθου.

Tot enim annos se in nugis Grammaticorum consenuisse designat, quot sunt argentei in libra : non autem quot unciæ, ut interpretatur doctissimus Brodæus : quod est ridiculum.

Quamvis consensus gentium in numeris con-

ſpiraverit, tamen quædam deprehenditur differentia in appellationibus ipſis, ut illa non ſolum re, ſed etiam verbis fiat. Primum in utraque lingua ab unitate, ad mille, non admodum diſpar ratio: in ſequentibus variat. Græci numquam *δέκα χιλιάδας* dicunt, non utique analogia, ſed uſu repugnante, qui eſt magiſter & dictator loquendi. Itaque pro eo *μυρία* dicunt. Quia eſt quiddam ſummum *καὶ ὅλον*, in numeris, menſuris, ponderibus, quod proprio nomine deſignatur, non partibus ſuis. Non enim dicimus lignum viginti quatuor unciarum, ſed bipedale, quia pes eſt *ὅλον τι*, quod Pedis nomen proprium habet, neque partibus ſuis nominatur. Diodorus tamen Siculus *τέτταρας παλαιςὰς* dixit, qui eſt pes ſolidus, quum pedem cubiti partem faceret; non facturus, ſi pedibus tantum menſuram concepiſſet, quum ait Seſonchin regem *μεγέθει τέτταρσι παλαιςαῖς μείζονα τῶν τεττάρων πήχεων* fuiſſe: exceſſiſſe ſtaturam ejus quatuor cubitos quatuor palmis. At quatuor palmi ſunt pes. Poterat dicere: *proceritate fuit cubitum quatuor, & pedis*: & quidem diſertius, VII. *pedum*. Itaque *τὸ ὅλον* & maximum in numeris apud Græcos eſt *μυριάς*. Latinis ea quidem fertilitas ſermonis non eſt, ut *μυριάδα* dicere poſſint, quemadmodum Hebræi, Æthiopes, Syri, Arabes. Sed quum pro eo *decem millia* dicunt, in eo a Græcis & Hebræis vincuntur; eos autem vincunt, quod millenarium numerum eleganter reticere poſſunt, quod nullus ſermo præſtare poſſit. Neque enim dixero *διακόσια δραχμῶν*, quemadmodum Latine *ducenta ſeſtertium*. Nec ſolum numerum millenarium ſubticent, ſed etiam ſpeciem ipſam, quæ numero concipitur: quod Græci non poſſunt. Dicunt enim: *Da mihi mutua centum*. Græci: *χρῆσόν μοι ἑκατὸν χιλιάδας σηςερτίων*. In illis Lucilii numerus concipitur, nummi reticentur:

Quid vero &, centum ac ducentum poſſideas ſi Millia?

hoc eſt, ducenta millia ſeſtertium. Idem:

Maximu' ſi argenti ſexcentum mille reliquit.

Ubi obiter duo notanda: primum ævo Luciliano *ducentum millia*, *ſexcentum millia* dici æque ſolitum, ut ducenta, ſexcenta: ut apud eundem Lucilium:

Millia ducentum frumenti tolle medimnum.

Nam conſtruunt *ducentum* non cum millibus, ſed cum nomiſmate aut pondere: quod eſt valde *ἰδιωτικόν*: de quo ſtatim infra videbimus. Præterea notandum apud Lucilium primam produci in *ducentum*; quemadmodum apud Plautum & Terentium in *Triduo*, *Biduo*. Græcis & Latinis convenit in millenario. Nam ut illis *χίλιοι ἄνθρωποι*, & *χιλιάς ἀνθρώπων*, ſic Latinis *mille homines*, *mille hominum*: quorum plura exempla apud Gellium ſuppeditantur. Sed Græcis tam *δισχίλιοι ἄνθρωποι*, quam *δύο χιλιάδες ἀνθρώπων* in uſu eſt. Latini poetæ tantum dixerint *bis mille homines*. Atque hæc quidem levia, quamquam non negligenda. Illud vero mirum, Veteres illos, quum dicerent *mille nummum*, putaſſe *τὸ nummum* eſſe caſus quarti, hoc eſt, accuſativi ſingularis. Nam, ut omittam Nonium, qui in illis exemplis, quæ non pauca adducit, accuſativum pro genitivo poſitum ait in *mille paſſum*, *mille nummum*; audiamus Varronem VIII. *de Lingua Latina*: *Numeri*, inquit, *qui æs non ſignificant, uſque a quatuor ad centum, triplices habent formas: quod dicuntur hi quatuor, hæ quatuor, hæc quatuor. Quum perventum eſt ad mille, quartum adſumit ſingulare neutrum, quod dicitur hoc mille denarium: a quo multitudinis fit millia denarium.* Item infra: *Si eſſet denarii in recto caſu, atque infinitam multitudinem ſignificaret, tunc in patrio denariorum dici oportebat: & non ſolum in denariis, victoriatis, drachmis, nummis, ſed etiam in viris idem ſervari oportere, quum dicimus judicium fuiſſe triumvirum, decemvirum, non triumvirorum, decemvirorum.* Quis tam futilem ſententiam in doctiſſimo togatorum non miretur? Vult enim, ut ex ejus verbis clare colligitur, *mille drachmum* ita dictum, ut *drachmum* ſit quartus caſus ſingularis. Adeo hæc ſtulta opinio mentibus illorum Veterum inoleverat, ut putarent *amphorarum*, *drachmarum* non poſſe dici conjunctim, *decem millia amphorarum*, ſed *decem millia amphorum*: in qua ſententia fuit C. Julius Romanus vetuſtiſſimus & doctiſſimus magiſter, ut a Chariſio vocatur. Quis hoc ferat in tanto Critico? quaſi Lucilius non dixerit,

—— ſcalprorum, forcipicumque
Millia viginti. ——

& Plautus *Trinummo*:

—— mille drachmarum Olympicum.

& contra Remnius Favinus libello *de ponderibus* dixit *drachmum*:

Sexaginta minæ, ſeu vis, ſex millia drachmum.

Non *drachmas*, ut editum eſt. Chariſius: *Item in conjungendo propria quibuſdam poteſtas, quæ ratione excluditur; ut quum dicimus, quinquaginta millia nummum.*

His omnibus præmunivimus nos, antequam ad nobile certamen ſummorum virorum veniamus, quorum alii *Seſtertia* neutro genere nummum millenarium ſignificare affirmant; alii *Seſtertia* neutro genere a veteribus oratoribus uſurpata, a ſolis autem poetis architectata ſomniant: unde etiam, ſi Diis placet, *Seſtertia poetica* appellant. Quæſtio e media quidem Grammatica eſt, ſed qua, in re nummaria, nulla ſit majoris momenti. Utrique enim illi caſtigandi ſunt; quod parum Grammatici hic fuerunt. Primum, hæc duo, MILLE, & DECIES, alterum purum putum ſubſtantivum eſt, ut *χιλιάς* Græcis, alterum tranſivit in naturam ſubſtantivi communicatione articuli. Dicitur enim *hoc Decies*, *hoc Centies*. Varro: *Nam quum dicatur* HOC DECIES, *ut* HOC MILLE, *hujus mille; ut ſi utrumque ſine caſibus vocis, dicemus, ut hoc mille, hujus mille; ſic* HOC DECIES, &c. Martialis:

Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.

Denarius autem, & *Seſtertius* ſunt adjectiva; ut, *Denarius numerus*, *denarius nummus*; *denarium Philippeum* Plauto in *Rudente*:

—— centum denaria Philippea.

Nam *Philippeum* eſt ſubſtantivum neutrum. Varro: *In quo nobilius Philippeum, quod in bulgam abdimus.* Sic *ſeſtertius pes*, XII. Tabulis, *ſeſtertius nummus*, *ſeſtertium bipalium* Columellæ: *ſeſtertium miliare*. In feminino genere quid vetat dicere *ſeſtertiam drachmam?* *τρίτον ἡμίδραχμον*, ut Græci loquuntur, & Theutoniſmus non ſolum hodiernus, ſed etiam priſcus Ripuariorum, in

quorum *legibus* Titulo XXIV. *tertio dimidio ſolido*, ut Græci τρίτον ἡμιχρύσινον, Latine *ſeſtertio ſolido*: item Tit. XXVI. *octavo ſemiſolido*, ὀγδόῳ ἡμιχρυσίνῳ. In Titulo XX. 2. error eſt: *quinque dimidiis ſolidis*. Proculdubio legendum, *quinto dimidio ſolido*: πέμπτῳ ἡμιχρυσίνῳ. Sic igitur *ſeſtertiam drachmam* dicere, analogia non prohibet. Ergo *denarium*, & *ſeſtertium* adjectiva ſunt, non ſubſtantiva: & in re nummaria Millia ſeſtertia, Millia denaria dicuntur, perinde ac ſi Græce eſſet, χιλιάδες σηςέρτιαι, χιλιάδες δηνάριαι. Dicimus ergo *tria millia ſeſtertia*, & *tria ſeſtertia* pro eadem ſumma, ea felicitate reticendi τὸ *millia*, qua Græcos carere ſupra indicavimus. Propterea Juriſconſultus dixit tria Denaria, hoc eſt, tria millia denaria: *l. Lucius. D. de Legatis* II. *Quiſquis mihi heres erit, ſciat debere me Demetrio patruo meo denaria tria, & depoſita apud me a Seleuco patruo meo denaria tria, quæ etiam protinus reddi & ſolvi eis jubeo*. Bis idem repetitur, ut omnem ſuſpicionem mendi abeſſe neceſſe ſit. Quin & vetuſtiſſimæ Inſcriptionis auctoritate ea locutio confirmatur. DONVM. DEDIT -X- V. VT. EX. VSVRIS. CENTESIMIS. EJVS. QVANTITATIS. QVÆ EFFICIT. ANNVOS -X- DC. DIE. IX. KAL. OCTOBR. NATALI. DIVI. AVGVSTI. EROGENTVR. EX. ARK. Ibi -X- V. ſunt denaria quinque millia, ut apud Juriſconſultum *tria denaria*. Nam ex quinque millibus denarium centeſimæ uſuræ annuæ nomine gignuntur denarii DC. ut continetur in ipſa Inſcriptione. Itaque in eadem habes V. *denaria* in neutro, & DC. *denarios* maſculino. Eodem modo concipiendum in Inſcriptione Barcinonenſi: -X- VII. D. nempe, *denaria ſeptem, quingenti*. Prius in neutro plurali adjectivo; poſterius in plurali maſculino. Sed in Inſcriptione agri Bergomatis XXX. appoſitum eſt bis ſine adjectione, id eſt, *triginta denaria*. M. CARBASVS. PATIENS. DEDIT. XXX. & infra: FILIO. EJVS. RETERE. DEBEBVNT. XXX. *Seſtertia* an *Denaria* dicendum ſit, nemo poſſet aſſequi, niſi uſura dextantalis appoſita fuiſſet -X- III. *denaria tria*. In Helvetia in pago Wettingen: AD. CVJVS. TEMPLI. ORNAMENTA. ALPINA. ALPINVLA. CONJVNX. ET. PEREGRINA. FIL. -X- C. DEDERVNT. Interpretandum *denaria centum*. Item Arelate: LEGAVIT. EIS. TESTAMENTO. -X- CC. id eſt, *denaria ducenta*. In Mandubiis ex Antonio Piſone: FLAVIVS. CATVLLVS. TESTAMENTO. AD. MARMORANDVM. BALINEVM. LEGAVIT. R. P. -X- LXXV. id eſt, *denaria ſeptuaginta quinque*. Eodem modo dicta ſunt *denaria decem*, l. 20. §. I. *de ann. leg. & fideicom. Quiſquis mihi heres erit, fidei ejus committo, uti det ex reditu cœnaculi mei, & horrei, poſt obitum, ſacerdoti & hierophylaco, & libertis, qui in illo templo erunt, denaria decem, die nundinarum, quas ibi poſui*. Neque vero poetice denaria hic dici objicient, niſi privatos homines in teſtando poetari ſolere concedamus. Neque poſſunt effugere, quin tria ſeſtertia, & tria denaria eodem modo dictum ſit, quo plena oratione tria millia ſeſtertia, tria millia denaria. Quid audebunt hiſcere adverſus illud Horatianum?

Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia nummum.

Nam, ſi, ut ipſi volunt, *ſeſtertium* eſt Nummus poeticus, quæ hæc erit locutio, *Seſtertia nummum*, niſi nummos nummorum? Mirum vero, quum tot poetica ſeſtertia protulerint, non vidiſſe jugulari ſeſe iſtis poeticis ſeſtertiis nummum, id eſt, nummis nummorum. Sed quid opus hæc pluribus rationibus munire, quum Chariſius doctiſſimus & vetuſtiſſimus Grammaticus id digito ita indicarit, ut vel obſtinatiſſimo cuique per illum tacere liceat: *Item in conjungendo propria quibuſdam poteſtas, quæ ratione excluditur: ut quum dicimus, Quinquaginta millia nummum: nec ſtatim centies nummum dicere poſſumus, ſed centies ſeſtertium: nec tamen quinquaginta ſeſtertium, ſed quinquaginta ſeſtertia dicimus*. Ecquod telum efficacius eorum pertinaciæ conficiendæ adferri potuit? Quinquaginta ſeſtertia, non quinquaginta ſeſtertium dici debere diſerte dicit. Quid? dicemus Chariſium poetari? Hujus ineptæ ſententiæ pater eſt maximus ille Georgius Agricola, cujus auctoritas & eximia doctrina alios doctos viros in eundem errorem præcipites dedit. Poteram huc congerere multa teſtimonia, non ſolum ea, quæ ipſi adverſus ſeſe adducunt, ſed & alia non pauca, quæ illorum manifeſtum errorem confutare poſſunt; præſertim Inſcriptiones veteres, in quibus HS. XII. N. *ſeſtertia duodecim nummum* ſignificant, ubi numerus XII. non habet virgulam inſtratam, qua ipſi volunt millenarium numerum deſignari: quum tamen plures numeri in veteribus ſaxis extent, quibus illa virgula impoſita non eſt, quam qui habent. Præterea quæro ex illis, quid in Catulli *Hendecaſyllabis* extat, quod e medio vulgi ſermone petitum non ſit? Quid in *Sermonibus* Horatii, qui gloriatur ſuos verſiculos, ſi carminis legem retexas, videri poſſe id, quod titulus libri promittit, ſermones meros? Sed friget eorum commentum: neque omnia faciendo vitare poſſunt, quin quæ Horatius, & Catullus, ut alios poetas taceam, *ſeſtertia* vocarunt, eadem Cicero, & alii ſermonis Latini proceres, totidem ſyllabis ac literis uſurparint. Cicero *Paradoxis*: *Capit ille ex ſuis prædiis ſexcenta ſeſtertia*. Idem VI. *Verrina*: *Ex eo fundo, cui ſeſtertia dena merces eſſet*. Hic corrigunt *ſeſtertium dena*: quod barbarum & inauditum eſſe audacter pronunciamus. Salluſtius: *Præmium ſervo libertatem, & ſeſtertia centum*. Et hic *ſeſtertium* ſubſtituunt: quod negamus Latinum eſſe. L. Seneca decimo *Epiſtolarum ad Novatum*, citante Priſciano: *Viginti quatuor ſeſtertia, id eſt, talentum Atticum*. M. Seneca in *Controverſiis*: *Quum donaret illi Cæſar Talentum, in quo* XXIV. *ſeſtertia ſunt*. Q. Curtius *libro* VIII. *Data ſingulis quinquaginta ſeſtertia*. Quæ *lib*. IX. rectiſſime exponit *aureos mille*. Juvenalis *ſat*. V.

Quadringenta tibi ſi quis Deus. ——

Veteres Gloſſæ, *Seſtertia dederit, ſcilicet*. Apulejus *Mileſia* X. *Eique protinus quinquaginta promittit ſeſtertia*. S. Cyprianus *de redempt. captivorum*: *Miſimus ſeſtertia centum millia nummum*. Tacitus *Annali* XI. *Daturum liberis ejus ducena ſeſtertia*. Eodem: *Capiundis pecuniis poſuit modum uſque ad dena ſeſtertia, quæ egreſſi repetundarum tenerentur*. Quid de illo Gelliano dicent *lib*. XIX. *cap*. X. *Neceſſaria eſſe videri ſeſtertia fere trecenta, & præter propter alia quingenta*. Sed diſertius *lib*. V. *cap*. XII. *Id eſt, nummi noſtri ſeſtertia duo & ſeptuaginta*. Suetonius *Veſpaſiano*: *Centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim projicerent*. In *Vita Virgilii*: *Dena ſeſtertia pro ſingulo verſu Virgilio dari juſſit*. Macrobius: *Quum Cæſar aliis, qui ſecum pila luſitabant, centena ſeſtertia; illi uni quinquaginta dari juſſiſſent*. Tertullianus *Apologetico*: *Video enim & centenarias cœnas a centenis jam ſeſtertiis dicendas*. Iſte locus Tertulliani ſeſtertiis poeticis tragulam injicit. Quis enim dixerit *centenarias cœnas* a centenis nummum, ut ipſi volunt, dictas? Quam ridiculum! Non ſunt ergo audiendi doctiſſimi viri, qui ſeſtertia poetica hariolantur, & ſexcentos Veterum locos temere audent, ut ſomnia ſua muniant. An & Græcos quoque poeticari dicent? Iis quidem

Denarius, Δηνάριον, & Sestertius Σηςέρτιον neutro genere enunciatur. Tamen Σηςέρτια numero multitudinis illis sunt idem, quod Sestertia Latinis. Græci etiam mille nummos vocant Σηςέρτια. Plutarchus in *Fabio*: *Θέας δὲ μυσικὰς καὶ θυμελικὰς ἄξειν ἀπὸ σηςερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος*. Deinde hujus summæ rationem conficit ad drachmam Atticam: *Τοῦτο τὸ κεφάλαιον ἐστιν ὀκτὼ μυριάδες δραχμῶν, καὶ δραχμαὶ τρισχίλιαι πεντακόσιαι ὀγδοήκοντα τρεῖς, καὶ δύο ὀβολοί*. Hic igitur *τριακόσια τριάκοντα τρία σηςέρτια* haud dubie sunt, quæ Latine *trecenta triginta tria sestertia*. Ea sunt LXXXIII. millia, CCL. denarii: quibus si addas trecentos triginta tres denarios, efficies summam propositam nummi Attici: nempe octoginta tria millia, quingentas octaginta tres drachmas. Sestertia poetica, & menda librariorum, quæ docti homines caussabantur, strenue hoc unico loco Plutarchi eluduntur. Nam sestertia poetis ademit Plutarchus; Cicero autem, & alii, ac imprimis Varro & Charisius *sestertia millia* a mendi suspicione vindicant. Dicebant igitur plene, decem sestertia millia; & præcise, decem sestertia. Alterum, quia millia est nomen substantivum; sestertia adjectivum: alterum, quod *sestertia* ex adjectivo in naturam substantivi transierunt; quæ hodiernum Grammaticorum vulgus barbare quidem, sed tamen signanter, nomina substantivata vocant. Quæ observationes Grammaticæ multum lucis his difficultatibus adferunt. Dices igitur, decem sestertia, decem millia sestertia, decem sestertia nummum: quorum exempla infinita sunt apud auctores, & in veteribus saxis. Cicero *Verrina* quarta: *Facta est sponsio sestertium quinque*. Sestertia quinque vocat, quæ postea sestertia quinque millia. Paulo post: *Coegit Scandilium quinque illa millia dare*. Plus dico: ut *millia sestertia*, ita *millia modia*, *millia medimna* dicebant, & simpliciter *medimna*. Cicero *Verrina* v. *Tritici septem medimna ex Nymphonis arationibus tollit*. Ibidem: *Tritici medimna triginta quatuor*: utrobique inepte *medimnum* excusum. Nam *medimnum* ex substantivo factum adjectivum: idem mendum in eadem: *Anni tertii decimæ anno tertio venierunt tritici modium triginta sex*: quod barbare conceptum: scribe *modia*. Iterum *in Verrem*: *Medimna* DCC. Medimna septingenta, id est, septingenta millia medimnum. Ibid. *Medimna* XXXVI. intellige triginta sex millia medimnum. Priscianus lib. VII. agnoscit *Medimnum*, non *medimna*: quare menda est vetustissima. Priscianus legit *septies medimnum*. quod est & ipsum adjectivum. Sed summa longe major: nam *septem medimna* sunt septem millia medimnum: *septies medimnum*, septies centena millia. Rursus Cicero in *Epistolis*: *Ea pars est ad* XXX. *sestertia*. In *Verrinis*: *Numerantur illa sestertia ducenta quinquaginta Syracusis*. Superest nunc ut de amplis millenariis verba faciamus. Ampli millenarii sunt, quibus præposita est nota adverbii amplificativi, *decies*, *centies*, *millies*. Hæc adverbia naturam nominum substantivorum induunt accessione aut articuli, ut *hoc Decies*; aut κατηγορουμένου, ut *Decies plenum*, *decies laxum*, *decies amplum*, *decies sestertium*. Nam, ut ostendimus, *sestertium* est adjectivum. Valerius *lib.* IX. *Qui decem arbuscularum umbram tricies sestertii summa compensas*. Suetonius *Cæsare*: *Sexagies sestertio margaritum mercatus est*. Seneca: *Claudius Cæsar centies sestertio cœnavit uno die*. Cornelius Nepos in *Attico*: *Ut neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit: neque in sestertio centies affluentius vixerit*. Seneca *De Beneficiis* IV. cap. XXXVI. *Sestertio centies objurgandus sim*. Idem *ad Helviam*: *Quorum Pantomimæ sestertio decies nubunt*. Ista autem quæ per amplificationem enunciantur, intelligenda sunt de sestertiis, nisi speciatim denarii nomen adjiciatur. Plutarchus in *Antonio*: *Τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο Ῥωμαῖοι* ΔΕΙΚΕΣ *καλοῦσι*: viginti quinque myriades quadruplicatæ sunt decies centena millia sestertium. Quum tam clare id a Plutarcho scriptum sit, vir tamen doctissimus Othomanus negat DECIES de sestertiis intelligendum. Quod quia manifesto falsum est, non confutabo. Idem doctus vir collegit magnam silvam amplissimæ hujus summæ: ubi major pars redigenda ad variationes casuum; quas ipse quum intelligeret, non posuit tamen; quum *sestertium* in genitivo plurali, pro *sestertii* aut *sestertio* legit. Hæc lector studiosus corrigat: ut in illo Suetonii in *Julio*, L. *Sexagies* HS. *margaritum mercatus est*. Othomanus legeret *sestertium*: nos vero *sestertio*. Sic *Philippica* secunda: *Syngrapha* HS. *centies per legatos viros bonos, sed timidos, & imperitos, sine Sextii, sine reliquorum hospitum Regis sententia, facta in gynæceo*. Rursus idem doctus vir hic legeret *sestertium*: nos *sestertii*. Apud Vellejum de C. Curione: *An accepto centies* HS. *fecerit*. An hic dicet *accepto centies sestertium*; non *sestertio*? Nugæ. Quis ferat ita loquentem? Adducit postea locum ex Capitolino, ubi mendum insigne odoratus non est: *Omne autem convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus sestertium*. Quod quid sit, qui Latine sciunt, non intelligent. Legendum enim *sexagies centies millies sestertio*. Retro ratio concepta est, more Græcorum, & Hebræorum: quum prisci Romani ita dicturi fuissent, *millies centies sexagesies sestertio*. Negari non potest hanc lectionem ab erudito viro intellectam non fuisse. Locum ex IV. *Historia* Taciti adducit Othomanus, ubi mendum tollendum est: *Quum ex funere Reip. ruptis consularibus spoliis septuagies sestertio signatus, & sacerdotio fulgens*. Ubi sine ullo dubio legimus, *septuagies sestertio saginatus*. Doctissimus vir posuerat *dignatus*. Sed neque consultius in Suetonii *Vespasiano* XIX. *Ut audit* LLS. *centies*, locum illum interpretatur *sestertium centies*, ita ut *sestertium* sit genitivus pluralis. Quis enim Latine intelligens dixerit *centies millia sestertium*? Grammatica patitur *centies mille*, usus non admisit. Quis dubitare possit, ibi legendum *sestertiis centum*? Idem error apud Ciceronem *ad Atticum* lib. II. epist. XX. *Diodorus mortuus est: reliquit nobis* HS. *fortasse centies*: legendum enim *centum*: id est, sestertia centum. Minus assequitur illud Suetonii in *Galba*: *Liviæ mortuæ testamento pæne ditatus est*. HS. *namque quingenties, quum præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa, here de Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hoc quidem accepit*. Locus est luculentus, & ex iis, quæ supra adduximus, facilis explicatu. Livia scripserat HS. IↃↃ. PRÆCIPITO. Divinandum est, utrum hæ notæ *quingenties sestertium*, an *quingenta sestertia* designent. Hinc Tiberius ansam circumscribendi legatarii captavit, quod interpretatio in notis ambigua est, eodem modo, quo epistola v. lib. VI. *ad Att. Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras, velle te bene evenire, quod de Crasso domum emissem. Emi eam ipsam domum* XXXV. Paulus Manutius male eam summam interpretatur. Incertum utrum *tricies quinquies sestertio*, an *triginta quinque sestertiis*. Vellejus *lib.* II. *Mandetur deinde memoriæ severitas judiciorum: Quippe M. Cato Consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est, quum lis ejus* IV. M. *æstimaretur*.

maretur. Nemo non videt ex voce *ejus* faciendum A *ei* HS. Sed *quatuor millibus sestertiorum*, an *sestertio quater millies* legendum, dubitari possit. Apud Ciceronem in *Verrinis*, XVIII. M. non IV. M. legimus: quum de hac re bis loqueretur. At vir eruditus in Suetonii *Galba* ait a Livio in testamento scriptum fuisse HS. QVING. Quis unquam ita scripsit, ut quum notulis IↃ. possit *quingenta* designare, id pluribus literis, truncata voce, quomodo nemo unquam scripsit, mallet exponere? Manifestum est eum errare: ut in illo ex *Verrina* IV. *Sestertium undecies numerata esse*: probat hanc B lectionem; veterem, quæ *numeratum* retinebat, damnat. Nos contra. Idem non multo post utramque lectionem probat; nos negamus *undecies sestertium nummum*, item *undecies numerata* Latinum esse. Hoc indignum tam diserto viro. Concludimus igitur, Decies, centies, millies, & omnia ejus formæ amplificativa omnium casuum articulos, & omnium adjectivorum casus recepisse. Hoc decies, hujus decies; decies amplum, decies ampli, decies amplo. Sic decies sestertio, decies sestertii: &, toties sestertio, toties sestertii. Seneca *epist.* XCV. *Et toties tamen sestertio adjiciales cœnæ fortissimis viris constiterunt*. Ita habent scripti codices, & editi, antequam Mureti C editio prodiret; qui, nisi fallor, auctor est istius mutationis. Atqui Seneca *toties sestertio* dixit, id est, tam immani summa. Neque profecto caussæ erat, cur aut Muretus lectionem mutaret, aut alii docti de ea dubitare & velitari nondum desinant. Sed considerandum fuit, quod dixi, hæc adverbia amplificativa esse nomina substantiva, & propterea *centies sestertium* dici posse, quod *sestertium* sit adjectivum. Charisius: *Nec statim centies nummum dicere possumus, sed centies sestertium*. Verissime quidem ille; sed caussas non apponit, aut nescivit. Nescit enim, aut non advertit, *sestertium* esse adjectivum. At ille putat esse geniti- D vum pluralem, ut *nummum*. Miratur igitur, quod quum dicatur centies sestertium, non dicatur tamen centies nummum. Non igitur dicimus *accepto decies nummum*, neque *acceptis decies sestertium*. Hæc enim barbara sunt. Esto hæc regula: Nunquam genitivum cum amplificativis jungi. Non enim dicimus *centies nummum*, ut recte monet Charisius, & Varro. Præterea: Numquam amplificativa pluraliter enunciari. Non enim dicimus *hæc decies, hæc centies*: in *Verrina* III. *Hinc* HL. *quater decies P. Tadio numerata*: scribendum, *numeratum*. Gellius *lib.* XII. *A. P. Sulla*, E *qui tum reus erat, mutua* LLS. *vicies tacite accepit*. Imo *mutuum*. Sed infinita extant passim apud auctores multitudinis numero scripta, quæ ad singularem numerum restituenda sunt. Satis est attentum lectorem monuisse. Livius *lib.* XL. *Sestertium nummum quater & vicies ab iis est exactum*. Tollatur τὸ *nummum*. Jam enim ex Charisio intellexisti, non dici *decies nummum*. Apud eundem XLI. X. *pondo auri & argenti ad summam sestertium decies in ærarium retulit*. Legendum *sestertii*. Apud Senecam nondum locus animadversus est *Quæst.* I. cap. XVI. *Hunc divitem avarum* F *sestertium millies servum*. Legendum *sestertii*. Tacitus: *Bis & vicies mille* LLS. *donationibus Nero effuderat*. Scribendum, *Bis & vicies millies sestertium*. Martialis propter versum, licentia poetica, dixit decies centum millia. In soluta oratione esset decies centena:

Si dederint superi decies mihi millia centum.

Solinus amplificativam summam amplum sestertium vocavit, *cap.* XL. *Denique basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni compararunt*. Amplum sestertium putamus esse DECIES: quod Horatius vocavit solidum:

Scilicet ut decies solidum exorberet. ——

ea enim est ampla summa. Non enim est nummus, ut placet doctissimo Turnebo, sed numerus, καὶ ἄθροισμα. Budæus non semel perstringit eos qui censent τὸ *sestertium* esse rectum, aut quartum casum, quum, inquit, is sit genitivus. Notandum vero, quod supra monuimus, tam simplam, quam amplam summam, iisdem notis concipi solitum fuisse; ut quia error in ambiguo lectionis committi posset, magna attentione opus fuerit: quemadmodum vidimus in testamento Liviæ apud Suetonium *Galba*. Legimus itaque apud Plinium: *A Gange amne, ostioque ejus, quo se in eorum Oceanum effundit, per Indiam Parthienemque, ad Myriandron urbem Syriæ, in Issico sinu positam* LII. M. XV. *passuum, decem & novem*. Martianus Capella hæc, ut solet, ex Plinio exscribens non notis, sed præscriptis verbis, ita extulit: *quinquagies bis centena quindecim millia*. Tamen ex Plinio τὸ *centena* non possunt erui, nisi per interpretationem. Rursus apud eundem: *Latitudo autem terræ a meridiano situ, ad Septentrionem dimidio fere minor colligitur* LIV. M. LXII possumus interpretari quinquaginta quatuor millia passuum, sexaginta duos. Sed Martianus amplificative: *quinquagies quater centena sexaginta duo millia*. Plinius: *Longitudinem Europæ Athenodorus, atque Isidorus a Tanai, ad Gades*, LXXXII. XCIV. Putarit aliquis esse octoginta duo millia nonaginta quatuor. Martianus: *Octogies bis centena nonaginta quatuor*: scilicet, millia passuum. Itaque qui huic dubio occurrere volebant, simplicem summam addito N. scribebant HS. V. N. *sestertiis quinque nummum*. HS. V. autem est *sestertio quinquies*. Quod autem attulimus de amplificativis adverbiis per omnes casus usurpatis, id fecimus, non quia nemo id adverterit, adverterunt enim Budæus, & Othomanus, alii, sed quia uterque, ac præsertim Othomanus, non raro in iis, quæ adducunt, testimoniis peccarunt: quorum quædam superius correximus. Sic apud Livium *lib.* XLV. hodie editum est: X. *pondo auri & argenti ad summam sestertium decies in ærarium retulit*. Ubi idem doctus vir non vidit, legendum esse, *sestertii*: ut in illo *Annalis* II. apud Tacitum: *Inlectus a divo Augusto liberalitate decies* HS. putat *sestertium* legendum: ubi eadem hallucinatio. Nam *sestertii* scripserat Tacitus. Sed infinita sunt, quæ ille præpostere legit, ut mediocriter docto constare potest. Plinius de Citro *lib.* XIII. *cap.* XV. *Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo ævo, empta* HS. X. *Memoratur & C. Asinii sestertio undecies*. Ubi mirum in modum Budæus hallucinatur, qui putavit esse sestertiis decem, & sestertiis undecim. Mirum vero decies sestertio mensam Ciceronis emptam dici a Plinio, a Tertulliano autem quingentis millibus: hoc est dimidio, quam Plinius dixit: contra Asinii Galli duplo, id est, decies sestertio, non undecies sestertio, ut perhibet Plinius. Itaque Petrus Ciacconius Hispanus, vir acri judicio, legebat HS. D. id est, ut ipse interpretabatur, sestertiis quingentis. Sed hoc esset quingenties sestertio: quæ summa est immanissima. Sic in *Vita Persii* a vetustissimo Grammatico conscripta: *Reliquit circa* HS. XX. *matri, & sorori*. Haud dubie intelligendum, sestertium vicies. At si scriptum fuisset HS. XX. N. essent sestertia viginti: ut, quod Ciacconius volebat, si scriptum esset HS. D. N. essent sestertia quingenta. In eadem

Vita statim post: *ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centies*. Nemo non videt legendum esse *sestertium*. Sic ejusdem optimi Grammatici Glossæ a nobis olim excerptæ, in Sat. IV. de Crispino oratore: *Possedit bis* ∞ HS. Intellige *bis millies sestertium*. Addita notula N, fuisset *bis millena sestertia*. Quæ quidem nota in veteribus saxis & libris extare videtur, ob eam caussam, ne summa simpla pro ampla accipiatur. Aliquando non apponitur, si adjectivum, aut participium plurale antecedat: ut in illo monumento: HVIC. MONVMENTO. EX. TESTAMENTO. LEGATA. SVNT. HS. VII. A. SEMPRONIO. SEVERO. Est simpla summa. Hoc est, sestertia septem. Quod si LEGATVM scriptum fuisset, ea esset ampla summa, nempe sestertium septies. Romæ in S. Cæsarii ad Tiberim: L. TARQVITIO. L. F. POMP. ETRVSCO. SVLPICIANO. SCRIBÆ. QVÆSTOR. EX. TESTAMENTO. D. HS. XX. Ambiguum, utrum datum sestertium vicies, an data sestertia viginti. Et multa alia præterea, quæ lectori observanda relinquimus. Romæ ante hortos Carpenses: PROCVR. TRIVM. PROV. GALL. LVGDVNENSIS. NARBONENS. ET. AQVITANIÆ. AD. SS. LX. PROC. ALEX. PELVSI. AD. SS. C. id est: Procuratori trium Provinciarum Galliæ, Lugdunensis, Narbonensis, & Aquitaniæ, ad sestertium sexagies. Procuratori Alexandriæ Pelusi ad sestertium centies.

Nunc exiguum spicilegium faciemus quorundam locorum selectorum apud veteres auctores, qui animadversione opus habent. Plinius *libro* XXXV. *cap.* IV. *Namque quum in præda vendenda res distraxisset, & Rex Attalus sexdecim libris emisset Aristidis tabulam*, &c. pro *sexdecim libris* legendum *sexcentis millibus*. Lapsus facilis: id est 12500. scutatis Solaribus.

Valerius Maximus *lib.* IV. *cap.* II. *Fabricius a Samnitibus, quos universos in clientela habebat, denos æris, & quinque pondo argenti, &c.* Manifesto legendum *dena æris*, scilicet pondo: duplum pondus auri quam argenti: ubi Othomanus legit *decies æris*: quod supra ostendimus barbarum, non Latinum esse. Minus vitiose editio Pighiana, *decem æris*.

Livius *lib.* XXII. de ludis votivis Q. Fabii Maximi: *Ejus rei caussa ludi magni voti æris* CCCXXXIII. *millibus, triente*. Mutila oratio. Scripsit Livius: *Ejus rei caussa ludi magni voti æris* CCCXXXIII. *millibus, trecentis triginta tribus, triente*. Plutarcho auctore, cujus verba: Θέας δὲ μουσικὰς καὶ θυμελικὰς ἄξειν ἀπὸ σηστερτιων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος. Duo errores: alter librarii; alter Plutarchi. Plutarchi quidem æreos nummos σηστερτίους ἀντὶ ἀσσαρίων interpretantis: Librarii, quum Plutarc. scripserit: ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν χιλιάδων, καὶ τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος. Quam ridiculum enim, postquam sestertiorum meminisset, totidem denarios pro minore summa subjicere! Budæus recte suspectum de mendo locum Plutarchi habuit; sed Othomani sententia longe discedit a vero: neque ullum operæpretium est confutare. Contrarius error est ejusdem Plutarchi sestertios pro drachmis accipientis. Cicero *pro Sexto Roscio*: *Bona patris hujusce Sexti Roscii, quæ sunt sexagies, quæ de viro fortissimo & clarissimo L. Sulla duobus millibus nummum sese dicit emisse L. Chrysogonus*. Plutarchus hæc interpretans: αὐτὸς ἐωνῆσθαι δισχιλίων δραχμῶν: imo δισχιλίων σηστερτίων, hoc est, πεντακοσίων δραχμῶν, vel potius δηναρίοις dicere debuit. Idem error Strabonis *lib.* V. in fine: ὥστε ὑπὸ λιμοῦ διακοσίων δραχμῶν πραθέντος μυός.

Plinius *lib.* VIII. *cap.* LVII. *Venisse murem ducentis nummis Casilinum obsidente Annibale*: hoc est, πεντήκοντα δραχμῶν.

Plutarchus in *Camillo*: Ὦφλε τὴν δίκην ἐρήμην τίμημα μυρίων καὶ πεντακισχιλίων ἀσσαρίων ἔχουσαν, ὃ γίνεται πρὸς ἀργυρίου λόγον χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντακισχίλιαι. ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον. καὶ τὸ δεκάχαλκον οὕτως ἐκαλεῖτο. Plutarchus scripserat: Ὃ γίνεται πρὸς ἀργυρίου λόγον χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντακόσιαι. Ἀσσαρίων γὰρ I ἦν τὸ ἀργύρειον.

Apud Livium *lib.* VIII *Vectigal quoque ejus Campanus populus jussus pendere in singulos quotannis (fuere autem mille & sexcenti) denarios nummos quadringentos quinquagenos*. Quis non videt τὸ *denarios* abundare? Neque enim Livius *denarium nummum*, sed *denarium* tantum vocare solet: neque adhuc denarius Romæ signatus erat, ut docet Plinius, & nos in *Eusebianis*.

Apud eundem *libro* XXXIII. *Tulit in triumpho argenti denarios triginta quatuor millia, & quingentos quinquaginta*. Neque proba est locutio, neque summa digna triumpho florentissimis rebus Romanis. Legendum, *denarium trecenta quatuor millia*: quo modo locutus est *lib.* XLI. *Tulit in eo triumpho denarium* CCCVII. *millia, & victoriatum* LXXXV. *millia*, DCCII.

Appianus *Civilium* II. Διένειμε τὰ ὑπεσχημένα πάντα ὑπὲρ ἄλλων, στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχμὰς Ἀττικάς, λοχαγῷ δὲ αὐτοῦ τὸ διπλάσιον, καὶ τοῖς δημόταις ἑκάστῳ μνᾶν Ἀττικήν. Lege, πεντακοσίας δραχμὰς ex Suetonio in *Julio*, cap. XXXVIII. Sic contra alibi πεντακοσίας pro πεντακισχιλίας.

Dion in *Claudio*: Τοῖς δορυφόροις πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς ἔδωκε. Josephus de Claudio: Δωρεῖται τοὺς σωματοφύλακας πεντακισχιλίαις δραχμαῖς. Sane πέντε καὶ εἴκοσι non sunt πεντακισχίλιαι. Sed antiquarius, qui Dionem exscripsit, πέντε καὶ εἴκοσι γραχμ. ά posuerat. Nam ά est χιλιάς. Itaque πέντε καὶ εἴκοσι δραχμῶν χιλιάδας scripsit Dion, non πέντε καὶ εἴκοσι δραχμάς. Idem dixit Spartianus in *Didio*: *Sane quum vicena quina militibus promisisset, tricena dedit*.

Cicero *Attico* libro I. epist. V. *L. Cinnio* LLS XXCD *constitui me curaturum*. Lege LLS XX CIↃ minima mutatione: hoc est, sestertia viginti millia.

Dio *lib.* XLI. de Cæsare Dictatore: Ἀπηγόρευσε μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ, ἢ χρυσίῳ κεκτῆσθαι. Lege: πεντακισχιλίων μυριάδων. Porro potest vox δραχμῶν sine detrimento sententiæ abesse: quod putamus verum esse.

Apud eundem *lib.* LVI. Τῶν δὲ γυναικῶν τισὶ καὶ παρὰ τὸν Οὐοκώνιον νόμον, καθ' ὃν οὐδεμιᾷ αὐτῶν οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν, συνεχώρησε τοῦτο ποιεῖν. Mendum manifestum. Reponendum: οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας τετιμημένου οὐσίαν κληρονομεῖν.

Cicero *in Verrem*: *Sestertium quadringenties accepisse te arguo contra leges*. Plut. in *Cicerone*: Οὕτω δὲ τοῦ Βέῤῥου καταδικασθέντος ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων τιμησάμενος τὴν δίκην ὁ Κικέρων διαβολὴν ἔσχεν ὡς ἐπ' ἀργυρίῳ τὸ τίμημα καθυφειμένος. Docti frustra de mendo suspicantur. Cicero Verrem quadringenties quidem accepisse dixit, quum tamen tricies sestertio litem ei æstimarit pecunia corruptus: quod Græce dicitur καθυφίεσθαι: hoc est, caussam prodere: quo nomine καθυφέσεως δίκη Athenis prodita. Glossæ: *Prævaricor reo*: Καθυφίημι τοῦ ὑπευθύνου.

Tacitus *Historia* secunda, de Vitellio: *Ipse abunde ratus, si præsentibus funeraretur, nec longius consultans, novies* LLS *paucissimis mensibus interver-*

ciſſe creditur. Deeſt nota M. novies M. LLS. hoc eſt novies millies ſeſtertium. Zonaras de eadem re: Πρὸς πάντων ὡμολόγηται δύο μυριάδας μυριάδων καὶ χιλίας πεντακοσίας ἐν τῷ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ χρόνῳ εἰς τὰ δεῖπνα αὐτὸν δεδαπανηκέναι. Locus eſt luculentus, ſed inſigniter mutilus. Nam Zonaras ita ſcriptum reliquerat: ὡμολόγηται εἴκοσι δύο μυριάδας μυριάδων, καὶ χιλιάδας πεντακοσίας. Novies millies ſeſtertium ſunt denarii, vel, ut ipſe loquitur, drachmæ 225000000. quæ ſane ſunt εἴκοσι δύο μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες πεντακόσιαι μυριάδων. Hoc eſt, ut vulgo Logiſtæ loquuntur, Regalium Caſtilienſium, aut Juliorum Pontificiorum milliones ducenti viginti quinque; Scutatorum monetæ in Italia, milliones viginti duo, & præterea ſcutatorum quingenta millia: aut milliones viginti duo ſemis ſcutatorum monetæ. Francici nummi 18750000. ſcutatorum Solatorum. Tantum potuit abſumere gurges ille.

Plutarchus in *Cæſare*: Ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον ἔμμηνον· ἐξ οὗ δαπάνης μὲν πεντακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες ἐνιαύσιοι προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασι. Legendum ſine dubio: ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες. Nam idem in *Catone*, de eadem re loquens, hanc ſummam mille ducentis quinquaginta talentis æquat. Verba ejus ſunt: Ὁ Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον, καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς σιτηρέσιον, ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυτοῦ χιλίων καὶ διακοσίων, καὶ πεντήκοντα ταλάντων: Sane ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες δραχμῶν, hoc eſt 7500000. drachmæ, ſunt 1250. Talenta.

Budæus, & eum ſecutus Georgius Agricola, ambo eruditiſſimi viri, τόκον ἔφεκτον ex oratione πρὸς Φορμίωνα interpretantur fœnus ſeſquiſextum, id eſt, præter drachmam, ſextam partem drachmæ, nimirum obolum: ut præter centeſimam uſuram, quæ eſt drachma menſtrua, obolus quoque accedat, & annua uſura ſit drachmarum XIV. Putavit Budæus ἔφεκτον τόκον, ita dictum, quemadmodum ἔφεκτον λόγον apud Logiſtas. Ἔφεκτος λόγος dicitur, as, & ſexta pars aſſis, ut ſunt VII. ad VI. At longe aliter res habet. Nam ἔφεκτος apud Logiſtas dicitur τὸ ἕκτον ἐπὶ τῷ ὅλῳ: ut ἐπίτριτος, τὸ τρίτον ἐπὶ τῷ ὅλῳ. At ἔφεκτος apud Daniſtas dicitur, non quod præpoſitio ἐπὶ ſignificet adjectionem, ut apud Logiſtas, ſed quod dicitur δανείζειν ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ δυοῖν ὀβολοῖν, ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, ἐπὶ τρίτῳ. Longe itaque differunt τὸ ἔφεκτον δανειστικὸν, καὶ τὸ ἔφεκτον γεωμετρικόν. Igitur ἔφεκτος τόκος eſt fœnus in ſextam partem drachmæ; Latinis ſextantalis uſura. Exemplum eſto τόκος ἐπόγδοος: de quo infra: hoc eſt, ἐπὶ ὄγδοον μέρος τετραδράχμου, τριώβολον· ἐπὶ ὄγδοον μέρος δραχμῆς, ἓξ χαλκοῖ. Apud Cedrenum: Τοὺς ἐν Κωνσταντίνου πόλει ἐπισήμους ναυκλήρους συναγαγὼν δέδωκεν ἐπὶ τόκῳ τετρακεράτου κατὰ νόμισμα ἀνὰ χρυσίου λίτρας δώδεκα. Manifeſtus ἔφεκτος τόκος. Nam XXIV. κεράτια ſunt in Solido, quorum τετρακέρατον eſt τὸ ἕκτον ipſorum.

Centeſima uſura ſcribebatur per Ɔ inverſum. Mætius Voluſianus: *Centeſimaque commodia, ut uſurarum nomine ad ſortem applicaretur ſicilico, id eſt, C averſo eo notari*. Mire depravatus; & tamen expedita reſtitutio: *Centeſima, quæ commodi, aut uſurarum nomine ad ſortem applicaretur, Sicilico, id eſt, C averſo, eo notatur, quod quum C centum ſignificaret, convertebatur ad eam ſummam cujus centeſima futura erat. Et ſive una convenerat, unus Sicilicus; ſive plures, tot Sicilici ponebantur*. Centeſima uſura a Græcis dicitur τόκος ἐπὶ δραχμῇ: quod Drachma ſit centeſima pars Minæ: τόκος ἑκατοστιαῖος in Jure Conſtantinopolitano: cujus exemplum in veteri Inſcriptione: DONVM. DEDIT. -X-V. VT. EX. VSVRIS. CENTESIMIS. EIVS. QVANTITATIS. QVAE EFFICIT. ANNVOS -X- DC. DIE. VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI. DIVI. AVGVSTI. EROGENTVR. EX. ARK. Quæ alibi citavimus. Peſpicuum autem eſt donarios DC. eſſe centeſimam uſuram quinque millium denariorum. Quod autem Voluſius Mætianus addit, ſive una convenerat, unum Ɔ ſive ſicilicum; ſive plures, tot Sicilicos poni ſolere, intelligitur de centeſima centeſimæ, qui eſt τόκος τόκων, καὶ ἀνατοκισμός: cujus exemplum extat in veteri inſcriptione Neapolitana; HEREDES. VERO. PATVL. DIOCL. MVLCTENTVR. SORTE. VNA. CVM. ANATOCISMO. BINAE. CENTESIMAE. VSVRAE. PROPTER. NEGLECTAM. RELIGIONEM. SEPVLCHRORVM. Videtur vero hæc uſura propria Græcorum fuiſſe; & ita accipiendum eſſe locum Pomponii Atellanarii in *Paſtoribus*:

—— quæ tuleram mecum decem millia
Victoriatum, Græca mercede illico
Curavi ut occuparem. ——

Nam merces eſt fœnus. Horatius:

Hic quinas capiti mercedes execat.

Nam X. millia Victoriatum ſunt quinque millia denarium: quorum unciarium fœnus annuum, denarii DC. & rurſus ipſorum DC. unciarium fœnus Romæ LXII. denarii. Ita Græca mercede, hoc eſt ἀνατοκισμῷ binæ centeſimæ uſuræ, fœnus annuum quinque millium denarium erit DCLXXII. denarii. Græcam mercedem igitur intelligimus ἀνατοκισμὸν DCLXXII. pro V. M. Nam Romani non habent quo exprimant ἀνατοκισμόν. Ergo proprium Græcorum, non Romanorum.

Uſuræ ſemiſſes: τόκος ἐπὶ τρισὶν ὀβολοῖς: in Jure Conſtantinopolit. τόκος ἡμιεκατοστιαῖος; cujus teſtimonium extat in luculentiſſimo ſaxo Barcinonenſi: DO. LEGO. DARIQVE. VOLO. -X- VII. D. EX. QVORVM. VSVRIS. SEMISSIBVS. EDI. VOLO. QVODANNIS. SPECTAC. PVGILVM. DIE. IIII. IDVVM. IVNI. VSQVE. AT. X. CCL. ET. EADEM. DIE. EX. -X- CC. OLEVM. IN. THERMIS, PVBLIC. POPVLO. PRAEBERI. ET. TECTA. PRAESTARI. EA. CONDICIONE. VOLO. VT. LIBERTI. MEI. ITEM. LIBERTORVM. MEORVM. LIBERTARVMQVE. LIBERTI. QVOS. HONOR. SEVIRATVS. CONTIGERIT. AB. OMNIBVS. MVNERIBVS. SEVIRATVS. EXCVSATI. SINT. QVOT. SIQVIS. EORVM. AT. MVNERA. VOCITVS. FVERIT. TVM. EA. -X- VII. D. AT. REMP. TARRAC. TRANSFERRI. IVBEO. SVB. EADEM. FORMA. SPECTACVLORVM. QVOT. SS. EST. EDENDORVM. TARRACONE. Legatum denaria ſeptem quingenti, ut tunc loquebantur: id eſt, denarium ſeptem millia quingenti. Semiſſis uſura in duo membra ſciſſa: in CCL. & CC. denarios, qui fiunt una CCCCL. denarii: quod verum eſt. Sed vir & probitate & doctrina inſignis Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, quum totum hoc ſaxum interpretaretur, non ſatis ſententiam aſſecutus videtur. Nam illa, quæ mediocriter Latine peritus intelligit, quam præpoſtere accipit! ET. TECTA. PRAESTARI. VOLO. Mens teſtatoris hæc eſt, ut hæc ſarta tecta & bona fide præſtentur ſub conditione propoſita, nempe excuſatione ſeviratus: qua conditione deficiente, legatum ad Remp. Tarraconenſem trans

ferri vult. At doctissimus vir intellexit, quasi testator voluerit liberas ædes sine mercede iis præstari, qui ad panegyrin illam se conferrent: quæ certe magna est hallucinatio. Minus assecutus est sententiam eorum: QUOS. HONOR. SEVIRATUS. CONTIGERIT. Ea inquam ne minimum quidem assecutus est. Horum enim sententia est: Ad quos ex ordine contigerit, ut Seviri Augustales fiant: quia per orbem fiebant. Quos igitur contingebat ex ordine Seviros Augustales fieri, illi hoc munus detrectare non poterant. Testator autem vult, ut, etiamsi ordo & successio eos vocet ad munus seviratus, tamen ejus muneris excusationem consequantur. Nam honorem quidem seviratus eos recusare non vult, quoties ex successione ad illud vocabuntur, sed ab oneribus excusari. Sumptus enim magnos eos, qui seviratu Augustalitatis fungerentur, sustinere testatur Kaput ex testamento M. Megonii: in quo testator Reipublicæ Petilinorum vineam suam legat, ut ex semissibus usuris ejus Augustales facilius onera functionis suæ sufferre possint: QUOD. IPSUM. AD. VTILITATEM. REIP. N. PERTINERE. EXISTIMAVI. FACILIVS. SVBITVRIS. ONVS. AVGVSTALITATIS. DVM HOC. COMMODVM. ANTE. OCVLOS. HABENT. Assi: P. DECIMIVS. P. L. EROS. MERVLA. MEDICVS. CLINICVS. CHIRVRGVS. OCVLARIVS. VI. VIR. HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REMP. DEDIT. HS. ∝ ∞. Videmus hic pro seviratu collata HS. M M. Illud vero leviusculum videbitur, quod dicam, mihi vero prætereundum non videtur ob id, quod quum levissimum sit, tanto viro ansam errandi dederit. In Inscriptionis initio est ATLECTVS. AB. ANTE. quod est idem quod simpliciter *ante*: ut INANTE apud Propertium nihil aliud est, quam *ante*. Ravennæ saxum: NEQVE. AB. ANTE. ALIAM. PONAT. Id est, πρό. Aliter in Inscriptione Romana: FVNDI. HVIVS. DOMINVS INFANS. HIC. IACET. SIMILIS. DEO. HVNC. ABANTE. OCVLIS. PARENTIS. RAPVERVNT. NYMPHAE. Nam ibi est, quod *Bibliis Græcis*, & *Novo Testamento* ἀπὸ ἐνώπιον, ἀπὸ προσώπου. Sunt & alia ab illo maximo viro aliud agente exposita quæ libens omitto. Plinius autem *libro* XIV. de vini generibus loquens, usuram semissem civilem, ac modicam vocat. Sed vetustissima videtur apud Atticos ἐφέκτος, sive sextantalis, quum obolus menstruus in minam datur. Nam ideo veteres Attici ὀβολοστάτην fœneratorem vocaverunt, quia prima usura fuit ὀβολὸς ἔμμηνος εἰς μνᾶν. Aliud exemplum semissis usuræ in saxo Ferentino: HIC. EX. S. C. FVNDOS. CEPONIAM. ET. ROIANVM. ET. MAMIAN. ET. PRATVM. EX. OSCO. AB. R P. REDEM. LIS. LXX. M. N. ꞇ TINAVIT. R. P. REDDID. EX. QVORVM. REDDITV. DE. LIS. IV. M. CC. QVOD. ANNIS. VI. ID. MAI. DIE. NATAL. SVO. PERPET. DARETVR. PRAESENT. MVNICIP. ET. INCOL. ET. MVLIERIB. CRVSTVL. P. I. &c. Nam IV. M. CC. LLS. sunt manifesto semissis usura LXX. millium sestertium. In luculentissimo monimento, quod extat Bergomi in æde S. Benedicti. Ex usuris legati HS. C. N. testator vult erogari -X- CCC. inter præsentes: deinde inter propinquos -X- DCCL. & tempore parentaliorum -X- CC. & in coronas -X-L. Summa denarii MCCC. Ad semisses usuras desunt CC. denarii. Nam HS. C M. vel, quod idem est, -X-XXV. M. dant semissium usurarum nomine -X- M D. Illud vero quis intelligit in eodem marmore? SCHOLAE. VEXILLARIOR. LARGITVS. EST. LLS. XXXX. N. EX. CVIVS. SVMMAE. REDITV. QVODANNIS. DIE. SS. NATALIS EIVS. ANTE. STATVAM. LECTIST. EX. -X- CCL. PONANT. SPORT. -X- CCL. INTER. PRAESENT. SIBI. DIVID. Reditus, sive commodum; aut usura HS. XL. MILL. id est, Denariorum M. ait esse CCL. & CCL. -X- id est, quingentos denarios. Atqui quingenti denarii est dimidium totius sortis. Quæ hæc est usura? ut C. dent L?

Τόκος ἐπόγδοος apud Demosthenem exponitur ab Harpocratione & Suida, quum tres oboli pro tetradrachmo fœneratori dantur. In Mina sunt tetradrachma XXV. proinde in minam redeunt fœneratori oboli LXXV. quod est ἐπόγδοον τῆς μνᾶς, *octava pars Minæ*, quemadmodum triobolum est octava pars tetradrachmi. Quod si usura est menstrua, anno vertente fœnus æquatur drachmis CL. Est autem nauticum fœnus. Quare una mina, quæ in sortem data erat, sesquiminam commodi lucrabitur. Ita pro una mina duæ cum semisse fœneratori restituentur, quum navis ex negotiatione redierit. Sed non ita est. Nauticum fœnus erat diarium, non menstruum; item τὸ ἐπόγδοον in minam dabatur, non in τετράδραχμον. Itaque in singulas minas annui debebantur oboli M LXXX. quæ erant drachmæ CLXXX. Xenophon περὶ προσόδων 538. 43. Ὧι μὲν γὰρ δέκα μναῖ εἰσφορὰ γένηται, ὥσπερ ναυτικὸν σχεδὸν ἐπίπεμπτον αὐτῷ γίνεται τριώβολον τῆς ἡμέρας λαμβάνοντι, ᾧ δέ γε ἂν πέντε μναῖ, πλεῖον, ἢ ἐπίτριτον: Ex decem minis capientem triobolum diurnum ait lucrifacere quintam partem sortis. Et sane CLXXX. drachmæ sunt quinta pars decem minarum, & præterea ÷. Sed verum non est, quod ait, easdem CLXXX. drachmas esse plusquam tertiam partem quinque minarum. Hoc verum erat, si CLXXX. esset plusquam tertia pars τῶν D.

Τόκος ἐπίτριτος Trientale fœnus, duo oboli menstrui. Isæus κατὰ Καλλιφῶντος. ἑξακοσίαις δραχμαῖς ἐπιτρίταις: *sexcentis drachmis trientali fœnore occupatis*: quæ fiunt annuæ XXIV. drachmæ. Τρίτον ἑκατοστῆς in Jure Constantinopolitano.

Usuræ bessalis, qui δίμοιρος τόκος in Jure Orientali dicitur, exemplum habes *l.* 29. *D. Mandati*: τόκοι ἑκάστης μιᾶς ἑκάστῳ μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας: quaterni oboli menstrui in minam: octoni denarii annui in minam.

Usuræ dextantalis, qui potest dici τόκος ἐπιδέκατος, exemplum extat in lapide agri Bergomatis: M. CARBASVS. PATIENS. DEDIT. XXX. ET. PROFVNDI. DE. VSVRIS. -X- III. QVOT. SI. IVVENTATES. EIVS. NEGLEXERINT. FILIO. EJVS. RETERE. DEBEBVNT. XXX. AVT. SIQVIS. HERES. FVERIT. Intelligere debemus triginta denaria, hoc est, triginta millia denarium, quæ pariunt tria denaria, id est, tria millia denarium: quod manifesto est fœnus dextantale. Nam quæ ratio est centum ad decem, eadem est triginta millium ad tria millia.

Usuræ sesqualteræ, hoc est, XVIII. in cap. *Canon* XVII. *Nicænus* vocat ἡμιολίας ἀπαιτεῖν. Item *Canon* IV. *Laod.*

In *Collectaneis Gruterianis* MXC 21. QVI. HS. XII. REIPVBLICAE. IVLIENSIVM. QVOD. AD. HS. XXXX. VSSVRIS. PERDVCERETVR. TESTAMENTO. RELIQVIT. Vult testator tandiu penes Remp. legatum consistere, quoad ex usuris sors, quæ erat XII. sestertia, perveniat ad XL. sestertia. Ponamus XII. sestertia unciario fœnori locata: XII. millia sestertium sunt III. millia denarium: & XL. millia sestertium sunt decem millia denarium. Ita Respublica hoc casu lucrabitur VII. millia denarium. Usura vero annua centesima duodecim millium sestertium sunt denarii CCCLX. qui in VII. millia denarium distributi dabunt annos XIX. dies Julianos CLXII. s. Tot annos & tot dies legatum manebit penes Rempublicam: & postea ad heredes redibit, aut ad quos testator id perti-

nere voluerit. Et hoc quidem in unciario fœnore. Aliter dicendum, si aliæ usuræ fuerint: quod & puero patet.

Apud Senecam *de Ira* III. cap. XXXV. mentio millesimæ usuræ, quæ est decima pars centesimæ: hoc est, *χαλκοῖ δ ≗* In decem mensibus drachma.

In testamento Græco tabulæ marmoreæ, quæ extat Neapoli: ΧΕΙΛΙΑ. ΚΑΙ. ΔΙΑΚΟΣΙΑ. ΔΕΙΝΑΡΙΑ. MCC. Denarii legantur, aut constituuntur in tutelam sacrorum quorundam. Eorum MCC. denariorum fœnus est ΔΕΙΝΑΡΙΑ. ΔΙΑΚΟΣΙΑ. ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ. CCL. Denarii: quod immane fœnus est. Sunt enim *χαλκοῖ* annui deni in drachmam, sive denarium. Nam CCL. denarii sunt *χαλκοῖ* XII. M. At sors sunt denarii MCC. Ergo deni æreoli, sive *χαλκοῖ*, pariunt denarium unum. Propterea & *χαλκῶν* & *χαλκολόγων*, qui *χαλκοῦς* a debitoribus nomine usuræ colligebant, mentio fit in eadem eleganti tabula: *Τοὺς δὲ χαλκοῦς οἱ δεδανεισμένοι καταφερέτωσαν τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πανθεῶνος μηνὸς ἱσταμένου εἰς ἀγαρρὶν πληθύουσαν.*

Vellejus scribit sestertium septies millies depositum a C. Cæsare ad ædem Opis occupatum ab Antonio. Idem Cicero non semel objicit Antonio in *Philippicis*. Plutarchus ridicule eam summam interpretatur *τετρακισχίλια τάλαντα* in *Antonio*: *Ἡ τε γυνὴ Καλπουρνία πιστεύσασα χρήματα τὰ πλεῖστα κατέθετο πρὸς αὐτὸν ἐκ τῆς οἰκίας, εἰς λόγον τὰ σύμπαντα τετρακισχιλίων ταλάντων.* In *Cicerone* dixit *δισχιλίας πεντακοσίας μυριάδας*. Prior summa sunt 24000000. drachmæ, posterior 25000000. Utraque immane quantum sestertium septies millies excedit, quæ sunt tantum 17500000. drachmæ, hoc est, *δισχίλια ἐννεακόσια ἑκκαίδεκα τάλαντα, μναῖ εἴκοσι*: nempe Scutatorum Franciæ Solatorum milliones duo, millia quadringenta quinquaginta octo, trecenti triginta tres, cum triente.

Suetonius *Caligula* XXXVII. in fine: *Totumque illud Tiberii Cæsaris vicies ac septies millies* LLS. *non toto vertente anno absumpsit*. Sunt sestertii 2700000000. denari 675000000. hoc est, *ἑξηκονταεπτακισχίλιαι πεντακόσιαι μυριάδες*. Milliones quinque, sexcenta viginti quinque millia Scutatorum Franciæ Solatorum: vel *πέντε μυριάδες μυριάδων, ἑπτακισχίλιαι πεντακόσιαι*. Apud Dionem LVIII. *Πέντε γοῦν μυριάδας μυριάδων, καὶ πεντακοσίας καὶ πεντακισχιλίας, ὡς δὲ ἕτεροι, ὀκτώ τε, καὶ δισχιλίας, καὶ πεντακοσίας τεθησαυρισμένας εὑρὼν οὐδὲ ἐς τὸ τρίτον ἔτος μέρος ἀπ' αὐτῶν τι διέσωσεν*. Prior summa concordaret cum Suetonio, si pro *πεντακισχιλίας* legeretur *ἑπτακισχιλίας*. Idem error a nobis animadversus in Plutarchi *Cæsare*: *πεντακόσιαι πεντήκοντα* perperam pro *ἑπτακόσιαι πεντήκοντα* excusum est. Martialis;

Amphora vigessi, modius datur ære quaterno.

Id est, Amphora quinis sestertiis, modius singulo datur. Duo hic miramur: prius, quod quum posset dicere *asse quaterno*, maluit dicere *ære quaterno*, quum æs nunquam nummum unum significet, sed stipem & collectionem; neque possit dici *ære quaterno*, ut neque dicimus *pecunia quaterna*. Deinde, quod tanta vilitas annonæ fuerit, ut modius quaternis assibus, id est, numero sestertio, daretur.

In *Panegyrico* Eugenii, de Mænianis Sholarum Augustodun. *Solarium me liberalissimi Principes ex hujus Reip. viribus in* SEXCENTIS *millibus nummum accipere jusserunt: non quod non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo majora tam prius, quam postea, præmia contulerunt: sed ut* TERCENA *illa sestertia, quæ sacræ memoriæ magister acceperam, in honore privati hujus magisterii addita pari sorte geminarent*. Sexcenta sestertia sunt centum quinquaginta denarium millia: qui sunt Solati solidi duodecim millia quingenti. An credemus stipendium magistri fuisse?

Herodotus *libro* III. 126. 127. numerans tributa, quæ a gentibus Dario pendebantur, totum regnum Persarum *εἰς νομοὺς κ'.* dividit. in præfecturas XX. ex novem & decem illis præfecturis, secundum dinumerationem ejus, consurgunt VII. M. DC. quæ ipse dicit esse IX. M. D. XL Rursus ex CCCLX. talentis scobis seu ramenti auri terdecies multiplicatis consurgere Talenta argenti IV. M. DC. LXXX. quod verum est: quæ cum IX. M. DCXL. composita fiunt XIV. M. CC. XX. Talenta argenti. Atqui ille dicit esse XIV. M. D. LX. Ita nihil prorsus certi ex ejus rationibus elici potest. Nam fuerunt tantum talenta XII. M. CC. LXXX (aureorum Solatorum 7368000.) In multis aliis deprehendimus illum hallucinari.

Domus Crassi viri Consularis empta est a Cicerone tricies quinquies sestertio: hoc est, scutis Solatis Francicis 72916⅔. Quæ profecto immanis summa est. Paulus Manutius *epistola* VI. Cic. *lib.* V. exponit eam summam centum quinque scutatorum millibus. Quid habebat in animo Manutius, quum ea scriberet?

Ex vetusto Codice Bibliothecæ Budensis producit vir doctiss. Joachimus Camerarius *Matthei* XXI. *Ἡ λίτρα ἔχει οὐγγίας ιβ'. Ἑβραῖοι δὲ τὴν οὐγγίαν μερίζοντες ἄλλοις ὀνόμασιν αὐτὴν κεκλήκασι. Τὸ γὰρ ἥμισυ τῆς οὐγγίας στατῆρα ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἐξαμφοτέρως τοῦ ζυγοῦ τὰς πλάστιγγας ἰσορροπεῖν, τοῦ ἡμίσεως τῆς οὐγγίας ἐν ἑκατέροις τοῖς μέρεσιν ἐπιτιθεμένου. ὅθεν τῇ ἰσορροπίᾳ τοῦ κανόνος, καὶ τὴν τοῦ ζυγοῦ ἰσότητα, Στατὴρ ἐπεκλήθη. ἔχει δὲ ὁ στατὴρ ἥμισυ τῆς οὐγγίας, σίκλους δύο. Πάλιν δὲ τὸ Σίκλον, ὅ ἐστιν ἥμισυ τοῦ στατῆρος, τέταρτον τῆς οὐγγίας, ἔχει λεπτὰ κ'. τὸ δὲ λεπτὸν * ὁλκῆς μιᾶς ἐστὶ δέκατον, ὄγδοον τῆς οὐγγίας. παρά τισι δὲ καὶ ὀβολὸς καλεῖται. ἐδίδου δέ τις δύο ὀβολοὺς, καὶ ἐλάμβανεν ἄρτον, ἢ ἕτερόν τι πρὸς διατροφήν. Διὸ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ ναῷ οἱ κερματισταὶ ἐκαθίζοντο, οἱ καλούμενοι κολλυβισταὶ, ὧν κατέστρεψεν ὁ Κύριος τὰς τραπέζας, οἵτινες τὸ κληθὲν νόμισμα παρὰ τοῖς βασιλεῦσιν. (ἀργύρεος δὲ καλούμενος διὰ τὸ ἐξ ἀργυρίου τότε τετύφθαι εἰκόνα ἔχων βασιλικὴν) μέγα μὲν εἶναι τῷ χαράγματι καὶ τῇ ὁλκῇ, ὃ ἐκλήθη ἀργυροῦς, ὥστε ἔχειν αὐτὸν δηνάρια ρ': ἕκαστον δὲ δηνάριον ἔχειν ἀσσάρια ζ. (ξ') τὸν δὲ ἀποφερόμενον ἀργύρεον, καὶ μὴ δυνάμενον ἀγοράζειν ἄρτον ἢ λάχανον, ἤ τι τῶν βραχυτίμων, διδόναι τῷ κολλυβιστῇ τὸ μέγα ἀργύρεον, καὶ ἀναλύειν αὐτὸ εἰς βραχύτητα (βραχύτατα) ἤτοι δηνάρια καὶ ἀσσάρια, κερματίζειν αὐτὸ, τοῦτ' ἐστι κολλυβίζειν. ὅθεν καὶ κερματισταὶ καὶ κολλυβισταὶ κέκληνται οἱ τραπεζῖται.*

Exagium. Inde *saggio* pro minuta moneta, cujus Paulus Venetus & alii Itinerarii libri meminerunt.

Glossæ: *Ὀρφανικοὶ τόκοι. ἀπὸ ἑκατοστῆς τρίτης.* Usuræ pupillares: puto obolos VIII. menstruos. Compositus est enim hic *τόκος ἐκ τόκου ἐπιτρίτου, τοῦ τόκου ἑκατοστῆς.*

Vellejus de C. Curione: *Hic primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro Republica, mox simulatione contra Pompejum & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit. Id gratis, an accepto centies* HS. *fecerit, ut accepimus, in medio relinquimus*. At Valerius Maximus *lib.* IX. *cap.* I. sectione VI *sexcenties sestertium*, non *centies*. Quin etiam turbat Servius VI. *Æn.* VENDIDIT HIC AURO PATRIAM. *Etiam,*

inquit, *hæc licet generaliter dicantur, habent tamen specialitatem. Nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit : Curio Cæsari viginti septem millibus sestertiis Romam*. Locus perplexus : unde extricare me non possum.

Heautontimorumeno Act. III. Scena III. *Huic drachmarum hæc argenti mille dederat mutuum.* Infra : *Post daturum mille nummum*.

Denarius vetus Romanus fuit fere LXXX. speltarum, quot vetus Drachma Attica, quam Solon quadrante imminuit. Compara cum Tetradrachmis T. Livii.

Parachraximum apud Cassianum legitur, adjectivum, (ut *Paracharaximum numisma*) pro quo Ciacconius legit *paracharachmum*, collat. I. cap. XX. XXI. XXII. *paracharaximum numisma*. A At Ciacconius *paracharagmon*, & *paracharagmis* : male : παραχαραγμὸς est adulteratio monetæ, non autem moneta falsa. Legitur apud Origenem *Homil.* III. *in Levit.& Homil.*III. *in Psal.* XXXVI. *Pecunia extra monetam formata* : hoc est, ἔξω τῦ ἀργυροκοπείυ κεχαραγμένη. At Ciacconius putat in Græco fuisse παραχάραγμα. Non intellexit, quid sit *Moneta*. Præterea nummus potest cudi extra monetam bonus, & non παρακεχαραγμένος. Moneta tria significat : τὸ ἀργυροκοπεῖον, ut hic. Τὸ χάραγμα Juvenali. Hieronym. *ad Miner. & Alexandrum : Ut si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur*. Exemplar Plinio *lib.* XXXIII. cap. I. *Falsique denarii spectatur exemplar*. Tertio est nummus ipse.

F I N I S.



WILLEBRORDI SNELLII

R. F.

DE

RE NUMMARIA

LIBER SINGULARIS.

CLARISSIMO CONSULTISSIMOQUE VIRO,

HUGONI GROTIO,

HOLLANDIÆ ET ZELANDIÆ

FISCI ADVOCATO.



MUTUA rerum commercia necessitas in humanam societatem initio quidem introduxit, eandem utilitas deinde frequentavit. Nam primitus agricolæ, pastores, venatores, aucupes, piscatores, mellificatores, arboratores, reliquique etiam opifices commutabant ea quibus opus non esset, ut acciperent aliunde quæ sibi deessent: apud quos permutationis hujus commoditate & dulcedine delinitos, tandem etiam mercaturæ usus invaluit, merciumque inexplebilis satietas eorum animos invasit. Veruntamen cum in simplicissima illa rerum permutatione pretiorum sæpe maxima inæqualitas valde importuna, & quasi assidua τ̃ ἀλλαγῆς, ut Aristoteli placuit, interpellatrix instaret; tandem hujus controversiæ nummus sequester datus: καὶ διὰ τοῦτο τ' ὄνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστι· Hic enim, quemadmodum apud Geometras passus, pes, palmus, digitus, pro communi omnium promercalium mensura usurpari aptus, res omnes ad symmetriam & æqualitatem revocavit: ideoque ex hypothesi & hominum arbitrio pondere, quantitate & magnitudine definitus. Unde siclorum apud Hebræos, drachmarum apud Græcos, denariorum & assium dupondiorumque apud Latinos usurpatio pro pecunia & pondere promiscue frequentata. Verumenimvero cum intempestivum sæpe esset metalli cujusque pondus ad libram momentaneam examinare, ac multis difficultatibus obseptam, & intricatam metalli puritatem, in auro & argento maxime scrutari, aut Lydii lapidis indicio indagare, quæ vel versatissimum hominem decipere queat, alieno metallo intus admixto, omnem pensitandi laborem, & examinandi periculum charactere aliquo publica autoritate impresso declinaverunt. Et metallum exilitate sua δυσμεταχείριστον certa nota bonitatis & ponderis teste indubitato, tanquam sigillo, publica autoritate communiverunt. Ut hæc cura meritissimo in Reipublicæ & Principis solius potestatem concesserit: neque cuiquam privato ea abutendi facultas data sit. Ideoque Principum edictis diligentissime cautum, ne iis, qui monetam publicam fusim cusimve assimulassent, id impune esset, tanquam publicorum sigillorum falsariis, quique pro vero & sincero adulterinum supponerent. Nummi certe autoritas & inventio hominum generi tam grata accidit, ut ab omnibus clementiore cœlo & solo natis, etiam a barbaris, apud quos saltem ulla rerum mutua extarent commercia, avidissime usurpata & strictissime sit observata. Cæterum quia antiquæ monetæ notitia haud exiguam lucem veterum scriptorum monumentis afferat, ut ob crebram mentionem non utilis solum, sed propemodum necessaria videatur, res hæc maximo studio nostra & patrum memoria a præstantibus viris suscitata, & in lucem est revocata: quorum industria bonarum literarum studiosis adeo grata acceptaque fuit, ut post summos viros Budæum & Agricolam non tamen abstinuerint manum Jurisconsultorum fere doctissimus quisque Alciatus, Carolus Molinæus, Hotomannus, Didacus Covvarruvias, aliique præterea quamplurimi, qui vel ab iis dicta suo ordine modoque digerere, vel novi ipsi aliquid afferre conati sunt. Ut plane frustra meus hic labor videri possit, si ipsorum accurata diligentia nostræ sedulitati nihil fecerit reliquum. Neque enim inficiari possumus omnes fere summa cum laude & industria in hoc labo-

labore verſatos, etſi alius alio felicius. Nequaquam tamen propterea deſperandum arbitror, quaſi non aliquam ſaltem partem reliquerint intactam. Dum enim multa dicere, & quam plurima uno ambitu complecti conantur, ipſi ſibimet non raro obloquuntur. Et certe in materia tam ubere, iſta non ſcribentium ſolum autoritate examinanda, ſed etiam nummorum veterum momentis fuere comprobanda : quorum conſenſu mutuo, tanquam incorruptiſſimo teſtimonio, omnis veritas certiſſime confirmetur. Atque ideo ſi quando ab illorum ſententia abeo diverſus, abeo autem non ſemel, maxime hoc prædictum velim, evidentiſſimis argumentis & ipſa veritate victum me in illam ſententiam deſciviſſe. Hujus autem judicium lectori attento potius committam, quam ut ea ſigillatim prædicando gloriolam aliquam inde affectare videar. Neque enim id me ſiverit meus pudor. Certe equidem ſatis ſuperque me aſſecutum putabo, ſi hinc vel aliqua ſaltem utilitas ad benevolum lectorem redundabit. Et quamvis plura in medium protulerim quam hactenus quiſquam, non nulla tamen adhuc ſuppreſſi, in quibus ipſi mihi necdum ſatisfacere potui, quæ tamen aliquando (ut ſpes eſt) in apertam lucem proferam, ſi laborem hunc noſtrum non ingratum fuiſſe ſenſero. Ad te autem, vir Conſultiſſime, βιβλίδιον hoc, tanquam ad judicem ſuum mittitur. Nam cum tu præter hujus ævi conſuetudinem juris ſcientiam cum reliquarum artium cognitione conjunxeris, in quibus doctrina & ingenio præter reliquos excellis, neque illarum ſis expers, quæ inter has primum olim tenebant locum, quarum rudes a limine ſuæ Academiæ arcebat Plato, quemnam alium fuerat æquius me hujus rei capere arbitrum, quam eum qui horum judex æquiſſimus juxta & peritiſſimus eſſe poſſet? Et ſane, quamvis omnes artes communi quodam vinculo inter ſe contineantur, neſcio tamen quodnam arctius vinculum patria ipſa & urbium ſociarum, inter quas Delphi & Oudevvatera, antiquiſſimum fœdus animo meo injiciat. Cum enim Tibi tuiſque majoribus patria Delphi, mihi quidem natale ſolum Leyda, ab avorum autem attavis Veteraquino ſim oriundus, fœdere illo, quod a majoribus olim noſtris publicitus initium, etiam poſteri tenemur. Quamobrem ſi in hoc exiguo, ſed intricato hactenus opere alicubi impegiſſe, aut humanitus lapſus tibi videbor, a te reprehendi ſummi beneficii loco ducam, ut tanquam ſociæ urbi laboranti ſubvenias : ſin vero vel uni tibi hæc noſtra probari intellexero, maximum me operæ & induſtriæ meæ pretium conſecutum putabo.

WILLEBRORDI SNELLII
DE
RE NUMMARIA
LIBER UNICUS.



NUMISMATUM priscorum rationem summatim & breviter hic referre constitui: unde veteris monetæ valorem cum cujusque sæculi & loci æstimatione contendendi ratio semper esset in promptu; atque ita scriptoribus priscis aliquam facem allucerem. Neque vero id ea fine, ut aliis suum honorem eam præreptum: sed potius ut illis, si quid ab ipsis veritati congruenter dictum sit, suam existimationem sartam tectam præstarem: si quid a nobis accuratius investigatum, id publicæ utilitati ne inviderem. E numismatum igitur generibus Romana maxime & Græca explicare constitui. Pecunia e triplici metallo triplex fere in usu fuit, cujus primus autor ignoratur, vetustissima mentio in Sacris *Gen.* cap. XXXIII. commate 15. proposita videtur, ubi Abrahamus agrum ab Ephrone ad sepulturam uxoris emit: ita tamen ut dubium sit argentumne illud signatum etiam, an tantum ad pondus expensum fuerit: certe Abrahamus non npmerasse, sed Ephroni appendisse dicitur quadringentos siclos. Et filii Jacobi Patriarchæ *Geneseos* capite XLIII. commate 21. ajunt Josepho se referre pecuniam secundum pondus suum. Sed ad Romanam rempublicam me confero. Servius Rex primus signavit æs: antea rudi usos Romæ Remeus tradit. Signatum est nota pecudum, unde & pecunia appellata: vel certe quoniam id solum Veteres possederunt, & unum hoc divitiarum genus ab iis usurpatum sit, siquidem omnis pecuniæ pecus fundamentum, ut Varro & Columella testantur.

Nummi fuere dupondius, assis, sembella, triens, quadrans, sextans, uncia, sextula, omnes ærei.

Nummus Græca dictio est, vel potius Sicula. Varro, nummi, id a Siculis. Cui sententiæ Pollux *lib.* IX. *cap.* VI. subscribit, & autorem laudat Aristotelem. Nummus, inquit, Latinum nomen videtur, sed Græcum revera est, τῶν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωριέων, *Doriensium Italiam & Siciliam incolentium*. Vox Epicharmo poetæ in *Chytris* comœdia usurpata. Aristoteles scriptum reliquit in *Tarentinorum republica* numisma quoddam νοῦμμον vocari, in quo Tarenti Neptuni filii delphino invecti esset imago expressa: hujusmodi nummum æreum pondere granorum 124. habui, cui parte una impressa effigies viri nudi delphino insidentis, sub delphini corpore quasi pila aut sphærula: in ora literis Græcis TAPANTI. notis fugacibus, sed tamen qui ab attento facile legerentur: parte altera itidem vir nudus sedens, manu, ut videbatur, super aram extensa, ita obscure ut reliqua conjectare non potuerim: cujus descriptionem hic propterea exhibui, ut Pollucis locus ille clarius intelligatur. Sunt itaque νόμισμα & νοῦμμος a νόμος lege & consuetudine dicta.

A Quare inepte Suidas ex Suetonio citat nummum a Numa nomen traxisse, quod is primus æs & ferrum Romanis pro pecunia signaverit, quam sententiam Isidorus *libri* XVI. *cap.* XVII. quoque sequitur.

Assis, vel potius as ab ære, quasi æs. Varro, as & ejus partes ærei erant: & Dionysius Halicarnasseus *libro* IX. ἦν δὲ ἀσσάριον, χάλκεον νόμισμα, βάρος λιτραῖον. Item Plinius, Libralis, unde etiam nunc libella dicitur & dupondius appendebatur assis: nam libram pondo as dicebant. Hinc æra militum, tribuni ærarii, ærarium, & obærati ab ære dicti. Indidem grave æs, & æris
B gravis pœna dicta. Livius *decadis* primæ *libro* quinto de A. Virginii & Q. Pomponii tribb. plebis pessimo exemplo: *Innoxii*, inquit, *decem millibus gravis æris damnati sunt*: grave æs inquam, quia tum assis librali pondere: millia autem æris, semper assium intelligenda. Exemplum non ignobile extat apud eundem *libro* IV. cum anno urbis 349. hoc est, ante nativitatem Domini annis 402. Senatus primum decrevisset, ut miles stipendium de publico acciperet, tributo plebi indicto, idque invitis & reluctantibus tribb. pleb. *Patres*, inquit, *bene cœptam rem perseve-*
C *ranter tueri*: *conferre ipsi primi*, *& quia nondum argentum signatum erat*, *æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes*, *speciosam etiam collationem faciebant*. Æs quoque stipem dicebant: nam quod asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in area ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant: quo minus loci occuparet, a stipando stipem dicere cœperunt. Tale illud Suetonii in *Augusto* cap. XCI. *Ex nocturno visu stipem quotannis die certo emendicabat a populo*, *cavam manum asses porrigentibus præbens*. Hinc stipendium a stipe appensa, quin & militum sti-
D pendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur, & expensa in rationibus, item impendia & dependere. Romani enim ita ære gravi initio usi sunt, quemadmodum Lacedæmonii ex Lycurgi instituto numismate ferreo, gravis ponderis, verum exigui valoris, βαρυσάθμῳ καὶ δυσπαρακομίστῳ, καὶ ἀπὸ πολλοῦ τινὸς πλήθους καὶ ὄγκου, μικράν τινα ἀξίαν δυναμένῳ, inquit in *Lisandri Vita* Plutarchus, quod aceto candens restinguebant, ut ita mollius, & ad opera foret inhabile. Byzantinos etiam nummo ferreo usos Pollux ait. Libræ autem pondus assium æris imminutum bello Punico primo, cum
E impensis Respub. non sufficeret, constitutumque ut asses sextantario pondere ferirentur: ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum. Postea Annibale urgente Q. Fabio Maximo Verrucoso dictatore (anno urbis 545. ante nativitatem salutiferam annis 206.) asses unciales, mox lege Papyriana semunciales facti: adi Plinium, & festum. Nota æris fuit initio ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis:

quæ tamen cum pondere postmodum pro signantis arbitrio, & quorum ea cura, fuit variata. Assium namque pondus exinde quoque imminutum non tam libris, quam nummis autoribus comprobare in promptu fuerit. Certe assem, qui lege Papyriana semuncialis fuit, postmodum unciæ quadrante expensum, confirmat experientia. Itaque tum dupondiarii nummi, qui duorum assium pondus habuere, semunciales signati sunt: principio quidem accurate, ut ad amussim dicto ponderi responderent: postmodum vero non ita strictim ad legis præscriptum: nam & ab illo pondere aliquid paulatim detractum. Enimvero cum uncia Romana unciæ nostrati in aurificum officinis vulgo usitatæ pondere par fuerit, ista autem habeat Anglicos viginti, (ita vocant unciæ partem vicesimam) Anglicique singuli grana duo & triginta: efficitur granorum summa in uncia 640. *asen* nostro idiomate vulgo vocamus. Hujus unciæ semissis 320. grana, assium singulorum pondus a Papyrio constitutum. Postmodum vero istius ponderis dimidium 160. assi attributum: quo autore, aut quando cœptum, omnino non liquet: quod si tamen aliquis conjecturæ locus relinquatur, non alienum fuerit credere dupondiorum assiumque pondus ad unciæ semisses quadrantesque tum demum contractum, cum sestertii ex ære primulum signari cœpere, ne necesse esset hos duarum unciarum pondere institui, quia tum valebant asses quatuor. Hujusmodi asses complures sub Imperatoribus signatos vidimus, sed ita maligne percussos, ut dictum 160. granorum pondus neutiquam explerent: tales enim habuimus 126. 122. 110. granorum: a Domitiano quoque granorum 102. exesum: cum inscriptione Græca Δομιτιανὸς Καῖσαρ: parte altera μητρόπολις: reliqua legere nequibam. Neque vero hanc grano rum λεπτομερεχίαν ad minutum usque ideo consector, quod magni momenti ad pretii indicaturam ea existimem: nam a Vespasiano vidi 107. granorum cum inscriptione hac ab una parte, *Imp. Cæs. Vespasianus Aug. cos.* III. parte altera, justitia manu dextra bilancem tenens, infra S.C. in ora *æquitas Augusti*: sed ideo tam accurate ista pensito, ut saltem rudi modo ejus pondus quodammodo circumscribam: erit enim hujus usus nobis infra, cum de sestertio disputabimus: quibus vero argumentis adductus nulla Veterum autoritate subnixus assem pondere quadrantis unciæ definiam, infra in dupondio planius edisseram. Cæterum & hoc notandum, asses ex ære deteriore multo signari solitos, quam dupondios sestertiosque: id enim Plinius *libri* XXXIV. *capite* II. nominatim annotavit: *Aurichalcum* (inquit) *ob præcipuam bonitatem admirationem diu obtinuit. Nec reperitur longo jam tempore effœta tellure. Proximum bonitate fuit Sallustianum in Ceutronum Alpino tractu, non longi & ipsum ævi. Successit & Livianum in Gallia. Utrumque a metallorum dominis appellatum, illud ab amico divi Augusti, hoc a conjuge, velocis defectus. Livianum quoque admodum exiguum invenitur; summa gloria nunc in Marianum conversa, quod & Cordubense dicitur. Hoc a Liviano cadmiam maxime sorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque, Cyprio assibus suis contento*. Hactenus ille: in Cypro enim prima æris inventio, reperto autem deinde in aliis terris præstantiore, maxime aurichalco, illud vilius fuit. Unum hoc addo Cadmiam lapidem ærosum esse, quod ab ære in fornacibus conflato (rubrum hodie vocitamus) tam avide sorbetur, ut massa æris duo & septuaginta librarum, hujus lapidis mixtura centenaria evadat. Verum enimvero quia ab hoc asse æreo Romani omne integrum (quod quidem in duodecim partes tributum intelligi vellent) as appellavere, ut libram, hereditatem, aut aliud etiam quidvis; operæ pretium mihi facturus videor, si hujus partes, & partium particulas, ex Varrone, Plinio, Herone, Columella, Volusio Metiano unico conspectu hic ob oculos ponam:

as	$\frac{12}{12}$	unciæ sunt	12	semis	$\frac{1}{2}$	sunt unciæ	6
deunx	$\frac{11}{12}$		11	quincunx	$\frac{5}{12}$		5
dextans	$\frac{5}{6}$		10	triens	$\frac{1}{3}$		4
dodrans	$\frac{3}{4}$		9	quadrans	$\frac{1}{4}$		3
bes	$\frac{2}{3}$		8	sextans	$\frac{1}{6}$		2
septunx	$\frac{7}{12}$		7	uncia	$\frac{1}{12}$		1

semuncia	est pars unciæ	$\frac{1}{2}$	& pars assis	$\frac{1}{24}$
duella		$\frac{1}{3}$		$\frac{1}{36}$
sicilicus		$\frac{1}{4}$		$\frac{1}{48}$
sextula		$\frac{1}{6}$		$\frac{1}{72}$
scrupulum		$\frac{1}{24}$		$\frac{1}{288}$
dimidium scrupulum		$\frac{1}{48}$		$\frac{1}{576}$

Volusio simplium.

Sembella, quod sit libellæ dimidium, quod semis assis; eadem semissis, quasi semi æs, inquit Varro. Itaque ex Papyriana analogia debuit æquavisse pondus quadrantis unciæ, quæ sunt grana 160. posteaquam vero asses dimidio leviores signati sunt, & hic nummus quoque dimidio pondere percussus est, granorum duntaxat 80. Talem a Tiberio vidi pendentem grana 64. sed itu jam leviorem: alterum ab Othone satis integrum pro ætate, granorum 66. cum inscriptione hac, *Imp. Otho Cæsar Aug. tr. p.* circum Othonis caput: parte adversa copia cornu, in ora *Pont. Max.* his tantum decesserat, ut utrumque ab initio pondere non longe infra 80. grana institutum dignosceres. Nota semissis Volusio Metiano est S. vidi sembellam antiquissimam pendentem paulo amplius semuncia: itaque ante legem a Papyrio latam percussam, cum asses adhuc essent unciales, habentem parte una caput virile barba horridum, a vertice notam S. parte aversa rostrum navis, supra iterum S. infra *Roma*: nummus plane legitimus, ad legem Q. Fabii Maximi signatus: hoc propterea nominatim monere visum est, quia rarissime hujusmodi nummi videndi potestas datur.

Triens, tertia pars assis, & sexta unciæ: ideoque si Papyrii legem sequimur, 107. granorum, ut proxime, postmodum vero pro rata parte ut cæteri omnes nummi mutilitum nullus dubito: vidi enim ab Hadriano percussum cum inscriptione istiusmodi, *Hadrianus aug. cos.* III. *p. p.* parte altera *Providentia*, pendentem grana 47. cum debuisset 53.

Quadrans, antea triuncis vocatus a tribus unciis, inquit Plinius, & Varro, teruncius valet sembellæ dimidium: notam quo initio signaretur expressit Plinius: nota æris, inquit, ex altera parte Ianus Geminus, ex altera rostrum navis, in triente & quadrante ratis. Inde quadrans a ratis signo impresso ratitus dictus fuit, quemadmodum Festus Tarquitio & Oppio Aurelio autoribus docet. Marci duodecimo de viduæ liberalitate, ἡ χήρα ἡ πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης: pondus autem ex Papyriana assium semuncialem analogia fuit granorum 80. postmodum 40. talem vidi posterioris seculi granorum 32. habentem parte una caput galeatum, cum inscriptione nulla; parte altera duos puellos supam fugentes, in ora *Roma*.

Sextans, sexta pars assis, unciæ $\frac{1}{2}$ sextantis pecuniæ mentionem facit Plinius *lib.* XXXV. *cap.* X. Nam quod Populus Romanus Agrippæ Menenio sextantes æris in funus contulit, honoris id necessitatisque propter paupertatem Agrippæ, non largitionis esse dixerim. *Libr.* XXIX. anno urbis 550. de M. Livio Censore, qui inde Salinator appellatus: vectigal etiam novum ex salaria annona statuerunt, sextante sal & Romæ & per totam Italiam erat. Romæ pretio eodem, pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præbendum locaverunt: fuit itaque lege Papyriana granorum 53. postmodum vero 26. tantum.

A

Uncia, vox Sicula est. Pollux *libr.* IX. *cap.* VI. *Ἀλλὰ μέν τοι παρ' αὐτῷ τις ἂν ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ, καὶ ἄλλα εὕροι Σικελῶν ὀνόματα, οἷον, οὐγγίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα.* Cæterum apud eundem (Aristotelem) in *Himeræorum Republica*, alia quoque invenias nomina Siculis usitata; ut unciam, quæ valet obolum æratum unum, is Græcis chalcus dicitur. Est autem uncia pars assis duodecima, itaque granorum 26. ut proxime: vidi posterioris sæculi, iisdem notis cum superiore illo quadrante, pondere 16. granorum. Unciariæ stipis Plinius meminit *lib.* XXXIV. *cap.* V. Extra portam trigeminam unciaria stipe collata.

B

Sextula. Varro: denique æris minima pars sextula, quod sexta pars unciæ: videlicet illo sæculo cum asses essent librales.

C

Dupondius, a duobus ponderibus, quod unum pondus as, vel assipondium vocabatur: nam as libræ pondere erat ab initio. Itaque duo asses duarum librarum pondere: unde & dupondius dictus: sed cum postmodum asses semunciales facti sint lege Papyriana, dupondii quoque unciales fuere; quamdiu autem, mihi quidem non liquet. Postmodum certe dupondios quoque semunciales percussos, nummos autores dabo. Vidi unum a Nerone integerrimum, ex quo vix quidquam decessisse arbitrari possis, & qui antiquitatem spiraret, non signorum impressorum sculptura solum & forma; verum ipsa quoque materia aurichalci æmula: inscriptio circum caput Imperatoris, vallari (ut videtur) corona redimitum, ita erat, *Nero Claud. Cæsar aug. Germ. tr. p. imp. p.* Parte adversa Victoriæ effigies, utrimque a latere S. C. literis majusculis, significans nummum hunc senatus consulto percussum: hos enim duos characteres fere in omnibus nummis æreis videre est: in ora autem *victoria Augusti*, infra Victoriæ pedes numeralis hæc nota II. quam dupondii veterem notam significare nemini dubium esse potest, qui sestertium, qui ab initio quoque valebat duos asses cum semisse, tum ita propterea notatum II. S. ex Volusio, cæterisque didicerit. Hic prædictus Neronis dupondius pendebat duntaxat grana 252. itaque unciæ semissi longe cedebat. Vidi alium a Julia percussum, qui plane semuncialis esset, granorum 320. omnino tanquam ad id præscriptum factus. A Tiberio quoque cum istac inscriptione, *Ti. Claudius Cæsar Aug. P. m. tr. p. im. p.* cum effigie muliebri: parte aversa caput muliebre eximia venustate, matronalem modestiam præ se ferens, infra *pietas*: trahebat pondus granorum 254. Ab Augusto item unum, cum hac inscriptione, *Divus Augustus*, utrimque a capite S. C. parte aversa *consensu senatus & eq. ordin. p. q. r.* is pendebat grana 318. Sunt alii præterea complures, sed hos ad institutum sufficere arbitramur. Hæc autem non propterea ita pensiculatim examino, tanquam in granis æris 10. 20. aut 30. hic rem nummariam vacillare arbitrer: sed ut planum sit dupondios, qui lege Papyriana unciales primum fuerant, ipsis nummis in rem præsentem adductis, postmodum ad unciæ semissem redactos. Nam etsi rari semunciali pondere ita accurate tanquam ad minutum signati extent: nobis tamen satis fuerit, commonstravisse hos nummos, saltem sub Imperatoribus, quorum nobis tantum facta est copia, ita præter propter signari solitos. His enim vestigiis sestertiorum æreorum valorem & pondus infra suo loco in lucem eruam. Constat præterea, nos ex hac analogia assium pondus unciæ quadrante, semissium parte octava, atque ita porro reliquas assis partes vero & legitimo pondere definivisse: sed dupondiorum aliquot conspectum & pondus hic subjiciam:

D

parte una	parte altera	grana
Julia. C. *reliqua non poteram legere.*	*tres fœminæ sacrificantes*	320.
Divus Augustus *utrimque*. S.C.	Consensu senat. & eq. ordin. P. q. R. *sedens in sella porrecta manu ramum tenens.*	318
Imp. Ti. Claudius cæsar aug. P. m. im.p.	*Caput muliebre demisso secundum tempora & genas sipario: infra* Pietas.	
Ti. cæsar Divi Augusti f. augustus imp. VIII.	Pontif. maxim. tribun. potest. XXIII. *in medio maximis literis S. C. situ aliquantum imminutus.*	233
Imp. Nero Claud. cæsar aug. ger. p. m. tr. p.	*Victoria alata; circum* Augusti Victoria: *infra pedes* II. *nota dupondii.*	252
Imp. cæs. Vespasianus cos. III.	*Justitia bilancem manu tenens, in ora* æquitas Augusti, *infra S.C.*	170
Vespasianus aug. cos. III. *reliqua legere non potui.*	*Notæ fugientes.*	260
Imp. cæs. Vespasianus aug. Cos.	*Victoria coronam manu exserta tenens: in ora* Roma, *infra S.C.*	297
Imp. cæs. Trajano optimo aug. Ger. dac. P. m. Tr. p.	*Columna cui statua imposita. Circum* Senatus populusque Romanus, *infra S.C.*	310
Diva Faustina. *in honorem Faustinæ jam defunctæ ab Antonino percussus.*	Æternitas. *S.C.*	251

Inscriptionem integre ita leges, ut in nummo quinto, *Imperator Nero Claudius Cæsar Augustus, Germanicus, pontifex maximus, tribunitiæ potestatis*: atque in cæteris consimiliter; quod hic semel monuisse sufficiat.

E

Atque hæc quidem de dupondio, deque asse æreo & ejus partibus dicta sunto. Sequitur numisma argenteum. Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. Q. Fabio Pictore consule, quinque annos ante primum bellum Punicum, hoc est, ut ex Livio constat, anno urbis 484. antequam Deus hominem induit annis 267.

Denarius, quinarius, qui & victoriatus, sestertius fuere ex argento: sed & sestertius quoque postmodum ex ære.

F

Denarius. Varro: in argento nummi denarii, quod denos æris valebant: quinarii, quod quinos: sestertius, quod semistertius. Et, nummi denarii, decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva. Itaque denarius olim decuma libella a valore appellatus: postea etiam libella argenti. Plautus *Pseudolo* Act. II. Sc. II.

Siquidem hercle etiam supremi promptas thesauros Jovis,
Tibi libellam argenti nunquam credam.

Et rursum in eadem Comœdia Act. IV. Sc. VII. absolute posuit libellam:

Sed tu, bone vir, flagitare sæpe clamore in foro,
Cum libella nusquam est.

Cicero *Verrina* IV. *Et quis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset?* Et pro *Q. Roscio Comœdo*, ait ad libellam sibi deberi, tanquam ne unus quidem denarius a postulata summa abesse possit: quod *pro Quintio* per denarium extulit; inquit enim: *decidis statuisque tu, quid iis ad denarium solveretur*. Omnium vero scriptorum consensu denarium pro decem assibus datum liquido constat. Festus, deni asses, singuli pondo libras efficiebant denarium, ab hoc ipso dictum. Plinius, argentum signatum est anno urbis 585. (lege ex Livio 484.) & placuit denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinque, sestertius pro dupondio & semisse. Plutarchus in *Vita Camilli*, *ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον, καὶ δεκάχαλκον ὅπως ἐκαλεῖτο δηνάριον*, *assis enim erat pecunia, & decussis vocabatur denarius*. Nota denarii initio quidem bigæ & quadrigæ cum charactere X. & inde bigati quadrigatique dicti, inquit Plinius, quorum mentio apud Livium frequentissima. Tacitus *de moribus veterum Germanorum* sub initium quoque serratos huc annumerat, qualem fuisse puto denarium infra in catalogo tertium, vel saltem septimum. Postmodum tamen denarii nota pro signantis arbitrio variata, ut Romulus & Remus lupam sugentes, vel Sabinarum raptus, Janus biceps, Virgo Vestalis, aliæque: quandoque etiam triumviri, prætoris, consulis, & postea plerumque Imperatoris effigies. Unde illud Christi, cum Pharisæi quærerent, an ipsis Cæsari tributum esset pendendum; *Exhibete mihi*, inquit, *numisma census*: quibus denarium afferentibus, quæsivit, cujus imagine & titulo signatus esset: ipsis rursus Cæsaris imagine & titulo notatum dicentibus: respondit, *Date igitur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ Dei*. Cæterum pondus omnium æquale fuisse Plinius autor est *lib.* VI. *c.* XII. ubi de Annii Plocami, qui maris rubri vectigal a fisco redemerat, liberto loquitur. Is aquilonibus in Taprobanem usque abreptus, ad regem deductus est, qui mirum in modum Romanorum justitiam suspexit, quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversæ imagines indicarent a pluribus factos: quod ut verum fuerit de nummis illius & superioris ætatis, sub posterioribus certe Imperatoribus multum prisco ponderi decessit.

Verum qui res hæc clarius liqueat, rem ipsam paulo altius repetam, & nummos auctores dabo. Denarius fuit libræ Romanæ quarta & octogesima pars, tot enim ex ea signabantur, quemadmodum Plinius *libro* XXXIII. *capite* IX. scripsit, *Miscuit*, inquit, *denario triumvir Antonius ferrum: miscuit æri. Alii e pondere subtrahunt, cum sit justum* LXXXIV. *e libris signari*: hanc eandem sententiam disertis verbis Cornelius Celsus *libri* V. *cap.* XVII. confirmavit: *Sed & antea*, inquit, *sciri volo, in uncia pondus denariorum septem esse*: idemque a Scribonio Largo, qui Tiberii ætate vixit comprobatur. Sic illi: a quibus Isidorus *libri* XVI. *capite* XIV. longe abit diversus: cui drachma octava pars unciæ est, & denarii pondus argenti. Hæc tam pugnantia ætas & consuetudo facile conciliabunt. Sed ut clarius denarii argentei ratio omnibus liqueat, & quasi ante oculos versetur, quemadmodum singulorum pondera expenderim plane explicabo, ut cuique arbitratu suo judicandi potestatem faciam. Romanos sane libras singulas in duodenas uncias partiri solitos jam diximus: unciæ autem singulæ ab aurificibus nostris in vicenas partes dispescuntur: quos illi anglicos vocant; anglici porro singuli in tridenas binas partes alias subdividuntur, quæ grana (a frumenti granorum pondere) dicunt: ut unciæ singulæ grana 640. pendant: & libra Romana unciarum duodecim grana 7680. Quamobrem si uncia Romana habuerit denarios octo, libra habebit denarios 96. denariique singuli appensi æquabuntur granis 80. Atqui vero si cum Celso, Scribonio, Plinioque unciæ tribuas denarios septem, singulorum pondus fuerit 91. granorum, ut proxime. Id verum sit, an secus, libet experiri, proposito tanquam in tabella, pondere aliquot denariorum integerrimorum juxta & vetustissimorum, ex argento purissimo, quorum uberem copiam instructissimæ Cnotterorum, & aliorum amicorum arculæ mihi suppeditaverunt; atque illos quidem, quantum omnibus signis conjicere poteram, legitimos. Signatura igitur, & pondus, in quo argenti bonitas quoque in rationem venit, hujusmodi erant:

parte una.	parte adversa.	pondus granorum.
Caput incomptum, barba impexa & horrida, a vertice Sabini: *nummus certe perquam antiquus.*	L. Tituri *duarum Sabinarum raptus.*	86
Alius eodem argumento, & ante os Sabini, nota jam fugitiva.	*Sed, quod facile noscere, non eodem tempore percussus.*	75
Caput muliebre caprina pelle tectum cornibus retrorsum aversis, cum his literis S. C. in ora crebris crenis, tanquam serra, incisus.	L. Proculi filia: *mulier bigis invecta.*	84
Mulier alata, quæ victoria est, quadrigis invecta, supra equorum capita hic numerus, CXVIII. *infra pedes equorum notæ fugientes: nummus integerrimus.*	*Caput humanum, cui a vertice tridens, credo Neptunum esse, sine inscriptione.*	80
Bigæ: supra equos stellæ tres, infra pedes Tanaquil. *& sub hoc lineola interjecta* Roma.	*Effigies fœminæ, capite coronato: sub mento ejus* X. *antiqua denarii nota.*	71
Janus bifrons cum literarum notis, quas colligere non poteram.	*Nescio quid nummus integer & bonus.*	73
Quadrigæ, sed literarum charactere refugo, ut sub equorum pedibus istas literas duntaxat noscitare potuerim N. C. F.	*Caput humanum, nescio quo serrato circulo supra verticem inflexo, pone verticem* Roma, *infra mentum* X. *denarii nota.*	76
Caput virginis, circum Q. Cacar. Vest.	*Nescio quid.*	72
Caput virile Q. Sicinius III. vir.	C. Codonius pr. S. C.	72
Caput Mercurii cum petaso & pinnulis, oculis clausis, a vertice Roman. *nummus cui vix quidquam decessisse diceres.*	*Quadrigæ, supra caput equorum corolla, victoria alata palmæ ramum dextra tenens curru invehitur, infra* M. Tull. *Ciceronis est.*	76

Boves junctos agit bubulcus , infra imp. cæsar.	*Signum absque inscriptione .*	73
Caput humanum : a vertice Pansa : *erat & alter pari pondere & signatura .*	*Quadrigæ,subtus* C. Vibius C. *nescio an eadem bonitate argenticum cæteris .*	82
Capricorni signum cum statua humana utrimque, infra cæsares,*in ora* august. f. *reliqua non capiebam .*	Aug.f. Augustus p. p.	79
Augustus .	Pontif.maxim.*Juppiter sedens cum fulmine & scipione .*	77
M. Durmius III. vir honor .	Augustus Cæsar. *elephanti duo currum trahentes .*	80
Ti. Cæsar divi aug. f. august.	Pontif.maxim.*Juppiter sedens cum fulmine & scipione .*	70
Equus e carceribus emissus , infra August.	Augusti divi F.	78
Imperator Cæs. Vespasianus aug.	Judæa . *Judæa mulier plorans .*	75
Imp. Trajano. aug. ger. dac. p. m. tr. p. Cos. VI. p. p.	S. P. Q. R. optimo principi: *vir quasi sedens ad umbilicum nudato pectore , rotam sinistra , ramum dextra tenens , infra* via Trajana .	65
Eadem signatura fugiente litera .	S. P. Q. R. optimo principi : *columnæ imposita statua .*	60
Vir manu tenens lucernam .	S. P. Q. R. optimo principi : *multo ære mixtus .*	69
Imp. Antoninus Pius aug *effossus anno* 1600. *prope Basileam .*	.... Cos. III. p.p. *cui situ non parum decesserat .*	48
Alius quoque .		68
Divus Marcianus P. aug.	Victoria Augusti *infra* Con. ob , *id est , Constantinopoli obsignatum .*	41

Istos duntaxat e maximo cumulo delegisse sufficiat . Ex quibus liquido constat denarii pondus 80. grana (modo duos , Sabinarum raptum , & L. Proculi filiam , qui sunt primus & tertius , excipias) non excedere . Hi autem si veri sunt , certe legitimos fuisse mihi persuasissimum est , cumque argenti bonitate nulli nummo cederent , & illum Sabinarum raptu notatum quatuor aut quinque granis detritum res ipsa loqueretur , equidem eos ita ab initio , isto pondere institutos censendum , ut pondus 91 $\frac{1}{2}$. granorum explerent . E reliquis porro nullus ad id pondus assurgit : ita enim omnes a Cicerone , Augusto , cæterisque signatos intra septuaginta & octoginta grana coerceri videmus : neque istos solum , quorum titulos & pondera annotavimus : verum alios quoque quamplurimos , quorum descriptionem hic consulto omisimus : ut ex eorum analogia planum sit a 91. aut 92. ad 80. grana paulatim , quasi per gradus justum denarii pondus esse contractum . Atque ideo cum ex libra initio quatuor & octoginta denarii 91 $\frac{1}{2}$. granorum signarentur : postmodum sex & nonaginta pondere granorum 80. signari cœperunt . Utrum vero libra Romana centenaria quoque evaserit , ut centum denarii senatus consulto ex eo signati sint , nullo autore confirmari potest : quamvis enim denarii pondus etiam sub Consulibus ad 77. grana & infra accisum sit , ut inde expeditum sit colligere centum denarios tales e libra signari potuisse : malim tamen expressis Plinii verbis , quam obscuris & incertis conjecturis fidem habere , ut potius injuriam reipublicæ factam , tantumque a justo pondere subtractum existimem . Verum ne hic quidem avaritia sibi modum fecit : cum vix ad Trajani tempora ea ratio sarta tecta permanserit . Tres enim nummi illi ipso imperante signati $\frac{1}{5}$, hoc est , 16. granis , facile a justo 80. granorum pondere deficiunt . Et rursum Imperii sede Constantinopolim tralata quinta altera denarii ponderi detracta , ut vis $\frac{4}{5}$ denarii Romani antiqui , quales Sullæ , Ciceronis & Cæsaris ætate signabantur , æquiparet . Posterioribus enim sæculis , venali jam imperio , ob militum rapinas , & Principum donationes , argenti æstimatio , & haud dubie quoque auri multum excrevit , ut tum denarii argenti 144. pondere granorum 53. e singulis libris signatos sit verisimile ; quo tempore primum aurei solidi 72. Principum constitutionibus libram impleverunt : ita enim fere aureus nummus argentei fuit pondere duplus : quod isto ævo experientia comprobatur . Et hæc quidem de pondere sufficiant .

Superest ut denarium cum partibus suis paulo accuratius contendamus . Quemadmodum enim denarius asses decem , ita quinarius quinque , sestertius duos asses cum semisse initio valuit : dupondius enim & sembella Antiquis sestertius est , inquit Varro . Recte Antiquis , non sua ætate ; id enim obtinuit duntaxat ab anno urbis 484 quo primum argentum signari cœpit , ad annum urbis 545. postea namque denarius , quinarius , & sestertius pluribus assibus commutabantur : quod ex Vitruvio , Plinio , & Volusio Metiano constat . Q. Fabio Maximo dictatore asses unciales facti , placuitque denarium XVI. assibus permutari , quinarium octonis , sestertium quaternis , inquit Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. Et Vitruvius *lib.* III. *cap.* I. Nostri autem primo decem fecerunt antiquum numerum , & in denario denos æreos asses constituerunt , & ea re compositio nummi ad hodiernum diem denarii nomen retinet : etiamque quartam ejus partem , quod efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse , sestertium vocitaverunt : & paulo post : ita efficitur , uti habeat pes sedecim digitos , & totidem asses æreos denarius . Denique Metianus , denarius primo decem asses valebat , unde & nomen traxit : & paulo post : Nunc denarius sedecim , victoriatus & quinarius octo , sestertius quatuor asses valet . Omnes igitur isti uno ore denarium sedecim assibus commutant : sub Augusto , Vitruvius : sub Vespasiano , Plinius : sub Antonino Pio , Metianus . Ut plane frustra sint , qui nobis denarium sub exitum Augusti duodecim assibus commutare conantur : idque unico aliquo Taciti loco e primo *Annalium* permoti : sed qui ad hanc rem nihil faciat . Nam quod ita rationem putant , cum illic miles seditionem moliens queratur decem in diem assibus animam & corpus æstimari , proque eo denarios singulos postulet : menstruum porro militis fuisse aureum Romanum , quinque & viginti denarium : hosque per 30. dies divisos facere $\frac{25}{30}$, hoc est , reductis terminis $\frac{10}{12}$ unius denarii , stipendium militis diurnum , qui sint , ut ipsi queruntur , asses decem : atque inde effici denarium tum 12. assibus permutatum , ratione omnino caret . Neque enim umquam probabunt aureum Romanum , illa tempestate , militis menstruum fuisse . Quin contra statuo milites limitaneos minus aureo cepisse : sed quasi denarios viginti , aut præter pro-

pter. Ejus rei e Polybio, Suetonio & Tacito symbolas colligam. E Polybio, menstruum militis sua ætate fuisse denarii partem tertiam: id nos *libro* sexto docet his verbis: Οψώνιον δ' οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολοὺς, οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλοῦν, οἱ δ' ἱππεῖς δραχμήν. *Pedites stipendium in diem accipiunt obolos duos, ductores ordinum duplum, equites drachmam.* E Suetonio, stipendium militibus duplicatum: hoc de Julio Cæsare prodidit capite XXVI. *Legionibus stipendium in perpetuum duplicavit: idque jam ante bellorum civilium tumultus*: credibile interim per bella civilia, vel ipso, vel Octavio imperante militum stipendiis non nihil commodi accessisse; sed Octavius illis periculis jam defunctus, quicquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit: inquit idem cap. XLIX. hoc est, ut ego interpretor, legem Juliam de publicato militum stipendio revocavit: excepta cohorte prætoria, quibus binos denarios in diem assignavit. Hoc e Tacito, militumque querelis clarum est. Ut itaque prima novissimis conferamus: Polybio militis diurnum est pars denarii tertia, hoc est, si denarium intelligas decussisexim, (ut Vitruvius loquitur) asses quinque cum triente; duplicavit stipendium deinde Julius: fuere ergo asses decem cum gemino triente, qui sunt ⅔ denarii; atque ita evidens est ⅔ denarii tricies sumptas, hoc est, denarios viginti militis menstruum fuisse: nam bini in diem denarii prætorianorum diurnum, faciunt 60. denarios in mensem, triplum peditis limitanei: qua in re eorum stipendium equitum stipendiis exæquatum constat. Itaque 20. denarii, ejus numeri pars tertia est militis diurnum: quod vero 10. asses solidos tantum numerent, gemino triente neglecto, id vel ὑποκορισικῶς ad invidiam augendam dictum arbitror; vel vere quidem, sed ut duo trientes e militis diurno ita deducti sint, ut pro eo frumentum acciperet, quod maximo illorum commodo factum constat. Denique vero etiam ut denarium decussisexim comprobem dupondiarios sestertiosque nummos huc advoco: quos ab omnibus Imperatoribus ita signatos experientia docet, ut sestertius ad dupondium ejusdem temporis sit quasi duplus. Quare dubium amplius esse non potest, quin a Julio usque denarius decussisexis, hoc est, assium fuerit senum denum. De ætate superiore saltem dubios nos Polybius facit: qui secundo *Historiarum* de Gallia togata scribens, tantam rerum omnium vilitatem prædicat, ut pro cœna reliquisque necessariis, tantum dimidius assis expendatur, quem ait valere oboli partem quartam: verba ista sunt, ἡμιασσαρίου, τοῦτο δέ ἐστι τέταρτον μέρος ὀβολοῦ: quare assis unus fuerit oboli dimidium (nam oboli Attici sex denarium efficiunt) & asses duodecim denarium implebunt. Autor diligentissimus, Romanæ consuetudinis haud ignarus, & Africani Junioris, qui Carthaginem funditus delevit, præceptor: cur ei, de sua ætate potissimum scribenti tam disertis verbis, non credam, causæ nihil habeo: optarim tamen hoc idem aliorum exemplis comprobatum, vel certe illustratum: neque enim constat quando, aut quo primum autore id factum sit, nisi divinare libeat id tum institutum, quando Populus Romanus tributum pendere desiit, Antiocho devicto: ut tum æris pretium, ob argenti uberem copiam, paulum excreverit. Ego quidem adhuc ἐπέχω, donec certiora ex aliis scriptoribus, aut nummis autoribus proferantur.

Quinarius, etiam Victoriatus. Volusius Metianus: Est autem Victoriatus semis denarii, & nunc tantundem valet, quantum olim quinarius. Varro libro nono *de lingua Latina*, quam rationem, inquit, duo ad unum habent, eandem habent 20. ad 10. In numeris, in similibus, sic est ad unum victoriatum denarius, sicut ad alterum victoriatum alter denarius. Nominis originationem docet Plinius *libri* XXXIII. *cap.* III. verba adscripsi. Qui nunc Victoriatus appellatur lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercium loco habebatur. Est autem signatus Victoria, & inde nomen. Itaque Victoriatus a Victoriæ signo dictus. Hujus nummi Cicero meminit *pro Fontejo*: *Triturium*, inquit, *Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse, Crodimi Porcium & Numium ternos victoriatos*. Livius quoque *lib.* XLI. de C. Claudii triumpho rebus in Histria Liguribusque prospere gestis: *Tulit in eo triumpho denarium* 30700. *& Victoriatum* 85702. Ex argento purissimo unum vidi, eumque integerrimum, quem ad me misit vir nobilis Nicolaus Rockox, antiquitatis studiosissimus, & nummorum veterum æstimator solertissimus, pendentem grana quatuor & quadraginta; pondere legitimo: id enim ad dimidium justi denarii pondus quamproxime accedit. Inscriptio & nota utrimque talis erat: parte una caput Mercurii cum petaso & pinnulis, pone verticem V. nota quinarii seu Victoriati, autore Metiano. Parte altera duo equites hastati citatis equis invecti: infra pedes *Roma*. Alios plures videre licet in illa nummorum divite arca, unde hunc ipsum deprompsimus.

Sestertius, quasi semissis tertius, ut in lege duodecim Tabularum pes sestertius, sunt pedes duo & semis: qua analogia veteres Latini trientem tertium dixere: id enim significare ait Cinejus *Mystagogicῶn* libro secundo: duas libras pondo & trientem: neque aliter Græci: Pollux *lib.* IX. *cap.* VI. Ἀρχαία δὲ ἡ χρῆσις καὶ ἡ τοῦ, πέμπτον ἡμιτάλαντον, ἕβδομον ἡμιτάλαντον, & addit τὸν πρὸ αὐτοῦ ἀριθμὸν, ὁλόκληρον εἶναι δεῖ, oportet numerum antecedentem integrum sumas; ita tum erant quinque talenta cum semisse, quando πέμπτον ἡμιτάλαντον dicunt, non quinque talentorum semisses: est itaque sestertius dictus, quasi semissis tertius: dupondius enim & sembella Antiquis sestertius est, inquit Varro. Postea quaternis sestertiis commutatum Vitruvio, Plinio, Volusioque autoribus dictum est. Ex argento fuisse Varro Pliniusque docent: qualem se aliquando vidisse vir nobilis Nicolaus Rockoxius mihi testatus est: ejus pondus itaque quasi granorum 22. Postmodum tamen ex ære, sed optimo signatum, Plinius conceptis verbis *libri* XXXIV. *cap.* IV. testatum reliquit: *Summa*, inquit, *æris gloria nunc in Marcianum conversa, quod & Cordubense dicitur: Hoc a Liviano cadmiam maxime sorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque, Cyprio assibus suis contento*. Hujusmodi hodieque quam plurimi circumferuntur: sunt enim ærei illi maximi, unciali fere pondere aut paulo infra. Subjiciam inscriptiones aliquot, cum pondere:

parte una	parte altera	grana.
C. Cæsar dict. perpetuo.	*Signa aliquot & notæ, ut videntur, hieroglyphicæ.*	389
Ti. Claudius Cæsar p. m. tr. p. imp. p. p.	Antonia Augusta.	385
Ti. Claudius Cæsar aug. p. m. tr. p. imp. p. p.	*Caballus supra fornicem positus, a latere utrimque* S.C *in ora* Nero Claudius Drusus German. imper.	569

Ti. Cæſar Auguſti F. imperator.	*Duæ victoriolæ ſuper columnas poſitæ, laureas manibus tenentes, & mutuo ſe aſpectantes: infra* Rom. & Aug.	614
C. Cæſar aug. Germanicus .... tr. pot.	*Tres ſorores ejus, geſtantes cornu copiæ.* Agrippina Druſilla Julia, *infra S. C. adi Sueton. in Caligula cap.* XXIV.	460
Nero Claud. Cæſar Aug. Germ. p. m. tr. p. imp. p. p.	*Virguncula victoriolam dextra manu geſtans, utrimque S. C. infra* Roma.	510
Nero Claud. Cæſar aug. Ger. p. m. tr. p. imp. p. p.	Annona Auguſti Ceres, *infra S. C.*	440
Imp. Otho Cæſar Aug. tri. pot.	*Signiferi tores imperatori ſacramentum dicunt, in ora* Securitas P. R. *infra S. C.*	515
Imp. Cæſ. aug. p. m. tr. p. p. p. coſ. VIII.	*Judæus ſtans, Judæa ſedens ſub palma & patriæ vaſtitatem deplorantes, in ora* Judæa capta.	424
Imp. Cæſ. Veſpaſ. aug. p. m. tr. p. p. p. coſ. III.	*Miles armatus, utrimque S. C.*	476
Imp. Cæſ. Veſpaſ. aug. p. m. tr. p. p. p. coſ. III.	*Mulier manu tenens neſcio quid. S. C.*	496
Hadrianus aug. coſ. III. p. p.	*Pons quinque fornicibus ſubſtructus, cum ſtatuis quatuor S. C.*	614
Diva Fauſtina: *ab Aurelio Ant. in honorem defunctæ conjugis percuſſus: poſt apotheoſin enim demum Divi appellatio.*	*Junonis effigies, a latere S. C. ante pedes pavo, infra* Juno.	596

Sufficit e tanta copia pauculos hoſce propoſuiſſe, quorum exemplo commonſtrem æreos ſeſtertios unciales fuiſſe. Nam utut pondere, vel ab eodem principe, vario ſignati ſint: illud interim planum fit, ſemper ad unciarum pondus quodammodo aſpiraſſe, ut Tiberii tres 385. 569. 614. granorum. Neronis item duo 440. 510. Veſpaſiani tres 424. 476. 496. Hadriani duo 596. 614. ut E quaſi per intervalla ad juſtum pondus recurſum ſit. Seſtertius igitur ita inſtitutus eſt, ut pondere & valore dupondii eſſet duplus. Comparato namque dupondium Neronis 252. granorum, cum ejuſdem ſeſtertiis 440. 510 Itemque Tiberii dupondium 254. cum ſeſtertiis ejuſdem 385. 569. 614. Et Veſpaſiani dupondios 176. 260. cum ſeſtertiis 424. 476. 496. Cæteroſque itidem inter ſe, illud plane liquebit ſeſtertios dupondiorum duplos ut proxime, nunquam autem ſeſquialteros: quod ſatis argumenti arbitror ſeſtertium duobus dupondiis, hoc eſt, quaternis aſſibus, ſaltem ſub Imperatoribus commutatum. Neque enim neceſſe F eſt hic, quemadmodum in auro, pondera ad minimas quaſque particulas congruere. Quamobrem, ſeſtertii unciales, dupondii ſemunciales, & aſſes quadrantales ſunto: illud enim pondus graviſſimi quique circa hæc tempora percuſſi implent: ſi quo minus pendant, id ex juſto pondere ſubtractum, tot nummorum argumento facile intelligitur. Dupondium namque & aſſem eo, quem ſupra definivimus, pondere percuſſos expreſſim in elegantiſſimo illo Cleopatræ fragmento, apud Galenum *de ponderibus & menſuris* le-

A gitur: Ὁ στατὴρ ἄγει δραχμὰς δ΄. καλοῦσι δὲ αὐτὸν τετράδραχμον, καὶ τὸ διπόνδιον δὲ ὁμοίως ἄγει δραχμὰς δ΄. *Stater pendet drachmas quatuor, quem tetradrachmum vocant: & dupondius itidem quoque drachmas quatuor.* Et rurſum, ἀσσάριον ἔχει δραχμὰς β΄. *aſſis habet drachmas duas.* Atque initio: καλεῖται δὲ οὐγγία τετράσσαρον Ἰταλικόν. *vocantur autem uncia quatuor aſſes Italici.* Nihil potuit dici illuſtrius, ita ſignate utriuſque pondus nobis expreſſit: quia enim ſenatuſconſulto tum ita ſignarentur, eorum quoque pondus ad B medicum uſum tranſiit, ut denariorum & drachmarum. Nota ſeſtertii apud Metianum & Priſcianum hæc eſt H. S. Nam cum initio ſeſtertius valeret libras duas & ſemis, ejus numeri notam ex uſu notarum recepto expreſſerunt hoc modo II. S. quæ tandem conſuetudine ſcribentium in illam formulam degeneravit. Cæterum ubicunque apud Veteres de moneta Romana nummum abſque ulla alia adjectione leges, ſemper de ſeſtertio nummo intelligas.

Seſtertium autem genere neutro non monetam, ſed pecuniæ ſummam ſignificat, quæ mille ſeſtertios, vel ducentos & quinquaginta denarios valuerit: hoc eſt, libram argenti Romanam & ſemis. Id C e *Verrina* tertia planum fiet, ubi Orator ait exportationibus Verris, ſocios publicanorum ſeſtertia ſexaginta perdidiſſe, ex viceſima portorii Syracuſis: unde concludit pauculis menſibus furta prætoris, quæ eſſent ſeſtertium duodecies ex uno oppido exportata eſſe. Publicanorum enim ſocietas ex portorio capiebat partem viceſimam, qua Verres illos fraudabat, quod has merces immunes tanquam prætorias exportaret. Valuit igitur mercium ipſarum æſtimatio & pretium, ejus ſummæ vigecuplum, hoc eſt, ſeſtertia 1200. quam eandem D ſummam Cicero taxat ſeſtertium duodecies, Latina & veteri locutione, id eſt, enunciatione plena, ſeſtertiis nummis duodecies centenis millibus. Quamobrem cum 1200. ſeſtertia valeant 1200000. ſeſtertios, ſingula ſeſtertia mille ſeſtertiis nummis æquiparantur. Argumentum alterum ex comparatione locorum Taciti & Plinii Secundi in medium afferam. Quod enim Plinius Secundus *epiſtola* ultima *libri* quinti ait, Nepotem Prætorem advocationes vænire & emi edicto caviſſe. Peractis tamen negotiis permiſiſſe pecuniam decem millium dare: videlicet decem millia ſeſtertium; id Tacitus undecimo *Annalium* dena ſeſtertia dixit: inquit enim de Cajo Principe: *Capiendis pecuniis poſuit modum, uſque ad dena ſeſtertia.* Eandem ſummam patrono tribuit Ulpianus *digeſt. lib.* 50. *titulo* 13. *paragrapho* 12. *de variis & extraordinariis cognitionibus: Licita autem quantitas*, inquit, *intelligitur pro ſingulis cauſis uſque ad centum aureos:* ſed centum aurei ſunt bis mille & quingenti denarii vel 10000. ſeſtertii, quemadmodum in aureo Romano ſtatim oſtendemus. Quare ſingula ſeſtertia, valent mille nummum ſeſtertium: quod hic demonſtrare conſtitueram.

E Romano numiſmate aureum adhuc ſupereſt. Nummus aureus poſt 62. annum percuſſus eſt quam argenteus, anno urbis 546.

Aureus Romanus fuit 25. denarium.

Hujus veritas mihi non diu quærenda fuit, Ulpiani illam legem cum ſuperiorum Principum edictis comparanti: liquido enim inde conſtat 100. aureos 10000. nummum æquari: itaque 100. ſeſtertios, hoc eſt 25. denarios cum ſingulis aureis paria facere. Verum & aliunde quoque hujus ſententiæ ſtabiliendæ argumenta conquiram. In largitione Othonis paratum eſt nobis exemplum. Nam quod Suetonius in *Othone* cap. IV. dixit, Othonem aureos excubanti cohorti viritim diviſiſ-

ſe,

ſe, & Plutarchus χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων, illud Tacitus libro XVII. *Annalium* per ſeſtertios hoc modo expreſſit, ut quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret: quamobrem aureus unus nummos ſeſtertios 100. valuit. Ecce & aliud ex eodem: Suetonius *Domitiano*, *Addidit*, inquit, *& quartum ſtipendium militi; aureis ternis*: id eſt, aureis illis ternis, quos ante ſub Imperatoribus capiebant menſtruum ſtipendium, Domitianus quartum adjecit. Zonaras eandem liberalitatem per drachmas extulit: *Militibus* (inquit) *ſtipendium auxit, fortaſſe ob victoriam: cum enim ſingulis ſeptuagenæ quinæ drachmæ ſolverentur, centenas dari juſſit*. Ergo drachmæ, hoc eſt, ut paulo poſt patebit, denarii ſeptuaginta quinque faciunt aureos tres, & viginti quinque ſingulos. Romani autem aurei pondus quale ab initio inſtitutum, & quemadmodum deinceps imminutum, ſolus pene Veterum nobis definivit Plinius, ſi recte legatur, *libri* XXXIII. *capite* III. *Aureus nummus poſt annum* LXII. *percuſſus eſt quam argenteus, ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis, quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum qui tunc erant, ſeſtertios* DCCCC. *Poſt hæc placuit* XLM. *ſignari ex auri libris: paulatimque principes imminuere pondus, minutiſſimus vero ad* XLVM. Non dubium eſt quin locus hic corruptiſſime legatur, quemque alii aliter reſtituant. Ego vero eum hoc modo legendum ſatis evidentibus argumentis oſtendam. Aureus nummus poſt annum LXII. percuſſus eſt quam argenteus, ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis, quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum, qui tunc erant ſeſtertium VM. DCCLX. poſt hæc placuit XLII. ſignari ex auri libris: paulatimque principes imminuere pondus, minutiſſimus vero ad XLV. Rationem noſtræ lectionis ſigillatim explicabo. Cum enim ita ſignate auri taxationem vicenum ſeſtertium in ſingula ſcrupula proponat, ſcrupulum vero unciæ pars ſit viceſima quarta, vel libræ 288. nihil cauſæ video, cur non audacter pro 900. reponam ſeſtertium VM. DCCLX. ſignificat enim auri æſtimationem Romæ illo ſæculo ad argentum fuiſſe ſeptendecuplam, quæ ſua ætate jam minor eſſet: ſiquidem quatuor ſeſtertii denarium, quatuor & octoginta denarii libram efficiant: diviſis itaque 5760. ſeſtertiis per 336. quotus erit $17\frac{1}{7}$. valuitque tunc aureus unus amplius denariis quatuor & triginta, qui poſtmodum denariis quinque, & viginti commutatus eſt. Secundo pro XLM. reponendum cenſeo XLII. lapſus enim librarii facilis fuit, pro II. ſcribentis M. Cur autem XLII. legendum arbitrer, Plinius ipſe cauſam nobis dicet. Nam cum e libra octoginta quatuor denarios ſignari juſtum eſſet, ut ſupra docuimus, aureumque duorum denariorum pondere ſignatum ſatis conſtet: certe dubium nulli eſſe poteſt, quin XLII. hoc loco ſit reponendum. Erroris hujus ſimilitudo tertium quoque traxit. Cum enim e XLII. feciſſent XLM. non potuit aliter fieri, quam ut pro XLV. reponerent XLVM. Neminem arbitror ita pertinacem, qui in hanc ſententiam non ſponte ſua concedat: adeo enim clara ſunt omnia, & veritati conſentanea, ut dubitare & ambigere amplius non liceat. Quamobrem aurei Romani juſtum pondus facile his veſtigiis eruemus: diviſis enim integræ libræ granis 7680. per 42. aureorum numerum, dabitur ſingulorum legitimum pondus quaſi granorum 182. cum primum tot e libra ſignati ſint: ſed quemadmodum argenti juſtum pondus paulatim acciſum; ita quoque auri legitimo pondere per fraudem imminuto, tandem ſenatuſconſulto ita conſtitutum, ut quinque & quadraginta e ſingulis libris ſignarentur: itaque tum pondus aurei juſtum fuit granorum 170. Hujus ſubobſcura quædam veſtigia in nummis antiquis ſuperſunt. Nam cum vix reperias nummum aureum aliquem nullo alieno metallo adulteratum, unde avaritia ſignantium non 2. aut etiam 3. grana ſucciderit: præterea tam diuturni temporis uſus totidem aut plura etiam detriverit: invenias tamen nihilominus nummos legitimos ab Auguſto ſignatos, qui 163. granorum pondus impleant: a Tiberio 161. His ſi ſex illa grana, quæ partim avaritia, partim uſu deceſſere, adjicias, vides ut proxime dictum illud pondus expleri. Sed aureorum aliquot pondera, & quo autore ſignati ſint, hic deinceps ſubjicere conſtitui. Si illud prius teſtatus fuero, omnes hos nummos quorum pondera abſque titulis propono, ex arculis & lectiſſima veterum nummorum gaza Nobiliſſimi viri Nicolai Rockoxii depromptos, qui pro ſuo erga rem literariam affectu, noſtra gratia ſingulorum pondera ita expendit:

	grana		grana
Auguſt.	163	Claudii	160
Tiberii	161	Neronis	158
Druſi Germanici	160	Domitiani	158

Ex his planum eſt Principum avaritia, vel temporis iniquitate paulatim nummariam rem acciſam: quamvis negare non auſim aureos ejuſdem principis non ſemper eodem pondere ſignatos. Vidi aureum Auguſti vix mille paſſibus a Lugduno Batavorum e terra erutum, anno 1599. loco *Roomburch* nomen hodieque eſt, tanquam *Romæopurgum* dicas: fuit illic olim Romanorum armamentarium quoddam,& ſimul Batavicæ juventutis ἀσκητήριον, credo ne omnino militaris diſciplinæ rudes ad Romana ſigna venirent. Cumque ſolum illud ſupra ſubjectos agros extaret, ut agri paſcui circumjacentes hac terra meliores fierent, complanatus eſt, prout quiſque partem ejus aliquam ſibi a fiſco redemerat: inde nummus hic, quem dico, erutus eſt, ita purus & aſper, tanquam recens ſignatus ex officina prodiiſſet: parte una habebat Auguſti effigiem expreſſam, hac circum oram inſcriptione *ſar Auguſtus*, ita ut cætera marginem nen cœpiſſe, facile noſceres: quemadmodum in Hiſpaniæ regum nummis quibuſdam hodieque uſu venire videmus. Parte altera Jovis effigiem in ſella cum fulmine & ſcipione ſedentis, appoſito circum oram titulo *Juppiter*: is, ut videbatur integerrimus,pendebat exacte tantum grana 153. ut uſu & malignitate ſignantium non parum ei detractum agnoſcas. Hoc ipſo pondere, aut non multo minore aliquot nummi anno 1607. etiam aliorum principum in Flandria inventi ſunt, prope Aleſtum in pago *Moſpelar*: hic dum cultores agri altius moliuntur terram, olla ænea mille veteribus aureis nummis referta, inventa eſt: ex eo numero iſti ſunt:

	grana		grana
Mutidiæ	153	*Fauſtinæ*	151
Sabinæ, quæ uxor Neronis,	150	*Fauſtinæ*	152
Hadriani	151	*L. Veri*	150
L. Ælii	149	*Lucillæ*	152
Antonii Pii	150	*Commodi*	150
Marci Aurelii	150		

Omnes ita integri, ut e nummaria officina tum primum prodiiſſe videri poſſint, quemadmodum & ille Auguſti: credo aurum ætate, etiam ſub terram abditum, ſe in nitorem dare: nam nec rubigo, nec ærugo, neque ſalis aut aceti ſuccus auri bonitatem conſumit, aut pondus imminuit. Quamvis vero horum pondus Principum edicto imminutum, res ipſa haud levem ſuſpicionem nobis præbere poſſit, atque ex libra jam octo & quadraginta ſigna-

tos pondere granorum 160. hactenus tamen obstat Plinius, qui jam suo tempore duntaxat quinque & quadraginta ex libris singulis signari testatum reliquerit. Cum interim illius ætatis nummi, ut ille Augusti Neronis, Sabinæ longe infra legitimum pondus subsistant.

Exinde vero iniquiore multo pondere percussos constat. Ab Heliogabalo extant granorum 132. ab Alexandro Severo 130. ut quasi quinque & quinquaginta in libras singulas constitui possint granorum 140. A Severo quoque aureorum semisses & trientes primum signatos Ælius Lampridius scriptum reliquit: locum imtegrum, quia huic loco oportunus, totum adscribam: *Vectigalia* (inquit) *publica in id contraxit, ut qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent, hoc est, tricesimam partem. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem aurei vectigal decidisset; tremesses, dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset.* Hactenus Lampridius. Constat itaque aureum integrum, cujus partes erant, semissis, & tremissis seu triens, ratione partium minorum Solidum esse dictum. Recte Isidorus *lib.* XVI. *cap.* XXIV. Solidus apud Latinos alio nomine sextula dicitur, quod de iis sex uncia compleatur. Hunc, ut diximus, vulgus aureum solidum vocat: cujus tertiam partem ideo dixerunt tremissem. Sex inquam aurei postmodum in uncia, & septuageni bini in libra: quorum mentio crebra in libris Juris; ut *Codicis lib.*10.*tit.*70. in Rescripto Valentiniani & Valentis Imperatorum. Quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut aurei massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta; datum VI. Id. Januar. Romæ Lupicino & Jovino consulibus: qui fuit annus partæ salutis 370. Quamobrem jam tum, & multo ante aurei solidi 72. libram implebant; fueritque singulorum pondus granorum 106. nisi signantium avaritia aliquot grana rursum succidisset. Hujus generis nummorum aliquot pondus hic subjiciam.

	grana		grana
Gallieni	99	Valentis	90
Maximiani	104	Gratiani	90
Constantii patris	104	Valent. Junioris	90
Magnentii	92	Theod.	90
Constantii Junioris	92	Arcadii & Honorii	90
Valentiniani	90	Justiniani	90

Vix duo ex omni numero ad præscriptum pondus factos vides: omnes quotquot unquam videri mihi datum est eodem collineant. Ecce tibi duos tresve cum inscriptione sua:

parte una	parte altera	grana
D. N. Valentinianus P. aug.	Reipublicæ datus restitutor *dextra scipionem, sinistra victoriolam gestans*.	91
D. N. Honorius P. P. aug.	Victoria auggg. N D. CON. OB.	93
D. N. Anastasius P. P. aug.	Victoria augg. *infra pedes* CON. OB.	91

Cæterum posteriores nummi auri bonitate prioris sæculi nummis non nihil cedunt: vetustissimi enim auro purissimo constant. Certe Augustæus ille nullo nummo, ne Edoardæo quidem, (nummus is aureus est ab Edoardo Angliæ rege olim signatus) qui reliquis hodie purior censetur, bonitate erat secundus, ut fere aurum obryzum diceres. Quod ut planius intelligatur, ratio indicaturæ auri paulo altius erit repetenda. Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte. In uno tantum Galliæ metallo, quod vocant Albicratense, est sexta tricesima portio: ideo cæteris præest, inquit Plinius de auro nondum aurificum caminis perpurgato: nam quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Itaque aurifices nostri quatuor & viginti bonitatis, seu puritatis auri gradus constituunt, quas *carattas* vel *ceratia* ipsi vocitant: quorum quartus & vicesimus sit summus bonitatis gradus, quod & obryzum dicunt, nullum tamen aurum ad hunc puritatis gradum pertingere: id si de monetario solum intelligas, verum fuerit: inventa enim est ars aurum purum putum præstandi, aquæ chimicis operibus medicatæ beneficio: hanc aquam regiam, alii fortem vocant, quod omnia metalla, argentum, æs, ferrum, solo auro excepto, in liquorum resolvat: scorias vero auri omnes solus ignis nunquam expurgabit: itaque aurum etiam excoctissimum ajunt expurgari duntaxat ad $23\frac{3}{4}$ ceratium, sive puritatis gradum, hoc est, ut aliis verbis idem planius dicam, in auri massa quacunque ut minimum nonagesimam sextam partem esse alieni metalli. In argento autem (ut hoc quoque addam) quadragesimam octavam. Itaque cum dicunt aurum esse 18. carattorum, quartam alieni metalli partem admixtam esse significant: atque ita in cæteris. Exempla aliquot, prout nummi aurei Belgii αὐτονόμων Ordinum constitutione superiore anno salutis 1611. taxati sunt, proponam:

	caratti	grana
Aurum rosati nobilis Edoardici	$23\frac{3}{4}$, nummus ipse pendet	160
Ducati Hollandici, & Hungarici	$23\frac{3}{5}$,	73
Coronati Gallici	$22\frac{1}{2}$.	71
Pistolletti Hispanici	$21\frac{17}{19}$	71
Aurei Rhenani	$18\frac{1}{4}$	68

Quamobrem ut jam Edoardæi auri indicaturam cum alterius nummi auro instituas, sumendi tantum erunt tibi singulorum caratti, iidemque inter se comparandi: ut si Edoardæi auri ad aurum coronati Gallici ratio quæratur, bonitas illius est $23\frac{3}{4}$ carattorum, hujus autem $22\frac{1}{2}$. ajo igitur illius auri massam aliquam ad hujus auri massam paris ponderis, eam habere rationem quam $23\frac{3}{4}$ ad $22\frac{1}{2}$, hoc est, in minimis terminis, quemadmodum 19. ad 18. ita se habere aurum Edoardæum ad Gallicum. Sed ponderis ratio hic plane est inversa: nam quia ratio melioris auri ad vilius est, quæ 19. ad 18. contra ratio ponderis erit ut 18. ad 19. ut si Edoardæum sit unciarum 18. Gallicum, ut illi pretio par sit, sumendum erit unciarum 19. ista enim reciprocatio hic locum habet. Unde facile per proportionem concludere licebit: uncia auri Edoardæi, sive Romani, quot Gallici auri granis æquiparanda sit: hoc modo, ut 18. ad 19. ita uncia, hoc est 640. grana ad quem? concludes $675\frac{5}{9}$. id est 676. grana fere. Et cum aureus Gallicus habeat pondus 71. granorum, aurei $9\frac{12}{71}$. id est, ut proxime $9\frac{1}{4}$ aurei Gallici æquabuntur unciæ auri Edoardici, qui sunt rosati nobiles quatuor: & singuli Edoardæi æquantur $2\frac{1}{4}$. Gallicis. Quare aureus Romanus pondere 170. granorum accuratione æstimatione par erit aureis Gallicis $2\frac{1}{2}$. Et propterea 10. denarii uni coronato æquales erunt. Eodem modo in aliis quoque experieris. Ut si libeat scire quot Rhenani unciam auri Edoardici vel Romani valeant: aurum Edoardæum est $23\frac{3}{4}$ carattorum, Rhenanum $18\frac{1}{4}$ carattorum, itaque illius ad hoc eodem pondere ratio erit ut $23\frac{3}{4}$ ad $18\frac{1}{4}$ sive in

minimis terminis, ut 16. ad 15. At contra pondus Edoardæi 15. granorum (dicis gratia) æquabitur pretio auri Rhenani pondere granorum 19. unde proportio, ut 15. ad 19. ita 640. grana ad 810. grana auri Rhenani: cumque aureus Rhenanus pondus habeat 68. granorum, constat $11\frac{31}{34}$ aureos Rhenanos, unciæ auri Edoardæi seu Romani pretio æquari, & singulos Edoardæos pretio æquari $2\frac{133}{136}$ Rhenanis: atque ita de cæteris; & denarii $8\frac{32}{51}$ hoc est, ut proxime $8\frac{2}{3}$ uno Rhenano continebuntur. Auri vero ad argentum valorem etiam aliquando auctum imminutumve, pro utriusque metalli abundantia & penuria, quotidiana nos experientia docet. Itaque Menandro poetæ auri valor fuit tantum decuplus argenti, Herodoto τρισκαιδεκαστάσιος, *tredecuplus*; Romanis cum primum argentum signatum fuit septendecuplus; Plinio *lib.* XIX. *cap.* I. duodecuplus: Straboni rursum decuplus, ut & Livio anno urbis 565. ubi de Ætolorum pace ita loquitur: *Pro argento si aurum dare mallent, darent convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret.* At sub Honorio & Arcadio ut 72. ad 5. *Codicis lib.* 10. *titulo* 75. Ut pro singulis argenti libris, quinos solidos inferat. Ab hinc annis centum ut 12. ad 1. nobis in Hollandia hoc ipso labente anno 1612. ut 40. ad 3. atque ita alias, alia. Similis quoque ratio in cæteris metallis obtinet, quorum pretia pro penuria & copia intendi & remitti solent. Honorio & Arcadio Impp. *titul.* 29. *Cod. l.* 10. solidus unus viginti libris æris rependitur: itaque ratio auri ad æs ut 1440. ad 1. argenti autem ad æs ut 100. ad 1. Quæ nunc multo minor est, æris enim pretium superioribus annis multum excrevit. Interim illud notandum, in comparatione puritatis gradus observandos, ut aurum purissimum cum optimo defecatissimoque argento contendas: alias enim hæc ratio te multum fallet. Et hactenus quidem monetæ Romanæ cum æstimatio, tum pondus re ipsa, & scribentium autoritate demonstrata sunto. Externum numisma deinceps succedat: & primo quidem Græcorum: quibus usitata fuere.

Talentum & mina pro aliqua pecuniæ summa, nonnunquam & pro pondere: stater, obolus, chalchus etiam pro numismate.

Talentum, τάλαντον, vox Græcis varia notione usurpata: proprie pro libra zygostatica & bilance. Inde per tropum a continente ad rem contentam transiit, & ponderis appensi significationem induit: peculiariter vero definite aliquot librarum pondo; in qua significatione, tanquam propria, tandem hæsit. Hoc modo Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. Varronis autoritatem appellat: *Talentum autem*, inquit, *Ægyptium pondo octoginta patere Varro tradit*. Ita & Livius *l.* XXXVIII. de fœdere Antiochi: *Argenti probi Attica talenta duodecim millia dato intra duodecim annos, pensionibus æquis: talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat*. Vitruvius etiam aliud 120. librarum constituit *l.* x. *c.* XXI. Agetoris Byzantii testudinem describens: *Gubernabant eam homines centum, habentem pondus talentum quatuor millium, quod fit* 480000. *pondo*: quare divisis 480000. per 4000. talenta, singulis cedet pondus 120. librarum. Hero Antiochicum quoddam talentum ξυλικὸν appellatum scribit continere minas Atticas 360. libras autem (Romanas intellige) 375. Talentum, quo Moses argenti, æris, aurique pondera in Tabernaculi fabrica expendit, fuit minarum Atticarum 120. quem calculum accurate satis expressit *Exodi* cap. XXXVIII. comm. 25. & 26. Verba ipsa libet adscribere: *Item argentum numeratorum e cœtu centum talenta, cum mille septingentis septuaginta quinque siclis, prout est siclus sacer: semissis in singula capita, dimidium, inquam, sicli, prout & siclus sacer, in quemque transeuntem ad numeratos a nato viginti annos & deinceps, in sexcentos ter mille quingentos quinquaginta*. Hic itaque si de 603550. deducas duplum 1775. hoc est, 3550. dimidios siclos, reliqui 600000. dimidii sicli facient talenta centum, & 6000. dimidii sicli singula: atqui siclum tetradrachmo Attico æquari Josephus l. III. *Antiquitatum Judaicarum* c. IX. docet: quare dimidius siclus drachmis duabus; & 6000. dimidii sicli drachmis 12000. itaque 120. minæ Atticæ uni talento Mosaico æquabuntur: quia 100. drachmæ minam faciunt, ut infra dicetur: eodem pondere paulo post æs appendit. Ita Diodorus Siculus *l.* IX. libras Romanas 125. talentum vocat. Idemque Epiphanius tradidit. Verum ista nobis commodius dicentur in mina, ne hic cogamur multa antevertere. Cæterum ab hac ponderis significatione Talenti appellatio ad numisma transiit: nam cum e certis argenti libris certa pecuniæ summa signaretur, aliquot hujusmodi librarum congeriem Talentum dixerunt, etiamsi in auro numeraretur, propter tot librarum argenti *ἰσοδυναμίαν*.

Talentum omne, sive pro pondere quolibet, sive pro pecuniæ summa tantum ponatur, habet sui generis minas 60. *stateras* 1500. *drachmas* 6000. *obolos* 48000.

Id signate Hero: *Πᾶν τάλαντον ἰδίας ἔχει μνᾶς ἑξήκοντα· ἡ δὲ μνᾶ στατῆρας κε΄. ὁ δὲ στατὴρ δραχμὰς δ΄. ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολοὺς ϛ΄. Omne talentum habet proprias minas* 60. *mina stateras* 25. *stater drachmas* 4. *drachma obolos* 6. Idem e Pollucis *c.* VI. *l.* IX. colligere est. Et Suidas quoque locum Diodori (cui ob pertinax studium, & indefessum laborem, cognomentum inditum χαλκέντωρ) e libro *de ponderibus* eodem sensu citat. Quamobrem, inquam, mina sui talenti est pars sexagesima. Sed quemadmodum talentorum quantitas diversa, ita & minarum valor multum dispar: eandemque inter se analogiam sequuntur stateres, drachmæ, oboli, pro ratione talentorum; quorum valorem undique conquirere operæ pretium existimavi. Locus super hac re apud Pollucem illustris extat: *Talentum*, inquit, *Atticum valebat sex mille drachmas Atticas: Babylonium septem mille: Æginæum decem mille: Syrum autem mille quingentas, ad Atticæ drachmæ calculum: quemadmodum & Atticum talentum minas Atticas valet* 60. *Babylonium* 70. *Æginæum* 100. Herodotus in *Thalia* Babylonium talentum septuaginta Euboicis minis ait æquari: unde efficitur Euboicum talentum cum Attico paria facere. Neque me movet Ælianus *Var. Hist.* l. I. c. XXII. ubi ait: *Δύναται δὲ τὸ τάλαντον τὸ Βαβυλώνιον δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς Ἀττικάς. Valet autem talentum Babylonium septuaginta dua minas Atticas*. Mihi locus ille suspectus plane, & illa *δύο* aliunde iterata ex superiore versu, ubi *φιάλαι δύο* scriptum, omnino persuasum habeo, & attento lectori ita visum iri nullus dubito: alioquin malim multo Herodoti disertis verbis fidem adhibere, qui has regiones ipsemet obivit ac lustravit, quam alieni operis descriptori Æliano. Et si quo minus Herodoti verba cum suo epilogismo congruat, ego non tam discrepantiam rei, quam humanum errorem in caussa ponam. Porro autem e reliquis Atticum talentum, 80. minarum, Ptolemaicum, & Antiochicum, si ad rerum pondera referantur, paria fuisse, Hero mihi autor est; atqui vero cum ad pecuniæ summam, multum differunt. Est enim Ptolemaici quadruplum, Antiochici autem sesquiquartum, Tyrio æquale: verba hæc sunt: *Τὸ δὲ Ἀττικὸν τάλαντον ἰσοστάσιον μὲν τῷ Πτολεμαϊκῷ, καὶ Ἀντιοχικῷ, καὶ ἰσάριθμον ἐν πᾶσι· δυνάμει δὲ τοῦ μὲν Πτολεμαϊκοῦ κατὰ τὸ νόμισμα τετραπλάσιον, ἐπίτριτον δὲ τοῦ Ἀντιοχικοῦ*,

τῷδε Τυρίῳ ἴσον. Intelligi autem hoc loco talentum Atticum 80. minarum ſeu majus, paulo poſt ipſe indicat, cum inquit: *Τὴν Αἰγιναίαν καὶ τὴν Ῥοδίαν μνᾶν τῆς Πτολεμαϊκῆς εἶναι πενταπλάσιον, ἑξαπλασίαν δὲ τὴν νησιωτικὴν οὕτω προσαγορευομένην: Æginæam & Rhodiam minam Ptolemaicæ quintuplam: inſulanam vero, quæ ita vocitatur, eſſe ejus ſextuplam*: atqui Æginæum talentum habebat Atticas minas 100. quare Ptolemaicum habuit 20. & Atticum, cujus ſupra mentionem fecit, 80. Unde hoc amplius diſcis, Rhodium Talentum Æginæo æquari: *τὸ νεσιωτικὸν* 120. minis Attici rependi. Apud Athenienſes autem talentum duplex, majus & minus, in uſu fuiſſe, Comicorum teſtimoniis manifeſtum eſt. Plautus *Moſtellaria* Act. III. Sc. III.

—— ſi hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria.
Nunquam accipiam.

Et rurſum *Curcul.* Act. I. Sc. I.

Alias pro illa me poſcit triginta minas,
Alias talentum magnum.

Hujus tamen differens æſtimatio non perinde omnibus in promptu eſt: aliis alia taxatione eam definientibus. Minus talentum 60. minarum fuiſſe, nulli eſt dubium: majus vero alii centum, alii octoginta Atticis minoris talenti minis circumſcribunt. Ego ſane poſteriori non invitus ſubſcribam: & cauſam hujus ſententiæ hanc habeo, quod Livius *Decadis* IV. *l.* VIII. in fœdere Antiochi ita loquatur: *Attica talenta duodecim millia dato intra duodecim annos, penſionibus æquis: talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat*. Quare Atticum talentum minarum fuit octoginta: minam enim & libram Romanam ut proxime æquales, infra probabitur. Atqui talentum Atticum 60. minarum quoque fuiſſe, veteres, & novi omnes pariter inculcant. Ideoque illud 80. minarum, reſpectu hujus majus dictum, nemini dubium eſſe poteſt: & huic Ptolemaicum ab Herone æquiparatur. Atque ita demum verum eſt quod Plinius inquit: *Talentum Ægyptium pondo octoginta patere, Varro tradit*. Quamobrem talenti magni æſtimatio ita nobis firmiſſimis argumentis definita eſto.

Eſt vero & alius generis talentum, quod non nude talentum, ſed cum adjectione talentum auri vocatur. Id enim Pollux *libri* quarti *capite* viceſimo quarto monuit: Aureus autem ſtater pendet duas drachmas Atticas; talentum autem, tres aureos. At Euſtathius *in Odyſſeæ librum* Θ. *Φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ, ὅτι διχῶς τὸ τάλαντον. Ζυγός τε γὰρ, ὃν ςατῆρα καλοῦμεν, καὶ ςαθμὸς χρυσίου σύμμετρος*. Pollux magis diſtincte *libri* IX. *capite* VI. Valebat autem auri talentum tres aureos Atticos: argenti vero ſexaginta minas Atticas. Verba ipſa accurate nobis notanda ſunt: nam hic auri talentum & talentum argenti valore longiſſime inter ſe diſparantur: atque ita Homeri locus ille *Iliados* Ψ. de præmiis certaminum in Patrocli funeratione nobis intelligendus: ubi poeta ſecundo loco ſtatuit equam ſexennem mulo fœtam, tertio lebetem, quarto denique *δύο χρυσοῖο τάλαντα*. Ergo duo auri talenta eſſent Polluci tres aurei Attici: Euſtathio tantum quatuor; cui Hero meus adſtipulatur: inquit enim: *τὸ δὲ παρ᾽ Ὁμήρῳ τάλαντον ἴσον ἐδύνατο τῷ μετὰ ταῦτα Δαρεικῷ*: *Talentum Homericum tantidem eſt: quanti aureus Daricus*; qui poſt ejus ætatem demum ſignatus eſt: ſed Daricum Joſephus libro III. *Antiquitatum* capite IX. auri ſiclo, hoc eſt, duobus Atticis aureis taxavit: quamobrem auri Talentum Euſtathio & Heroni aureis Atticis duobus, Polluci autem tribus rependitur. Verum argenti talentum ab eo diverſum fuiſſe, ne Latinis quidem Comicis fuit ignotum. Plautus *Truculento* Act. V. Sc. I.

Hem tibi talentum argenti; Philippicum eſt, tene tibi.

Hic talentum quidem numerat in aureis Philippeis, non tamen aurei talentum, ſed talentum argenti, talentum minus, quæ erant ſexaginta Atticæ minæ. Quamobrem iſta omnis eſt talentorum diverſitas: quorum quidem valorem certo & conſtanter definitum affirmare poſſumus. Ut autem res ipſa per ſe clarior ſit, brevicula ſynopſi omnem ſummam, in tabella proponam:

Talentum pro pondere tantum.

Ægyptium	*eſt minarum Atticarum*	80
Antiochicum		80
Cleopatræ Ptolemaicum		$86\frac{2}{3}$
Alexandriæ ξυλικὸν		96
Moſaicum		120
Inſulanum		120
Antiochiæ ξυλικὸν		360

Talentum pro pecuniæ ſumma.

Talentum auri	*eſt minarum Atticarum*	$\frac{1}{2}$ vel $\frac{1}{3}$.
Syrum		15
Ptolemaicum		20
Antiochicum		60
Eubœum		60
Atticum minus		60
Babylonium		70
Atticum majus		80
Tyrium		80
Æginæum		100
Rhodium.		100

Hæc de talentorum inter ſe comparatione, & ad partes ſuas ratione dixiſſe ſufficiat: ſequitur mina ejus partium maxima.

Mina habet ſtateras ſui generis quinque & viginti, drachmas centum, obolos ſexcentos.

Mina, Græcis *μνᾶ*: ejus originationem quidam ex Hebræo מנה *numerare*, deduxerunt: vox ipſa *Ezechieli* capite XLV. commate XII. uſurpata: Minam quidem initio non ubique gentium centenariam fuiſſe, haud dubiis autoribus probare poſſumus. Athenis ante Solonis *σεισαχθείαν* mina fuit drachmarum trium & ſeptuaginta, quemadmodum Plutarchus in *ejus Vita* tradidit: *Ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν· ὥς τ᾽ ἀριθμῷ μὲν ἴσον, δυνάμει δ᾽ ἔλαττον ἀποδιδόντων, ὠφελεῖσθαι τοὺς ἐκτίνοντας μεγάλα, μηδὲν δὲ βλάπτεσθαι τοὺς κομιζομένους*. *Minam enim conſtituit drachmarum centum, quæ prius erat tantum trium & ſeptuaginta. Ut cum totidem numero drachmas darent, valore & pondere illis minores, debitores quidem emolumentum haud leve perciperent, ſed abſque creditorum damno*. Signabantur enim 27. amplius e ſingulis argenti libris, quas tamen creditores cogebantur pro gravi drachma ex lege Solonis accipere. Centenaria autem ubique gentium exinde recepta eſt. Ita Attica, Æginæa, Babylonia, Antiochena, Ægyptia ſui generis centenariæ ſunt. Pollux *loco citato*. Et Hero: *Πᾶν τάλαντον ἰδίας ἔχει μνᾶς ξ΄. ἡ δὲ μνᾶ ςατῆρας κε΄. ὁ δὲ ςατὴρ δραχμὰς δ΄. Omne talentum habet ſuas minas ſexaginta, mina ſtateras quinque & viginti, ſtater drachmas quatuor*. Denique Plinius *l.* XXI. *c.* XXXIV. *Mna, quam noſtri Minam vocant, pendet drachmas Atticas centum*: aliique præterea complures. Idem quoque variorum ſcriptorum comparatione inter ſe colliges. Exemplum uni-

cum e Plutarcho Livioque huc advocabo. Livius *l.* XXII. de bello Punico: *In permutandis captivis convenerat inter duces Romanum Pœnumque, ut quæ pars plus reciperet, quam daret, argenti pondo bina & felibras in militem præstaret*: de eodem Plutarchus in *Fabio* dixit, *ut pro quolibet drachmas ducentas quinquaginta solveret*. Quare drachmas centum pro libra argenti posuit Plutarchus: idque potius ex consuetudine loquendi usu vulgo recepta, quam quod ita se penitus haberet, si ponderum nomina pensiculatius examinares. Omnino enim verum non est, libram Romanam centum Atticis drachmis æquatam. Sed cum Romani denarii pondus initio quidem ita esset legibus definitum, ut septem ex uncia signarentur, quemadmodum Scribonio Largo, Plinio, Celsoque autoribus evicimus: rarissimos tamen invenias, (etiam longe ante quam Respublica in unius potestatem concessisset) ita signatos, qui vel 80. granorum pondus trahant, quod supra denariis aliquot in rem præsentem abductis demonstratum fuit. Hoc tamen pondere plerosque fuisse vix dubitavimus, ut octo denarii tales unciam impleant: drachmam autem Atticam octavam unciæ partem fuisse notius est, quam ut probatione indigeat; vel medicis autoribus, qui id diserte satis testantur, octo drachmas Atticas unciam facere: Fere enim Attica observatione Medici utuntur, inquit Plinius. Ideoque apud Galenum legas non semel: Ἡ οὐγγία ἔχει δραχμὰς η'. Unde Isidorus, drachma octava pars unciæ est. Sed unciæ duodecim libram faciunt: ideoque sex & nonaginta drachmas libræ Romanæ æquari clarum est. Mina autem Attica drachmas habet centum: quare dimidia uncia in mina Attica necessario redundabit. Quamobrem in elegantissimo illo Cleopatræ fragmento verissime legitur: Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγγίας ιβ' ∟'. δραχμὰς ρ': Et paulo post: Ἡ λίτρα ἔχει οὐγγίας ιβ'. δραχμὰς ϟϛ'. Attica mina habet uncias $12\frac{1}{2}$. drachmas 100. libra habet uncias 12. drachmas 96. Ut ratio Attica mina ad libram Romanam sit quemadmodum 25. ad 24. ut minæ 24. libris 25. æquales sint. Et tamen vulgo ita creditum est, minam Atticam Romanæ libræ æquari: quod ut minus videatur effecerunt ii, quorum diligentia sæpe circa minutissima ponderum nomina occupari solet. Sic enim plane legas apud Galenum *de ponderibus & mensuris*, e fragmento nescio quo: ἡ μνᾶ ἡ Ἀττικὴ ἔχει οὐγγίας ιβ': *Mina Attica habet uncias* 12. quod profecto esse verum numquam probabunt. Ab eodem fonte illud quoque fluxit, quod in eodem libello legatur de Attica mina majoris talenti: Ἡ μνᾶ ἡ Ἀττικὴ καὶ ἡ Αἰγυπτία ἔχει οὐγγίας ιϛ': nam non 16. sed $16\frac{2}{3}$. ex accuratiore calculo elicies. Veruntamen cum scriptores Latini pariter & Græci drachma & denario promiscue utantur, & alterum pro altero reponant, idque disertis verbis *libri* XXI. *capite* ultimo Plinius expresserit, (*drachma Attica*, inquit, *denarii argentei habet pondus*) cumque nummi ipsi inter se pariarent, non fuerit tantopere admirandum, vulgo creditum libram & minam quoque inter se paria facere: contra autem rem aliter se habere nominatim etiam monet Hero: Ἡ μὲν Ἀττικὴ μνᾶ στατηρῶν ἐστι κε'. ἡ δὲ Ἰταλικὴ λίτρα ἐστι στατηρῶν κδ'. *Mina Attica habet stateras* 25. *libra autem Italica stateras* 24. Atque hinc demum explicatu facile est, quid sibi velit Epiphanius, eumque secuti Suidas & Hesychius: Τὸ τάλαντον κατά τινας ρκε'. λιτρῶν ὑπάρχει: *Talentum secundum aliquos est librarum* 125. Ita inquam, librarum Romanarum 125. vel minarum Atticarum 120. quod facile ex proportione supra posita concludes. Quomodo intelligendus ille apud Diodorum Siculum *libro* nono, de Menenio, locus: *Non tamen*, inquit, *capitalis mulcta fuit, sed pecuniaria: &, si ad nostri sæculi vitam & fortunas conferatur, ridicula; sed illius temporis hominibus, suis manibus necessarium duntaxat victum quærentibus, præsertim huic cui paupertas pro patrimonio relicta fuerat, gravis; duo assium millia.* Erat autem as æreum numisma, librali pondere: ita ut tota multa sedecim talenta æris conficeret. Græca verba ita habent: Δισχιλίων ἀριθμὸς ἀσσαρίων. ἦν δὲ ἀσσάριον χάλκεον νόμισμα βάρος λιτραῖον. ὥς τε τὸ σύμπαν ὄφλημα, ταλάντων ἑκκαίδεκα εἰς ὁλκὴν χαλκοῦ γενέσθαι. Hoc Livius *libro* secundo: Duo millia æris damnato indixerunt. Age igitur, si 2000. æris per 16. talenta dividamus, reperiemus singulis cedere libras Romanas 125. unde, non aliter ac supra, expedite concludes talentum 120. minarum Atticarum, tot enim minæ Romanis 125. libris æquantur. Itaque non omnino præter scopum Priscianum hic labi in proclivi fuerit ostendere, modo benigne interpreteris, cum inquit, Talentum Atheniense parvum minæ sexaginta: Magnum minæ octoginta tres, & unciæ quatuor. Ubi ita scribendum fuisset, Magnum minæ octoginta, id est, libræ Romanæ octoginta tres & unciæ quatuor. Id enim proportio ipsa coarguit. Ut 24. ad 25. ita 80. ad $83\frac{1}{3}$. Sed talentorum inæqualitatem minarum analogia quoque sequitur. Atque ideo, si ad Atticam minam aliarum valorem revoces, tum 25. $116\frac{2}{3}$. $133\frac{1}{3}$. $166\frac{2}{3}$. Atticæ drachmæ implebunt minam Syram, Babyloniam, Ægyptiam, Ægineam. Minarum porro apud Medicos usus varius. Dioscoridi mina Alexandrina est unciarum 20. drachmarum 160. quam Hero mechanicus non absolute Alexandrinam, sed cum adjectione ξυλικὴν vocat. Singulæ autem minæ quot Atticis drachmis pondere æquiparentur, hic ordine subjiciam:

Mina pro pondere tantum.

Ægyptiaca	*habet Atticas drachmas*	$133\frac{1}{3}$
Antiochica		$133\frac{1}{3}$
Cleopatræ Ptolemaica		144
Alexandrina Dioscoridis, vel Heronis Alexandrina ξυλικὴ		160

Mina pro pecuniæ summa.

Syra	*est drachmarum Atticarum*	25
Ptolemaica		$33\frac{1}{3}$
Antiochica		60
Eubœa		60
Attica minor		60
Babylonia		$116\frac{2}{3}$
Attica major		$133\frac{1}{3}$
Tyria		$133\frac{1}{3}$
Æginæa		$166\frac{2}{3}$
Rhodia		$166\frac{2}{3}$

Sed ut a libra Romana minarum in uncias partitio traducta est: ita libræ in drachmas divisio ab iisdem in medicum usum est introducta: ut unciam quidem a Latinis, reliquas minores partes ab Attica consuetudine mutuarentur. Hujus igitur partes, & partium particulæ quemadmodum notentur, & quid valeant, hic annotare oportunum videtur. Libra, ut integrum omne, habet uncias duodecim, semuncias quatuor & viginti: deinde drachmas sex & nonaginta: scrupula, vel scrupulos, quæ γράμματα Græci vocant 288. obolos 576. Ut drachma pars unciæ sit octava; scrupulum drachmæ tertia: obolus scrupuli pars dimidia, & drachmæ sexta: quorum characteres & pondera, quemadmodum a

Medicis hodie uſurpantur, in minimis granorum nominibus hujuſmodi ſunt:

Characteres		pondera
℈ ſ.	*Obolus*	gr. x.
℈ I.	*Scrupulus*	gr. xx.
ʒ I.	*Drachma*	gr. LX.
℥ ſ.	*Semuncia*	ʒ IIII.
℥ I.	*Uncia*	ʒ. VIII.
℥ I ſ.	*Seſcuncia*	ʒ. XII.
	Quartarius vel quadrans	℥. III.
℔ ſ.	*Selibra*	℥. VI.
℔ I.	*Libra*	℥. XII.
℔ I ſ.	*Seſquilibra*	℥. XVIII.

Formulæ characterum & ponderum ratio apud Medicos uſu recepta talis eſt: quæ tamen a legitimo pondere multum degeneravit; ſiquidem iſta ad Attici ponderis rationem exigenda ſint. Et minus vero dixit Fernelius *Methodi* lib. IV. cap. VI. nummarium pondus (quod tanquam legitimum ipſe quoque uſurpavit) ſuperare medicum vulgare quinta parte, unde drachmam conſtituit granorum monetalium 72. cum eam 80. granis ἀττικῶν ex unciæ granis 640. per 8. diviſis promptum ſit colligere. Verum enimvero neque illud omnino nobis erit negligendum, in granorum momentis aliam eſſe rationem apud Hiſpanos in uſu, ex conſtitutione Ferdinandi & Eliſabethæ Regum anni 1488. ſanciverunt enim ut grana ex aurichalco vel ære fierent, atque libra integra in grana 6912. tribueretur, cujus pars duodecima 576. ſingulis unciis cedat. De hac partitione vere dictum a Farnelio 72. granis unciam impleri: quod ipſum notaviſſe non abs re fuiſſe crediderim. Quamobrem iſta de Talento, mina, libra & partium ponderibus dicta ſufficiant. Ad ſingulorum numiſmatum valorem deinceps me conferam.

A drachma didrachmum, tridrachmum, tetradrachmum, qui & a pondere ſtater, pentadrachmum, nummi argentei in uſu fuere.

Drachmæ originationem Plutarchus in *Lyſandro* explicavit: *Videtur*, inquit, *olim omnino ita obtinuiſſe, ut* ὀβελοῖς *veruculis uterentur numiſmate ferreo, alibi etiam æreo, unde &* ὀβολοὺς *vocitamus*: δραχμὴν δὲ τοὺς ἓξ ὀβολοὺς καλεῖσθαι· τοσοῦτον γὰρ ἡ χεὶρ παρεδράττετο, *drachmam autem* (hoc eſt, pugillum, quantum quis cava manu prehendere poſſit) *ſex obolos dictos, quia tot manus caperet.* Idem & Pollux, & Euſtathius *in Iliad.* α. docent.

Attica drachma pro Romano denario vulgo promiſcua ſignificatione uſurpatur.

Ita, inquam, omnes autores pecuniæ aliquam ſummam deſcripturi ea notione alterum pro altero reputant. Quin & Galenus Pliniuſque etiam pro eodem pondere uſurpant: cum tamen, ſi ad accuratiorem veritatis trutinam iſta examines, magno diſcrimine inter ſe diffideant. Eſt enim denarius antiquus unciæ pars ſeptima, drachma vero octava. Scriptores tamen veteres differentiam hanc nihil penſi habentes, utroque promiſcue utuntur. Livius *libro* XXXIV. de captivis Romanis ab Annibale venundatis, & in Græcia ſervitutem ſervientibus: Multitudinis (ait) eorum argumentum eſt, quod Polybius ſcribit, centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe, cum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, ſtatuiſſent. Mille enim & ducentos ea ratione Achaia habuit. Quare ſi 1200. per 500. denarios multiplices, efficitur ſumma 600000. hæc per 100. talenta diviſa dabunt ſingulis denarios 6000. quot Atticas drachmas talento Attico minore contineri ſupra docuimus. Fuit itaque denarius drachmalis. Nam Plinius *l.* XXI. *c.* XXXIV. diſertis verbis id loquitur: *Drachma Attica*, inquit, *denarii argentei habet pondus*. Plutarchus quoque de exilio Camilli ait eum damnatum 15000. aſſibus, quæ ſint drachmæ 1500. nam, inquit, as, ſive æs pecunia, & decem aſſes denarius erant, Ita drachma & denarius ab omnibus nullo diſcrimine uſurpantur. Drachmæ diverſæ talentorum rationem ſequuntur. Igitur drachma Æginea ad Atticam habet rationem quam 100. ad 60. & decem oboli Attici drachmam Æginæam valebunt. Idem de reliquis judicium eſto. Æginæam vero drachmam, quia Atticæ præponderaret, ipſi παχεῖαν, *ſpiſſam*, invidia ducti vocitabant, loci nomine ſuppreſſo.

Didrachmum, drachmarum duarum. Tale fuit numiſma cenſus, quod Judæi in ſingula capita Romanis Imperatoribus pendere cogebantur. *Mathæi* XVII. Προσῆλθον αὐτῷ οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες. Tributum idem a Veſpaſiano annuatim indictum Joſephus *de captivitate Judaica* l. VII. c. XXVI. ait: *Stipendium vero ubicunque degerent Judæis ind.xit: binaſque drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium juſſit, ita ut ante hac Hieroſolymitano templo pendebant*. Idem hoc numiſma inde antiquitus a Draconis ætate uſitatum *Bos* vocabatur, ὅτι βοῦν εἶχε ἐντετυπομένον, *quia bovem haberet inſculptum*, inquit Pollux. Unde & proverbio locus, apud Theognidem *Gnomis*, βοῦς μοὶ ἐπὶ γλώσσης, *bos in lingua*, quo ſignificatur argento taciturnitatem redemptam. Habui tria didrachma, quæ cum & integerrima & antiquiſſima eſſent, & plane, quantum quidem a peritiſſimis judicari potuit, non adulterina aut ſimulata, forma tamen erant inrer ſe diverſiſſima; nummus unus craſſior, & minore orbe; alter non ita ſpiſſus, ſed circulo majore diffuſus: tertius ne circularis quidem, ſed e tribus circulorum ſegmentis compoſitus, tanquam ſi ſuper trianguli æquilateri latera tres ſemicirculos decircinaſſes: nihilominus omnes, quod mirere, eodem pondere 168. granorum, & ſignatura ſimillima, tanquam ad idem exemplar facti, obſervata magnitudinis ſingulorum ſymmetria. Parte una Mercurii caput erat cum caduceo, in duobus etiam infra poſita litera A. parte adverſa Pegaſus alatus. Qua ſignatura apud Corinthios nummum exſtitiſſe Pollux his verbis nos docet: Καὶ πῶλος δὲ τὸ νόμισμα τὸ Κορίνθιον, ὅτι Πήγασον εἶχε ἐντετυπομένον: *Et pullus numiſma eſt Corinthium ita dictum, quia Pegaſi effigiem habet impreſſam*. Cum itaque 160. grana didrachmi Attici pondus a nobis ſit conſtitutum, in his autem octo redundent, credibile eſt Corinthios alio minarum pondere uſos, quam Athenienſes. Id quamvis non obſcuris indiciis odoratus mihi videar, nolim tamen de re adeo incerta quidquam temere pronuntiare, priuſquam nobis iſta planius liqueant.

Tridrachmum, drachmarum trium, qui ſunt denarii tres, ſeſtertii duodecim. Livius *libro* XXXIV. Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum, tridrachmam vocant (ita enim legendum cenſeo) trium fere denariorum in ſingulis argenti eſt pondus.

Tetradrachmum & tetradrachma, drachmarum quatuor, qui & a pondere ſtater dicitur. Ita *Mathæi* XVII. humani generis Redemptor pro ſe & Petro duo didrachma ſoluturus, mandat Petro ut hamum in aquam jaciat, & ſtaterem, quem in ore primi piſcis eſſet inventurus, pro utroque, publicano daret.

Pentadrachmum, drachmarum quinque. Cyrenenſium nummus fuit.

Partes drachmæ ſunt obolus, diobolum, triobolum ſeu ἡμιδράχμιον, *tetrobolum*:

Partes oboli chalcus, dichalcum, ſemiobolus, & λεπτόν.

Obolum quasi ὄβελον dictum ex Plutarchi *Lysandro* supra docui: at Aristoteles παρὰ τὸ ὀφέλλειν, quasi ὄφελος derivavit, si quid Polluci credimus. Eustathius tamen *in Il. α.* Plutarcho astipulatur, ὀβολὸν σιδήρου τι ἔλασμα ἔλεγον, *obolum ferream quandam laminam vocabant, ut veru quodammodo efformatum, adeo ponderosum, ut sex oboli manum implerent, qui numerus etiam inde drachma dictus*: hactenus Eustathius. Obolum ex ære fuisse, Vitruvius *l.* III. *c.* I. autor est: *Ex eo etiam*, inquit, *videntur civitates Græcorum fecisse, uti quemadmodum cubitus est sex palmorum, ita in drachma quoque eo numero uterentur; illæ enim æreos signatos, ex æquo sex, quos obolos appellant, constituerunt*. Obolus itaque suæ drachmæ pars sexta, & ex ære fuit. Obolorum autem comparatio inter se drachmarum rationem sequitur: nam quamvis sex oboli Æginæi drachmam Æginæam, & sex Attici Atticam constituant: tamen 10. Attici oboli tantum uni drachmæ Æginææ æquiparantur. Atqui ita de cæteris. Oboli nota χελώνη, *testudo*, (saltem in Peloponneso) & inde parœmia, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶνας, *Virtutem & Sapientiam testudines vincunt*. Non est nobis hic Polybii locus ille silentio prætereundus, ubi ait semissem esse partem oboli quartam: ut necesse fuerit denarium eo tempore, duodecim assibus commutatum, & sestertium quaternis, & asses binos obolis singulis æquatos: nisi forte dicas obolum majorem ab eo intelligi, ratione Talenti Attici majoris minarum 80. qui computus ad amussim cum denario decussisexi congruit: nam sedecim bis sumpta tantundem valent atque octies quaterna: qua de re etiam atque etiam deliberandum censeo. Ab obolo usura instituta ἐφεκτὸς τόκος, tanquam fœnus sequisextum dicas, quia sors cum lucro ad sortem erat, ut 7. ad 6. accrescebat enim sorti obolus unus: contra Latinis usura centesima, quia centesimo mense sortem æquaret: eadem quæ apud Græcos drachmalis, sunt enim 100. drachmæ in mina.

Diobolum duos valens obolos: hinc Plauto anus *diobolaris*: Atticum numisma fuit, ἔχον γλαῦκα ἐντετυπωμένην, *noctuæ effigie signatum*: & hinc proverbium natum. *Noctuas Athenas*, tanquam si guttam mari adjiceres: illa enim urbs hoc nummo quam maxime abundabat. Ex argento fuisse, Plutarchus in *Lysandro* satis aperte indicare videtur: idque de triobolo & tetrobolo quoque verum crediderim.

Triobolum, quod & ἡμιδράχμιον, *semidrachma*, quia sex oboli drachmam facerent. Plautus *Rudente*: *Non potest hinc abesse triobolum*: & Pœnulo: *Homo triobolí*. Habebat utrimque insculptam effigiem Jovis.

Tetrobolum, oboli quatuor, drachmæ bes. Altera parte Jovis effigie, altera duabus noctuis signatum.

Chalcus oboli pars octava. Obolus chalcos habet octo, inquiunt Hero, Pollux, & Suidas. Atque ideo octo & quadraginta chalci drachmam, & duodecim chalci sestertium Romanum constituent. Chalcum Plautus *Pœnulo*, actus I. scena 12. obolum æratum mihi dixisse videtur, ut verbum de verbo exprimeret. Ubi cum Anterastilis prosedas serviculas appellasset per convitium, *servulorum sordidulorum scorta diobolaria*, utpote quæ diobolo sui copiam facerent; indignabundus Milphio servus, qui ejus fastum retunderet, contemptim ei reponit: *Quoius ego obolo ærato septem noctes non emam*. Ergo obolum æratum, non Atticum obolum, sextam drachmæ partem, (quamvis & hunc ex ære fuisse docuerim) sed chalcum, hoc est, octavam oboli partem, planissime his verbis significari intelligo.

Dichalcum, duo chalci, quarta oboli pars, quæ & propterea τεταρτημόριον dicta.

Semiobolum, chalci quatuor, utpote oboli semissis.

Λεπτὸν, chalci pars septima, oboli sexta & quinquagesima, drachmæ 336. Suidas ex Diodoro, Ὀβολὸς δὲ παρὰ Ἀθηναίοις ὀκτὼ ἐστὶ χαλκῶν. ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτῶν ἑπτά: *Obolus Atticus habet chalcos octo: chalcus* λεπτά *septem:* idem iterat in voce μνᾶ. Marcus Evangelista similis nummuli meminit, de vidua loquens, quæ in gazophylacium projiciebat λεπτὰ δύο. Notandum tamen hoc κέρμα illius Attici fuisse triplum; eo vero nihilominus usum Evangelistam, quod nullum vocabulum inveniret aptius. Hoc enim λεπτὸν, (si denarium statuas decussisexim) fuit denarii $\frac{1}{112}$. illud autem Suidæ Atticum erat, drachmæ pars 336.

Aureum numisma est stater.

Stateres aurei in usu fuere varii, Atticus, Cyzicenus, Philippicus, Alexandrinus, Daricus, Crœsius.

Stater aureus Atticus fuit pondere didrachmi, quod Pollux *lib.* IV. *c.* XXIV. his verbis docuit: Ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. Atqui drachmam octoginta granorum pondere fuisse, ex uncia planum fit, cujus ipsa pars sit octava. Et propterea drachmæ duæ granorum 160. aureo Attico stateri pondere æquabuntur: quo hoc sæculo, Anglici Rosati nobiles, & Edoardæi instituti sunt. Attici stateris valorem quinque & viginti Atticis drachmis definio ex Pollucis *lib.* IX. *cap.* VI. Ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν ἐδύνατο. ὅθεν ἐν τοῖς ἱσταμένοις τὴν μνᾶν τὴν ῥοπὴν στατῆρα ὀνομάζουσι: *Aureus stater minam valebat: nam & in appensis minam pondo staterem vocant*. Id enim dicit, minæ pondus staterem etiam dici, quia aureus stater argenti mina, vel centum drachmis rependitur. Sed aureum hunc staterem jam non unicum aliquem nummum intelligas oportet, verum quatuor. Nam ut quatuor argenteæ drachmæ stater dicuntur: ita hic quatuor aurei didrachmi pro statere usurpantur: hoc est pondus auri drachmarum Atticarum octo, sive unciale, taxatur drachmis argenti 100. Ideoque duarum drachmarum pondus, quo singuli Attici aurei signabantur, drachmis quinque & viginti. Nihil hic me hallucinatum, neque verba Pollucis perperam interpretatum, eundem tibi autorem dabo. Ibidem enim, ubi de Cyrenensibus verba facit, non alia mente dixit: Ἦν δὲ ἡ δραχμὴ οὐ νόμισμα μόνον, ἀλλὰ καὶ πεντακοντάδραχμον καὶ πεντάδραχμον: *Drachma vero non solum numismatis nomen erat, sed & quinquaginta drachmæ & quinque drachmæ*, apud Cyrenenses. Et paulo post: Ἦν μὲν, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶν, ἐν Κυρήνῃ, καὶ τετραστατὴρ, καὶ τετραστατηρία, ἡμιστατηρῶν χρυσᾶ νομίσματα: *Erant equidem, ut Aristoteles ait, quadristater seu tetrastater & tetrastateria in Cyrene dimidiorum staterum aurea numismata*. Plane hæc, nisi nostram interpretationem admittas, falsa erunt, & pugnantia loquetur Pollux: quæ tamen, modo animum advertas, verissima comperies. Hoc enim sibi vult, a Cyrenensibus aureum quendam nummum signatum, qui tetrastater dictus sit, ob eam causam, quod drachmis quatuor æquiponderet: videtur autem aureus unius drachmæ pondere apud eosdem aliquando in usu fuisse; & cum omnes aureos promiscue stateres vocitarent, hos majores ad distinctionem eleganter tetrastateras indigitasse: quippe qui illorum essent quadrupli: quem ex valore in eadem republica dixit supra vocari πεντακοντάδραχμον quinquagintadrachmalem. Cave credas ullum nummum argenteum tali pondere signatum: certe ipsissimus hic ille aureus fuit. Atqui subjicit, ἡμιστατήρων χρυσᾶ νομίσματα, quomodo tetrastater stateris erit dimidium; nisi illud ad numisma, hoc vero ad pondus referas, & sta-

terem hunc uncialem conſtituas. Nam cum ſtaterem aureum Atticis drachmis 100. rependi dixerit, & hoc in loco tetraſtaterem drachmis quinquaginta a Cyrenenſibus commutari: conſequens eſt hunc tetraſtaterem ſignatum pondere illius ſtateris dimidio, quem uncialem fuiſſe diximus. Quamobrem, inquam, aureus Atticus ſtater pondere didrachmi quinque & viginti drachmis argenti valuit. Fuitque ratio auri ad argentum, ut 25. ad 2. quam analogiam Romani quoque ſecuti videntur, cum aureum unum duorum denariorum pondere quinque & viginti argenteis denariis commutaverunt.

Stater Cyzicenus. Hujus valorem Demoſthenes *in Phormionem* nominatim expreſſit: Φορμίων δέ φησιν ἀποδοῦναι Λαμπίδι ἐν Βοσπόρῳ ἑκατὸν καὶ εἴκοσι στατῆρας Κυζικηνούς· ὁ δὲ Κυζικηνὸς ἐδύνατο ἐκεῖ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ δραχμὰς Αττικάς: *Phormio ait ſe Lampidi in Boſphoro reddidiſſe centum viginti ſtateras Cyzicenos; at ſtater Cyzicenus illic duo de triginta drachmas Atticas valet*. Ejus quidem pondus nemo expreſſit: ſi tamen e valore hujus conjecturam capere libeat, in promptu eſt colligere: cum 25. drachmæ Atticæ rependantur aureo 160. granorum, tum 28. drachmas valere auri grana $179\frac{1}{5}$. quo pondere Macedoniæ regum aurei Philippi & Alexandri hodieque adhuc extant. Nummum hunc in Ponto, Bithynia & regionibus Euxino mari adjacentibus frequentatum Xenophon indicium facit, quique in libris *de expeditione Cyri* ejus non uno in loco mentionem fecit. Lib. VI. ubi milites ab Heracleenſibus Ponticis μυρίους Κυζικηνοὺς menſtruum exercitus ſtipendium exigunt, decem millia Cyzicenorum faciunt 280000. drachmas Atticas. Et l. VII. Seuthes militi menſtruum ſe daturum pollicetur Cyzicenum unum, turmæ ductori duplum præfectis exercitus quadruplum, hoc eſt, drachmas Atticas 28. 56. 112.

Stater Philippicus, quem *numiſma regale* Horatius in *Arte* vocavit, auri bonitate nulli ſecundus, & a ſcriptoribus paſſim pro optimo puriſſimoque uſurpatus. Plautus *Bacchidibus*: *Nam iſtis auro fortaſſis opus eſt*: (reſpondet alter) *Et Philippeo quidem*. Fuit autem nummus iſte Philippi effigie, qui pater Alexandri fuerat, expreſſus. Namque illi ex aurifodinis Crenidis (qui Philippi poſtea ab ejus nomine dicta) ſupra Strymonem eruta mille annua talenta, Diodorus Siculus *lib.* XVI. autor eſt. Philippi nummum unicum, & Alexandri Macedonum, ſolertiſſimus veterum nummorum æſtimator Nicolaus Rockoxius poſſidet, utrumque eodem pondere granorum 179. Is haud dubio ab initio paulo gravior fuit, utpote granorum 180. aut 183. Unde planum arbitror nummum hunc non minoris fuiſſe Cyziceno: ideoque etiam ad 28. drachmis, aut non multo pluris commutatum.

Stater Alexandrinus: eum ut pondere Philippeo, ita valore Cyziceno parem, jam ſatis arbitror liquere.

Stater Daricus, quem auro itidem puriſſimo & obryzo percuſſum, præter Herodotum Pollux quoque *l.* II. *c.* III. teſtatus eſt: Καὶ Δαρεικοὶ ἀπὸ Δαρείου, ὡς ὑπ᾽ ἐκείνου ἀκριβωθέντες ἐς κάθαρσιν τοῦ χρυσίου: Darici, a Dario, utpote qui ſumma cum cura & diligentia ab ipſo ſint facti: videlicet a Dario primo Hyſtaſpis filio: eoſque viginti Atticis drachmis commutatos, quoſdam tradidiſſe Suidas ait; aliis contra eundem Attico ſtateri aureo æquiparantibus. Daricum ſtaterem auri ſiclo rependit Joſephus *Antiquitatis Judaicæ* l. III. c. IX. quod enim Moſes dixerat *Numerorum* c. VII. commate 86. Acerræ aureæ duodecim plene ſuffitu denum (ſiclorum) unaquæque, prout eſt ſiclus ſacer: hoc ille per Daricos effert, ἕκαστος θυΐσκην νομίζει Δαρεικοὺς δέκα δυναμένην: *Singuli* (e duodecim Tribubus Iſraelis) *thuribulum afferunt decem Daricorum*. Siclus autem, ut eodem capite idem annotavit, pondus habet Atticarum drachmarum quatuor. Quare Daricus fuit ſemuncialis, ſi Joſepho credidimus, & drachmis Atticis quinquaginta taxandus, atque valore ἡμιμναῖος, ut ſtater Cyrenaicus πεντακοντάδραχμος. Neque Hero meus abludit, qui talentum auri Darico taxet, ut ſupra annotavimus. Nota Darici, ſaltem altera parte, ſagittarius: Plutarchus *Artaxerxe*: τὸ γὰρ Περσικὸν νόμισμα τοξότην ἐπίσημον εἶχεν. Unde urbanum Ageſilai dicterium, cum ex Aſia in Græciam feliciſſimo rerum ſucceſſu uſus revocaretur, Græcia bellis civilibus flagrante, & ob δωροδοκίαν in viſcera ſua graſſante, optimatibus diribitore Hermocrate Rhodio a Perſa auro circumventis, ut in Lacedæmonios moverent, amicis, jam itineri intentus, inquit, *Aſia ſe triginta millibus ſagittariorum expelli*: tanti enim ea res Artaxerxi conſtiterat, ut Græcorum primates in bella civilia concitaret: quæ ſumma eſſet nobilium Anglicorum, ſeu roſatorum Edoardicorum millia ſexaginta: drachmarum Atticarum 3800000. florenorum Hollandicorum, prout hodie res nummaria obtinet, 1056000. Tribus item Daricorum millibus Paryſatim matrem Artaxerxis cum ipſo in punctum alea luſiſſe, autor eſt Plutarchus.

Stater Crœſius. Et hunc quoque auro obryzo ſignatum diſertis verbis *l.* IV. pronuntiat Pollux, εὐδοκιμὸς δὲ ὁ Γυγάδας χρυσὸς, καὶ οἱ Κροισεῖοι στατῆρες, *aurum quoque Gygis probatiſſimum, nec non Crœſii ſtateres*. Hos Daricis æquales ex Ariſtophanis Commentatore liquere videtur.

Numiſma Hebræum ad extremum adhuc ſupereſt.

Siclus, dimidius ſiclus, ſicli pars tertia Hebræorum nummi ſunt argentei.

Sicli pondus Joſephus l. III. c. IX. *Antiquitatum Judaicarum* autor eſt Attici tetradrachmi ponderi par fuiſſe: Ο δὲ σίκλος νόμισμα Εβραῖον ὢν Αττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus numiſma Hebræum valet Atticas drachmas quatuor*. Idem ex Philone Judæo de iis quæ legis inſtar præcipiuntur, in *Decalogi* præceptum tertium, quartum, quintum, de voti ſatisfactione: verba Moſis *Levitici* XXVII. ita habent: *Erit autem æſtimatio tua maris, a nato viginti annos uſque ad ſexagenarium; erit, inquam, æſtimatio tua quinquaginta ſicli argentei, prout eſt ſiclus ſacer*: & reliqua quæ ſequuntur. id vero ita reddidit Philo: Κελεύει γὰρ ἀπὸ εἰκοσαετίας ἄχρις ἑξακονταετίας ἀνδρὸς εἶναι τιμὴν δραχμὰς διακοσίας νομίσματος ὁλαργυρίου. *Jubet a vicenario ad ſexagenarium, viri multam eſſe drachmas ducentas e ſolido argento*. Ergo ducentæ drachmæ valent ſiclos quinquaginta, & quatuor Atticæ drachmæ ſingulos. Verumenimvero ſiclum Hebræum etiam dimidiæ argenti unciæ æquari Solomoh Jarhæus & Moſes Gerundenſis Judæi ante annos amplius quadringentos ſcriptum reliquerunt. Sicli typus parte una vaſculi illius effigies, quod Moſes juſſu Domini plenum manna in Sanctum Sanctorum ad omnia ſæculorum monumenta repoſuit, cum hac inſcriptione *ſecel Iſrael*: parte altera ramus amygdalinus Aaronis florens, cum inſcriptione *Jeruſchalaim kedoſſah*, Jeruſalem ſancta: idque literarum charactere vetuſtiſſimo, qui Samaritanus dicitur, cujuſmodi formula ante decem Tribuum defectionem Iſraelitæ quoque utebantur: nam poſtmodum Judæi, ut a ſchiſmaticis Tribubus ſe ſegregarent, ex eo tempore demum quadratis, cujuſmodi hodie adhuc uſurpant, uti cœperunt. Hujuſmodi ſiclum poſt tot ſæculorum naufragia ad manus ſuas deveniſſe Arias Montanus in *Antiquitatibus* ſuis *Judaicis* teſtatur, cujus figuram, craſſi-

craſſitiem, & literarum antiquam inſcriptionem ibidem expreſſit: cujus pondus dimidio dalero Hiſpanico, aut quatuor Juliis Romanis, vel duobus Venetis Mocenigis pene par ait: ſed argenti bonitate omni nummo noſtri ſæculi potiore: hic ſiclus ſanctus & Sanctuarii ſiclus in S. Scriptura vocatur: quia ſecundum hunc omnis ſacra æſtimatio fiebat, *Lev.* XXVII. v. 25. & *Exodi* XXX. v. 13. Fuitque ſicli hujus pondus, quemadmodum ibidem a Moſe, & *Ezechielis* XLV. verſ. 2. definitur viginti Gera, tanquam ceratiorum aut ſiliquarum viginti. *Atque ita Gera, ſicli eſt pars vigeſima.*

Dimidius ſiclus, pondere decem Gera, *Exodi* XXX. v. 13. quem eodem typo notatum, & a ſe viſum Moſes Gerundenſis ſcribit: ſed pro *ſecel* inſcriptum *baazi ſecel*, hoc eſt, dimidius ſiclus.

Fuit & tertia ſicli pars: *Nehemiæ* X. v. 32. *Inſtituimus nobis præcepta, imponentes nobis trientem ſicli quotannis, ad cultum domus Dei noſtri.* Pendebat itaque $6\frac{2}{3}$ Gera. Denique & hoc notandum, quod, cum in Sacris de pretio rei exſolvendo agitur, ubi ſicli mentio fit, ratio ad argentei ſicli valorem ſit referenda: at cum de pondere agitur, ſicli pondus, hoc eſt, tetradrachmarum vel ſemunciam intelligendam. Iſta erant, quæ de veteris pecuniæ ratione ſummatim & perſpicue annotare conſtitueram: cujus ſummam univerſam, tanquam in breviario hic ob oculos pono, æſtimatione ad noſtri ſæculi monetam revocata.

Aureus Romanus 25. *denarium, quamdiu e libra* 45. *ſignati ſunt, valet Roſatum Edoardicum* $1\frac{1}{40}$. *Ducatos Ungaricos* $2\frac{7}{10}$ *Coronatos Gallicos* $2\frac{20}{37}$. *Et, prout hoc anno* 1612. *res nummaria Ordinum edicto conſtituta eſt, Daleris Imperialibus* $3\frac{11}{12}$. *Hiſpanicis autem Daleris, quos Regales vocant, (& pondus habent granorum* 569.) *ad monumentum ſi expendas, duntaxat quatuor. Nam cum auri ad argentum analogia hodie ſit eadem, quæ* 626. *ad* 47. *hoc eſt* $13\frac{3}{4}$. *ut proxime; id per proportionem concludes, hoc modo. Cum auri pondus* 47. *granorum argenti* 626. *granis contra carum ſit; itaque pondus aurei Romani* 171. *valore æquabitur argenti granis* 2277. *cujus pars quarta* 569. *planiſſime Regalis Hiſpanici pondus reddit: & vigeſima quinta quatuor dalerorum pars grana* 91. *antiqui denarii verum pondus.*

Poſtquam autem e libra duo & ſeptuaginta ſolidi ſignari cœpere, tum valore & pondere quam proxime æquavere nummum aureum Anglicum Geniatum, Anglottum vulgo ab Angelo ſeu Genio alato indigitant: qui hodie valet Daleros Imperiales $2\frac{7}{16}$. *Florenos Hollandicos quinque cum ſtuferis ſeptendecim. Eadem ratio in denariis poſterioris ſæculi fere obtinet. Sunt enim argento multo leviore ſignati, ut alii* $\frac{4}{5}$ *alii* $\frac{3}{5}$ *priorum habeant. Quod propterea moneo, ne omnes denarios ejuſdem valoris & ponderis fuiſſe exiſtimes. Temporis enim ratio hic apprime obſervanda; quam ſupra in denarii deſcriptione tetigimus.*

Denarius itaque quamdiu fuit granorum 91. *erit* $\frac{1}{25}$ *quatuor dalerorum Regalium. Et propterea ſtuferorum Hollandicorum* $7\frac{13}{25}$. *ſeu* $7\frac{1}{2}$.

Ubi vero imminutum ad grana 80. *quo pondere hodie pene omnes ſunt, paucis exceptis, taxabis ſtuferis* $7\frac{1}{25}$. *aut abjecta particula exacte tantum ſtuferis* 7. *At ex hodierna auri ad argentum analogia* $6\frac{5}{8}$.

Quinarius ſeu Victoriatus $\frac{1}{25}$ *duorum dalerorum Imperialium.*

Seſtertius ejus pars quarta ſtuferus $1\frac{3}{4}$.

Dupondius (quamdiu aſſis fuit denarii pars decima) daleri Hiſpanici $\frac{4}{125}$ *ſeu Holl. ſtuferus* $1\frac{2}{5}$.

Aſſis tum fuerat ſtuferi $\frac{3}{4}$. *ſeu daleri Hiſpanici* $\frac{2}{125}$. *Ubi vero ſedecim aſſibus denarius commutatus*

A *eſt, Dupondius fuit daleri Hiſpanici* $\frac{1}{50}$. *Aſſis* $\frac{1}{100}$. *Sembella* $\frac{1}{200}$. *Triens* $\frac{1}{300}$. *Quadrans* $\frac{1}{400}$. *Sextans* $\frac{1}{600}$. *Uncia* $\frac{1}{1200}$.

Ita poſt argentum ſignatum. Verum & illud mihi notandum arbitror, longe alia taxatione Dupondium, Aſſemque, reliquaſque minores partes æſtimandas, ubi primum argentum a Romanis ſignari cæpit. Enimvero tum primum aſſes ſextantales inſtituti ſunt: & haud dubio argenti æriſque pretia legitima æſtimatione inter ſe contenderunt. Atqui tum aſſes decem ſextantali pondere denarium faciebant: quare ſextantes ſex, quæ eſt integra æris libra $\frac{3}{5}$. *denarii repenſa fuit: & denarii tres libris* B *æris, ſeu antiquis aſſibus quinque. Quamobrem ex iſta analogia granis æris æſtimatio quoque debuit inſtitui. Ut non decimam, vel ut poſtea ſedecimam denarii partem, ſed* $\frac{3}{5}$. *denarii grave æs intelligamus. Quod ipſum notaſſe non arbitror abs re fore.*

Seſtertium valet 1000. *ſeſtertios, denarios* 250. *Coronatos Gallicos* 25.

Talentum Atticum & Euboicum Edoardæos Nob. 240. *Babylonicum* 280. *Æginæum, & Rhodium* 400. *Syrum vel Alexandrinum* 60. *Atticum majus* 320. *Ptolemaicum* 80.

Eadem analogia in minis & cæteris particularum particulis quoque obtinebit.

C *Nam mina Attica valet* 4. *Edoardæos Nobiles, Babylonia* $4\frac{2}{3}$. *Æginæa & Rhodia* $6\frac{2}{3}$. *Syra & Alexandrina* 1. *Attica major* $5\frac{1}{3}$. *Ptolemaica* $1\frac{1}{3}$.

Atticus aureus ſtater Anglico Edoardæo pondere æqualis, fuit drachmarum 25. *ſeu Cor. Gall.* $2\frac{14}{17}$.

Stater Cyzicenus Lampidi in Boſporo 28. *drachmarum,* $2\frac{1}{2}$. *coronati Gallici.*

Stater Philippicus, Daricus, Crœſius, Alexandricus drachmarum 50. *coronatorum Gallicorum* $2\frac{1}{2}$.

Drachma Attica $\frac{1}{10}$. *cor. Gallici, didrachmum* $\frac{1}{5}$. *tridrachmum* $\frac{3}{10}$. *tetradrachmum ſeu ſtater ar-* D *genteus* $\frac{2}{5}$. *pentadrachmum* $\frac{1}{2}$. *ut proxime.*

Obolus $\frac{1}{60}$. *coronati Gallici, diobolum* $\frac{1}{30}$. *triobolum* $\frac{1}{20}$. *tetrobolum* $\frac{1}{15}$.

Chalcus $\frac{1}{480}$. *coronati Gallici, dichalcum* $\frac{1}{240}$. *ſemiobolus* $\frac{1}{120}$.

Siculus argenteus æquatur tetradrachmo Attico, $\frac{2}{5}$. *coronati Gallici: dimidius ſiclus, didrachmo,* $\frac{1}{5}$. *cor. Gall. tertia pars ſicli* $\frac{2}{15}$. *Gera, ſeu obolus Hebræus* $\frac{1}{50}$. *coronati Gallici.*

Exempla quædam ex Veterum ſcriptis ſelecta, in quibus horum uſum commonſtremus, demum hic ſubjecimus. Illud præmonitum volo, me Aurei Romani & Attici ſtateris, itemque drachmæ E & denarii ſignificationem promiſcuam habiturum. Et 10. drachmas coronato Gallico æſtimaturum: ac 25. drachmas ſeu denarios, qui ſunt aureus Romanus, & ſtater Atticus, coronatis $2\frac{1}{2}$. tantillum enim dabimus calculi facilitati, ut tyroni tanto ſit expeditior.

Geneſeos XXIII. v. 15. Abram ab Ephrone Hethæo agrum ſepulchri cauſa emit quadringentis ſiclis argenti, hoc eſt, coronatis Gallicis 160. vel daleris Imperialibus $234\frac{2}{3}$.

Exodi XXI. v. 32. Argenti triginta ſiclis præſcripta mulcta eſt domino, cujus bos ſervum alterius occiderit: ſunt coronati Gallici 12.

F *Joſue* VII. v. 21. ducentos argenti ſiclos ſacrilegio a ſe ſubreptos Gacham confeſſus eſt: ſunt coronati Gallici 80.

2. *Reg.* VII. Manahem populo Iſraelitico quinquagenos ſiclos viritim imperavit, muneris Aſſyrio regi dandi cauſa: ſunt coronati Gallici 20.

Numerorum XXXI. v. 32. Cum Madianitis ad internecionem deletis nullus miles ex Iſraelitarum caſtris deſideraretur, aurum omne, quod ex præda conflaverant, Deo conſecrarunt: erat autem

totum illud aurum oblationis, quod obtulerunt Jehovæ, sedecies mille septingentorum quinquaginta siclorum: id inquam ita de auri pondere intelligendum, ut 167. 50. auri semunciæ, vel unciæ 8375. fuerint: at unciam auri $23\frac{1}{2}$. carattorum 4. Edoardæis Nob. taxavimus: ergo summa hujus auri votivi fuit coronatorum 33500.

Samuelis II. cap. XXIV. Emit David aream illam & illos boves siclis quinquaginta. Intelligendum de area ad altare extruendum sufficiente. Et sunt coronati Gallici 20.

Paralipomenon I. cap XXI. Appendit David Ornam pro loco illo siclos aureos pondere justo sexcentos. Hæc de toto monte Moria, in quo Solomon templum Domino ædificavit, intelligenda sunt: & sunt auri unciæ trecentæ, seu Nobiles Edoardæi 1200.

I *Samuelis* XVII. v. 7. ferrum hastæ Goliat 600. siclorum ponderis, hoc est, unciarum 300. vel librarum 25. cum singulis tribues uncias 12. hinc reliqua hastæ magnitudo & crassities instar licii textorii æstimatu haud difficilis erit.

Marci VI. Dominus noster Jesus Christus 5000. viros 5. panibus & 2. piscibus satiavit: quibus Discipuli clamitabant opus esse 200. denariis ad emendos panes, hoc est, coronatis Gallicis 20.

Livius *lib.* I. Servius Tullius censum instituit, & Populum Romanum in classes quinque distribuit. Prima classis est instituta ex iis qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, hoc est, 2400. Edoardæorum Nobilium. Secunda intra centum usque ad septuaginta quinque millium censum; hoc est, ad 1800. Edoard. Tertia ad quinquaginta millium censum, hoc est, 1200. Edoard. Quartæ classis census 15. millium, hoc est, 360 Edoard. Quintæ classis undecim millibus æris definitus est. Hoc loco non asses tantum, sed grave æs intelligendum, cujus valorem supra definivimus. Postmodum equester ordo quadringentis millibus nummum definitus est. Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* II. Constitutum ne cui jus ejus esset (*aurei annuli*) nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sestertia 400. census fuisset; hoc est, coronatorum Gallicorum 10000. Huc spectavit Horatius:

Si quadringentis sex septem millia desint,
Plebs eris.

Suetonius in *Augusto*: *Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies sestertium taxavit, supplevitque non habentibus.* Ergo pro censu senatorio 20000. coronatorum, instituit 30000.

Cicero *Verrinis* ait Verrem sestertium quadringenties, contra legem abstulisse, hoc est, 40000000. sestertium, quæ summa valet 1000000. coronatos Gallicos. Tantidem M. Lollii ex Oriente rapinas Plinius æstimat *lib.* IX. *cap.* XXXIV.

Ibidem margaritam, quam Cleopatra in aceto maceratam unico haustu absumpsit, sestertiis centies taxavit; hoc est, 10000000. sestertium, qui sunt coronati 250000.

Suetonius *Caligula*: *Vicies septies millies sestertium non toto vertente anno absumpsit*: quæ infinita pecuniæ vis est: nam 2700000000. sestertium faciunt coronatos Gallicos 67500000.

Gellius cap. II. lib. V. *Noctium Atticarum*: *Equus Alexandri regis & nomine & re Bucephalus fuit. Emptum Chares scripsit talentis tredecim, & regi Philippo donatum, æris nostri summa est sestertia trecenta & duodecim.* Plutarchus quoque 13. talentis emptum tradit. Quare 13. talenta & 312. sestertia tantundem valent: itaque multiplicatis 13. talentis per 600. coronatos, vel 312. sestertiis (genere neutro) per 25. coronatos, eadem summa conflatur 7800. coronatorum: pretium Bucephali.

Cicero *pro Domo*: *Superficiem ædium consules de consilii sententia æstimarunt sestertium vicies*: sed 2000000. sestertium sunt 50000. cor. Gall. Et rursum Tusculanam villam 500000. sestertium, hoc est, 12500. coron. Gall.

Cicero 2. *Philippica* de se: *Ego amplius sestertium ducenties acceptum hæreditatibus retuli*: sestertium 20000000. sunt 500000. cor. Gall.

Appianus lib. IV. *Bellorum Civilium*: *Ciceronis caput ab Antonio repensum 25. myriadibus Atticarum drachmarum*: sed 250000. drachmarum sunt 10000. Edoardæi Nobiles.

Apud Herodotum *lib.* VII. *Pythius quidam Bithynius profitetur Xerxi opes suas, easque regi donat: quippe possidere se argenti talenta bis mille, auri myriadas quadringentas, demptis septem millibus aureorum Daricorum.* Talenta argenti 2000. si sint Babylonia (ut credi par est) sunt 560000. Edoardæi Nobiles. Et 4000000. Daricorum sunt 8000000. Edoardæi Nobiles: inde si demas 7000. Daricos, seu Edoardæos 14000. summa omnium erunt 8546000. Edoardæi.

Plutarchus in *Vita Pompeji* sub initium, ait Demetrium Pompeji libertum reliquisse rem quadringentorum talentorum, hoc est, 96000. Edoardæorum.

Matthæi XIX. in parabola de servo debitore, cui nostra peccata comparantur, ait Christus remissum ei debitum 10000. talentorum, hoc est, (ut Attica intelligamus, veluti in didrachmo census) 240000. Edoardæorum qui tamen a conservo 100. denarios, hoc est, Edoardæos 4. tam acerbe exegerit.

Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* III. Jam Cyrus devicta Asia auri pondo 33000. invenerat, præter vasa aurea, aurumque factum, & in ea folia ac platanum vitemque: qua victoria argenti quingenta millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus 15. talenta colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo 80. patere Varro tradit. Age igitur hujus summæ rationem ineamus: auri purioris $23\frac{1}{2}$. carrattorum uncia 4. Edoardæis nobis supra æstimata est: itaque 33000. pondo sunt Edoardæi 1584000 argenti talenta 500000. sunt Edoardæi 960000000. Summa utraque Edoardæorum 961584000.

Exemplorum præterea affatim apud Budæum passim reperies. In quorum calculo tete exerceas.

F I N I S.

CAROLI PATINI,

D. M. P.

DE NUMISMATE ANTIQUO

AUGUSTI

ET

PLATONIS,

EPISTOLA.



ILLUSTRISSIMO COMITI,

VALERIO ZANIO,

ACADEMIÆ GELATORUM OLIM PRINCIPI,

CAROLUS PATINUS

S. P. D.



INTER cuncta amicitiæ officia, nullum equidem honestius & gloriosius mihi videtur, quam quod bono publico præstatur, ut iniquissimus merito audiat, qui operam suam curamque illis subtrahere tentat, ea imprimis rogatus humanitate, qua, Illustrissime Vir, me nuper compellare dignatus es. Optasse mihi videris, ut Numismatis cujusdam rarioris descriptionem Tibi pararem: & quamvis non deessent, quas prætexere possem, rationes, quibus hoc quidquid est officii declinare forte liceret, malui tamen cunctas illas obsequio Tibi debito submittere, & me Operi expetito accingere.

Tot vero illustriores nummi menti obversantur, ut eorum numerus pariter ac dignitas optionem difficilem reddant. Perlustranti enim Italiam, plusquam quinquies mille intueri volupe fuit, quibus & raritas & historia, supra eos qui hactenus publicum viderunt, pretium conciliant, quorum unusquisque primum oblatus, amorem & admirationem sui parere valeret. Omnes isti & singuli indigne quasi ferunt in loculorum meorum tenebris obscuram tolerare vitam: & sive oculos tuos harum rerum cupidos oblectandi, sive Reipublicæ litterariæ quamprimum innotescendi desiderio prosilire certatim, meque etiam singuli, ut aures oculosque accommodem, tacita quadam voce rogare videntur. Ne insolenti ac locutione offendaris, Vir Illustrissime, perblande me, inquam, quotidie alloquuntur: imo cum dies me illis audiendis haud raro deficiat, noctis etiam partem sibi aliquam deposcunt, ac posthabita mea sorte & otio, nescio quo fato acti, unice se offerunt bono publico, ut non amplius sufficiam eorum votis reniti, contentus exigui temporis mo-

A ram ab iis quasi precario obtinuisse. Verum, eheu! qui possim quinquies mille sufficere, qui vix unius expediendi spem concipio? Tuo vero opus esset, ad opus hoc maximum, genio maximo. Missos facerem omnino audaciores hos conatus, ni Sertorius fidem faceret industriæ quoscunque & vel innumeros labores superaturæ, cum equus vel maxime pilosus tandem depilis fiat, uno post alium evulso. Et postquam ab uno incipio, quem ex multis selegi, quemque visum olim non sine admiratione, in cimeliarchio Em. Cardinalis Barberi-

B ni, Tibi, Vir Illustrissime, dedico, reliqui quoque lucis publicæ usuram jure successionis sibi promittere poterunt.

Est autem nummus ille illustris, ex ære medio, ærugine viridi & quasi smaragdina obductus, indubitatæ antiquitatis. AUGUSTUS cernitur in altera parte; in altera PLATO. Et quæso, ubi tandem liceret in tam angusto spatio tam sublime & admirandum invenire majestatis & sapientiæ connubium? Intuere mecum, quibus par est oculis, & nullum posthac admiraberis consortium illustrius.

C Utut enim Augustus juvenili ambitione rei Romæ summam sibi soli vindicaturus, cædibus ac proscriptionibus in clarissimos quosque cives sævierit, optimus tamen Princeps audiit, ex quo, superatis hostibus, connatæ clementiæ specimina, non jam liberalis, sed prodigus, in patriam effudit: ut si quid primis annis asperius aut etiam crudelius statuerit, invitus admisisse potius, quam commisisse videri possit. Et quidem clementiæ suæ præmia vivus vidit. Præter enim vitæ & regiminis (ad quadragesimum quartum usque annum protensi) diu-

D turnitatem, consensu Urbis & Orbis universi, non solum in summa veneratione habitus, sed & præcipuus adorationis cultus ei delatus, quod ante eum mortalium vix ulli contigerat. Dicata quippe illi templa, erectæ aræ, constituti sacerdotes, immolatæ victimæ, & nescio an Deorum ul-

li tot tantique honores iis temporibus fuerint habiti. Memoria tam præclari Principis quanta in dignatione apud posteros fuerit, illud argumento sit,quod qui in ejus dignitatem successerunt,honori summo sibi ducerent, ab eo AUGUSTI nomen mutuari: neque etiam historiæ ullibi, quam in hoc Principe optimo & gloriosissimo describendo, prolixiores deprehenduntur. Verum vastum pelagus ingressus, littus repeto, & ad Platonem redeo, cujus effigiem facies aversa exhibet, Virum, ob divinam quam professus est sapientiam, vere divinum: de quo proin mihi quatuor dicenda existimo. Primum vitam ejus paucis exponam. Deinceps singularia & præcipua ejusdem enarrabo. Tertium primaria tanti Philosophi dogmata perstringam. Ultimum conjunctionis cum Augusto rationem, quod quidem caput rei est, indicabo.

Plato familiam suam arcessit a Diis pariter & Regibus, nec absque prodigiis. Usque adeo formosus reperiebatur, ut Apollini, cujus Dei speciem gravida mater elegantioris statuæ intuitu fortiter animo impresserat, similis existimaretur; sub ejus cunis examen apum, & mel sub labiis repertum dicunt, ut vix plura mellitæ eloquentiæ præsagia in unum hominem conspirare potuerint. Natus est Athenis, aut secundum quosdam, in Ægina, insula vicina. Dubium videri possit, an Athenis sit natus, illud tamen constat, parentibus eum natum Atheniensibus, ab ipso Solone descendentibus. Neque etiam educatio ei defuit, qualis adolescenti tantæ prosapiæ & spei debebatur, & tempora illa requirebant: edoctus quippe Grammaticam, Musicam, Historiam, Poesin, Mathesin, etiam militiæ patriæ initiatus est. Ut autem primum, Philosophorum illud oraculum Socratem audiit, omnibus reliquis occupationibus & studiis valedixit, præceptoris amantissimus, ab eoque vicissim summe adamatus. Omnia etiam extrema tentavit, quibus Præceptorem charissimum e triginta Tyrannorum, exitium ei decernentium, manibus liberaret: obtulit magnam auri vim, sæpe publice perorando ejus patrocinium suscepit, pio sed frustraneo conatu; Socrates enim tandem veneno necatus, gloriæ suæ successorem hunc ipsum reliquit Platonem. Philosophi tum temporis iniquum a Tyrannis patiebantur fatum, cui se subducere, quibus poterant modis, necesse habebant. Plato ergo Megaram concessit, ubi studia sub Euclidis auspiciis provexit. Dehinc Cyrenem delatus, mathematicum Theodorum frequentavit. Curiosæ mentis impetus ipsum in Italiam & Ægyptum compulit. In illa Pythagoricos, in hac Theologos abstrusiores sui sæculi audiit, ut Patres Ecclesiæ eum Mosis Scripta evolvisse, & plurima exinde Philosophiæ suæ intulisse, haut obscure conjectarint. S. Augustinus scribit, Platonem cum Propheta Jeremia conversatum, sed paulo post comperiit, eum sexaginta annis ante Platonis in Ægyptum adventum, obiisse. Petiit hinc Persidem de mysteriis religionis ibidem Magos consulturus, ni bella obicem posuissent, ad usque Indos eorumque sacerrimos Brachmannos penetraturus. Redux factus Athenis Philosophiam docuit, gloriosum & primarium civitatis studium. Quidquid hominum erat melioris notæ per universum mundum, ad ejus Academiam certatim gregatimque confluebat. Locus is erat extra urbem, cujus nomen a posteris in honore perpetuo & etiamnum in usu est habitum. Ductus desiderio incendii montis prodigiosi Ætnæ, deseruit ad tempus Athenas, & in Siciliam secessit, ubi a Dionysio Tyranno non cognitus modo, sed etiam expetitus fuit; impatiens vero turpissimæ adulationis, qua ei omnes fœde abblandiebantur, non dubitavit palam adversus aulæ vitia declamare. Verum, ut veritas odium parit, ita parum abfuit, quin extremum periculum sua parrhesia incurreret Plato, nisi Dion & Aristomenes eum imminentibus malis, pro ea qua apud Principem valebant gratia, mature subtraxissent. Evasit tamen missus ad Lacedæmonium Legatum, qui habitu mancipii eum Æginam misit; indeque Athenas suas redit, libertati redditus. Iter denuo suscepit Syracusas, arcessitus Dionysii junioris precibus, ut ab eo regnandi artes addisceret. Sed paulo post remissus in patriam, iterumque vocatus, a monstro hoc humani generis atque prodigio dimissus deinde fuit ob suspicionem nimiæ cum ministro aulico familiaritatis. In patria ergo liber ab omni anxietate vixit: & quamvis plurimi ejus famam maledictis tentarent, virtute tamen calumniam, & quicquid de eo erat pravæ suscipionis, superavit. Cum Xenophonte & Aristippo aliquando male conveniebat, sed quod omnes tres sectarentur & profiterentur virtutem, paulo post reditum inter ipsos est in gratiam. Obiit tandem annum agens LXXXI. morte placida, inter epulas, quibus amicos die suo natali exceperat. Corpus terræ mandatum in Academia ipsa, omni honoris cultu, tantæ virtuti & meritis debito. Epitaphiis plurimis luxuriabat funus. Ipsi Reges & Respublicæ ei aras & statuas erigebant. Rex Mithridates quod in Academia collocarat monumentum hac epigraphe insignivit:

ΜΙΘΡΙΔΑΤΗΣ Ο ΡΟΔΟΒΑΤΟΥ ΠΕΡΣΗΣ
ΜΟΥΣΑΙΣ ΕΙΚΟΝΑ ΑΝΕΘΕΤΟ ΠΛΑΤΩΝΟΣ
ΗΝ ΣΙΛΑΝΙΩΝ ΕΠΟΙΗΣΕ.

MITHRIDATES RHODOBATI FILIVS.
PERSA, MVSIS IMAGINEM PLATONIS DEDICAVIT, QVAM FECIT SILANIO.

In privata Philosophi nostri vita, plurima occurrunt cognitione Tua, Vir illustrissime, non indigna, quæ ideo præcedentibus subjungere, operæ pretium esse existimo: quod si tamen aliqua leviora & inferiora ingenio Tuo videbuntur, ea nostro in Platonem affectui tribuenda censeas, qui me vel minima quæque sectari jubet.

Inter maximas animi dotes, quibus genus omne mortalium anteibat, insignis præfulget pietas, & erga Deos suos reverentia, qua, cum cæteros sapientes longe omnes post se reliquerit, DIVINI titulum, summo hominum consensu, adeptus est. Quotidie dicitur Diis gratias egisse, quod marem non fæminam creassent, & Socratem magistrum conciliassent. Ingenio pollebat vastissimo & dexteritate admirabili; cuncta ejus sublimia, fœcunda, suavia: unde & discipulos suos sacrificia Gratiis sæpius offerre jussit. Ut vero erat forma eximia, ita omnes quotquot intuebantur, ejus ducebantur amore; verum modestia & verecundia supra formam emicabant. Et ut amorem vultu, ita voce adsensum, apud omnes, qui eum audiebant, conciliabat.

Nobiliores imprimis fæminæ tanta cupiditate doctrinam ejus amplectebantur, ut aliam nullam admitterent. Peregrinam quandam ferunt virili habitu sumpto, quo majore libertate polleret, sæpius ad eum audiendum accessisse, nec nisi diu post, personam hanc deposuisse. Fuit quidam Stoicus Philosophus, qui, Photio observante, historiam *De fæminis Platonicis* scripsit, quod convenit cum illo Apuleii: *Multi auditores utriusque*

sexus in ejus philosophia floruerunt. Ea fuit eloquentiæ majestate ac suavitate, ut in vulgus manarit: *Quod si Jupiter Græce loqui amaret, fore, ut non alio quam Platonis sermone sit usurus.* Unde recte de illo Quintilianus: *Philosophorum quis dubitet Platonem esse præcipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam & Homerica? Multum enim supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur instructus oraculo.* Nullus unquam Philosophorum majorem Auditorum numerum coegit, & si vel unus ipsi contigisset Aristoteles, gloriæ ejus tanti Viri præstantia sufficere potuisset. Rarius & parcius non tam ridebat, quam subridebat, quod crederet nimium & effusum risum a recta ratione alienum: jocos tamen & sales facilis admittebat, sed quibus placeret, non offenderet.

Ab avaritia & ambitione semper fuit alienissimus, nec minus conquestus est Dionysius de modestia Platonis, quam protervia Aristippi: *Plato semper libros; Aristippus semper nummos.*

Athenienses reducem ex Sicilia factum gaudio universali recipiebant, & in partem regiminis invitabant, quam, ut meditationibus suis inimicam, recusavit.

Neque tamen vita ejus, ut satis laudata, nævis & maculis penitus caruit. Dicitur enim duos pueros, quibus cum Astrologiæ studuit, amore turpi dilexisse, nec minus virginem Colophoniam. Vitia erant illorum temporum, quibus philosophia Ethnica non satis mederi valuit.

Studiis unice vacabat, sed bono publico profuturis. Aberat autem longe a studiis illis morosis, quæ hominem a vitæ communione avocant, & in solitudines compingunt: satius judicans, nosse vivere, quam disserere. Si Dialecticæ non usque adeo accuratam dedit operam, factum id, quod natura a disputationibus abhorrebat, nuda contentus veritate. Conatus ejus semper audaciores potius, quam timidiores fuerunt, raro litteratorum exemplo. Dionysio objicienti, sermones ejus senem insulsum redolere, respondit: *Et tui plus redolent tyrannum.*

Dionysius Athenas a se remissum litteris compellavit, quibus rogavit, ne mali quid de eo loqueretur: Cui Plato: *Aliud habeo quod agam, quam ut de te loquar, quin imo de Te ne cogitare quidem licet.*

Cum Plato quosdam Philosophos convivio excepisset, Diogenes Cynicus, tantum abfuit, ut gratiam haberet epularum, ut potius unice studuerit eum irritare. Tapetibus ergo stratisque illius superincedens stulte gloriatus est, calcare se fastum Platonis: Cui Plato: *Calcas, sed fastu majori.*

Humanis infirmitatibus facile; ægre autem malis moribus ignoscebat. Acrius reprehendebat ex auditoribus unum quem alea ludentem invenerat; cui post varias excusationes regessit: *Pravas consuetudines multa mala consequuntur.*

Epulas lautitiasque vitæ non vituperabat; neque tamen admittebat, ut cæteri homines. Infelices sunt, inquiebat, qui bonis rebus male abutuntur. Ebriosis equidem, si liceret, suaderem, ut se in speculo intuerentur: vix enim fieret quin suffunderentur turpitudinis admissæ pudore & pœnitentia, si iis vel tantillum rationis superesset.

Hæ & innumeræ aliæ ingenii dotes ac virtutes, eum supra communem hominum sortem extulerunt. Multis sane artibus opus est, quibus ad Philosophiam accedere licet.

Verum transeo ad tertium quod dicendum re-

A stat. Nullus est Philosophorum qui tantis argumentis immortalitatem animæ rationalis adstruxit. Neque enim ullius animum antea subiere rationes, quas illi cœleste & humano sublimius ingenium eam in rem suppeditavit. Animam aut præmium, aut pœnam, dicebat, pro suis actionibus bonis vel malis omnino manet; inde homo quacunque demum in sorte vivere videtur felicissime, felix tamen non est dicendus, ob continuam corporis & animæ, carnis & spiritus luctam, quarum utrumque suas requirit delitias. Omnia hæc a duobus principiis dependere, Deo & materia: ista quidem facile nos superatura, nisi Deus

B sua bonitate nos identidem erigeret, & ministratores nobis Angelos, jam inde ab incunabulis, adposuisset, qui salutis nostræ curam suscipiendo, infinitæ potentiæ ministerium inter homines obirent. Qui nobis Angeli, Δαίμονες Platoni dicebantur, benigniori nempe vocis significatione, uti etiam Romani Geniis suis nomen Dæmoniorum, boni potius, quam sinistri ominis loco habitum, indiderant. Quin imo philosophiam appellabat, *meditationem mortis.*

Deus ei est infinitus, optimus, maximus, independens ab omni alio, a quo cuncta alia dependent. Is ipse est, qui materiam hanc creavit, quam

C *Mundum* vocamus, cui & animam indidit, motionum omnium causam, quique omnipotentia sua, omnis materiæ hujus dispositiones, eventus, motus, ad fines optimos dirigit. Mundum vero non fecit infinitum, sed immortalem, usque adeo, ut rebus corruptibilibus indiderit generandi facultatem, qua decedentium corporum vices supplerentur: in usus etiam pene innumeros, rotundam ei indidit figuram.

Sola virtus facit hominem beatum; quæ tamen, ut suis elucescat actionibus, variis indiget adminiculis. Unde trium generum bona facit; Ani-

D mi, quo pertinent justitia, prudentia, fortitudo, temperantia; Corporis & Fortunæ quæ reliquis opitulantur, qualia sunt; sanitas, amici, patria, opes, nobilitas, gloria, &c. sine quibus tamen duobus postremis, vir sapiens non desinit esse beatus. Interea nobis ipsi subinde diffidamus, certi, voluntatem nostram nimis sæpe in propriam perniciem ruere, ac sub vario commodorum velo animi tranquillitatem perturbare. Hujus igitur incursionibus resistendum, metuendi errores, in certum nos exitium, ni superemus, præcipitaturi.

Tria fecit amicitiæ genera: Primum quod natu-

E ra inspirat, quale est inter parentes & liberos: Alterum quod morum similitudo conciliat: Tertium quod mutua ligant officiorum vincula. Amatorios impetus ad hæc tria conjunctim: heic enim & naturam & mores & consuetudinem suas sibi partes vindicare videmus.

Omnis Respublica vel Rege vel Tyranno vel Populo vel Optimatibus regitur. Reges vel legum ex præscripto, vel sanguinis jure, adeoque vel electione, ut apud Carthaginenses, vel successione, ut apud Macedones & Lacedæmonios, constituuntur. Regem vero a Tyranno distinguit ex eo, quod ille subditorum salutem, hic perni-

F ciem quærat.

Justitiæ partes facit tres, pro triplici nostro erga Deum, homines & mortuos officio. Leges distinguit in scriptas & non scriptas, sive consuetudines, quas dicit leges proprie dictas non esse, quia pro locorum varietate variant, ut sunt: Quod non liceat viro habitum muliebrem induere, nudum incedere, resque alias committere, quæ vel paululum honestis moribus obsint.

Quinque facit Medicinæ partes, quarum prima

pharmaca suppeditat & administratur a pharmacopæo. Secunda secat & urit, manu chirurgi Tertia est, quæ diætam præscribit. Quarta morbos investigat. Quinta doloribus medetur.

Appetitum ejusque passiones, quas affectus vocat, distinguit in rationales & irrationales, illosque in cerebro collocat, concupiscentiam vero in hepate: cor constituit reliquorum affectuum sedem & scaturiginem.

Quinque commentus est differendi modos; tres musicæ species: & quatuor nobilitatis; tres gradus pulchritudinis; tres effectus animæ; quatuor virtutis signa; quinque magistratuum genera; sex persuadendi modos; quatuor bene loquendi conditiones; quatuor benefaciendi rationes; quatuor omnium rerum fines: quatuor potentiarum genera; quinque felicitatis partes; tres modos, quibus exercentur artes; quatuor boni differentias; & infinitas alias infinitarum rerum divisiones, quæ cunctæ non minus divinam ingenii dexteritatem, quam immensam eruditionis produnt amplitudinem.

Nonne principia ejus sunt perspicua? Theologia pia? Philosophia admiranda? Quid Politicæ ejus & Jurisprudentiæ deest? Omnia sane plena sapientiæ. In Medicina, cujus forte agere possem arbitrum, nihil video superfluum. Verbo dixerim: Infinita est Platonis philosophia.

Verum non videtur usque adeo disquisitu facile, cur in uno nummo juncta Platonis & Augusti facis? Tacitus Senatores Romanos extremæ insimulat adulationis, qua viris in dignitate constitutis placere studebant, ut quo progrederetur, non haberet. Ego vero ulterius progressos crediderim Athenienses, qui dubio procul nummum hunc Platonicum percusserunt. Ita ferebant tempora, ut quicquid præclarum, quicquid illustre in aliqua regione habebatur, consecraretur gloriæ eorum, qui principatum obtinebant & rerum potiebantur. Athenienses ergo, qui inter Græcos mentis acie ac sapientiæ gloria tantum excellebant, quantum Græci inter gentes orbis reliquas, singularem quandam & gratiorem adulandi rationem dispicientes, rejectis Deorum signis, ludorum coronis, regionis fructibus, vulgarique omni nummorum adparatu, verisimile est, Platonem suum, illud omnis sapientiæ compendium, Augusto Imperatori obtulisse.

Et Zenonis quidem ac Epicuri sectæ in honore habitæ, Aristotelica vero tum temporis vix dum cognita, ut Platonica inter reliquas emicuerit, quantum inter ignes Luna minores. Erat hæc philosophia viris quibusvis summis in usu & voluptate posita, quos inter Jul. Cæsar & Brutus, quamvis hic tandem in Epicuri; ille in Stoicorum castra transierit. Et ipse quidem Augustus sectæ Platonicæ addictus, sed, ut temporum illorum ratio inter Romanos ferebat, plus eloquentiæ, quam philosophiæ litasse censendus est. Audi ipsum Sueton. *Eloquentiam Augustus studiaque liberalia ab ætate prima & cupide & laboriosissime exercuit.*

Quin & ipse Cicero utut Stoicæ philosophiæ addictissimus, plurimis tamen in locis, a Platone stat, quem Dei quasi loco erat veneratus: *Platonem autorem ego vehementer sequor: Plato mihi unus instar omnium. Deus noster Plato.* Quo nescio quid majus dici possit.

Neque vero plures Platonis asseclas enumerare opus est: illud saltem dicere non vereor, primos Christianos, quorum in numero erant Aristides, Apollonius, Bardezanes, Origines, D. Augustinus, Platonica philosophia retenta, cunctis aliis bellum indixisse. Justinus Philosophus postea martyr factus, fatetur hypotheses Platonis viam ei ad religionis Christianæ sacrarium pandisse. Quod quidem summo est & manebit Platoni honori, ejus philosophiam prope adeo ad sanctimoniam & æternitatem nostræ religionis accedere. Neque tamen inficias ivero, plurimos philosophia Platonica ad interpretandas hæreses suas pessime abusos, ut Tertullianus merito indoluerit: *Platonem omnium hæreticorum factum esse condimentum.* Verum hoc non tam ipsi philosophiæ Platonis quam hominum malitiæ tribuendum, qui vel ex ipsis Sacris Scripturis impia quævis dogmata sua deducere conantur.

Plura adhuc de Platone dicenda restarent, ut puta de ejus Operibus, quæ DCCXLVII. voluminibus tument, & de fortuna & duratione philosophiæ Platonicæ ad nostra usque tempora: verum nonnisi Epistolam, neque enim librum aut commentarium, scribere institui. Unde finem facio vel invitus, & verbum non amplius addo, præter obsequentis & addictissimi clientis officium, quo me tibi perpetim obstringo.

Scribebam Basileæ, Kal. Maiis, MDCLXXV.

F I N I S.

SEBASTIANI FÆSCHII

J. C.

DE NUMMO

PYLÆMENIS EVERGETÆ,


REGIS PAPHLAGONIÆ,

EPISTOLA

AD VIRUM AMPLISSIMUM

TOBIAM HOLLANDERUM A BERAU

QUÆSTOREM SCHAFUSIANUM.



SEBASTIANI FÆSCHII

I. C.

DE NUMMO
PYLÆMENIS EVERGETÆ,
REGIS PAPHLAGONIÆ,
EPISTOLA.

AD VIRUM AMPLISSIMUM
TOBIAM HOLLANDERUM A BERAU
QUÆSTOREM SCHAFUSIANUM.



ANNUS agitur, ut nosti, Amplissime HOLLANDERE, ex quo, cum pereximium illud Patavii & antiquæ litteraturæ decus, Carolum Patinum, virum utriusque nostrum amantissimum, qui mihi ferme auctor itineris suscipiendi fuit, invisissem, Romam adii, cujus videndæ incredibili cupiditate jam a multis annis ardebam. In hac fæcunda omnis antiquæ supellectilis & elegantiæ matre cum numismata vetera, & imprimis Græca, quæ ob jucundam quandam rerum varietatem, & eruditionem multiplicem, mihi semper fuere gratiora, summo studio conquisivissem: in iis aliquot in manus inciderunt, quæ, quod altioris indaginis videbantur, seposui, ut domi de iis per otium deliberarem. Inter hæc & nummulus iste æreus fuit: quem Italorum quidam, harum rerum peritia clari, *βασιλέως* ΠΙΛΑΙΜΕΝΟΥ cujusdam esse censebant: alii nomen hoc e nomine Πτολεμαίου a monetariis corruptum, cum aliud non occurreret, putabant. Neque genuinæ lectionis in mentem venire facile cuipiam potuit, quia minus obvium vulgo Pylæmenis nomen, in nummis vero prorsus inauditum. Verumtamen cum paucos abhinc dies litteris ad te datis inter nummos veteres regios hujus etiam mentionem injecissem; tu vidisti continuo quod res erat, & lectionem veram non solum comprobare non dubitasti, verum & firmissimis, atque ex intimis historiæ penetralibus depromtis argumentis ita stabilisti, ut ne aliis quidem dubitandi locum ullum relinqueres: adeoque mirum in modum confirmares eam, quam jamdudum mente concepi, opinionem, te quamcunque seu virtutis, seu disciplinæ, partem amplectaris, eam ita comprehendere, ut in una velut omnes nervos ætatis industriæque contendisse videaris. Quæ res etiam non modo tot privatorum hominum amicitiam, sed virorum quoque principum, & imprimis Serenissimi Electoris Palatini, Principis cum omni virtutis ac sapientiæ genere, tum hac ipsa deliciarum nostrarum cognitione, admirandi, non vulgarem gratiam tibi conciliavit. Pylæmenem vero meum, in quo sibi vindicando, &, velut alter Pompejus, in regnum avitum restituendo, tam strenuam operam navasti, quantum obstrinxeris, ipse fateatur. Ego, cum rarum hoc antiquitatis monumentum, nec unquam alias, quod sciam, visum, priscis Paphlagoniæ rebus, quarum memoria neglecta fere a scriptoribus, & multis tenebris involuta est, non parum lucis impertiri possit, operæ-pretium me facturum existimavi, si in ejus explanationem paullo diligentius incumberem, & rem omnem ad te, V. A. deferrem, tuoque judicio pro ea qua me jam a longo tempore complecteris amicitia submitterem.

Ut rem a fonte deducam, bello Trojano Pylæmenem quendam Paphlagonum ducem fuisse memoriæ prodidit omnis doctrinæ parens, idemque princeps poetarum, Homerus, qui sub finem Bœotiæ *Iliad.* II. *vers.* 851. sic canit:

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένος λάσιον κῆρ.

Meminit iterum ejusdem *Iliados* v. vers. 576. ubi a Menelao hasta confossum scribit: quamobrem necesse est memoria lapsum esse Cornelium Nepotem, *lib.* XIV. *cap.* 11. qui a Patroclo interfectum credidit. Homeri auctoritatem secuti Livius *lib.* I. & Strabo *lib.* XII. eum ex Henetis, Paphlagoniæ populo, oriundum & sub Trojæ mœnibus cecidisse commemorant. Dictys Cretensis lib. II. & III. *de Bello Troj.* illum Paphlagoniæ regem, Melio patre natum, & non alienum a sanguine Priamidarum fuisse dicit; cum ab Agenore sui generis

originem repeteret, cujus filia, Amalixo nomine, Dardano nupserit: mox addit in pugna contra Trojanos ab Achille telo petitum occidisse. Quicquid ejus sit, ab hoc certe duce sequentes Paphlagoniæ reges nomen traxere; quorum etsi temporis iniquitate & scriptorum negligentia perierit memoria, complures tamen hujus nominis fuisse, nemini dubium esse debet. Et docet id satis manifeste Justinus Trogi, *lib.* XXXVII. *cap.* IV. Cum enim Mithridates inita cum Nicomede societate Paphlagoniam invasisset, victamque cum socio divisisset, Romani accepto hoc nuncio legatos ad utrumque regem miserunt, qui restitui gentem in pristinum statum juberent: tum Mithridates nihil territus minis Galatiam quoque occupat: *Nicomedes, quoniam se tueri jure non poterat, justo regi redditurum respondit. Atque ita filium suum mutato nomine Pylæmenem* (sic enim omnino legendum, quod jam dudum videre viri docti, non, ut vulgo, Philiamenem) *Paphlagonum regum nomine appellat; & quasi stirpi regiæ reddidisset regnum, falso nomine tenet.* Unde in promtu est conjicere familiare hoc nomen Paphlagoniæ regibus fuisse, & a primo illo, quem laudat Homerus, ad ultimum usque, de quo postea videbimus, descendisse: non secus ac apud Cappadoces nomen Ariarathis, quod ideo & filio suo Mithridates imposuit, ut regnum Cappadociæ a patre vi raptum jure possidere videretur, eodem Justino teste, *lib.* XXXVIII. *cap.* I fin. apud Ægyptios nomen Ptolemæi, apud Parthos Arsacis, apud Ponticos Mithridatis, apud Albanos Silvii, & dehinc apud Romanos Cæsaris & Augusti. Atque hanc dubio procul ob causam *Pylæmenia* dicta est Paphlagonia, ut Plinius auctor est *lib.* V. *cap.* II. pr. Verumtamen Pylæmenis nomen, utcunque familiare illis regibus, a primo ad novissimum usque nusquam interrupta serie pervenisse affirmare non ausim. Apud Xenophontem enim in *Expeditione Cyri minoris* lib. V. & VI. pr. Corylam quendam huic regioni præfuisse video: idem quoque in *rebus Græciæ* lib. IV. pr. Agesilaum cum Oty Paphlagonum rege fœdus pepigisse scribit: nisi forte quis dicere malit in plures dominos etiam tum temporis fuisse divisam; vel proprium hoc & singulare Corylæ Otyosque nomen, seu cognomen, gentilitium illud non removere, sed utraque eidem personæ adaptari posse: qua de re audiendus Plutarchus, lib. *de Pythiæ oracul.* qui multa nomina a cognominibus, apud Græcos etiam occultata dicit: Πολλὰ, ὡς ἔοικε, τῶν ὀνομάτων ἀποκρύπτουσιν αἱ παρωνυμίαι. Neque hæc duplicis nominis ratio a regibus Asiæ videtur aliena; sic Zenonis cognomento Cotylæ, Philadelphiæ tyranni, meminit Josephus *Antiq.* lib. XIII. c. XV. fin. & Zonoras *Annal.* I. alterius Zenonis, cognomento Artaxiæ, quem Germanicus Armeniis regem dedit, Tacitus *Annal.* II. 56. in Syria fuerunt Alexandri: alter ὁ Βάλλης, alter ὁ Ζεβινᾶς nuncupati, de quibus infra dicendum erit: ut alia infinita prætermittam. Parthorum certe reges, Orodis, Pacori, Phraatis, aliisque nominibus noti, Arsacis insuper, conditoris & auctoris sui generis, nomen retinuisse præter scriptores etiam antiqui lapides testantur, qualem videre licet apud Gruterum, *pag.* 288. PHRAATIS ARSACIS nomine inscriptum: tametsi mos iste a Romanis potius observatus videatur, quam Parthis ipsis, ut ex horum nummis patet, e quibus aliquot infra producemus. Sed tamen omissa hac duplicis nominis ratione, non modo Xenophonti, diligentissimo scriptori, sed etiam vicinis Ponti, Cappadociæ & Galatiæ regibus ignota, potius est ut dicamus; varia quidem nomina regibus Paphlagoniæ fuisse, maxime postquam terra hæc in plures regulos est distributa, Pylæ-

A menis tmen, quantum ex illius historiæ reliquiis colligere licet, usitatissimum, & in honorem ejus, quem ἀτάλαντον Ἄρηϊ, *Marti similem*, prædicat, aliisque præconiis extollit Homerus, a plerisque, tanquam gentilitium, fuisse usurpatum: quare cum tot regibus esset commune, & velut hæreditarium a patre ad filios transiret, factum est ut virtutis, affectus, formæ, similique vocabulo adjecto, tanquam cognomine, fuerit inter illos distinctum, quibus etiam Ægypti, Syriæ, Ponti, Cappadociæ reges communia inter se nomina discernebant: idque ex cognomine ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, quod nummus noster præfert, fit manifestum. Quan-
B quam igitur ante adventum Romanorum in Asiam permultos Pylæmenes Paphlagoniæ præfuisse sit extra dubium: attamen, quoniam res eorum gestæ monumentis annalium, quæ ad nos pervenerunt, ferme sunt intactæ, nullam illorum mentionem reperimus ante bellum Romanorum cum Aristonico, a P. Licinio Crasso consule gestum, de quo sic Orosius *lib.* V. *cap.* X. pr. *Anno ab V. C.* DCLXXII. *P. Licinius Crassus cos. & pontifex maximus adversus Aristonicum, Attali fratrem, qui traditam per testamentum Romanis Asiam pervaserat, cum instructissimo missus exercitu, præterea*
C *a magnis regibus, hoc est, Nicomede Bithyniæ, Mithridate Ponti & Armeniæ, Ariarathe Cappadociæ, Pylæmene Paphlagoniæ, eorumque maximis copiis adjutus, conserto tamen prælio victus est.* Hæc iisdem pene verbis narrat Eutropius *lib.* IV. & sequitur Paullus Diaconus in *Hist. miscella.* lib. IV. c. XXIV. fin. Tandem Pylæmenem Paphlagonem a Mithridate & Nicomede societate inita regno pulsum esse, supra ex Justino *lib.* VI. *cap.* II. pr. andivimus. Id soli Mithridati tribuunt laudati modo Eutropius & Orosius, qui etiam Nicomedem Pylæmeni conjungunt; sic enim ille de Mithridate *l.* V. *Mox etiam Bithyniam invasit & Paphlagoniam,*
D *pulsis ex ea regibus amicis populi Romani, Pylæmene & Nicomede.* Sed cum Nicomedes hic superioris illius, qui societatem cum Mithridate junxit, filius fuerit, ut docet Justinus *l.* XXXVIII. *c.* III. semel atque iterum Pylæmenem regno exturbatum fuisse dicendum est, id quod apertis verbis indicat Sextus Rufus in *Breviario, cap.* XI. fin. *Paphlagoniam Pylæmenes rex amicus populo Romano tenuit: sæpe ex ea pulsus, regno a nobis est restitutus, quo mortuo, provincia Paphlagonibus imposita est.* Restitutum autem fuisse a Pompejo citatus modo Paullus *lib.* VI. cap. XII. pr. scriptum reliquit. Itaque quæ de Pylæmene hucusque ex historiarum mo-
E numentis retulimus, de duobus aut tribus hujus nominis regibus Paphlagoniæ sunt intelligenda: cum inter expeditionem illam Crassi adversus Aristonicum, & Man. Æmilium Lepidum, L. Volcatium Tullum, quibus coss. Pompejus contra Mithridatem est profectus, LXIII. anni intercedant. Cæterum de restitutione Pylæmenis, & fine regni Paphlagonum, non levis contentio videtur esse inter scriptores. Rufus enim & Paullus ei, victo profligatoque Mithridate, regnum a Romanis redditum eoque mortuo in provinciam redactum esse dicunt. Neque ab his diversus Jornandes, *de regn. succ.* cap. LV. fin. *Paphlagoniæ Pylæmenes,*
F inquit, *rex amicus populi Romani, a multis dum inquietaretur, Romanorum petiit auxilium. Se quoque dum de inimicis ulcisceretur, defunctus Romanos per testamentum hæredes reliquit.* Dissentit tamen Appianus, qui in *Mithrid.* sub fin. scribit, Pompejum, cum confecto bello Mithridatico Asiæ statum ordinaret, Attalum Paphlagoniæ regulum constituisse. Strabo vero, luculentus auctor, & ab iis temporibus non longe remotus, *lib.* XII. testatur ultimum Paphlagoniæ regem fuisse Dejo-

tarum, Castoris filium, cognomento Philadelphum; illius nimirum Castoris, qui avum Dejotarum, Galatiæ tetrarcham, de solio deturbare conatus est, ut patet ex Cicer. oratione *pro Dejotaro*. Diversum ab his omnibus sentit Justinus, *l.* XXXVIII. *c.* II. Cum enim Mithridates & Nicomedes Romæ coram senatu de Cappadocia contenderent, memorat senatum, studio regum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, & Mithridati Cappadociam & Nicomedi Paphlagoniam ademisse: *Ac ne contumelia*, inquit, *regnum foret, ademtum illis, quod daretur aliis, uterque populus libertate donatus est*: quibus verbis utique gentem hanc jam tum regum imperio liberatam statuit. Hæc qua ratione concilianda & a tenebris vindicanda sint, vix appareret, nisi facem præferret Strabo *lib.* XII. dum Paphlagoniam mediterraneam sic describit: Ταύτης δὲ, καίπερ ὀλίγης οὔσης, μίκρον μὲν πρὸ ἡμῶν ἦρχον πλείους, νῦν δ' ἔχουσι Ρωμαῖοι, τοῦ γένους τῶν βασιλέων ἐκλιπόντος. Id est, *Hujus, quanquam sit exigua, plures ante nostram ætatem domini fuere, nunc eam tenent Romani postquam stirps regia defecit*. Subjungit mox parti hujus Dejotarum Castoris filium ultimo loco imperasse. Idem paullo superius ubi de Mariandynis agit, Paphlagoniam etiam antiquis temporibus pluribus dominis paruisse dicit: & addit paullo post, maritimam Paphlagoniam Mithridatem occupasse, & regno Ponti adjecisse, ut & partem mediterraneæ; quare cum Pompejus victo Mithridate regnum ejus constitueret, Armeniam & Colchidem regulis divisisse, quorum opera in bello fuerat usus: reliqua in undecim civitates distribuisse & Bithyniæ addidisse: tum μεταξὺ τῶν μεσογαίων τινὰς βασιλεύεσθαι παρέδωκε τοῖς ἀπὸ Πυλαιμένους, id est, *quasdam e mediterraneis posteris Pylæmenis regendas tradidit*: intelligit autem Pylæmenem Homericum, cujus & non longe post meminit, adeoque ejus posteros cum genere idem quoque nomen retinuisse, evidenti originis argumento, subindicat. Jam si hæc Geographi loca ut Ariadnes filum sequamur, nullo labore nos ex illa varietate sententiarum, tanquam labyrintho, extricabimus: cum Paphlagonia in multas portiones divisa partim pluribus dominis subesse, partim regum imperio exemta libertate frui potuerit. Hæc cum nuper ad te scripsissem, V. A. tuque probasses, reperi postea mirum in modum hanc sententiam stabilire Eutropium, *lib.* VI. qui Pompejum finito bello Armeniam minorem Dejotaro donasse, *Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam reddidisse*, Aristarchum Colchis regem imposuisse scribit. Hactenus de nomine Pylæmenis, quibus & illud ἐξ ἐπιμέτρου addendum: cum Homerus nomen hoc, ut metro inservire possit, faciat declinationis contractæ, dicit enim Πυλαιμένεος & Πυλαιμένεα, hinc & Strabonis Πυλαιμένους: attamen in nummo meo simplicis declinationis genitivum ΠΥΛΑΙΜΕΝΟΥ reperiri, quæ demum genuina nominis hujus inflectendi ratio esse videtur, ut reliquorum ferme hujuscemodi nominum in nummis conspicuorum, Μιθραδάτου, Αριαράθου, Τιγράνου, Αρσάκου, & similium.

Cognomen Pylæmenis ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ quod attinet, cur id ei tributum fuerit, in tanta rerum Paphlagonicarum ignoratione & regum obscuritate difficillimum est conjicere. Reprehendit quidem Plutarchus Orat. II. *de virt. vel fort. Alex.* illorum regum ambitionem, qui re quacunque vel nulla penitus bene gesta deorum cognomina sibi vindicarunt: dum alii Neptuni, κεταιβάται, κεραυνοὶ dici voluerunt: Οἱ δὲ εὐεργέτας, οἱ δὲ καλλινίκους, οἱ δὲ σωτῆρας, οἱ δὲ μεγάλους ἀνηγόρευσαν ἑαυτούς. Quamvis idem *de laude sui ipsius*, non eos qui se φιλαδέλφους, aut φιλομήτορας, aut εὐεργέτας, aut θεοφιλεῖς cognominari voluerunt, sed qui deos & deorum filios, odio dignos esse statuat. Illud de εὐεργέτου cognomine satis constat, quod & ipsa verbi natura docet, ob insigne quoddam beneficium in deos aut homines collatum id non semel principibus suis tribuisse Veteres. Ne quid hic de Arimasparum gente dicam, qui propter summam humanitatem & benignitatem, qua Cyri exercitum, vel, ut vult Stephanus, Argonautas exceperunt, *Evergetæ* deinceps appellari meruerunt, qua de re videndi maxime Diodorus *lib.* XVII. & Strabo *lib.* XV. Celebratur hoc nomine pietas in deos etiam in marmoribus antiquis; sic in iis, quæ servantur Oxonii pag. 297. & seqq. laudatur Dionysius quidam ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΘΕΟΙΣ ΠΑΤΡΙΟΙΣ, & Clenodemus ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΤΟΥΤΕ ΙΕΡΟΥ ΚΑΙΔΗΛΙΩΝ. Jam si Josepho *Antiq.* XI. *cap.* VI. credimus, Artaxerxes rex Persarum Mardochæum Judæum ob detectam Eunuchorum in se conspirationem εὐεργέτην καὶ σωτῆρα suum edicto publico vocavit. Sed solebant hoc laudis maxime regibus suis impertire Prisci, præcipue Græci, ad omne genus assentandi convitiandique pro innata genti levitate proni. Ita Philippum Macedonem a Græcis, virtutis specie deceptis, φίλον, εὐεργέτην, σωτῆρα, creditum fuisse Demosthenes *Orat. de Corona* auctor est. Verum potiore jure alter Macedoniæ rex Antigonus, qui Tutor & Δώσων dictus est, communi Græciæ consensu Εὐεργέτου cognomen est adeptus; propterea quod, cum victo Cleomene Spartanorum rege, & urbe vi capta belli jure uti potuisset, singulari clementiæ exemplo, eos suis legibus vivere permisit: Τοιγαροῦν οὐ μόνον ἐκρίθη παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν εὐεργέτης, ἀλλὰ καὶ μεταλλάξας, σωτήρ. *Quamobrem non solum per id tempus benefactoris, sed etiam post mortem servatoris nomine dignus est judicatus*; ut refert Polybius *lib.* V. 9. & post eum Suidas in *Antigono*. Sed ante Antigonum Athenienses Demetrium, qui Poliorcetes vulgo audit, cum se ad liberandas Athenas venisse diceret, in urbem intromiserunt, σωτῆρα καὶ εὐεργέτην ἀναγορεύοντες, ut Plutar. in *Demetrio* scribit. His quoque nominibus Antiocho Epiphani adulati sunt Samaritani: cum enim metuerent, ne subacta Judæa & urbe vastata, in se arma converteret, litteris ad eum datis se submiserunt, quibus eum inter alia εὐεργέτης καὶ σωτῆρα suum vocarunt, teste Josep. *Antiq.* l. XII. c. VII. quin etiam Nilum σωτῆρα καὶ εὐεργέτην τῆς χώρας dictum esse Julianus Imperator *Orat.* III. prodidit. Imo Osiris jam cum nasceretur, auditam esse vocem ferunt exclamantem, ὅτι μέγας βασιλεὺς εὐεργέτης Οσιρις γέγονε, *Osirim magnum regem & beneficum esse natum*: ut Plut. *de Iside* p. 355. Itaque cum tantopere hac beneficentiæ laude delectarentur principes, factum est, ut Ptolemæus tertius, filius Philadelphi, Εὐεργέτου cognomine se a patre avoque distingui voluerit: cujus cognomenti rationem accuratius exponit Hieronymus *in Daniel. cap.* II. Cum enim rex ille post susceptam feliciter expeditionem in Syriam & Babyloniam inter spolia, vasa pretiosa, & deorum simulacra, quæ Cambyses olim capta Ægypto in Persiam portaverat, ad Ægyptios reduxisset, ab his deos suos tanquam postliminio recipientibus, quasi summus erga eos benefactor, εὐεργέτης deinceps est cognominatus. Hujus regis exemplo ejus nepos, septimus hujus nominis rex Ægypti, ob saginam ventris φύσκων seu *ventricosus* dictus, licet nequissimus omnium Ægypti regum, & beluæ magis quam homini similis, Strab. *lib.* XVII. Εὐεργέτης tamen secundus ab adulatoribus cognominatus, hoc nomine maxime sibi placebat; quanquam ab Alexandrinis ob horrendam crudelitatem κακεργέτης dici meruerit, ut est apud Athenæum, *lib.* XII. 27.

A Πτολεμαῖος ὁ ἕβδομος Αἰγύπτου βασιλεύσας, ὁ αὐτὸν μὲν εὐεργέτην ἀνακηρύττων, ὑπὸ δὲ Ἀλεξανδρέων κακεργέτης ὀνομαζόμενος. Hujus eſt nummus iſte apud Goltzium, in *Theſauro*, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΟΝΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ: cujus tamen fides merito ſuſpecta eſt: cum φύσκονος, πωγωνος, ὀδόντος, γρύπου, αὐλητοῦ, & ſimilia cognomina opprobrii ſpeciem habentia, regibus a vulgo & ſcriptoribus tributa, non ab ipſis uſurpata, vel nummis inſcripta videntur. Nec Ægypti ſolum, verum etiam Syriæ reges præclari hujus cognomenti gloriam affectaſſe præſtantiores aliquot eorum nummi declarant, in quibus legitur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕ-B ΞΑΝΔΡΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, & ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ, & ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ, & ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ. Hic Antiochus *Euſebes* vulgo nuncupatus, *Evergetes* perpetuo, niſi fallor, appellatur in numiſmatibus: mea certe quattuor nihil habent aliud, quam ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Sed & Mithridatem, Ponti regem, magni illius Mithridatis, qui εὐπάτωρ & διονυσος eſt appellatus, patrem, Εὐεργέτου cognomento uſum fuiſſe præter Strabonem *lib.* X. & Appianum in *Mithrid.* e-C tiam nummi a φιλοκάλοις jam publicati cum inſcriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, fidem faciunt. Horum exemplum æmulati reges regum, Arſacidæ, inter alia cognomina, quæ ſumma ambitione in potentiæ & majeſtatis ſpeciem ſibi arrogarunt, Evergetæ quoque dici voluerunt: cujus rei locupletes teſtes ſunt eorum nummi, his plerunque inſcriptionibus inſignes, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, & ſimiles a viris doctis jam vulgati: D quibus addi poſſunt duo alii, ex argento majoris formæ, quos inter auguſta κειμήλια Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi non ita pridem Viennæ me vidiſſe memini: habent una parte caput regis barbatum & capillatum, larga faſcia ſeu diademate, ut ſolent, redimitum: altera circum figuram ſedentem, & arcum dextra protendentem, his inſcriptionibus ſunt ſignati: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ... ΑΙΩΧΟ.. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΜΕΛΑΝΗ ΑΜΦΙΜ ... alter, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΞΑΝΟΥ ΑΥΣΑΝΟΥ ΘΕΠΑΤΕΡ ΕΥΕΡΓΕΤ. ubi forte pro ΑΥΣΑΝΟΥ legendum ΑΡΣΑΚΟΥ: ſed ego totidem litteris, ut legebam, deſcribere volui. E Tandem Græci, cum orbis imperio Cæſares potiti eſſent, ad iſtos hunc adulandi morem a regibus ſuis tranſtulerunt: igitur Philo Judæus *in Flaccum*, Auguſtum σωτῆρα καὶ εὐεργέτην appellat, & iiſdem verbis etiam compellat Cajum, in *leg. ad Cajum*. Hadrianum quoque Imperatorem Athenienſes ΟΛΥΜΠΙΟΝ ΣΩΤΗΡΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ nuncuparunt in eximio & ſingularis raritatis nummo: quem tamen refero ex aliorum fide, cum de ejus antiquitate cuipiam ſcrupulus ob nimiam inſcriptionis ab utraque parte inſolentiam ſuboriri poſſit. Jam, ut ad Pylæmenem noſtrum revertamur, tametſi non ſine ratione cognomen hoc ΕΥΕΡΓΕ-F ΤΟΥ ei tributum fuiſſe credibile ſit, quibus tamen modis hanc beneficentiæ laudem conſecutus ſit in tanto ſcriptorum ſilentio, ne leviſſima quidem conjectura nobis aſſequi licet. Quanquam etiam fieri potuit, ut morem ſæculi ſecutus ita ſe vocari voluerit: cum ſub illud tempus, quo Romani cum Ariſtonico bellum geſſerunt, reges cognomen hoc certatim vel arripuiſſe, vel ab adulatorum turba delatum, veluti mutua quadam æmulatione, ſuſcepiſſe videantur. Hujus enim ætatis fuerunt Mithridates Evergetes Ponti, & Ptolemæus Evergetes ſecundus, Ægypti reges. Syriæ vero reges eadem tempeſtate cognomento hoc maxime fuiſſe uſos, patet ex Alexandri nummo, quem ſupra ex Goltzio deſcripſimus. Cum autem duo hujus nominis Syriæ reges occurrant: alter his temporibus prorſus æqualis ζεβινὰς dictus, teſte Joſepho, *Antiq.* lib. XIII. cap. XVII. & a Ptolemæo Phyſcone in regnum miſſus: alter paucis annis ſuperior, ὁ βάλλης cognominatus a Joſepho, *Antiq.* lib. XIII. cap. VIII. huic tribuendum eſſe nummum exiſtimo: etenim is a Ptolemæo Philometore Ægypti, Attalo Aſiæ, & Ariarathe Cappadociæ regibus ſubornatus & copiis adjutus, victo cæſoque Demetrio, Syriam invaſit, & ſe Antiocho Epiphane genitum, licet incertis ortus parentibus, credi voluit: hinc quo fabulæ fides conſtaret, ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, ob paterni generis gloriam, Antiochi regis, quem fratrem ſuum mentitus eſt, exemplo, & ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ cognomen uſurpavit: quæ nullis librorum monumentis conſignata, ſola & indubia præclari nummi fides confirmat. Jam vero ad quem regem ſpectet nummus ille *Demetrii Philometoris Evergetæ Callinici*, non perinde facile eſt affirmare. In Antigoni regis Macedoniæ poſteris quinque enumerantur Demetrii, e quibus duo regnum adepti, Demetrius Poliorcetes, ejuſque ex Antigono Gonata nepos, Demetrius pariter dictus: alter enim Poliorcetæ filius, Demetrius, regno Cyrenarum deſtinatus, juſſu ſponſæ, regni hæredis, ante nuptias per inſidias eſt interemtus, ut Plutarchus in *Demetrio*, Juſtinus *lib.* XXXVI. *c.* III. & Laertius in *Arceſilao*, litteris tradiderunt. Sed cum Macedoniæ regibus hanc cognominum farraginem minus uſitatam fuiſſe deprehendamus, imo vix ac ne vix quidem cognomen aliquod in eorum nummis appareat: potius eſt ut ad Syriæ reges, qui etiam his in rebus majeſtatis & luxuriæ laudem quæſiverunt, nummum hunc referamus. Inter hos tres omnino Demetrii recenſentur, quorum primus Σωτὴρ, & alter, hujus filius, Νικάτωρ nuncupati, cum vel ſolo nomine contenti, vel propriis his cognominibus diſtincti reperiantur in nummis, huc non pertinent. Reſtat tertius Demetrius, Joſepho dictus Εὔκαιρος, *l.* XIII. *c.* XXI. fin. Antiochi Grypi filius, quem Athenæus cum amica Myrina totius imperii auctoritatem communicaſſe ſcribit *lib.* XIII. *cap.* XXIII. Hujus eſſe nummum ut exiſtimem faciunt cognomina ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ a patre Antiocho, & ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ab ævo materno, Ptolemæo Phyſcone, tracta, & quaſi hereditario jure huic vindicata. Grypum autem, Demetrii hujus patrem, etiam φιλομήτορα dictum fuiſſe, præter ſcriptores & nummi teſtantur, hoc titulo inſcripti: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ: oſtendit idem hujus Antiochi conjuncta cum matris Cleopatræ facies in nummis hac inſcriptione adjecta: ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, qualem & ſcrinia mea exhibent, juxta victoriam progredientem. Accedit quod Eucærus cognomen hoc affectaſſe videatur, ut matri gratificaretur, cujus ope haud dubie factum eſt, ut frater ejus, Ptolemæus Lathurus, illum Cnido accitum, regem ſalutarit, & adverſus Antiochum τὸν εὐσεβῆ copiis juvarit, ut ſcript Joſephum auctor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, qui ſub Hegeſippi nomine circumfertur, *lib.* I. *cap.* X. ſcriptum reliquit. Nec quicquam obſtat quod iſte Demetrius etiam φιλάδελφος, ut ejus frater Philippus, in nummis vocetur. Etenim, ut dicam quod ſentio, plura ſimul honoris & virtutis nomina in unum hunc Demetrium a Syris ſuis & civitatibus ſubditis fuiſſe congeſta, imo inaudita prius adulatione certatim omnia præcedentium

A regnum præconia cumulata, rursus eximia numismatum nostrorum testimonia confirmant: cujus generis & inter mea duo præcipua conservo, quorum alterum, post caput Dianæ tripode signatum, hunc adscriptum habet titulum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, infra tripodem civitatis nomen extabat, quod tempus exedit: alterum Herculis capite notatum, parte posteriori præfert Herculem stantem dextra pellem leonis, sinistra clavam tenentem; inscriptio hæc est, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ; infra Herculem ΤΥΡ... a Ty-
B riis signatum nummum indicat, ubi maximus erat Herculis cultus, qui & Tyrius inde dictus, ut vulgo notum. Ex his prior ille ob ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ cognomen sine dubitatione Eucæro est tribuendus; posterior etiam in Nicatorem Soteris filium quadrare potest, ut hunc patris quoque cognomen suo junxisse dicamus; mallem tamen ego ad eundem hunc Eucærum referre, quem tanto studio civitates coluisse, atque omnibus honorum ac blanditiarum verbis exornasse videmus. Idem de illo quem Goltzius produxit, quemque per errorem Macedoniæ regibus inseruit, cum inscriptione ΒΑ-
C ΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΣ, dici posset: hæc enim nomina etiam Eucæro in nummis jam prolatis adscribi cernimus. Sed placeat hunc Nicatori relinquere: caput certe barbatum & diadematum, in altera illius parte perspicuum, non ipsius Demetrii, ut vulgo etiam viris doctissimis, persuasum est; (cum reges illos, si Seleucum Callinicum, qui & πώγων ideo dictus est, excipias, barba caruisse, quæ ad nos pervenerunt, monumenta doceant) verum, nisi me fallunt omnia, Neptuni est; talis enim & in aliis nummis, vel ab ipso Goltzio publicatis, apparet: firmat hanc sententiam quod aversa hujus nummi facie
D sub sella Jovis tridens Neptuni conspiciatur, quodque solenne ferme fuerit hac tempestate civitatibus Syriæ, deorum capita cum regum suorum nominibus conjungere, quod ex modo allatis fit manifestum. At vereor ne extra oleas, ut ajunt, vagari tibi videar, Nobilissime HOLLANDERE, qui in uno Demetrio Evergete indagando tantum temporis & operæ insumam: verum concedes aliquid, spero, nostro in has studiorum delicias amori, quo ipse non minus flagras, forte nimis impenso, & ipsius rei difficultati, quæ etiam eruditissimos viros, & de hoc litterarum genere optime meritos, multum exercuit, & in er-
E rorem, ut mihi quidem videtur, non unum abduxit. Res omnis huc redit, ut ab Alexandro τῷ βάλῃ cognomentum Εὐεργέτου Syriæ regibus imprimis acceptum & usitatum fuisse perspiciamus, utque, si quid in tanta rerum obscuritate augurari licet, Pylæmenem nostrum, suorum temporum morem imitatum, cum Ponti, Ægypti ac Syriæ regibus idem cognomen æmulatione beneficentiæ assumsisse dicamus. Quam sententiam, donec quid certius occurrat, retinebimus, & hunc eum esse Pylæmenem statuemus, qui Romanis contra Aristonicum cum regibus aliis copias ad-
F duxit. Ultimum vero Pylæmenem, quem scriptores supra laudati ubique *Amicum populi Romani* nuncupant, exinde φιλορώμαιον cognominatum fuisse forte suspicari quis possit, maxime cum hujus temporis Ariobarzanes & Ariarathes, reges Cappadociæ, Pylæmeni finitimi, filii Ariobarzanis primi, cui victo Mithridate regnum reddidere Romani, hoc cognomento usi fuerint, ut præter Ciceronis auctoritatem *lib.* XIII. *ep. fam.* II rursus numismatum nostrorum fides evincit, in quibus legitur, ΒΑΣΙΜΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΡΩΜΑΙΟΥ, & ΒΑΣΙΛΕΩ ΣΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΦΙΛΟΡΩ-

A ΜΑΙΟΥ. Sed & Castorem regem, Dejotari, quem ultimum Paphlagoniæ regem appellat Strabo loco supra citato, patrem, hoc etiam tempore φιλορώμαιον fuisse cognominatum Suidas testis est: qui tamen male hunc cum Castore Saocondario, Dejotari tetrarchæ genero, filium nimirum cum patre, confundit. Constat autem inter rerum Romanarum auctores, hoc amicitiæ nomen pro summis in Rempublicam meritis interdum exteris regibus magni beneficii loco dari, & ab his summo studio ambiri consuevisse: atque hæc etiam de cognomi-
B ne Pylæmenis.

Ab expositione nominis & inscriptionis ad res in nummo nostro expressas transeundum est: ubi quidem cum maximis iterum difficultatibus conflictandum, & per multos dubitationum fluctus, qua licet, enitendum mihi esse prævideo: sed tamen satius esse duco quascunque conjecturas in re tam obscura producere, sicque aliis, forte felicioribus ingeniis, ad inveniendum aliquid certius viam aperire, quam rem omnem intactam nec ulla ex parte tentatam in medio relinquere. Parte una caduceum videmus, insigne Mercurii, cum adjectis in medio pinnis, quibus etiam istius dei gale-
C rum & talaria exornare consuevit antiquitas. Hujus descriptionem ex Veteribus nobis tradidit Macrobius, quam deinde proferemus; depinxit & accurate satis vetus Scholiastes Thucydidis *ad l.* I. his verbis: Κηρύκιόν ἐςι ξύλον ὀρθὸν ἔχον ἑκατέρωθεν δύω ὄφεις περιπεπλεγμένης καὶ ἀντιπροσώπης, περὶςάλλήλης κειμένης. Id est, *Caduceus est lignum rectum, habens utrinque duos angues circumplexos, & oppositis frontibus se invicem respicientes.* Hoc autem pacis & concordiæ signum, quæque inde sequitur, felicitatis publicæ fuisse, nemo in veterum scriptorum & his priscæ elegantiæ monumentis paullo exercitatior ignorat; sit multorum testium loco
D Homerus, qui hanc virgam Mercurii in *Hymno Mercurii* vocat

Ὄλβου καὶ πλούτου περικαλλέα ῥάβδον.

quid enim popularius, quid gratius civitati quam pax, qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur? quæ verba sunt disertissimi Tullii, II. *de L. Agr.* Unde non inepte conjici potest, caduceum nummo nostro impressum ad Pylæmenis cognomen ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ respicere: ut nimirum hoc propterea meruerit, quod pacis & tranquillitatis publicæ auctor, vitam felicem, & copia rerum o-
E mnium affluentem, populo suo præstiterit, quod demum vere εὐεργέτου, seu *benefici*, principis officium esse videtur. Quanquam hoc caducei signum etiam ad Mercurii atque Isidis Iusque cultum referri possit; ut jam dicemus, ubi alteram nummi faciem explicandam aggredimur. Præfert illa bovis caput; cujus quidem rei rationem certam exponere in tanta rerum Paphlagonicarum obscuritate difficillimum, ne dicam impossibile, videtur. Equidem symbolo hoc Bœotos, & Eubœos præcipue, in nummis usos esse inter hujus elegantiæ cultores satis constat, & docent hoc maxime superstites Philippi Macedonis & Alexandri M.
F nummi, qui juxta Jovem sedentem signum hoc adjectum habent, ut in hac parte Græciæ cusos esse dignoscamus, cum civitates aliæ aliis signis in eorundem regum nummis utantur. Sed quid Paphlagonibus cum Eubœis aut Bœotis? Originis suæ vel adversus deos pietatis ac religionis indicia plerunque in his monumentis exhibuisse Græcos, norunt qui hanc partem antiquitatis tractant. Atqui Paphlagonas, ortos primum a Riphate Gomaris filio, teste Josepho *Antiq.* l. I. c. XIII. deinde colonia Ægyptiorum auctos, ab his originem trahere creditos fuisse, præter Stephanum gravissi-

mus auctor est Constantinus Porphyrogenneta, cujus hæc sunt verba *lib.*1.*Th.*VII. Εἰσὶ δὲ οἱ Παφλαγόνες γένος Αἰγύπτιον ἀπὸ Φινέως, τοῦ πρώτου τὴν Παφλαγονίαν οἰκίσαντος. ὃς ἔσχεν υἱὸν Παφλαγόνα, ἐξ οὗ καὶ ἡ χώρα τὴν προσηγορίαν ἐκληρονόμησεν. Id est, *Sunt autem Paphlagones Ægyptii genere a Phineo, qui primus in Paphlagoniam coloniam deduxit; qui habuit filium Paphlagonem, a quo etiam regio appellationem sortita est.* Quod si jam extarent quæ de coloniis Ægyptiorum peculiari libro commentatus est Istrus, eodem Constantino teste *Them.* lib. 1. cap. XV. minus forte de nummi nostri explicatione laboraremus: nunc cum in hac rerum ignoratione certi quid quod sequamur non adsit, conjecturis indulgeamus, &, velut in tenebris, palpando exitum quendam invenire tentemus. Pervulgata sunt quæ de Io, Inachi filia, litteris prodiderunt Antiqui: Hanc cum in juvencam transformatam Juppiter Junoni dono dedisset, hæcque Argum centoculum ei custodem apposuisset, cum ab eo nimis arcta custodia premeretur, Jovem id ægre ferentem mandasse Mercurio, ut raptam, vel interfecto Argo, abduceret: ita Mercurium sumta pastoris forma Argum virgæ suæ tactu, & fistulæ cantu sopivisse, deinde & saxo peremisse: qua re commota Juno œstrum vaccæ immisit, quo illa graviter exagitata, cum multas regiones percurrisset, & Bosphorum Thracicum, qui inde nomen accepisse dicitur, trajecisset; tandem in Ægyptum delata, Jovis auxilio implorato, pristinam formam recuperavit, regique Osiridi nupsit: ab Ægyptiis autem magno in honore habita, post mortem in deos relata, atque Isis vocata, omnium deorum dearumque maxima veneratione culta est. Boves certe feminas huic deæ sacras fuisse, atque ex omni pecude summis & divinis honoribus affectas ab Ægyptiis, scribit Herodotus *lib.* II. 41. quinimo hos ipsum quoque simulacrum Isidis cum bubulis cornubus finxisse, quemadmodum Græci Io pingere solent: τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα, ἐὸν γυναικήιον, βουκέρων ἐστί, καθάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι: testatur idem Diodorus Siculus *lib.*1. *cap.*II. & Philostratus *de Vita Apoll.* lib.1. *cap.*III. Sic narrat Plutarchus *de Iside* p.358. cum Orus matri ob dimissum Typhonem indignatus, ei regium ornatum de capite detraxisset, Mercurium Isidi galeam e bovis capite factam imposuisse, Ἑρμῆν ἐπιθεῖναι βούκρανον αὐτῇ κράνος. De Astarte quoque, maxima dea Phœnicum, quæ & orbem terrarum peragrasse dicitur, neque diversa est ab Iside & Io, simile quid commemorat Eusebius, *Præpar.*l.1.p.25. ed. Rob. Steph. Ἡ δὲ Ἀστάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου. Id est, *bovis caput capiti suo imposuit Astarte pro regni insignibus.* Itaque nemini obscurum esse puto caput bubulum, quod in nummo videtur, ad Isidis cultum, & originem Paphlagonum ex Ægypto, non incongrue referri posse. Nam & sacra gentis matris atque majorum retinere consuevisse colonos cum rerum antiquarum scriptores, & imprimis Diony. Halicarnassensis *Antiq.*l.1.*c.*XXX tum numismatum infinita nos argumenta docent. Prætermitto illa, quæ de bobus sacris, Ap & Mnevi, finxerunt Ægyptii, quos Osiridi consecratos ab Iside, summa religione, tanquam deos coluerunt, imo ipsum Osirin esse crediderunt, ut Plutarchus *de Iside*, Strabo *Geograph.* lib. XVII. & Diodorus *Bibl.* lib. XIII. litteris consignarunt. Cum igitur majores deos Iside atque Osiride non habuerint Ægyptii, & præter hos nulli æque per universum Ægyptum fuerint culti, secundum Herodotum *lib.* II. 42. quid mirum, si Paphlagones, ex iis oriundi, suam erga hos deos venerationem bovini capitis signo, forte a majoribus accepto, testari voluerunt? cum etiam Euboei eodem hoc symbolo usi credantur in memoriam Ius, quam bovis forma indutam, in antro hujus insulæ, βοὸς αὐλὴ dicto, Epaphum genuisse fama erat, unde & insulam nomen accepisse credidit Strabo *lib.* X. pr. Quibus omnibus accedit, non levis mehercle ratio, quæ vero sola rem totam conficere possit, origo Pylæmenis primi, regis Paphlagonum, quem ab Agenore genus suum deduxisse supra ex Dicty Cretensi probavimus. At Agenorem, Phœnicum regem, e Libya & Neptuno, vel, ut alii volunt, a Belo, Libyæ & Neptuni filio, prognatum, Libyam vero Epaphi filiam & Ius neptem fuisse, ex antiquis fabulis Apollodorus *lib.* III. Nonnus *Dionys.* lib. III. & alii memoriæ prodiderunt: quinetiam ipsum Phineum, quem Paphlagonum conditorem creditum fuisse modo diximus, Agenore patre natum esse, & in Thraciam concessisse præter Argonauticorum scriptores, Apollonium, *lib.* II. hocque accuratius ejus Scholiasten, & Valer. Flaccum, *lib.* IV. idem Nonnus *lib.*II. sub fin. commemorat. Ut jam perspicuum sit Pylæmenem illum non solum Agenorem ejusque filium Phineum & nepotem Paphlagonem, sed ipsam etiam Io, utpote Agenoris proaviam, in majoribus suis numerasse: ut vel hinc pateat verum esse, quod Plutarchus scribit *de Herodoti malignitate*, Io non solum a barbaris divinis honoribus cultam, verum etiam fontem nobilissimarum ac regiarum familiarum habitam fuisse: ἀρχὴν δὲ καὶ πηγὴν τῶν ἐπιφανεστάτων καὶ βασιλικωτάτων γενῶν παρασχεῖν. Non igitur mirum Ius memoriam coluisse reges Paphlagonum posteros Pylæmenis, & caput hoc bovinum tam illustris originis argumentum in nummis extare voluisse. Denique caduceum, altera nummi parte signatum, ad eundem cultum Ius atque Isidis, & originem Paphlagonum, referri posse quis non videt? Cum Mercurius non solum ope hujus virgæ Io, quam eandem esse cum Iside Græci voluerunt, Argi custodia liberarit; verum etiam Isidi atque Osiridi fidelem in omni vita operam præstiterit, ut ex Ægyptiorum scriptis Plutarchus *de Iside*, Eusebius *Præp.* lib. II. c. I. Diodorus *lib.*1. & alii plures tradiderunt; e quibus hic Osiridem cum eo cuncta consilia communicasse dicit, ἅπαντα προσκοινοῦσθαι καὶ μάλιστα χρῆσθαι τῇ τούτου συμβουλίᾳ. Accedit quod caduceus Mercurii, Ægyptiorum inventum, eadem plane forma, qua hic conspicimus, cum alis e capulo juxta caudas draconum nascentibus, ab iis fuerit effictus, ut auctor est Macrobius *Saturn.* I. XIX. fin. apud quem hac de re plura videri possunt: etenim mihi longiori esse non licet. Jam enim ista, quæ sub calamo crevit, Epistola nimium tibi, Vir Amplissime, & ad fastidium usque videbitur excrevisse. Sed veniam dabis immoderato forte vetustatis abstrusa cognoscendi & pervestigandi studio: quorum rationem dum invenire cupio, mihi usuvenire puto, quod in ignota regione peregrinantibus solet, qui, cum certam, qua incedant, viam non prospiciunt, per ambages eo, quo volunt, pervenire contendunt. Hac vero quamprimum quis viam certiorem invenerit, sequar eam non invitus, quinimmo pedibus lubens volens in meliorem sententiam ibo. VALE.

Basileæ ipsis Kalendis Maji, A.S.CIↃIↃCLXXX.

F I N I S.





